Digitized by Google

8
9 M
27

Tomi 3
Cr: XVI = ley: 1 = ff: 2

Digitized by Google

PER LE BIBLIOTECHE … ROMA

EMINENTISSIMO DOMINO,

DON GIL DE ALBORNOZ,

S. R. E. CARDINALI.

LIBER ecce meus, adeoque tuus, PRINCEPS EMINENTISSIME, omnino tibi deſtinatur; ab auſpiciis vtique tuis longe per ſæcula nobilitandus. Tu modò purpureo iſto fulgore naſcenti dexter affulgeas: humanitatiſque tuæ radiis immortalitatem inſpira. Quos ego ſupplicibus oculis, & prope ſub immenſa tua luce naufragantibus, Aquilea ſalutatione tamen adero: tibique magno Soli meam prolem nuncupatorio clangore deuoueo. Plane vt illius nobilitatem ingenua hac deſtinatione ſancirem: quam ego non alio examinatiori periculo in meã ſobolem adoptauero, quam quia totis in te luminibus hæreat. Noſtram quippe oculorũ aciem ſub inconniuente tui contemplatione attonitam, multiplex ſtupor olim captiuat; nec aliò patitur dege-

BIBLIOTH. CARMELIT. IN S. M. DE VICTORIA

Digitized by Google

neri libertate palpebras exerrare; ſed fatiſcentibus altè ſupercilijs ea ſimul omnia in vno collecta mirari, quæ plurimos diuiſa beauiſſent. Quæ tamen in te ſingula (quanquam omnibus ad miraculum abundes) æmulo ſplendore coruſcant; ipſa etiam Natura nihil in te auſa peccare; quæ rarò ſyncera liberalitate ſua bona mortalibus indulget; quaſi Nouercam fatis exuerit, ſi quocumque fauore inuidiam demulceat, ſingulariue aliquo ſolatio multiplicem iniuriam emendet.

In te vero plenis manibus luxurians de ſe veluti triumphauit. Numine quoque ſuis te donis abunde nobilitante; iam, vt hoc etiam nomine Patronus mihi nuncupateris; faueresque Supernaturalia meditanti. Tam alta materia te maxime decebat. Nunquam enim auguſtiſſimas illas virtutes ſiderea ſublimes origine, quas habet hic liber, tu iſta Purpuræ majeſtate, animoque ſupra Naturæ faſtigia ſurgente non dignaberis. Amabis cœleſtem illarum indolem, gaudebiſque fæliciore ſtylo eas in te viuere, quam nos in charta ſcripſerimus. Neque aliter meus liber Orbi commendari poterat, niſi tuæ laudes in eo legerentur. Quippe tuum nomen facile conciliauerit ei publicum fauorem; quo fœliciter inſignitus (veluti generoſa fronte reliquum corpus illuſtrante) populorum plauſibus excipiatur; memorantibus aliis Nobilitatem tuam, ſtupenti-

Digitized by Google

bus aliis ingenium, ſed pluribus amantibus fælicitatem, quam virtutes imitantibus. Quibus tuam tu fabricatus fortunam, aperuiſti viam, qua certisſime ſupra Fortunæ ludibria mortales enitantur.

Prolixius ego te laudarem, Heros inclite, ab Auis & Proauis, longaque retro ſerie virorum ad immortalitatem famæ in tuo ſtemmate viuentium, ſi ſolidæ tu laudis egens, alienâ fælicitate gloriareris. Sed, quamquam Patricio tibi ſanguine rubeat ab innumeris Heroibus ducta linea, ex te tamen potiſsimus eſt honor, non à Majorum imaginibus, quibus etiam luce tua ſplendorem addidiſti; à quibus tamen plurimum erat non degenerauiſſe. Sed quod alios feciſſet ignauos, id ipſum generoſitatem tuam acuebat. Nam ad auitæ laudis gloriam æmulis flammis ardebas: Nec longè tibi petẽdus erat virtutis amor: aderat vbiq; tuę menti cognatis laudibus Magnus ille (vt cæteros præteream tuæ gentis optimates) Archiepiſcopus Toletanus, ille Purpuratorum gloria Patrum, ille Bolonienſis Hiſpanorum Author Collegij, ille denique ſecundus à Tyara, ſui tẽporis apex, & vnicus Põtificię dignitatis aſſertor, Don GIL CARRILLO DE ALBORNOZ, terribile Vicecomiti Bernabo, & Auchieto Duci nomen, iuxtaque iucundiſsimum Vrbano V. illis alterna victoria fæliciſsime profligatis; huic ab

Digitized by Google

Auinione in Italiam tanti ſui, & Imperatoris, & Legati armis, & induſtria reſtituto. Quippe Pontifex miratus egregium hominem tam illuſtri ad Martem, & Togam, ingenio, cæteriſque ſummæ fidei laudibus, eundem & Legatum, & amicum ſibi adlegit, aſſuetus illi quamquam externo ſuum partiri animum, ſummaſque rei Chriſtianæ curas concredere: ille vero,

Mentem implere Ducis, iuſſiſque ingentibus vnus
Sufficere: ipſa virum norat iam tum Itala tellus.

Huic tu celeberrimo viro fraternus ex æuo Nepos, ſimillimis quoque dotibus, paribuſque laudibus ſuccedis. Ad magna cuius exempla flammatus tibi animus, fouebat ingentia laudum ſemina. Quæ deinde conſanguineo illo titulorum calore adulta precocibus meritis ad vberrimam in te maturitatem feſtinauere; donec tandem hæreditaria Purpura meritiſsimos humeros amictus Tyrio rubuiſti Galero. Iam inde non audente Fortuna ſacro-ſancto capiti adnubilare. Nam & illa quandoque magnis virtutibus obruta, cedit, nec valet in Heroas perpetuo ſuperbire.

Cui ne aliquid, aut parentibus omnia deberes, omnem illum adoleſcentis ætatis tuæ florem iis artibus exercuiſti, quę viros Principes omnino conſummant. Nam ſubinde Muſarum amicitię deſtinatus, illis adeo familiaribus vtebaris, vt ipſe

tibi Apollo pene inuiderit. Nouit ingenium Salmantica; audiuit acumen, eruditionem, eloquium florentiſsima totius Europę iuuentus; deniq; ſtupuerunt illi Muſarum Antiſtites; etiam nunc Ouetenſi Collegio ſui Alumni memoriã vſque tumente; neque diu tamen fęlicitate ſua potito. Subinde tuę te Muſę Vallis-oletum abripuere; ſcilicet properabant, vt vbique illarum Imperiũ eluceret: quod ſub te Hiſpanę nobilitatis Cenſore Vallis-olęti auſpicatum, ac deinde ſub Auditore Granadam vſque propagatum tandem Majoribus tui reducis auſpiciis Vallis-oleti ſtabiliri voluere.

O quam denſa laudum in ſegete immergitur calamus, dum opulentiſsimam illam tuarum virtutum Rempublicam ingreſſus, exprimere geſtit ot vndique miracula: quorum frequẽtia oculos ...cenißsima confundit; & quodcumque mag... line ſua mentẽ occupat, ad cętera pene inu...em: niſi quod in plurima ſuauiſsime diuiſa contẽplatio, in ſingulis ambiguo fauore ſtupet. Quis neſciat te prope adoleſcentem ſcandiſſe Tribunalia? te mente ſupra ſuos annos emergente, properauiſſe ad ea bona, quæ vel ad æui maturioris fælicitatem ſuffeciſſent? te iis artibus, eo genio, eâ Fortuna moderauiſſe, quas deinde Rex tuus credidiſſet habenas, vt & inuidiam magnas virtutes frequenter allatrantẽ oppilaueris, & (quo nihil eſt

Digitized by Google

mirabilius) tandem etiam pænitentiam extorſeris. Humanitas, clementia, fides, amicitia, comitas, prudentia, vel in te maxime mortalibus affulſere, vel affulſere nunquam. Sed illa potiſsimum virtus, quæ ſua cuique iura ex æquo diſpenſat, & iudicem omnino commendat.

Teſtor ego Noſtrates Nauarræos; fortunatoſque illos te Regente, dies. Quanta tunc ibi legibus dignitas ab exemplo tuo reliquos ad eandem reuerẽtiam efficaciſsime cogente! Quam integra tribunalia, ſinceraque iudicia! Quam ſine æternitate lites! Quam ex æquitate ſententiæ! Nunquã minus aſtui, fraudibus, potentiæ licuit. Odium, gratia, timor, ambitus, quia ſub te Præſide, & Prorege, violare iura deſperauerãt, longiſsime abfuere. Nulli fortuna nocebat, aut proderat. Qui meliori cauſa niteretur, omnia apud iudices valebat; nihil aliud enixius ambientes, quàm à te laudari: cui ea probari nouerant, ſine quibus Numinis quoque iram certiſsime ſubirent. Ita cæteram plebem hi fontes eluebant. Tu vero bonis omnibus pulcherrime virens, maliſque liquido carens; moribus non irâ turbidis, nec ſuperbia elatis, aut obliquè per humilia reptantibus, ſed pacatis, ſed humaniſſimis, ſed erectis, denique tuis, in nobiliore populi parte amore regnabas, dum reliquam ſordidæ indolis turbam ſaltem metus expugnaret. Ita terribilis pariter his, & illis charus omnes

in officio continebas. At etiam ſuperos tangebant propiora negotia : & inter præcipuas curas erat Numini Catholica fides; iamque præterea Matritum fama vulgante Pompeyopolitanæ fælicitatis admonitum ingenti tui deſiderio Regem, ne tanto miniſtro Imperij ſui ſedem orbari pateretur. Ergo vota promeruere regium fauorem. Protinus euocaris ad ſupremum Cenſoriæ dignitatis conſilium. Deum immortalem! Quantos ibi radios explicuiſti! Quam inſolitis fulgoribus pene te ipſum obumbrabas! Te ipſum, illum inquam, quem antea vix ſuſtinebamus, oculos nimia luce perſtringentem. Quippe tu maioribus adhuc inclitus actis, inſtar Solis pleno die ſuam aſtrorum lucem abſorbentes, priora illa magna tua ſequentibus extinxiſti, plane vt, qui apud minores populos ingentibus titulis enitueras, maioribus adhuc inter Hiſpanos Proceres in illo orbis theatro emineres : vbi tot inter magnates magnitudine ſua propè ſydera tangentes, vix eſt aliquem videri magnum, nedum eminere. At vbique tu idem ipſe; ibi quoque & magnus eras, & eminebas. Didicitque Aula Regia abſentem te, non fuiſſe magnum ingenio famæ plurima mentientis; ſed tuo ipſius ingenio, quem adhuc maiorem intuebatur, quam audierat.

Macte animis, VIR EXIMIE, notabat

omnia, qui geminum alterno lumine luſtrat: qui Auguſtiſsimo lateri examinatisſimos admouet miniſtros Philippus IV. nonniſi probatiſsimos dignaturus obſequij ſui gloriâ.

Vidit quippe tuos animos, raramque quietem,
Intactamque fidem, ſuccinctaque pectora curis,
Et vigiles ſenſus, & digna euoluere tantas
Sobria corda vices.

Et à tanto Rege meritus amari, fælicitati tuę litauiſti. Subinde tu omnia vota, omnes curas, omnem induſtriam, mentemque totam pratioſiſsimo illius obſequio inſumere; molem immenſam curarum verſanti qualemcumque requiem miniſtrare; vtriuſque mundi pondus intractabile ſuſtinendum conſilio, prudentia, labore ſubleuare; vires, modoſque vaſtisſimi ſui Imperij incredibili ratione dirigenti aduigilare. Ille vero ne te frigide nimis amauiſſe videretur, concoloribus flammatisſimo amori erga te ſuo beneficiis inſignire; id eſt, à Pontifice tibi Purpuram exorare, quę ſacros Eccleſiæ Principes honeſtiſsimo rubore perfundit. Ita demum ad vrbem legaris, Magni Regis mandata ferens ad orbis Patrem.

Sed nobis ediſſere ô R ma, num omnino memineris (quis dubitet?) Illuſtriſsimi illius Cardinalis DON GIL CARRILLO DE ALBORNOZ. Deinde quibus lętitiis acceperis Don Gil Carillo de Albornoz, eius Nepotem.

Nam illicò noueris hunc, & nomine, & rebus alterum illum; & protinus omnibus gaudiis amaueris; ac denique memora, quânam ille prudentia? qua comitate? qua religione apud Romanos agat? qua maieſtate impleat immenſam Hiſpaniarum Regis perſonam? quanta reuerentiâ Vicariam Chriſti poteſtatem in Pontifice adoret? quam capaci ad omnia ingenio, ſeu ſacra verſet, ſeu prophana? quanta fide ciuilia? quanta religione cęleſtia? Io quam ego fælicia auguror omnia Pontifici, & Regi? Regi, & Hiſpano, à fidiſsimo miniſtro, & ab Hiſpano; Pontifici & Vrbano, à Cardinali, & Albornoz?

Iamque hæc lætiſsima præſagientis animi diuinatione fauſta omnia orbi Chriſtiano ominatus, auſpicatiſsime à tuis laudibus calamum expedio, PRINCEPS ILLVSTRISSIME; innumeris in te gratibus nuncupationem extremam implens; impleturus & vitam; quam tibi plurimis debeo nominibus; maxime vero quod vbique noſtræ Societatis amans, non vulgaria beneuolentiæ erga nos tuæ documenta frequentibus officiis dederis: meos autem cognatos (quorum ſumptibus hic liber ad grati animi teſſeram tibi concinnatur) tot, ac tantis vndique beneficiis ligauiſti, vt & verba ipſa neceſſario ſilentio damnaueris, eorum & numero, & magnitudine nonniſi longe diſpari ſono reſponſura. Certe animus in

Digitized by Google

omnia pro te vota ſoluitur: quibus plane quæcumque donaria æquamus. Interea hæc qualiacumque libamina, noſtram tibi fidem, animoſque obſequio tuo dicatiſsimos explicantia humaniſsime reſpicias. Nec alio magis titulo patrocinaberis meo libro, quam quod in noſtra Societate colenda, & Meis omnibus indultiſsima liberalitate fouendis toties Authori benefeceris. Diutiſsime, ac fæliciſsime. Vale.

Poſt dexteræ oſculum,

IOANNES MARTINEZ
DE RIPALDA.

AD

Digitized by Google

AD LECTOREM.

OPERIS DESCRIPTIO ET RATIO.

NON eſt cur, HVMANISSIME LECTOR, ſuf-
fragia ſollicitem in operis commendationem, cum
ſatis ſe vel nominis auſpicio, Supernaturalia dona
commendent. Horum naturam cognoſcendi, quia
multorum ardenter exagitat deſiderium, officioſus
mihi præſcripſit affectus, vt ſtudio inquirerem, ſo-
lertia diſcuterem, ornarem expoſitione. Arduum **Operis difficultas.**
ſane opus, maximum, vtiliſſimum, & cui nobilis Theologorum labor
iactanter incumbat. Duplici ratione moles difficultatis attollitur. Inprimis,
quia, licet præſumptionis vires effuſa inquiſitionem contendat naturalis
ratio, cæcutientis inſtar in ludibrium errabit; cum vix vlla ſcintilla ſublu-
ceat quæ in hos campos gubernet mentis veſtigia. Deinde quia in eorum
lucem non ſunt Theologica principia, quæ vix recens ætas, ne vix quidem
libauit antiquitas, vt mihi imperium alacriter ingredienti, viam poſſent
aperire. Quæ præterea ita ſparſim diffuſa, neglectim confuſa iacent, vt in
libellum concinnata, ſi quis placita Theologorum ſubiungeret, ſatis labo-
ris arripuiſſe videatur in laudationis cumulum. Nondum ſuppar operis
magnitudini tanta difficultas. Dignitatem ſibi conciliat materiæ præſtan- **Præſtantia.**
tia; quippe dona illa complectitur, quæ ſe communis prouidentiæ ſubdu-
cunt anguſtiis, & arcano diſpenſata conſilio, diuinam liberalitatem parci-
tatis abſoluunt ſuſpicione; & humanos animos Numinis affinitate nobili-
tant. Ecce mentiri neſcientis ſuffragium: *Magna, & pratioſa promiſſa Dei,* **2. P. 1.**
quibus diuinæ efficimur conſortes naturæ.

2. Nec magnitudinis altitudo vmbram facit vtilitati. Non anxie ſuſ- **Vtilitas.**
piraret voluntas, vt nos in ſui conſortium exciperet diuina natura, niſi af-
fectum prouocaret ſupernaturalium donorum notitia; quam ſi parumper
dimoueas, ſacros Theologiæ campos inoffenſo pede nullus excurrat. Ete-
nim ex prima parte D. Thomæ, ſi ipſius Theologiæ conditio tibi veniat in
examen, ſi viſio beata in quæſtionem incidat, ſi lumen gloriæ tentet diſ-
putatio, à tenebris exeuntis conniuebit mentis aſpectus, niſi ſupernatura-
litatis agnitione in patientiam fulgoris prius aſſueuerit; fruſtra prædeſtina-
tionis ſcrutaberis effectus, fruſtra perquirendo media laſſaberis; nec minus
temere ibis in cognitionem gratiæ quæ Angelis, & Protoparentibus pri-
mitus infuſa, vtriuſque naturam ſplendore inaurauit auguſtiore. In 1. 2.
inutilis vexatio caſtigabit ingenter ſupernaturalitatis ignorantiam, dum
noſtræ Beatitudinis felicitatem, & dotes, infuſarum virtutum indolem,
diuinæ ſtrenuitatem gratiæ, vix ſperatum iuſtificationis beneficium, nun-
quam exacta gloriæ merita, minime fæliciter exploret ingenium, ſi facem

Digitized by Google

non præferat ſupernaturalium donorum notitia. Iam vero in 2. 2. dubitatio ſuſpendio frangitur, qui ſupernaturalitatis deſtitutus agnitione, Theologarum, aliarumque virtutum feſtinat inquiſitionem. Tandem in tertia parte hæc ſcientia eſt Theſeum ſtamen, ſine cuius ductu Laberinthico luditur errore, quiſquis vnionis Hypoſtaticæ Sacramentum ingreditur, meritorum Chriſti prætium ſuſpendit examine, intellectus contemplatur ſcientias, adorat voluntatis virtutes, potentiæ admiratur effectus: in Eccleſiæ ſacramentorum excellentiam, & dignas ad hæc diſpoſitiones, qui doctrinam vouerit, & ingenium niſi huius operis lumine affletur, licentia ſub pietatis vultu error arripiet. Omnes hæ quæſtiones, quæ totius Theologiæ ambitum obcingunt, ſupranaturalium donorum lineas non tranſgrediuntur, fortaſſiſque caliginis ſepulchro jacerent, niſi hæc illuſtrandi ſtudium ſpiritum infundat, cutemque fingat in ſuæ cognitionis allicium. Etenim ſua vaneſcit in nanitate doctrina, quę aliqualem de his omnibus pręſumpſerit notionem, ſi plenam de ſupernaturalitate non hauſerit diſciplinam.

Inſtitutũ propriè Theologicum. Ergo nullum Theologicæ ſcriptionis inſtitutum meus conatus auguſtius impleret, quàm quod Theologiæ adytis abditum, vel Philoſophos in alienam meſſem mittendi falcem ambitioſos, à ſe prorſus auertit. Suis tantũ myſtis ſacra ſcientia reſeruauit ſupernaturalitatis argumentum: quippe quæ non naturæ veſtigiis, ſed diuinæ ſolum Scripturę oraculis, Conciliorum decretis, Patrum teſtimoniis arcana hęc dona patitur explorari.

Series totius operis. 3. Sex libris opus amplector in hanc ſeriem digeſtis. Vindicabit primus, quanta excellentia ens ſupernaturale naturam ſuperet vniuerſam. Aperiet ſecundus, qua virtute gratiæ, natura in ſupernaturalia poſſit attolli. Tertius, actus ſupernaturales tam intellectus, quam voluntatis in genere expendet. Quartus, habitus ſupernaturales illuſtrabit. Quintus, ſe auxiliis ſupernaturalibus gratiæ pręmuniet: ſui tamen cautus à ſufficientibus, & efficacibus abſtinebit. Tandem ſextus Michaelis Baij penſabit errores, quorum dilucida explicatio lucem ſuperioribus inferet, & plurium Theologorum deſiderium implebit, cum eius ſcripta mihi legiſſe, & examinaſſe licuerit. Totum corpus in duo volumina diuidemus, quorum primum tres libros priores, ſecundum reliquos poſteriores complectetur. Neque eſt cur mireris, in tantam molem ſupernaturalia exercuiſſe, in eis enim vniuerſa iacimus fundamenta, quibus tota Theologia, quę (vt dicebamus) ſolis ſupernaturalibus vacat, innititur: ideoque vt firma conſiſterent, pluribus rationis & eruditionis Theologicæ momentis ſtabilire opus fuit, ne ſemel in hoc opere dicta, ſeorſim in ſingulis priuatis Theologiæ tractatibus otioſe repeterentur. In quorum vſum & lucem, in vnoquoque volumine appendicem tibi componimus eorum, quæ ex Summa Theologica Sancti Thomæ, iuxta ſcholaſticos curſus noſtris diſputationibus illuſtrantur.

Operis ratio. 4. Mentem in vnum locum ea omnia deſtinandi mihi iniecit optima ratio, quâ iam diu Angelicus Thomas probauit, vt inter ſcientias naturales, octo libri phyſicorum, qui entis naturalis communia prædicata tractarent, à reliquis diſiungerentur. *Quia ea, quæ conſequuntur aliquid commune* (verba ſunt Diui Thomæ in prologo Philoſophiæ) *priùs, & ſeorſim determinanda ſunt: nec oporteat ea multoties pertractando, omnes partes illius repetere, neceſſarium fuit, quòd præmitteretur vnus liber in ſcientia naturali, in quo tractaretur de iis, quæ conſequuntur ens naturale, ſeu mobile in communi, ſicut omni-*

Digitized by Google

bus ſcientiis præmittitur Philoſophia prima, in qua determinatur de iis, quæ ſunt communia enti, in quantum eſt ens. Nec minus rationi conſonum, aut alienum à neceſſitate videtur, vt in Theologia operam libris nauemus, qui ſupernaturalis entis paſſiones, & perfectiones communes veſtigent, & illuſtrent. Tum vt ſcientiarum naturalium ſeriem, apud D. Thomam adeo probatam fideli adumbremus imitatione. Tum vt fugiamus faſtidium, quod moroſa quorumdam authorum repetitio pluſquam ſatis ingerit; cum plura nondum locis certis deſtinata, nunc vt libido conſulit, importune intrudunt, nunc vel ſui immemores, ſiue pænitentes eadem ſæpius importuniores inculcant.

5. Multa ex his principiis, veterum, recenſiumque cura diſcuſſit, nec ſuam cuique diſtribuit ſedem; tantummodo ſparſim poſuit, quæ facerent ad ſui probabilitatem aſſerti. Et dum hæc diſiunctim inquirit diſputatio, quæ natura ſociauit, neſcio quem claritatis ademit ornamentum, quo ſeſe mutuo coniuncta radiabant. Conijci fortaſſis erit quæ obſcuritas preſſerit adhuc tractata ſeparatim, cum experiri ſit deinceps, quæ claritas ſociatim illuſtret. Depreſſe iacebant eiuſmodi principia diuerſas inter materias, vt ſuperbos inter flores humiles violæ ſolent. Hinc placuit excerpere in faſciculum, vt ſortita conſortium, clariorem ſibi aſſererent intelligentiam, quam ſeiunctio vtcumque diminuerat. Animo enim illabi placidius ingenuo, quæ ſua deducta ſerie docentur, neminem fugit ſtudiis obnoxium, cum mutuum explicationis commercium videantur ſibi ad inuicem commodare. Quæ enim hoc nexu nectuntur, quamuis olim aliquam lucem acceperint, nouum proculdubio lumen acquirunt. Monitum enim Poëtæ eſt, Explicantur plura ab aliis ex profeſſo diſcuſſa.

Dixeris egregie, notum ſi callida verbum
Reddiderit iunctura nouum.

6. Alia principia, quæ ad ſcopum ſpectant eumdem, curſim nonnulli perſtringunt; lance mentis non examinant, rationis pondere non probant, ſed legentis credulitate freti ſupponunt, quaſi certitudine ſua exigerent omnium conſenſum, cum mirari ſit, quàm multi hanc doctrinam veluti oraculo proditam ſupponant, & non pauciores contrariam ſtatuant, vt dubitationis prorſus immunem. Inter hos igitur tumultus grande erit vtilitati obſequium, ne factionis impetus temere rapiat, aut authoritas imperet iudicij ſuſpendium, vt vtriuſque ſententiæ probabilitas æquo penſetur examine. Vtriuſque opinionis cauſam pari ſuſcipiam affectu, & libratis vtrinque argumentis, quæ nunc patroni, nunc accuſatoris perſonam indutus veſtigaui, quibus veritas proximior aſſederit, aſſentiri præſtabit. Alia ab aliis ſolum perſtricta.

7. Tandem, quæ nullus vnquam Theologus libauit, quia in huius materiæ obſequium, ne vnus quidem ſignatim indulſit ingenium, aut deſtinauit ſtudium, vltimam ſibi ſedem principia vendicant. Maxime in ſupernaturalium ſplendorem conferunt, & æſtimationem, quibus vt vilis obſcuritas tantummodo poteſt aperiri, ignorantiæ iniuriâ: ſic gratiâ notitiæ, prætioſa claritas affunditur. Vellem ardenter, & votis meis bene actum præſumerem, ſi hanc materiam iuiſſet diſputatum antiquitas: proculdubio ſi temporis ſpatium impendiſſet, ſi mentis aciem in noſtrum formaſſet ſcopum, digniſſimas ſui, & vltra noſtras numero, & prætio miſiſſet Alia omnino prætermiſſa.

cogitationes. Iam vero licet Theologorum Primores non agnoſcam anteſignanos in concluſiones, quas noſtra inuenit meditatio, perſpicue recognoſco duces in principiis, quibus illæ legitime deductæ, probabilitatis conſtantiam acquirunt. In Epiſtolis Senecæ ſæpe legi, profeſſores ſcientiarum apes imitari debere, quæ floribus in varios ſuccos mirabili naturâ digeſtis nouum in eos ſaporem, maximamque virtutem, quadam ſui ſpiritus proprietate transfundunt. Hoc eſt, vt cum puriorem antiquorum doctrinam mente digeſſerint, nouam ſapientiæ dulcedinem, quæ ibi contenta latebat, proprio labore exprimant vniuerſis.

8. Equidem hoc opus cum ſuſciperem, in vſum meum potius, quàm in publicam lucem deſtinabam, quia cum ſingulare videretur aſſumptum, non fruſtra timebam, ne omnibus probaretur. Sæpius meam recurrebat in mentem, fortaſſis tot, tantoſque Theologos, quibus ingenium affulſit, nec defuit eruditio, hoc argumentum reieciſſe, quia non tanti fecerunt, vt illi famam traderent, aut operam impenderent, vt publicitate donarent. Erat tamen mihi labor iſte ſolaminis, quia veluti theſaurum inueneram, vnde in reliquos Theologiæ tractatus, quos diſcipulis dictabam, diſcurſus vena leniter flueret. Itaque ipſa vtilitatis experientia laborem mihi aſſumptum ſatis ampla mercede penſabat. Solus ego fruebar mellis ſapore, quem ex vario Theologiæ flore libaueram; contentus eram, quod mihi condimenta parauerami, quin aliis propinare placeret. Caro enim mihi fore metuebam, ſi dulcedinem meam in guſtum publicum proderem, quia forte fortuna aliis faſtidio foret, aliis abſinthio videretur amarior. Præſertim cum is multorum genius ſit, vt neceſſario modernorum ſapientia deſipiat, & cum illorum palato ſaporem morbus abſtulerit, inſipida aliena ſcripta proclamant, quæ virgineo melle dulceſcunt. Huic timori non diu repugnaui, cum viderem magnum Caſſiodorum eidem ferme acquieuiſſe conſilio, vt librum de amicitia proprio ſinu reconderet, ne ſineret in publicitatis prodire theatrum, vbi non plauſu, ſed ſibilo exciperetur. Ita ipſe in prologo fatetur igenue; *Fodi ergo mihi fontem proprium, cui non communicet alienus de diuerſis ſcriptoribus, quaſi flores excipiens, vt mellificem mihi, pluriumque ſententias in vnum compendioſæ lectionis reſtringens inuolucrum, nonniſi conſcientiæ meæ teſtimonio conglorians, theſauro, quem abſconditum teneo, præfigurauitiulum, hoc ſigillo impreſſione ſignatum; ſecretum meum mihi. Securius quidem mihi eſt, opuſculum præſens in ſinu meo quaſi ſub medio claudere, quàm exponere palpebris æmulorum, & faſciculum, quem inter vbera mea ſecretiùs tenere delectat, transferre in theatrum, & deriſum.* Hæc eadem ratio me tardabat, vt hac ætate ſcriptoris ſubirem fortunam: Etenim experientia docet, quantum nunc temporis invaluit licentia linguæ; vix ſcripta luce fruuntur, & iam maledicentium caligo ſaltem obumbrat. Quare hortantibus me, vt munus ſcribendi ſuſciperem, meliori iure obijciebam, quod ipſe Aurelius ſibi timebat. *Scio enim quod ſtatim gruniet æmulus, & labio virulento ſubmurmurans compilationi aſcribet, quòd ſic ſententias veterum iam ſenio caligantes, vel ambigui intellectus dubitatione perplexas ſtudeo reducere ad euidentiam, vt quæ ſitu, & neglectu vetuſtatis abolenerant, feruentiore ſtudio digerantur in materiam virtutis, & in fructum cæleſtis gratiæ coaleſcant.*

9. Licet ſuffecerit hæc formido, vt ſponte pericula non ſubirem, amicorum tamen precibus non potui non flecti; quos cum doctrinæ, & ſancti-

Digitized by Google

moniæ commendaret integritas, & importune precando, impenſius imperarent, reuerentia non ſinit aſpernari conſilium. Præcipue cum inter alia non leuis ponderis, ſuam me traherent in ſententiam, quòd prorſus eiſdem mihi animos facerent, quibus ſe ſolabatur ipſe Senator. *Quæ inuidia eſt, ſi inter ſarmenta ſterilia de vite veteri plantaria eliguntur, quibus in ordinem complantatis, vberioris vineæ ſucceſſio propagetur?* Etenim vt eſt calumnia digniſſimus, & cuius facies crudo verbere laceretur, ſi feraces campi, quos ſudato aratro coluit antiquitas, ſi fœcunda vinea, quam madido ligone plantauit, maligna alicuius induſtria in arbuſta ſilueſcant, aut audaci deſpectu conculcentur: haud aliter eſt laude digniſſimus, ſi quis ſuo ſudore terras fertilitate donaret, quas aut incultas reliquit antiquitas, aut quia ſteriles exiſtimauit, earum culturam non arripuit, ne operam ſine fructu deperderet. Sterilis hæc materia iacebat, quam colere decreuj, & ſane ſi non cenſebatur arena, ad plurimum viridarium erat, quod rara planta coronabat. Iam vero tanquam vinea floruit, vbi multa propago diſputationis expeditur, & non minor dubitationis origo pullulat: plantaria diſpoſui, quibus ſi melior poſteritatis cultura non deficiat, quæ non obiter colat hos fructus, maturiores ſine dubio poſſumus ſperare. *Quid ergo æmulus detrahit & oblatrat* (cum ipſo claudere placet Aurelio) *ſi ſententias in ſterili congerie & neglectu vetuſtiore ſqualentes explanet apertius diligentia Modernorum? & quas nuper faſtidiebat legentis animus, ornatu elegantiore indutas, nunc voto auidius dicere auditor appetat etiam delicatus?* Itaque æmulos non formido, qui ſi mordere non poſſunt, oblatrare non deſiſtunt, ſi hic qualiſcumque conatus, Humaniſſime Lector, aut voluptati tuæ paret materiam, aut vtilitati compendium. Si vero aliquos offenderis cum ſinceritate defectus, mihi gratitudinis impones officium, ſi monueris vt emendationi reſtituam. At ſi veniam cum ſilentio conceſſeris, animus noua alacritate recreabitur, vt huius operis quaſi luce præmiſſa, ſimul cum diſputationibus Metaphyſicis, quas iam tibi diſpono, breui totum Theologiæ curſum excurram. Scitum enim eſt, quàm facile, vbi Theologus fundamina iecerit, totius ædificij machina ſurgat. Etenim vti facile in riuos deducitur amnis, vbi fontis veſtigetur origo, haud aliter vbi Theologus prima decreta, ſeu generalia principia ſtatuerit, ſine difficultate ad priuata deſcendit. Vtinam Deus noſtris votis aſpiret, cuius cedat in gloriam, ſi euentus expectationi reſponderit.

Digitized by Google

FACVLTAS PATRIS PROVINCIALIS SOCIETATIS IESV in Prouincia Caſtellana.

EGo Franciſcus de Prado, Prouincialis Societatis Ieſu in Prouincia Caſtellana, poteſtate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre noſtro Mucio Vitelesqui Præpoſito Generali, facultatem concedo vt typis mandentur diſputationes de Ente ſupernaturali in vniuerſam Theologiam compoſitæ à Patre Ioanne Martinez de Ripalda, & eiuſdem noſtræ Societatis grauium, Doctorumque hominum iudicio comprobatæ. In quarum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Valliſoleti primo Decembris, anno 1632.

FRANCISCVS DE PRADO.

APPROBATIO DOCTORIS D. ANTONII CALDERON, inter Salmanticenſes ex maximo Collegio Conchenſi alumni, Magiſtralis Canonici, & Cathedræ S. Thomæ moderatoris.

EX præſcripto D. Licenciati Saldaña in hac Salmantina Diœceſi Vicarij Generalis, vidi primum tomum de ente ſupernaturali tribus libris diſtinctum authore R. P. Ioanne Martinez de Ripalda, in hoc Gymnaſio Salmanticenſi pro Regio Societatis Ieſu Collegio publico Theologiæ profeſſore: nihilque offendi aut ſacræ doctrinæ, aut morum integritati diſſonum; quin potius opus iudico Theologis perneceſſarium. In eo Lectorem allicit orationis elegantia, ſuſpendit ingenij acumen, inuitat docendi ratio, & perſpicuitas, vincit argumentationum pondus, delectat pariter, & inſtruit multiplex eruditio. Authoris ingenium multa è ſuo promit, multis rem Theologicam promouet, quæ ideo noua dixeris; ſed eadem dixeris antiqua, ſi Patrum teſtimonia, quibus confirmat, perpendas. Iam tenui filo ſuam doctrinam Maiorum doctrinæ aſſuit. Opus ergo typis digniſſimum cenſeo. Salmanticæ 12. cal. Iunij 1632.

Doctor D. ANTONIVS CALDERON.

Digitized by Google

INDEX DISPVTATIONVM, ET SECTIONVM, QVÆ IN HOC I. TOMO de Ente ſupernaturali continentur.

LIBER PRIMVS.

EXCELLENTIA ENTIS SVPERNATVRALIS.

DISPVTATIO I.

Vſurpationes vocum naturæ, naturalis, & ſupernaturalis entis.

Sect. 1. *Varia ſignificata naturæ.*
Sect. 2. *Multiplices naturalis entis notiones.*
Sect. 3. *Supernaturalis entis acceptiones.*
Sect. 4. *Supernaturalia quoad modum.*

DISPVTATIO II.

Subiectum operis, & exiſtentia.

Sect. 1. *Totius operis ſubiectum.*
Sect. 2. *Exiſtentia entis ſupernaturalis creati.*

DISPVTATIO III.

Quænam ſit natura, ſupra quam ens ſupernaturale conſtituitur?

Sect. 1. *Aliorum ſententiæ de Theologica vſurpatione naturæ.*
Sect. 2. *Propria ſententia.*
Sect. 3. *Argumenta contra noſtram ſententiam.*
Sect. 4. *Alius modus explicandi Theologice naturam.*

DISPVTATIO IV.

Excellentia abſoluta, primariuſve ſupernaturalium entium conceptus.

Sect 1. *Reijciuntur placita aliquorum Recentiorum.*
Sect. 2. *Alia placita Theologorum Societatis expenduntur.*
Sect. 3. *Explicatur propria ſententia.*
Sect. 4. *Diluuntur aliqua argumenta contra noſtram ſententiam.*
Sect. 5. *Alia argumenta contra noſtram ſententiam.*
Sect. 6. *Quid conferat connexio quidditatiua intentionalis cum gratia ad excellentiam ſupernaturalium?*

DISPVTATIO V.

Excellentia reſpectiua efferens entia ſupernaturalia ſupra naturam.

Sect. 1. *Expenduntur duæ ſententiæ.*
Sect. 2. *Propria ſententia explicatur.*
Sect. 3. *Argumenta contra præcedentem ſententiam.*
Sect. 4. *Quænam ſit exigentia naturæ, quam ſuperat ens intrinſece ſupernaturale?*

DISPVTATIO VI.

An ſint ſupra ordinem tranſcendentem naturæ?

DISPVTATIO VII.

An ſupernaturalia ſint ſupra eductionem naturæ?

Sect. 1. *An ſupernaturalia ex virtute paſſiua eductionem habeant?*

Digitized by Google

Sect. 2. *An dona ſupernaturalia educi queant ex ſubiecto ſecundum vnionem tantum?*

DISPVTATIO VIII.

An ſint ſupra virtutem naturalem paſſiuam?

Sect. 1. *Noua recentis Auctoris ſententia reijcitur.*
Sect. 2. *Sententia Scoti proponitur.*
Sect. 3. *Proponitur ſententia communis.*
Sect. 4. *Fertur iudicium de propoſita controuerſia.*
Sect. 5. *Explicantur argumenta Scoti.*
Sect. 6. *Expenditur mens S. Thomæ.*

DISPVTATIO IX.

An dona ſupernaturalia ſint ſupra innatum appetitum naturæ?

Sect. 1. *Expenditur ſententia tribuens naturæ innatum appetitum in dona ſupernaturalia.*
Sect. 2. *Expenditur ſententia negans omnino propenſionem naturæ in dona ſupernaturalia.*
Sect. 3. *Expenduntur duæ ſententiæ mediæ.*
Sect. 4. *Iudicium noſtrum de tota controuerſia.*

DISPVTATIO X.

An ſupernaturalia ſint ſupra euidentiam immediatam & quidditatiuam naturæ?

Sect. 1. *Iudicia Theologorum.*
Sect. 2. *Eſſe ſupra euidentiam immediatam, & quidditatiuam naturæ ſacra auctoritate oſtenditur.*
Sect. 3. *Eadem veritas à poſteriori ſuadetur.*
Sect. 4. *Ratio à priori aſſerti præcedentis expenditur.*
Sect. 5. *Vera ratio à priori ſuperioris aſſerti.*
Sect. 6. *Proponuntur, ac ſoluuntur argumenta ſententiæ contrariæ.*

DISPVTATIO XI.

An ſupernaturalia ſint ſupra euidentiam abſtractiuam ac mediatam naturæ?

Sect. 1. *Placita Theologorum.*
Sect. 2. *Nullo medio poteſt natura ſupernaturalia euidenter colligere.*
Sect. 3. *Explicantur duo argumenta, quæ probant poſſe lumen naturale ex principiis naturæ, ſupernaturalia quoad ſubſtantiam euidenter deducere.*
Sect. 4. *Explicantur alia duo argumenta.*
Sect. 5. *Diluitur efficax argumentum probans poſſe lumine naturali innoteſcere ſupernaturalia ſuppoſitis principiis ſupernaturalibus.*
Sect. 6. *Aliud validum argumentum expeditur.*
Sect. 7. *Alia tria argumenta ſoluuntur.*
Sect. 8. *Concluditur argumentorum explicatio.*

DISPVTATIO XII.

An ſupernaturalia poſſint citra viſionem beatam euidenter cognoſci?

Sect. 1. *Expenditur noua Vannez & Aluarez ſententia.*
Sect. 2. *Communis & vera ſententia explicatur.*

DISPVTATIO XIII.

An ſupernaturalia ſint ſupra comprehenſionem creatam?

Sect. 1. *Sententia P. Suarez & P. Albertini.*
Sect. 2. *Poſſunt ſupernaturalia cognitione creata ſupernaturali comprehendi.*
Sect. 3. *Explicatur argumentum contrariæ ſententiæ.*
Sect. 4. *Corollarium de comprehenſione vnionis hypoſtaticæ.*

Digitized by Google

DISPVTATIO XIV.

An ſupernaturalia ſint ſupra deſiderium voluntarium naturæ?

Sect. 1. *Nullum deſiderium ſupernaturalium conferens in ſalutem, etiam conditionatum, & inefficax poteſt fieri facultate naturæ.*

Sect. 2. *Aliquod deſiderium ſupernaturalium non conferens in ſalutem haberi poteſt facultate naturæ etiam ſecluſa reuelatione Dei.*

Sect. 3. *Poſſunt expeti ſupernaturalia affectu naturali ex ſe abſoluto, & efficaci.*

Sect. 4. *Auctores & fundamenta contrariæ opinionis.*

Sect. 5. *Expediuntur aliquæ dubitationes de deſiderio naturali ſupernaturalium.*

DISPVTATIO XV.

An ſupernaturalia ſint ſupra meritum condignum naturæ.

Sect. 1. *Explicatur meritum condignum, & congruum.*

Sect. 2. *Pellagij ſententia.*

Sect. 3. *Sententia Semipellagianorum.*

Sect. 4. *Reijcitur meritum condignum præcedentium Hæreticorum.*

Sect. 5. *Colligitur etiam in iuſto opera elicita viribus naturæ non eſſe de condigno meritoria.*

Sect. 6. *Expenditur ratio, quare ſupernaturalia ſint ſupra meritum condignum naturæ?*

Sect. 7. *Obſeruantur nonnulla ad maiorem ſuperiorum lucem.*

DISPVTATIO XVI.

An ſupernaturalia poſſint cadere diuinitus ſub meritum condignum elicitum viribus naturæ?

Sect. 1. *Sententia Caietani & Medinæ.*

Sect. 2. *Scoliſtarum, ac Nominalium ſententia.*

Sect. 3. *Sententia P. Vaſquez & Petri de Lorca.*

Sect. 4. *Deſeritur præcedens defenſio, et condignitas mathematica operum ſupernaturalium cum præmio.*

Sect. 5. *Condignitas ſolius proportionis cum præmio ex ſacris litteris oſtenditur.*

Sect. 6. *Idem probatur ex Pontificibus & Patribus Eccleſiæ.*

Sect. 7. *Probatur ratione condignitas ſolius proportionis operum ſupernaturalium cum præmio.*

Sect. 8. *Occurritur argumentis P. Vaſquez & Petri de Lorca.*

Sect. 9. *Explicatur condignitas proportionis operum ſupernaturalium cum præmio ſupernaturali gloriæ æternæ.*

Sect. 10. *Explicantur plenius præterita aliquot dubitationibus enodatis.*

Sect. 11. *An meritum ſit operibus ſupernaturalibus intrinſecum?*

Sect. 12. *Aliarum dubitationum enodatio.*

Sect. 13. *Concluditur indignitas operis naturalis ad præmium ſupernaturale.*

DISPVTATIO XVII.

An ſupernaturalia ſint ſupra meritum congruum naturæ?

Sect. 1. *Placita Theologorum.*

Sect. 2. *Prima probatio contra meritum congruum operum naturalium.*

Sect. 3. *Secunda probatio contra meritum congruum operum naturalium.*

Sect. 4. *Tertia probatio contra meritum congruum naturæ.*

Sect. 5. *Quarta probatio contra meritum congruum naturæ.*

Sect. 6. *Confirmantur ſuperiora oſtendendo Patres Eccleſiæ de merito congruo atque remoto ad noſtram iuſtificationem diſſeruiſſe.*

Sect. 7. *Aliæ probationes contra meritum congruum naturæ.*

Sect. 8. *Diluuntur argumenta Maſſilienſium.*

Sect. 9. *Catholicorum argumenta.*

Sect. 10. *Obijcitur auctoritas Chriſoſtomi,*

Digitized by Google

& aliorum Græcorum Patrum.
Sect. 11. *Vindicantur Chriſoſtomus & Græci Patres ab errore Sempellagianorum.*
Sect. 12. *Cenſura ſententiæ affirmantis & mens Theologorum antiquorum.*

DISPVTATIO XVIII.

An ſupernaturalia ſint ſupra diſpoſitionem naturæ?

Sect. 1. *In quo moralis diſpoſitio à merito congruo diſcrepet?*
Sect. 2. *Statuitur noſtra ſententia.*
Sect. 3. *An ex lege Dei operibus naturalibus anne ctantur ſupernaturalia?*

DISPVTATIO XIX.

An ſupernaturalia ſint ſupra impetrationem naturæ?

Sect. 1. *Nonnulla præmitto.*
Sect. 2. *Iuxta præſentem prouidentiam ſunt dona gratiæ ſupra impetrationem naturæ.*
Sect. 3. *Alio prouidentiæ genere poſſunt dona gratiæ precibus naturalibus impetrari.*

DISPVTATIO XX.

Facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam; qua ratione ſit accipiendum?

Sect. 1. *Varij dicendi modi deſeruntur.*
Sect. 2. *Noſtra ſententia; pro eaque expenditur P. Molina.*
Sect. 3. *Explicatur plene noſtra ſententia.*
Sect. 4. *Ex ſacris teſtimonijs probatur noſtra ſententia.*
Sect. 5. *Probatur noſtra ſententia ex generalitate gratiæ auxiliantis.*
Sect. 6. *Idem probatur ex poteſtate naturæ gratia deſtitutæ.*
Sect. 7. *Arguitur pro eadem ſententia ex frequenti & continua aſſiſtentia gratiæ auxiliantis.*
Sect. 8. *Confirmantur præterita ex ſuaſionibus proficiendi continuo, ac bene agendi.*
Sect. 9. *Idem illuſtratur ex vocatione ſupernaturali interna annexa lege Dei miniſterio externo creaturarum.*
Sect. 10. *Explicatur præcedens argumentum ex vocatione ſupernaturali interna adiuncta ex decreto Dei prædicationi & inſtructioni vocali hominum.*
Sect. 11. *Idem argumentum confirmatur ex vocatione connexa piis ſcriptis, miraculis, & exemplis.*
Sect. 12. *Sextum argumentum ex gratia auxiliante Gentilium.*
Sect. 13. *Idem argumentum ex doctrina Auguſtini firmatur.*
Sect. 14. *Diſcipuli Auguſtini eidem ſubſcribunt doctrinæ.*
Sect. 15. *Aliorum Patrum teſtimonia pro gratia auxiliante Gentilium.*
Sect. 16. *Rationes Theologicæ pro gratia auxiliante Gentilium.*
Sect. 17. *Expediuntur argumenta contra gratiam auxiliantem Gentilium.*
Sect. 18. *Concluditur probatio noſtræ ſententiæ de facienti quod in ſe eſt.*
Sect. 19. *Expenditur auctoritas antiquorum ſcholaſticorum pro noſtra ſententia.*
Sect. 20. *Plura ſcholaſticorum teſtimonia pro noſtra ſententia.*
Sect. 21. *Argumenta contra præcedentem doctrinam.*
Sect. 22. *Corollarium de auxilio ſufficienti ad ſalutem.*
Sect. 23. *Illuſtratur præcedens doctrina de auxilio ſufficienti.*

DISPVTATIO XXI.

An ſupernaturalia ſint ſupra perfectionem naturæ?

Sect. 1. *Placita Theologorum.*
Sect. 1. *Dirimitur controuerſia.*

DISPVTATIO XXII.

An ſupernaturalia ſint ſupra primam conſtitutionem naturæ antecedentem peccatum?

Digitized by Google

Sect. 1. *Sententia Hæreticorum.*
Sect. 2. *Catholicorum ſententia.*
Sect. 3. *Catholica ſententia auctoritate fundatur.*
Sect. 4. *Rationes Theologicæ pro Catholica ſententia.*
Sect. 5. *Explicantur Michaelis Baij argumenta.*

DISPVTATIO XXIII.

An ſupernaturalia ſint ſupra omnem ſubſtantiam creatam, & creabilem?

Sect. 1. *Theologorum iudicia.*
Sect. 2. *Quid ſentiendum de poſſibilitate ſubſtantiæ ſupernaturalis ſtando auctoritati.*
Sect. 3. *Quid ſtatuendum ſtando rationi?*
Sect. 4. *Arguitur repugnans ſubſtantia ſupernaturalis ex repugnantia ſubſtantiæ natura beatæ.*
Sect. 5. *Occurritur argumento præcedenti, explicando poſſibilem ſubſtantiam ex ſe non beatam ſupernaturalem.*
Sect. 6 *Diluitur ſecundo ſuperius argumentum, tuendo poſſibilem ſubſtantiã ex ſe beatam.*
Sect. 7. *Arguitur repugnantia ſubſtantiæ ſupernaturalis, ex repugnantia creaturæ rationalis naturâ impeccabilis.*
Sect. 8. *Expeditur argumentum præcedens, negando ſubſtantiam ſupernaturalem eſſe neceſſario impeccabilem.*
Sect. 9. *Idem argumentũ eneruatur diſſolutis rationibus, quæ fiunt contra ſubſtantiam rationalem natura impeccabilem.*
Sect. 10. *Vrgetur ſubſiſtentia impeccabilis ex repugnantia ſubſtãtiæ determinata ad amandum turpe.*
Sect. 11. *Expenditur authoritas ſententiæ negantis creaturam rationalem natura impeccabilem.*
Sect. 12. *Vindicatur ſententia affirmans à cenſura Theologica, concluditurque probabilis.*
Sect. 13. *Obijcitur impoſſibilitas ſubſtantiæ, quæ ſit cauſa principalis gratiæ iuſtificantis ad impoſſibilitatem ſubſtantiæ ſupernaturalis.*
Sect. 14. *Explicatur implicãtia præcedẽs.*
Sect. 15. *Vrgetur à priori ſubſtantia ſupernaturalis ex conceptu ſupernaturalitatis relatiuæ.*
Sect. 16. *Iterum à priori ex conceptu ſupernaturalitatis abſolutæ.*
Sect. 17. *Opponũtur & diſcutiũtur abſurda deducta ex ſubſtãtia ſupernaturali.*
Sect. 18. *Opponitur, ſubſtantiam ſupernaturalem fore Filium naturalem Dei, & explicatur.*

LIBER SECVNDVS.

ELEVATIO NATVRÆ IN DONA SVPERNATVRALIA.

DISPVTATIO XXIV.

Quid voce eleuationis, & potentiæ obedientialis in genere intelligendum?

DISPVTATIO XXV.

An & quã ratione eleuetur potentia obedientialis paſſiua?

Sect. 1. *Explicatio controuerſiæ.*
Sect. 2. *Ratio dubitandi.*
Sect. 3. *Dirimitur controuerſia.*
Sect. 4. *Explicatur modus, quo conſtituitur potentia obedientialis abſolute ſuſceptiua formæ ſupernaturalis*
Sect. 5. *Alius modus explicandi potentiam obedientialem naturæ, abſolute ſuſceptiuam formæ ſupernaturalis.*
Sect. 6. *Diluitur ratio dubitandi.*

Digitized by Google

DISPVTATIO XXVI.

An conueniat naturæ potentia obedientialis immediate paſſiua formarum ſupernaturaliū, nulla iuuante paſſiuè qualitate ſupernaturali?

Sect. 1. *Nulla qualitas ſupernaturalis iuuat naturam recipiendo adæquate formas ſupernaturales vitales.*

Sect. 2. *Non iuuatur natura patiens actus ſupernaturalis qualitate inadæquate recipiente.*

Sect. 3. *Formæ vitales nullam ſupponũt per ſe diſpoſitionem ſupernaturalem.*

DISPVTATIO XXVII.

An potentia obedientialis paſſiua omnibus rebus creatis communis ſit?

DISPVTATIO XXVIII.

An potentia obedientialis paſſiua ſit principalis, an inſtrumentalis?

DISPVTATIO XXIX.

An conueniat naturæ potentia obedientialis actiua operum ſupernaturalium vitalium?

Sect. 1. *Hæreticorum ſententia negat.*

Sect. 2. *Sententia Catholicorum affirmat.*

DIPVTATIO XXX.

An virtus obedientialis actiua naturæ in actus vitales ſupernaturales proxima & immediata ſit?

Sect. 1. *Explicatur & ſtatuitur controuerſia.*

Sect. 2. *Sententiæ Theologorum.*

Sect. 3. *Prima probatio actiuitatis immediatæ naturæ in actum ſupernaturalem deſumpta ex Sacris litteris.*

Sect. 4. *Secunda probatio ex Conciliis, & Pontificibus Eccleſiæ.*

Sect. 5. *Præcedens probatio validiſſime confirmatur ex Tridentino.*

Sect. 6. *Præoccupantur ſolutiones ſuperioris argumenti.*

Sect. 7. *Tertia probatio ex Patribus Eccleſiæ ſtatuentibus naturalem & inſitam actiuitatem ad opera ſupernaturalia.*

Sect. 8. *Quarta probatio ex aliis teſtimoniis Patrum.*

Sect. 9. *Quinta probatio Theologica ex mutuo adiutorio, quo Deus & homo in actum ſupernaturalem conueniunt.*

Sect. 10. *Probatio ſexta Theologica: quia arbitrium agit aliquid boni ſupernaturalis, quod ſuum ac proprium hominis eſt.*

Sect. 11. *Septima probatio Theologica ex partialitate concurſus gratiæ.*

Sect. 12. *Octaua probatio Theologica ex attributis gratiæ diuinæ.*

Sect. 13. *Alia probatio ex vitalitate actus ſupernaturalis.*

Sect. 14. *Probatio decima ex ratione actus voluntarij.*

Sect. 15. *Vndecima probatio ex libertate actus.*

Sect. 16. *Probatio duodecima rationibus à paritate.*

Sect. 17. *Probatio rationibus à poſteriori.*

Sect. 18. *Poſtrema probatio à priori.*

Sect. 19 *Vlterior probatio ab authoritate S. Thomæ.*

Sect. 20. *Illuſtratur ſuffragiis aliorum Scholaſticorum.*

Sect. 21. *Theologi congredientes cum Hæreticis noſtram tuentur ſententiam.*

Sect. 22. *Exponuntur teſtimonia ſacra, quæ contra noſtram ſententiam opponuntur.*

Sect. 23. *Obiiciuntur teſtimonia Patrum quæ totum opus ſalutis ſoli gratiæ tribuunt.*

Sect. 24. *Explicantur præterita teſtimonia.*

Sect. 25. *Argumenta à ratione contra immediatam actiuitatem naturæ in actus ſupernaturales diluuntur.*

Sect. 26. *An natura rationalis ſua vir-*

tute & actione immediata attingat ſupernaturalitatem actus, & habitus ſupernaturalis vitalitatem.
Sect. 27. *Corollarium de cauſa adæquata faciente, vt agamus opera pietatis.*
Sect. 28. *Aliud corollarium de cauſa adæquata diſcernente in actu ſecundo iuſtum ab iniuſto.*
Sect. vltima. *Tertium corollarium de actiuitate gratiæ, ſeu habitus ſupernaturalis aduerſus Aureolum.*

DISPVTATIO. XXXI.

An actiuitas immediata naturæ rationalis in actus ſupernaturales ſit principalis, an inſtrumentalis?

Sect. 1. *Placita Theologorum.*
Sect. 2. *Præmitto nonnulla ad explicationem propriæ ſententiæ.*
Sect. 3. *Prior pars noſtræ ſententiæ.*
Sect. 4. *Poſterior pars noſtræ ſententiæ.*
Sect. 5. *Corollaria ex dictis.*

DISPVTATIO XXXII.

An potentia obedientialis immediate actiua & paſſiuà naturæ ordine tranſcendēti referatur in actus ſupernaturales?

Sect. 1. *Explicatur controuerſia.*
Sect. 2. *Sententia negans eligitur, & authoritate probatur.*
Sect. 3. *Eadem ſententia negans ſtabilitur ratione.*
Sect. 4. *Eadem ſententia negans vlterius probatur ratione.*
Sect. 5. *Sententiæ affirmantis authoritas.*
Sect. 6. *Proponitur, & explicatur ratio præcipua ſententiæ affirmantis.*
Sect. 7. *Diluuntur aliæ rationes ſententiæ affirmantis.*
Sect. 8. *Obijcitur, & ſoluitur mirabile argumentum Recentiorum.*
Sect. 9. *Vrgetur, & ſoluitur poſtremum argumentum.*

DISPVTATIO XXXIII.

An virtus naturæ ad actus ſupernaturales, ſit diſtincta à virtute eiuſdem ad actus naturales?

Sect. 1. *An realiter ſit eadem virtus ad actus ſupernaturales cum virtute naturali ad actus naturales.*
Sect. 2. *An diſtinguatur ratione ratiocinata virtus efficiens actus ſupernaturales, à virtute efficiente actus naturales.*
Sect. 3. *Opponuntur & ſoluuntur argumenta contra præcedentem doctrinam.*
Sect. 4. *Explicatio ſuperioris doctrinæ, & corollaria illius.*

DISPVTATIO XXXIV.

An poſſit natura rationalis efficere actus ſupernaturales aliquo auxilio intrinſece ſupernaturali?

Sect. 1. *Explicatur controuerſia.*
Sect. 2. *Thomiſtæ ſuam ſententiam non probant.*
Sect. 3. *Præcedens Thomiſtarum ſententia improbanda eſt.*
Sect. 4. *Sanctus Thomas aduerſatur Thomiſtis.*
Sect. 5. *Sentẽtia P. Arrubal expenditur.*
Sect. 6. *Examinatur ſententia Ægidij de Præſentatione.*
Sect. 7. *Vulgare reliquorum placitum deſeritur, noſtrumque concluditur.*

DISPVTATIO. XXXV.

An ex natura rei poſſit natura rationalis efficere actus ſupernaturales ſine auxilio intrinſeco?

Sect. 1. *Expenduntur momenta ſententiæ affirmantis neceſſitatem naturalem auxilij intrinſeci.*

Digitized by Google

Sect. 2. *Notationes ad explicationem veræ ſententiæ.*
Sect. 3. *Vera ſententia explicatur.*
Sect. 4. *Vlterior explicatio veræ ſentẽtiæ.*

DISPVTATIO XXXVI.

An pro diuerſitate ſpecifica naturæ rationalis ſint actus ſupernaturales ſpecie diuerſi?

Sect. 1. *Examinantur momenta ſententiæ negantis.*
Sect. 2. *Expenditur commune fundamentum ſententiæ affirmantis.*
Sect. 3. *Propria ſententia.*

DISPVTATIO XXXVII.

An actus ſupernaturales inæquales ſint ex inæqualitate naturæ?

Sect. 1. *Theologorum iudicia.*
Sect. 2. *Prior aſſertio verioris ſententiæ.*
Sect. 3. *Argumenta contra præcedentem aſſertionem.*
Sect. 4. *Poſterior aſſertio verioris ſententiæ.*
Sect. 5. *Argumenta contra præteritam aſſertionem.*
Sect. 6. *Poſtrema aſſertio verioris ſententiæ.*

DISPVTATIO XXXVIII.

An potentia naturalis ſuo conatu poſſit efficere actum intenſiorem auxilio ſupernaturali actualis gratiæ.

Sect. 1. *Controuerſia & iudicia Theologorum.*
Sect. 2. *Poteſt intenſio actus vincere intenſionem actualis gratiæ.*
Sect. 3. *Aduerſariorum argumenta enodantur.*

DISPVTATIO XXXIX.

An, & quomodo potentia naturalis poſſit ſuo conatu actum edere intenſiorem auxilio habitus infuſi.

Sect. 1. *Poteſt ſupernaturalis actus conatu potentiæ fieri intenſior, quam habitus.*
Sect. 2. *Quo auxilio gratiæ fiat actus ſupernaturalis ſupra intẽſionem habitus.*

DISPVTATIO XL.

An conueniat naturæ potentia obedientialis phyſice actiua formarum ſupernaturalium non vitalium.

Sect. 1. *Sententia negans reijcitur.*
Sect. 2. *Sententia affirmans reijcitur.*
Sect. 3. *Corollaria ex dictis.*

DISPVTATIO XLI.

Qua ratione eleuetur natura ad efficiendum formas ſupernaturales non vitales.

Sect. 1. *Reijcitur eleuatio naturæ per virtutem omnino extrinſecam.*
Sect. 2. *Expenditur eleuatio naturæ per qualitatem impreſſam.*
Sect. 3. *Noſtrum iudicium de eleuatione naturæ per qualitatem ſuperadditam.*
Sect. 4. *Expenditur ſententia de eleuatione naturæ per motionem virtuoſam.*
Sect. 5. *Improbatur eleuatio naturæ per potentiam obedientialẽ abſolute actiuã.*
Sect. 6. *Proponitur noſtra ſententia.*
Sect. 7. *Explicantur argumenta contra priorem partem noſtræ ſententiæ.*
Sect. 8. *Aliorum argumentorum explicatio contra priorem partem noſtræ ſententiæ.*
Sect. 9. *Diluuntur argumenta contra poſteriorem partem noſtræ ſententiæ.*
Sect. 10. *Noſtra ſententia non eſt contraria S. Thomæ, nec priſcis Theologis.*

DISPVTATIO XLII.

Explicantur aliquot difficultates de actiuitate obedientiali naturæ in formas ſupernaturales non vitales.

DISPVTATIO. XLIII.

An potentia obedientialis recte diuidatur & adæquate in actiuam & paſſiuam.

Digitized by Google

LIBER TERTIVS.

ACTVS SVPERNATVRALES IN GENERE.

DISPVTATIO XLIV.

An exiſtant actus intrinſece ſupernaturales?

Sect. 1. *Auctores affirmantes & negantes.*

Sect. 2. *Affirmanti ſententiæ annumerandus Angelicus Præceptor, & ſubtilis Doctor.*

Sect. 3. *Actus intrinſece ſupernaturales probantur in genere.*

Sect. 4. *Præcluduntur ſolutiones probationis præcedentis.*

Sect. 5. *Probantur intrinſece ſupernaturales actus virtutum Theologalium.*

Sect. 6. *Actus virtutum moralium intrinſece ſupernaturales.*

Sect. 7. *Omnes actus ſalutares ſunt intrinſece ſupernaturales.*

Sect. 8. *Explicatio eorum quæ poſſunt obijci contra actus intrinſece ſupernaturales.*

Sect. 9. *Senſiones & appetitiones internæ intrinſece ſupernaturales.*

Sect. 10. *Senſiones externæ intrinſece ſupernaturales.*

Sect. 11. *Diluuntur argumenta contra ſenſiones & appetitiones intrinſecè ſupernaturales.*

DISPVTATIO XLV.

An actus naturales & ſupernaturales poſſint habere idem obiectum formale.

Sect. 1. *Placita Theologorum.*

Sect. 2. *Poteſt actus ſupernaturalis habere obiectum formale naturale.*

Sect. 3. *Præcedens aſſertum auctoritati confirmatur.*

Sect. 4. *Refelluntur argumenta contra præteritam doctrinam.*

Sect. 5. *Poteſt actus naturalis reſpicere obiectum formale ſupernaturale.*

Sect. 6. *Præcedens aſſertio conformis eſt doctrinæ S. Thomæ, Conciliorum, & Patrum Eccleſiæ.*

Sect. 7. *Diſſoluuntur argumenta contra præcedentem aſſertionem.*

Sect. 8. *Ratio formalis* ſub qua *actus ſupernaturalis tendit in obiectum, diſtincta eſt ab ea, ſub qua tendit actus naturalis.*

DISPVTATIO. XLVI.

Quonam modo tendendi in obiectum differant inter ſe actus, ſupernalis & naturalis?

Sect. 1. *Aliorum explicandi rationes diſplicent.*

Sect. 2. *Explicatur noſtra ſententia.*

Sect. 3. *Obijciuntur & ſoluuntur nonnulla contra noſtram ſententiam.*

DISPVTATIO XLVII.

An poſſit idem actus ſupernaturalis reſpicere duo obiecta formalia?

Sect. 1. *Sententia affirmans eligitur.*

Sect. 2. *Occurritur repugnantiis, quæ poſſunt obijci contra actum reſpicientem duo obiecta formalia.*

DISPVTATIO XLVIII.

An actus ſupernaturalis poſſit mouere ad actum naturalem?

DISPVTATIO. XLIX.

An actus naturalis poſſit mouere ad actum ſupernaturalem?

Sect. 1. *Poteſt actus ſupernaturalis contingenter, & per accidens fieri ex motione actus naturalis.*

Digitized by Google

Sect. 2. *Explicatur ſuperior doctrina ſolutione argumentorum contra illam.*

Sect. 3. *Corollaria ex præcedenti aſſertione.*

Sect. 4. *Actus ſupernaturalis non poteſt fieri per ſe ex motione actus naturalis.*

Sect. 5. *Qui, & quibus opponantur præcedenti doctrinæ?*

DISPVTATIO L.

An actus ſupernaturalis poſſit vitiari?

Sect. 1 *Theologorum iudicia.*

Sect. 2. *Sententia affirmans præfertur.*

Sect. 3. *Maior probatio præcedentis ſententiæ.*

Sect. 4. *Sententia præterita conformis eſt doctrinæ S. Thomæ, Sacrarum litterarum, & SS. Patrum.*

Sect. 5. *Roboratur magis noſtra ſententia euertendo fundamentum contrariæ.*

Sect. 6. *Colligitur ex dictis actum intrinſece bonum, poſſe ſimul eſſe extrinſece malum.*

Sect. 7. *Item colligitur actum extrinſece malum eſſe meritorium.*

Sect. 8. *An poſſit Deus prohibere directe actum ſupernaturalem.*

Sect. 9. *Inſtauratur doctrina totius diſputationis.*

Sect. 10. *Vlterior inſtauratio noſtræ doctrinæ.*

DISPVTATIO LI.

An actus ſupernaturales efficiant habitus infuſos.

Sect. 1. *Statuitur ſententia negans.*

Sect. 2. *Expenduntur probationes.*

Sect. 3. *Rectior probatio communis ſententiæ.*

Sect. 4. *Fundamenta ſententiæ affirmantis.*

DISPVTATIO LII.

An actus ſupernaturales efficiant habitum acquiſitum ſupernaturalem.

DISPVTATIO LIII.

An actus ſupernaturales efficiant habitum acquiſitum naturalem?

DISPVTATIO. LIV.

An ad omnem cognitionem ſupernaturalem neceſſaria ſit ſpecies ſupernaturalis?

Sect. 1. *An ad primam cognitionem ſupernaturalem rei neceſſaria ſit ſpecies ſupernaturalis.*

Sect. 2. *Opponuntur & enodantur nonnulla contra præteritam doctrinam.*

Sect. 3. *An cognitiones ſupernaturales relinquant ſpecies ſupernaturales.*

DISPVTATIO. LV.

An cognitio deducta ex cognitione ſupernaturali ſit neceſſario ſupernaturalis?

Sect. 1. *Expenditur ſententia affirmans.*

Sect. 2. *Expenditur ſententia abſolute negans.*

Sect. 3. *Expenditur quædam ſententia media.*

Sect. 4. *Noſtra ſententia proponitur quoad poſſe rei.*

Sect. 5. *Corollaria præcedentis aſſerti.*

Sect. 6. *Noſtra ſententia quoad factum rei.*

Sect. 7. *Qua ratione poſſit deffendi Theologia intrinſece ſupernaturalis.*

Sect. 8. *Corollarium de Theologia diſcurſiua Beatorum per actus ſupernaturales luminis gloriæ.*

DISPVTATIO LVI.

An cognitio ſupernaturalis poſſit cócurrere ad aſſenſum erroneum?

Sect. 1. *Eneruatur ſententia negans.*

Sect. 2. *Probatur, & roboratur ſententia affirmans.*

DISPVTATIO LVII.

An cognitio ſupernaturalis poſſit concurrere ad actum peccati.

Digitized by Google

DISPVTATIO. LVIII.

An cognitio ſupernaturalis poſſit eſſe falſa ex natura rei?

DISPVTATIO LIX.

An cognitio ſupernaturalis poſſit eſſe falſa poteſtate abſoluta Dei?

Sect. 1. *Momenta ſententiæ affirmantis.*
Sect. 2. *Vlterior probatio ſententiæ affirmantis.*
Sect. 3. *Poſtrema probatio ex ſolutione argumentorum.*
Sect. 4. *Argumenta P. Hurtado diſſoluo.*
Sect. 5. *Examinatur cenſura ſententiæ affirmantis.*

DIPVTTIO LX.

An aſſenſum ſupernaturalem apprehenſiones ſupernaturales præcedant?

DISPVTATIO LXI.

An cognitiones ſupernaturales reſpicientes motiua create poſſint eſſe obſcuræ?

DISPVTATIO LXII.

An, & quæ cognitiones ſupernaturales affectum ſupernaturalem præcedant?

Sect. 1. *An, & quæ cognitiones ſpeculatiuæ.*
Sect. 2. *An, & quæ cognitiones practicæ.*

DISPVTATIO LXIII.

An omnis affectus virtutis ſupernaturalis dirigatur per cognitionem fidei?

Sect. 1. *Præuia aliqua cognitio fidei ad omnem affectum ſupernaturalem neceſſaria eſt.*
Sect. 2. *Diſtinguẽda eſt duplex fides ſupernaturalis, altera ſtricta, altera lata.*
Sect. 3. *Omnis affectus ſupernaturalis non procedit ex fide ſtricta.*
Sect. 4. *An diſpoſitio vltima ad iuſtificationem extra-ſacramentalem fieri queat ſine fide ſtricta.*
Sect. 5. *Argumenta obijciuntur & ſoluuntur.*

DISPVTATIO. LXIV.

An affectus ſupernaturales reflexi atque directi pertineant ad eandem virtutem?

Sect. 1. *Controuerſia, & ſententiæ.*
Sect. 2. *Pars affirmans verior eſt.*
Sect. 3. *Obiecta repelluntur.*

DISPVTATIO LXV.

An, & inter quos affectus ſupernaturales detur imperium?

Sect. 1. *Explicatur imperium voluntatis in genere.*
Sect. 2. *Sententia P. Vaſquez deſeritur.*
Sect. 3. *Communis ſententia colligitur.*
Sect. 4. *Inter quarum virtutum actus imperium detur.*

DISPVTATIO. LXVI.

Quinam affectus ſupernaturales ſint imperantes?

Sect. 1. *Negatur contra Recentiores imperium ſubſequens.*
Sect. 2. *Statuitur contra P. Suarez imperium intrinſece efficax; & omnino determinatum.*
Sect. 3. *Aſſeritur contra P. Hurtado imperium vagum & indeterminatum.*
Sect. 4. *Probatur contra eundem P. Hurtado imperium inefficax, & ſimplicis complacentiæ.*

DISPVTATIO. LXVII.

Quinam ſit influxus actus imperantis in imperatum?

Sect. 1. *Recentium Thomiſtarum opinio deſeritur.*

Digitized by Google

Sect. 2. *Improbatur ſententia aliorum Recentiorum.*

Sect. 3. *Noſtra ſententia explicatur.*

Sect. 4. *Vindicatur noſtra ſententia ab argumentis.*

DISPVTATIO LXVIII.

An imperium efficax & determinatum adimat libertatem immediatam, & propriam actui imperato?

Sect. 1. *Proponuntur ſententiæ & Autores.*

Sect. 2. *Imperium efficax omnino determinatum adimit propriam & immediatam libertatem actui imperato.*

Sect. 3 *Propoſitio & explicatio argumentorum.*

Sect 4. *An imperium efficax & determinatum adimat actui imperato meritum ſibi proprium?*

Sect. 5. *An idem ſentiendum ſit de merito actionis imperatæ externæ, quod de merito actionis imperatæ internæ?*

DISPVTATIO LXIX.

An poſſibilis ſit affectus ſupernaturalis indifferens ſecundum ſpeciem?

Sect. 1. *Explicatur quæſtio.*

Sect. 2. *Sententia affirmans probabilior eſt.*

Sect. 3. *Expenduntur argumenta ſententiæ negantis.*

DISPVTATIO LXX.

An affectus ſupernaturalis neceſſarius ſit ad meritum vitæ æternæ?

Sect. 1. *Explicatio controuerſiæ, & opiniones.*

Sect. 2. *Meritum puræ omiſſionis ex Sacris litteris.*

Sect. 3. *Meritum puræ omiſſionis ex Patribus Eccleſiæ.*

ect. 4. *Idem meritum ex Theologicis rationibus.*

Sect. 5. *Vberior probatio eiuſdem meriti.*

Sect. 6. *Quomodo conueniat meritum omiſſioni?*

Sect. 7. *Enodatio argumentorum ab authoritate.*

Sect. 8. *Enodatio argumentorum à ratione.*

Sect. 9. *Corollaria ex dictis.*

Digitized by Google

INDEX DIFFICVLTATVM,

quæ iuxta methodum Præceptoris Angelici in hoc volumine diſſeruntur.

IN PRIMAM PARTEM.

IN TRACTATVM PROEMIALEM THEOLOGIÆ.

DIFFICVLTAS PRIMA.

AN concluſio theologica ſit intrinſece ſupernaturalis. d.55. à ſect. 1. vſque ad 7. incluſ.

SECVNDA.

An detur habitus theologicus ſupernaturalis, qui efficiat concluſiones theologicas ſupernaturales. 55. d. 45. 46. & 54.

TERTIA.

An habitus fidei efficiat concluſiones theologicas. d. 55. n. 54. & ſeq.

QVARTA.

An theologia conferat ad affectus ſalutares, & ſupernaturales. d.55.n.52.d.63.n24.

QVINTA.

An requiratur auxilium gratiæ ad cognitiones theologicas. d.55.n.49. & 40.

SEXTA.

An Beati poſsint elicere concluſiones theologicas. d. 55. ſect. 8.

IN TRACTATVM DE VISIONE DEI.

DIFFICVLTAS PRIMA.

An viſio Dei ſit intrinſece ſupernaturalis. d. 44. ſect. 3. 4. & 5.

SECVNDA.

An ratio naturalis poſsit aſſequi poſsibilem viſionem Dei. d. 11. n. 13. & ſeq. & per totam.

TERTIA.

An detur appetitus innatus in viſionem Dei. d. 9. per totam.

QVARTA.

An affectu elicito naturali poſsimus expetere viſionem Dei. d. 14 per totam.

QVINTA.

An viſio Dei ſit ſpecie diuerſa pro diuerſitate ſpecifica intellectus. d. 36. per totam.

SEXTA.

An ſit æqualis pro inæqualitate intellectus. d. 37. per totam.

SEPTIMA.

An lumen gloriæ ſit tota virtus proxima agendi viſionem Dei. d. 30. per totam.

OCTAVA.

An viſio Dei poſsit fieri diuinitus ſine lumine gloriæ per auxilium extrinſecum. d. 84. per totam.

NONA.

An connaturaliter poſsit fieri per auxilium extrinſecum d. 35. per totam

DECIMA.

An oculus corporeus poſsit eleuari ad videndum Deum. d.10.n.29. d.33,n.22.

VNDECIMA.

An lumen gloriæ concurrat in genere cauſæ formalis in viſionem Dei. d. 34. ſec. 6.

DVODECIMA.

An lumen gloriæ concurrat in genere cauſæ materialis in viſionem Dei. d. 26 ſec. 1. & 2.

DECIMATERTIA.

An lumen gloriæ ſit diſpoſitio ad viſionem Dei. d. 26. ſec. 3.

DECIMAQVARTA.

An lumen gloriæ ſit cauſa principalis viſionis. d. 31. ſec. 5.

DECIMAQVINTA.

An intellectus ſit cauſa principalis. d. 41. per totam.

DECIMASEXTA.

An lumen gloriæ poſsit elicere diſcurſum formalem. d.55. ſec. 8.

DECIMASEPTIMA.

An ex viſione Dei poſsit manare dilectio naturalis bonitatis Diuinæ. d.48. n. 3.

DECIMAOCTAVA.

An intellectus referatur ordine tranſcendenti in viſionem Dei. d. 32. per totam.

DECIMANONA.

An ſit poſsibilis ſubſtantia ſupernaturalis, cui ſit connaturalis viſio Dei. d. 21. per totam.

VIGESIMA.

An virtus intellectus ad agendum viſionem Dei ſit diſtincta à virtute naturali, agente cognitiones naturales. d. 33. per totam

VIGESIMAPRIMA.

An viſio Dei poſsit reddi falſa poteſtate abſoluta Dei d.59.ſec.1.&2.

VIGESIMASECVNDA.

An viſio quæ intuetur creaturas in Deo, poſsit manere eadem non viſis creaturis.d.47.n.9.

IN TRACTATVM DE Prouidentia ſupernaturali, & Prædeſtinatione.

PRIMA DIFFICVLTAS.

An opera elicita viribus naturæ ſint cauſa meritoria de condigno prouidentiæ gratiæ. d.15. per totam.

SECVNDA.

An ſaltim diuinitus poſsint eſſe meritoria de condigno eius prouidentiæ. d.16. per totam.

TERTIA.

An ſint meritoria de congruo. d.17.per totam.

QVARTA.

An opera elicita viribus naturæ ſint diſpoſitiones ad eiuſmodi prouidentiam. d.18. per totam.

QVINTA.

An ſint impetratoria eius prouidentiæ.d.19 per totã.

SEXTA.

An ſit lex aliqua prouidentiæ ſupernaturalis Dei de adiungenda gratia ſupernaturali operibus antecedentibus naturæ. d.18.ſec.3.

SEPTIMA.

An facienti, quod in ſe eſt viribus naturæ, prouideatur gratia ſupernaturalis Dei præueniens conatus honeſtos naturales.d.20. per totam.

OCTAVA.

Quinam fuerit error Pellagij, & Semipellagianorum circa merita naturalia huius prouidentiæ. d.15.ſec.2. & 3.

NONA.

An Chriſoſtomus, & Græci Patres Semipellagianis conſenſerint.d.17.ſec.10.& 11.

DECIMA.

An Infidelibus prouideatur gratia auxilij ſupernaturalis. d.20. à ſec. 12. ad 17.

VNDECIMA.

An omnibus hominibus, etiam remotis à fide, prouiſa ſint auxilia gratiæ ſufficientia ad iuſtificationem, & ſalutem. d.20.ſ.22.23.d.63.ſ.4.& 5.

DVODECIMA.

An, & qua ratione fides infuſa ex prouidentia Dei ſit requiſita ad initiandum ſalutem, & omne opus ſalutare.d.63. per totam.

DECIMATERTIA.

An prouidentia promouens hominem, & Angelum in ſalutem debita ſit primæ creationi naturæ rationalis. d.22.per totam.

IN TRACTATVM DE Omnipotentia.

PRIMA DIFFICVLTAS.

An ſine ordine tranſcendenti in creaturas poſſit abſolute illas efficere d.32. d.25.ſec.5.d.41.n. 70.71.& 74.d.33.n.7.&8.

SECVNDA.

An, & qua ratione ſit verum, eſſe Deo poſſibile quidquid non comincitur repugnare. d.11.n.9.& ſeq.

TERTIA.

An poſſit Deus eleuare creaturas ad efficiendum quidpiam ſuis viribus impoſſibile. d.40. per totã.

QVARTA.

Qua ratione poſſit omnipotentia Dei eleuare creaturas ad effectus ſuis viribus impoſsibiles. d.41.

QVINTA.

An præter omnipotentiam Dei alia attributa diuina & relationes perſonarum poſſint efficere quidquã creatum.d.41.n.59.& ſeq.69.& 76.

SEXTA.

Quas creaturas poſsit Deus vehere ad agendum ſupra actiuitatem ipſarum. d.42.

IN TRACTATVM DE Angelis.

PRIMA DIFFICVLTAS.

An Angelus cognoſcat negationes omnium accidentium naturalium ſibi poſsibilium.d.11.n.23.

SECVNDA.

An negationes rerum naturalium cognoſcat immediate, & in ſeipſis, etiam ſequutas cauſam aliquam ſupernaturalem. d.11.n.26.

TERTIA.

An lumine naturali cognoſcet intuitiue dona ſupernaturalia.d.10. per totam.

QVARTA.

An lumine naturali poſsit aſſequi abſtractiue ſupernaturalia.d.11.per totam.

QVINTA.

An poſsit ſaltim per accidẽs diſcurrere. d.55.ſec.5.

SEXTA.

An eliciat aſſenſus ſupernaturales componendo, & diuidendo. d.60.n.6.

SEPTIMA.

An cum eodem auxilio ſupernaturali efficiat actus ſupernaturales intellectus, & voluntatis, ſpecie differentes ab humanis.d.56. per totam.

OCTAVA.

An cum æquali auxilio ſupernaturali efficiat actus inæquales humanis. d.37. per totam.

NONA.

An natura Angelica vincat perfectione phyſica dona ſupernaturalia gratiæ. d.21. per totam.

DECIMA.

An naturæ Angelicæ, aut humanæ debita fuerint in prima creatione dona promouentia in ſalutem. d. 22. per totam.

VNDECIMA.

An Angelus ſit impotens delinquere contra præcepta naturalia, potens delinquere contra præcepta ſupernaturalia.d.23.n.63.& 64.

DVODECIMA.

An poſsibilis ſit Angelus, aut alia ſubſtantia rationalis ſuapte natura impeccabilis.d.23.ſec.7.& 9. vſque ad 12. incluſ.

DECIMATERTIA

An auxilia gratiæ diſpoſita fuerint Angelis iuxta inæqualitatem naturæ d.18.n.12.

DECIMAQVARTA

An Dæmones peccauerint, aut peccare potuerint prælucente cognitione ſpeculatiua ſupernaturali. d.57. per totam.

DECIMAQVINTA.

An actione Phyſica torqueantur Dæmones ab igne corporeo. d.40. n.14. & per totam

Digitized by Google

IN PRIMAM SECVNDAE.

IN TRACTATVM DE BEATITVDINE.

DIFFICVLTAS PRIMA.

AN ſit appetitus innatus in beatitudinem ſupernaturalem. d. 9. per totam.

SECVNDA.

An affectu naturali poſſimus expetere beatitudinem ſupernaturalem. d. 14 per totam.

TERTIA.

An lumine naturali poſſimus aſſequi euidenter poſſibilem beatitudinem ſupernaturalem. d. 11. per totam.

QVARTA.

An beatitudo ſupernaturalis hominis ſit ſpecie differens à beatitudine Angeli. d. 36 per totam.

QVINTA.

An ſit inæqualis humana beatitudo ab Angelica pro inæqualitate naturæ. d. 37. per totam.

SEXTA,

An poſſit creſcere perfectione phyſica viſio Dei, quin creſcat beatitudo. d. 37. n. 15. & 21.

SEPTIMA.

An viſio Dei acquiſita per medium poſſit eſſe beatitudo. d. 55. n. 61. & 63.

OCTAVA.

An beatitudo æterna ſit præmium æſtimatione infinitum, & excedens mathematicè valorem noſtrorum operum. d. 16. ſec. 4. & ſeq.

NONA.

An Beatorum animæ corporibus vnitæ elicient ſenſiones intrinſecè ſupernaturales, tã internas, quam externas. d 44. ſec. 9. 10. & 11.

DECIMA.

An ſit poſſibilis creatura ſuapte natura beata. d. 23 per totam.

Vide plura in tractatu de Viſione Dei.

IN TRACTATVM DE Actibus humanis.

PRIMA DIFFICVLTAS.

An actus humanus abſolutus & efficax poſſit fieri ex ſola apprehenſione ſimplici obiecti d. 62. ſec. 1.

SECVNDA.

An requiratur ad aliquem actum humanum intentionis, electionis, aut vſus imperium intellectus. d. 62. ſec 2.

TERTIA.

An ad actum moraliter bonum neceſſarium ſit indicium practicum prudentiæ dictans exiſtentiam ipſius. d. 62. ſec. 2.

QVARTA.

An actus humanus internus poſſit imperari, & referri ab alio in finem extrinſecum. d. 65. per totã.

QVINTA.

Quo affectus genere poſſit vnus actus internus imperari & referri ab alio in finem extrinſecum. d. 66. per totam.

SEXTA.

Quanam ſit dependentia & proceſſio vnius actus interni ab alio. d. 67. per totam.

SEPTIMA.

An actus bonus poſſit referri à malo in ſuum finem d. 50. per totam.

OCTAVA.

An actus ſic relatus in malum finem maneat intrinſecè bonus, & extrinſecè malus. d. 50. ſec. 6.

DECIMA.

An actus internus efficaciter, & determinatè imperatus relinquatur proximè liber. d. 68. per totam.

VNDECIMA.

An poſſit idem actus reſpicere intrinſeca obiecta formalia duarum virtutum. d. 47. per totam.

DVODECIMA.

An poſſit reſpicere intrinſecè duo obiecta formalia, quorum alterum ſit honeſtum, alterũ turpe, & ſimul eſſe intrinſecè honeſtus ac turpis. d. 47. ſec. 2.

DECIMATERTIA.

An actus bonus intrinſecè naturalis poſſit reſpicere intrinſecè obiectũ formale ſupernaturale, & actus intrinſecè ſupernaturalis obiectum formalè naturale. d. 45. per totam.

DECIMAQVARTA.

An actus intrinſecè ſupernaturalis poſſit eſſe indifferens ſecundum ſpeciem d. 69. per totam.

DECIMAQVINTA.

An pura omiſſio actus prohibiti poſſit eſſe moraliter bona & meritoria. d. 70. per totam.

DECIMASEXTA.

An actus bonus reflexus amans directum propter bonitatem intrinſecam ipſius, pertineat ad eandem virtutem cum directo. d. 64. per totam.

IN TRACTATVM DE Habitibus & Virtutibus.

PRIMA DIFFICVLTAS.

An virtutum theologalium actus ſint intrinſecè ſupernaturales. d. 44. à ſec. 1. ad 5.

SECVNDA.

An virtutum moralium actus dentur intrinſecè ſupernaturales. d. 44. ſec. 6. & 7.

TERTIA.

An virtutes naturales poſſint moueri ex obiecto formali intrinſecè ſupernaturali. d. 45. ſec. 5. & ſeq.

QVARTA.

An virtutes ſupernaturales ex obiecto formali intrinſecè naturali. d. 45. ſec. 1. 2. 3. & 4.

QVINTA.

Quonam modo tendendi in obiectum differant virtutes naturales & ſupernaturales. d. 46. per totam.

SEXTA.

An virtus ſupernaturalis ſit cauſa efficiens actus ſupernaturales. d. 30 ſec. vltima.

SEPTIMA.

An ſit cauſa principalis, an inſtrumẽtalis. d. 31. ſ. 5.

OCTAVA.

An ſit cauſa partialis, an tota ratio agendi actus naturales. d. 30. per totam

NONA.

An voluntas ſuo conatu poſſit elicere actus excedẽ-

ves intenſionem & activitatem habitus. d. 39. per totam. DECIMA.

An obiecta formalia duarum virtutum poſſint reſpici intrinſece per eundem habitum. d. 47. per totam.

VNDECIMA.

An virtus infuſa efficiatur ſuis actibus. d. 51. per totam. DVODECIMA.

An actibus virtutis infuſa acquiratur aliquis habitus ſupernaturalis tribuens ſolam facilitatem voluntati. d. 52. per totam.

DECIMATERTIA.

An eis actibus efficiatur aliquis habitus naturalis facilitans voluntatem. d. 53. per totam.

DECIMAQVARTA

An eadem virtus efficiat actus directos & reflexos, reſpicientes formaliter bonitatem directorum. d. 64. per totam.

IN TRACTATVM DE Gratia auxiliante.

PRIMA DIFFICVLTAS.

An auxilio gratia diuina poſſimus aſſequi veritates theologicas. d. 55. n. 49. & 50.

SECVNDA.

An abſque auxilio gratia poſſimus noſcere euidenter quidpiam ſupernaturale. d. 10. & 11. per totas.

TERTIA.

An ſit neceſſarium auxilium Dei ad opera meritoria de condigno gratia aut gloria. d. 15. per totam.

QVARTA.

An ſit neceſſariũ ad opera meritoria de congruo. d. 17. per totã. QVINTA.

An ſit neceſſarium ad diſpoſitionem aliquam moralem. d. 18 per totam.

An ſit neceſſarium ad aliquam impetrationem. d. 19. per totã. SEXTA.

An opera elicita facultate natura ſubſequatur ex lege Dei gratia auxilians theologica. d. 18. ſec. 3.

SEPTIMA.

An gratia auxilians antecedat omnem conatum honeſtum natura, etiam viribus natura poſſibilem. d. 20. per totã. OCTAVA.

An gratia auxilians prouideatur à Deo infidelibus remotis à fide. d. 20. à ſec. 12. vſque ad 17.

NONA.

An auxilia gratia ſufficientia ad iuſtificationem, & ſalutem omnibus hominibus diſponantur. d. 20. ſec. 22. & 23. d. 63. ſec. 4. & 5.

DECIMA.

Error Pellagij & Semipellagianorum de neceſſitate gratia auxiliantis. d. 15. ſec. 2. & 3.

VNDECIMA.

An Chriſoſtomus & Graci Patres Semipellagianis conſenſerint. d. 15. ſec. 10. & 11.

DVODECIMA.

An gratia auxilians prouideatur à Deo ad puram omiſſionem actus prohibiti. d. 70. ſec. 3. 4. 7. & 8.

DECIMATERTIA.

An in ſtatu innocentia neceſſaria fuerit gratia Dei ad opera meritoria gloria. d. 22. per totam.

DECIMAQVARTA.

An in ſtatu natura lapſa & eleuata poſſibilis ſit dilectio efficax Dei intrinſece naturalis. d. 49 ſec. 3.

DECIMAQVINTA.

An poſſit fieri actus internus excedens intenſionem gratia auxiliantis. d. 38. per totam.

DECIMASEXTA.

An cogitationes & affectiones gratia ſupernaturalis poſſint cõferre motionem in actus naturales. d. 28. per totã. DECIMASEPTIMA.

An Cogitationes & affectiones gratia naturalis poſſint conferre motionem in actus ſupernaturales. d. 49. per totam.

DECIMAOCTAVA.

An gratia auxilians cõtinuo nobis aſſiſtat. d. 20. ſ. 3

DECIMANONA.

An gratia auxiliãs interna annexa ſit miniſterio externo creaturarum, & qualis. d. 20. ſ. 9. 10 & 12.

VIGESIMA.

An gratia auxilians intrinſece ſupernaturalis ſit neceſſaria ex natura rei ad actus intrinſece ſupernaturales. d. 49 ſec. 4. & 5.

VIGESIMAPRIMA.

An ſit neceſſaria diminutus. d. 49. n. 18. & ſeq.

VIGESIMASECVNDA.

An homo deſtitutus gratia Dei ſolum ad peccandum valeat. d. 20. ſec. 6.

IN TRACTATVM DE Gratia iuſtificante.

DIFFICVLTAS PRIMA.

An gratia iuſtificans ſit radix totius ordinis ſupernaturalis. d 4. ſec. 3. 4. & 5.

SECVNDA.

An gratia per eductionem, an per creationem producatur. d. 7. per totam.

TERTIA.

An gratia iuſtificans poſſit contineri in virtute natiua alicuius creatura. d. 23. ſec. 11.

QVARTA.

An ſit poſſibilis ſubſtantia, cui ſit connaturalis gratia iuſtificans. d. 23. per totam.

QVINTA.

An gratia iuſtificans ſit incompoſſibilis cum peccato. d. 23. ſec. 8. SEXTA.

An poſſit homo peruenire ad iuſtificationem ſine fide ſtricta theologica. d. 20. ſec. 22. & 23. d. 63. ſec. 4. & 5.

SEPTIMA.

An gratia iuſtificans vincat perfectione ſubſtantiam rationalem. d. 21. per totam.

OCTAVA.

An ſint poſſibiles plures ſpecies gratia iuſtificantis. d. 23. n. 72.

IN TRACTATVM de Merito.

PRIMA DIFFICVLTAS.

Quid ſit meritum, & qua ratione diſcrepet à laudabilitate, ſatisfactione, & impetratione. d. 15. ſec. 1.

SECVNDA.

Diſcrimen meriti condigni à merito congruo. d. 15. n. 3. d. 16. n. 62. & ſeq.

TERTIA.

An meritum congruum differat à diſpoſitione morali. d. 18. ſec. 1. QVARTA.

An opera elicita facultate natura ſint meritoria de condigno gratia, aut gloria. d. 15. per totam.

QVINTA.

An ſaltim bona iuſtorum opera elicita ſine gratia ſint de condigno meritoria. d. 15. ſec 5.

SEXTA.

An diuinitus poſſint eleuari opera elicita ſine gratia ad merendum de condigno. d. 16. per totam.

Digitized by Google

SEPTIMA.

An opera elicita ſine gratia ſint meritoria de cõgruo. d.17.per totã.

OCTAVA.

An actus meritorij, ſiue de condigno, ſiue de congruo ſint intrinſece ſupernaturales. d.44.ſec 7.& 8.d. 70.ſec.7.& 8.

NONA.

An meritum de condigno ſit æquale præmio æqualitate matemathica rei ad rem.d.16.ſec.4.& ſeq.

DECIMA.

An meritum ſit noſtris operibus intrinſecum. d.16. ſec.11.

VNDECIMA.

An noſtra merita obligent Deum ad remunerandũ ex iuſtitia commutatiua. d.16.n.50.& ſeq.

DVODECIMA.

An ex Chriſto deriuetur in opera iuſtorum aliqua dignitas meritoria. d.16.n.40. & ſeq.

DECIMATERTIA.

An voluntates transfuſæ in alium mereri poſsint voluntate capitis, ſicut demereri.d.16.n.43.& 44.

DECIMAQVARTA.

An pura omiſsio actus prohibiti poſsit eſſe meritoria. d.70.per totam.

DECIMAQVINTA.

An actus internus efficaciter imperatus, & ſola imperantis libertate liber augeat meritum actus imperantis? d.68.ſec.4.

DECIMASEXTA.

An actus externus ſuperaddat meritum actui interno.d.68.ſec.5.

DECIMASEPTIMA.

An actus extrinſece malus, & intrinſece bonus ſit meritorius.d.80.ſec.7.

DECIMAOCTAVA.

An poſsimus mereri de condigno remiſsionem peccati mortalis? d.16.n.67.& ſeq.

IN SECVNDAM SECVNDAE.

IN TRACTATVM DE FIDE.

PRIMA DIFFICVLTAS.

AN apud ſacros Scriptores, & Eccleſiæ Patres diſtinguenda ſit duplex fides infuſa, ſtricta, & lata? d.63.ſec.2.

SECVNDA.

An fides Theologica aſſentiatur reuelationi diuinæ propter ſe, an propter veracitatem diuinam.d.61. n.3.

TERTIA.

An reuelatio Dei, cui aſſentitur ſupernaturalis fides, poſsit eſſe intrinſece naturalis? d. 11.n.44.d. 45.ſec.2.3.& 4.

QVARTA.

An aſſenſus naturalis poſsit aſſentiri propter ſe reuelationi ſupernaturali? d.45.ſec.5.& ſeq.

QVINTA.

An aſſenſus fidei Theologicæ ſit intrinſece ſupernaturalis? d.44.ſec.3.4.& 5.

SEXTA.

Quonam modo tendendi in reuelationem Dei differant inter ſe aſſenſus ſupernaturalis, & naturalis? d.46.per totam.

SEPTIMA.

An aſſenſus fidei poſsit ſimul cum reuelatione Dei habere motiuum opinionis, aut ſcientiæ? d.47.per totam.

OCTAVA.

An apprehenſiones antecedentes aſſenſum fidei ſint intrinſece ſupernaturales? d.49.ſec.4.& 5.d.60 per totam.

NONA.

An affectus per ſe imperans aſſenſum fidei ſit intrinſece ſupernaturalis? d.46.ſec.4.& 5.

DECIMA.

An iudicium credibilitatis myſteriorum fidei præcedens actum piæ affectionis ſit intrinſece ſupernaturale.d.49.ſec.4.& 5.

VNDECIMA.

An actus ſupernaturalis piæ affectionis poſsit imperare aſſenſum reuelationis non exiſtentis? d. 56. ſec.2.d.45.ſec.5.

DVODECIMA.

An aſſenſus fidei poſsit vitiari? d.80. per totam.

DECIMATERTIA.

An per actus fidei poſsit fieri diſcurſus.d.55.ſec.5.

DECIMAQVARTA.

An habitus fidei poſsit concurrere ad concluſiones Theologicas? d.55.n.54 & ſeq.

DECIMAQVINTA.

An aſſenſus fidei poſsit prælucere voluntati peccanti? d.57.per totam.

DECIMASEXTA.

An aſſenſus fidei poſsit eſſe falſus ex natura rei? d. 58.per totã.

DECIMASEPTIMA.

An poſsit eſſe falſus poteſtate abſoluta Dei? d. 59 per totam.

DECIMAOCTAVA.

An Deus poſsit infundere errorem intellectui creato? d.59.n.15 & 16.d.56.n.2.

DECIMANONA.

An præter aſſenſum fidei ſint alij actus intellectus ſupernaturales obſcuri, & certi ex motiuo creato? d. 61.per totã.

VIGESIMA.

An aliqua fides ſit neceſſaria ad omnem affectum virtutis ſupernaturalem? d.63.ſec.1.2.& 3.

VIGESIMAPRIMA.

An fides Theologica ſit neceſſaria ad noſtram iuſtificationem? d.20.ſec.22.& 23.d. 63.ſec.4.& 5.

VIGESIMASECVNDA.

An affectu naturali poſsimus expetere fidem ſupernaturalem? d.14.per totam.d.48.per totam.

VIGESIMATERTIA.

An aſſenſus fidei fiat ſpeciebus naturalibus? d. 54. per totam.

VIGESIMAQVARTA.

An relinquat in intellectu ſpeciem ſupernaturalem? d.54.ſec.3.

IN TRACTATVM DE Charitate.

PRIMA DIFFICVLTAS.

An charitas ex natura rei ſit habitus inhærẽs? d.54. per totam.

SECVNDA.

An de potentia abſoluta poſsit fieri actus charitatis ſine habitu inhærenti? d.34 per totam.

TERTIA.

An habitus charitatis ſit adæquata virtus agendi? d. 30.per totam.

QVARTA.

An bonitas naturalis Dei poſsit eſſe obiectum formale charitatis.d.45.ſec.1.2 3.& 4.

QVINTA.

An dilectio naturalis Dei poſsit habere pro obiecto formali bonitatem ſupernaturalem Dei? d.45.ſec. 5.& ſeq.

SEXTA.

An amor reflexus dilectionis Dei propter bonitatem creatam ipſius pertineat ad charitatem Theologicam? d.64.per totã.

SEPTIMA.

An actus charitatis diſponens ad iuſtificationem poſsit fieri ſine actu fidei Theologicæ? d.20.ſec.22.& 23.d.63.ſ.4.& 5.

OCTAVA.

An charitas imperet actus internos aliarũ virtutum d.65.ſec.2.& 3.

Digitized by Google

NONA.

An actus charitatis imperetur ab actibus ignobilioribus aliarum virtutum. d.65.ſec.4.

DECIMA.

Per quos actus charitas poſſit imperare actus aliarũ virtutum? d.66.per totam.

VNDECIMA.

Quo genere influxus charitas imperet actus aliarũ virtutum? d.67.per totam.

DVODECIMA.

An imperium efficax, & determinatum charitatis adimat libertatem proximam actui imperato? d.68.per totam.

DECIMATERTIA.

An imperiũ efficax & determinatum charitatis adimat meritum proprium actus imperato? d.68.ſec.4.& 5.

DECIMAQVARTA.

An in ſtatu naturæ lapſæ, & eleuatæ poſſibilis ſit dilectio efficax naturalis Dei? d.49.ſec.3.

DECIMAQVINTA.

An actus charitatis poſſit fieri interius habitu, & à quo is actus fiat? d.38.per totam.

DECIMASEXTA.

An intenſio actus charitatis poſſit excedere intenſionem auxilij gratiæ? d.37.per totam.

IN TRACTATVM DE SPE.

DIFFICVLTAS PRIMA.

An actus ſpei ſit intrinſece ſupernaturalis? d.44.ſec.3.4.& 5.

SECVNDA.

An obiectum formale ſpei poſſit eſſe bonitas naturalis Dei? d.45.ſec.2.3.& 4.

TERTIA.

An bonitas ſupernaturalis Dei poſſit ſperari per actum naturalem? d.46.ſec.5.& ſeq.

QVARTA.

An actus ſpei poſſit fieri diuinitus ex cognitione naturali? d.49.n.18 & 20.

QVINTA.

An actus ſpei poſſit fieri ex ſola apprehenſione boni futuri? d.62.ſec.1.

SEXTA.

Quænam ſit firmitas, & certitudo ſpei? d.49.n.19.& 20.

IN TERTIAM PARTEM.

IN TRACTATVM DE INCARNATIONE.

PRIMA DIFFICVLTAS.

An vnio hypoſtatica cadat ſub motum naturæ? d.10.per totam.

SECVNDA.

An poſſit euidenter demonſtrari poſſibilis lumine naturali? d.11.per totam.

TERTIA.

An citra viſionẽ beatam poſſit quidditatiue cognoſci? d.12.per totam.

QVARTA.

An poſſit cognitione creata comprehendi? d.13.per totam.

QVINTA.

An vnio hypoſtatica poſſit eſſe connaturalis alicui ſubſtãtiæ creatæ etiam ſupernaturali? d.13.n.86.

SEXTA,

An vnio hypoſtatica poſſit contineri in virtute actiua alicuius creaturæ. d.41.n.18.

SEPTIMA.

An vnio hypoſtatica poſſit cadere ſub meritum condignum hominis iuſti? d.16.n.70.

OCTAVA.

An ex dignitate Chriſti deriuetur in opera iuſtorũ aliquis valor meritorius? d.16.n.40.& ſeq.

NONA.

An Chriſtus Dominus capax ſit puræ omiſſionis? d.70.n.26.& 27.

DECIMA.

An ſciẽtia infuſa Chriſti Domini indigeat ſpeciebus ſupernaturalibus ad cognitionem quidditatiuam obiectorum naturalium? d.54.n.13.

VNDECIMA.

An Chriſtus Dominus poſſit diſcurrere per actus ſcientiæ infuſæ? d.55.n.17.& 26.cum ſeq.

DVODECIMA.

An ratiocinatione naturali aſſequatur euidenter ſuã vnionem hypoſtaticam? d.11.n.39.& per totam.

DECIMATERTIA.

An humanitas Chriſti eleuata fuerit ad agendum phyſice miracula, & gratiam iuſtificantem? d.40.n.12.& per totam.

DECIMAQVARTA

Quomodo potuerit eleuari ad agendum phyſice miracula? d.41.per totam.

IN TRACTATVM DE Sacramentis in genere.

DIFFICVLTAS PRIMA.

An ſacramenta poſſint phyſice cauſare gratiam? d.40.per totam.

SECVNDA.

Qua ratione eleuentur ſacramenta ad cauſandam phyſice gratiam? d.41.per totam.

TERTIA.

An actiones ſacramentales poſſint vitiari ex malo fine? d.50.n.13.& 57.

IN TRACTATVM de Pœnitentia.

DIFFICVLTAS PRIMA.

An attritio ſacramentalis poſſit eſſe naturalis? d.17 n.32.per totã.

SECVNDA.

An contritio imperata efficaciter ex timore gehennæ ſufficiat ad iuſtificationem? d.68.ſec.4.

TERTIA.

An ad veram contritionem diſponentem ad iuſtificationem requiratur fides Theologica. d.63.ſec.4.& 5.d.20.ſec.22.& 23.

QVARTA.

In quo diſcrepet ſatisfactio à merito? d.15.n.10.

QVINTA.

An ſatisfactio operis minuat quidquam de merito, & pœnalis eſſe debeat? d.15.n.11.

SEXTA.

An actio externa ſuperaddit ſatisfactionem actui interno? d.68.n.31.

IN TRACTATVM de Euchariſtia.

DIFFICVLTAS PRIMA.

An vbicatio Euchariſtica Chriſti ſit intrinſece ſupernaturalis? d.4.n.14.

SECVNDA.

An præſentia Chriſti in Euchariſtia intuitiue cernatur lumine naturali? d.10.per totam.

TERTIA.

An abſtractiua euidentia luminis naturalis aſſequatur præſentiam Chriſti in Euchariſtia? d.11.per totam.

FINIS.

Digitized by Google

LIBER PRIMVS.

EXCELLENTIA ENTIS SVPERNATVRALIS ſupra Naturam.

IN HOC libro comparabimus ſupernaturalia cum natura ſuis viribus, & facultatibus naturalibus patientibus, efficientibus, cognoſcentibus; appetentibus; & alijs huiuſmodi relicta; vt quanta ſit eminentia Entis ſupernaturalis ſupra Naturam; pleniſsimè deprehendamus.

Digitized by Google

DISPVTATIO PRIMA.

VSVRPATIONES VOCVM, NATVRÆ, Naturalis, & ſupernaturalis Entis.

VARIA eſt vſurpatio Naturæ, & naturalis Entis apud Philoſophos. In qua vero ſumenda nunc ſit, non explicatur à Theologis. Ponunt quidem omnes, Ens ſupernaturale ſupra Naturam eſſe. Quænam autem Natura ſit, cum qua Ens ſupernaturale conferatur, vix conſideratione, ne dum diſputatione attingunt. Id nobis præſtandum eſt, prius quam in ſupernaturalis Entis excellentiam diſputationem promoueamus. Ad quod aſſequendum præmittendæ ſunt variæ Naturæ, & naturalis entis appellationes.

SECTIONES.

1. *Varia ſignificata Naturæ.*
2. *Multiplices naturalis Entis notiones.*
3. *Supernaturalis entis acceptiones.*
4. *Supernaturalia quoad modum vt à ſupernaturalibus quoad ſubſtantiam diuiſa.*

SECTIO PRIMA.

Varia ſignificata naturæ.

Natura primo natiuitatem ſignificat. Ariſtoteles. Auguſtinus

1. NAtura à naſcendo dicta eſt, primæuáque impoſitione natiuitatem ſignificat. Ita Ariſtot. lib. 5. Metaphyſic. cap. 4. *Natura autem dicitur primo modo eorum, qui naſcuntur generatio.* Item Auguſtinus lib. 1. retractat. cap. 10. & 15. & de libero arbitrio cap. 19. vbi in illud Pauli ad Epheſios 2. *Fuimus & nos aliquando naturâ filij iræ*, Naturam, originem, & natiuitatem interpretatur: Quæ vſurpatio Naturæ, argumentum fuit priſcis hæreticis aſſerendi, Patri æterno non eſſe communem cum filio naturam, licet communis eſſentia ſit; quoniam eſſentia in Patre non eſt per natiuitatem, ſicut in filio. Refert Auguſtinus de Trinit. cap. 3.

Item eſſentiam cuiuſque rei.

2. Secundò. Quia res natiuitate, eſſentiam ſiuè eſſe, conſequuntur, iamdiù Natura pro cuiuſque rei quidditate & eſſentia vſurpata, eſt: ſic definitio dicitur apud dialecticos oratio explicans naturam rei: & quotidie dicimus naturam accidentis, naturam gratiæ, naturam modi. Auguſtinus lib. 2. de moribus Manichæorum cap. 2. *Nam & ipſa natura nihil eſt aliud, quàm id quod intelligitur in ſuo genere aliquid eſſe; itàque vt nos iam nouo nomine ab eo quod eſt eſſe, vocamus eſſentiam, quam plerumque etiam, ſubſtantiam nominamus, ita & veteres, qui hac nomina habebant, pro eſſentia, & ſubſtantia, naturam vocabant.* Quamquam ſi preſsè loquamur, hoc intereſt inter eſſentiam, quidditatem, & naturam; quod eſſentia exprimit eſſe abſolutum rei; quidditas ordinem ad definitionem, qua quid res ſit, explicatur; natura vero operandi vim. Ita D. Thomas de ente & eſſentia cap. 1.

Auguſtinus. D. Thomas.

Interdum ſolum Deum.

3. Hinc tertiò. Quia Deus omnis operationis principium eſt, & omne eſſe formaliter, aut eminenter complectitur, Natura ſimpliciter actiuâ ſignificatione pro diuina mente rerum omnium opifice accepta eſt. Ita Seneca lib. 4. de officijs, Plato. 10. de legibus, Cicero lib. de natura Deorum, Hugo Victorinus. 1. Didaſcalon. cap. 11. Nicetas apud Clement. 8. recognitionum poſt medium ibi: *Qui*, ſcilicet Philoſophi, *Naturam pro Deo nominant, & per naturam facta eſſe cuncta teſtantur.* Item Lactantius 2. inſtit. cap. 9. & lib. 3. cap. 28. Senecæ argumento oſtendens, à Deo omnia eſſe; quòd à Natura, quæ Deus eſt, omnia fiant. Nec diſſonat Auguſtinus. 12. de Ciuitate Dei cap. 2. inde concludens, Deo, qui ſumma, ac ſimpliciter natura eſt, vt ſumma, ac ſimpliciter eſſentia, creatam naturam contrariam non eſſe. Hinc diſtinctionis gratiâ ortum habuit apud Priſcos Philoſophos diuiſio naturæ in naturam naturantem, & naturam naturatam; Item in naturam vniuerſalem, & in naturam parti-

Seneca. Plato. Cicero. Hugo Victorinus. Nicetas. Lactantius. Auguſtinus.

Digitized by Google

culare: & apud Auguſtinũ 15. de Trinitate cap. 1. in Naturam creatricem, & naturam creatam. Vbi prima diuiſionis pars, Deum; ſecunda, omnia exiſtentia infra Deum ſignificat.

Rurſus vniuerſitatem rerum.

4. Quamquam etiam quartò; quia omnia entia creata ab alijs natiuitatem, ſiue originem trahunt; interdum Natura, paſſiuâ ſignificatione, rerum creatarum vniuerſitatem notare ſoleat. In eo ſenſu ait Ariſtoteles 12. Metaphyſicæ cap. 7. Naturam à primo principio pendere: & D. Thomas. 1. p. q. 105. art. 7. & quodl. 4. art. 5. cum alijs Theologis miraculum totius naturæ vim ſuperare.

Ariſtoteles

D. Thomas

Etiam agẽtia naturalia.

5. Rurſus quintò, quia in hac vniuerſitate rerum aliæ ab alijs ad agendum propenſis, ortum & lucem accipiunt, Naturæ vox ad ſignificandum congregationem cauſarum naturalium, quatenus ſecundum inſitam propenſionem agunt, extenſa eſt. Eo pacto Naturam nihil fruſtra moliri, odiſſe ſuperfluum, facere optimum quod poteſt, otioſam non eſſe, & alia id genus, docent cum Ariſtotele Philoſophi.

Ariſtoteles

Item ſignificat Naturam ſubſtantiam ſeorſim à ſubſiſtentia.

6. Item ſextò, quia omnibus ſuppoſitis (quæ ſimpliciter agere, eſſeque dicuntur) & eſt eſſentia, quâ ſunt, & ſubſiſtentia, quâ per ſe exiſtunt: Naturæ vocabulum ad eſſentiam ſuppoſiti, prout à ſubſiſtẽtia diſtinguitur, exprimendam, deriuatum eſt. Qua acceptione dicimus ſubſiſtentiam eſſe terminum, & complementum naturæ: vnionem verbi diuini factam eſſe in natura, & non in ſubſiſtentia; tribus perſonis diuinis vnam tantum eſſe naturam, perſonalitates plures.

Nec-non materiam & formam.

7. Præterea ſeptimò, quia in ſuppoſitis corruptioni obnoxijs, materia & forma cuiuſcumque ortus & interitus principia ſunt, eorumque eſſentiam conſtituunt, ſignificatio naturæ ad principium motus, in eo, in quo primò, & per ſe ineſt, vt materiam, & formam complectitur, adaptata eſt. In qua vſurpatione definit Naturam Ariſtoteles 2. Phyſicorum cap. 1. & naturalia, quæ Phyſicus, & tranſnaturalia, quæ Metaphyſicus diſſerit, communiter diſtinguimus.

Denique collectionẽ rerũ ſupra quam eleuantur ſupernaturalia.

8. Denique vt alias naturæ notiones, quæ plures ſunt, omittamus, quia præter accidentia, quæ ſubſtantiis creatis debita ſunt, plura Deus ſupra ipſarum exigentiam ex Chriſti Domini meritis gratuitò largitur, octauô natura pro ea collectione rerum, cum qua dona gratiæ comparantur, à Theologis, & Patribus accipitur. In qua acceptione ordinem naturæ ab ordine ſupernaturali, & gratiæ ſeiungimus, & accidentia ſupernaturalia ſupra omnem Naturam eleuari prædicamus.

Omnes Naturæ notiones ad quatuor reuocantur.

9. Ergo vt paucis, quæ nunc inter Scholaſticos notiones Naturæ frequentiores ſunt, dilucidè complectamur, ad quatuor omnes reuocari libet. Prima Dialecticorum propria, Philoſophiam etiam, Metaphyſicam, & Theologiam tranſcẽdens, quæ naturam pro cuiuſcumque rei eſſentia, & quidditate; ſecunda propria Metaphyſicæ, quæ pro ſubſtantia completa, vt à ſubſiſtentia diſtinguitur: tertia Phyſica, quæ pro ſubſtantia incompleta, vt materiam, & formam comprehendit; quarta denique Theologorum diſputatione frequentiſſima, quæ pro ea aggregatione rerum, quæ ab ordine ſupernaturali, & gratia diuiditur, vſurpare ſolet. In quem ordinem, & collectionem rerum explicandum, hæ diſputationes inſtituuntur.

SECTIO SECVNDA.

Multiplices naturalis entis notiones.

Naturale idem quod natiuitate comparatũ.

10. NAturale totidem modis, quot Natura, à qua deriuationem habet, dictum reperio. Itaque primò naturale dicitur, quod natiuitate, ſeu origine comparatur. Quo ſignificato, originale peccatum nunc infantibus naturale eſt, & Adamo etiam non peccante iuſtitia originalis, quamquam intrinſecè ſupernaturalis, eiſdem naturalis foret: vt ex Auguſtino num. 1. relato optimé colligit Bellarminus lib. de gratia primi hominis cap. 5. P. Salas 1. 2. tract. 13. num. 8. & P. Iamnerus 1. 2. 1. 2. diſp. 4. quæſt. 10. num. 11. Hyeronimus Perez 1. p. q. 12. art. 6. not. 3. & habet Proſper contra Collatorem. cap. 18. ibi; *ſine dubio primus homo, ſi auxiliantem dominum non deſereret, poſſet in bonis, quæ naturaliter acceperat, perſeuerare.*

Auguſtinus Bellarminus. P. Salas. P. Iamnerus Hyeronimus Perez. D. Proſper.

Item quod eſt conſentaneum eſſentiæ rei.

11. Secundò dicitur naturale, quod rei cuiuſcunque naturæ, ſiue eſſentiæ conſentaneum eſt, vt frigus eſt naturale aquæ inhærentia, naturalis gratiæ: imo & quicquid violento, & contra à naturali opponitur, naturalis vſurpationem obtinuit. Qua ratione albedo, quamquam non exigatur à lapide, naturalis eidem eſt; necnon gratia ſupernaturalis, ornans & perficiens naturam, naturalis dici poteſt, vt rectè obſeruat Bellarminus ſupra. In quod haud incongruè adducitur illud Pauli ad Roman. 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt.* Quia enim peccatum eſt contra naturam, gratia vero naturam ſanat, cum ex gratia ſupernaturali lex impletur, naturaliter impleri non ineptè dicitur. Ita Auguſtinus de ſpiritu & lit. cap. 27. *Nec moueat, quod naturaliter eos dixit, quæ legis ſunt facere, non ſpiritu Dei, non fide, non gratia. Hoc enim agit ſpiritus gratiæ, vt imaginem Dei, in qua naturaliter facti ſumus, inſtauret in nobis: vitium quippe contra naturam eſt, quod vtique ſanat gratia, ac per hoc vitio ſanato, cum illic lex deſcribitur, fiunt, quæ legis ſunt, naturaliter, non quod per naturam negata ſit gratia, ſed potius per gratiam reparata Natura.* Vbi non ſolum opera facultate naturæ elicita *naturaliter* fieri interpretatur Auguſtinus, verumetiam quæcunque naturæ rationali diſſentanea non ſunt, quamquam auxilio ſupernaturali fiant. Similiter Leo primus ſer. 1. de Ieiun. *Inueniemus hominem ad imaginem Dei conditum, & hanc eſſe naturalem generis dignitatem, ſi in nobis diuinæ bonitatis forma reſplendeat, ad quam quotidie nos reparat gratia Seruatoris.* Gratiæ dignitatẽ vocat *naturalem*: quia hominẽ deſtructo peccato in naturalem rectitudinem reſtituit. Et Fulgentius de Incarnatione & gratia ca. 22. ait, *hominẽ gratia Dei naturaliter ſanari poſſe*; quia talis ſanitas naturæ hominis diſſentanea non eſt.

Paulus Rom. 2.

Auguſtinus

Leo.

Digitized by Google

Tertiò quod fit iuxta obedientiam Dei.

12. Rurſus iuxta tertiam acceptionem Naturæ, Naturale etiam dicitur, quicquid fieri ſolet iuxta obedientiam, quâ naturæ creatæ, creatrici, ac ſummæ naturæ Dei ſubiiciuntur. Ita accipit Aug. lib. 26. contra Fauſtum cap. 3. *Deus creator, & conditor omnium Naturarum, nihil contra naturam facit. Id enim erit cuique rei naturale, quod ille fecerit, à quo eſt omnis modus, numerus & ordo naturæ.* A quo ſumpſit Proſper. ſent. 283. *Naturarum conditor Deus nihil in miraculis contra Naturam facit. Nobis ergo videntur contra naturam inſolita, quibus aliter naturæ curſus innotuit, non autem Deo, cui hoc eſt natura, quod fecerit.* Quæ verba ita accipit D. Thomas 3. p. q. 44. art. 2. ad 1. vt concedat naturale eſſe cuilibet creaturæ tranſmutari à Deo ſecundum eius voluntatem. *Quomodo etenim contra naturam* (ait Auguſt. 21. de ciuitate Dei cap. 8.) *quod Dei fit voluntate, cum voluntas tanti Conditoris, conditæ rei cuiuſque natura ſit.* Quare Damianus epiſtola 4. c. 11. Deum *Naturæ Naturam* vocauit; & Gab. in 4. d. 1. q. 1. litt. E. ſignificat potuiſſe Deum ſua voluntate contrarias proprietates facere rebus connaturales, vt igni frigus, aquæ calorem. Cui fauere videtur Chryſoſtomus in Pſal. 138. ad illud *ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius.*

Auguſtinus. Proſper. D. Thomas. Damianus. Gabriel. Chryſoſtomus.

Rurſus oppoſitum miraculo.

13. Deinde ex notione quarta Naturæ, vſurpatur Naturale, quod operi miraculoſo opponitur, & in condita vniuerſitate rerum aſſuetum eſt. Qua notione cœlorum motus, & opera etiã excellentia facultatem naturæ, vt ſacramentorum operatio, & virtutum infuſarum actus, aliaquè ſupernaturalia opera, quæ miraculoſa, & inſolita non ſunt, inter naturalia referri poſſunt. Fauet Auguſtinus lib. 26. contra Fauſtum, cap. 3. vbi omnia Dei opera ad naturalia, & cõtranaturalia reuocat; naturaliaquè ordinaria, & ſolita: contranaturalia verò, extraordinaria, & inſolita definit.

Auguſtinus.

Item quod liberum nõ eſt.

14. Item quintò, Naturale dicitur, quidquid liberum non eſt. Quo agens liberum, & naturale diſtinguimus: & actum Charitatis in via liberum, in patria naturalem; in via ab anima vt eſt voluntas, in patria vt eſt natura, procedentem aſſerimus, docente S. Thoma 1. 2. q. 10. art. 1. & alibi ſæpè. Eoquè referri poteſt vſurpatio Naturalis pro eo, quod ab inuoluntario, & coacto diſtinguitur, quæ apud Theologos, & Philoſophos communis eſt. Vide Damaſcenum lib. 3. de fide cap. 14.

D. Thomas. Damaſcenus.

Præterea quod ſuppoſito cõuenit ratione ſolius naturæ.

15. Inſuper conſentienter, ad ſextam ſignificationẽ Naturæ, naturalia accipiuntur ea quæ ſuppoſito ratione naturæ, & non ratione hypoſtaſis conuenire ſolẽt, quámquam ipſa intrinſece ſupernaturalia ſint. Qui loquendi mõdus frequentiſſimus eſt apud Damaſcenum lib. 3. de fide cap. 12. 13. 14. & ſequentibus. Vbi naturalia Chriſti ſeorſim ab hypoſtaſi conſiderat, & ea, quæ Chriſto ratione naturæ competunt, naturalia: quæ verò ratione hypoſtaſis, hypoſtatica, & perſonalia vſurpat.

Damaſcenus.

Etiã quod ſpectat ad compoſitũ phyſicum.

16. Etiam ſeptimò, Naturalia, vulgata Philoſophorum phraſi, ſunt, quæ ad compoſitum naturale conſtans ex materia, & forma (quæ acceptione Philoſophorum naturæ dicuntur) aliquo modo ſpectant. Eoque pacto *naturalia*, quæ Philoſophus, *tranſnaturalia*, quæ Metaphyſicus conſiderat, appellãtur. Docet D. Thomas. 1. 2. quæſt. 10. art. 1. ad 1. & in 3. d. 22. q. 3. art. 2. q. 1 & Prologo Phyſicorum.

D. Thomas.

Demum quod eſt extra ordinem ſupernaturalem.

17. Poſtremò, Naturale Theologica notione dici ſolet, quod abſolutè, & ſimpliciter ſupernaturale non eſt, & intra naturæ vires, & exigentiam continetur. Ad quam ſpectat ordo naturalium entium ab ordine ſupernaturalium, frequentibus vocibus Theologorum, diſcretus; qui ſuſcepti operis ſubiectum eſt. Eâ conſideratione fides negatur *naturalis*, in Concilio Arauſicano. 2. Can. 5. Et *naturaliter nobis ineſſe* apud Auguſtinum non ſemel. Accipe illud de prædeſt. Sanctorum cap. 5. *Dona Dei naturalia ſuſpicari abſurdum eſt.* In eoque ſenſu damnata eſt propoſitio 22. Baij. *Humanæ naturæ exaltatio, in conſortium Diuinæ naturæ, naturalis dicenda eſt, & non ſupernaturalis.* Eâdem acceptione dixit Proſper ad excerpta Genuenſium reſpõſione ad dub. 3. *Peruerſitatem incurrit, qui de naturali bono cætera dona mereatur.* Item contra Collatorem cap. 25. reprehendit Caſſianum, quod dixerit *religioſas cogitationes, & ſancta conſilia de naturali poſſe prodire ſapientia.* Item Fulgentius de incarnatione, & gratia cap. 16. *A peccato neminem facultas naturalis, ſed ſola fides eripit.* cap. 21. *nullus eſt, qui naturaliter poſſit credere in filio Dei.* cap. 22. & 23 eadem habet. E contra verò omnes ſubſtantias creatas nunc exiſtentes, & accidentia ipſis congenita aſſerunt Theologi naturalia. Hæc naturalis entis acceptio ſingularis eſt, & ab omnibus anterioribus differens. Nam reliquæ omnes naturalis entis notiones, dona etiam ſupernaturalia complectuntur, vt propoſita exempla teſtantur; Hæc ſola naturalia entia à ſupernaturalibus ſeiungit. Quænam autem illæ ſunt, ſequentes diſputationes explanabunt.

Concilium Arauſic. Auguſtinus. Michael Baius. Proſper. Fulgentius.

Entis naturalis frequentiores acceptiones quatuor tantum ſunt.

18. Notauerim tamen, licèt omnes explicatę acceptiones apud Priſcos Doctores familiares fuerint: nunc tamen vſitatiores apud Scholaſticos, eas quatuor tantum eſſe; primam, quâ naturale à violento & contra naturali; ſecundam, quâ à libero: tertiam, quâ naturale à tranſnaturali; quartam denique, quâ à ſupernaturali diuidimus. E quibus poſtremam noſtro & Theologico inſtituto propriam, ſuſcipimus declarandam. Quod diſputatione 3. abundè præſtabimus, poſtquam ſupernaturalis entis acceptiones, & exiſtentiam præmiſerimus.

SECTIO TERTIA.

Supernaturalis entis acceptiones.

Supernaturale quod eſt ſupra naturam.

19. SVpernaturale, vt ſonus ipſe præfert, idem eſt, quod ens ſupranaturã, aut ſupranaturale. Vox iſta rara eſt extra Theologorum ſcholas. Inuenitur tamen apud Philoſophos, & Eccleſię Patres. Philoſophi illam vſurpant pro ente, quod eſt ſupra compoſitum naturale conſtans ex materia, & forma, quæ Philoſophica acceptione naturæ dicuntur, vt præ-

Digitized by Google

miſimus num. 7. & 16. Hac ratione entia Metaphyſica dicuntur ſupernaturalia, & ipſa ſcientia Metaphyſica appellari conſueuit ſupernaturalium ſcientia, aut ſcientia ſupernaturalis, vt

P. Fonſeca.

notauit P. Fõſeca proœmio Metaphyſicæ ca. 8. Supernaturalitas entis hac ſignificatione nõ denotat excellentiam perfectionis, ſed ſuperioritatem vniuerſalitatis à ſingulari materia præſcindentis. Etenim ratio entis, quæ Metaphyſicæ conſiderationi ſubiicitur, aliam præſtãtiam quàm vniuerſalitatis ferre non poteſt, cum cuilibet, vel minimæ rei ratio entis communis ſit.

Eccleſiæ Patres vtuntur hac voce. Dionyſius. Damaſcenus. Cirillus Alexãdrinus.

20. Eccleſiæ Patres hac voce vtuntur ad ſignificandum operis & perfectionis excellentiam, prout Theologis commune eſt. Ita Dioniſius in epiſt. 4. ad Caium agens de Chriſto. *Super hominem operabatur, quæ ſunt hominis, quod monſtrat Virgo ſupernaturaliter concipiens: & aqua inſtabilis terrenorum pedum ſuſtinens grauitatem.* Vbi vox *ſupernaturaliter*, exprimit operis excellentiam ſupra naturam Theologicè acceptam. Omnium frequentiſſimè hoc nomine, & ſenſu vtitur Damaſcenus. lib. 4. de fide cap. 14. differens de Euchariſtica conuerſione; *Quo modo naturaliter per comeſtionem, panis, & vinum, & aqua per potionem in corpus, & ſanguinem comedentis, & bibentis tranſmutatur & non fit aliud corpus præter id quod prius erat ipſius. Sic & propoſitionis panis, vinumque, & aqua per inuocationem, & aduentum Spiritus Sancti ſupernaturaliter tranſmutatur in corpus, & ſanguinem Chriſti, & non ſunt duo, ſed vnum, & idem.* Quibus Damaſcenus tranſmutationem panis & vini, in corpus & ſanguinem Chriſti vſurpat ſupernaturalem, prout diſtinguitur a conuerſione naturali cibi in corpus viuentis, vtque denotat excellentiam operationis ſupra naturæ vires. Quare præmiſerat. *Nunc Spiritus Sanctus operatione hac ſuper naturam operatur, quæ non poteſt capere niſi ſola fides.* Moxquè addit; *aſſueto condeſcenſus vſus per conſueta naturæ, ea facit, quæ ſunt ſupra naturam, vt per aſſueta, & quæ ſunt ſecundum naturam, in his, quæ ſunt ſupra naturam collocemur.* Similiter lib. 3. de fide cap. 15. de Chriſto ait, *ſuper hominem ea, quæ hominum ſunt operabatur, ſuper inſtabilem aquam terrenis pedibus ambulans, non terrena facta aqua, ſed ſupernaturali diuinitatis potẽtia.* Eodẽ modo loquitur lib. 4. de fide cap. 12. & 15. Item de Triſagio pag. 8. thronũ Dei vocat *ſupernaturalem*: Et carmine in Theogoniam virginis matricem *ſupernaturaliter parientem*. Accedit Cyrillus Alexandrinus lib. 1. in Ioannẽ cap. 13. *Aſcendamus igitur ad ſupernaturalẽ dignitatem per Chriſtum.* Rurſus; *creatura cum ſerua ſit, nutu ſolũ & voluntate Patris ad ſupernaturalia vocatur.* cap. 14. *Qui fide Chriſti in adoptionem filiorum vocati ſunt, humilitatem naturæ ſuæ depoſuerunt, & honorantis Chriſti gratia, quaſi ſplendida induti purpura ad ſupernaturalem dignitatem aſcendunt.* Inſuper; *gratiã ad ſupernaturalem gloriam euolamus.* Vnde perperàm aiunt recentes ſcriptores nuſquam apud Patres vocem ſupernaturalitatis inueniri.

21. Quamquàm apud Concilia, & Pontifices Eccleſiæ vox iſta definita non eſt, donec Greg. 13. & Pius. 5. Bullam edidit contra propoſitiones Michaelis Baij; inter quas damnatur. 21. *Humanæ naturæ ſublimatio, etiam in conſortium diuinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis; ac proinde naturalis dicenda eſt, non ſupernaturalis.* Item 24. *Abſurda eſt eorum ſententia, qui dicunt, hominem ab initio, quodam ſupernaturali & gratuito dono ſuper naturã ſuæ conditionem fuiſſe exaltatum, vt fide, ſpe & charitate, Deum ſupernaturaliter coleret.* Volebat enim Michael Baius nulla dona Adamo in ſtatu innocentiæ collata verè eſſe, ac dici poſſe ſupernaturalia, eo ſenſu, quo Theologi donum ſupernaturale cõſueuerunt appellare; Pontifices autem, & vocem, & ſenſum communem Theologorum cõfirmant. Neque alibi inuenitur hæc vſurpatio authoritate Eccleſiaſtica firmata. Adeo tamen inter Scholaſticos inualuit conſuetudo vſurpãdi dona ſupernaturalia excellentia naturam, vt abſquè temeritate vox iſta, & ſignificatio excellentiæ ipſi negari non poſſit. Certum enim eſt adinuentam hanc vocem ad donorum ſublimitatem exponendam.

Item Pontifices Eccleſiæ contra Baium.

22. Vocibus æquiualentibus alij Patres præſtantiam donorum, & operum ſupernaturalium proponunt: Arauſicani Patres: Auguſtinus, Proſper, & Fulgentius adducti num. 17. negantes ſæpe illa eſſe naturalia, & viribus naturę debita, aut cõtenta. Itẽ Proſper. de lib. arb. col. 9. aſſerens, *homines virtutibus inhærentes non ſua, ſed ſuperna ſapientia illuſtrari.* Cyrillus Alex. de lapſu hominis pag. 91. dicens. *Satanam è cæli faſtigio deturbatum, quod immani arrogantia Deitatem affectans, dona, quæ omnem naturam excellunt, ſibi adſcriberet.* Rupertus, Orig. & alij Patres docentes Chriſtum plura ſupra naturam egiſſe, eiuſque incarnationem ſupra naturam fuiſſe virtute omnipotenti Dei. Quibus alia ſimilia tradunt, quæ iſtam ſupernaturalitatem re, & voce confirmant. Vnde nomine ſupernaturalis entis intelligendum eſt ens ſublime, & excedens naturam. Quænam autem iſta natura ſit, quam ſublimitate ſuperat ens ſupernaturale; & quanta ſit excellentia iſta, qua ſupra naturam aſſurgit? ſubiectum eſt totius operis præſentis, in quod ſequentes diſputationes laborabunt.

Conſonant Auguſtinus Proſper. Fulgẽtius, & alij.

23. Rurſus ens ſupernaturale ſecundum excellentiam aliud eſt ſupernaturale ſimpliciter: aliud ſupernaturale ſecundum quid. Supernaturale ſimpliciter eſt, quod excellit nõ vnam, aut alteram dumtaxat naturam; ſed naturam vniuerſam, vt gratia iuſtificans, viſio beata, & vnio hypoſtatica. Supernaturale ſecundum quid eſt, quod vnam, aut alteram tantum naturam excedit, vt homo lapidem, lapis aërem. Huius diuiſionis meminerũt P. AEgidius Coninck. 2. 2. diſp. 4. num. 7. Duralcus in ſua Dialecticothæa, & frequentes Recentiores.

Supernaturale aliud ſecundum qd aliud ſimpliciter.

P. Coninck. Duralcus.

24. Præterea ens ſupernaturale ſimpliciter, aliud dicitur ſupernaturale excellentiã dignitatis: aliud excellentiã cauſalitatis, ſeu virtutis. Ita Caietanus, 1. 2. ad art. 5. & cum eo plures Thomiſtæ. Supernaturale ſimpliciter excellentiã dignitatis cẽſetur à Caietano ſolus Deus; quippe ſolus Deus ſuperat dignitate omnem ſubſtantiam creatam, & creabilem; quam naturæ vſurpatione venire, autu-

Supernaturale ſimpliciter aliud excellentia dignitatis aliud excellentia cauſalitatis. Caietanus. Dionyſius.

Digitized by Google

mat Caietanus. Eo ſpectat attributū Dei apud Dyonisium Areopagitam frequentiſſimum, quo Deum deitatemque *ſuperſubſtantialem* appellat. Ita de diuinis nominibus cap. 1. & 2. & alibi paſſim. Supernaturale ſimpliciter excellentiâ cauſalitatis, ſeu virtutis refertur gratia iuſtificans, habitus luminis gloriæ, & quid ſimile: quippe hæc accidentia eius excellentiæ ſunt, vt licet ab aliqua ſubſtantia naturali poſſint æquari, aut vinci perfectione, à nulla tamen poſſunt in cauſalitate, aut virtute naturali contineri.

Aliud ſecūdū ſubſtantiam, aliud ſecundum modum.

25. Demum frequentiſſimè ſupernaturale ſimpliciter ſecundum excellentiam cauſalitatis, aut virtutis aliud eſſe ſupernaturale quoad ſubſtātiam: aliud ſupernaturale quoad modū. Supernaturale quoad ſubſtātiam eſt, cuius entitas, ſeu ſubſtantia, excedit omnem continentiam, & exigentiam naturæ; vt charitas, & gratia. Supernaturale quoad modum eſt, quod ſecundùm entitatem continetur intra vires, aut exigentiam naturæ, ſecundum modum verò, quo producitur, ſeu acquiritur, vniuerſam naturam excedit; vt reſtitutio viſus amiſſi, inſtantanea recuperatio ſalutis, & alia huius generis. Meminit ſupernaturalium quoad modum Damaſcenus lib. 3. de fide cap. 20. conſtituens naturales noſtras paſſiones corporeas fuiſſe in Chriſto ſupernaturales quoad modum. *Naturales noſtra paſſiones ſecundum naturam, & ſuper naturam fuerunt in Chriſto. Secundum naturam quidem, nam mouebantur in ipſo quando ſinebat carni, vt pateretur propria. Super naturam verò, quod non præcedebant in Domino voluntatis naturalia.* Supernaturalia quoad ſubſtantiam ab aliis intrinſecè, ab alijs quidditatiuè, ab alijs entitatiuè ſupernaturalia dicuntur. Supernaturalia verò quoad modum ſupernaturalia ſolum extrinſecè. Huius diuiſionis vſurpatio adeo ſcholaſticis omnibus ſolemnis eſt, vt otioſum ſit Authores pro illa congerere. De ſupernaturalibus quoad ſubſtantiam multa differenda ſunt huius operis progreſſu. De ſupernaturalibus quoad modum plura dicemus ſectione ſequenti.

SECTIO QVARTA.

Supernaturalia quoad modum, vt à ſupernaturalibus quoad ſubſtantiam diuiſa.

Diffinitur ſupernaturale quoad modum.

26. NVnc itaque, vt ſemel ſupernaturalia quoad modum explicata relinquam, notauerim, ad ſupernaturalitatem quoad modum requiri, vt acquiſitio, ſeu productio rei non ſolum eius naturæ, cui res acquiritur, ſeu producitur, ſed naturæ etiam vniuerſæ facultatem, & exigentiam vincat. Tum à priori: quia ſupernaturalia quoad modum eum exceſſum ſupra naturam poſtulant ſecundum modum perfectionis, quem poſtulant ſupernaturalia quoad ſubſtantiam ſecundum entitatem ipſorum. Sed ſupernaturalia quoad ſubſtantiam exigunt entitatem, quæ ſuperet induſtriam, & exigentiam totius naturæ, vt fusè examinabimus ſequentibus. Ergo dona ſupernaturaliā quoad modum, requirunt modum, qui non ſolius ſubiecti, cui ea donantur, ſed omnium naturarum induſtriam, & exigentiam vincat. Tum à poſteriori: quia aliàs calor in aqua productus, cogitatio honeſta ſufficiens amicorum admonitione parta, ſalus medicorum induſtriâ acquiſita, & alia huius generis bona eſſent ſupernaturalia quoad modum, quia ſubiecti, cui inhærent induſtriam, & debitum excedunt. Igitur non ſubiecti ſolum, ſed totius vniuerſim naturæ vires, & exigentiam tranſcendat, neceſſe eſt, modus productionis, qui ad ſupernaturalia quoad modum, eſt neceſſarius.

27. Id obſeruatum volo, vt duo inde deprehendas contra Recentes quoſdam Theologos. Primū non eſſe idem gratiam fieri naturæ rationali, & dari donum ſupernaturale quoad modum. Nam vt collatione alicuius boni fiat gratia naturę rationali, ſufficit dari ſupra facultatem, & exigentiam talis ſubiecti; vt autem donum quoad modum ſupernaturale ſit, requiritur totius naturæ creatæ non ſolum patientis, ſed etiam agentis induſtriam, & exigentiam ſuperare. At poteſt donum ſuperare facultatem, ac debitum naturæ, cui confertur, quin aliorum agentium continentiam, & exigentiam vincat. Ergo poteſt fieri naturæ rationali gratia per dona, quæ non ſint ſupernaturalia quoad modum. Confirmatur: In pura natura poterat Deus vt Author, ac Princeps beneficus naturæ rationalis largiri hominibus gratioſè plura bona naturalia. At in pura natura ordinario curſu, ac prouidentiæ ordine nihil eſſet ſupernaturale quoad modum. Ergo. Secundò, deprehendes conſentienter ad hæc, non eſſe ſupernaturalem quoad modum cogitationem congruam naturalem, quæ cauſarū naturalium occurſu in nobis excitatur, quòd ſemper citra induſtriam, ſolicitudinem, ac facultatem hominis donetur; quidquid aliter ſentire videatur P. Vaſquez 1. 2. diſp. 189. cap. 16. num. 145. & 1. p. diſp. 91. cap. 14. Nam licet vltra hominis induſtriam, ac ſolicitudinem cogitatio congrua intrinſecè naturalis concedatur; naturæ tamen virtute abſolutè continetur, cum excitetur naturaliter ordinario cauſarum naturalium cōgreſſu. Quinimo quamuis cogitatio ſolo Deo immediatè excitante fiat, non erit ſupernaturalis quoad modum, ſi talis ea ſit, quæ alias cauſarum naturalium miniſterio, & fieri, & excitari queat. Verb. gra. ſi ſpecies naturales talis honeſtatis, aut Angelorum, aut hominum, aliarumnè cauſarum naturalium miniſterio, ad agendum moueri poſſunt. Etenim ſemper talis cogitatio, & productionis modus intra terminos facultatis naturæ continetur: vt autem eſſet ſupernaturalis quoad modum, opus erat, vt cogitationis, ſeu productionis modus, ſphæram excederet totius naturæ.

Duo corollaria cōtra Recentiores. Alterum non eſſe idē ſupernaturale quoad modum & gratioſum.

Alterum, cogitationem congruam naturalem non eſſe quoad modum ſupernaturalem. P. Vaſquez.

28. Dices cum P. Vaſquez ſupra, & cum P. AEgidio Coninck. 2. 2. diſp. 4. nu. 122. & aliis Theologis neotericis, omnes vocationes congruas naturales propriè, ac ſtrictè eſſe ſupernaturales quoad modum, vel quia ex meritis ſupernaturalibus Chriſti, vel quia in finem ſu-

Reſponſio ex P. Vaſquez & P. Coninck.

Digitized by Google

ſupernaturalem ſalutis æternæ, à Deo vt authore ſupernaturali conceduntur. Vereor iam quæſtionem de voce. Poteſt res quoad ſubſtantiam naturalis dici ſupernaturalis quoad modum, vel à modo ſupernaturali, qui eſt intrinſecus ſuppoſito, in quo res efficitur, quamuis ſit extrinſecus rei, quæ ab eo modo denominetur ſupernaturalis, vt explanabimus num. 30. vel à modo ſupernaturali, qui omnino, & adæquatê tali ſuppoſito extrinſecus eſt, vt ab his Theologis contenditur. Fateor lata quâdam, ac fuſa vſurpatione poſſe vocationem congruam dici ſupernaturalem à modo ſupernaturali intentionis, ac volitionis conferentis Dei: cæterum reor eadem ratione, etiam vocationem ſufficientem, quin & ſubſtantiam hominis, ac omnem alium effectum naturalem vocari poſſe ſupernaturalem: quod tamen, quia nec ab his Theologis admittitur, ideò ſtrictè, ac propriè ab eo modo penitus extrinſeco immeritò opera aliqua referri quoad modum ſupernaturalia.

Redarguitur.

Non ſufficit ad ſupernaturalitatem quoad modum ratio extrinſeca motiua ſupernaturalis.

Propoſitũ ſic probo. Non ſolum vocatio congrua, ſed etiam ſufficiens, quin & ſubſtantia hominis, ac omnis effectus naturalis producitur ex intentione finis ſupernaturalis: Quippe omnia vel in ſalutem prædeſtinatorum, vel in exaltationem Chriſti, vel in gloriam extrinſecam Dei creata ſunt. Hi autem fines ſunt ſupernaturales. Ergo omnia illa ex intentione finis ſupernaturalis creata ſunt: ac per conſequens eo modo penitus extrinſeco erunt omnia quoad modum ſupernaturalia. Vlterius: eſto, omnia in finem ſupernaturalem deſtinata non ſint, volita quidem omnia ſunt actibus Dei intrinſecè ſupernaturalibus, nam omnes actus diuini ſunt intrinſecè ſupernaturales, eo ipſo quòd aliqui admittantur ſupernaturales: tum quia omnes ſunt æqualis, ac infinitæ perfectionis realiter, quin à fine creato excellentiam aliquam ſortiãtur: tum quia in eadem re indiuiſibili non poſſunt aliæ formalitates eſſe naturales, & aliæ ſupernaturales realiter, vt videbimus diſp. 8. Ergo vel nullus effectus, vel omnis creatus à Deo, ex volitionibus ſupernaturalibus diuinis dicendus eſt quoad modum ſupernaturalis. Confirmatur: Mea opinione actus intellectus, & voluntatis non ſunt intrinſecè ſupernaturales ex obiecto, ſed ex modo præcellenti reſpiciendi obiectum: quia, vt decurſu conſtabit, poteſt actus ſupernaturalis ex obiecto naturali, & naturalis ex obiecto ſupernaturali, moueri. At omnes actus Diuini præcellentiſſimo modo obiecta reſpiciunt. Ergo aut nullus, aut omnes Diuini actus ſtatuendi ſunt intrinſecè ſupernaturales. Etenim ſi actus Diuini ex obiecto, quod reſpiciunt prædicentur ſupernaturales, & naturales; eo quidem pacto non opera creata ab actibus Dei, ſed actus Dei ab operibus creatis, ſortiuntur ſupernaturalitatem.

Confirmatur.

29. Igitur cum vocationes congruæ naturales ab his authoribus intendantur eſſe ſupernaturales quoad modum vſurpatione ſpeciali, quæ ſufficientibus vocationibus, & reliquis omnibus effectibus naturalibus communis non ſit, propriè quidem, ac ſtricte nihil erit ſupernaturale quoad modum ex decreto Dei, quod vel ex motiuo, vel ex fine ſupernaturali, rei exiſtentiam ſtatuit. Confirmatur vlterius: ſupernaturalia diuiduntur in ſupernaturalia quoad ſubſtantiã, & quoad modum, poſtquam ſupernaturalia ab omnino naturalibus diuiſa ſunt, ſuppoſitumque eſt, aliquos eſſe effectus omnino naturales, qui nulla ratione ad ordinẽ ſupernaturalem ſpectent: diuiſio enim ſemper peculiarem aliquam membrorum diuidentium conditionem explanat. Excellentia autem terminandi actus ſupernaturales Dei omnibus rebus communis eſt. Ergo hæc excellentia propriè non conſtituit ſupernaturalitatem quoad modum, pro vt eſt membrum diſtinguens res à ſupernaturalibus quoad ſubſtantiam. Rurſus: vocationes congruæ & alij effectus, vt cõdiſtincti ab intentione Dei non continent aliquid ſupernaturale: vt complectuntur extrinſecè intentionem Dei, comprehendunt quidpiam ſupernaturale quoad ſubſtantiam, nam talis intentio finis, & motiui ſupernaturalis ponitur ab his authoribus quidditatiuè ſupernaturalis. Ergo tales effectus, qua ratione ſupernaturales ſunt, non quoad modum tantùm, ſed etiam quoad ſubſtantiam erunt ſupernaturales. Itaquè relinquitur effectus, qui ſecluſo decreto Dei, & modo, qui ſuppoſito extrinſecus eſt, nõ eleuantur ſupra facultatem, & exigentiam totius naturæ, non eſſe ſupernaturales quoad modum. Qua autem ratione vocationes congruæ naturales ad actus heroicos virtutum moralium ex intenſione entitatiua, & graduali ipſarum poſſint eſſe quoad modum ſupernaturales, exponemus, de auxiliis ſupernaturalibus gratiæ differentes.

Supernaturalia quoad modum in triplici differentia.

30. Vlteriùs ad plenam lucem ſupernaturalium quoad modum obſeruandum eſt, ea in triplici differentia conſiderari. Primò quoad modum ſupernaturalem ipſis rebus intrinſecũ, vt cùm quantitas producitur creatione ab agẽte, & termino diſtincta, & habitus naturalis actione actuum intrinſecè ſupernaturaliũ: nam hæ actiones ſunt modi intrinſecè ſupernaturales, & intrinſeci terminis naturalibus, qui ab eis modis poſſunt dici quoad modum ſupernaturales, vt ſupponit. P. AEgidius Coninck. 2.2. diſp. 4. Deinde quoad modum ſupernaturalem rebus extrinſecum, vt cùm opus naturale internum, aut externum imperio ſupernaturali efficitur: tunc enim imperium ſupernaturale operi naturali extrinſecum reddit illud extrinſecè, & modaliter ſupernaturale: ſimiliter cùm actus naturalis procedit ex auxilio intrinſecè ſupernaturali, vt Aluarez lib. 3. reſponſ. cap. 8. num. 7. & 11. optimè notat. Tertio quoad modum ſupernaturalem partim intrinſecum rebus, & partim extrinſecum, vt cùm viſus deperditus recuperatur, & corpus cum corpore penetratur eiſdem, vbicationibus naturalibus, quibus vnum quodque diuiſum ab alio in eo loco conſtitueretur: etenim actio recuperatiua viſus & corporum penetratio, vt diſtincta ab omni imperio, actione, aut alio quouis extrinſeco intrinſecè ſupernaturali, dicitur ſupernaturalis, præcisè ex ſimultate, & collectione plurium, ſeorſim quidem in-

Aluarez.

intrinſecè naturalium: nam ipſa collectio, ac ſimultas rerum naturalium, etiam vt diſtincta à quouis alio intrinſecè ſupernaturali, eſt ſupra vniuerſam naturam, quæ ad talem collectionẽ, ac ſimultatem inſufficiens eſt. Quare ſi quidpiam ſupernaturale extrinſecum ex parte diuinæ voluntatis ad talem collectionem exigitur, ideò planè eſt, quia ipſa collectio in ſe omnem naturæ facultatem excedit. At collectio, ac ſimultas coaleſcit ex pluribus, quæ partim ſunt intrinſeca, partim extrinſeca actioni, quæ denoratur ſupernaturalis. Ergo quędam ſunt quoad modum ſupernaturalia, quæ ex modo partim intrinſeco, & partim extrinſeco ſupernaturalia dicuntur. Quin addiderim, ea ſola, quæ hoc tertio modo excludente modum entitate ſupernaturalem, ſupernaturalia ſunt, eſſe propriè, ac rigoroſè quoad modum ſupernaturalia; non verò quæ primo, & ſecundo modo complectente modum intrinſecè ſupernaturalem, ſupernaturalitatem induunt. Etenim ſupernaturalia quoad modũ dicta ſunt ad diſcretionem ſupernaturalium quoad ſubſtantiam. Quæ autem ab aliquo entitatiuè ſupernaturali ſupernaturalia ſunt, non ſunt omnino diſcreta à ſupernaturalibus quoad ſubſtantiam; ſiquidem qua parte ſupernaturalitatem complectũtur, ſunt quoad ſubſtantiam ſupernaturalia. Ergo illa ſola, quæ tertio modo excludente quidpiam intrinſecè ſupernaturale, ſupernaturalia dicuntur, cenſeri propriè debent quoad modum ſupernaturalia; reliqua verò ſolum impropriè, ac latè. Huius doctrinæ aſſertor eſt Banes, 1. p. q. 57. art. 3. ad tertium, cum Caiet. 3. p. q. 76. art. 6.

Banes.

31. Vndè iterum alia duo colligere eſt. Alterum contra iuuenes quoſdam Theologos, omnia ſupernaturalia quoad modum non continere intrinſecè quidpiam ſupernaturale quoad ſubſtantiam. Alterum contra Aluarez ſupra, ſupernaturalia quoad modum non deriuari neceſſariò ab aliquo principio, quoad ſubſtantiam, ſupernaturali. Nam ea quæ tertio modo ſupernaturalia ſunt, & ſolam collectionem complectuntur excellentem principia naturæ, nihil continent intrinſecè ſupernaturale, quod vel pars intrinſecè conſtituens, vel principium deriuans extrinſecè ſupernaturalitatis eſſe queat. Etenim vt res naturales ſimul cum alijs momentaneè ponantur, à qua ſimultate momentanea, quoad modum ſupernaturales dicuntur, non eſt neceſſarium principium aliquod, quoad ſubſtantiam ſupernaturale, ſed ſolum, quod naturalia principia, quæ ex natura rei ſucceſſiuè exiſtunt, ſimul ac in eodem inſtanti, ſupra naturæ facultatem congregentur: nam res naturales aliarum naturalium ſimultate, eam perfectionem non acquirunt, quæ in altioribus principijs contineri opus ſit. Ita viſus deperditus, cuius reſtitutio, quoad modum ſupernaturalis dicitur, ſolum introductis qualitatibus naturalibus, vltimò diſponentibus ad formam accidentalem viſus, abſque principio intrinſecè ſupernaturali curante naturam, ſic à viuente recuperatur, vt vis inferretur naturæ, ſi poſt eas qualitates introdu-

Colligitur omnia ſupernaturalia quoad modum nõ complecti quidpiam ſupernaturale quoad ſubſtantiã.

Item non deriuari neceſſario à principio creato ſupernaturali quoad ſubſtantiã.

ctas negaretur. Idemtidem compoſitio caloris cum frigore, quoad modum ſupernaturalis eſt, nullo interueniente principio, quoad ſubſtantiam ſupernaturali, ſiuè intrinſeco, ſiuè extrinſeco.

32. Dices cum Neotericis, ad ea ſupernaturalia quoad modum concurrere principium ſupernaturale quoad ſubſtantiam, increatum nempe volitionem, & ſcientiam ſupernaturalem Dei congregantem ſupra naturæ leges, quę ex natura rei iuxta illas diuiſa forent. Sed in primis concludamus contra Aluarez, perperam aſſerere neceſſarium eſſe ad ſupernaturalitatem quoad modum operum naturalium, gratiam primùm excitantem homini internã, quid ditatiuè ſupernaturalem, vt è ſupernaturalitate talis gratiæ in auxilia, & opera naturalia ſupernaturalitas deriuetur. Siquidem ex ſolo decreto Dei, abſque vllo principio creato quidditatiuè ſupernaturali, rebus creatis poteſt ſupernaturalitas modalis conuenire: in eaque opera intrinſecè naturalia, influxus principij entitate ſupernaturalis, ſuperuacaneus eſt. De quo alibi plura. Rurſus: ipſa congregatio ſimultanea, ac inſtantanea naturalium, ſeorſim ab actibus voluntatis, ac intellectus Dei, eſt ſupernaturalis, & excedens omnem naturam; ideóque fortius, ac maius aliquod decretum ad illam neceſſarium eſt; quod decretum potius ab obiecto ſupernaturali dicitur ſupernaturale, quam à decreto ſupernaturale dicitur obiectum: id quod ſatis confirmant, quæ propoſuimus à num. 28. deducentes inde, omnia creata fore, à decreto ſupernaturali Dei, quoad modum ſupernaturalia. Ergo ex decreto ſupernaturali increato non fluit in ſuperiores effectus ſupernaturalitas quoad modum. Ad hæc; eiſdem volitionibus, quibus Deus conſeruat calorem & frigus ſeorſim, poteſt ſimul in eodem ſubiecto conſeruare; nam ſicut calor, & frigus idem ſeorſim, ac ſimul poteſtate ordinaria, & abſoluta Dei in ſubiecto conſeruatur, ita & poteſt in Diuina voluntate eadem volitio inducendi calorẽ, & inducendi frigus in ſubiectum pro inſtanti. A. ſeorſim, ac ſimul retineri. Etenim vt contraria exiſtãt ſimul in ſubiecto, neceſſaria non eſt volitio formalis, quæ vtriuſque ſimultatem in actu ſignato decernat, ſed ſufficiunt duæ volitiones, quarum altera ſeorſim calorem pro inſtanti. A. altera frigus pro eodem inſtanti, abſque reſpectu ſignato vnius ad alterum, in ſubiectum inducat, ſolum in actu exercito, altera frigus, quando altera calorem decernit. At hæ volitiones ſeorſim efficaciter exiſtentes, ad ordinem naturalem ſpectant. Ergo ex ſola ſimultate volitionum, pertinentium ad ordinem naturalem abſquè alia volitione ſubſtantialiter ſupernaturali poteſt exiſtere compoſitio caloris cum frigore ſupernaturalis quoad modum. Id ipſum de cognitionibus ſuadetur. Quoniam hæ volitiones eiſdem poſſunt ſeorſim, ac ſimul cognitionibus dirigi, cùm volitiones eædem eorumdem ſolùm obiectorum, in quæ ſemper afficiuntur, notionem deſiderent: quare licet ſimul cum eis volitionibus prænotio ſimultatis cõtrariorũ

Euaſio recentiorum.

Nulla eſt.

Digitized by Google

exiſtat, ea tamen prænotio comitanter ſolùm, & non tanquam principium neceſſarium præcedit. Quandoquidem contrariorum ſimultas ab intellectu propoſita, earum volitionum obiectum non eſt; & ad remouendū potius, quam ad alliciendum aliquam volitionum conducit. Igitur nullum principium etiam increatum ad ordinem ſupernaturalium, quoad ſubſtantiam ſpectans, neque intellectus, neque voluntatis Diuinę opus eſt ad ſupernaturalia quoadmodū.

DISPVTATIO SECVNDA.

SVBIECTVM HVIVS OPERIS, eiuſque exiſtentia.

DVO ante omnia breuiter præmittenda ſunt. Primum, quodnam ſit noſtrarum diſputationum ſubiectum, in quod explicandum laborant? Secundum, an illud exiſtens ſit?

SECTIONES.

1. *Totius operis ſubiectum.*
2. *Exiſtentia ſubiecti.*

SECTIO PRIMA.

Totius operis ſubiectum.

Subiectum ſt la ſupernaturalia quoad ſubſtantiam.

1. SVbiectū ſcientiæ, non intrinſecè ex principijs naturalibus rei, ſed extrinſecè ex intentione, & arbitrio inuentorum ſcientiæ, primúmq; docentiū, ac ſcientium definiri, oſtendimus fusè proæmio Dialecticæ, oſtendemuſq; proæmio Metaphyſicæ. Igitur cum huius operis ſubiectum, nuſquam ab aliis Theologis præſcriptum ſit, liberum nobis erit illud primum præſtituere, vt in ſcopum certum ſeries noſtrarum diſputationum dirigatur. Itaq; animus non erit, rationem entis ſupernaturalis, communem ſupernaturalibus ſecundùm quid; neque ſupernaturalitatem ſimpliciter communem Deo; neque communem ſupernaturalibus quoad modum, noſtris diſputationibus declarare; ſed eò ſolum ſtudium noſtrum dirigetur, vt ſupernaturalia quoad ſubſtantiam, ſub ente creato ſupernaturali comprehenſa, noſtris elucubrationibus illuſtrentur. Remoueo à noſtris diſputationibus ſupernaturalia ſecundùm quid, quia talis ſupernaturalitas nimis fuſā eſt, nullumque eſſet ens, de quo non eſſet inſtituenda diſputatio. Etiam ſeparo ſupernaturalia quoad modum, quæ ſolum aduoco in lucem, vt ſupernaturalibus quoad ſubſtantiam ſeruire poſſunt, quia ſupernaturalitas modalis apud ſacros Scriptores, Concilia, & Patres, noſtræque ætatis Theologos rara eſt, plurimæque contentioni de vocibus ſubiecta; & ſupernaturalia quoad ſubſtantiam ſeorſim ab alijs iure vendicant diſputationem, ac lucem.

Seorſim à Deo.

2. Item prætermitto, ſupernaturalia quoad ſubſtantiam, prout complectuntur Deum, quia ſupernaturalitas entitatiua communis creaturis cum Deo valdè analoga eſt, & apud Theologos parum conſtans. Etenim Deo ſola competit ſupernaturalitas dignitatis, omnem naturam nobilitate, ac perfectione excellens; quæ creaturis communis non eſt, cum plura entia ſupernaturalia creata à pluribus naturalibus nobilitate, ac perfectione entitatiua vincantur, vt ſtatuemus diſp. 21. ſect. 2. Creaturis verò ſola competit ſupernaturalitas exigentiæ, ac virtutis omnem ſuperans virtutem, & exigentiam naturæ quæ Deo non eſt communis, cum Deus nulla virtute producatur, & ab omnibus creaturis exigatur. Quare, cùm Deus ſupernaturalis dignitate dicitur, non ſolum naturalia, ſed etiam ſupernaturalia creata antecellit: cùm verò ab exigentia naturæ naturalis ponitur, ab entibus creatis ſupernaturalibus non exceditur. Satius igitur erit naturalia, & ſupernaturalia ſeiuncta ab omni reſpectu Dei ad creaturas, & creaturarum ad Deum, explanare, quandoquidem Deus compoſitus cum creaturis, æquè ſupernaturalia, ac naturalia tranſcendit: creaturæ verò compoſitæ cum Deo, æquè naturalia ac ſupernaturalia, eius exiſtentiam ac virtutem deſiderant. Neque re vera ij, qui Deum adſtruunt entitate ſupernaturalem, aliquam Deo tribuunt excellentiam ſupra naturam, quam palam non fateantur, qui entitate naturalem prædicant, neque ab his aliqua Dei aſſeritur propinquitas, cum natura, quam illi negare queant. Ideò variè à pleriſque Deus naturalis, & ſupernaturalis prædicatur: naturalis quidem, quia exigentiæ naturæ nihil naturalius eſt; ſupernaturalis verò, quia perfectionis excellentiâ nihil ſupernaturalius, ac ſublimius. Deo tribuunt eſſe naturale, Auguſtinus, Hugo Victorinus, Nicetas, Lactantius, Plato, Seneca, Proſper, Damianus, Thomas, & alij quos recenſuimus Diſput. præcedenti num. 3. & 12. & plures Theologi, præſertim recentiores, cum P. Salas in manuſcriptis de gratiâ. Eſſe ſupernaturale verò tribuunt Damaſcenus lib. 3. de fide cap. 15. & lib. 4. cap. 12. Dionifyus de Diuinis nominibus cap. 2. p. 2. S. Thomas 3. p. q. 76. art. 7.

Non eſt ſubiecta diſputationi Theologicæ ſupernaturalitas Dei.

Plures prædicant Deū entitatem naturalem.

Auguſtinus. Victorinus. S. Thomas. P. Salas.

Plures ſupernaturalem.

Damaſcenus. Dyoniſius. S. Thomas. P. Arrubal.

Digitized by Google

in corpore cum P. Arrubal 1. p. d. 21. n. 20. & alijs Neotericis.

Sola entia ſupernaturalia creata ſunt noſtri operis ſubiectum.

3. Itaquè ſolum ens creatum ſupernaturale quoad ſubſtantiam, in meas diſput. voco ſecundùm rationem ſupernaturalitatis, omnibus creatis communem, quin ad ſingulares differentias, quas Magiſter in lib. Sententiarum, & S. Thomas in ſumma Theologica differunt, ex profeſſo deſcendamus, niſi prout expedierit ad firmandam doctrinam eorum, quæ in genere de ente ſupernaturali creato declaramus, vt ſoletque eſt ijs, qui communem aliquam rationem expendunt, quæ plerumque omnino conſtare non poteſt, quin etiam conſtet, differentias ipſius, prædicatis, quæ de communi ratione demonſtramus, minimè repugnare. Quin Ariſtoteles, & omnes ſcientiarum inuentores inter modos ſciendi, quibus ſubiectum ſcientiæ patefaciunt, vtuntur potiſſimùm diuiſione, quæ membrorum diuidentium explicatione, nō minùs quam definitione ſubiecti, & demonſtratione proprietatum, plenam rei notitiam aſſequitur. Sic Metaphyſicus, cuius ſubiectum eſt ens in communi, differit de Deo, & Angelis, de ſubſtantia, & accidenti, alijſquè generalibus differentijs entis, quas decem prædicamenta complectuntur: Animaſticus, cuius ſubiectum eſt anima in communi, diſputat de anima ſentiente, vegetante, & intelligente: Phyſicus verò, cuius ſubiectum eſt ens naturale, inſtituit diſputationes de corpore cæleſti, & ſublunari. Similiter igitur & nos agentes de ente ſupernaturali creato in communi, agemus de actibus, habitibus, & auxilijs intrinſecè ſupernaturalibus, in genere; particulares ipſorum differentias, vt actus viſionis beatæ, & charitatis, habitus fidei, & ſpei, auxilij efficacis, & ſufficientis, ac ſimiles, frequentibus Theologorum elucubrationibus relinquentes. Etenim entia creata quoad ſubſtantiam ſupernaturalia, ſecundùm communes iſtas rationes digna ſunt, in quæ ſtudia, ac meditationes Theologorum incumbant, rectaquè methodus doctrinæ vendicat, vt ſeorſim à differentijs, quæ iure alias diſputationes occupant, in lucem prodantur: vt dicebamus proxmij num. 4. Igitur ſubiectum noſtri laboris, ac operis materia, in quam ſtudia noſtra inſudabunt, ſola erunt entia creata quidditatiuè ſupernaturalia, ſecundùm communem ſupernaturalitatis excellentiam.

SECTIO SECVNDA.

Exiſtentia ſubiecti.

4. POrrò modò huius ſubiecti exiſtentiâ ponenda eſt potius, quam probanda, cum nullus iam Theologorum ſit, qui aliqua dona intrinſecè ſupernaturalia hominibus conceſſa inficietur. Neque talis exiſtentia demonſtrari poteſt, niſi ex principijs fidei, cum nulla principia naturæ tantam donorum ſublimitatem teſtari valeant, vt ſequentibus oſtendemus. At principia fidei nihil de donis ſupernaturalibus in genere, ſed ſolùm in ſpecie teſtantur. Quarè ab exiſtentia donorum ſpecialium arguenda eſt exiſtentia communis entis ſupernaturalis. Vnde ſic arguo. Exiſtunt re ipſa vnio hypoſtatica naturæ humanæ cum diuina, viſio beata, lumen gloriæ, gratia iuſtificans, habitus, & actus fidei, ſpei, & charitatis, aliarumque virtutum moralium. Sed omnia iſta ſunt quoad ſubſtantiam ſupernaturalia. Ergo exiſtunt reipſa entia quoad ſubſtantiam ſupernaturalia. Conſequentia bona eſt. Maior & minor, ex alibi probandis ponendæ, importunè enim nunc probarentur. Ex principijs fidei oſtenditur exiſtentia ſubiecti.

5. Confirmatur. Dona intrinſecè ſupernaturalia, quæ hominem promoueant in finem ſupernaturalem, poſſibilia ſunt. Aliunde eſt indubitatum Deum euexiſſe hominem in finem ſupernaturalem. Ergo indubitatum eſſe debet, conceſſiſſe illi dona, quæ congrua & neceſſaria ſunt, vt in talem finem perducatur. Inſuper dona ſupernaturalia non repugnant. Aliundè habemus ex 2. Petri 1. *Diuina virtute, ad vitam, & pietatem, maxima, & pretioſa nobis promiſſa donata, per quæ diuinæ efficimur conſortes naturæ.* Ergo reipſa dona intrinſecè ſupernaturalia donantur. Ea enim ſola, ſi quæ ſupra naturæ exigentiam ac facultatem, largitate ac virtute diuina nobis dantur ad vitam & pietatem Chriſtianam, vt Diuinæ efficiamur conſortes naturæ, ideoquè per antonomaſiam, *maxima, & pretioſa promiſſa Dei*, merentur appellari. Hæc leui meditatione attigiſſe, ſufficiat, dum ſuis quæque locis vberius demonſtrantur. Confirmatur. 2. Petri 1.

DISPVTATIO TERTIA.

QVÆNAM SIT NATVRA SVPRA QVAM ens ſupernaturale conſtituitur.

EXPOSVIMVS ſignificatum vocis naturæ. Nunc rem ipſam vſurpatione Theologica contentam proponimus explanandam.

Digitized by Google

SECTIONES.

1. *Aliorum ſententiæ de Theologica vſurpatione Naturæ.*
2. *Propria ſententia.*
3. *Argumenta contra noſtram ſententiam.*
4. *Alius modus explicandi Theologicè Naturam.*

SECTIO PRIMA.

Aliorum ſententiæ de Theologica vſurpatione Naturæ.

Quædam omnino certa.

1. IN primis autem certum eſt, Naturam, ſupra quam Ens ſupernaturale collocatur, non eſſe eam, quæ fuſa deriuatione vocis, eſſentiam & quidditatem ſignificat. Nam Ens quoque ſupernaturale, eſſentiâ & quidditate gaudet, quam inſtituto opere explicare contendimus. Secundò, certum eſt, eam Naturam non eſſe Deum; quandoquidem nulla res creata eſt, quæ virtutem, & excellentiam Dei ſuperare queat. Tertiò, non eſſe vniuerſitatem omnium rerum creatarum. Etenim inter entia creata plura accidentia ſunt ſupernaturalia, vt habitus infuſi, ſupra quæ alia ſupernaturalia accidentia, vt ipſorum actus, non eleuantur. Quartò, exploratum eſt, ens ſupernaturale ſuperare naturam, prout natura ſubſtantias incompletas iuxta Philoſophum, & prout ſubſtantias completas nunc exiſtentes iuxta Metaphyſicum complectitur. Nam ea, quæ his ſubſtantijs congenita ſunt, earumque virtutem, & exigentiam non excedunt, inter entia naturalia, ſupernaturalibus oppoſita Eccleſiæ Patres recenſent, vt contra Pelagium docuerunt cum Auguſtino Patres Africani Epiſt. 95. Ergo tota inquiſitio eò fertur, an natura, ſupra quam ens ſupernaturale effertur, ſolas ſubſtantias nunc exiſtentes, & earum accidentia; an etiam poſſibiles comprehendat? & quóuſque eius ſignificatio porrigatur?

Sententia P. Coninck.

2. Igitur Pater AEgidius Coninck, diſp. 4. de actibus ſupernaturalibus num. 9. & alij recentiores in diſputationibus quotidianis aſſerere videntur, naturam, cum qua ens ſupernaturale confertur, ſolam collectionem ſubſtantiarum nunc exiſtentium, & accidentium ipſis connaturalium complecti. Argumentum eſſe poteſt. Quia notionem ſupernaturalium tantum ex Concilijs, ac Patribus Eccleſiæ habemus: Concilia autem, ac Patres Eccleſiæ ſolum cum ſubſtantijs nunc exiſtentibus, earumque facultatibus, dona ſupernaturalia conferre ſolent.

... batur. Primò.

3. Hæc ſententia non placet. Nam ad ſupernaturalitatem non ſufficit ſubſtantias nunc exiſtentes, & earum accidentia ſuperare. Tum quia ſi quis aſſereret, gratiam iuſtificantem, lumen gloriæ, & reliqua dona ſupernaturalia, omnibus ſubſtantijs poſſibilibus exiſtentium perfectionem excedentibus, connaturalia eſſe; non audiretur impunè in Catholicorum ſcholis, quamquam collectionem omnium exiſtentium ſuperare tueretur. Ergo ad ſupernaturalitatem, vltra ſubſtantias exiſtentes, poſſibiles etiam vincendæ ſunt. Tum quia plures Angeli poſſibilium ſuperant omnes ſubſtantias, & facultates nunc exiſtentes. Tamen omnes Angeli Secundò. ſic ſuperantes facultatem exiſtentium, ſupernaturales non ſunt. Igitur vltra collectionem ſubſtantiarum, ac facultatum non exiſtentium entia ſupernaturalia conſtituenda ſunt.

4. Dices ex doctrina Patris Coninck, ſubſtantias Angelicas poſſibiles aliunde ab ordine ſupernaturali excludi, videlicet quia entia abſoluta ſunt, & non reſpectiua, quæ ſola gradum entium ſupernaturalium efficiunt. Sed contra. Saltim accidentia Angelorum poſſibilium propria, reſpectiua ſunt. Tamen non ſunt ſupernaturalia, quamquam omnem facultatem ſubſtantiarum, ac proprietatum exiſtentium excellant. Ergo ſupernaturalitas accidentis cum ſubſtantijs ſolum exiſtentibus comparanda non eſt.

5. Deinde Angelus poſſibilis comparari poteſt cum exiſtentibus reſpectu inæqualitatis, ac præſtantiæ; nam ſi ponatur exiſtens, omnes nunc exiſtentes ipſarumque facultates ſuperabit. At ens non dicitur ſupernaturale per reſpectum tranſcendentalem, ſed tantum prædicamentalem ad naturam: ergo Angelus capax eſt illius reſpectus, qui ſupernaturalitatem conſtituit. Probatur minor; ens ſupernaturale in primis non eſt ſupernaturale, per reſpectum tranſcendentalem ad vniuerſam naturam: nam gratia, & gloria tali reſpectu non referuntur ad lapidem, qui ambitu vniuerſæ naturæ continetur. Nec item ſolùm per reſpectum tranſcendentalem ad vnam partem naturæ, verbi gratia, ſubſtantiam, cui ineſt: tametſi enim ſubiectum, quod perficit, excellat; ſi aliorum ſimul facultate ſuperius non ſit, minimè ad ordinem ſupernaturalium pertinebit. Supernaturale igitur non dicitur ens ex reſpectu tranſcendentali, ſed tantum prædicamentali ad vniuerſam naturam: cuius reſpectus Angelus poſſibilis capax eſt.

6. Explicatur. Si apprehendatur exiſtens Diſp. aliqua ſubſtantia, cui gratia iuſtificans connaturalis ſit (quam abſolute non repugnare oſtendam diſp. vltima huius libri) eo ipſo apprehenditur ſupernaturalis. At ſolo reſpectu prædicamentali ſuperioritatis, & excellentiæ, ſub ea conditione, & reſpectu talis ſubſtantiæ apprehenditur ſupernaturalis. Ergo ſolo prædicamentali excellentiæ reſpectu, comparatur cum natura ens ſupernaturale. Rurſus, excellentia entitatis abſolutæ ſupra ſubſtantias nunc exiſtentes, non ſufficit ad ſupernaturalitatem ſubſtantiæ. Ergo neque excellentia entitatis reſpectiuæ ſupra eaſdem ſubſtantias ad ſupernaturalitatem accidentis ſufficiet. Nam ſi entitas abſoluta ſubſtantiæ obtinet excellentiam, quæ

Digitized by Google

entitas reſpectiua accidentis prædicatur ſupernaturalis, cur ſubſtantia ratione maioris perfectionis, cui in entitate abſoluta talis excellentia coniungitur, à merito, ac perfectione ſupernaturalitatis excludenda eſt? Altius igitur natura efferenda eſt, cum qua ens ſupernaturale comparetur.

Diluitur argumentũ contrariæ opinionis.

7. Ad argumentum repondeo. Concilia, ac Patres Eccleſiæ, explicitè quidem, cum ſubſtantijs ſolum exiſtentibus dona ſupernaturalia conferunt; quia aduerſus Hæreticos definiunt, qui viribus naturæ intellectualis nunc exiſtentis ea dona obtineri poſſe contendunt. Verum implicitè ſubſtantias etiam poſſibiles, in eodem ordine cum exiſtentibus conſtitutas, comprehendunt. Siquidem aduerſus eorum doctrinam adſtrueret, qui lumen gloriæ, gratiam iuſtificantem, & cætera ſupernaturalia dona omnibus intelligentibus ſubſtantijs, quæ nunc exiſtentibus virtute, ac perfectione præſtarent, naturalia, ac debita aſſereret. Itaque præter ſubſtantias nunc exiſtentes, poſſibiles etiam, naturæ ordinem complent. Cæterum quænam illæ ſubſtantiæ ſint, in noſtram diſputationem adducimus.

Alia ſententia.

8. Conſenſus aliorum doctorum in eam ſententiam incubuiſſe videtur, quæ vſurpatione naturæ omnem ſubſtantiam, tam creatam, quam creabilem comprehendit, adeoque ſupernaturale donum omnium ſubſtantiarum, etiam poſſibilium meritum, & exigentiam ſuperare arbitratur. Ita Caietanus 1. parte quæſtione 12. ad articulum 4. Pater Arrubal. 1. parte diſp. 20. numero 21. Pater Iannerus, Io. 1. Diſp. 2. quæſt. 6. num. 4. Pater Faſolus 1. parte. quæſt. 12. art. 4. num. 20. P. Granadus. 1. 2. controu. de gratia tr. 4. diſp. 8. Tum quia nulla eſt ſubſtantia, quæ non ſit primum principium motus, & quietis, quod ab Ariſtotele, 2. Phyſicorum textu. 3. vſurpatur natura. Tum quia D. Thomas. 1. 2. quæſt. 10. art. 1. corp. ait. *Natura dicitur qualibet ſubſtantia, & ſecundùm hoc illud dicitur eſſe naturale, quod conuenit rei ſecundùm ſuam ſubſtantiam.* Item quæſt. 110. art. 2. ad 2. *Omnis ſubſtantia, vel eſt ipſa natura rei, cuius eſt ſubſtantia, vel eſt pars naturæ; & quia gratia eſt ſupra naturã humanam non poteſt eſſe quod ſit ſubſtantia, aut forma ſubſtantialis.* In quibus locis ſanctus Thomas naturam cum ſubſtantia vniuerſim conuertit. Tum denique, quia natura, ſupra quam effertur ens ſupernaturale, non eſt ſola collectio ſubſtantiarum exiſtentium; ergo præter collectionem exiſtentium complectitur etiam collectionem omnium poſſibilium, cum inter poſſibiles ſubſtantias electionem, & diſcrimen inuenire non ſit.

Caietani. P. Arrubal. P. Ianneri. P. Faſoli. P. Granadi. Ariſtoteles D. Thoma.

Reijcitur. Primo.

9. Etiam hæc ſententia diſplicet. Primò, quia non repugnat ſubſtantia, cui gratia iuſtificans connaturalis ſit. At talis ſubſtantia erit ſupernaturalis, quin omnem ſubſtantiam creatam, & creabilem excellat, ergo natura, quam ens ſupernaturale excellit, omnem ſubſtantiam creabilem non complectitur. Maiorem, diſputatione vltima huius libri oſtendemus. Minor, & conſequentia conſtant. Secundò, quia priuſquam in diſputationem adducatur, an poſſibilis ſit ſubſtantia ſupernaturalis? Supponi debet inter ſapientes Theologos ea vſurpatio naturæ, & entis ſupernaturalis, quæ controuerſiam inter omnes Theologicas celeberrimam, ridiculam non efficiat. Prius enim quam de vnione prædicati cum ſubiecto diſſeratur, ſupponi debet congrua vtriuſque ſignificatio, & cognitio: vt cum diſſeritur, an Deus poſſit efficaciter prædefinire? aut ſtrictam iuſtitiam exercere? ſupponi debet definitio prædefinitionis, & iuſtitiæ, quæ controuerſiam de re, & non de ſolis vocibus reddat. At ſi vſurpatione naturæ, ſupra quam exiſtit ens ſupernaturale, ſupponatur intelligi omnis ſubſtantia creabilis, tota diſputatio de ſolis vocibus, & prorſus ridicula efficitur, vt bene notauit Goncalez contra P. Arrubal. 1. parte diſp. 26. numero 22. Ridiculum enim eſt quærere, an poſſibilis ſit ſubſtantia, quæ ſit ſupra omnem poſſibilem ſubſtantiam? nec qui talem ſubſtantiam negat, in ea ſignificatione vocis ſubſtantiam ſupernaturalem negare poteſt? ergo vſurpatione naturæ, cum qua ens ſupernaturale comparatur non eſt, omnis ſubſtãtia, etiã poſſibilis accipienda. Præſertim cum iſti authores, hac naturæ voce omnẽ ſubſtantiam poſſibilem vſurpent, vt ſubſtantiam ſupernaturalem repugnantem efficiant: eò autem repugnantem efficiunt, quia naturæ voce omnis ſubſtantia poſſibilis intelligenda eſt, vitioſo quodam circulo manifeſtùm petente principium. Tertiò, denique quia eodem pacto poſſemus gratiam iuſtificantem, & lumem gloriæ ſupernaturalia negare: nam ſicut nonnunquam natura ſubſtantiam ſignificat, etiam nonnumquam ſignificat quiddititatem, & eſſentiam cuiuſcunque rei, ſupra quam tamen naturam nulla planè dona exiſtere poſſunt. Tam inconſtans igitur vſurpatio naturæ, argumento eſſe nequit certam ſignificationem rei, quam nunc inquirimus, ſtatuendi. Præſertim cum apud antiquos nulla, & apud recentiores vlx aliqua controuerſia hac de re huc vſque viſa ſit.

Secundo. Goncalez. Tertio.

Diſſoluuntur argumenta cõtraria.

10. Quare ad primum argumentum reſpondeo. Ariſtoteles 2. Phyſicorum, non definit naturam, vt ab ordine ſupernaturali, ſed vt à rebus tranſnaturalibus diſtinguitur: quinimo nec in ea latitudine naturam ſumit, quæ omni ſubſtantiæ congruere poſſit. Nam vt meliores Philoſophi interpretantur, illud ſolum principium motus definit, quod partibus ſubſtantialibus cõpoſiti naturalis, materiæ ſcilicet, & formæ commune eſt, id quod fusè in opere noſtro Metaphyſico exponemus. Igitur ex ea vſurpatione naturæ perperam ſub natura, cum qua ordo ſupernaturalis confertur, omnis ſubſtantia poſſibilis comprehenditur. Ad ſecundum reſpondeo. Diuus Thomas in eis locis non vſurpat naturam in ſtricta ſignificatione Theologica, qua natura ab ente ſupernaturali diſcernitur; ſed in lata, ac tranſcendenti Dialectica, ſeu Metaphyſica: in qua natura pro eſſentia cuiuſque rei, & determinatè pro eſſentia ſubſtantiali ſuppoſiti; & id quod eſt ſecundùm eſſentiam, pro eo quod eſt ſecundùm ſubſtantiam & naturam, dici conſueuit: vt eo pacto quælibet ſubſtãtia ad eſſentiam ſuppoſiti,

gratia

Digitized by Google

gratia verò, quæ eſt extra illius eſſentiam ad accidentia pertinere conuinceret. Ad tertium nego cōſequentiam, quia inter ſubſtantias poſſibiles nōſtra ſententia manifeſtum aſſignabit diſcrimen, quod ſectione ſequenti videbimus.

Opinio P. Hurtado.

11. Ideo Pater Hurtado, quem ſemper magiſtrum veneratus ſum, in manuſcriptis de Viſione Dei Diſputatione ſeptima, ſectione prima, tuetur, naturā ſupra quam ens ſupernaturale eleuatur, eſſe quamuis ſubſtantiam exiſtentem, & poſſibilem impotentem ſuis viribus videre Deum. Admittit enim poſſibilem ſubſtantiam ſupernaturalem, quæ ſuis viribus abſque eleuatione intueatur Deum; omniaque entia ſupernaturalia conſtituit in ordine videndi Deum, naturalia verò, quæ ad eum ordinem non perueniunt.

Improbatur.

12. Sed non acquieſco. Nam actus fidei, ac ſcientiæ infuſæ ſunt ſupernaturales. At hi actus non ſunt ſupra omnem ſubſtantiam impotentem ſuis viribus videre Deum; ergo natura ſupra quam poſitum eſt ens ſupernaturale, non eſt omnis ſubſtantia ſuis viribus impotens videre Deum. Probatur minor. Non repugnanti ſubſtantia ſupernaturali, vt Pater Hurtado ponit, non repugnat ſubſtantia æquiualens perfectione, ac virtute ſoli complexo, quod ex intellectu & lumine fidei, aut ſcientiæ infuſæ cum habitibus ſpei, & aliarum virtutum moralium, quibus iuſtus in via inſtructus eſt, ſeorſim ac lumine gloriæ conſtituitur. Videlicet ſubſtantia quæ ſolum efficere valeat actus fidei, & aliarum virtutum, quibus iuſtus viator præditus eſt, non valens ſine eleuatione viſionem Dei efficere, quam homo ſuperioribus præſidijs elicere non valet. In ea enim ſubſtātia ſic determinata, non eſt maior repugnātia, quam in ſubſtātia continenti perfectionem intellectus & luminis gloriæ, vt diſputatione vltima ſectione prima videbimus. At actus fidei & ſpei, eliciti ab ea ſubſtantia non eſſent ſupra omnem ſubſtantiam ſuis viribus impotentem videre Deum; cum ſubſtantia in cuius virtute continerentur, ad videndum Deum eleuatione, ac lumine ſuper addito, indigeret. Ergo.

SECTIO SECVNDA.

Propria Sententia.

13. MElius igitur explicatur Theologica vſurpatione natura; ſi ea dicatur, eſſe collectio ſubſtantiarum nunc exiſtentium, earumque poſſibilium, quæ exiſtentibus annexæ, & affines ſunt. Illis autem poſſibilibus exiſtentes affines, & annexæ ſunt, quibus repugnantibus aliquæ exiſtentium neceſſariò repugnarent propter ordinem tranſcendentalem, quo in eas referuntur. Hæ verò ſunt, quæ intra vires naturales exiſtentium Phyſicas, aut intentionales quidditatiuè continentur. Illas ſubſtantias contineri quidditatiuè, intra vires Phyſicas exiſtentium intelligo, quæ quoad ſuam eſſentiam virtute naturali exiſtentium adæquate, aut inadæquate fieri poſſunt. Illas verò contineri quidditatiuè intra vires naturales intentionales, quæ ab aliqua exiſtentium cognitione ſibi naturali quidditatiuè poſſunt attingi.

14. Qua ratione Angeli poſſibiles exiſtentibus præſtantiores ſupra naturam non ſunt, quia ſaltim intra vires intentionales exiſtentium quidditatiuè continentur. Nam eſto, non poſſint ab Angelis exiſtentibus comprehendi, tamen poſſunt, ſi exiſtant, quidditatiuè, & intuitiuè cognoſci, nam animus ſeparatus, & Angelus inferior de facto. Angelos ipſis perfectiores viribus, proprijs quidditatiuè, & intuitiuè cognoſcunt. At ſubſtantia valens viſionem Dei, aut actum fidei, aliumve actum ſalutarem ſuis viribus efficere, erit ſupra naturam, ac ſupernaturalis; quia talis ſubſtantia nec intra vires naturales Phyſicas, neque intra vires intentionales exiſtentium quidditatiuè continetur. Vt enim modò gratia iuſtificans, habitus luminis gloriæ, charitatis & fidei, viribus proprijs exiſtentium nec fieri, nec quidditatiuè cognoſcuntur, ſic nec ſubſtantia illa, virtute ac perfectione æquiualens his ſupernaturalibus donis, ſi poſſibilis eſſet, virtute naturali exiſtentium, aut fieri, aut cognoſci quidditatiuè poſſet. Denique opportunus locus datur diſputationi de ſubſtantia ſupernaturali. Dubitari enim meritò poteſt; an poſſibilis ſit ſubſtantia, adeò eleuatæ perfectionis, quæ ſicut gratia iuſtificans, & reliqua dona ſupernaturalia, ob ſui excellentiam ſuperantem vires Phyſicas, & intentionales ſubſtantiarum exiſtentium, ad altiorem ordinem pertineat? vt enim vtraque virtus naturalis, tam Phyſica, quam intentionalis, in ordine ad accidentia limitatis: an in ordine ad ſubſtantias quoque limitari poſſit? dubitationi ſubiectum eſt.

Noſtræ ſententiæ opponūtur plura.

15. In hunc explicandi modum adducor. Primo, quia in propoſita re, alium probatiorem non inuenio. Secundò, quia nullum agnoſcitur ens ſupernaturale, quod non ſuperet naturam ſic explicatam, gratia enim, & gloria, aliáque accidentia, quæ Theologi agnoſcunt ſupernaturalia, non ſolum ſupra collectionem ſubſtantiarum exiſtentium, ſed earum etiam poſſibilium, quæ in virtute, & ordine exiſtentium continentur, longiſſimè eleuantur. Deinde nullum admittitur ens naturale, quod ſupra naturam ſic explicatam poſitum ſit. Nam ſi ens naturale ſit ſubſtantia, poterit planè ab Angelis nunc exiſtentibus, aut ſaltē poſſibilibus, qui ſine fine perfectiores, & perfectiores intra connexionem exiſtentium creari poſſunt, quidditatiuè cognoſci. Si accidens ſit, alicui ſanè ſubſtantiæ, quæ in collectione explicata contineatur, connaturale erit. Natura igitur cum qua ens ſupernaturale confertur, modò explicato accipienda eſt. Cum eo quidem modo entis naturalis, ac ſupernaturalis diſcrimen conſtantiſſimum ſit.

Probatur primo.

Probatur ſecundo.

16. Tertiò, à priori notio naturæ, quam entia ſupernaturalia excellunt, ex Concilijs, ac Patribus Eccleſiæ, qui primùm dona ſupernaturalia nouerunt, inueſtiganda eſt. Ex his autem notio prædicta naturæ colligitur: ergo. Probatur minor. Licet Concilia, Patres, ac

Probatur tertiò.

B

Theologi, expreſſè quidem ſolùm ſupra ſubſtantias nunc exiſtentes, dona ſupernaturalia conſtituât, tamen negari non poteſt, implicite, etiam ſuprà aliquas poſſibilium exiſtentibus præſtantiores collocare, vt contra primam ſententiam dicebamus. At hæ ſubſtantiæ non poſſunt eſſe aliæ, quam quæ exiſtentibus ordine tranſcendentali explicato affines ſunt. Ergo præter ſubſtantias exiſtentes, illæ poſſibiles naturam complent, quæ ordine tranſcendentali explicato, exiſtentibus affines, & connexæ ſunt. Probatur minor. Subſtantiæ ſuperantes ordinem, & connexionem exiſtentium, ad quas ſiue efficiendas, ſiue quidditatiuè cognoſcendas, collectio ſubſtantiarum exiſtentium virtute diuina eleuari debet, in ordine quidem ſubſtantijs nunc exiſtentibus longe præſtantiori, excellentiamque, quã Theologi entibus ſupernaturalibus tribuunt, participanti conſtituræ ſunt: quæ vero intra ordinem tranſcendentalẽ, & connexionem exiſtentium comprehenduntur, affinitatem, quam Theologi entibus naturalibus adſcribunt, præ ſe ferunt. Igitur ſubſtantiæ poſſibiles, quæ implicite vſurpatione Theologorum, ac Patrum ſub natura clauduntur, ſunt, quæ nunc exiſtentibus ordine explicato affines & connexæ ſunt. Confirmatur, vel nullus Angelus poſſibilium vſurpatione naturæ notatur, vel omnes ſubſtantiæ poſſibiles modo explicato nunc exiſtentibus affines notari debent. Nam Angelus poſſibilis ad ordinem exiſtentium exſpectans, nullam, præter à nobis aſſertam, cum exiſtentibus (cum quibus ſolis Theologi, & Patres entia ſupernaturalia huc vſque contulerunt) affinitatem & connexionem habent, vt bene conſideranti conſtabit. Ergo vel nulla ſubſtantia poſſibilium, vel omnes à nobis aſſertæ Theologica naturæ vſurpatione veniunt.

Confirmatur.

SECTIO TERTIA.

Argumenta contra noſtram ſententiam.

Primum argumentum.

17. ARgui primo contra ſuperiorem ſententiam ſic poteſt. Aſſertores entium ſupernaturalium fuerunt Patres Eccleſiæ, & priſci Theologi. Incredibile autem eſt, eos conſideratione adeo Metaphyſica entia ſupernaturalia ſupra naturam aſſeruiſſe. Igitur ſuperiori conſideratione, natura ſupra quam dona ſupernaturalia ſublimantur, explicanda non eſt? Reſpondeo. Explicite quidem Patres Eccleſiæ, ac priſci Theologi eam naturæ conſiderationem non fecerunt. Fecerunt autem implicite, dona ſupernaturalia ſupra ſubſtantias nunc exiſtentes, & omnes etiam poſſibiles exiſtentibus affines eleuantes. Nam hæc affinitas, quam illi non explorarunt, nullo aptiori modo, quam ordine Phyſico, & intentionali à nobis explicato, Theologicè deſcribi poteſt. Connexionem quidem continentiæ Phyſicæ ad hanc affinitatem pertinere, exploratum eſt. Connexionem autem continentiæ intentionalis exſpectare poſſe, facile ex eo probatur; tum quia plures ſubſtantiæ naturales nunc exiſtentes, & poſſibiles, nempe Angeli nulla alia connexione, quàm intentionali explicata, naturæ ordinem efficiunt: cum Angeli Angelos virtute Phyſica minimè contineant. Tum quia ſicut excellentia effectuum, excellentiæ cauſæ teſtimonium eſt; ita excellentia obiectorum formalium, quæ quidditatiua cognitione referuntur, excellentiæ quoque potentiæ cognoſcentis eſt argumentum, illiuſque ordinem, & perfectionem teſtatur. Aque adeo, ſicut virtus Phyſica efficiens entitatis naturalis creatæ in limitatam, ſibique proportionatam effectuum perfectionem refertur; ita virtus quidditatiuè cognoſcens potentiæ naturalis limitatam, ſibique proportionatam obiectorum formalium excellentiam contemplatur. Theologis autem vſitatum eſſe, plura, quæ fides, Concilia & Patres Eccleſiæ, Primoreſque Doctorum ſimplici aſſertione tradunt, Metaphyſica conſideratione enucleatiùs explicare atque rueri, is tantum ignorabit, qui de iuſtitia Dei, de hominum Prædeſtinatione, de generatione Verbi, de ſatisfactione Chriſti, & alijs ſimilibus ſacramentis fidei, ſubtiles, ac Metaphyſicos Theologorum diſcurſus non aſſequitur.

Diluitur.

18. Secundò argues. Cognitione probabili naturæ aſſequimur dona ſupernaturalia. Ergo dona ſupernaturalia non ſunt extra connexionem entitatiuam, & ordinem tranſcendentalem naturæ; ac per conſequens naturæ limites perperam connexione iſta entitatiua, ac ordine tranſcendentali diffiniuntur. Etenim cognitio probabilis cum ſuo obiecto ordine tranſcendentali connectitur. Nego conſequentiam. Nam cognitio probabilis cum ſuo obiecto ordine tranſcendentali non connectitur. Cum enim intrinſecè vera non ſit, & ex ſe falſitati ſubjaceat; poteſt quoad entitatem eadem perſeuerans obiecti exiſtentiam, & poſſibilitatem, etiam obiecto non exiſtente, & repugnante, denunciare. Si autem ordine tranſcendenti connecteretur obiecto, non poſſet cognitio, obiecto non exiſtenti, & repugnanti, eadem permanere. De quo iterum, Diſputatione, 32. & fuſius in Methaphyſicæ tractatu de veritate cognitionis. At cognitio quidditatiua obiecti ex natura rei vera eſt, & obiecto intrinſecè connexa. Ideo cognitione quidditatiua naturæ præſcribi poſſunt limites ordinis naturalis, qui cognitione probabili, & omni vniuerſim cognitione non poſſunt.

Secundum argumentum.

Explicatur.

19. Tertiò; non repugnat ſubſtantia naturalis ſuperans cognitionem quidditatiuam, & immediatam ſubſtantiæ, intellectiuæ nunc exiſtentis, ergo vniuerſa natura vltra connexionem quidditatiuam, & intentionalem ſubſtantiarum nunc exiſtentium porrigitur. Quandoquidem omnis ſubſtantia naturalis, etiam poſſibilis naturæ limitibus concluditur. Antecedens probatur. Virtus quidditatiuè cognoſcens ſubſtantiæ intellectiuæ nunc exiſtentis finita eſt. Exceſſus autem, quo perfectione creſcunt Angeli poſſibiles, eſt infinitus; nullus enim creari poteſt adeo perfectus, vltra quem alius, & alius ſine fine præſtantior creari non poſſit.

Tertium argumentum.

Digitized by Google

Ergo ad eam Angeli præſtantiam perueniri poteſt; quam virtus limitata cognoſcens, ſubſtantiæ nunc exiſtentis non attingat. In eo enim quæ impugnantia?

Soluitur. 20. Reſpondeo primo. Poteſt eſſe limitata vis immediate, & quidditatiue cognoſcens naturæ intellectiuæ nunc exiſtentis; nullus tamen eſſe Angelus inter infinitos poſſibiles, quem ſuis viribus aſſequi cognitione immediata non valeat. Quamuis enim omnes ſubſtantias naturales poſſibiles quidditatiue aſſequatur: eo ſolum quod Deum, aut dona ſupernaturalia immediate non attingat, limites habet, vnde ſuapte natura finita ſit. Sicut eadem diſnita eſt, quamuis omnes formas naturales corporeas ſine fine perfectiores quidditatiue cognoſcat. Ratio eſt; quia omnes ſubſtantiæ naturales non ſunt, cathegorematice, ſed ſincathegorematice ſine fine perfectiores; quia nulla eſt inter omnes poſſibiles, quæ naturalis non ſit, & limitatæ perfectionis; ergo nulla eſt ſupra ſphæram potentiæ naturalis immediate cognoſcentis. Secundò, vt aliqua ſubſtantia ad naturæ ordinem pertineat, ſufficit cum ſubſtantijs nunc exiſtentibus ordine tranſcendentali Phyſico, aut intentionali immediate, aut mediate connecti; hoc eſt, naturę nunc exiſtentis, vel alicuius poſſibilis, qui exiſtenti annexa eſt, ordinem Phyſicum, aut intentionalem terminare. Nulla autem ſubſtantia naturalis poſſibilis eſt, quæ ſaltim non poſſit immediate prænoſci, vel ab Angelis exiſtentibus, vel ab aliquo poſſibilium, qui intra connexionem intentionalem, poſſunt ſine fine perfectiore, & perfectiores creari. Subſtantia enim, quæ eam alte excederet naturam nunc exiſtentem, & omnem aliam poſſibilem, quæ immediate aut mediate exiſtenti annexa eſt, in ordine eleuatiſſimo (qui proculdubio ſupernaturalem pertingeret) collocanda eſſet.

Quartum. 21. Quarto denique argues cum Scoto. Cognitio quidditatiua naturalis poteſt aſſequi euidenter dona ſupernaturalia. Ergo, quæ cognitione quidditatiua, exiſtenti naturæ annexa ſunt, eiuſdem naturæ ambitum excedere poſſunt. Antecedens negandum eſt; De quo fusè contra Scotum diſp. 10. & 11. dicemus.

SECTIO QVARTA.

Alius modus explicandi Theologice naturam.

Explicatur ſententia. 22. CVi ſuperior explicatio minùs placuerit, aliam faciliorem dabimus. Ponat ex diſputatione ſequenti primarium, & abſolutum entium ſupernaturalium conceptum connexione Phyſica, aut intentionali, immediata, aut mediata, cum gratia iuſtificanti conſtitui. Itaque naturam, ſupra quam entia ſupernaturalia conſiderantur, aſſerat eſſe collectionem omnium ſubſtantiarum, & accidentium tam exiſtentium, quam poſſibilium, quæ nullatenus cum gratia iuſtificante connexa ſunt. Quo etiam dicendi modo, quare Angelus poſſibilis ſupernaturalis non ſit; ſit autem ſupernaturalis ſubſtantia connexa cum gratia iuſtificanti? præſto erit explicare. Item an poſſibilis ſit ſubſtantia ſupernaturalis? hoc eſt ſubſtantia cum gratia iuſtificanti ſuapte ingenio connexa? non vocis, ſed rei diſputatio relinquitur.

Probatur ſententia tribus rationibus. 23. Igitur ordinem naturæ, entibus nequaquam connexis cum gratia, omnino compleri, probatur eiſdem argumentis, quibus ſententia præcedens: Primò, quia non eſt alius explicandi modus probabilior. Secundò, quia eleuari ſupra entia cum gratia non cõnexa, eſt propriũ entium ſupernaturalium; & entibus naturalibus commune non eſt. Tertiò, quia vt diſputatione ſequenti oſtendemus, connexio cum gratia iuſtificanti ſupernaturalitatem conſtituit, ergo naturalitatem, à ſupernaturalitate diſtinctam, excluſiò talis connexionis conſtituet.

Obijciuntur duo. 24. Huic ſententiæ duo poſſunt opponi. Primum, ſupernaturalitatem non rectè connectione cum gratia explicari. Secundum, ipſam gratiam ſupranaturam eſſe; naturam autem ſupra quam extollitur gratia, per ſubſtantiam cum gratia non connexam, declarari non poſſe. Tum quia declararetur idem per idem; cum idem prorſus ſit, ſubſtantiam cum gratia non connecti, ac gratiam ſupra ſubſtantiæ connexionem eſſe. Tum quia præſtantia ſupranaturam in ente ſupernaturali excellens quidpiam ſignificat. Gratiam autem eſſe ſupra ſubſtantiam cum ipſa non connexam excellens quidpiam non eſt, cũ omni accidenti cõpetat, ſupra ſubiectum cum ipſo non connexum exiſtere.

Expeditur. 25. Sed primum diſputatione ſequenti examinandum eſt. Secundum autem facile diluitur. Nam aliud eſt explicare, quænam, quantave ſit pręſtantia rei ſupernaturalis comparata naturæ? aliud quænam ſit illa natura, cum qua talis præſtantia conferenda eſt? Prius modo non expendimus, fusè ſequentibus expenſuri. Poſterius ſolum differimus; illudque extremum, in quod præſtantia rerum ſupernaturalium refertur, nunc in genere aſſerimus, eſſe omnem ſubſtantiam exiſtentem, & poſſibilem, quæ ordine tranſcendentali cum gratia iuſtificanti connexa non eſt. Quam ſubſtantiam vlterius diffinimus eſſe omnem illam, quæ gratia iuſtificanti per impoſſibile repugnanti, adhuc ſecundum entitatem minimè repugnaret. Quibus certe natura per alia nobis notiora, (ſeorſim à relatione præſtantiæ rerum ſupernaturalium propria, quam extra præſentem diſputationem relegamus) ſufficienter exponitur. Quanta autem excellentia ſupernaturalium ſupra iſtam naturam ſit? totius libri progreſſu examinabimus. In quo etiam, an ſubſtantia in genere cum gratia non connexa omnem creabilem ſubſtantiam complectatur? accuratè differemus.

Digitized by Google

DISPVTATIO QVARTA.

EXCELLENTIA ABSOLVTA, PRIMARIVSVE ſupernaturalium entium conceptus.

1. ENs dicitur ſupernaturale ab excellentia, quam habet ſupranaturam, vt diſputatione prima ſectione prima notauimus. Excellentia autem iſta duplici conceptu apprehenditur. Altero relatiuo, comparante ens ſupernaturale cum natura, qui ens ſupernaturale relatione exſuperentiæ ſupranaturam effert. Altero abſoluto ſine ordine ad naturam, qui conſiderat ſublimem aliquam perfectionem, qua res primariò in ordine quodam ſupremo conſtituta, ſecundariò relationem excellentis naturam inducat; omnis enim relatio inæqualitatis perfectionem abſolutam in qua fundetur, ſupponit. Duplicem iſtum ſupernaturalitatis conceptũ, abſolutum quidem, & relatiuum diſtingunt Scotiſtæ. Lichetus q. 1. prol. ante §. 3. rationis. 1 Herrera in 1. q. 1. d. 1. Con. 1. Rada. 2. p. con. 14. art. 1. Soſſa q. 1. prolo. diff. 4. In hac igitur diſputatione de primaria, & abſoluta excellentia entium ſupernaturalium; in ſequenti vero de excellentia reſpectiua differemus. *Supernaturalitas abſoluta & relatiua.*

SECTIONES.

1. *Reijciuntur placita aliquorum recentiorum.*
2. *Alia placita theologorum ſocietatis expenduntur.*
3. *Explicatur propria ſententia.*
4. *Diluuntur aliqua argumenta contra noſtram ſententiam.*
5. *Alia argumenta contra noſtram ſententiam.*
6. *Quid conferat connexio quidditatiua intentionalis cum gratia ad excellentiam ſupernaturalium?*

SECTIO PRIMA.

Reijciuntur placita aliquorum recentiorum.

2. HAc de re plura ſunt apud recentiores; quæ ego breuiter perſtringam. Et quidem Lumel. 1. 2. q. 110. articulo 4. diſp. 5. parte 2. docet eo differre ſupernaturalia à naturalibus, quòd ſupernaturalia Deum vt trinum, naturalia vero vt vnum reſpiciunt. Sed communiter reijcitur. Tum primo, quia actus ſupernaturalis attingit Deum vt vnum; verbi gratia, actus fidei, & charitatis quo Deum credimus eſſe vnum, ſumme bonum, atque ſapientem; eumque ſic apprehenſum diligimus; nulla facta memoria trinitatis perſonarum. Secundo; quia actus naturalis fertur in Deum vt trinum, verbi gratia cognitio naturalis, qua Hæreticus aſſentitur Deum eſſe perſonis trinum. Naturalia igitur à ſupernaturalibus non differunt reſpectu Dei vt vnius, & trini. *Deſeritur. Lumel.* *Primo.* *Secundo.*

3. Rurſus; quia ſi per impoſſibile viderentur immediate perfectiones Dei abſque relatiuis (quod non repugnare diuinitus cum Scoto & pluribus noſtræ ſocietatis tractatu de viſione Dei oſtendemus) talis quidem viſio eſſet quoad ſubſtantiam ſupernaturalis. Tamen non reſpiceret trinitatem. Ergo trinitatis reſpectus non eſt proprius ſupernaturalium conceptus. Neque ſatisfacies, ſi dicas eam viſionem mediate ſaltim Deum vt trinum reſpecturam. Nam ſi reſpectus mediatus ad ſupernaturalitatem ſufficeret, omnia, quæ in Deum vt vnum referuntur, ſupernaturalia forent; omnia enim, quæ Dei vnitatem immediate, trinitatem quoque mediate reſpiciunt. Ad hæc; actio, qua ignis diuinitus eleuatus producit frigus, aut aquam eſt ſupernaturalis. Quippe nulla virtute naturæ abſque eleuatione Dei fieri poteſt. At talis actio non reſpicit trinitatem potius quàm actio, qua frigus, & aqua ab agentibus connaturalibus efficitur. Ergo res poteſt eſſe ſupernaturalis, quin immediate in trinitatem referatur. *Tertio.*

4. Denique; quia nec reſpectus ad trinitatem vt obiectum; nec reſpectus ad trinitatem vt principium ſupernaturalitatem conſtituit. Non reſpectus ad trinitatem vt obiectum; quia virtutes morales, ſcientia infuſa, aliaque complura accidentia ſupernaturalia, trinitatem vt obiectum nequaquam reſpiciunt. Nec item reſpectus ad trinitatem *Quarto.*

Digitized by Google

vt principium; quia ſupernaturalia æque, ac naturalia à Deo vt vno procedunt, cum titulus ſpecialis non ſit, quo ſupernaturalia præ naturalibus à trinitate perſonarum fluant. Nec obſtat Pater Grenadus, prima ſecundæ tractatu quarto de gratia diſp. 8. numero 48. hunc reſpectum ad Trinitatem tamquam ad exẽplar interpretãs. Quoniam homo & Angelus, aliæque ſubſtantiæ naturales excellentius Trinitatem, quàm Vbi eucharisticum, & actus miſericordiæ, aliaque accidentia ſupernaturalia perfectionibus æmulantur.

P. Grenadus.

5. Obiicies pro ſentẽtia Lumel. Deus tantũ vt trinus, non autem vt vnus ſupernaturalis eſt; nam vt vnum aſſequitur cognitio naturalis, quem vt trinum non poteſt. Ergo reſpectus ad Deum vt trinum ſupernaturalia diſcernit. Antecedens negatur. Etenim Deus in ordine ad ſe tam naturaliter eſt trinus, quàm vnus; in ordine ad creaturas tam ſupernaturalis eſt vnus, quàm trinus. Quin vt vnus omnem excellentiam diuinitatis, cumulumque omnium perfectionum ſimpliciter complectitur. Porro ſi Philoſophus cognitione naturali ſcientiæ fatetur eſſe vnum; Hæreticus etiam aſſenſu naturali fidei, credit eſſe trinum.

Arguit. Lumel. Eleuatur argumentum.

6. Ioannes Vincentius relatione de gratia Christi. q. 1. fol. 34. Curiel 1. p. q. 110. art 1. dub. 1. §. 16. Albelda 1. parte diſp. 26. numero. 9. Herrera, & Soſſa relati num. 1. ſupernaturalia definiunt eſſe, quæ participant diuinam eſſentiam, aut attributa, prout ſunt in ſe: naturalia vero quæ illa participant, prout ſunt in alio; quod etiã Lumel ſupra probabile tuetur. Diſplicet hæc conſideratio. Tum quia obſcura eſt: tum quia hæc diuinitatis, vt eſt in ſe participatio, ſupernaturalium rerum conſtitutiua, nec eſt per idemtitatem, nec per vnionẽ, nec per poſſeſſionẽ, nec per cauſalitatẽ, nec per ſimilitudinẽ, aut æmulationem. Nam per idẽtitatem ſolæ diuinæ perſonæ diuinitatem participant. Per vnionem ſola humanitas Christi. Per poſſeſſionem ſola viſio beata. Per cauſalitatem omnes effectus naturales, & ſupernaturales. Denique per ſimilitudinem, & imitationem plura entia naturalia perfectiùs quàm ſupernaturalia diuinitatem æmulantur. Perfectiùs enim diuinam refert naturam Angelus, quam actus fidei, aut Vbi eucharisticum. Etenim Angelus eſt ſubſtantia ſicut Deus, ſubſiſtens ſicut Deus, ſpiritualis ſicut Deus, principium cognoſcendi & amãdi Deum, ſicut Deus. Quæ omnia aliena ſunt ab actu fidei, & Vbi eucharistico, aliiſque ſimilibus accidentibus ſupernaturalibus, quæ vix in vna, aut altera perfectione, diuinitati aſſimilantur. In quo ergo diuinitatis hæc, prout eſt in ſe, conuenientia & participatio ſita eſt? Omitto alia, quæ ſubijciemus reijcientes aliorum ſententias, & alia quę fuſius obijcit Pater Erice. 1. p. d. 48. n. 27. & P. Salas. 1. 2. tom. 2. tr. 11. diſp. 6. n. 95.

Opinio Ioannis Vincentij. Curiel. Albeldæ. Herreræ. Soſſæ. Refutatur.

P. Erice. P. Salas

7. Arguitur pro hac ſententia. Natura & attributa Dei, prout in ſe conſiderata, ſunt ſupernaturalia; quippe perfectione excellentiſſima. Ergo omnis ſupernaturalitas creata, à natura & attributis Dei vt ſunt in ſe, deriuatur. Id confirmatur pluribus teſtimonijs Diui Thomæ, quæ idem inſinuant. Omiſſo antecedenti admitto omnem ſupernaturalitatem creatam à perfectione diuina, prout eſt in ſe, participatam eſſe, vti etiam omnis naturalis perfectio participata eſt. Verùm qua perfectione ſupernaturalitas participetur, quove diſcrimine naturalis, & ſupernaturalis perfectio creata diuinam & increatam participent? noſtra controuerſia eſt; & horum auctorum conſideratione minimè explicatur. Teſtimonia D. Thomæ momenti non ſunt. Si quidquam in rem preſentem afficiunt, ſententiam noſtram ſectione tertia explicandam confirmant.

Præſidium ſuperioris ſententiæ.

Ruit

8. Antonius Perez in laurea Salmantina certamine quarto ſcholaſtico à num. 48. aſſerit, entia ſupernaturalia eſſe illa quæ ordinem diuinum ſpectant, naturalia vero quæ extra diuinum ordinem conſtituta ſunt. Quo loquendi modo vtitur etiam Caietanus 1. p. q. 12. ad art. 5. 1. 2. q. 62. art. 3. annot. ad. 2. & q. 63. ad art. 3. & alibi ſæpe. Item Machin 1. p. d. 16. ſect. 8. §. 2. ſed obſcura eſt explicatio, & ignotum per ignotius definiens. Quid enim eſt rem ad ordinem diuinum pertinere? quave perfectione in eum ordinem aſcenditur? dum hoc non exponitur, ſemper res ſub tenebris, ſemper ſub deſiderio relinquitur. Porro ſi dicas ſupernaturalia pertinere ad eſſe diuinũ, quia peculiari modo referũtur in Deũ, vel quia peculiari munere, aut perfectione diuinitatem exprimunt. Contra ſunt omnia, quæ in ſuperiores, & inferiores ſententias obijciuntur. Quippe plura entia naturalia perfectiùs, quàm ſupernaturalia in Deum referuntur, naturamque referunt diuinã. Aut certe numquam peculiaris iſta relatio ſupernaturaliũ in Deũ ſatis explicatur.

Iudicium Antonij Perez.

Caietani. Machin. Diſplicet.

SECTIO SECVNDA.

Alia placita Theologorum Societatis expenduntur.

9. PAter Albertinus to. 1. principio 1. Philoſ. quæſt. 2. Theo. n. 4. & 2. principio Philoſ. q. 5. num. 2. arbitratur excellentiam entium ſupernaturalium ſatis explicari per ordinem ad Deum vt actum purum; quoniã Deus vt actus purus, naturæ ordinem potentialitati immerſum excedit. Verum facile conuincitur. Quia eàdem, qua cæterorum definitio, obſcuritate laborat. Neque enim exponit quinam ſit hic peculiaris ordo in Deum, vt actum purum, quo ſupernaturalia naturalibus præferentur. Quandoquidem hic ordo nec ſit ad purum actum vt obiectum, nec vt principium, nec vt exemplar; vt anteriora, & poſteriora conferenti conſtabit. Adde diſp. 10. ſectione quarta deferendum P. Albertinũ, quod ex hoc ordine in Deum omnia ſupernaturalia fugere notitiam quidditatiuam naturæ tueatur, vbi ſpecialis iſte reſpectus plenius improbandus eſt.

P. Albertinus.

Non attingit.

10. Pater Faſolus 1. p. q. 12. art. 4. n. 22. cenſet, ſupernaturalitatem entis creati eſſe or-

P. Faſolus.

Digitized by Google

dinem eſſentialem in Deum, vt extremum, cui immediate ſubſtantia creata coniungitur; ſiue hæc coniunctio per cognitionem immediatam ſiue per immediatum amorem, ſiue per vnionem hypoſtaticam contingat. Nam cum ſola ſubſtantia Dei ſit ſupernaturalis per eſſentiam, quidquid creatum ſupernaturale eſt, naturam creatam eleuare debet ad aliquam coniunctionem immediatam cum Deo; coniunctio enim mediata rebus naturalibus communis eſt. At plene non ſatisfacit. Primo, quia Vbi Euchariſticum Chriſti eſt, aut ſaltem poteſt eſſe intrinſece ſupernaturale; item actio, qua frigus à calore procederet. Tamen, nec Vbi euchariſticum, nec actio caloris in frigus ſubſtantiam creatam cum diuina immediate coniungeret. Ergo ſupernaturalium notio non eſt naturæ creatæ cum diuina coniunctio. Secundo, quia amor naturalis Dei tam immediate vnit animum cum Deo, quam ſupernaturalis, ſiquidem tam immediate mouetur bonitate diuina propter ſe, quàm ſupernaturalis. Ergo coniunctio immediata cum Deo naturalibus etiam communis eſt.

Non ſatisfacit. Prima ratio. *Secunda.*

11. Dices amorem naturalem affici immediate in bonitatem diuinam, vt cognitam cognitione abſtractiua, & mediata Dei; amorem vero ſupernaturalem in bonitatem propoſitam cognitione immediata. Sed contra primò; quia amor naturalis poteſt procedere ex cognitione immediata, & intuitiua Dei, vt agentes de affectibus ſupernaturalibus docebimus. Ergo amor naturalis ſecundùm ſe ferri poteſt in bonitatem diuinam propoſitam cognitione immediata Dei. Secundò, quia amor ſupernaturalis Dei in via allicitur bonitate diuina, vt propoſita per cognitionem fidei. Cognitio autem fidei eſt cognitio abſtractiua, & mediata Dei; nam refert perfectiones diuinas ad ſimilitudinem creaturarum, & per ſpecies naturales, creaturarum miniſterio comparatas. Ergo interceſſio cognitionis mediatæ amori ſupernaturali communis eſt. Nec iuuat aſſerere cognitionem fidei non eſſe immediatam ex medio creaturarum, quod ſit obiectum formale cognitionis, ſed quod tantùm ſit quaſi exemplar & imago bonitatis diuinæ: cognitionē vero naturalem eſſe mediatam ex medio creaturarum, tamquam obiecto formali mouente intrinſece ad aſſenſum. Nam vt lib. de anima oſtendi, & opere Metaphyſico oſtendam, attingamque infra differens de cognitionibus ſupernaturalibus, poteſt cognitio naturalis aſſentiri prædicatis diuinis abſque medio creaturarum, tamquam obiecto intrinſece motiuo, ſed ſolum tamquam imagine explicante peculiarem differentiam illorum. Igitur cognitio dirigens amorem, naturalem eum referendæ modum bonitatis diuinæ habere poteſt; qui cognitioni dirigenti amorem ſupernaturalem adſcribitur. Tertio denique, quia cognitio ſupernaturalis ſcientiæ infuſæ poteſt moueri perfectione creaturarum, & obiecto formali intrinſece ad aſſenſum perfectionum Dei, quæ amore ſupernaturali diſtinguntur. Ergo amor ſupernaturalis Dei non vendicat ſibi propriam bonitatis diuinæ propoſitionem obiectiue immediatam, vt ab amore naturali diſtinctum eſt.

Reſponſio. *Redarguitur primo. Secundo.* *Tertio.*

12. Pater Salas t. 2. tom. 2. tract. 11. d. 6. n. 103. & Pater Coninck. 2. 2. diſp. 5. dub. 4. inquirentes ex profeſſo, quid poſſit eſſe in donis gratiæ ſupernaturalitas, aiunt, eſſe perfectionem toti ordini naturæ ſuperadditam, & indebitam. At non diſtingunt ſupernaturalitatem, & excellentiam abſolutam, & relatiuam, vt diſtinguere opus erat; nam omnis inæqualitas, & exceſſus perfectionis, aut virtutis inter duo entia, ex aliqua perfectione abſoluta, quæ ſeorſim à relatione ad aliud conſideratur, oriri ſolet, vt numero primo notabamus. Ea igitur abſoluta perfectio, quæ inæqualitatem & exceſſum entis ſupernaturalis comparati cum natura fundare poteſt, in examen præſens adducitur. Ea autem à Patre Salas, & à Patre AEgidio non definitur, ſed relatiua tantum excellentia, quæ abſolutam perfectionem conſequitur, de qua nobis erit proxima diſputatio. Porrò quidem verum eſt, entia ab excellentia relatiua dici ſupernaturalia. Aliud tamen eſt, id quod res eſſentialiter, & primario talis eſt; aliud quo res talis appellatur. Etenim cum res à notioribus affectionibus ſepè appellationem habeant, quæ interdum non eſſentiam, ſed proprietatem teſtantur; contingit ſequenter nomen impoſitum rei, non tam eſſentiam, quàm proprietatem ſignificare. Ita ſanctus Thomas. 1. p. q. art. quærimus autem non id quo res ſupernaturalis dicitur, ſed id, quo ſupra naturam eſt; perfectionem abſolutam, & primariam rei ſupernaturalis, non relatiuam, & ſecundariam.

Pater Salas. Pater Coninck. *Refelluntur.* *S. Thomas.*

13. Pater Erice 1. part. diſp. 48. cap. 3. ſequutus nobiles recentiores explicat perfectionem abſolutam rerum ſupernaturalium per aliquam connexionem cum vnione immediata Dei, vt eſt in ſe; ſiue vnio Phyſica ſit qualis hypoſtatica; ſiue intentionalis qualis viſio beata, fruitio & amor. Hæc ſententia vt explicatur à Patre Erice omnino non arridet. Primò, quia actio ſupernaturalis, qua frigus feret à calore diuinitus eleuato, cum nulla Dei vnione immediata connectitur.

Pater Erice. *Diſplicet; Primo.*

14. Secundò, quia amor naturalis Dei in mea ſententia oriri poteſt ſimul cum amore ſupernaturali & viſione intuitiua Dei, vt in ſententia communi oritur concluſio naturalis Theologica ex præmiſſis ſupernaturalibus, & habitus naturalis comparatur vſu frequenti actuum ſupernaturalium. Sed hic amor tam immediate coniungit animam cum Deo, vt eſt in ſe; quam amor ſupernaturalis; ſiquidem habet pro objecto formali bonitatem diuinam, quam habet amor ſupernaturalis, & inducitur ex viſione intuitiua Dei, ſicut amor ſupernaturalis. Ergo vnio immediata cū Deo, ſiue Phyſica, ſiue intentionalis non eſt perfectio propria entium ſupernaturalium. De quo vide à numero decimo.

Secundo.

15. Tertiò, quia hic modus explicandi non definit ſupernaturalitatem entibus poſſibilibus cōmunem. Nam inter poſſibilia ſunt plura accidētia ſupernaturalia, quæ ſolas ſubſtātias ratio-

Tertio.

nis expertes ornare poſſint. Vt enim Deus naturam rationalem vario accidentiũ ornatu ſupra exigentiam totius naturæ perficit, nihil prohibet etiam poſſe Deum naturam irrationalem alio genere accidentium proprio naturæ irrationalis vltra ipſius exigentiam perficere. At hæc accidentia minime connectuntur cum vnione immediata Dei, vt eſt in ſe; eo modo quo à Patre Erice explicatur. Ergo connexio cum vnione immediata Dei non eſt prima rerum ſupernaturalium perfectio.

Quarto. 16. Denique quia Vbi euchariſticum eſt ſupernaturale; tamen hoc Vbi non habet connexionem cum vnione immediata Dei. Nam ea collocatio partium, quæ conuenit corpori Chriſti in Euchariſtia, conuenire poteſt corpori ſeparato à verbo, & ſuppoſitis lapidis & leonis, atque adeò ea Vbicatio ſuapte natura non eſt vnioni hypoſtaticæ cum Deo neceſſario annexa. Ergo connexio cum vnione immediata Dei non eſt eſſentialis rerum ſupernaturalium differentia.

Solutio. 17. Pater Erice negat, vbicationem euchariſticam eſſe intrinſecè ſupernaturalem; quia Vbi ſpirituale Angelicum præſtantius eſt. Quod impoſſibile eſſet, ſi Vbi euchariſticum corporeum eſſet intrinſecè ſupernaturale, ſed contra, quia etſi improbabile non ſit, poſſe corpus Chriſti vbicatione, quoad modum tantum ſupernaturali collocari in Euchariſtia, negari tamen non poteſt, etiam poſſe vbicatione intrinſecè ſupernaturali localiter in Euchariſtia conſtitui: nimirum vbicatione, quæ ſuapte natura eam partium locationem deſideret, quam modo Chriſtus ſupra omnem exigentiam naturæ in Euchariſtia retinet; cum in eo vbicationis modo nulla appareat terminorum implicantia. Et quidem credibile eſt talem vbicationem de facto corpori Chriſti in Euchariſtia conuenire. Nec quidquam obſtat Vbi naturale Angelicum euchariſtico perfectius. Tum quia id non ſatis conſtat, tum quia omnia, & ſingula generis perfectioris accidentia non excedunt neceſſario omnia, & ſingula accidentia generis imperfectioris; vt omnia viuentia non excedunt perfectione omnia non viuentia; nec actus fidei, aut vbicatio ſupernaturalis intellectum Angelicum. Ergo vbicatio naturalis Angelica poteſt ſuperare perfectione vbicationem ſupernaturalem corpoream, & è contra. De quo plura ex profeſſo alibi.

Impugnatur.

D. Hurtado. 18. Pater Hurtado vbi ſupra, ſupernaturalia definit eſſe, quæ pertinent ad ordinem videndi Deum; naturalia verò, quæ ab eo ordine remota ſunt. De hac ſententia, idem quod de anteriori, iudicium facio. In eam vrgent accidentia ſupernaturalia ſubſtantiarum impotentium videre Deum, euchariſtica vbicatio, frigoris à virtute obedientiali caloris productio. Etenim hæc accidentia, & alia ſimilia ſupernaturalia ſunt. Tamen non explicatur, quo pacto illa ad viſionem Dei attineant. Ergo conſtitutio ordinis videndi Deum non eſt rerum ſupernaturalium definitio.

Non explicat rem.

Recentiores. 19. Denique recentiores in manuſcriptis cenſent, perfectionem abſolutam omnibus ſupernaturalibus communem, ex qua in dono ſupernaturali relatio ſuperantis naturam fluit, definiri minime poſſe; ideoque ſupernaturalitatem ſatis declarari per excellentiam relatiuam, quæ diſputatione ſequenti expendenda eſt, vti eam declarant Pater Salas, & Pater Conink ſupra, & graues alij Theologi. Id probant recentiores. Quia relatio ſuperantis naturam in omnibus entibus ſupernaturalibus, non ab vna perfectione, ſed à pluribus, ac diuerſis emanat. Ergo abſoluta perfectio, quæ eam relationem in omnibus fundet, ſub vna definitione non poteſt comprehendi. Arguunt.

Sed non audiuntur. 20. Merito tamen recentiores deſeruntur, quia reuera oneri ſuccumbunt, explicare non valentes difficultatem, quam omnes graues Theologi, qui in eam inciderunt, explicare conati ſunt, alijs quidem ideo ſolum diſſimulantibus, quia in eam diſputationem animum non aduerterunt. Neque enim omnia quæ ab vno, ab omnibus Theologis diſſerta ſunt. Et quidem id non eſſe impoſſibile, ſectione ſequenti videbimus. Certe cum ſpecierum diuerſitate, vnitas generis recte componitur; & vbi plures differentiæ in vnam definitionem non veniunt, ſub vna ratione generica ab omnibus abſtracta definiuntur. Sic definimus veritatem à qua intelligibilitas, colorem à qua viſibilitas, bonitatem naturalem, à qua amabilitas promanat, quamuis in rebus ſingularibus tales proprietates plures, atque varias differentias conſequantur. Igitur eâdem ratione excellentia generica entis ſupernaturalis, quæ eminentiam ſupra naturam, in omnibus donis ſupernaturalibus fundat, ſub vno conceptu definibilis eſt; licet in fide & charitate variæ differentię talem eminentiam, & reſpectum inducant. Hæc itaque ratio gaudentis ſupernaturalis, ſic abſtracta, quænam ſit, Theologis incumbit aperire, & nunc à nobis ſuſcipitur difinienda. Vbi ridere eſt eos, qui operam noſtram hac in re inutilem prorſus ſcribunt; quaſi inutiles ipſorum conatus nobis de re deſperationem faciant. Dialecticis inutile non eſt, quænam ſit vniuerſalitas naturæ, Philoſophis quænam ſit ratio entis mobilis, Metaphyſicis ratio veri, & aliæ ſimiles, diſſerere: & viris Theologis, quænam ſit ratio primaria donorum ſupernaturalium, qua naturam infra ſe reſpiciunt, inutile erit examinare? De fide, de charitate, de gratia iuſtificante, alijſque ſupernaturalibus donis, differentias peculiares ab ordine prædicamentali præſtantiæ omnino abſolutas, quæ talem ordinem antecedunt, ſtudioſe inquirimus: & otioſum erit, de dono ſupernaturali ab ipſis abſtracto, abſtractam aliquam perfectionem comparatione cum natura priorem theologicè deſcribere? quaſi notio generis in ſpecierum notitiam non ſemper vtiliter præluxerit.

Digitized by Google

SECTIO TERTIA.

Explicatur propria ſententia.

Statuitur aſſertio.

21. EX dictis cernes, quam difficile ſit in re præſenti ſententiam ferre. Nihilominus aſſero proprium donorum ſupernaturalium conceptum, connexionem eſſe quidditatiuam cum gratia ſanctificante phyſicam, aut intentionalem, immediatam, aut mediatam, antecedentem, aut conſequentem. Quemadmodum conceptus rerum materialium explicari ſolet per dependentiam intrinſecam à quantitate, ſiue dependentia immediata ſit, ſiue mediata: de quo fuſe opere noſtro metaphyſico. *Connexionem quidditatiuam* voco, qua res gratiæ iuſtificanti, exiſtenti, aut poſſibili nectuntur quoad Phyſicam entitatem ipſarum, & non quoad aliquam denominationem, contingentem dumtaxat. *Connexionem Phyſicam*, quæ ſecundum entitatem Phyſicam intercedit, vt inter cauſam, & effectum, actionem, & terminum, proprietatem & naturam, diſpoſitionem, & formam, aliaque ſimilia, quæ independẽter ab eſſe intentionali cognitionis quidditatiuæ, à gratia ſanctificante dependent. *Intentionalem* vero, qua res ſecundum eſſe intentionale ſpeciei, aut cognitionis quidditatiuæ ita gratiam ſanctificantem reſpiciunt, vt ſpecies, & cognitio quidditatiua earum ſoli gratiæ ſanctificanti debita, & connaturalis ſit. Rurſus *connexione immediata* gratiæ ſanctificanti iunguntur, quæ ordine tranſcendentali immediate ſanctitatem gratiæ reſpiciunt; *mediata* vero, quæ intercedente connexione immediata aliarum à gratiæ exiſtentia, futuritione, aut poſſibilitate dependent. Denique *connexio antecedens* illis conuenit, quæ gratiæ exiſtentiam nexu aliquo præcedunt; *conſequens* vero, quæ illam ſubſequuntur.

Exponitur.

Scotus. Aegidius. P. Granadus.

22. Hanc ſententiam inſinuat Scotus, in 2. diſtin. 3. q. 9. litera D. §. *hac diſtinctione præmiſſa*. Aegidius de præſentatione, libro 7. de beatitudine q. 5. art. 2. n. 2. P. Granadus tom. 2. controuerſia 8. de gratia tract. 4. d. 8. ſect. 5. n. 50. necnon Lumel ſupra initio, & concluſione 1. & ſequuti ſunt poſtquam diſcipulis illam dictaui, nonnulli Salmanticenſes recentiores. In eamque facile adduci poſſunt plures ex ſuperioribus Theologis. Nam quæ cum gratia ſantificante connexa ſunt, media gratia habituali participant naturam, & attributa diuina; vt volebant Curiel, Ioannes Vincentius, & Albeda, inſinuabatque Albertinus. In ordine diuino ſpecialiter conſtituta ſunt; vt definiebat Caietanus, & Antonius Perez. Connexa ſunt cum ipſo Deo, aut cum viſione, & vnione immediata Dei vt eſt in ſe, vt meditabantur P. Faſolus, P. Erice, & P. Hurtado.

Salmanticenſes recentiores.

In noſtram ſententiam adducuntur aliarum opinionum Authores.

Fauet S. Thomas.

23. Eidem ſententiæ fauet D. Thomas 1. 2. q. 62. art. 1. in corpore, vbi ſupernaturalitatem beatitudinis æternæ ex participatione, & conſortio diuinitatis propria gratiæ habitualis perſuadere conatur. *Alia autem eſt beatitudo naturam hominis excedens, ad quam homo ſola diuina virtute peruenire poteſt ſecundum quamdam diuinitatis participationem, ſecundum quod dicitur* 2. Petri 1. *quod per Chriſtum facti ſumus conſortes diuinæ naturæ*. Vnde ſolutione ad primum aſſerit virtutes Theologicas eſſe ſupernaturales, quia *per gratiam fit homo particeps diuinæ naturæ, & iſtæ virtutes conueniunt homini ſecundum naturam Dei participatam*. Item quæſt. 110. art. 1. agens de dilectione ſupernaturali Dei, ait. *alia autem dilectio eſt ſpecialis, ſecundum quam trahit creaturam rationalem, ſupra conditionem naturæ ad participationem diuini boni*. Et mox ſubiungit, *ſic igitur per hoc quod dicitur homo gratiam Dei habere, ſignificatur quiddam ſupernaturale in homine à Deo proueniens*. En ſupernaturalitatẽ dilectionis ponit Diuus Thomas in eo quod hominem trahit ad participationem naturæ diuinæ, quæ eſt gratia ſanctificans. Indeque concludit eſſe ſupernaturale à Deo proueniens in homine per ordinem ad gratiam iuſtificantem ſignificari. Accedere videtur Alenſis p. ſummæ q. 26. membr. 5. aſſerens cognitionem ſupernaturalem eſſe, quæ pertinet ad gratiam gratum facientem. Expreſſim habet Carthuſianus in 2. d. 27. q. 2. ad ſententiam Durandi his verbis. *Dignitas, ac pretioſitas meritoriæ actionis eſt ex parte gratiæ gratum facientis, quæ eſt ſupernaturalis ſimilitudo diuinæ eſſentiæ, & ex parte rationalis creaturæ, quæ per gratiam in ſupernaturali eſſe conſtituitur*.

24. In eiuſdem ſententiæ probationem faciunt verba 2. Petri 1. quæ in mentem noſtram D. Thomam ſup. induxiſſe videntur. *Omnia nobis diuinæ virtutis, ſiue ad vitam, ac pietatem donata ſunt; per quæ maxima, & pratioſa nobis promiſſa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ conſortes naturæ*. Nam omnia *diuinæ virtutis propria quæ ad vitam & pietatem* donantur, *maxima & pratioſa promiſſa Dei*, dona omnia intrinſecè ſupernaturalia inſinuant, vt meliores interpretes intelligunt, Lorinus, Iuſtinianus, & Cornelius, cum alijs: Tum quia ſola ſupernaturalia dona virtute diuina, non virtute naturali, & creata obtineri poſſunt: tum quia illa ſola in ſalutem, & pietatem ſupernaturalẽ, de qua D. Petro ſermo erat, intrinſecè conferũt: Tum quia ſola illa eo perfectionis apice excellentia ſunt, vt *magna & pratioſa* dona mereantur prædicari. At omnia hæc ſupernaturalia dona referuntur in conſortium diuinitatis, *vt per hoc efficiamini diuinæ conſortes naturæ* quod gratiæ habitualis proprium eſt, vt cum pluribus docebo de gratia iuſtificanti diſſerens. Igitur omnia dona ſupernaturalia ordine, & relatione in gratiam iuſtificantem explicantur. Adde, ſi placet, cum Patre Lorino, locum iſtum de ſola gratia iuſtificante accipi poſſe, cuius proprium eſt diuinæ naturæ conſortium conferre, & numero multitudinis, plura & magna promiſſa nominari: quoniam omnia dona ſupernaturalia in vnam iſtam gratiam virtute multiplicem connexione quadam connectuntur. Quare pro noſtra ſententia non immerito Lorinus poteſt adduci. Quibus adde Cyrillum Alexandrinum

Ex 2. Petri 1.

P. Lorinus. P. Iuſtinianus. P. Cornelius.

P. Lorinus.

Digitized by Google

in Ioannem cap. 14. id indicantem ibi. *Qui fide Chriſti in adoptionem filiorum vocati ſunt, humilitatem naturæ ſuæ depoſuerunt, & honorantis Chriſti gratia quaſi ſplendida induti purpura ad ſupernaturalem dignitatem aſcendunt.* Vbi humilitas naturæ ponitur aſſurgere ad eſſe ſupernaturale per gratiam adoptionis filiorum Dei.

Secunda probatio ex Patribus & Cócilijs.

25. Secundò, aſſertum noſtrum probatur authoritate Conciliorum ac Patrum oſtendentium excellentiam actus fidei, & charitatis, aliorumque ſimilium, (propterquam contra Pelagianos ſupra vires naturæ, ſeu ſupra naturales extollunt) ſolùm quia ad iuſtificationem, & pietatem conducunt, hoc eſt, vt fert communis interpretatio Theologorum, quia habent connexiònem aliquam cum iuſtitia Dei, & vita æterna. Quare vt ſtatuant Theologi, aliqua opera moralia eſſe ſupra vires naturæ, elicita viribus gratiæ, non ſufficit oſtendere eſſe moraliter bona, quin in iuſtificationem, & ſalutem conferentia ponantur. Igitur connexio cum gratia iuſtificante, excellentia eſt propria rerum ſupernaturalium, quandoquidem Concilia, ac Patres Eccleſiæ & Theologi communiter ex quibus, rerum ſupranaturalium notitia habetur, connexione cum gratia iuſtificante actus ſupernaturales à naturalibus diſtingunt.

26. Confirmatur; cùm Patres, & Concilia damnant Pelagianos aſſerentes, ſufficere naturam ſuis viribus ad opera ſalutaria efficienda; & neceſſaria definiunt dona, & auxilia gratiæ actualis ſuperaddita naturæ, ſiue *ſupernaturalia*, vt oſtendemus diſput. 15. Gratiam actualem donis naturæ oppoſitam vocant *iuſtificationis gratiam.* Non quia ipſa formaliter iuſtificans ſit, vt ex ſe manifeſtum eſt. Ergo quia donum ſupernaturale, ad gratiam iuſtificantem aliqua connexione pertinere debet. Minor & conſequentia probatione non ægent. Maior legentibus Concilia, & Patres facile conſtabit. Nam Concilium Mileuitanum, canone 3. auxilium appellat *gratiam, per quam iuſtificamur.* can. 5. *gratiam iuſtificationis*, Arauſicanum ſecundum can. 13. *gratiam baptiſmatis.* Auguſtinus Epiſtola 95. *gratiam qua iuſtificamur*, item *gratiam qua Chriſtiani & filij Dei ſumus*: rurſus *gratiam qua non eſt natura, ſed qua ſaluatur natura, qua prædeſtinati iuſtificamur, & glorificamur.* Epiſtola 105. *gratiam qua iuſtificati ſumus, vt homines iuſti eſſemus.* Igitur auxilia actualia gratiæ, cùm ſupernaturalia definiuntur, in gratiam iuſtificationis referuntur.

Tertia à priori.

27. Tertio à priori probatur. Ille eſt communis, ac proprius entium ſupernaturalium conceptus, in quo omnia ſupernaturalia côueniunt, & ab ijs, quæ nô ſunt ſupernaturalia, differunt. Sed in connexione cum gratia ſanctificante omnia ſupernaturalia conueniunt, & ab ijs, quæ ſupernaturalia non ſunt, intrinſecè differunt. Ergo connexio explicata eſt conceptus communis & proprius rerum ſupernaturalium. Maior eſt certa. Nam communis, & proprius viuentium conceptus dicitur ille, qui omnibus viuentibus communis eſt; & ab ijs quæ vita carent, omnino alienus. Similiter communis & proprius conceptus animalium, & hominum aſſeritur, qui in omnibus hominibus, & animalibus reperitur, & alijs extra hominum ſpeciem, & animalium genus communis non eſt. Nec reuera alius eſt modus inueniendi, & adſtruendi conceptum pluribus communem. Ergo is erit proprius & communis rerum ſupernaturalium conceptus, in quo ſupernaturalia conueniunt, & à non ſupernaturalibus diſtinguntur. Probatur nunc minor, ſcilicet eiuſmodi eſſe connexionem explicatam cum gratia ſanctificante. Nullum agnoſcitur ens ſupernaturale, quod modo aliquo cum gratia ſanctificante connexum non ſit; nec conſtat aliquod ens naturale, quod cum gratia iuſtificante ſit connexum. Ergo connexio cum gratia ſanctificante omnibus ſupernaturalibus communis eſt, & ab omnibus non ſupernaturalibus aliena. Antecedens facienti inductionem, & perpendenti ſolutionem argumentorum, facile conſtabit.

Explicatur ratio àpriori.

28. Inſuper prior illius pars probatur. Dona ſupernaturalia, aut ſunt propria ſubſtantiæ ſpiritualis, & intellectiuæ, aut ſubſtantiæ corporeæ. Si ſubſtantiæ intellectiuæ, propria ſint, cognatione Phyſica. Si ſubſtantiæ corporeæ, cognatione ſaltim intentionali iunguntur cum gratia ſanctificante. Igitur nullum eſt donum ſupernaturale quod aliqua cognatione gratiæ iuſtificanti non iungatur. Probatur antecedens. Dona habitualia ſubſtantiæ intellectiuæ, manant tanquam proprietates à gratia ſupernaturali, vt virtutes infuſæ, & dona ſpiritus Sancti, aut gratiæ capacitatem, & dignitatem ſupponunt, vt ſcientia infuſa, & lumen gloriæ: ſunt enim facultates, & virtutes propriæ filiationis Dei, & naturæ participantis Dei naturam. Dona actualia ſunt actus donorum habitualium, vt actus charitatis, & fidei; aut quædam initia, & diſpoſitiones ad illa, vt auxilia actualis gratiæ, quæ ratione connexionis cum gratia iuſtificante *gratiæ gratum facientes* dicuntur. Vt cum ſancto Thoma 1. 2. q. 111. art. 1. & alijs Theologis oſtendemus lib. 4. Dona vero ſupernaturalia naturæ corporeæ propria, dotes ſunt corporis glorioſi conſequentes beatitudinem iuſtorum; aut ſaltem perfectiones corporis vniti hipoſtatice Deo, quæ vnio gratia ſubſtantialis eſt, aut ſaltem cognitionem quidditatiuam, ſcientiæ infuſæ, alteriuſue luminis connexi cum gratia ſanctificante non excedunt. Igitur dona omnia ſupernaturalia, ſiue naturæ intellectiuæ, ſiue naturæ corporeæ cognatione aliqua immediata, aut mediata, Phyſica, aut intentionali gratiæ ſanctificanti iunguntur. Poſterior pars probatur. Dona ſupernaturalia ſunt ſupra omnem connexionem quidditatiuam, ordinem tranſcendentem, & exigentiam naturæ, vt ſequentibus diſputationibus monſtrabimus. Ergo nullum conſtat ens naturale, quod mediate, aut immediate ordine tranſcendenti cum ſanctificante gratia connectatur.

Quarta probatio etiam à priori.

29. Quarto etiam à priori. Eſſe ſupernaturale apprehenditur eſſe quoddam eleuatiſſimum ac ſupremum proprium naturæ, vt eleuatæ ſu-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EM.

Digitized by Google

pra omnem naturam creatam ad cognationem cum natura diuina. At natura eleuatur ſupra omnem naturam creatam ad cognationem cum diuina per gratiam ſanctificantem. Ergo eſſe ſupernaturale apprehenditur conueniens rebus, vt eæ ad naturam eleuatam per gratiam pertinere conſiderantur. Conſequentia eſt bona. Minor facile perſuadetur ex participatione formali naturæ diuinæ, quam habituali gratiæ peculiari ratione conuenire, cum Patribus Eccleſiæ, ſancto Thoma, & Scholaſticis, probabo, cum de illa diſſeramus. Sufficiat nunc D. Petrus ſup. prædicans gratiam ſanctificantem donari, *vt per illam diuinæ efficiamur conſortes naturæ*; Catechiſmus Pij quinti in materia de baptiſmo appellans ex Tridentino *diuinam qualitatem*, D. Cyrillus lib. 4. in Eſaiam oratione ſecunda. *Formam diuinam*; Dyoniſius c. 2. de Eccleſiaſtica Hierarchia *diuinam natiuitatem*: communiſque vox tam alte extollens iuſtum ratione gratiæ in conditionem, & dignitatem Dei, vt *Deus* dicatur. Maior probatur. Eſſe ſupernaturale apprehenditur eſſe quoddam eleuatum ſupra omnem naturam creatam, vt vel vox ipſa præ ſe fert. At eſſe diuinum eſt omnium ſupremum, & eleuatum ſupra omnem naturam creatam. Ergo apprehenditur eſſe quoddam attingens cognationem Dei, conueniensque naturæ creatæ, vt ad deitatem peculiari aliqua ratione ſupra omnem naturam accedit.

D. Petrus. Catechiſmus Pij quinti. Tridentinũ. Cyrillus. Dyoniſius.

30. Ad hæc ordo ſupernaturalis, & ordo gratiæ mutuò conuertuntur. Nam omne donũ ſupernaturale eſt indebitum, & gratioſum exigentiæ naturæ, & omne donum ſuapte entitate indebitũ & gratioſum exigentiæ naturæ ſupernaturale eſt. At omne donum eſt, & dicitur gratia per ordinem, ad gratiam ſimpliciter, quæ eſt gratia iuſtificans; nam illa inter omnia dona famoſiori ratione gratuito confertur, & hominẽ Deo gratum reddit. Igitur omne donum eſt ſupernaturale per ordinem ad gratiam ſanctificantem. Demum huic iudicio adhærẽdum eſt; quia nullum eorum, quæ ſuperioribus propoſuimus, aptius declarat rationem omnibus ſupernaturalibus communem.

Concluditur probatio.

SECTIO QVARTA.

Diluuntur aliqua argumenta contra noſtram ſententiam.

31. IN hanc ſententiam duplicis generis argumenta poſſunt contendi. Alia, quæ probent, eſſe entia ſupernaturalia non connexa cum gratia ſanctificante. Alia quæ probent, naturalia entia eſſe, quæ cum gratia ſanctificante connexa ſint. In hac ſectione prioris generis argumenta; in ſequenti argumenta poſterioris generis diſſoluemus. Sit igitur primum. Ipſa gratia ſanctificans ſupernaturalis eſt. Non connexione cum gratia ſanctificante diſtincta; ne ſit proceſſio infinita gratiarum; neque connexione cum gratia idẽtificata, connexio enim diſtinctionem deſiderat. Ergo poteſt eſſe quidpiam ſupernaturale abſque connexione cum gratia.

Primum argumentum.

32. Reſpondeo connexio cum gratia ſanctificãte ſupernaturalitatis cõſtituens præſcindit à connexione Phyſica, quæ diſtinctionem realem deſiderat, & à connexione Logica, aut Metaphyſica, quæ ſola vnione idemtitatis inter extrema realiter indiſtincta reperitur. Nam ſi ea, quæ aut vnione reali, aut cauſalitate, aut notitia quidditatiua, aut alio modo phyſico, gratiæ ſanctificanti cognata ſunt, aſſerimus ſupernaturalia, quòd ea connexione Phyſica ad mirabilem excellentiam gratiæ aliquo modo pertinent; à fortiori illa, qua vnione idemtitatis Logica, eam excellentiam participant, ſupernaturalia agnoſcenda. Vt ſi res per vnionem Phyſicam cum quantitate materiales, & corporeæ fiunt; à fortiori ipſa quantitas cum vnione idemtitatis materialis, & corporea erit. Item ſi alia aliquid ignis continentia calida ſunt, à fortiori ipſe ignis calidus erit. Igitur gratia ſanctificans ſe ipſa immediate ratione excellentiæ participantis naturam diuinam, qua inter omnia dona ſingulariſſimum eſt, ad ordinem ſingularem, atque excelſum nempe ſupernaturalem, & diuinum pertinere apprehenditur: cætera vero, quæ in gratiam ſanctificantem ordinem tranſcendentalem habent, per cognationem cum ipſa, in eam excellentiæ conditionem, & ſupernaturalitatem adſcribuntur. Sicut quantitas ſuapte ſingulari conditione, atq; natura corporeitatem, ſeu impenetrationẽ ſortitur; reliqua vero per intrinſecam dependentiam ab illa; eaque ratione ipſa quantitas ſua conditione materialis, & corporea eſt, cum aliæ per dependẽtiam intrinſecam à quantitate materiales, & corporeæ exiſtunt. Ideo rectè communem omnium rerum ſupernaturalium conceptum, aut gratiam etiam ſanctificantem cõplectitur, connexione cum gratia ſanctificante, quæ à Logica, & Phyſica connexione præſcindat declaramus. Et conceptum communem rerum materialium per dependentiam intrinſecam à quantitate, à Phyſica, & Metaphyſica præſcindentem, libris de anima definiuimus. Hac enim ratione connexionem gratia ſanctificante omnibus donis ſupernaturalibus, vt etiam ipſam gratiam cõprehendunt, ſicut dependentia à quantitate omnibus materialibus rebus, vt quantitatem etiam complectuntur, vniuoce communis eſt.

Diluitur.

33. Secundum argumentum eſt. Poteſt Deus efficere accidentia ſupernaturalia naturæ irrationalis propria; qualis videtur fuiſſe virtus præſeruatiua mortis in arbore vitæ reſidens. At accidentia naturæ irrationalis propria non habent connexionem cum gratia ſanctificante, quæ naturæ rationalis propria eſt. Ergo abſque connexione cum gratia poteſt rebus ſupernaturalitas conuenire. Reſpondeo primo. Ea accidentia poſſibilia, quamquam non haberent cum gratia ſanctificante connexionem Phyſicam, tamen haberent connexionem quidditatiuam intentionalem, quæ ad ſupernaturalitatem

Secundum argumentum.

Digitized by Google

ſufficit. Quoniam ſpecies, & cognitio quidditatiua eorum accidentium ſoli deberetur gratiæ, vt illi ſoli debetur ſcientia ſupernaturalis infuſa, per quam ſolam ſupernaturaliā quidditatiue cognoſcuntur, vt diſputatione 10. & 11. oſtendemus. Quo differunt accidentia ſupernaturalia à naturalibus: Naturalia enim poſſunt quidditatiue cognoſci, tum per ſcientiā infuſā, tum per ſcientiā naturalē Angelicā, aut humanam; ſupernaturalia vero per ſolam ſcientiam infuſam connexam cum gratia, quidditatiue innoteſcunt.

Explicatur.

34. Reſpondeo ſecundò. Nulla ſunt accidētia ſupernaturalia, quæ Phyſice etiam alicui ſanctitati, ſaltem ſubſtantiali, nempe vnioni hypoſtaticæ debita non ſint, cum eaque ordine tranſcendentali connectantur. Nam ſi dona ſpiritualia ſint, erunt debita ſpirituali ſubſtantiæ vnita cum Deo; ſi vero corporea, ſubſtantiæ corporeæ cum Deo vnitæ, quamuis experti rationis debita erunt (Deum enim vniri poſſe hypoſtaticè cum natura irrationali, tractatu de Incarnatione docuimus.) Nam quidquid perfectionis excogitari poteſt in ſubſtantia creata, vnioni hypoſtaticæ cum Deo debitum eſt, cum infinite perficiat ſubſtantiam, quam Deo coniungit, ratione infinitæ ſanctitatis, & bonitatis diuinæ, quæ talem vnionem terminat. Quare ſupra eius perfectionem non ſunt dotes corporis glorioſi, & vbicatio quaſi definitiua Euchariſtiæ, & aliæ ſimiles perfectiones corporeæ. Nec quidquam obeſt naturam irrationalem non reddi ſanctam per vnionem hypoſtaticam. Nam hic effectus non deficit naturæ irrationali vnitæ cum Deo, defectu ſanctitatis; ſed defectu capacitatis ſubiecti; atque adeo accidentia talis naturæ connexionem afferrent cum ſanctitate, quamuis cum effectu formali ſanctitatis non afferrent. Prætérquàm quòd natura irrationalis per vnionem hypoſtaticam redderetur ſancta ſanctitate religionis, & adorationis ſupremæ, quamuis alterius ſanctitatis, hoc eſt, filiationis, & amicitiæ diuinæ capax non ſit. Sufficit autem prior ſanctitas ad ordinem ſupernaturalem, cum ratio à priori, & poſteriori ſanctitate præſcindēs ſufficiat efficere ſupernaturalia omnia entia, quæ cum illa ſic præſcindenti connectuntur.

Tertium.

35. Tertium argumentum. Non repugnat actus ſupernaturalis fidei prænoſcens certò & infallibiliter negaturum Deum gratiam ſanctificantem omnibus Angelis, & hominibus, quòd Deus eam negare decreuit, & hoc decretum homini reuelauit. At hic actus ſupernaturalis nullatenus connectitur cum gratia ſanctificante, ſiquidem tali actui repugnat cum exiſtentia gratiæ componi. Ergo connexio cum gratia ſāctificāte cōſtitutiua ſupernaturalitatis nō eſt.

Expeditur.

36. Reſpondeo primò. Is actus connexionem habet ſaltem mediatam cum gratia ſanctificante, medio habitu fidei, à quo producitur connexo cum gratia. Si autem addas eum actū pronunciare etiam negationem, habitus fidei, & cuiuſuis alterius ſupernaturalis, decretam à Deo. Reſpondeo ſecundò. Hic actus cum gratia connectitur ſecundum rationem ſpecificam actus fidei, quod ſufficit ad ſupernaturalitatem, quamuis ſecundum rationem indiuiduā non connectatur. Nam repugnantia coniungendi huius actus cum gratia tantùm oritur ex obiecto materiali, quod actui ſpeciem non tribuit. Si rurſus afferas, actus fidei pro diuerſitate ſpecifica reuelatorum ſpecie diſtingui. Reſpondeo tertio. Habet actus ſuperior connectionem quidditatiuam cum gratia poſſibili, quæ ad ſupernaturalitatem ſufficit. Etenim negat gratiam exiſtentem ſupponendo per ſe poſſibilem. Quarto denique conuenit actui connexio intentionalis cum gratia, eſto, Phyſica non conueniat, cum notitia quidditatiua eius actus ſoli gratiæ conſequtæ, aut conſequendę debeatur. Connexio autem intentionalis cum gratia ad ſupernaturalitatem ſatis eſt.

Quartum.

37. Quartum argumentum. Dona ſupernaturalia apprehenduntur ſupernaturalia abſque connexione cum gratia. Nam eo ipſo quod res cōſideretur ſupra vniuerſam naturam, conſideratur ſupernaturalis. Ergo formalis conceptus ſupernaturalitatis non eſt connexio cum gratia. Diſtinguo antecedens, primo. Poſſunt apprehendi ſupernaturalia conceptu ſecundario, ac definitiuo nominis, concedo. Conceptu primario, ac definitiuo rei, de quo modo loquimur, nego. Vide dicta numero 12.

Diſſoluitur primo.

Secundo.

38. Secundo diſtinguo idem antecedens. Poteſt apprehendi ſupernaturalitas abſque cōnexione cum gratia explicite apprehenſa, concedo, abſque connexione cum gratia apprehenſa implicite, nego. Nam cum res apprehenditur ſupra omnē cōtinentiā naturæ, implicitè apprehēditur excellēs aliqua perfectio, qua ſupra omnē naturā eleuetur. In ea autē perfectionis excellentia implicite inuoluitur connexio cum gratia. Vt cum apprehenditur homo, ex parte definiti non apprehenditur explicite animal rationale, ſecus implicite, quatenus apprehenditur animal particulare diſtinctum aliqua differentia eſſentiali, à Leone, equo & alijs ſpeciebus animalium, quas nouimus, quę differentia deinde per definitionē explicatur. Si vrgeas ens apprehenſum ſupra naturam, & ens apprehenſum connexum cum gratia importare ſuis apprehenſionibus connotata diuerſa, nempe naturam, & gratiam, atque adeo ratione ratiocinata diſtingui, cum diuerſa connotata ad diſtinctionem rationis ratiocinatæ, ſufficiant. Reſpondeo, ens apprehenſum ſupra naturam importare implicite connexionem cum gratia, nam importat perfectionem aliquam abſolutam, quæ fundet relationem excellentię ſupra naturam, & per ordinem ad aliquod connotatum, explicetur: quæ perfectio abſoluta, mea opinione, eſt connexio cum gratia. Sic comparantur diffinitum, diffinitio, homo, & animal rationale. Homo enim diffinitus apprehenditur explicite per ordinem ad figuram, & accidentia extrema, quæ hominem ab alijs animalibus diſcernunt, implicite vero per ordinē ad aliquas operationes omnibus animalibus communes, & alias ab aliorum operationibus diuerſas: definitio vero animalis rationalis apprehenditur explicite per ordinem ad ſenſio.

Digitized by Google

nem,& diſcurſum; quæ in definito hominis implicite apprehenſa fuerant; atque adeò homo non diſtinguitur ratione ratiocinata ab animali rationali, ſed ratione ratiocinante dumtaxat. Itaque connotata diuerſa non fundant diſtinctionem rationis ratiocinatæ, quando apprehẽſione vnius implicite importatur apprehenſio alterius. Connotata autem importata apprehẽſione entis ſupra naturam, & apprehenſione entis connexi cum gratia implicantur inter ſe, vt ſuperioribus vidimus.

Quintum argumentum.

39. Quintum argumentum. Deus eſt ens ſupernaturale; & non connexum quoad entitatem cum gratia. Quippe repugnante gratia, & alia quauis creatura, idem quoad entitatem perſiſteret. Ergo connexio cum gratia omni enti ſupernaturali communis non eſt. Nec iuuat aſſerere Deum cum ſanctitate increata per idemtitatem connecti, vt de ipſa gratia ſanctificante creata ad primum argumentum dicebamus. Nam connexio cum ſanctitate increata Dei, etiam rebus naturalibus conuenit, quæ in Deum vt ſuum principium, & finem eſſentialiter referuntur. Ergo nulla connexio cum gratia ſanctificante ſupernaturalia à naturalibus diſcernit.

Diluitur primo.

40. Reſpondeo primo. Nunc ſolum definimus ſupernaturalitatem creatam ſolis, & omnibus donis ſupernaturalibus creatis communem, & propriam. Nam de ſupernaturalitate Dei iudicia Theologorum, qui rem attigerunt, conſtantia non ſunt, & in eorum diſſentione, negantibus Deum eſſe formaliter ſupernaturalem, vehementius incumbo. De quo decreui diſp. 2. n. 2. At connexio cum gratia ſanctificante omnia entia ſupernaturalia creata indiſcriminatim complectitur. Secundò, Deus habet connexionem quidditatiuam cum gratia ſecundum eſſe intentionale, modo quo in alijs rebus ſupernaturalibus expoſuimus, quatenus ſpecies, & cognitio quidditatiua Dei ſoli iuſto debita eſt.

Secundò.

SECTIO QVINTA.

Alia argumenta contra noſtram ſententiam.

Sextum argumentum.

41. ALia argumenta fieri poſſunt ad probãdum entia naturalia cum gratia ſanctificante connecti; Quare ſextum ſit. Cognitio naturalis Heretici vere aſſerens gratiam ſanctificantem eſſe ſupernaturalem, & intrinſecam, connectitur intrinſecè cum gratia; connectitur enim cum obiecto, quod refert; refert autem gratiam. Ergo connecti cum gratia rebus naturalibus commune eſt. Nego antecedens, vt negaui diſputatione præcedenti num. 8. & probabo, diſp. 11. Nam connexio cognitionis naturalis cum gratia, non eſt in eſſendo, ſed in repræſentãdo; quo ſcilicet non poteſt non gratiam repræſẽtare, cæterũ poteſt ſine gratia exiſtenti, imo & poſſibili exiſtere. Nam cognitio naturalis non poteſt certo, & euidenter gratiam ſanctificantem dignoſcere. Cognitio autem incerta, & ineuidens, eadem perſeuerans, nunc falſa, nunc vera poteſt, tum obiectum reipſa exiſtens, & poſſibile, tum non exiſtens, & impoſſibile referre.

Nullũ eſt.

Septimum.

42. Septimum. Habitus naturalis habilitat potentiam ad actus ſupernaturales. Habitus autem habilitans potentiam ad actus ſupernaturales connectitur medijs actibus ſupernaturalibus cum gratia. Ergo connexio mediata cum gratia etiam naturalibus donis intrinſeca eſt. Conſequtio eſt manifeſta. Maior docetur diſp. 52. ſect. 4. Minor probatur. Tum quia habitus naturalis habilitans ad actus ſupernaturales tranſcendenti reſpectu refertur in actus ſupernaturales, tanquam in cauſam, à qua interdum efficitur; effectus enim in cauſam refertur. Tum refertur in actus ſupernaturales, tanquam in effectũ; inclinatio enim, & propenſio innata habitus in actus, abſque ordine tranſcendenti aſſeri nõ valet. Ergo cum actus ſupernaturales in gratiam tranſcendentaliter referantur; habitus facilitans potentiam ad actus ſupernaturales, medijs actibus, in gratiam tranſcendentaliter refertur.

Eneruatur

43. Reſpondeo, quamquam habitus naturalis actibus ſupernaturalibus poſſit adquiri, & in actus ſupernaturales influere; nihilominus in eos actus nullo ordine tranſcendenti refertur, nec cum eis quoad ſuam entitatem cõnectitur; vnde nec illis medijs cum gratia ſanctificante coniungitur. In eos actus vt in cauſam non refertur. Efficitur quidẽ habitus naturalis ſupernaturalibus actibus; nam cum ſuperioris ordinis ſint, continere poſſunt habitum, quem actus naturales ordinis inferioris efficiunt. Cæterum proceſſio habitus naturalis ab actibus ſupernaturalibus citra exigẽtiam habitus, ſola actuum ſupernaturaliũ exigentiã contingit. Vnde habitus naturalis ſuapte natura à ſolis actibus naturalibus producitur, & in eos ſolos tranſcendẽti ordine refertur. Neque repugnat aliquã actionem ſoli exigentiæ cauſæ, quin exigentiæ effectus ex natura rei deberi: vt è cõtra poteſt actio ab effectu, quin à cauſa deſiderari. Sic actus vitalis elicitur à potentia vitali, quamuis vitalis illa proceſſio ſoli actui, non autem potentiæ vitali debeatur. Item quantitas creatione producitur, quamuis creatio illa decreto efficienti Dei, non vero quantitati debita ſit. Igitur ſimiliter poteſt habitus naturalis ſupernaturalium actuum exercitio comparari, tametſi actio illa ſupernaturalis non ab habitu, ſed ab actibus tantùm exigatur. Dico actionem illam ſupernaturalem: nam cum eſſentialiter pendeat à principio ſupernaturali, ſuapte entitate omnia principia, & exigentiam naturæ excellit, atq; adeo intrinſecè ſupernaturalis eſt. Vt enim actio vitalis fertur in terminum non vitalem, quòd à principio viuenti immanenter producatur, nempe motus localis in vbicationem, nutritio in vnionem materiæ & formæ, & continuationem partis cum materia præcedenti, nihil prohibet actionem ſupernaturalem in terminum naturalem occupari. Id quod ſuperioribus ſtatuimus fore, quando virtute obedientiali

Digitized by Google

tiali calor à frigore produceretur.

Iterum. 44. Rurſus habitus naturalis non refertur tranſcendentaliter in actus ſupernaturales, tamquam in effectum. Nam licet in eos efficienter concurrat, tamen virtus efficiendi non eſt naturalis, ſed obedientialis, & eleuata, qualis potentiæ, & ſpeciebus naturalibus ineſt. Virtus autẽ obedientialis, & eleuata ſuos effectus ordine tranſcendenti non reſpicit vt diſputat. 32. oſtendemus. Nec vrget propenſio, & inclinatio innata habitus in actus, quę ſine tranſcendenti connexione & ordine ægre concipitur. Tum quia effectus formalis habitus acquiſiti non eſt inclinare potentiã, ſed minuendo ipſius concurſum, onuſque eleuando, ipſam facilem reddere. Vt lib. de anima tr. de habitibus docui oſtendamque in Metaphyſica. Tum quia, eſto, inclinatio iſta in actus naturales habitui naturali concedatur: tamen in actus ſupernaturales ſeorſim ab habitu, & auxilio ſupernaturali deneganda eſt. De quo alibi.

Octauum argumentum. 45. Octauum. Potentia obedientialis receptiua gratię habitualis in animo rationali, eſt connexa tranſcendentaliter cum gratia poſſibili. At potentia receptiua gratiæ in animo rationali eſt naturalis quoad entitatem. Ergo entitas naturalis vendicat ſibi connexionem trãſcendentalem cum gratia poſſibili. Conſequentia legitima eſt. Maior probatur. Nulla datur potentia ad effectum impoſſibilem. Potentia obedientialis præſertim receptiua eſt ſimpliciter potentia. Ergo dari non poteſt ad gratiam impoſſibilem; ac per conſequens cum gratia poſſibili connexa eſt. Minor oſtenditur. Potentia obedientialis receptiua gratiæ à ſubſtantia animæ, in qua immediate, & adequate recipitur, realiter indiſtincta eſt. Subſtantia animæ eſt naturalis. Ergo potentia receptiua gratiæ eſt ſubſtantialiter naturalis. Nec audiendi ſunt Recentiores, qui nouiſſime opinantur, potentiam obedientialem eſſe quidem realiter indiſtinctam ab entitate naturæ. Nihilominus eſſe perfectionem in entitate naturali formaliter ſupernaturalem; atque adeo omnem entitatem naturalem continere formaliter ſupernaturalitatem potentiæ obedientialis, cui non repugnant perfectiones naturales magis, quam vitalitas, & ſupernaturalitas inter ſe repugnant. Hæc enim doctrina paradoxa eſt, & merito ab ſcholis relegãda, vt diſp. 8. ſect. 1. oſtendemus.

Prima reſponſio. 46. Igitur reſpondeo primo. Potentia obedientialis eſt adęquate identificata naturę; etenim natura non habet connexionem cum gratia poſſibili. Quippe non conſtituitur per reſpectum abſolutum, vt potentia naturalis; ſed per reſpectum conditionatum, vt omnipotentia diuina, quæ mea opinione, ab ordine tranſcendenti ad creaturas, & connexione entitatiua cum poſſibilitate earum omnino abſoluta eſt. Itaque vt omnipotentia eſſentiali conceptu omnipotentiæ, non eſt abſolute productiua rerum, ſed tantum ſub conditione non repugnantiæ creaturarum; quibus repugnantibus eadem quoad entitatẽ permaneret. Sic potentia obedientialis quoad ſuam entitatem nõ eſt abſolute potens efficere, aut recipere effectum ſupernaturalem, ſed tantum ſub conditione poſſibilitatis effectus, & eleuationis abſolutæ Dei, quibus repugnãtibus eadem quoad ſuam entitatem perſeueraret. Duplici tamen diſcrimine. Primum, quod defectus connexionis entitatiuę cum creaturis, cõuenit omnipotentiæ diuinæ ratione ſuæ altiſſimæ perfectionis, & neceſſitatis eſſendi, omnino independẽtis ab alio: defectus vero connexionis cum effectu ſupernaturali, & eleuatione abſolute poſſibili Dei, competit naturæ ratione infimæ, & limitatę perfectionis, quæ non aſſequitur altã connexionem virtutis exigentis concurſum in effectus ſupernaturales. Secũdum, quòd poſita abſolute cõditione poſſibilitatis creaturarum, Dei omnipotẽtia intrinſecè, & adęquate exiſtit abſolute productiua illarũ; poſita vero poſſibilitate effectus ſupernaturalis, & eleuationis Dei, entitas creata naturæ nõ fit omnino intrinſecè productiua effectus ſupernaturalis, ſed abſolute potens conſtituitur, partim entitate ſua naturali, partim eleuatione ſupernaturali Dei. De quo fuſius diſp. 32. 33. Etiam reſpondeo ſecundo. Potentia obedientialis inuoluit connexionem entitatiuam cum donis ſupernaturalibus; etenim non identificatur adæquate entitati naturæ, ſed intrinſecè importat, tũ entitatem naturæ omnino abſolutã, tum eleuationem ſupernaturalem Dei cum donis ſupernaturalibus connexam; vt cauſa quidem adæquata vtramque in recto; vt cauſa inadequata vero alteram in recto, & alteram in obliquo. Hoc facile intelliges, ſi ponas meam ſententiã, quæ prorſus reſpuit denominationes rebus contingentes, & adæquate ſibi identificatas. In oppoſita enim doctrina facile ponuntur potentia obedientialis adęquate identificata naturæ, & abſolute productiua. Cæterum in ea etiam cõſequẽter dicitur eſſe abſolute, & intrinſecè productiua, abſque cõnexione entitatiua cum donis ſupernaturalibus, nempe denominatione identificata naturæ: ſed tamen contingenti, & defectibili abſque defectu entitatis naturalis. Quæ vt notabamus, n. 21. ad ſupernaturalitatẽ non ſufficit. Hæc omnia longiorem conſiderationẽ habent diſp. 32. & 33. vbi eſſentiam virtutis obedientialis ex profeſſo examinabimus & ordinem tranſcendentalem naturæ in effectus ſupernaturales improbabimus. Secunda reſponſio.

Nonum argumentum. 47. Nonum. Peccatum actuale reſpicit tranſcendentaliter gratiam poſſibilem; nam ſuapte natura eſt deſtructiuum gratiæ exiſtentis: impoſſibili autem gratia non poſſet peccatum eſſe deſtructiuum gratiæ. At peccatum non eſt ſupernaturale. Ergo reſpectus tranſcendentalis in gratiam poſſibilem poteſt alijs, quam ſupernaturalibus conuenire.

Explicatur. 48. Reſpondeo. Peccatum non refertur tranſcendentaliter in gratiam; ſed repugnanti gratia poſſet exiſtere peccatum, vt poſſunt alij actus, qui peccata non ſunt. Porro autem peccatum mortale deſtruit gratiam; non quia entitas peccati referatur in gratiã, ſed quia entitas gratiæ referatur in peccatũ. Vt enim ex natura rei duo ſint repugnantia in eodem ſubiecto,

Digitized by Google

opus non eſt in vtroque exigentia poſitiua carentiæ alterius; ſed ſufficit vni eorum repugnantiam poſitiuam conuenire. Et fuſius exponemus agentes de gratia iuſtificante. Deinde reſpondeo. Peccatum actuale refertur in gratiam, deſtruendo illam; quod non eſt connecti cum gratia, ſed verius, connecti cum carentia gratiæ. Ens autem ſupernaturale connectitur cum gratia, nulla ratione deſtruendo illam. Si vero obijcias, actum fidei prænoſcentem carentiam gratiæ, non eſſe connexum cum eſſe, ſed cum non eſſe gratiæ. Reſpondeo eum actum non eſſe gratiæ connecti, ſupponendo tanquam carentiam gratiæ; non vero inducendo illam, vt connectitur peccatum.

Vltimum. 49. Poſtremum. Poſſunt dona omnino indebita naturæ, quin ſint connexa cum gratia. At dona omnino indebita naturæ ſunt ſupernaturalia, quin connexa cum gratia. Minor, & conſequentia probatione non egent. Probatur maior. Dona poſſibilia indebita naturæ ſunt infinita. Gratiæ iuſtificanti non ſunt connexa dona infinita. Ergo poſſunt dona eſſe indebita naturæ, quin ſint connexa cum gratia? Reſpondeo. Dona infinita poſſunt eſſe cõnexa cum gratia iuſtificante. Nam etiam gratię iuſtificantes poſſunt diuinitus creari eſſentialiter perfectiores ſine fine, ſicut reliqua dona ſupernaturalia, vt oſtendimus tractatu de gratia iuſtificante. Vt autem donum ſit ſupernaturale, ſufficit connecti tranſcendentaliter cum aliqua gratia infinitarum poſſibilium; à quibus omnibus præſcindit ratio gratiæ iuſtificantis, per quam dona ſupernaturalia definimus. Deinde; eſto, gratia habitualis non ſit in alia ſpecie nobiliori poſſibilis, neque illi dona infinita cognata ſint; tamen gratiæ hypoſtaticæ poſſunt infinita dona referri, cum infinitè nobilitet naturam, cui diuinitatem coniungit. Ad conceptum autem ſupernaturalitatis non requiritur connexio cum gratia habituali, ſed cum gratia iuſtificante, quæ ab habituali, & ſubſtantiali præſcindit. Ad hæc; eſto, connexio cum gratia habituali determinatè ſupernaturalia conſtituat, poſſunt dona infinita in illam tranſcendentaliter referri; non ſimul, ſed ſub disiunctione, vt cum hæc, vel illa dona exiſtant, gratiæ habituali, aut ſecundum eſſe phyſicum, aut ſecundum eſſe intentionale iungantur. Sicut infinitæ ſpecies impreſſæ naturæ Angelicæ cognatæ, ſunt ſub disiunctione infinitorum ordinum rerum, in quibus poſſunt produci.

Occurritur argumẽto.

SEXTIO SEXTA.

Quid conferat connexio quidditatiua intentionalis cum gratia ad excellentiam ſupernaturalium?

Concluſio. PLurimum confert. Nam cum cognoſcibilitas rei entitatis perfectionem ſequatur: quò fuerit cognoſcibilitas perfectior, entitas excellentior eſt. Hac ratione ſæpe donorum ſupernaturalium præſtantiam notionis quidditatiuæ altitudine ſacræ Scripturæ exprimere ſolent. Sic Paulus dona cæleſtia 1. Cor. 2. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* Quin ſuper excelſam diuinitatis magnitudinem non alio præconio retulit. Thim. 6. *Qui lucem habitat inacceſſibilem, quam nullus hominum vidit, nec videre poteſt.* Eo modo Chriſtus Matth. 11. ſacramenta fidei ſupernaturalia prædicat, *abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.* Et ibidem, *Patrem nemo nouit niſi filius, & cui voluerit filius reuelare.* cap. 16. *Beatus es Simon Barjona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt.* Denique Paulus 1. Corinth. 2. exactè expoſuiſſe videtur donorum ſupernaturalium præſtantiam, cum ea ſolo Dei ſpiritu innoteſcere teſtatur. *Quæ ſunt Dei, nemo nouit, niſi ſpiritus Dei. Nos autem non ſpiritum huiuſmodi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, vt ſciamus, quæ à Deo donata ſunt nobis.* Quem locum expendemus diſput. 10. ſect. 2. Quare Deitatis excellentiam extollit Proſper ex Auguſtino lib. ſentent. 61. dicens: *excedit ſupereminentia Deitatis non ſolum vſitati eloquij noſtri, ſed etiam intelligentiæ facultatem.* Nazian. vero orat. 38. de Natiuit. inter prin. & med. *Deus eſt nec principium habens, nec finem, velut Pelagus quoddam eſſentiæ immenſum, omnem tum temporis, tum naturæ cogitationem ſuperans.* Damaſcenus in feſtum Annunciationis, incarnationem verbi dicit *rem inconiecturabilem*, ad prædicandum incarnationis excellentiam: item Deum *ſupra rationem, & mentem incarnatum:* & cum Virgine loquens, *ſupra intellectum concipiens Deum naturæ, leges latiſti puella.* Quod obuiam inuenitur in ſcripturis Patrum prædicantium infinitam altitudinem diuinitatis per inacceſſum intuitum naturæ. Item S. Thomas in 2. d. 27. art. 4. corpore probat, finem hominis eſſe ſupernaturalem, atque adeo etiam gratiam promouentem in illum, quia talis finis excedit connexionem intentionalem naturæ. *Gratia omnino conditionem naturæ excedit, quia ducit in finem, quem nulla creata natura per ſe attingere poteſt.* Propter quod dicitur 1. Corinth. 11. *quod oculus non vidit.* Vnde donum gratiæ nullo modo cadere poteſt ſub meritum eius, qui in puris naturalibus eſt. Igitur quod dona aliqua nõ poſſint naturæ notitia; ſed ſpiritu, & ſcientia Dei, iuſtorum diuinitatis conſortium propria, ingentis excellentiæ argumentum eſt. Quare non abs re ſupernaturalitatem per connexionem intentionalem declaramus.

51. Porro hæc connexio ſic intelligenda eſt, & ſicut omnis quidditas Phyſica, omnis quidditas intentionalis rei, hoc eſt, omnis ſpecies, & cognitio quidditatiua, ad ordinem gratiæ iuſtificantis pertineat. Nam cum eſſe intentionale rei, pro varietate cognoſcentium, varium & multiplex ſit, non

Marginalia (right column): 1. Cor. 2. — 1. Thim. 6. — Matth. 11. — 16. — 1 Cor. 2. — Proſper. — Nazianſenus. — Damaſcenus. — S. Thomas. — Omnis cognitio quidditatiua doni ſupernaturalis ad ordinem gratiæ ſpectat.

ſufficit ad ſupernaturalitatem ipſius, vnam, aut alteram ſpeciem, & cognitionem quidditatiuam in ordine gratiæ iuſtificantis contineri, ſi alia ſpeciês, & cognitio quidditatiua eiuſdem in ordine naturæ comprehendatur. Nam ſublimitatis argumentum non eſt, rem ſublimi cognitione quidditatiuè diſtingui, niſi ad ſui quidditatem diſtinguendam alia notitia inferior ſufficiens excludatur, etenim ratione ſupernaturali, imo & diuina quidditatiuè exprimi, rebus omnibus etiam naturalibus, & infimis commune eſt. Igitur ſolius ſcientiæ filiorum Dei proprie debet eſſe ſpecies, & cognitio quidditatiua, quæ donorum ſupernaturalium excellentiam teſtetur.

Poteſt conceptus ſecundarius ordine cauſalitatis eſſe primarius ordine vniuerſalitatis.

52. Nec obeſt, ſi opponas cognoſcibilitatem in vnaquaque re non eſſe primarium, ſed ſecundarium conceptum; atque adeo connexione intentionali cum gratia, primarium rerum ſupernaturalium conceptum non poſſe definiri. Etenim poteſt aliquis conceptus eſſe primarius ordine vniuerſalitatis, qui ordine cauſalitatis, ſiue Phyſicæ ſiue Logicæ ſecundarius eſt. Hac ratione, meo iudicio facultas ſentiendi eſt primarius conceptus hominis, ordine vniuerſalitatis; quæ ordine cauſalitatis Logicæ ſecundarius eſt. Nam licet inter gradus pluribus ſpeciebus communes non ſupponat alium primum, è quo fluat; tamen inter hominis prædicata cauſalitate Logica prius eſt diſcurſiuum eſſe, quam eſſe ſenſitiuum. Nam facultas ſentiendi conuenit homini, quia conuenit facultas diſcurrendi, & non è contra; ſenſus enim eò præſtantur homini, vt poſſit ſpecies comparare, quibus diſcurſus conficiat: intellectus autem non confertur, vt eliciat ſenſationes. Ratioque doctrinæ aperta eſt. Nam poteſt naturis omnino diuerſis conſimilis paſſio eſſe communis, vt ſimiles effectus poſſunt à cauſis diſſimilibus oriri. Prædicatum autem talem paſſionem communem ſignificans ordine & vniuerſalitatis genericæ primarium eſt, quia nullum eſt prædicatum vtrique naturæ commune, quod illud prædicatum præcedat: quamuis ordine cauſalitatis in ſpecifica natura poſterius ſit. Igitur ſimiliter connexio quidditatiua cum gratia Phyſica, & intentionali communis, poteſt ordine vniuerſalitatis complectentis omnia dona ſupernaturalia, eſſe prior; quamuis ordine cauſalitatis Logicæ poſterior ſit. Inſuper obiectio nulla erit, quia conceptum ſupernaturalium eſſentialem, & primarium ſolum ex parte obiecti inquirimus. Cognoſcibilitas autem non eſt conceptus ſecundarius, ex parte obiecti, ſed tantum ex parte modi concipiendi, vt in Metaphyſica explicabimus.

Cognitio quidditatiua ſupernaturalium, ſolius ſcientiæ infuſæ propria eſt.

53. Rogabis ſecundo. Cur ſpecies, & cognitio quidditatiua rei ſupernaturalis non poſſit aliquam ſcientiæ infuſæ, connexæ cum gratia iuſtificanti competere, cum aliæ ſcientiæ infuſæ à nunc exiſtenti diuerſæ non repugnent? Quæſtio non fatigat. Nam quælibet notio ſcientiæ infuſæ eſt propria filiorum & amicorum Dei, vt notio inferior fidei infuſæ ab habitu, qui eſt proprietas filiationis, & amicitiæ Diuinæ, originem habet. Quid? quod quælibet ſcientia infuſa connectatur habitibus infuſis voluntatis, quos in affectus ſupernaturales reguletur. Cumulus autem ſcientiæ ſupernaturalis, & habituum ſupernaturalium voluntatis aliquam iuſtitiam, ſeu naturam ſupernaturalem per ſe exequtione, aut intentione ſupponit. Neque magna, & pretioſa dona Dei alijs, quàm conſortibus naturæ diuinæ, exequtione, aut intentione conferuntur. Quare facile poteſt admitti alia ſcientia infuſa à nunc exiſtenti diuerſa; verumque gratiæ habituali nunc exiſtenti, aut alicui ex infinitis poſſibilibus aut ſaltem vnioni hypoſtaticæ, tanquam proprietas, aut diſpoſitio, collectiuè, aut diuiſiuè cum alijs habitibus ſupernaturalibus, ordine tranſcendenti annexa ſit.

DISPVTATIO QVINTA.

EXCELLENTIA RESPECTIVA EFFERENS entia ſupernaturalia ſupra naturam.

INCIPIMVS iam dona ſupernaturalia cum natura conferre, & relationem præſtantiæ, à qua ſupernaturalia, ſiue ſupranaturam exiſtentia dicuntur, noſtris diſputationibus declarare. Nunc excellentiam ſupranaturam ad eſſe ſupernaturale neceſſariam, & ſufficientem; deinde alias, quæ primam iſtam ſequntur, aut explicant, differemus.

SECTIONES.

1. *Expenduntur duæ ſententiæ.*
2. *Explicatur propria ſententia.*
3. *Argumenta contra præcedentem ſententiam.*
4. *Quænam ſit exigentia naturæ, quam ſuperat ens intrinſecè ſupernaturale.*

SECTIO PRIMA.

Expenduntur duæ ſententiæ.

Prima ſententia. Scotus. Philippus Faber. Baſolis. Aureolus. Guillelmus Herrera. Rada. Soſa. P. Coninck.

1. ITaque prima ſententia ſupernaturalia agnoſcit, quæcumque entia vires actiuas naturæ excellunt, quamuis intra paſſiuas naturales contineantur. Tribuitur Scoto q. 1. Prologi §. ad quæſtionem igitur, & in quarto diſtinctione 10. q. 8. § contra rationem.* Quem ſequuntur Philippus Faber diſp. 3. Prologi, & diſp. 8. c. 2. & Baſolis q. 2. Prologi §. circa primum. Aureolus in 1. diſtinctione 41. q. 1. ar. 3. Guillelmus de Rubione q. 1. Prologi, & alij Scotiſtæ, Herrera, Rada, & Soſa referendi diſp. 8. ſec. 2. Quibus accedunt Sotus de natura, & gratia, cap. 4 concl. 3. & in quarto, diſtinctione 49. q. 2. ar. 1. & Pater Conink de virtutibus ſupernaturalibus diſp. 4. nu. 17. & diſp. 7. nu. 15.

Reiicitur.

2. Hæc ſententia ſic propoſita à vero abeſt. Ita docent plures Theologi referendi diſp. ſequenti ſec. 1. aſſerentes non poſſe dona ſupernaturalia intra vires paſſiuas contineri. Probatur. Creatio animi excellit vires actiuas naturæ. Tamen creatio animi non eſt ſupernaturalis. Ergo ſola excellentia ſupra vires actiuas naturæ non ſufficit ad ſupernaturalitatem. Conſequentia eſt legitima. Maior, & minor apud Theologos & Philoſophos cõſtantiſſimę.

Excellentia ſupra vires actiuas naturæ non ſufficit ad ſupernaturalitatẽ. Philippus Faber.

3. Tamen; vt firmius hoc argumentum conſiſtat, vindicandum eſt, à duplici reſponſione, quam illi excogitauit Philippus Faber ſupra. 1. Eſt, creationem animi eſſe ſupernaturalem quoad ſubſtantiam. 2. non eſſe ſupernaturalem; quia natura ſaltem præparat ſubiectum ad illam. At primo ſolutio inauditæ doctrinæ eſt; & facile reuincitur. Nam ſi creatio animi eſt entitate ſupernaturalis, quia vires actiuas naturæ ſuperat, eâdem prorſus ratione animus ipſe erit etiam ſupernaturalis, quia eius ſubſtantia ſupra omnem facultatem actiuam naturæ eleuatur. Hoc autem Theologice dici non poteſt; alias animus poſſet abſque auxilio ſuperaddito, ſuis tantum viribus, actus ſupernaturales efficere. Ergo creatio animi ſupernaturalis non eſt. Item productio cœlorum non eſt ſupernaturalis, quamuis actiuę vires naturæ non ſufficiant producere cœlos. Igitur nec creatio animi ſupernaturalis erit, quamuis actiua virtus naturæ animum creare non valeat. Secunda ſolutio ſe parum tuetur. Nam ad Angeli creationẽ nullum pręparat natura ſubiectũ.

Creatio animi non eſt ſupernaturalis.

Creatio tamen Angeli ſupernaturalis non eſt; ergo excellentia ſupra vires, tum actiuas, tum diſpoſitiuas naturæ nõ ſufficit ad eſſe ſupernaturale. Rurſus diſpoſitio ſubiecti habet ſe ex parte potentiæ paſſiuæ. Per te forma ſupernaturalis non eſt ſupra facultatem paſſiuã naturę. Ergo neque erit ſupra diſpoſitionem naturæ. Deinde forma cæleſtis, & diſpoſitiones ad illã à ſolo Deo productæ ſũt. Nec implicat hoc cœlis ſuapte natura conuenire. Quæ enim repugnantia formam ſubſtantialem eſſe, cuius diſpoſitiones, & exiſtentia à ſolo Deo trahant originem? At nihilominus nec talis forma, nec eius diſpoſitio, aut productio erunt ſupernaturales. Igitur exceſſus virtutis actiuæ, & diſpoſitiuæ naturæ non ſufficit ad excellentiam ſupernaturalem.

Diluitur primum argumentum Scotiſtarũ.

4. Suam tamen ſententiã ex duplici capite Scotiſtæ ſuadent. 1. Quia dona ſupernaturalia continentur in virtute paſſiua naturali. Quod pluribus argumentis conantur oſtendere, quæ proponemus diſputatione ſequenti. Ergo, quãuis dona non excedãt virtutẽ paſſiuam naturæ, ſolo exceſſu virtutis actiuæ erunt ſupernaturalia. In primis antecedens non eſt verum, de quo diſſeremus diſp. ſequenti. Deinde conſequẽtia eſt mala. Nam vt oſtendemus infra, poſſunt dona ſuperare vires tam actiuas, quam paſſiuas naturæ, quin ſint intrinſecè ſupernaturalia, ſolum quia nõ ſuperant exigentiam, ac debitũ naturę.

Diluitur ſecundum.

5. Secundo arguunt. Plura ſunt ſupernaturalia, ſolum quia virtute actiua naturæ fieri non poſſunt, vt reſtitutio viſus amiſſi, & reſurrectio mortuorum. Ergo ſola excellentia ſupra virtutẽ actiuam naturæ efficit rem ſupernaturalem. In primis hoc argumentum tantum probat de ſupernaturalibus quoad modum. Nos autem diſſerimus de ſupernaturalibus quoad ſubſtãtiam. Deinde reſtitutio viſus, & ſuſcitatio mortuorũ non ſunt ſupernaturales, quia excellunt virtutẽ actiuam naturæ; nam eodem modo excellunt etiam paſſiuã. Si enim Deus conferret concurſũ ad formam amiſſam, eodem modo poſſent agẽtia illã producere, quo poſſent ſubiecta recipere. Sunt igitur ſupernaturales ſolum quia illorum reparatio eſt ſupra exigentiam, & connexionem naturæ, vt ſectione ſequenti dicemus.

Secunda ſententia.

6. Secunda ſẽtẽtia tuetur ad eſſe ſupernaturale requiri, & ſufficere perfectionem rei, quæ excedat virtutem actiuã, & paſſiuam naturæ. Ita plures recentiores adducentes pro hac ſẽtẽtia authores, qui docẽt, dona ſupernaturalia nec in virtute actiua, nec in virtute paſſiua naturali contineri; quos proponemus diſp. 8. nu. 13. ſed non bene referuntur. Nam aliud eſt exceſſum virtutis actiuę, & paſſiuę naturalis ad eſſe ſupernaturale requiri, aliud eum exceſſum ſufficere. Prius diſerte tradunt. Poſterius nec diſputatione, nec cõſideratione, illi authores attingũt.

Deſeritur.

7. Igitur etiam hæc ſententia deſerenda eſt. Nam Angelus eius perfectionis eſt, quæ ſuperet vires tum actiuas, tum paſsiuas totius naturæ. Tamen Angelus non eſt ſupernaturalis ſupernaturalitate Theologica, de qua diſſerimus. Ergo ſuperare vires actiuas, & paſsiuas naturæ non ſufficit ad eſſe ſupernaturale.

Digitized by Google

Exceſſus virtutis actiuæ & paſſiuæ naturæ nõ ſufficit ad ſupernaturalitatem.

8. Dices primò cum recenſioribus, Angelum non eſſe ſupra vires paſſiuas totius naturæ relatione poſitiua, & reali. Nam ea relatione ſupra ſeipſum eſſe non poteſt; cum relatio poſitiua, & realis inter extrema realiter diſtincta intercedat; Angelus autem à ſe ipſo realiter diſtinctus non ſit. Sed cõtra, primò. Ponamus creationem Angeli realiter diſtinctã à termino. Creatio illa non eſt ſupernaturalis. At creatio illa comparatur cum Angelo, & vniuerſa natura, relatione poſitiua ſuperantis vires actiuas & paſſiuas naturæ: ergo excellẽtia poſitiua rei ſupra vires actiuas & paſſiuas naturæ nõ eſt propria ſupernaturalium. Secundò. Per te exceſſus virtutis actiuæ tantum non ſufficit ad gradum excellentiæ ſupernaturalis; quia Angelus, qui non eſt ſupernaturalis, virtutem actiuam totius naturæ excedit. Sic arguis contra ſuperiorem ſententiam Scoti. Atqui Angelus eodem modo excedit vires paſſiuas naturæ, quo excedit actiuas. Ergo ſimiliter exceſſus virtutis actiuæ, & paſſiuæ ſimul ad eſſe ſupernaturale non ſufficiet. Probatur minor. Vt tota natura includens ipſum Angelum caret virtute actiua Angeli, ſic tota natura caret virtute paſſiua: & vt carentia iſta virtutis actiuæ non inducit relationem poſitiuam, quia cum tota natura comprehendente etiam Angelum comparetur, ſic nec illam inducit carentia virtutis poſitiuæ. Ergo eodem modo comparatur Angelus cum natura excedẽs virtutẽ paſſiuam, quo comparatur excedens virtutem actiuam.

9. Dices ſecundò, rerum ſupernaturalium eſſe ſuperare vires actiuas, & paſſiuas naturæ, exigendo alicuius cauſæ vires, tam actiuas quam paſſiuas: Angelum autem, licet exigat vires actiuas alicuius agentis, nullius tamen ſubiecti exigere vires paſſiuas. Sed contra. Nunc etiam demus creationem poſsibilem quantitatis, aut gratiæ habitualis diſtinctam. Talis quidem creatio erit ſupernaturalis. At non erit ſupra vires actiuas, & paſsiuas naturæ, exigendo poſitiue aliquas vires paſsiuas, cum poſitiuè cauſalitati paſsiuæ repugnet, vt in opere Metaphyſico oſtendemus. Ergo rei ſupernaturalis nõn eſt, vires paſsiuas alicuius ſubiecti poſitiue deſiderare. Deinde: Nõ repugnat accidẽs aliquod ſupernaturale ſuapte natura creari; quod videlicet ita afficiat ſubiectũ, vt eodem concurſu extra ſubiectum conſeruetur, ſicut animus conſeruatur; aut quod eadem actione hoc, & illud ſubiectum informet, ſola varietate vnionum. Etenim hoc naturæ accidentis non repugnat. Accidens enim ſuo conceptu completur, vbi ſubſtantiæ in ſuo eſſe conſtitutæ adueniat. Aduenire autem rectè poteſt accidens ſupernaturale, quamquam ſubſtantiæ Phyſice non inhæreat, ſed Logice tantum illius naturæ accedat, vnitum quidem vt perficiat, non tamen eductum, vt independenter à ſubiecto, vel omnino, vel ſaltem hoc detracto conſeruetur. In hoc enim repugnantiam non eſſe, in Metaphyſica ſtatuemus. Quin de facto plures Theologi, quos videbimus diſp. ſeq. ſec. 1. arbitrantur gratiam habitualem non eductione, ſed creatione produci. Nunc ſic argumentor. Accidens ſupernaturale per ſe creatum nõ poſtulat poſitiuè vires aliquas paſsiuas ſubiecti. Ergo rerum omnium ſupernaturalium non eſt exigentia poſitiua ſubiecti. Denique id refellitur, quia ſi res ſupernaturales ad ſui definitionem ſupponerent exigentiam poſitiuam ſubiecti inhæſionis, fruſtra moueretur quæſtio de poſsibilitate ſubſtantiæ ſupernaturalis; cum omnibus Theologis abſque controuerſia certũ ſit, repugnare ſubſtantiæ, prædicatum importãs ſuapte ſignificatione, inhæſionem, vt arguebamus diſp. 3. n. 9. Quid? quod nos fuſe probabimus alibi talem ſubſtantiam ſupernaturalẽ eſſe poſsibilem. Igitur receptio, ſiue inhæſio poſitiuã ſupernaturalium propria non eſt. Itaque ex hoc capite non repugnat Angelo ſupernaturalitas, ſi hæc ſufficienter conſtituitur exceſſu virtutis actiuæ, atque paſsiuæ naturæ.

Accidens ſupernaturale poteſt eſſe connaturaliter productum creatione.

Explicatur obiectio recentiorũ.

10. Cæterum obijciunt recentiores, dona quæ nouimus ſupernaturalia, prædicantur ſupernaturalia, ſolum quia excedunt omnes vires tam actiuas, quàm paſsiuas naturæ. Quare actus qui viribus naturæ fieri non poſſunt, aſſeruntur contra Pelagium ſupernaturales. Ergo ſufficit ad ſupernaturalitatem vires actiuas, atque paſsiuas naturæ ſuperare. Reſpondeo. Dona quæ admittuntur ſupernaturalia, agnoſcenda ſunt excellentia naturam: non ſolum quia eius vires actiuas, & paſsiuas excellunt, ſed etiam quia excellunt omnem exigentiam, ac debitum naturæ, vt ſectione ſequenti oſtendemus. Itaque præter vires actiuas, & paſsiuas naturæ ſuperanda eſt eiuſdem exigentia ad eſſe ſupernaturale. Nam res quæ à ſolo Deo fiunt, & à natura neque fieri, neque ſuſtentari valent, ſi tamen naturæ ineſt exigentia, vt à ſolo Deo efficiantur, planè non erunt ſupernaturales, ſed naturales. Igitur ſola excellentia actionis, atque paſſionis naturæ ſupernaturalitatem non conſtituit.

SECTIO SECVNDA.

Explicatur propria ſententia.

Excellentia rei ſupra debitũ naturæ cõſtituit ſupernaturalitatem relatiuam.

11. MElius definitur ens ſupernaturale cõpoſitum cum natura, res cuius productio, & conſeruatio ſuperat exigentiam ac debitum totius naturæ, Naturale vero cuius productio, aut conſeruatio naturę exigentiam non excedit; vt comparatione entis ſupernaturalis, nec habeat natura vires, quibus eius productionem, aut conſeruationem exequatur, nec vires alterius exigat, quæ productionem, aut conſeruationẽ exequatur. Cõparatione entis naturalis vero natura, aut proprias vires exhibeat, aut alienas ſaltẽ efficientes, vel cõſeruantes exigat. Quo planè animus, & Angelus ad ordinẽ naturalium ſpectant, cũ animi productio à corpore rectè diſpoſito, Angeli vero cõſeruatio à ſubſtãtiã, & proprietatibus ipſius Angeli, quæ naturã in ſua latitudine complẽt, vt vidimus diſp. 3. poſitiue exigãtur. *Productio* aut *cõſeruatio* dixi, quia forſan productio Angeli nec ab alio ente naturali, à ſe diſtincto, nec à ſubſtãtia ipſius Angeli

Digitized by Google

poſtulatur, vt poſtulatur conſeruatio. Etenim vt res aliqua poſtulet propriè productionem alterius, aliqua ratione præcedere debet rem, quam à Deo poſtulat produci. Sicut enim moralis poſtulatio non eſt eorum, quę iam antecedunt poſſeſſa, ita nec Phyſica exigentia. Prima creatio autē potius antecedit, quam ſubſequatur ſubſtantiam Angeli; quare Angelo gratioſa eſt, & nulla ratione debita. Conſeruatio vero ab Angelo primùm exiſtente iure exigitur, atque adeò intra exigentiam naturæ continetur. Item productionem, non rem ipſam ſupernaturalem dixi, debitum, & exigentiam naturæ ſuperfugere; tum quia plura entia naturalia ſubſiſtentia, & completa, imo, & materia prima incompleta, aliorum antecedentium exigentiæ debibita propriè non ſunt: tum quia entia ſupernaturalia ſunt obiecta largitatis diuinę; obiectum autem largitatis diuinæ non eſt poſſibilitas doni omnino neceſſaria, ſed productio, & exiſtentia contingens.

Magiſter.

12. Huius ſententiæ manifeſte eſt, Magiſter 2. diſt. 33. lit. M aſſerens *hominem per peccatum expoliatum gratuitis bonis, id eſt, virtutibus ſupernaturalibus, & in naturalibus bonis vulneratum.* Item S. Th. 1. par. q. 12. art. 4. probans viſionem beatam eſſe ſupernaturalem, quia natæ rationali indebita eſt ex illo Romanorum ſexto *gratia Dei vita æterna.* Item 1. 2. q. 51. art. 4. habitus ſupernaturales vocans virtutes gratuitas, & q. 111. ar. 1. ad 2. docens dona ſupernaturalia, vt à naturalibus diſtinguntur ſpeciali ratione dici dona gratiæ, quia nullo debito naturæ cōceduntur. Quin 2. 2. q. 106. ar. 2. aſſerēs dona collata peccatori eſſe maiora in ratione gratiæ ſuperantis naturam, quam collata iuſto, quia minus debita ſunt. Angelicum præceptorem ſequuntur omnes Theologi, eundem reputantes ordinē ſupernaturalium, & gratiæ; gratia enim debitū excludit iuxta illud Romanorū 4. *merces non imputatur ſecundū gratiam, ſed ſecundum debitum.* Item exponentes illud Lucæ 10. *homo quidā deſcendebat ab Hieruſalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam deſpoliauerunt eum, & plagis impoſitis abierunt ſemiuiuo relicto.* Cum Magiſtro ſupra, & S. Th. 1. 2. q. 85. ar. 1. de homine ſpoliato per peccatum donis gratuitis, id eſt, ſupernaturalibus, & in naturalibus vulnerato. Eundem eſſe ordinem ſupernaturalem, & gratiæ expreſſum habet Caietanus 1. p. q. 12. ad ar. 5. In quā ſententiam haud difficulter adduci poteſt Scotus relatus, nu. 1. ſi inter vires actiuas naturæ computentur non ſolum, quas natura exhibere, verum etiam exigere poteſt. Nam productio entis ſupernaturalis ſupra exigentiam naturæ eſſe non poteſt, quin etiam ſit ſupra vires actiuas, quas natura exhibere proprias, aut alienas exigere poteſt. Vbi enim productio rei intra eiuſmodi vires naturæ contineatur, neceſſario intra exigentiam naturæ continetur, cum natura non exerceat ſuas vires, nec exigat alienas, niſi in productionem effectus illarum. Igitur hac interpretatione vera eſt ſententia Scoti definientis donum ſupernaturale, quod omnes vires actiuas naturæ excedit.

S. Thomas. Rom. 4. Lucæ 10.

Probatur ex ſacris litteris.

13. Hæc ſententia manifeſta eſt. Primo ſacris teſtimonijs, quæ ſupernaturalia ſpeciali ratione, largitate diuina donata exprimunt. Ita primæ Corinthiorum ſecundo; nos *autem non ſpiritum huiuſmodi accepimus, ſed ſpiritum,* qui *ex Deo eſt,* vt *ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis.* Ea autem interpretibus Eccleſiæ Patribus, dona ſupernaturalia ſunt. Secundæ Petri primo. *Quomodo omnia nobis diuinæ virtutis ſuæ quæ ad vitam, & pietatem donata ſunt; per quem maxima, & pretioſa nobis promiſſa donauit.* Id eſt interprete Sancto Thoma, quam liberaliter, & ſine debito donata ſunt. Quæ quidem ſupernaturalia eſſe, vidimus diſputatione 4. ſectione 3. Item Iacobi primo *omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* Idem exploratum eſt teſtimonijs, quæ nomine gratiæ eadem dona ſupernaturalia ſignificant. Quo ſenſu Ioannis primo, Chriſtus dicitur *plenus gratia, & veritatis*; & Lucæ primo, Maria Deipara *gratia plena* ſalutatur, & Romanorum quinto 17. iuſti abundantiam gratiæ, & *donationis accipientis in vita regnaturi dicuntur,* & ad Epheſios 1. 7. *in quo habemus redemptionem per ſanguinem eius ſecundum diuitias gratiæ eius.* In quibus teſtimonijs nomine gratiæ dona ſupernaturalia intelliguntur; quod inter omnia beneficia Dei peculiari ratioue ſunt obiecta propria gratioſæ, ac liberalis donationis diuinæ.

1. Cor. 2. 2. Pet. 1. S. Thomas. Iacobi 1. Ioannis 1. Lucæ 1. Rom. 5. Eph. 1.

Probatur ex Conciliis.

14. Deinde idem oſtendunt monumenta Conciliorum ac Patrum, quæ vbique dona ſupernaturalia, omnino gratuita, & indebita naturæ prædicant, & eorum collationem in Dei gratiam & largitatem liberalem referunt. Quare Theologi ſupernaturalitatem gratiæ, habituum infuſorum, & auxiliorum actualium deducunt ex eo, quod Patrum, & Conciliorum teſtimoniis exploratum eſt, eorum productionem non eſſe annexam, aut debitam exigentiæ naturæ, ſed liberali, & indebita largitione donantur, vt cernere eſt ex argumentis, quæ conficiunt Theologi ad explicandam ſupernaturalitatem eorum. Ergo excellentia propria entium ſupernaturalium eſt, quæ ſuperat omnem exigentiam, ac debitum naturæ. Ideo Concilium Arauſican. 2. can. 5. definit credulitatis affectum, *non ineſſe nobis naturaliter*, nec fidem *naturalem eſſe*, quia per gratiæ donum efficiuntur; quia naturale & donum gratioſum inter ſe diſtinguntur. Ideò damnata eſt propoſitio 21. Michaelis Bay *humanæ naturæ ſublimatio in conſortium diuinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, ac proinde naturalis dicenda eſt, non ſupernaturalis*; quia ſublimitatem ſupernaturalem gratiæ, quam homo prima conditione accepit, debitam naturæ contendebat, cum dona ſupernaturalia omnino indebita naturæ aſſerenda ſint.

Concilium Arauſicanum. Michael Baius.

Probatur ratione.

15. Tertiò idem oſtenditur hac ratione. Nullum exiſtit ens ſupernaturale, cui excellentia explicata ſuper naturam non conueniat, nec ens naturale, cui talis excellentia competat. Ergo talis excellentia recte diſcernit à naturalibus ſupernaturalia. Conſequentia bona eſt. Antecedens conſtabit facienti

diſcurſu per omnia entia ſupernaturalia, ac naturalia. Explicatur;ens naturale non poteſt eſſe ſupra exigentiam naturæ, nec ſupernaturale iuxta naturæ exigentiam. Ergo excellentia ſupra exigentiam naturæ facit diſcretionem inter ſupernaturalia & naturalia. Conſequentia negari non poteſt. Probatur prior pars antecedentis. Si ens naturale à ſupernaturali diſtinctum ſit, accidens neceſſario exiſtit iuxta exigentiam naturæ. Etenim accidens, quod natura nec efficere, nec à Deo poſtulare valet, nihilò differt ab accidentibus, quæ modo omnes ſupernaturalia admittunt. Si vero ſubſtantia naturalis incompleta ſit, eius plane productio erit iuxta exigentiam alterius ſubſtantiæ complentis illam. Si completa, eius productio erit iuxta exigentiam ipſius ſubſtantiæ productæ, aut ſaltem conſeruatio; vnaquæque enim res aut ſui productionem, aut conſeruationem ex natura rei poſtulat: atque adeo erit iuxta exigentiam naturæ, quę ex tali ſubſtantia producta completur. Probatur poſterior pars. Ens annexum naturæ, ad eiuſque exigentiam productum, eiuſdem prorſus conditionis eſt cum entibus,quæ certò habentur naturalia,nullamque ſupra naturam præſtantiam affert, quæ naturalibus entibus communis non ſit. Igitur nullum ens ſupernaturale iuxta exigentiam naturæ, vt nullum ens naturale ſupra eius exigentiam,exiſtit.

SECTIO TERTIA.

Argumenta contrà præcedentem ſententiam.

Diſſoluitur primum argumentum.

16. PRimùm arguo. Odium Dei eſt intrinſecè naturale. Odium Dei non eſt debitum exigentiæ naturæ,nec quoad productionem, nec quoad conſeruationem,ſemper enim eſt malum, & contra naturam. Ergo ens naturale, vt à ſupernaturali diſtinguitur,non eſt debitum exigentiæ naturæ. Confirmatur. Accidentia neutra,vt color comparatione materiæ, non exiguntur à ſubiecto, cui inſunt; Alioqui non eſſent neutra,ſed debita ac naturalia.Ergo quod ſupernaturale non eſt, poteſt ſuperare exigentiam naturæ. Reſpondeo primo. Cum dicimus ens naturale eſſe cuius productio, aut conſeruatio exigitur à natura, nomine productionis intelligimus, aut actionem, qua res fit, aut actum primum omnino completum,in quo continetur. Eſto autem, natura non exigat actionem peccaminoſam; tamen poſtulat exiſtentia omnia principia, quibus in actu primo compleatur ad talem actionem: id quod comparatione entis ſupernaturalis habere non poteſt. Deinde licet natura rationalis in talem actionem non propendeat, ſufficit propendere in illam entitatē Phyſicā ipſius peccati: quæ vniuerſitatem naturę conſtituit, atque, vt quælibet alia res, ſui productionem, aut conſeruationem poſtulat. Rurſus entitatem Phyſicam peccati deſiderare poſſunt plura in natura: tum habitus vitioſus, tum motus concupiſcentiæ allicientes ad amorem delectabiliū, ac turpiū; tum alij actus imperantes illius, moraliter mali, tum ipſa natura rationalis cum abſque libertate, & tamquam agens neceſſarium, ac naturale amorem obiecti turpis operatur. At vero ens ſupernaturale, nec quoad ſuam Phyſicā entitatem ſupernaturalem ab aliqua re naturali poſitiue exigitur. Vnde ad confirmationem ſimiliter reſpondeo. Accidentia neutra poſſunt exigi à natura.Tum quia agentia naturalia omnino completa, quæ illa in ſubiectum inducūt, exigunt operari. Tum quia ipſa accidentia exigūt produci, aut conſeruari. Tum quia ſubiectum ipſum exigit in actu primo ad eorum ſuſceptionem expediri, & compleri.

Peccatum debitum exigentiæ naturæ.

Secundum.

17. Secundò argues. Deus vt author naturæ poteſt ſe liberalem exhibere conferendo naturæ dona indebita. Vt author naturæ non poteſt largiri dona ſupernaturalia. Ergo dona omnino indebita naturæ poſſunt eſſe naturalia. Reſpondeo. Deus vt author naturæ poteſt liberaliter perficere naturam accidentibus, quæ aliqua ratione exigentiæ& vniuerſæ naturæ tā exiſtentis,quàm poſſibilis ſubiecta ſint. Primò, ſi conferat ſubiecto perfectiores accidentales in maiori intenſione, aut extenſione quam exigit, vt ſi hunc ſolem lucidiorem faciat, ſpecies impreſſas,& cognitiones Angeli & hominis intenſiores, & viuaciores, ſi habitus adquiſitos, & præſentias locales multiplicet & extendat, & alia id ge us in naturæ beneficium agat. Secundò, ſi vni ſubiecto donet qualitates ſibi omnino indebitas, tamen debitas exigentiæ alterius, vt animo ſeparato ſpecies impreſſas Angeli, & rebus corporeis qualitates,& virtutes cōnaturales rebus poſſibilibus naturalibus. Tertiò, ſi largiatur perfectiones vltra exigentiam cuiuſcumque ſubiecti, non tamen agentium inducentium illa in ſubiectum: & plures qualitates occultas ab aſtris cęleſtibus productas. In his enim euentibus Deus liberaliter perficit ſubiectum vltra exigentiam, ac debitū ſubiecti, tamen quia ſaltem quoad perfectionem eſſentialem, & ſpecificam ea dona alicui ſubiecto naturali,modo explicato,debita ſunt, licet quoad gradualem intenſionem interdum vltra ſubiecti exigentiam exiſtant, abſolute ad excellentiam rerum ſubſtantialiter ſupernaturalium non perueniunt: quæ nullatenus, nec quoad gradualem, nec quoad ſpecificam & eſſentialem perfectionem intra exigentiam vniuerſæ naturæ, tam exiſtentis, quàm poſſibilis continentur. Quare ſi hoc pacto dona à Deo collata naturæ indebita ſint, non largitatis naturalis, ſed ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, materia erunt.

Deus vt author naturæ confert gratiosè plura dona naturalia.

Tertium.

18. Tertiò. Concluſio Theologica deducta ex præmiſſa ſupernaturali, & habitus virtutis, exercitio actuum ſupernaturaliū comparatus, ſunt naturales. Ergo actus ſupernaturales, quibus comparantur, non ſunt ſupra exigentiā effectuum naturalium, quandoquidem effectus ſemper poſtulat exigentiam ſuæ cauſæ. Tranſeat antecedens, & nego conſequentiam. Nam plures effectus naturales fiunt à cauſis ſu-

pernaturalibus, quin exigant actionem ſupernaturalem, ſed naturalem; quia tamen cauſæ ſupernaturales conſtitutæ in ordine ſuperiori, continent, & poſtulant efficientiam effectuum naturalium, interdum fiunt actione illarum ſupernaturali. Etenim vt dicebamus diſp. 4. n. 43. plerumque contingit actio ad exigentiam cauſæ quin ad exigentiam effectus. Itaque cõcluſio Theologica, & habitus facilitans ad actus ſupernaturales (vbi admittantur naturales) ſuapte natura tantum deſiderant præmiſſas, & actus naturales, in quibus ad ipſorum exigentiam continentur, cum eiſque tantum entitatiuam connexionem habent; quamuis illis cauſæ etiam ſupernaturales tranſcendenti ordine connectantur, & hic & nunc exiſtentes in defectum cauſarum naturalium exiſtentiam exhibeant.

Quartum. 29. Quartò, non repugnat effectus naturalis procedens à cauſis naturalibus ſupra exigentiam earum. Ergo ſuperare exigentiam naturæ adeo excellens non eſt, vt naturalibus effectibus alienum ſit. Probatur antecedens. Non repugnat cauſa naturalis creata, quæ abſque ordine tranſcendẽtali effectum contineat, ſub conditione ſcilicet, quod repugnans non ſit, quamuis poſita non repugnantiâ effectus in cauſa naturali contineatur, & abſque virtute ſuperaddita poſſit produci; ſicut continentur in omnipotentia diuina omnes creaturæ, mea & Patris Vaſquez opinione. In ea enim cauſa quæ implicatio? præſertim cum docuerim lib. 2. Phyſicorum conceptum communem cauſæ, ordine tranſcendenti non conſtitui? effectus enim, qui eſt ſupra ordinem, & connexionem cauſæ, etiam eſt ſupra exigentiam eiuſdem; Nam exigentia cauſæ apprehendi non poteſt abſque connexione entitatiua cum effectu ſaltem poſſibili, quæ connexio ordinem tranſcendentalem definit. Ergo non repugnat effectus à cauſis naturalibus procedens, & ſupra ipſarum exigentiam exiſtens.

Ad ſupernaturalitatem effectus non ſufficit vincere exigẽtiam vnius cauſæ. 30. Reſpondeo. Hoc argumentum tantũ probat poſſibilem effectum naturalem, cuius productio aut conſeruatio non ſit debita exigentiæ, aut connexioni cauſæ, non vero exigentiæ ſubiecti, aut ipſius effectus producti, qui cum naturalis ſit, naturam in ſua latitudine conſtituit, vt dicebamus de Angelo. Deinde, eſto, poſſibilis ſit effectus naturalis exiſtens ſupra exigentiam vnius aut alterius cauſæ naturalis, tamen repugnat, qui ſupra exigentiam omnium cauſarum naturalium, in quibus continetur, exiſtat. Etenim eo ſolum differt cauſa naturalis ab ea, quæ agit virtute obedientiali, quòd naturalis operatur concurſu debito naturæ; obedientialis vero concurſu naturæ indebito. Vt vero concurſus naturæ debitus ſit, opus eſt, vt vna ſaltem cauſarum naturalium operetur, exigens concurſum Dei ad agendum effectum; nam Deus non eſt debitor concurſus, quem natura, nec ad eſſentiam, nec ad perfectionem deſiderat. De quo vberius diſp. 32. cum agemus de virtute obedientiali.

Poſtremum argumentũ 31. Arguo denique. Quia auxilia gratiæ ſupernaturalia quoad modum, quæ ad ſuperandam gratiam, tentationem, & opus heroicum, ac valde difficile neceſſaria ſunt, communi exiſtimatione Theologorum ſunt indebita naturæ. Ergo indebitum eſſe naturæ commune eſt donis quoad ſubſtantiam naturalibus. Atque adeo ſupernaturalium quoad ſubſtantiam proprium non eſt. Reſpondeo. Auxilia quoad modum tantùm ſupernaturalia, & naturalia quoad ſubſtantiam non ſunt omnino indebita naturæ. Nam licet homini, cui donantur, indebita ſint; cæterum debita eſſe poſſunt agentibus naturalibus, quibus excitantur, & ſpeciebus impreſſis, quibus fiunt: Aut ſaltem quę ad perfectionem eſſentialem, & entitatiuam debita ſunt, licet quoad gradualem intenſionem, qua vires naturæ accreſcunt, non debeantur. Vt enim expoſuimus diſp. 1. ſect. 4. auxilia ſupernaturalia quoad modum, ratione maioris intenſionis ordinariam facultatem naturæ excedunt, & ad heroicos actus naturæ imbecillitatem roborant. Auxilia gratię quoad modum ſupernaturalia non ſunt omnino indebita naturę.

SECTIO QVARTA.

Quænam ſit exigentia naturæ quam ſuperat ens intrinſecè ſupernaturale.

32. POſuimus ens ſupernaturale ſupra exigentiam naturæ, & ens naturale iuxta eiuſdem exigentiam. Sciendum, quænam ſit hæc naturæ exigentiâ, cum qua ens naturale, & ſupernaturale componitur? Qui enim hanc difficultatem attigerunt, non omnes vno modo explicarunt. Alij enim hanc exigentiam ex parte termini definientes, dicunt, naturam ea ſolum exigere, quæ ad ſubſtantiarum creatarum exiſtentiam, conſeruationem, propagationem, & effectuum, quos ſolo concurſu generali agunt, productionem neceſſaria ſunt. Ita Pater Coninck de virtutibus ſupernaturalibus diſp. 4. dub. 1. Non placet, primo, quia hæc definitio terminum potius, quàm ipſam exigentiam declarat. Secundo, quia neque ipſum terminum adæquate complectitur. Nam accidentia, quæ dicuntur neutra, & ſubſtantijs ſolum ad ornatum inſunt, nec ad exiſtentias ſubſtantiarum, nec ad conſeruationem, aut propagationem earum, nec ad effectuum, quos ſolo concurſu vniuerſali agunt, productionem neceſſaria ſunt. Tamen ſunt accidentia naturalia. Ergo exigentia naturæ, quam vnice ſuperat ens ſupernaturale, non eſt, quæ ad res munetibus explicatis neceſſaria extenditur.

33. AEgidius de præſentatione docet ſub naturæ exigentiam, quam exponimus, cadere ea, quæ Deus author naturæ agere valet. Etiam hæc explicatio obiectum exigentiæ, & non ipſam exigentiam definit. Inſuper; Deus vt author naturalis, & ſupernaturalis non conſideratur ſecundum prædicata intrinſeca Deo, ſed ſecundum effectus extrinſecos naturales, & ſupernaturales, quos ſua virtute infinita efficere poteſt. Nã prædicata intrinſeca Dei ſeorſim ab omni extrinſeco conſiderata, aut omnia ſunt Diſplicet Pater Coninck.

Digitized by Google

naturalia, aut omnia ſupernaturalia, vt prædicata rei creatæ non poſſunt eſſe alia intrinſecè naturalia, & alia intrinſecè ſupernaturalia. Ergo potius Deus, per ordinem ad effectus naturales author, naturalis dicendus eſt, quàm effectus per ordinem ad Deum naturales, conſiderandi ſunt.

Improbatur recentiores

34. Alij, vt exigentiam naturæ ex modo tendendi explanent, volunt exigentiam naturæ non eſſe quidpiam naturæ intrinſecum, ſed volitionem externam Dei, qua Deus creans naturam hæc accidentia, & effectus potius, quam alia, naturæ neceſſario expetit, vt ordinatio creaturarum in finem non eſt ipſis intrinſeca, ſed extrinſeca intentio Dei dirigens creaturas in ſingulares fines. hæc tamen exiſtimatio nimis voluntaria eſt; cum omnes Philoſophi, atque Theologi ponant in eſſe naturæ exigentiam intrinſecam, & cuilibet rei eorum, quæ ſibi connaturalia ſunt diſtinguentem ab illis, quę ſunt extranea. Et quidem neceſſario intrinſeca rebus admittenda eſt. Primo, quia habitus vitioſus & concupiſcentia mouens voluntatem ad peccandum exigit peccatum. At non exigit per extrinſecam voluntatem Dei, quæ odio proſequitur peccatum. Ergo peccati exigentia habitui vitioſo, & concupiſcentiæ intrinſeca, & natiua eſt. Præſertim in eorum Theologorum ſententia, qui actum peccati tuentur eſſentialiter liberum, & malũ. Secundò, quia Deus creans naturam tenetur per ſe neceſſario velle actus intrinſece naturales, non autem actus intrinſecè ſupernaturales. Ergo aliquid eſt in natura, quod neceſſitet Deum creantem illius, ad hos naturæ neceſſario expetendos, & non illos: Item ad expetendũ accidentia naturę propria, quamquam à ſolo Deo producẽda, & non alia. At hoc, quidquid eſt, ex parte naturæ eſt exigentia ipſius. Ergo ex parte naturæ præcedit exigentia intrinſeca, eorum, quæ ſibi naturalia ſunt. Confirmatur. Aliqua inſunt naturæ, quę ex natura rei ab ipſa ſeiungi nequeunt, vt quantitas à materia, potentiæ ab anima, lux à ſole; alia, quæ ex natura rei naturæ annexa non ſunt, vt albedo homini, color quantitati: Hæc autem diuerſa rerum habitudo, Deo omnino voluntaria non eſt, ſed in ipſa rerum intrinſeca conditione conſtituta. Ergo ſecluſa voluntate extrinſeca Dei ex ipſo natiuo ſolo, & genio rerum, hæc effectuum, & accidentium diuerſa comparatio petenda eſt. Id autem ab omnibus Theologis, & Philoſophis exigentia dicitur, ni velit pro ſuo ſomnio quis ſcolaſticorum vocibus abuti. Exigentia igitur aliquorum accidentium, & effectuum ſeorſim à voluntate extrinſeca authoris naturæ indaganda eſt. Tertio denique: quia Deus creans naturam Angelicam, non aſtringitur illi velle infinitas ſpecies intentionales contentas in ordine naturæ quæ illi indi poſſunt. Nihilominus ſpecies intentionales, quæ extra hanc voluntatem creantem naturæ Angelicæ, poſſibiles relinquuntur, non ſunt ſupernaturales. Igitur exigentia naturæ extra quam ſupernaturalia ponuntur, non eſt voluntas extrinſeca Dei, rerum naturalium creationi neceſſario annexa. Plura contendere non libet in ea, quę ſua ſponte cadunt.

Propria ſententia.

35. Vt hæc euoluam, duplicem ego naturæ, & alterius cuiuſuis rei exigentiam conſidero. Alteram exigentiam neceſſitatis, ſeu indigentiæ; alteram exigentiam connexionis. Priori ratione plura dicuntur exigere alia, ſi non ad exiſtendum, ſaltem ad quidplam efficiendum; quamquam illis annexa non ſint; quippe tali rei exigentia tantum exprimitur indigentiæ alterius, non vt in ſe ſit eſſentialiter aut connaturaliter, ſed vt effectum, aut finem aliquem conſequatur. Quo ſane modo vere dicimus hominem, vt abluatur à peccato, exigere gratiam iuſtificantem; vt efficiat actum ſupernaturalem fidei, exigere habitũ. Nam licet poſſit homo ſine gratia iuſtificanti, & habitu infuſo eſſe, liberari tamen à peccato, & credere prout oportet, non poteſt. Similiter Deus, vt meum amorẽ agar, exigit meam voluntatẽ; & vt Angelum producat, exigit non repugnantiam Angeli: quamuis ſemper verum ſit, Deũ, vt exiſtat, nec à mea voluntate, nec ab Angelo poſſibili pendere. At exigentia connexionis importat, primum ex parte rei exigentis ordinẽ tranſcendentem in rem, quæ exigitur, quo iſtâ repugnante, illa etiam repugnaret; deinde ex parte termini exacti, rationem boni cõuenientis rei exigenti, ſecundum exiſtentiam ipſius, demùm determinationem exiſtentiæ alterius poteſtati ſubiectam. Quis enim exigat ab alio, quod in ſua poteſtate relictum eſt? Ex defectu ordinis tranſcendentis non exigit Deus abſolute poſſibilitatem creaturarum, nec natura, exiſtentiam rerum ſupernaturalium. Ex defectu conuenientiæ intellectus non exigit errorem, nec calorem aqua, tametſi vtrique inſit facultas naturalis, & ordo tranſcendens in ea accidentia. Etiam ex defectu facultatis determinate non exigit voluntas omnino libera vnũ actum, potius quam alium, etiamſi vterque voluntati conueniens ſit, & ordinem tranſcendentem voluntatis terminet; quia vt libera eſt, vterque actus æqualiter in poteſtate voluntatis poſitus eſt.

Exigentia neceſſitatis

Exigentia connexionis.

Tres conditiones exigentiæ.

36. His tribus conditionibus exigentia naturæ & alterius cuiuſuis rei plene expedita eſt, nec amplius deſideratur. Duo itaque probanda ſunt. Alterum, ſuperiores conditiones ad exigentiam requiri. Alterum, eas ſufficere. Requiri omnes, præterquam quod exempla propoſita demonſtrant, ratione probatur. Nam exigentia innata, de qua diſſerimus, eſt omnino intrinſeca, & identificata rei exigenti, ferrique non poteſt in exiſtentiam rei, quæ ſit chimerica, nec rei, quæ ſit exigenti mala, nec rei, quæ in ipſius exigentis poteſtate conſtituta eſt. Ergo ad innatam exigentiam neceſſaria eſt primò connexio intrinſeca vnius rei cum poſſibilitate alterius; ſecundò, conuenientia termini ſecundum exiſtentiam; tertiò, determinatio alterius poteſtati ſubiecta. Explicatur, primo paritate exigentiæ moralis, à qua exigentia naturalis vſurpationẽ ſortita eſt. Etenim vt creatura rationalis prudenter poſtulet quidplam, opus eſt primo illud eſſe poſſibile, ſecundo

Digitized by Google

bonum, tertiò in alterius poteſtate conſtitutum. Item paritate appetitus, & inclinationis innatæ, quæ nihilo differt ab exigentia, & has etiam conditiones deſiderat. At ſufficere iſtas, tum ex apprehenſione terminorum; tum ex allatis ſimilitudinibus perſpicuum eſt. Igitur conditiones propoſitæ, tum neceſſariæ ad exigentiam naturalem, tum ſufficientes cenſeri debent.

37. Quo exigentia connexionis naturæ ſecundū prædicata intrinſeca, & ex modo tendendi ſatis conſtat. Reſtat vt eandem ex parte ſubiecti, & termini declaremus. Ex parte ſubiecti exigentia naturæ, quam ſupernaturalia entia tranſcendunt, complectitur quidquid naturæ ambitu contineri oſtendimus diſp. 3. ſec. 2. & 4. Vnde cum ens ſupernaturale dicimus eſſe, cuius productio, aut conſeruatio excedit exigentiam naturæ: naturæ quidem nomine, non ſolum ſubiectum, in quo actio recipitur, non ſolum cauſa naturalis, à qua efficitur, verum etiam ipſe terminus, qui in lucem editur, comprehendēdus eſt. Vbi annotare licet, nunc non explanari excellentiam comparatiuam rei ſupernaturalis, quæ argumento ſit ad ipſius ſupernaturalitatem colligendam; ſed quæ ſuppoſitis his extremis, natura & ente ſupernaturali, mutuam vtriuſque collationem omnibus naturalibus, ac ſupernaturalibus communem exprimat. Excellentia enim rei ſupra omnem exigentiam naturæ ſupponens ipſam rem ſupernaturalem, (vt modo ſupponit, cum ſub ſphæra naturæ ipſum etiam terminum ſupponimus) neutiquam poteſt rei ſupernaturalitatem perſuadere.

Exigentia naturæ ex parte ſubiecti.

38. Cæterùm rogabis; quænam ſit excellentia tranſcendens naturam, quæ rei ſupernaturalitatem teſtetur? Reſpondeo primùm. Talis excellentia conferenda eſt neceſſario cum natura, ſeorſim à re de cuius ſupernaturalitate diſſeritur; quidquid enim ſub natura continetur, naturale ſupponitur. Inſuper ſi talis res ſubiectum aut agens naturale ſuapte exigentia reſpiciat, à quibus ipſa non exigitur, & abſque eleuatione nec fouetur, nec efficitur, ſufficiens argumentum eſt ſupernaturalitatis eiuſdem. Sic actus vitales intrinſecè ſupernaturales agnoſcimus, cum abſque viribus homini indebitis fieri non poſſunt. Nam cum hi actus vires efficientes, & recipientes poſtulent, non poſſunt non viciſſim ab ipſis potentijs poſtulari, ſaltem quoad actum primum completum, quin aliqua rei efficiendæ ſuſcipiendæve præſtantia prohibeat. Atque ita ad cuiuslibet accidentis, cuiuslibet etiam ſubſtantiæ ſupernaturalitatem ſufficiet; ſi exigente ipſa ſubiectum, aut agens aliquod naturale, deſit naturæ exigentia virtutis ad talem effectum efficiendum, aut ſuſcipiendum, eo quòd vel diſpoſitiones, vel comprincipia alia deſiderentur, quæ in exigentia naturæ minime contineantur. Si vero res nec ſubiectum, nec agens aliquod creatum expectet: qualis poteſt eſſe, tum ens naturale, vt Angelus, tum ens ſupernaturale, vt ſubſtantia ſuapte exigentiā grata Deo, & iuſta. De qua d. 32. tunc ad eius ſupernaturalitatem arguendā, componenda eſt res cum exigentia naturæ non ſolum Phyſica, ſed etiam intentionali, quam expoſuimus diſp. 3. ſect. 6. & quæ omnem exigentiam naturæ Phyſicam, & intentionalem ſuperauerit, rebus intrinſecè ſupernaturalibus eſt aggreganda; quę & inter exigentiam Phyſicam, aut intentionalem naturæ contineri cōſtiterit, naturalibus eſt annumeranda. Vnde omnis vniuerſim ſupernaturalitas reſpectiua ab exceſſu exigentiæ Phyſicè, & intentionalis naturæ legitime infertur.

Excellentia tranſcendens omnia ſupernaturalia.

39. Demùm hæc naturę exigentia ex parte obiecti ad ea omnia, quę naturæ bona ſunt, & ordine, ac connexione tranſcendenti naturæ reſpiciuntur, adequate porrigitur. Nam omnia, quæ ſecundum exiſtentiam naturæ commoda ſunt, & ſecundum poſſibilitatem tranſcendentaliter reſpiciuntur à natura, rectè deſiderari, & expeti à natura interpretamur, aut quoad actum ſecundum, aut quoad actum primum completum. Igitur exigentia naturæ ſupra quam entia ſupernaturalia euehuntur, terminos habet, omnia bona naturæ conuenientia, & per ordinem tranſcendentalem naturæ annexa. Quibus hæc exigentia tum intrinſecè ex parte modi, tum extrinſecè ex parte ſubiecti, ac termini, ſatis expedita relinquitur.

Exigentia ex parte obiecti.

DISPVTATIO SEXTA.

AN SVPERNATVRALIA SINT SVPRA ordinem tranſcendentem naturæ.

HÆC diſputatio maximi momenti eſt, cum conceptum quidditatiuum entis ſupernaturalis, & attributa fere omnia ipſius, in excellentiam entis ſupernaturalis ſupra ordinem tranſcendentem naturæ, reuocemus. Verùm accuratam ſui conſiderationem vendicat hæc diſputatio lib. ſequenti, vbi expendenda eſt potentia obedientialis actiua atque paſſiua naturæ in dona intrinſecè ſupernaturalia. Nam ſi aliquis ordo

Digitized by Google

tranſcendens adſcribendus eſt naturæ in formas intrinſecè ſupernaturales, maximè eſſe debet ordo tranſcendens potentiæ actiuæ, atque paſſiuæ, cum potiſſima collatio naturæ cum donis ſupernaturalibus fiat in ratione agentis, atque patientis. Igitur quia lib. ſequenti diſp. 31. ſtatuendum eſt, & authoritate, atque ratione illuſtrandum, patientiam obedientialem naturæ in actus ſupernaturales, tam patientem, quàm agentem abſolutam eſſe ab ordine tranſcendenti, quo cum donis ſupernaturalibus ita connexa ſit, vt eis repugnantibus repugnaret quoque entitas naturæ. Ideo nunc ponendum à nobis eſt, eum ordinem tranſcendentem in dona ſupernaturalia alienum eſſe à natura, vt hoc fundamento præjacto firmius ſtatuamus, quæ deinceps de excellentia entis ſupernaturalis ſupra naturã examinanda ſunt.

DISPVTATIO SEPTIMA.

AN SVPERNATVRALIA SINT SVPRA eductionem naturæ.

1. DIſputatione præcedenti ſupernaturalia generatim cum natura compoſuimus. Singularius nunc conferimus. Et quidem exploratum eſt, ſolum differere de donis ſupernaturalibus, quæ ſubiectum reſpiciunt; pluraque eſſe, quæ naturam immediate reſpiciant, v. g. Gratia iuſtificans ſubſtantiam animæ; virtutes ſupernaturales, & earum actus, intellectum & voluntatem. Itaque nunc controuerſia eſt, qua ratione gratia iuſtificans in virtute paſſiua ſubſtantiæ, virtutes & actus ſupernaturales in virtute ſuſceptiua potentiarum contineantur.

SECTIONES.

1. *An ſupernaturalia ex virtute paſſiua eductionem habeant?*
2. *An dona ſupernaturalia educi queant ex ſubiecto ſecundum vnionem tantum?*

SECTIO PRIMA.

An ſupernaturalia ex virtute paſſiua eductionem habeant.

Sententia negans.

2. SVnt enim qui arbitrantur, gratiam iuſtificantem, & quodlibet aliud donum ſupernaturale ex ſubiecto non educi; ſed per veram creationem produci; aut alio actionis genere, quæ inter eductionem, & creationem media ſit, creari, increari, aut infundi. Ita Alenſis 2. parte, q. 9. num. 8. & 4. parte. q. 5. num. 3. §. 2. & 3. Item primores illi priſcorum Theologorum in 2 diſt. 26. Bonauentura art. 1. q. 2. & 4. Richardus art. 1. q. 2. & repetit. in 4. diſ. 1. art. 4. q. 1. Vbi Scotus q. 5. Gabriel q. 1. art. 2. Maior q. 1. ad 4. Aliacus q. 1. art. 2. Paludanus q. 1. num. 23. & 28. Capreolus q. 1. art. 3. ad argumenta Scoti contra tertiam concluſionem, Argentinas q. 1. art. 3. Henriqus quod lib. 4. q. 37. Ferrarienſis 4. contra gent. c. 57. Caietanus, & Conradus 1. 2. q. 112. art. 1. Ex recentioribus Ledeſma 1. p. 4. q. 3. art. 1. Soto in 4. diſt. 1. q. 3. art. 1. & lib. 2. de natura, & gratia, c. 9. Vega lib. 7. in Tridentinum c. 3. P. Fonſeca 5. met. c. 2. q. 4. Conymbriſenſes 1. Phyſ. c. 9. q. 12. art. 5. & 6. & nouiſſime Philippus Faber in 4. diſp. 2. c. 3.

Alenſis. Bonauentura. Richardus. Gabriel. Maior. Aliacus. Paludanus. Capreolus. Henriqus. Argentinas. Ferrarienſis. Caietanus. Conradus. Ledeſma. Sotus. Vega. P. Fonſeca. PP. Conymbriſenſes. Faber.

Sententia affirmans.

3. At dona ſupernaturalia actione eductiua, dependenter à ſubiecto patienti, non actione creatiua produci, docent iam fere omnes huius ætatis Theologi. P. Valentia 1. 2. d. 8. q. 4. pun. 2. P. Suarez lib. 8. de gratia, c. 2. P. Vaſquez 1. p. d. 124. num. 10. P. Albertinus prio. 2. Philoſop. q. 1. Theol. n. 28. Pater AEgidius Coninck diſp. 6. num. 46. P. Torres opuſc. 3. dub. 12. P. Granadus contro. 8. de gratia diſp. 7. num. 2. Curiel 1. 1. q. 112. art. 1. dub. 3. §. 2. Zurn. art. 2. diſp. 2. Medina art. 1. & Thomiſtæ recentiores ibidem. A quibus non diſſentit Durãd. in 2. diſt. 18. q. 2. n. 14.

P. Valentia. P. Suarez. P. Vaſquez. P. Albertinus. P. Coninck. P. Torres. P. Grenad. Curiel. Zumel. Medina. Durandus.

Digitized by Google

Multum de nomine in hac quæſtione.

4. In hac controuerſia aliud inuenio de re, aliud de nomine. De re eſt; An dona ſupernaturalia dependenter à ſubiecto ſuſtentanti per verum cauſæ materialis concurſum producantur? De nomine vero, an donorum ſupernaturalium productio à ſubiecto ſuſtentanti dependens, *creatio*, vel *eductio, concreatio*, vel *infuſio* dicenda ſit? In quo maior pars contentionis exiſtit. Si namque authorum mens rectè expendatur, vix vnus inuenietur, qui aperte inficietur, dona ſupernaturalia à ſubiecto ſuſtentante pendere, vt ex natura rei à ſubiecto ſeparata poſſint conſeruari, ſicut animus creatione productus conſeruatur; Quod tantùm in re contendunt, qui affirmant, ea dona per eductionem produci. Quamuis ijdem negant, ab eo ſubiecto pendere, quod in natiua ſua virtute talia dona præcontineat; Quod ſolum oſtendunt, qui per creationem fieri arbitrantur.

Supernaturalia pendent à ſubiecto ſuſtentanti.

5. Aſſero itaque primo. Dona ſupernaturalia pendent à ſubiecto ſuſtentanti per verum cauſæ materialis concurſum. Probatur primò ex Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. & canone 11. aſſerente, gratiam inhærere ſubiecto; & iuſtificationem fieri per ſuſceptionem gratiæ, & donorum. Inhæſio enim, & ſuſceptio ſemper eſt formarum à ſubiecto ſuſtentanti pendentiũ; ideoquè animus ſubiecto inhærere non dicitur. Ergo dona ſupernaturalia à ſubiecto ſuſtentanti pendentia ſunt. Secundò; dona ſupernaturalia ſunt accidentia in ſubiecto producta, quin ex natura rei ſeparata ab illo conſeruentur. Ergo dependent à ſubiecto ſuſtentante. Antecedens à nullo Theologo negatur. Conſequentia probatur, quia hoc ſolum fundamento alias formas accidentales, & ſubſtantiales colligimus exiſtere in ſubiecto ſuſtentatas ab illo; quòd ex natura rei conſeruari abiunctæ nequeant. Tertio; actus ſupernaturales fiunt dependenter à ſubiecto ſuſtentanti. Ergo & habitus ſupernaturales, ac reliqua dona dependenter à ſubiecto ſuſtentanti fiunt. Quandoquidẽ actus ſupernaturales non præcontinentur in virtute naturali ſubiecti, & agentis creati, potius quàm habitus, & reliqua dona ſupernaturalia. Antecedẽs probatur. Actus ſupernaturales fiunt influxu immediato animæ rationalis, & habituũ. Animus autem, & habitus ſupernaturales nihil efficiunt per creationem & actionem, quæ à ſubiecto ſuſtentanti dependens non ſit. Ergo actus ſupernaturales dependenter à ſubiecto ſuſtentanti fiunt.

6. Aſſero ſecundò. Dona ſupernaturalia verè & propriè ex ſubiecto educuntur. Probatur, creatio, & eductio eo communiter diſtinguuntur inter ſe, quòd creatio eſt productio formæ ex nihilo, hoc eſt, independenter à præſuppoſito ſubiecto, (quare ait S. Thomas 1. p. q. 45. art. 4. creationem eſſe ſubſiſtentium) eductio verò productio formæ ex ſubiecto præſuppoſito. Sed, vt vidimus aſſertione prima, dona ſupernaturalia non producuntur ex nihilo, ſed dependenter à præſuppoſitò ſubiecto. Ergo dona ſupernaturalia non producũtur per creationem, ſed per veram eductionem. Vrgetur aliter; creatio dicitur productio entis ſimpliciter ex non ente ſimpliciter, vt productio Angeli ſimpliciter ex non Angelo ſimpliciter; eductio vero dicitur productio entis ſecundum quid, ex non ente ſecundũ quid, vt eductio caloris eſt productio hominis calidi ex non calido. At productio gratiæ & aliorum donorum ſupernaturalium, non eſt productio entis ſimpliciter ex non ente ſimpliciter, ſed entis ſecundum quid ex non ente ſecundum quid; Nam productione gratiæ non fit ſimpliciter homo, ſed ſecundum quid: hoc eſt, iuſtus, & ſanctus ſicut productione caloris. Ergo productio gratiæ non eſt creatio, ſed eductio. Hæc ratio cõtra Thomiſtas ad hominem vim habet. Confirmatur; formam ex ſubiecto educi non eſt aliud, quàm ex virtute ſubiecti recipientis, in lucem extrahi. At dona ſupernaturalia ex ſubiecti recipientis virtute extrahuntur in lucem. Nam licet non contineantur in virtute naturali ſubiecti, & agentis creati, contineri poſſunt in virtute obedientiali: ſicut enim animus continet actus ſupernaturales in virtute obedientiali actiua, continere poteſt gratiam & reliqua dona ſupernaturalia in virtute paſſiua. Ergo dona ſupernaturalia poſſunt rectè ex virtute paſſiua animi educi. Confirmatur ſecundò. Re quidem vera exiſtit diſcrimen inter productionem gratiæ independentis, & ſeparatæ à ſubiecto, & productionem gratiæ dependentis ab illo. At hoc diſcrimen reale productionis gratiæ nullâ aptiùs voce ſignificatur, quàm creationis, & eductionis, præſertim noſtris temporibus, vbi Doctores ſcholaſtici ad declarandũ hoc diſcrimen eis vocibus vtuntur; loquendum enim ſemper more ſæculi communi. In hac Igitur controuerſia de voce, donorum ſupernaturalium productio, *eductio* potius quàm *creatio* dicenda eſt.

Supernaturalia propriè educuntur ex ſubiecto.

Explicantur teſtimonia contra noſtrã ſententiam.

7. Obijciuntur primò, plura ſacræ paginæ teſtimonia, quibus donorum ſupernaturalium infuſio nomine creationis exprimitur. Ergo eorum productio, creatio admittenda eſt. Reſpondeo. Teſtimonia ſunt abs re. Nam creatio dicitur latè, & ſtrictè latè, & vulgariter pro emanatione cuiuſque creaturæ à Deo; quo pacto omnia dicuntur à Deo creata. Strictè, & ſcholaſticè, pro actione rei independentis à ſubiecto; qua ratione animus, & Angelus præ ſubſtantijs materialibus dicuntur creati. Dona ergo ſupernaturalia latâ & vulgari ſignificatione tantùm, non ſtrictâ, & ſcholaſtica, in qua nunc diſſerimus, creari apud ſacros ſcriptores inueniuntur. Rurſus; creata ſtrictè dici poſſunt non Phyſicè, ſed moraliter, ſcilicet quia abſque merito, & exigentia ſubiecti producuntur. Ita S. Tho. 1. 2. q. 110. art. 2. & plures Theologi.

S. Thomas.

Diluitur ſecunda obiectio.

8. Secundò obijcitur. Dona ſupernaturalia dicuntur infuſa. Formæ naturales infuſę non ſunt. Ergo ideo eſt, quòd dona ſupernaturalia, extrinſecus aduenientia, ex ſubiecti gremio, vti naturales formæ, non extrahuntur. Reſpõdeo. Dona ſupernaturalia dicuntur infuſa, non quia verè creantur, ſed quia virtute propria Dei, ſubiecto indebitâ, ſupra omnem eius exigentiam

Digitized by Google

gentiam educuntur. Quod naturalibus formis conuenire non eſt.

Tertia. 9. Tertiò. Dona ſupernaturalia magis diſtant à materia, quàm animus rationalis. Animus per creationem producitur: ergo dona ſupernaturalia ſimiliter. Diſtinguo maiorem. Dona ſupernaturalia magis diſtant, quā animus à materia Phyſica, quæ ſubiectum corporeum eſt formarum ſubſtantialium ſuſceptiuum, tranſeat. Nam huic materiæ vnitur intrinſecè animus, & non ſupernaturalia dona. Magis diſtant à materia Metaphyſica, quæ ſubiectum ſuſtentans, cauſaque materialis dicitur: corporea ſit, ſiue incorporea, nego. Nam ab hac materia pendent intrinſecè dona ſupernaturalia, quæ ſubiecto ex natura rei affixa ſunt; & non animus, qui à ſubiecto ſeiunctus conſeruatur. Hæc autem Metaphyſica materia, non illa Phyſica modo creationis repugnat.

Quarta. 10. Quartò. Si dona ſupernaturalia non fiunt per creationem, poſſet gratia iuſtificans, & alia dona ſupernaturalia virtute actiua agentis creati produci. Quippe ſolùm quia per creationem fiunt, donorum ſupernaturalium productio vniuerſim creaturæ repugnat. Ergo vt hoc abſolutè repugnet, verè per creationem fiunt. Admitto ingenuè, ſi ſolum prohibeat creationis modus, poſſe gratiam iuſtificantem, & reliqua dona ſupernaturalia, virtute actiua creaturæ produci. Etenim vt actus vitalis ſupernaturalis virtute actiua creata habitus, & animi efficitur, poſſet etiam effici gratia. Quin abſolutè fieri poſſe gratiam virtute agentis creati, & de facto fieri habitus, virtute gratiæ tract. de gratia iuſtificante oſtendimus. Rurſus non repugnare creaturam creantem, probabiliſſimum eſſe proponemus opere Metaphyſico tractatu de creatione.

Quinta. 11. Quintò. Forma non tribuit diuinitus ſubiecto effectum formalem, quem non poteſt ex natura rei: Ergo nec ſubiectum continet diuinitus formam, nempe ſupernaturalem, quæ ex natura rei in natiua virtute ſubiecti non cõtinetur. Vt enim comparatur forma ſubiecto, ſubiectum comparatur formæ. Nego conſequentiam: diſcrimen eſt apertum. Nam forma tribuit ſubiecto effectum formalem exhibendo ſe ipſam, ipſumquè effectum formalem intrinſecè conſtituendo: Vnde quia diuinitus non poteſt forma aliam à ſua reali entitate eſſentiam habere, nequit diuinitus alium ab effectu naturali formalem effectum conferre. At ſubiectum non ſuſtentat formam, ſeipſum formæ ſuſtentatæ tanquam partem conſtitutiuam exhibendo, ſed per modum intrinſecum cauſalitatis, ac dependentiæ, quæ virtute agentis ſuperioris produci poteſt, quando virtute, aut exigentia natiua obtineri nequit. Quod cernere eſt in virtute actiua animæ, quæ actus ſupernaturales, quos ſuis viribus agere non poteſt, adiunctis viribus diuinis agit. Vnde ſubiectum non comparatur formæ, quam cauat, ſicut forma effectui formali, quem confert. Componuntur quidem eodem modo ſubiectū & forma mutuo in ordine ad effectum formalem, qui ex vtroque coaleſcit; quippe neutra pars diuinitus conſtituit effectum formalem, quem naturaliter conſtituere nequit; verùm ſubiecti, cum forma ipſi inhærente, alia collatio eſt ab ea, quæ formæ cum effectu formali, in quem eſſentialiter ingreditur forma, fieri ſolet. Nam ſubiectum non cauſat conſtituendo intrinſecè formam, ſicut forma cauſat effectum formalē eſſentialiter conſtituendo. Ad hæc, ſi argumentum quidquam probat, maxime formam, quæ virtute naturali non inducitur in ſubiectum, nec virtute ſupernaturali induci poſſe, vt perpendenti conſtabit. Quod aduerſarijs ipſis non conceditur.

Poſtrema. 12. Denique obijcitur. Dona ſupernaturalia non educuntur ex virtute naturali ſubiecti, cū forma ſit intrinſecè ſupernaturalis, ſubiectum vero intrinſecè naturale. Nec educuntur ex virtute ſupernaturali, cum virtus ſuſceptiua donorum indiſtincta ſit ab entitate animæ quæ intrinſecè naturalis eſt. Nec ex virtute obedientiali: nam virtus obedientialis inſtrumentalis eſt, virtus autem paſſiua, præſertim comparatione Dei nihil recipientis, inſtrumentalis eſſe non poteſt: Ergo nulla eſt virtus, ex qua dona ſupernaturalia extrahantur. Nam præter virtutem naturalem, ſupernaturalem, & obedientialem, nulla ſupereſt, ex qua educantur. Nego dona ſupernaturalia non educi, ex virtute obedientiali ſubiecti. Nam entitas naturalis animæ ſuſtentat gratiam, & reliqua dona ſupernaturalia, obediens virtuti actiuæ ſupernaturali, quæ vltra naturæ vniuerſæ debitum, & exigentiam operatur, quod ſolum, & non aliud eſt virtutem paſſiuam obedientialem eſſe: vt colligere eſt ex virtute paſſiua obedientiali, qua animus actus ſupernaturales fouet. Num autem hæc virtus paſſiua inſtrumentalis dicēda ſit, quæſtio videtur de voce. Inter ſcholaſticos quidem cauſa inſtrumentalis, & principalis ſolùm de efficienti dici conſueuit. Poteſt tamen cauſa obedientialiter paſſiua, inſtrumentalis nuncupari, quia ſubordinata, & obediens agenti ſuperiori ſupra ipſius exigentiam operanti ſuam materialem cauſalitatem exercet; qua ratione virtutem paſſiuam donorum ſupernaturalium inſtrumentalem vocat Pater Theophilus, in ſua diſciplina moral. diſtinct. 2. num. 4. Quamquam in ſuo genere non incongruè principalis dici poſſit, quòd aliæ cauſæ in eo genere operanti ſubiecta non ſit. De quo vide diſputationem 28. P. Theophilus.

SECTIO SECVNDA.

An dona ſupernaturalia educi queant ex ſubiecto ſecundum vnionem tantum?

13. EDuci dona ſupernaturalia ſecundum entitatem, ſectione præcedenti oſtendimus. An tantùm ſecundum vnionem educi queant? nunc diſſerimus. Sotus in 4. d. 1. q. 3. art. 1. huic diſputationi anſam dedit. Exiſtimat Sententia Soti affirmans.

enim, tùm gratiam iuſtificantem, & reliqua dona ſupernaturalia ex ſubiecto non educi, ſed per veram creationem fieri; tùm creaturam ad quidpiam creandum à Deo eleuari non poſſe. Nihilominus vt tueatur ſacramenta Phyſicè producere gratiam, opinatus eſt, hominem duplici actione fieri gratum; alterâ quæ ad ſolam entitatem gratiæ tendit, & eſt creatio à ſolo Deo procedens; alterâ, quæ tendit ad vnionē gratiæ cum animo, & eſt eductio à ſacramentis pendens. Explicat in animo rationali, qui creatione producitur à ſolo Deo; eductione tamen vnitur corpori, virtute agētis creati. Quod ait Sotus idemtidem conuenire gratiæ, ægertimeque impugnari poſſe. Probabile reputat Ledeſma. P. Albertinus. Ledeſma 1. p. 4. q. 3. art. 1. tueturque P. Albertinus prin. 2. Philoſoph. q. 1. Theolog. n. 31. Quia nulla eſt ratio, qua id repugnet.

Sententia negans. P. Suarez. P. Vaſquez Vega. 14. At impoſſibile reputant P. Suarez to. 3. in 3. p. diſp. 9, ſect. 1. P. Vaſquez 1. p. diſp. 174. n. 6. Vega in Trident. lib. 7. cap. 13. Mouentur primò; quia nulla virtus creata poteſt vnire accidens ſubiecto, quod non poteſt illud efficere, vt conſtat inductione accidentiū quæ nouimus; ergo creatura, quæ non valet efficere donum ſupernaturale, nec illud vnire ſubiecto valebit. Secundo, quia accidentis eſſe eſt ineſſe; ergo actio, quę fertur ad ineſſe accidentis, etiam fertur ad ipſum eſſe; ac per conſequens nulla actione vniri poteſt ſubiecto donum ſupernaturale, quâ eius ſimul entitas produci non poſſit. Tertiò; Quia inter dona ſupernaturalia, & animum rationalem exiſtit hoc diſcrimen. Primùm, quod dona ſupernaturalia ſint à ſubiecto dependentia, quin ab illo ſeparata exiſtere queant; animus vero à ſubiecto indepēdens eſt abeoquè ſeiunctus cōſeruatur. Secundum, Animus prius naturâ, quàm vniatur corpori, obtinet exiſtentiam productam à ſolo Deo; dona verò non habent prius eſſe, quàm ineſſe. Ergo dona ſupernaturalia fieri creatione non poſſunt, vt deinceps alia actione affigantur ſubiecto, ſicut animo rationali contingit.

Aſſertio prima. 15. Aſſero primo. Ex natura rei dona ſupernaturalia eodem modo fiunt in ſubiecto, quo accidentia naturalia, atque adeo entitas non producitur creatione, & vnio cum ſubiecto eductione. Hæc aſſertio ex ſectione præcedenti conſpicua eſt. Quæ enim ibi adducta ſunt, eductionem Phyſicam non vnionis dumtaxat, ſed etiam entitatis oſtendunt. Addò, ſi vnio ex virtute ſubiecti naturalis educitur; non eſſe rationem, cur donorum etiam entitas non educatur. Quandoquidem vnio tam intrinſecè ſupernaturalis eſt, quàm ipſa entitas donorum, naturaquè ad vnionem ęquè improportionata, ac eſt ad ipſa dona. Ergo ſi non obſtante ſupernaturalitate extrahitur vnio ex virtute paſſiua ſubiecti naturalis, non obſtabit ſupernaturalitas, vt ipſa quoquè entitas extrahatur.

16. Aſſero ſecundò. Si donis ſupernaturalibus annumerentur actus liberi ſupernaturales vt annumerat P. Albertinus ſupra, diuinitùs etiā repugnat omnia vniuerſim dona ſupernaturalia priùs creatione fieri, deinde eductione vniri. Primò; Quia vt probaui libris de Anima, & opere Metaphyſico oſtendam, actus vitales ſunt modi eſſentialiter affixi ſubjecto, ab ipſaquè vnione indiſtincti: ergo repugnat alia actione creari, & alia peculiari per eductionem vniri. Repugnat enim, formam eſſentialiter à ſubiecto ſuſtentanti pendentem, ſimul eductione, & creatione produci: præſertim eductione, quæ vnionem & non entitatem realiter ab vnione indiſtinctam attingat.

17. Dices cum P. Albertino, actus vitales ſupernaturales etiam ſecundum entitatem educi poſſe, quod illorum paſſiua virtus non ſubiecto naturali, ſed ſubiecto ſupernaturali immediatè inſit. Sed cōtra. Primò. Quia actus ſupernaturales virtutum moralium, & etiā charitatis actus eliciti à peccatore, habitibus ſupernaturalibus (qui ſaltē in genere cauſę materialis numquam præcedunt) ineſſe minime poſſunt. Secundò: Eſto, habitus ſupernaturales pręcedant, eis tamen actus non inhærent, vt diſp. 26. ſec. 1. probabimus. Igitur eadem de actibus ſupernaturalibus, quæ de reliquis ſupernaturalibus formis exiſtit ratio, vt in nulla ſubiecti capacitate contineantur.

18. Rurſus aſſertio probatur. Si actus vitales ſecundum entitatem à ſolo Deo crearentur, nulla adeſſet in earum exercitio voluntati libertas. Aſſertio ſecunda. Nam libertas non patiendo, ſed agendo poſita eſt. Nec iuuat aſſerere cum P. Albertino, libertatem non exerceri agendo entitatem actus, ſed vnionem, vt integrum animo ſit vnire actum cum potentia, etiamſi in eius poteſtate ſitum non ſit, entitatem actus efficere. Quoniam, vt nuper dicebamus, vnio actus cum potentia ab eiuſdem entitate indiſtincta eſt: ergo facultas integra ad vnionem, erit integra ad entitatem, & è contra. Deinde eſto, vnio ab entitate actus diſtinguatur: tamen neceſſariò cum illa connectitur, vt in libera hominis poteſtate non ſit, entitatem actus à Deo productam, ſine vnione relinquere: ergo ſi hominis poteſtati non relinquitur entitas actus, nullatenus eiuſdem libertati relinquitur vnio, quæ entitati neceſſario connectitur. In quo enim libertas poſita erit? Nam ad agendum actum nulla competit indifferentia, nec poſito actu ad illum coniungendum potentiæ, cui non poteſt non actus ſemel exiſtens coniungi? Igitur nullam in rem adeſt voluntati indifferentia, & libertas. Inſuper, non ſolum vnio, verùm etiam ipſa entitas actus vitalis eſt, ergo non ſolùm ad vnionem, ſed etiam ad actus entitatem facultas libera, & vitalis conuenire debet.

19. Aſſero tertio. Poteſtate abſoluta Dei Aſſertio tertia. poſſūt alia dona ſupernaturalia quoad entitatē creatione, quoad vnionem eductione produci. Res eſt clara. Dona ſupernaturalia, vt gratia habitualis, & virtutes infuſæ poſſunt actione creatiua independenter à ſubiecto produci, ſicut accidentia Euchariſtica producūtur. Deinde creatione exiſtētia poſſunt alia actione ſubiecto copulari, vt animus rationalis creatione productus corpori copulatur. Quod enim animo ex natura rei, alijs formis diuinitus con-

Digitized by Google

uenire, quid repugnat? Sanè vt dona ſupernaturalia tum ſubiecto vnita, tum creatione producta concedantur, ſufficit cum vnione eam à ſubiecto independentiam retinere, vt vnione deficienti per eamdem actionem extra ſubiectum conſeruetur. Hoc autem non repugnat; ergo nec dona creatione producta, & ſimul ſubiecto vnita repugnant. Probatur minor. Non eſt idem ſubiecto vniri, & a ſubiecto dependere cum ſubiectum aliud ſit recipiens, aliud ſuſtentans: licet autem à ſubiecto ſuſtentanti forma dependeat, non tamen à recipienti ſubiecto, vt cernere eſt in ſubiecto animæ rationalis, & irrationalis. Igitur poſſunt dona ſupernaturalia exiſtere vnita ſubiecto recipienti, & ſimul ab eo independentia, atque à Deo creata.

A priori probatur.

20. A priori. Cum dona ſupernaturalia ſint ſecundum ſe indifferentia, vt ſpectata virtute abſoluta Dei poſſint eſſe vnita ſubiecto, & adiuncta, poteſt Deus efficaciter decernere exiſtentiam donorum ſecundum ſe, quin eo decreto vnionis exiſtentiam, aut carentiam præffiniat: rurſuſque alio decreto vnionis exiſtentiam efficaciter præfinire. Vt quia humanitas Chriſti ſecundum ſe erat indifferens exiſtere in hoc tempore, vel illo, ab hac Matre, vel illa potuit Deus efficaciter decernere humanitatem exiſtere; quin tempus, aut Matrem determinatam præfiniret, eorum decretum præuiſioni meritorum relinquens, vt tractatu de Incarnatione docuimus. At tale decretum eſſet creatio Phyſica donorum ſupernaturalium ſecundum ſe, indifferens componi cum vnione, & carentia vnionis. Nam tale decretum poteſt conſeruare dona exiſtente, & non exiſtente vnione donorum cum ſubiecto. Igitur creatio donorum componi poteſt cum eorumdem vnione ad ſubiectum; ac per conſequens eorum entitate prius creata poteſt deinde vnio ex ſubiecto educi. Rurſus vnio donorum ſupernaturalium cum ſubiecto nec ex conceptu communi vnionis, nec ex conceptu particulari vnionis formæ cum ſubiecto; nec ex conceptu magis contracto formæ accidentalis importat dependentiam vnius extremi ab alio. Ergo nullo ex capite importat eductionem; atque adeo poterit entitas donorum non educta per eductionem vnire. Et quidem communem vnionis conceptum non importare dependentiam vnius extremi ab alio, res eſt clara. Nam duo gradus qualitatis intenſæ, & duæ partes quantitatis inter ſe vniuntur, quin extrema ab inuicem dependeant. Rurſus, nec conceptum communem vnionis formæ talem dependentiam afferre, animus rationalis euidenti argumento eſt. Denique nec illam inducere eſſentialiter vnionem formæ accidentalis, ex eo oſtenditur, quod formæ accidentalis nõ eſt pendere ab vnione, quã terminat, eſſentialiter, ſed ex natura rei; quare ſi apprehendamus formam terminare vnionem, ſine qua per actionem ſibi naturalem non poſſet exiſtere, quamuis poſſet per aliam ſibi extraneam, & præternaturalem, re vera apprehenderetur ſufficiens diſcrimen inter formam accidentalem, & animum rationalem. Igitur nulla ratione vnio donorum ſupernaturalium cum ſubiecto inducit eorumdem dependentiam, & eductionem.

21. Nec argumenta propoſita num. 14. huic aſſertio quicquam officiunt. Tantum enim probant dona ſupernaturalia ex natura rei non poſſe quoad vnionem educi, quin etiam quoad entitatem educantur: quod nos aſſertione prima ſtatuimus; non vero id eſſe impoſſibile diuinitus; quod hac aſſertione contendimus. Porrò autem annotandum eſt vnionem, qua dona ſupernaturalia ſub creatione Phyſica informarent ſubiectum, fore ſpecie diuerſam ab ea, qua educta ex natura rei ſubiecto inſunt. Si vera eſt ſententia aſſerens paſſionem, & cauſalitatem materialem ab vnione, & informatione non diſtingui. Nam vnio & informatio donorum, cum producantur per creationem, non eſt paſſio, ſeu cauſalitas materialis, qualis eſt vnio, cum per eductionẽ fiunt. Vnde conſequenter, ad eam vnionem alia virtus efficiens neceſſaria eſt, ab ea quæ ad efficiendum dona ſupernaturalia ex natura rei inhærentia ſubiecto requiritur. Quoniam ad effectum ſpecie diuerſum, & non connexum cum alio virtus ſpecie diuerſa opus eſt; in Deo quidem ratione noſtra, in creatura verò realiter ſaltem virtualiter, qua parte continet eleuationem, & complementum liberum Dei, quod ad vnum effectum adeſſe poteſt, quin adſit ad alium.

Explicantur obiecta.

Digitized by Google

DISPVTATIO OCTAVA.

AN SINT SVPRA VIRTVTEM naturalem paſſiuam?

Virtus paſſiua tripliciter naturalis.

1. IGitur ineſt naturæ virtus paſſiua, ex qua dona ſupernaturalia educantur. An hæc virtus naturalis ſit? nunc examinandum. Virtus paſſiua tripliciter dici poteſt naturalis. Primò prout virtus naturalis à ſupernaturali diſtinguitur; quæ formaliter, & intrinſecè naturalis eſt, & à recentioribus ſubiectiue naturalis dicitur. Secundo, vt diſtinguitur à virtute obedientiali, & extrinſecè ſupernaturali; quæ non à ſe, ſed ab aliquo extrinſeco ſupernaturali ſuſceptiua eſt donorum ſupernaturalium. Tertio; prout diſtinguitur à potentia violenta, & neutra; quæ poſitiuam inclinationem in formam adducit. In hoc poſtremo ſenſu de potentia naturali diſſerendum eſt diſputatione ſequenti: vbi agemus, an ſupernaturalia dona ſupra appetitum innatum naturæ eleuentur? Nunc in primo, & ſecundo virtus naturalis expendenda eſt. Poterat etiam virtus dici naturalis, prout naturale libero opponitur. Sed hac ratione omnem virtutem paſſiuam eſſe naturalem, extra omnem contentionem eſt.

SECTIONES.

1. *Noua recentis authoris ſententia reijcitur.*
2. *Sententia Scoti proponitur.*
3. *Proponitur ſententia communis.*
4. *Fertur iudicium de propoſita controuerſia.*
5. *Explicantur argumenta Scoti.*
6. *Expenditur mens Sancti Thomæ.*

SECTIO PRIMA.

Noua recentis authoris ſententia reijcitur.

Explicatur.

2. SVnt qui aſſerant, virtutem paſſiuam naturæ ad recipiendum dona ſupernaturalia eſſe intrinſecè, & formaliter ſupernaturalem; nec vllatenus repugnare in eamdem entitatem, formalitatem naturalem, & ſupernaturalem conuenire, vt conueniunt ſupernaturalitas, & vitalitas. Itaquè volunt, vt in eadem entitate contritionis elicitæ à charitate inuenitur & formalis vitalitas, & formalis ſupernaturalitas ſibi identificatæ, ſic in ſubſtantia animæ recipiente gratiam habitualem, & in humanitate Chriſti vnionem hypoſtaticam, eſſe formalitatem quæ ad ordinem naturæ ſpectat, & formalitatem aliam priori idemtificatam, quæ in ordinem gratiæ, & entium ſupernaturalium refertur. Prior eſt virtus naturalis, quæ ſubſtantia eſt primum principium motus, & quietis; quæ propria naturæ eſt. Poſterior eſt virtus obedientialis, qua dona ſupernaturalia ſuſtentat; quæ ſupra naturam eſt. Probatur. Nam hæc virtus, licet ſit idemtificata naturæ, non debetur ei, nec eſt primum principium motus, cum noſtro modo concipiendi ſupponat ipſam ſubſtantiam naturæ in ordine ad motus naturales. Ergo hæc virtus perfectione formali, & intrinſeca ſupernaturalis eſt. Addo; Omnis perfectio intrinſecè connexa cum donis entitate ſupernaturalibus, eſt intrinſecè ſupernaturalis, vt ſtatuimus diſputatione 3. 4. & 5. At virtus paſſiua donorum ſupernaturalium eſt intrinſecè connexa cum donis entitate ſupernaturalibus. Ergo erit intrinſecè, & formaliter ſupernaturalis. Probatur minor. Ea virtus eſt intrinſecè, atque formaliter connexa cum donis entitate ſupernatura-

Digitized by Google

libus, quæ omnino repugnatet repugnantibus donis entitate ſupernaturalibus. Virtus paſſiua donorum entitate ſupernaturalium, omnino repugnatet repugnantibus donis entitate ſupernaturalibus: Nam nulla virtus poteſt eſſe ſuſceptiua formarum repugnantium: vt enim formæ repugnantes, nec eſſe realiter, nec fieri ab agente poſſunt: ſic nec ſubiecto poſſunt ineſſe. Ergo repugnantibus donis entitate ſupernaturalibus, repugnatet etiam virtus paſſiua illorum. Igitur cum entitati naturali idemtificari poſſit formalitas connexa cum donis entitate ſupernaturalibus, eidem idemtificari poteſt perfectio intrinſecè & formaliter ſupernaturalis.

Improbatur.

3. Hæc opinatio aut vocibus ludit, aut veram omnium Theologorum ſententiam euertit. Etenim omnibus rebus naturalibus tribuit potentiam obedientialem ſibi idemtificatam, aut ad agendum, aut ad recipiendum, aut ad informandum virtute abſoluta Dei quidpiam, quod ex natura rei aut agere, aut recipere, aut informare non valet: eamquè potentiam & perfectionem contendit, eſſe formaliter, & intrinſecè ſupernaturalem: quod à nullo Doctore Catholico eſt aſſertum. Quin omnes ſupponunt, quidquid ex parte naturæ antecedit ipſi idemtificatum intrinſecè, & formaliter naturale eſſe. Ita omnes Scotiſtæ, quos referemus ſectione ſequenti. Ex Thomiſtis Medina prima ſecundæ, quæſt. 3. art. 8. reſponſ. argumentorum ad tertiam. Capreolus quæſt. 1. prologi art. 2. ad primum contra ſextum, Ferrara 3. contra gen. cap. 156. Palatius quæſt. 1. præcurſoria ad primum lib. ſententiarum argumento 6. Zumel 1. parte, quæſt. 12. art. 1. quæſt. 2. diſ. 3. ad finem, AEgidius de præſentatione lib. 10. quæſt. 2. art. 11. numero 20. Pater Albertinus quæſt. 1. Theologica ad primum corollarium, dubitatione 2. & 3. Pater Suarez 1. to. in 3. p. diſp. 31. ſectione 6. paſſim, & plures alij Theologi differentes de potentia obedientiali.

Medina. Capreolus. Ferrara. Palatius. Zumel. Aegidius. P. Albertinus. P. Suarez.

Nulla perfectio idemtificata naturæ, eſt formalitas ſupernaturalis.

4. Et quidem argumenta efficacia ſuadent. Primo quia nulla perfectio debita naturæ eſt formaliter ſupernaturalis; omnia enim ſupernaturalia; vt diſputatione ſequenti dicemus, indebita naturæ ſunt. At omnes perfectiones realiter idemtificatæ naturæ ſunt debitæ naturæ; nam magis connectuntur cum natura, quàm proprietates, & paſſiones realiter à natura diſtinctæ, quæ eidem debitæ ſunt. Ergo omnes formalitates idemtificatæ naturæ ſunt formaliter naturales, & non ſupernaturales. Tùm omnes formalitates idemtificatæ naturæ fiunt viribus naturalibus, quibus fit ipſa natura. Quidquid autem fit viribus naturalibus eſt naturale, & non ſupernaturale formaliter. Ergo omnes formalitates naturæ ſunt formaliter naturales. Tertiò; Natura abſque auxilio intrinſecè ſupernaturali, realiter ſuperaddito, non valet efficere actum ſupernaturalem. At ſi ineſſet naturæ virtus formaliter ſupernaturalis, valeret efficere actum ſupernaturalem abſque auxilio ſupernaturali realiter ſupperaddito. Nam ſeorſim ab illo auxilio, contineret ſupernaturalitatem formalem, quàm actui poſſet conferre. Ergo nulla ineſt naturæ virtus formaliter ſupernaturalis. Deniquè naturæ eſſent debita dona ſupernaturalia titulo connexionis, & exigentiæ intrinſecæ, quam illa virtus formaliter ſupernaturalis afferret, vt debita ſunt dona naturalia titulo ſimilis perfectionis, & virtutis formaliter naturalis: Hoc autem Catholicè dici non poteſt. Perfectio igitur intrinſeca, naturæ formaliter ſupernaturalis, reijcienda eſt.

Ratio à priori.

5. A priori ratio ſit. Quia eo ipſo quòd vna formalitas rei ſuperet facultatem totius naturæ, prout requiritur ad perfectionem intrinſecè ſupernaturalem non poſſunt non omnes aliæ formalitates eidem idemtificatæ, eamdem naturæ facultatem realiter ſuperare: item eo ipſo quod vna perfectio rei ſolis naturæ viribus fieri, aut deberi poſſit, reliquæ ab illa indiſtinctæ fieri eiſdem viribus, & deberi realiter poſſunt. Nam realiter non poſſunt actione, aut paſſione Phyſica prædicata ſibi idemtificata præſcindi, vt vnum realiter productum viribus naturæ, aut gratiæ, aliud eiſdem viribus realiter non producatur. Hoc enim ſoli Deo ratione ſuæ infinitæ perfectionis, & virtutis tribuimus. Igitur repugnabit in ſubiecto naturali vnam formalitatem realiter ſupernaturalem, aut naturalem agnoſcere, quin omnes eiuſdem rei formalitates realiter naturales, aut ſupernaturales aſſerantur.

Solutio fundamentorum recentiorum.

6. Vnde ad primam rationem dicendum eſt, potentiam obedientialem, ſi adæquatè idemtificetur naturæ, realiter quidem naturalem, & debitam naturæ eſſe, etiam ſi comprincipia complentia illam, indebita naturæ ſint; ſi vero naturæ non idemtificatur adęquatè, ſed aliquid intrinſecè ſupernaturale præter naturæ entitatem intrinſecè complectitur, non eſſe talem potentiam formalitatem ſupernaturalem naturæ realiter idemtificatam. De quo diſputatione 32. Vbi ad ſecundam rationem oſtendemus, nullam ineſſe naturæ connexionem intrinſecam cum donis ſupernaturalibus, ratione obedientialis potentiæ. Vt ſuperius etiam expoſuimus diſputatione 4. num. 46.

Digitized by Google

SECTIO SECVNDA.

Sententia Scoti proponitur.

Scotus affirmans.

7. PRæcedenti ſententiæ omnino aduerſaria eſt opinio Scoti. Qui q. 1. prolog. §. *ad quæſtionem igitur.* & in 4. diſtinct. 10. q. 8. §. *Vnde rationem.* & diſtinct. 49. q. 9. tuetur virtutem paſſiuam donorum ſupernaturalium in animo eſſe omnino naturalem, non ſolum prout naturale opponitur ſupernaturali, verùm etiam vt opponitur violento, & neutro, atquè adeo etiam obedientiali: quare facultatem patiendi ſupernaturalia arbitratur ineſſe naturæ cum poſitiua inclinatione, & innata propenſione ad illa. Scotum ſequuntur eius Diſcipuli Baſolis, Guillelmus de Rubione, Bargius, Tartaretus, & Antonius Andreas prolog. ſententiarum q. 1. & 2. Aureolus in 1. diſtinct. 41. q. 1. art. 3. Herrera diſt. 1. q. 5. concluſ. 2. Rada 1. p. controu. 1. art. 1. Soſſa q. 1. prolog. art. 8. deffi 5. & §. 2. Philippus Faber diſp. 3 prol. & diſp. 8. c. 2. & reliqui Scotiſtæ. Quibus adhærent Sotus de natura & gratia cap. 4. con. 3. & in 4. diſt. 49. q. 2. art. 1. Pater Coninck 2. 2. diſputatio 4. num. 17. & diſputatio 7. num. 15.

Baſolis. Guillelmus Bargius. Tartaretus. Antonius Andreas. Aureolus. Herrera. Rada. Faber. Sotus. P. Coninck

Prima probatio, Auguſtinus

8. Primò, probatur ſententia authoritate Auguſtini de prædeſtinatione Sanctorum c. 5. vbi ait Auguſtinus. *Poſſe habere fidem naturæ eſt hominum, habere autem* fidem *gratiæ, eſt fidelium.* Si autem hominum conditioni eſſet præter naturalis poteſtas recipiendi fidem, non eſſet naturæ hominum poſſe, habere fidem, potius quàm ipſam habere. Ergo naturæ hominum ſuapte conditione ineſt poteſtas habendi fidem.

Secunda. Scoti.

9. Secundò arguit Scotus in illo §. *Ad quæſtionem igitur.* Omnis potentia paſſiua comparata accidenti, quod ſibi inhæret, eſt neceſſario potentia naturalis, violenta aut neutra. At nullum accidens comparatum cum potentia naturali, violenta, aut neutra eſt ſupra vires illius; ergo nullum accidens comparatum cum potentia paſſiua eſt ſupernaturale, ac per conſequens omnis potentia paſſiua accidenti compoſita erit naturalis; prout virtus naturalis diuiditur à virtute obedientiali, & ſupernaturali, quæ vires naturæ ſuperiores complectitur. Conſequentia bona eſt. Maior probatur. Nam omnis potentia paſſiua aut inclinat in accidens ſibi inhærens, aut illi repugnat, aut inclinatione, & repugnantia deſtituta eſt. Si poſitiuè inclinat, eſt potentia naturalis; ſi repugnat, violenta: ſi repugnantiam, & inclinationem exuit, eſt neutra. Probatur minor. Tùm quia potentia naturalis, vt à ſupernaturali, & obedientiali diſtinguitur, communiter diuiditur in naturalem, violentam, & neutram. Ita lib. 5. Met. cap. 12. cum Ariſtotele antiquiores Philoſophi, qui virtutem ſupernaturalem, & obedientialem non agnouerunt. Tùm quia calor non eſt ſupra vires paſſiuas ignis propendentis in illum; nec ſupra vires paſſiuas aquæ illi repugnantes; nec motus circularis ſupra vires cæli, neque propendentis, neque repugnantis.

Ariſtoteles

Tertia.

10. Tertiò arguit ſupra §. *ad propoſitum.* Si aliquod donum compoſitum ſubiecto naturali, excederet virtutem naturalem patientem, maxime viſio beata inter ſupernaturalia præſtantiſſimum. Viſio beata autem non excedit virtutem naturalem patientem ſubiecti naturalis: nam intellectus inclinat in illam, vt in ſummam ipſius perfectionem, & fœlicitatem animæ; ergo nullum donum ſupernaturale excedit virtutem naturalem ſubiecti. Quartò, §. *Antequam hæc diſtinctio*, & in 4. diſt. 10. q. 8. §. *Contra rationem iſtius reſponſionis.* Eadem forma, quæ eſt ſubiecto naturalis, cum inſunt naturæ vires efficientes illius, redditur ſupernaturalis, cum tales vires naturæ deficiunt, à Deoquè viribus ſupernaturalibus efficitur, vt cernere eſt in hominis viſu priùs naturaliter producto, & deinde ſupernaturaliter recuperato; ergo ſupernaturalia non indigent efferri ſupra virtutem patientem ſubiecti naturalis, ſed tantum ſupra virtutem agentem.

Quarta.

Quinta.

11. Quintò arguit ſup. § *Contra rationem etiam.* Quia ſi dona ſupernaturalia ſuperarent virtutem naturalem ſubſtantiæ rationalis, eſſent aliqua accidentia nobiliora ſubſtantiâ contra Ariſtotelem 7. Met. cap. 1. Nam plures formæ ſubſtantiales ſunt naturales virtuti naturæ ſubiecti naturalis. Ergo. Sextò ibidem quia ſi dona ſupernaturalia excederent vim paſſiuam naturalem, & intrinſecam animæ, cognitâ ſubſtantiâ animæ non cernerentur poſſibilia dona ſupernaturalia euidenter. At euidenter cernuntur: ergo pertinent ad vim naturalem paſſiuam animæ.

Sexta.

Poſtrema.

12. Deniquè addunt Scotiſtæ: virtus paſſiua donorum ſupernaturalium eſt identificata realiter adæquatè entitati naturæ. Hæc eſt naturalis omnino: ergo etiam virtus paſſiua donorum ſupernaturalium eſt omnino naturalis.

SECTIO TERTIA.

Proponitur ſententia communis.

Sententia negans.

13. COmmunis ſententia negat, vim paſſiuam donorum ſupernaturalium eſſe naturalem ſubiecto naturali, ac per conſequens comparatione ſubiecti dona gratiæ eſſe ſupernaturalia. Ita Capreolus quæſt. 1. prolog. ad argumenta contra ſextam concluſionem, Ferrara 3. contra Gent. c. 102. reſponſ. 4. Caiet. 1. p. q. 1. art. 1. & q. 12. art. 1. Zumel. ibidem diſp. 2. & in 2. q. 113. art. 10. dub. 2. Banes dub. 1. Victoria & Canus. Medi. 1. 2. q. 3. art. 8. qui cenſet improbabilem ſententiam Scoti. Item Societatis Theologi cum Molina 1. p. q. 12. art. 1. d. 2. concln. 1. Suar. t. 2. Metaphyſicæ d. 43. ſect. 4. n. 10. Fonſeca.

Capreolus. Ferrara. Zumel. Banes. Victoria. Canus. Medina. P. Molina. P. Suarez. P. Fonſeca.

Digitized by Google

Vaſquez. P.Salas. P.Herice. P.Iannerus P. Reinaudus.

1. Metaphyſicæ c. 1. q. 2. Vaſquez 1.p.d.214. c. 2. & in 1. 2. d. 22. c. 2. Salas ibidem d. 12. ſect.3. Herice 1. p.d. 48. n.16. P.Iannerus 1.2. diſp. 1. q. 5. à n.22. P.Reinaudus in ſua morali diſciplina.d.1.n.272.& plures alij.

Prima ratio.

14. Communi ſententia probatur. 1. Sunt dona ſupernaturalia, quæ ſuapte ratione exigunt fieri à cauſa efficienti ſupernaturaliter operante, itaut fieri nequeant viribus naturalibus. At repugnat ineſſe ſubiecto potentia paſſiua naturalis in ordine, ad ſuſcipienda accidentia, quæ exigunt fieri à cauſa efficienti ſupernaturaliter operante; ergo ſunt dona, & accidentia, ad quæ ſuſcipienda non ineſt ſubiecto potentia paſſiua naturalis. Maiorem concedit Scotus ſuprà, & Concilia ac Patres Eccleſiæ contra Pelagianos definiunt. Minorem probo. Vt cauſa efficiens operetur ſupernaturaliter, oportet, quod non operetur iuxta exigentiam ſubiecti naturalis, ſed vltra id, quod ſubiecti natura poſtulat; imò ſupernaturaliter operari, non eſt aliud, quàm agere ſupra exigentiam ſubiecti, conferendo illi formam ſuperiorem illis, quas ſubiecti natura poſtulat. Secundo; natura exiſtens in peccato non poteſt eſſe naturaliter grata Deo. At natura peccatrix fit grata Deo recipiendo gratiam iuſtificantem. Ergo natura non recipit naturaliter gratiam iuſtificantem: ac per conſequens virtus ſuſcipiendi gratiam non eſt naturalis. Tertiò; nulla exiſtit potentia naturalis paſſiua, cui non reſpondeat aliqua potentia naturalis actiua, qua reducatur ad ſuum actum. Vt docuit

Ariſtoteles

Ariſt. 3. de anima cap. 5. eo argumento probans, dari intellectum agentem, quia inerat animo intellectus patiens. Nam potentia naturalis eſſe non poteſt ad effectum naturaliter impoſſibilem: impoſſibilis autem eſt naturaliter effectus, vbi potentia actiua naturalis repugnat. At ad efficienda ſupernaturalia non eſt aliqua potentia actiua naturalis, vt Scotus etiam fatetur. Ergo etiam ad illa ſuſcipienda nulla eſt potentia paſſiua naturalis. Quarto denique; Poteſt tanta eſſe excellentia formæ; vt ſuperet vires actiuas naturæ. Ergo etiam tanta eſſe poteſt, vt ſuperet paſſiuas. In hoc enim quid repugnantiæ?

SECTIO QVARTA.

Fertur iudicium de propoſita controuerſia.

15. DVo tribuit Scotus naturæ patienti, dona ſupernaturalia, quæ in diſputationem venire poſſunt. Alterum, virtutem naturalem, prout virtus naturalis diſtinguitur ab eleuata, & ſupernaturali, communiſque eſt virtuti violentæ, qua lapis naturaliter mouetur ſurſum. Alterum, inclinationem ingenitam in dona ſupernaturalia, virtutemque naturalem, prout diſtinguitur à violenta, & neutrâ; quâ lapis naturaliter mouetur deorſum. Nunc de virtute naturali in prima vſurpatione diſſerimus, diſſerturi de virtute naturali in ſecunda vſurpatione diſputatione ſequenti.

Diſcenſio de voce in hac controuerſia.

16. De virtute autem naturali prout ab obedientiali, & ſupernaturali ſecernitur, multum de voce contenditur inter vtriuſque factionis authores; quamuis multum etiam diſſentionis de re eſſe poſſit; quod tamen ab authoribus non explicatur. Nam ſi per virtutem paſſiuam naturalem intelligatur vis patiendi, quæ ſola actione naturali, & non ſupernaturali reducitur in actum, vt volunt authores ſententiæ negantis, planè Scotiſtæ in re talem virtutem naturalem in dona ſupernaturalia ſubiecto naturali non adſcribunt. Etenim perſpicuè docent, ea dona collata cum viribus efficientibus ſupernaturalia eſſe, virtutemque actiuam inducentem illa in ſubiectum eſſe ſupernaturalem. Idemtidem ſi virtutem paſſiuam naturalem accipias eam, quæ in ratione virtutis paſſiuæ nihil ſupernaturale complectitur, ſed adæquatè tota virtus paſſiua eſt entitate naturalis, quamquam ad patiendum egeat virtute actiua ſupernaturali, vt Scotiſtæ volunt, ſanè talem virtutem naturalem in dona ſupernaturalia nec communis ſententiæ Patroni vereri poſſunt, cum reipſa virtutem paſsiuam eorum donorum neque inadæquatè ab entitate naturali ſubiecti diſtinguant. Si enim quidpiam ſupernaturale præter entitatem naturalem ſubiecti, poteſtatem paſsiuam donorum ſupernaturalium complet: rogo illud ſupernaturale, an inſit adequatè naturæ? an inadequatè? ſi adequatè; ergo ſola entitas naturæ ſecluſa alia virtute patiente eſt adequatè virtus patiendi ſupernaturalia. Si inadequatè ſolum, abibo in infinitam virtutum patientium proceſsionem, quæ omnibus Theologis vitanda eſt.

Modus loquendi Scoti voluntarius nõ eſt.

17. Nec adeo voluntaria eſt varia iſta vſurpatio vocum, vt in ipſa re fundamentum non cernatur: eſt enim in virtute paſsiua accidentium ſupernaturalium, quidquam quo reipſa differt à virtute paſsiua accidentium naturalium, nempe reduci non poſſe ad patiendi actum virtute actiua naturali, ſed ſupernaturali. Ideoque ratione huius diſcriminis realis poteſt negari virtus accidentium ſupernaturalium paſsiua eſſe ſimpliciter naturalis, alioquè nomine dici obedientialis. Eſt item in ea virtute paſsiua quicquam, quo reipſa differt à virtute actiua obedientiali, nempe adequatè identificari ſubiecto naturali, quin alio comprincipio patienti indigeat, vt reuera indiget virtus actiua naturæ in ſuo genere, quæ ſine comprincipio ſupernaturali actiuo nullius entis ſupernaturalis actiua eſt. Ideoque non obedientialis, ſed naturalis, non viribus ſuperadditis potens, ſed viribus naturalibus ac proprijs ſuſceptiua ab Scoto dici potuit. Viribus enim naturalibus, ac proprijs ſuſceptiua eſt virtus, quæ in alienis, ac ſupernaturalibus viribus ad ſuſtinendum dona ſupernaturalia non vtitur. Vt verè, ac propriè non eſt ſupra vires hominis pondus, quod ſolus abſque iuuamine alterius portare poteſt, licet, ſolus abſque alterius ope illud humeris imponere non poſſit. Quamuis ergo dona ſupernaturalia ſupra actiuam virtutem naturæ exiſtant, quia ſolæ vires actiuæ naturæ abſque auxilio alterius ſi-

militer agentis ad efficiendum ea dona non ſufficiunt, tamen non erunt propriè ſupra vires paſſiuas naturæ, quia ſolæ naturæ vires abſque alterius patientis ope ad ſuſtinendum alia dona ſufficientes ſunt. Ac per conſequens rectè viribus naturalibus ſuſtentari, licet non viribus naturalibus fieri, dici poſſunt. Ita explicat, & probat Scotus in 4.d. 49.q. 11. con. 1. naturam humanam ex puris naturalibus eſſe beatitudinis ſupernaturalis ſuſceptiuam.

Confirmatur Scoti loquutio.

18. Confirmatur hæc Scotica vſurpatio virtutis paſſiuæ naturalis. Si habitus ſupernaturalis non iuuaret naturam ad agendum actus ſupernaturales, ſed tantum ad patiendum; vt ſola abſque conſortio habitus ſupernaturalis ſimul patientis non poſſet ſuſtentare actus ſupernaturales, verum poſito habitu ſupernaturali poſſet ſola natura cum concurſu generali Dei, abſque auxilio actiuo habitus, aut alterius principij ſupernaturalis, actus ſupernaturales efficere; planè actus ſupernaturales non eſſent ſupra vires naturales actiuas, quamuis eſſent ſupra vires naturales paſſiuas; quia ſolis viribus actiuis naturæ abſque iuuamine alterius principij actiui fierent. Quare Pelagianiſmi damnaretur nunc, qui ſolis viribus naturæ actus fidei, & charitatis fieri tueretur, quamquam ad diſponendum ſubiectum, aut recipiendum eos actus conſortium ſupernaturale requireret. Igitur eadem ratione non erunt nunc ſupra vires naturales paſſiuas. Cum ſolę vires naturæ abſque auxilio aliarum virium patientium valeant ſuſtinere eos actus, & alia dona ſupernaturalia; quamquam in aliud genus cauſæ actiuæ conſortium ſupernaturale deſiderent.

Diſplicet ratio loquendi Scoti.

19. Nihilominus quamquam rem Scoti teneam, tamen non placet ratio loquendi Scoti. Quare nec poteſtatem patientem donorum ſupernaturalium voco abſolute naturalem; nec dona ſupernaturalia compoſita cum ſubiecto voco naturalia. Primò, quia in modo loquendi ſtandum eſt ſemper maiori, ac frequentiori ſcholaſticorum conſuetudini. Maior autem, ac frequentior conſuetudo ſcholaſticorum talem poteſtatem non vocat naturalem; quandoquidem communior, & maior pars Theologorum hac in re Scotiſtis refragatur. Secundò; quia ſi habitus charitatis non eſſet ſupernaturalis, ſed naturalis virtuti paſſiuæ voluntatis, ſane actus charitatis non eſſet ſupra vires actiuas voluntati naturales: quod eſt contra modum loquendi Scoti. Quia non eſt ſupra vires actiuas habitus charitatis, quæ per te ſunt voluntati naturales. Tertiò, quia ſimili ratione dici poſſet, hominem eſſe naturaliter iuſtum, & Deum, quia gratia iuſtificans vnio hipoſtatica eſt naturalis virtuti paſſiuæ humanitatis. Quod abſonat à modo loquendi Conciliorum, ac Patrum. Poſtremò; quia virtus paſſiua naturalis, vt ab obedientiali diſtinguitur, importat connexionem, & relationem tranſcendentem in dona, quæ tali virtuti naturalia ſunt. Naturæ autem nulla ineſt connexio, & relatio tranſcendens in dona ſupernaturalia.

Continet

20. En ventum eſt, ad controuerſiam de re. Etenim Scotus manifeſtè tribuit naturæ relationem tranſcendentem in dona ſupernaturalia, cum naturæ tribuat inclinationem poſitiuam in illa; quæ inclinatio ſine tranſcendenti relatione apprehendi non poteſt. Nam relatio tranſcendens nunc intelligitur connexio quidditatiua, quà, natura ita pendet à poſſibilitate donorum ſupernaturalium, vt repugnantibus donis ſupernaturalibus repugnaret quoque natura. At inclinatio innata, & intrinſeca naturæ in dona ſupernaturalia apprehendi non poteſt abſque ſuperiori connexione. Ergo reuera conceditur relatio tranſcendens naturæ in dona ſupernaturalia, vbi inclinatio innata palam conceditur. Probatur minor. Non poteſt apprehendi inclinatio innata naturæ eſſe in dona repugnantia. Alioqui ineſſet lapidi inclinatio in rationalitat, homini in Deitatem? Ergo non poteſt apprehendi remanente natura, repugnantibus per impoſſibile donis ſupernaturalibus, ſi inclinatio in dona ſupernaturalia intrinſeca ſit, & identificata naturæ. Nam eis donis repugnantibus per te non poteſt eſſe inclinatio naturalis in illa. At hæc eſt identificata realiter naturæ. Ergo eis donis repugnantibus non poteſt realiter exiſtere natura. Repugnanti enim vno prædicato realiter identificato naturæ, repugnare debet natura, vt deſtructo realiter prædicato identificato naturæ, deſtruitur realiter natura. Id enim quod remanet realiter, deſtructo alio, non poteſt realiter eſſe aliud, ſeparatio namque realis, argumentum eſt euidens diſtinctionis realis.

de re hęc controuerſia ordinē tranſcendētem naturæ in dona ſupernaturali.

21. Porrò autem potentia naturalis prout potentiæ naturali violentæ, atque neutræ communis eſt, ordine tranſcendenti ab obedientiali diſcernitur. Nam hic ordo tranſcendens extra potentiam obedientialem eſt, & potentiam naturalem conſtituit. Etenim nulla eſt potentia naturalis etiam violenta, & neutra, quæ ſuos effectus tranſcendētaliter non reſpiciat, nec vlla eſt potentia obedientialis, quæ in ſuos effectus tranſcendentaliter referatur. Ergo potentiam naturalem ab obedientiali ordo tranſcendentalis diſtinguit. Conſequentia bona eſt. Antecedens nunc pono. Potentiam naturalem creatam afferre eſſentialiter reſpectum tranſcendentem in effectum poſſibilem, oſtendi fusè lib. 2. Phyſicorum, & oſtendam fuſius opere Metaphyſico tract. de cauſis. Potentiam obedientialem vero ſuos effectus tranſcendentaliter non reſpicere, definiam diſp. 32.

22. Igitur inter authores affirmantes, & negantes potentiam naturalem paſſiuam donorum ſupernaturalium, id poteſt eſſe diſcrimen de re, quod affirmantes referant tranſcendentaliter naturam in dona ſupernaturalia: Negantes vero à tali ordine abſolutam naturam adſtruant. Quare cum nos talem ordinem improbemus: non ſolum in voce; verumetiam in re ab Scoti ſententia diſſentimus. Qui vero eum ordinem naturæ in ſupernaturalia dona probauerint, (de quo inter recentiores tantum diſputatio eſt) ab Scoti opinione ſolo lo-

Digitized by Google

quendi modo diſcedent. Qui loquendi modus in Scotica ſchola arbitrarius non eſt, ſed rationabili fundamento innititur; vt dicebamus num.17.

SECTIO QVINTA.

Explicantur argumenta Scoti.

Satisfit primæ probationi Scoti.

23. NVnc argumenta Scoti, quæ noſtram ſententiam oppugnant, explicanda ſunt. Ad primum; Auguſtinus de prædeſtinatione Sanctorum cap.5. non dixit poſſe habere fidem, eſſe naturale hominibus, ſed eſſe naturæ hominis, id eſt, commune hominibus, non brutis, ſiue quia natura humana, & non brutalis à Deo eleuata eſt ad fidē: ideoque loquatur Auguſtinus de poteſtate abſoluta credendi hominum propria: ſiue quia natura humana vt à natura brutorum differens, non repugnat poſitiuè eleuationi ad credendum, ideoque diſſerat Auguſtinus de poteſtate credendi conditionata, dependenti à conditione eleuationis diuinæ, cui hominum naturæ apta eſt, & non brutorum: At vero iſta poteſtas credendi naturalis non eſt, prout naturalis potentia ab obedientiali diſtinguitur, quæ ordinem tranſcendentem in ſuos effectus excludit; ſed potius obedientialis eſt ſine ordine tranſcendenti in actum ſupernaturalem credendi potens. Itaque etiā non de poteſtate paſſiua tantū, ſed etiā de poteſtate actiua ſermo Auguſtino eſt, cuius poteſtatis vires homini naturales non ſunt in Scoti, & omnium Theologorum ſententia, quæ contra Pelagium tuetur, viribus naturalibus ſalutarem fidei actum repugnare. Igitur abs re Auguſtinus adducitur.

Auguſtinus

Secundæ.

24. Ad ſecundum; præter potentiam naturalem, violentam, & neutram exiſtit obedientialis potentia, qua natura recipit dona ſupernaturalia. Huius potentiæ nec Ariſtoteles, nec alij Philoſophi meminerunt, quia dona ſupernaturalia, quæ talis potentiæ effectus ſunt, ignota fuerunt. Differt autem potentia obedientialis à violenta, naturali, & neutra. Primò, quod nulla iſtarum, quæ diuidunt potentiam naturalem oppoſitam obedientiali, reduci debet in actum actione ſupernaturali exiſtenti ſupra omnem exigentiam naturæ: obedientialis vero actione ſupernaturali in actum reducitur. Secundò, quòd obedientialis non refertur ordine tranſcendentali in ſuos effectus; reliqua vero tranſcendentali connexione effectus poſſibiles reſpiciunt, naturalis cum poſitiua inclinatione, violenta cum poſitiua renitentia, neutra verò abſque renitentia, & inclinatione. Quamquam ſi potentiam neutram paulo altius accipias, ſcilicet virtutem ſolum, quæ nec propendeat, nec renitatur formæ, ſiue tranſcendentaliter referatur in illam, ſiue non, ſub potentia quidem neutra poteſt facile obedientialis comprehendi, vt eam comprehendunt Philippus Faber, & Herrera ſupra. Siquidem natura nec in dona ſupernaturalia poſitiuè inclinat, nec illis poſitiuè reluctatur.

Tertiæ.

25. Ad tertium. Nego intellectum appetere innato deſiderio viſionem beatam; de quo diſputatione ventura dicemus. Ad quartum, diximus diſp.5.n.5. Ad quintum diſp.21 vbi ſtatuemus, poſſintne dona ſupernaturalia vincere perfectione ſubſtantias, neceſſariumve ſit? Nunc ſequelam nego: nam plures cauſæ continentes nobiliores effectus non poſſunt continere ignobiliores. Exemplo ſit, habitus ſupernaturalis, qui efficiens virtute natiua ſupernaturales actus nequit efficere naturales. Ad ſextum nego dona ſupernaturalia innoteſcere euidenter cognitione naturali. De quo diſp.11. Ad poſtremum in primis aſſero, virtutem abſolutè ſuſceptiuam donorum ſupernaturalium non identificari adequatè entitati naturæ, ſed præter naturæ entitatem quidpiam aliud intrinſecè ſupernaturale continere; de quo diſp.15. Deinde eſto in eſſendo eſſet naturalis, non eſſet naturalis in cauſando; quia nec cum ordine tranſcendenti; nec cum actione naturali in actum reducitur, prout ex communi vſu loquendi, (cui in hac diſſenſione de voce parendum eſt) ad potentiam naturalem requiritur.

SECTIO SEXTA.

Expenditur mens Sancti Thomæ.

Ratio dubitandi.

26. QVamquam ſuſcepta cauſa parui momenti videatur, vt quæ vidimus n.16. inter Theologos plurimum contineat contentionis de voce, tamen ſine D. Thomæ conſenſu concludenda non eſt: cuius ſuffragium ſemper in omnibus noſtris diſputationibus religioſe, & ſtudioſe requirimus, & pro votis aſſequutum gloriabimur. Igitur in re præſenti tanti præceptoris iudicium difficile reddit hoc teſtimonium ex 1.2.q.113. art. 10. in corpore ſecundo. *In quibuſdam miraculoſis operibus inuenitur, quod forma inducta eſt ſupra naturalem potentiam talis materiæ: ſicut in ſuſcitatione mortui vita eſt ſupra naturalem potentiam talis corporis; & quantum ad hoc, iuſtificatio impij non eſt miraculoſa, quia naturaliter anima eſt gratiæ capax.* Vbi conſtituens S. Thomas diſcrimen inter facultatem animæ ad iuſtificationem, & capacitatem corporis ad reſurrectionem, priorem, ait, eſſe naturalem, non verò poſteriorem. Igitur ex mēte S. Thomæ capacitas animæ ad dona ſupernaturalia naturalis eſt. Hac ratione exultant Scotiſtæ dicentes Scoti ſententię apertè ſuffragari S. Thomam. Ita Rada, & Soſſa ſupra cum alijs recentioribus.

S. Thomas nobis fauet.

27. Verum S. Thomam à communi ſententia ſtare, mihi indubitatum eſt. Ita 3 p.q. 4. ar.1. docens potentiam paſſiuam naturalem ſubiecti non ſe extendere ad ſuſcipiendam formam ſupernaturalem, & 3. contra gentes cap. 102. ratione 4. potentiæ paſſiuæ naturali ineſſe neceſſario reſpectum ad agens, à quo poſſit naturaliter in actum reduci. Iuxta quam doctrinam in 3. diſt. 23. quæſtione 1. in cor-

Digitized by Google

S.Thomas. firmat ex ipſo S. Thomæ 1. p. q. 105. art. 7. ad 1. Vbi ſic habet. *Creatio animæ, & iuſtificatio peccatoris, etſi à Deo ſolo fiant, non tamen propriè loquendo miraculoſa dicuntur, quia non ſunt nata fieri per alias cauſas, & ita non contingunt præter ordinem naturæ, cum hæc ad facultatem naturæ non pertineant.* Igitur quia gratia ab agenti ſibi connaturali producitur, eius productio non eſt miraculoſa: quia verò animus iterato vnitur aliter, quam ordo naturæ ipſius poſtulat, ideò ſuſcitatio mortui miraculoſa eſt.

34. Cæterum deſiderabit quis in hac ſolutione: quare animus dicitur capax gratiæ ſupernaturalis, poteſtate naturali? Nam hoc dicendi modo ſolum videtur explicari, quare iuſtitiæ productio non ſit propriè miraculum, licet miraculum ſit vitæ iam amiſſæ recuperatio? videlicet ratione productionis naturalis formæ productæ: verum non explicatur, quare animæ capacitas naturalis ſit in ordine ad gratiam, cum non ſit naturalis capacitas corporis in ordine ad vitam? Quod toto iſto examine contenditur, reſponderi poteſt: poteſtatem naturalem dici *naturalem* dupliciter. Vel abſolutè, & ſimpliciter, modo quo tota iſta diſputatione in controuerſiam adducta eſt; vel relatè ad formam inducendam, & ſecundum quid, modo quo in eo loco diſſerebat S. Thomas. Igitur S. Thomas non priori modo abſolutè, ſed poſteriori modo ſecundum quid, & relatè, capacitatem formæ naturalem admittit. Quod ſuperioribus non aduerſatur. Ideo huic interpretationi ſuffragamur.

DISPVTATIO NONA.

AN DONA SVPERNATVRALIA SINT ſupra innatum appetitum naturæ?

HÆC controuerſia frequens eſt inter Theologos, qui de viſione beata, gratia iuſtificante, aliiſque ſimilibus donis ſupernaturalibus diſſerunt. Quia vero omnibus donis eadem affirmandi, & negandi ratio communis eſt; ideo de omnibus communis hæc diſputatio inſtituitur.

SECTIONES.

1. *Expenditur ſententia tribuens naturæ innatum appetitum in dona ſupernaturalia.*
2. *Expenditur ſententia negans omnino propenſionem naturæ in dona ſupernaturalia.*
3. *Expenduntur duæ ſententiæ mediæ.*
4. *Iudicium noſtrum de tota controuerſia.*

SECTIO PRIMA.

Expenditur ſententia tribuens naturæ innatum appetitũ in dona ſupernaturalia.

Scotus. Baſſol. Ouandus. Durandus. Paludanus. Sotus. Alenſis. Herrera. Rada. Soſſa. Faber. P.Valẽtia. P.Ruiz.

1. HVius ſententiæ ſunt Scotus in prolog. q. 1. §. *ad quæſtionem* & in 4. d. 49. q. 10. art. 1. Baſſol ibidem q. 6. art. 2. Ouandus ibidem propoſitione 23. Durandus q. 8. num. 8. Paludanus q. 7. ar. 1. con. 2. Sotus q. 2. con. 1. & 1. de natura & gratia cap. 4. Alenſis q. 10. & in prolog. q. 1. Herrera, Rada, Soſſa, Philippus Faber relati diſputatione præcedenti num. 7. P. Valentia tom 2. d. 1. q. 5. puncto 1. P. Didacus Ruiz de voluntate Dei diſputat. 1. ſect. 2. n. 7. Aſſeriturque à P. Molina infra communior ſcholaſticorum ſententia.

2. Probant omnes primò, authoritate Auguſtini lib. 13 de Trinitate cap. 8. ſic aſſerentis: *Ad appetendum beatitudinem natura compellit, cui ſummè bonus, & immortalis creator hoc indidit.* & lib. 1. confeſſionum cap. 1. *Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec perueniamus ad te.* At beatitudo noſtra eſt ſupernaturalis. Ergo. Confirmatur. Appetitus innatus re ipſa non eſt aliud quam potentia naturalis ſuſceptiua boni. At ex Auguſtino de prædeſtinatione Sanctorum cap. 5. naturæ competit potentia naturalis ſuſceptiua donorum ſupernaturalium, quæ nobis bona ſunt. *Nam poſſe habere fidem, & charitatem naturæ hominum eſſe,* docet. Ergo reipſa competit naturæ appetitus innatus in dona ſupernaturalia? Hoc argumentum vim non habet. Nam Auguſtinus planè non differit de appetitu innato, ſed tantum elicito: de quo nos diſputat. 14. Ideo lib 13. de Trinitate cap. 8. non habet illud, *Ad appetendum Beatitudinem*: ſed, *ad volendum*: priuſque præmiſerat: *Quomodo erit vera tam certa ſententia, Beatos eſſe omnes homines velle, ſi ipſi, qui iam beati ſunt, beati eſſe, neque volunt, neque nolunt?* Velle autem, & nolle ad appetitum elicitum pertinent, non innatum. Hanc interpretationem Auguſtini de appetitu elicito manifeſtam eſſe, docet, aliiſque probat Durandus oppoſitæ ſententiæ Patronus, ſupra

Prima probatio ex Auguſtino.

Eneruatur.

Digitized by Google

num. 15. An vero ex appetitu elicito naturali arguatur innatus? mox videbimus. Ad confirmationem, nego ineſſe naturæ capacitatem naturalem ad ſuſcipiendum dona ſupernaturalia; vt diſputatione antecedenti diſſertum eſt: vbi n.23. Auguſtinum expoſuimus.

Secunda ex Rom. 4. 3. Secundo obijcit P. Didacus Ruiz illud Romanorum 8. *Expectatio creaturæ reuelationem Filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura ſubiecta eſt non volens; ſed propter eum, qui ſubiecit eam in ſpe; quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim, quod omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſque adhuc.* Nam S.Thomas. Sanctus Thomas lect. 4. prope finem notat, hoc exponi poſſe, non tantum de rationali, ſed etiam de irrationali creatura, quæ inſito appetitu potentiæ obedientialis expectat, & deſiderat ſupernaturalem incorruptionem, ad quam per Dei gratiam propter gloriam filiorum Dei eleuata eſt; atque ideo quaſi vim paſſa, corruptione, contra iſtum appetitum incorruptionis ingemiſcit non volens. *Vt hoc quod dicit ingemiſcit* (ait Sanctus Thomas) *idem ſit ei, quod dixit, non volens: in illis enim ingemiſcimus, quæ noſtræ voluntati repugnant. Sic ergo in quantum defectus naturæ ſenſibilis ſunt contra naturalem appetitum particularis naturæ, dicitur ipſa creatura ſenſibilis ingemiſcere. Quod autem dicit, Parturit, idem eſt ei, quod ſupra dixerat, expectat.* Igitur interpretatione Sancti Thomæ voluit Paulus creaturæ irrationali ineſſe appetitum inſitum incorruptionis ſupernaturalis, per quem corruptioni, ſiue vanitati repugnat. Diſſoluitur Reſpondeo primo. Hoc teſtimonium ſenſu literali exponendum eſt de creatura rationali, de qua ibi Paulo erat ſermo. Præmiſerat enim: *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Ad oſtendendum autem reuelationem iſtam gloriæ certo futuram, promit expectationem omnium iuſtorum, qui ſub ſpe talis gloriæ huius vitæ labores gemendo ferunt. Quare mox adiungit. *Non ſolum autem illa, ſed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes, intra nos gemimus, adoptionem filiorum* Dei *expectantes*: Hoc eſt, non ſolum aliæ creaturæ rationales, ſed & nos Apoſtoli primitias ſpiritus habentes gemimus, donec tanta gloria reueletur. Ita ipſe Sanctus Thomas, & communis Patrum conſenſus. Deinde quamuis de creatura irrationali intelligamus, expectatio incorruptionis, & gemitus corruptionis per metaphoram tantum accipienda ſunt, vt alibi riſus pratorum, eiulatus montium, & elementorum voces accipiuntur. Ita expreſſe Chriſoſtomus ad hunc locum hom. 14. columna 2. At quieta expetitio iſta incorruptionis non innata, & intrinſeca, ſed metaphorica, & extrinſeca in omnibus creaturis agnoſcenda eſt, quatenus ordinatione extrinſeca Dei, ipſæ etiam in communi illa eleuatione gloriæ filiorum Dei, aut peculiari ornatu veſtiendæ ſunt, aut perpetua duratione donandæ. Demum omnis creatura, quantum eſt ex ſe, expetit incorruptionem, & vim patitur corruptione, quia durare cuique bonum eſt, deſtrui verò malum; neque duratio æterna eſt intrinſecè ſupernaturalis, ſed tantum extrinſecè; nam eo ipſo quod creaturæ corruptibili aduerſaria agentia deeſſent, aut Deus decerneret aduerſus impetum aliorum protrahere naturalem actionem, qua nunc conſeruatur, æternum creatura duraret; aut ſaltem æterna duratio coaleſcit ex pluribus durationibus, quæ ſeorſim ab alijs naturaliter, poſſibiles ſunt, & exigentiæ rerum conſentaneæ; quamquam earum collectio, quæ modum tantùm extrinſecum importat, ſupra naturam ſit. Igitur eſto, admittatur in creatura irrationali appetitus innatus incorruptionis, & durationis æternæ, non aſſeritur appetitus naturalis doni alicuius intrinſecè ſupernaturalis. Quid? Quod Apoſtolus & S.Thomas nos docent creaturam irrationalem expectare incorruptionem æternam, ſed tantum reuelationem gloriæ filiorum Dei, hoc eſt, durationem eo tempore, quo filij Dei nunc innumeris ærumnis ſubiecti, animo, & corpore glorioſi, omnibus creaturis manifeſtandi ſunt; quod abſolutè, & ex natura rei Deo poſſibile eſt; eſto, ea lege extrinſeca ipſius euenire non poſſit.

4. Tertio probant Scotus, & Durandus. Natura inclinat in bonum ſibi conueniens. Sed dona ſupernaturalia ſunt, bona conuenientia naturæ. Ergo natura inclinat in dona ſupernaturalia. Reſpondeo facile. Natura inclinat in bonum ſibi conueniens, viribus ipſius naturæ conſequibile. Dona ſupernaturalia verò non ſunt bona conuenientia naturæ, viribus ipſius naturæ conſequibilia. Vel natura inclinat in bonum intra connexionem entitatiuam, & tranſcendentem ipſius naturæ contentum. Ita diſputat. ſuperiori num. 20. Dona ſupernaturalia verò non ſunt bona intra connexionem entitatiuã & tranſcendentem naturæ contenta. Ita diſp. 3. ſect. 2. & diſp. 4. ſect. 3. & fusè diſp. 32. Tertia probatio explicatur. Scotus. Durandus.

5. Quarto Baſſolis arguit. Natura rationalis inclinat in ſuam beatitudinem. Hæc eſt ſupernaturalis. Ergo inclinat in quidpiam ſupernaturale. Ac per conſequens ſupernaturalia non excedunt inclinationem naturæ. Nec iuuat reſpondere naturam ſolum inclinare in beatitudinem in communi, quę à ſupernaturali præſcindit, non verò in beatitudinem in particulari, quæ ſolum determinatè ſupernaturalis eſt. Nam ea ratione natura fertur propenſione innata in beatitudinem in communi; quia iuxta Ariſtotelem 1. Ethicorum c. 1. *bonum eſt quod omnia appetunt.* Beatitudo autem eſt perfectio maxima naturæ. At etiam beatitudo in particulari eſt perfectio maxima naturæ. Ergo. Deinde; propenſio naturalis fertur in beatitudinem veram, non vero in fictam, aut à vera atque ficta præſcindentem. At beatitudo vera non præſcindit à naturali, & ſupernaturali, ſed determinatè ſupernaturalis eſt: quandoquidem extra poſſeſſionem ſupernaturalem ſummi boni, verè beatitudo non eſt; ergo propenſio naturalis hominis fertur determinatè in beatitudinem ſupernaturalem. Quarta Baſſolis. Ariſtoteles.

Digitized by Google

turalem. Rurſus:eſto vera beatitudo à naturali, & ſupernaturali præſcindat, inclinatio innata non poteſt appetere rationem communem, & indeterminatam beatitudinis,ſed determinatā, & ſingularē. Nā eo differt appetitus innatus ab elicito,quòd elicitus fertur in bonum vt apprehenſum:cum autē apprehenſio intellectus poſſit rationem communem, & indeterminatam referre,poteſt appetitus elicitus in rationē boni ſic propoſitam inclinare.Appetitus innatus verò fertur in bonum naturæ,vt realiter exiſtens. Bonum autem realiter exiſtens non eſt aliquid indeterminatum,& commune.Igitur appetitus naturæ in ſuam beatitudinem non eſt in cōmunem rationem,ſed determinatam& ſingularem beatitudinis. Sed breuiter dicito. Creatura rationalis pondere naturę non fertur in fœlicitatem ſupernaturalē, quæ nec viribus naturæ obtinetur nec intra cōnectionem entitatiuam, ac tranſcendentem naturæ continetur: ſed in fœlicitatem naturalem,quæ & virtute naturæ obtineri, & connexione tranſcendenti naturæ contineri poteſt.

Quinta Soti. 6. Quinto vrget Sotus. Vnaquæquè res fertur natura in id,in quo naturaliter quieſcit.Sed homo non quieſcit in bonis naturæ, ſed ſupernaturalibus. Ergo homo fertur natura in bona ſupernaturalia.Cōfirmatur.Ineſt omnibus hominibus deſiderium poſſidendi ſummum bonū inſitum à natura. At hoc deſiderium omnibus hominibus commune inſeri à natura nō poteſt, niſi natura ipſa antecedenter ad omnem cognitionem ſummi boni inclinet in adeptionem illius. Ergo ante omnem cognitionem,& appetitum elicitum ſummi boni inclinat natura rationalis in adeptionem illius. Hæc autem adeptio & media, quæ ad illud perducunt,ſunt intrinſecè ſupernaturalia. Ergo appetitu innato inclinat homo in dona ſupernaturalia. Iterū confirmat; cōgenitus eſt homini, vt conſtat ex Gen.1.exprimere imaginē,& ſimilitudinē Dej. Exprimit autē homo imaginem & ſimilitudinē Dei per dona ſupernaturalia; ergo congenita ſunt inclinationi hominis dona ſupernaturalia. (Gen.1.)

7. Hæc abſque negotio dilues.Homo non poteſt quieſcere appetitu elicito in bonis naturæ; quia vltra bona naturæ poteſt deſiderio naturali appetere bona ſupernaturalia; vt diſputatione 14. oſtendemus.Poteſt tamen quieſcere in bonis naturæ appetitu innato, ſcilicet ſi tribuantur illi opera, ac bona naturalia, quæ viribus & connexione naturæ ſunt poſſibilia: vltra quam appetitum innatum non porrigi, iam diximus ſupra. Ad primam confirmationem: deſiderium adipiſcendi ſummum bonum omnibus hominibus inſitum eſt, quia naturali impulſu feruntur in tale deſiderium, quamquam in ipſam adeptionem boni eo impulſu non ferantur. Nam deſiderium viribus,& connexioni naturæ coniunctum eſt, licet adeptiò ipſa ſummi boni vires, & connexionem entitatiuam naturæ tranſcendat. Plura enim viribus, & impulſu naturæ deſiderari poſſunt,quæ eiſdem viribus, & conatibus obtineri nequeunt. Itaque poteſt eſſe propenſio innata in deſiderium rei, quin in ipſam rem deſideratam ſit inclinatio. Etenim vt virtus, & connexio naturæ aliter comparatur ad deſiderium & rem, ita etiam propenſio innata, aliter ad rem ipſam deſideratam, & deſiderium conferri poſſunt, vt deſiderium ſit inclinationi naturæ conforme, res vero deſiderata ſupra naturæ inclinationem aſſurgat. Ad ſecundam confirmationem; refert homo Deum imagine & ſimilitudine naturali, quatenus eſt intellectiuus, & liberè volitiuus, & imagine, ac ſimilitudine ſupernaturali; quatenus per gratiam habitualem efficitur conſors naturæ diuinæ. Itaque congenitum eſt homini referre Deum priori ſimilitudine naturali;non vero poſteriori ſupernaturali. Atque adeò dona ſupernaturalia non ſunt hominis propenſioni cōgenita.

8. Sexto obijcit P.Valentia.Appetitus innatus eſt capacitas naturalis ad bonum ſibi conueniens.Sed naturæ conuenit capacitas naturalis ad dona ſupernaturalia, quæ ſunt bona ipſi conuenientia. Nam ea capacitas non eſt poſita in poteſtate naturæ; atque adeò eſt naturalis. Ergo competit naturę innatus appetitus in dona ſupernaturalia. Explicatione vocis hoc argumentum expeditur. Capacitas, & appetitus in dona ſupernaturalia dupliciter dicitur naturalis. Primò; vt naturale opponitur libero. Secundò; vt opponitur præternaturali, & extraneo. Igitur capacitas, & appetitus non eſt innatus, quod ſit naturalis priori ſignificatione; ſed quod ſit naturalis poſteriori ſignificatione. At capacitas,& appetitus in dona ſupernaturalia non oſtenditur naturalis in poſteriori ſignificatione, ſed tantum in priori, vt probatio palam facit. (Sexta P. Valentiæ.)

9. Septimò argues. Habitus naturalis inclinat in actus ſupernaturales: ergo etiam facultas vitalis naturæ poteſt in eoſdem inclinare. Conſequentia eſt bona. Nam vt potentia vitalis inclinet in actus ſupernaturales, tantum obeſt naturalis entitas ipſius. Hoc autem obeſſe non poteſt, vbi naturalis habitus inclinet in illos. Probatur antecedens. Potentia vitalis aſſueta exercitio agēdi actus fidei,aut alios ſupernaturales,cō parat habitum, quo inclinat in eoſdem actus.At hic habitus exercitio agēdi actus ſupernaturales acquiſitus, non eſt ſupernaturalis,ſed naturalis,vt diſp.52.ſect.2. videbimus. Ergo per habitum naturalem inclinat potentia in actus ſupernaturales; ac per conſequens aliquid naturale inclinat in actus ſupernaturales. In primis fateor, habitum acquiſitum vſu continuo agendi actus ſupernaturales, non eſſe ſupernaturalem, ſed tantum naturalem. Cæterum diffiteor potentiam vitalem comparare per habitum acquiſitum inclinationem in actus, ſed facilitatem duntaxat. Nam vt libris de Anima docui, & opere Metaphyſico, tractatu de Habitibus declarabo, non eſt munus habitus acquiſiti inclinare potentiam in actus, ſed facilitare ſolum concurſum ad illos, minuendo conatum, & influxum potentiæ. Quæ facilitas ab inclinatione potentiæ ſeparabilis eſt, vt ibidem exponemus. Deinde;eſto acquiratur inclinatio potētiæ in actus ſupernaturales,talis inclinatio (Septima.)

E

Digitized by Google

non erit idemtificata adæquatè habitui, qui poteſt diuinitus eſſe, quin inclinet in actus ſupernaturales, cum ſola inclinatione in actus naturales: ſed partim ex habitu naturali, partim ex habitu ſupernaturali, aut alio comprincipio ſupernaturali ſubſtituente habitus ſupernaturalis influxum eſſentialiter coaleſcet, vt latius docebimus diſp. 52. Vnde nulla entitas naturalis ſe ipſa, innato impetu fertur in aliquid ſupernaturale. Cum entitati naturali ſeorſim à comprincipio ſupernaturali talis innata procliuitas non conueniat. Seorſim autem conueniret, ſi eſſet; quia innata procliuitas omnino intrinſeca, & idemtificata rebus eſt.

Poſtrema. 10. Denique oppones. Propendet natura in ea, quæ viribus ipſius naturæ obtineri non poſſunt. Nam corpus diſpoſitum appetit intrinſecè animum; animus ſeparatus vnionem; homo cæcus viſum deperditum. Quæ omnia ſolis Dei viribus obtineri poſſunt. Ergo eodem modo poterit natura propendere in dona ſupernaturalia ſolis Dei viribus conſequibilia. Quandoquidem tali propēſioni ſolum obeſſe poteſt, quod viribus ipſius naturæ producibilia non ſint. Reſpondeo. Natura procliuis non eſt in ea, quæ ſolis viribus naturæ indebitis quoad ſubſtantiam producibilia ſunt. Nam ea quæ in argumento recenſentur, non ſunt viribus naturæ quoad ſubſtantiam indebitis producibilia. Etenim licet natura ad ea producēda vires non exhibeat, cæterum vires exigit quoad ſubſtātiam, quibus aliquando producantur. At verò dona ſupernaturalia ea ſunt, in quę producenda vires omnino efficientes etiam quoad ſubſtantiā indebitæ ſunt: quin eas natura aut conferre, aut iure poſtulare queat. Itaque eſto naturæ concedatur innata procliuitas in omnia, quæ in argumento proponuntur, non eſt quare in dona intrinſecè ſupernaturalia concedatur.

SECTIO SECVNDA.

Expenditur ſententia negans omnino propenſionem naturæ in dona ſupernaturalia.

Ferrara. Capreolus. Palatius. Caietanus. Conradus. Medina. Bannes. Gonzalez. Ripa. Nazarius. Zumel. P. Molina. P. Arrubal. P. Fonſeca. P. Suarez. P. Vaſquez P. Salas. P. Iānerus. P. Reinaudus. P. Herice. P. Faſolus. Curiel. Machin.

11. EAm tuentur Thomiſtę, Ferrara. 1. contra gentes cap. 5. Capreolus in 4. diſt. 49. q. 3. ar. 3. Palacius ibidem q. 1. Caietanus, Conradus & Medina, 1. 2. q. 5. ar. & q. 113. art. 10. Bannes. 1. p. q. 12. art. 1. dub. 2. concluſ. 3. Gonzalez 1. p. d. 24. num. 20. Ripa dub. 1. Nazarius con. 1. Zumel ibidem q. 2. con. 2. & 12. q. 113. art. 10. dub. 2. Ex noſtris, P. Molina 1. p. q. 12. art. 1. diſp. 2. con. 2. P. Arrubal. d. 14. c. 2. P. Fonſeca 1. met. c. 1. q. 2. P. Suarez, tom. 2. met. d. 43. ſect. 4. num. 10. & lib. 2. de attributis negat, cap. 8. num. 4. & 1. 2. diſp. 16. ſect. 2. P. Vaſquez 1. 2. d. 22. c. 2. nu 10. P. Salas tract. 2. diſp. 12. ſect. 2. num. 8. P. Iannerus 1. 2. d. 1. q. 5. num. 22. Pater Reinaudus in ſua morali diſcip. diſt. 1. num. 272. P. Erice, 1. p. diſp. 37. cap. 2 P. Faſolus 1. p. q. 12. art. 1. dub. 1. Item Curiel 1. 2. q. 5. art. 2. dub. vnico §. 1. Machin. 1. p. diſp. 14. ſect. 3. Lorca, 1. 2. diſp. 39. membro 1. Ant. Perez in Laur. Salmant. cert. 5. Scholaſt. dub. 1. con. 1. Qui omnes in probationem huius ſententiæ varia conficiunt argumenta. Quorum tota vis in vnum hoc reuocatur. Antonius Perez.

12. Non poteſt inclinare natura in ea dona, ad quæ obtinenda ſuis viribus non poteſt produci. Sed natura ſuis viribus non poteſt perduci ad dona ſupernaturalia obtinenda. Ergo nō poteſt inclinare in dona ſupernaturalia. Minor, & conſequentia probatione non egēt. Maior probatur primo. Quia natura non poteſt inclinare in aliquid ſibi impoſſibile. Quod autē ſuis viribus non poteſt obtinere, naturæ impoſſibile eſt. Secundò, quia natura ſemper cum inclinatione confert inſtrumenta, quibus res ad ea perueniant, in quę naturâ ipſâ ferūtur. Quod inductio plurium rerum probat. Et ratio, quia vt natura abhorret ſuperflua, ita largitur neceſſaria. Ergo inclinare natura non poteſt in ea, ad quæ conſequenda ſibi inſtrumenta deficiunt. Fundamētum omnū

13. Confirmatur primò à P. Fonſeca. Sola potentia obedientialis non fundat appetitū innatum. Alias aqua appeteret eſſe ſummè calida, & quantitas eſſe inextenſa. At natura in dona ſupernaturalia ſolam habet potentiam obedientialem. Ergo non habet appetitum innatum. Confirmatur ſecundò à P. Molina. Si natura inclinaret in dona ſupernaturalia, dona ſupernaturalia eſſent debita naturæ, vt ſunt ei debita dona naturalia, in quæ inclinat. Sed dona ſupernaturalia non ſunt naturæ debita, ſed gratioſa, vt vidimus d. 5. ſec. 2. Ergo natura non inclinat in dona ſupernaturalia. Confirmatur tertiò à P. Suarez. Natura rationalis nulla inclinatione fertur in vnionem hypoſtaticam; nec ſublunaris natura in claritatem ſolis. Quāuis vnio hypoſtatica ſummè perficiat naturam humanam, & claritas ſolis naturam ſublunarem. Ergo ſola potentia obedientialis ad recipiendum perfectionem conuenientem naturę, non ſufficit ad inclinationem naturalem. Confirmatur quartò à P. Arrubal. Si natura ſolum obedientialiter potens eſſet appetens ſupernaturalium; nunquam ſatiaretur natura: etiam beatitudine ſupernaturali; quia datâ quacumque viſione Dei appeteret innato deſiderio aliam, & aliam perfectionem ſibi obedientialiter poſſibilem. Ergo ſola obedientialis potentia non efficit in natura appetitum innatum. Denique confirmatur à Gonzalez. Si homini conueniret appetitus innatus in dona ſupernaturalia, Angelus comprehendens hominem aſſequeretur in eo poſſibilitatem donorum ſupernaturalium. At non aſſequitur. Ergo non competit homini inclinatio in dona ſupernaturalia. Plura addunt authores, ſed non vires probationi ſententiæ. Confirmat P. Fonſeca. P. Molina. P. Suarez. P. Arrubal. Gonzalez.

14. In hac ergo probatione vnum deſidero. Ad improbandum huncappetitum non fieri argumentum ex improbatione ordinis trāſcendentis naturæ in dona ſupernaturalia. Nā vbi is ordo cuiquā probetur, nihil ſuperioribus argumentis conficiet. Nam quidquid de re cōtinet tota hæc diſputatio, in eum tandem ordinem Probatio communis nulla eſt abſque probatione ordinis tranſcendentis naturæ.

Digitized by Google

referendum eſt. Nam vt ſectione 4. explanabimus, admiſſo eo ordine, appetitus quoque admittendus eſt, & eo non admiſſo, de voce tota controuerſia relinquitur. Itaque ſuperior probatio nullius roboris eſt, vbi ſimul cum ingenito appetitu ordinem quoque tranſcendentem non deſtruat. Quod facilis argumentorum occurſus patefaciet. Quare ad primum & potiſſimum argumentum reſpondeo. Poteſt natura expetere inſito appetitu bonum, quod ſuis viribus poſſibile non eſt, ſi poteſt, relatione tranſcendenti reſpicere bonum ſuperioribus viribus poſſibile. Etenim in quod bonum poteſt ordine ingenito referri, cur non poterit pariter ingenito appetitu ferri? cum appetitus ingenitus non propriè, ſed interpretatione appetitus ſit, & ab ordine intrinſeco in bonum conueniens indiſtinctus? vt ſect. 4. dicemus. Quid enim obſtat proprijs viribus donum repugnare, ſi alienis viribus, quas natura intrinſecè reſpicit, poſſibile ſit? Vnde ad primam probationem dico. Nequit expeti à natura, quod proprijs viribus, & alienis impoſſibile eſt. Poteſt autem, quod ita proprias vires excedit, vt alienis, in quas natura intrinſecè refertur, contineatur. Quod confirmat appetitus elicitus à quo innatus rationem appetitus ſortitur. Is enim cum naturalis ſit, poteſt abſolutè, & efficaciter quidpiam ſupernaturale deſiderare, ſi vires exequẽtes doni ſupernaturalis præſupponat, vt diſp. 14. examinabimus. Ad ſecundam probationem nego aſſumptum. Tum quia materia prima expetit plures diſpoſitiones, & formas, ad quas inducendas nulla inſtrumenta natura ipſi ſuppeditat. Tum quia plura ſunt dona naturæ congenita, quæ nullis naturæ viribus, ſed ſolius Dei virtute producibilia ſunt. Vt diximus d. 5. ſect. 1.

Neque cõfirmationes euincunt ſine eo ordine tranſcendenti.

14. Ad primam confirmationem. Non ſufficit quælibet potentia obedientialis ad innatum appetitum; ſed ea quæ in bonum ipſius rei ordinem trãſcendentem habet. Calor vero naturæ aquæ, & inextenſio naturæ quantitatis aduerſatur. Atque adeò potentia obedientialis aquæ in ſuum calorem, & quantitatis potentia, in eius extenſionem ingenitus appetitus non eſt. Ad ſecundam. Ingenuè fateor ex natiua inclinatione naturæ in dona ſupernaturalia rectè colligi, talia dona debeti naturæ. Quia ex tali appetitu benè arguitur exigentia, quæ ab appetentia intrinſeca nihilo differt; exigentia autem debitum inducit. Cæterum appetitus non infert debitum; ſi connexio intrinſeca cum ſuſceptione doni non arguit appetitum. Verè enim vt ordo tranſcendens naturæ in bonum minime interpretatur appetitus, ſi tale bonum vires ipſius naturæ excellit; ita nec appetitus, naturæ in bonum, exigentia inducens debitum interpretari poteſt, niſi quando tale bonum virtute ipſius naturæ haberi poteſt. Neque quicquam contra hanc doctrinam redargues, quod facile contra ordinem tranſcendentem non retorqueam. Ad tertiam; modo quo ordo tranſcẽdens naturæ in vnionem hypoſtaticam, aut claritatem, ſolis naturam perficientes adſtruatur, poterit inſitus appetitus adſtrui. Nimirum ſub diſiunctione, (qualis ſolum tranſcẽdens ordo in tam celſas perfectiones admitti poteſt) vt naturæ quidẽ, vel hypoſtaſis diuina, vel propria creata ſubſiſtentia, claritas ſolis, vel alia qualitas præbeatur. Quo ſanè natura quieſcet, etiamſi hypoſtaſi increata priuetur, dum creatam propriam induerit: quemadmodum materia ſecundum ſe expetens ſub diſiunctione formas nobiliores, & ignobiliores, ſub ignobilioribus inquieta non eſt; Quia appetitus diſiunctus quolibet termino exiſtenti ſatiatur. Ad quartam. In primis argumentum inſto in ipſa natura intellectuali, vt inſtructa habitu luminis gloriæ. Qui in ſententia P. Arrubal inclinat in viſionem beatam, & ſuapte natura eſt indifferens ad perfectiorem, & imperfectiorem viſionem; vt habitus charitatis ad amorem Dei præſtantiorem & minus præſtãtem. Nihilominus ſub quacunque viſione quieſcit. Ergo ſimiliter natura ſecundum ſe quamquam expetens viſionem Dei, quacumque viſione expleri poteſt. Deinde ratio eſſe poteſt. Vel quia appetitus ingenitus, (vt tranſcendens ordo potentiæ obedientialis) non eſt determinatè in præſtantiorem, ſed ſub diſiunctione; vel quia, id eſt proprium noſtræ beatitudinis, vt ſub quacumque intẽtione quietet appetitum alterius boni. Nam appetitus innatus conuenire non poteſt rei, quæ ſi haberet elicitum, non ferretur illo in bonum: eſt enim appetitus innatus facultas intrinſeca rei, quæ interpretatur elicitus, vt ſect. 4. dicemus. Proprium autem beatitudinis eſt, ita explere appetitum elicitum, vt nullum vlterius bonum per illum expetatur; ac proinde auferre rationabilem interpretationem appetitus eliciti in allud bonum. Ad quintam. Non poſſunt diſcerni dona ſupernaturalia in appetitu ingenito naturæ, ſi in ordine tranſcendenti diſtingui non poſſunt. Nam ordo tranſcendens æquè ducit in notitiam termini, ac appetitus in cognitionem obiecti. Quare ex appetitu innato, quoad cognitionem rerum ſupernaturalium, id tantum colliges, quod ex ordine tranſcendenti collegeris. Atque ita tandem, vt hic naturæ appetitus euellatur, ordo tranſcendens exterminandus eſt.

SECTIO TERTIA.

Expenduntur duæ ſententiæ mediæ.

Prima ſententia media de appetitu conditionato.

15. Inter ſuperiores ſententias exiſtunt mediæ duæ. Prima, quæ negat, appetitum innatum in dona ſupernaturalia, qui ſit abſolutus ex parte obiecti: affirmat verò appetitum, qui ſit ex parte obiecti conditionatus. Nam vnaquæque res expetit bonum ſibi conueniens eo modo, quo poteſt illud adipiſci. Sed natura non poteſt à ſe adipiſci abſolutè bona ſupernaturalia; poteſt tamen adipiſci ſub conditione eleuationis diuinæ. Ergo quamquam non expetat ſupernaturalia abſolutè, expetet illa ſub conditione. Ita P. Salas ſup.

P. Salas. Secunda de appetitu obedientiali.

16. Secunda ſententia aſſerit, naturæ ineſſe appetitum intrinſecum, qui ſit obe-

dientialis, & ſupernaturalis: ſecus appetitum innatum, qui ſit naturalis. Nam appetitus innatus rei in bonum, eſt facultas intrinſeca rei ad illud aſſequendum. At naturæ intrinſeca, & identificata eſt duplex facultas; altera naturalis in bona naturalia; altera ſupernaturalis, ſiue obedientialis in bona ſupernaturalia. Ergo naturæ identificatur appetitus in bona ſupernaturalia, qui ſit obedientialis: non vero appetitus, qui naturalis ſit. Ita nonnulli recentiores. Quibus accedunt P. Granadus 1. 2. controu. 1. num. 3. diſp. 5. num. 4. & Pater Erice ſup. num. 22.

P. Granadus. P. Herice. Iudicium de vtraque ſententia.

17. Etiam hæ opiniones prætermiſſo ordine tranſcendenti parum ſolidæ fundantur. Secluſo enim eo ordine naturæ in dona ſupernaturalia, nullus appetitus innatus in ea dona, neque obedientialis abſolutus, neque naturalis conditionatus recte concipitur. Nam vt natura, quoquo modo appetat ea dona, connecti neceſſario debet cum intrinſeca poſſibilitate eorum. Hæc autem connexio talem ordinem conſtituit. Ergo vt aliquis appetitus intrinſecus aſſeratur naturæ, ordo quoque aſſerendus eſt. Minor & conſequentia perſpicuæ ſunt. Maior inde probatur, quod appetitus innatus ſiuè ſit abſolutus, ſiuè conditionatus, non eſt appetitus poſſibilitatis, ſed exiſtentiæ rei: quare non interpretatur appetitus elicitus complacentiæ, quæ refertur in rem ſecundum ſe, à poſſibilitate, & exiſtentia præſcindentem: ſed appetitus elicitus deſiderij, aut proſequtionis, quæ fertur in rem exiſtentem. At appetitus innatus deſiderans exiſtentiam rei, etiam ſub conditione ſupponit poſſibilitatem in re, vt appetitus elicitus poſſibilitatem in apprehenſione. Hæc fuſius conſtabunt ſectione ſequenti. Igitur appetitus intrinſecus naturæ in dona ſupernaturalia abſque ordine, & connexione intrinſeca cum poſſibilitate eorum donorum, adſtruendus non eſt.

Appetitus innatus nō eſt poſſibilitatis, ſed exiſtentiæ.

18. Quare ad argumentum prioris ſententiæ diſtinguo maiorem. Vnaquæque res expetit bonum ſibi conueniens eo modo, quo poteſt illud adipiſci; *ſi ponatur intrinſeco ordine connexa cum eo bono*, concedo; *ſi non ponatur connexa.* Nego. At mea opinione non ponitur natura intrinſecè connexa cum poſſibilitate donorum ſupernaturalium. Similiter diſtinguo argumentum poſterioris ſententiæ. Appetitus innatus, eſt facultas ad aſſequēdum bonum *ordine tranſcendenti connexa cum poſſibilitate talis boni*: concedo. *Non connexa*, Nego. At facultas intrinſeca obedientialis naturæ in dona ſupernaturalia, non eſt intrinſecè connexa cum poſſibilitate donorum ſupernaturalium. Quod excludendo ordinem tranſcendentem naturæ in dona ſupernaturalia probabimus diſp. 32.

SECTIO QVARTA.

Iudicium noſtrum de tota controuerſia.

Quid de voce in hac controuerſia.

19. Equidem cum ad examen ventum eſt, vereor vt verbi potius, quam rei ſit tota ſcribentium diſſenſio. Quamquam re quidem vera, præter verbum etiam ſuſcepta diſputatio contineat rem, in qua Theologorum iudicia diſſideant. Quippe appetitus innatus ordinem tranſcendentem ſibi vendicat, de quo merito concertatio rei inter recentiores incepta eſt. Itaque tandem natura expetens dona ſupernaturalia admittenda non eſt; quia abſoluta omnino ab ordine tranſcendenti in ea dona à nobis eſt aſſerta. Hoc eſt meum de re tota iudicium. Quod tria complectitur. Primum; controuerſiam reduci ad ſolas voces, prout à ſcribentibus ſuſcipitur. Secundum; continere quidem de re ordinem tranſcendentem naturæ in dona ſupernaturalia. Tertium; tandem concludi, nullum eſſe naturæ natiuum appetitum in ea dona.

20. Et quidem prætermiſſo ordine tranſcendenti: vt ſcribentes prætermittunt, de nomine tantum diſputationem relinqui, quæ eſt prior pars noſtri iudicij, inde palam aperio. Quia re quidem vera vtrique diſputantes conueniunt. Primo, non competere naturæ facultatem aſſequendi dona ſupernaturalia viribus ſolis naturæ; competere tamen capacitatem ad obtinendum illa viribus ſupernis gratiæ. Secundo, hanc capacitatem dici poſſe naturalem, tum prout naturale opponitur libero, quia hæc capacitas à libera arbitrij facultate independens eſt; tum prout naturale opponitur ſupernaturali quoad entitatem, quia ab entitate naturæ eſt indiſtincta. Secus dici naturalem, prout naturalis facultas ab obedientiali (prætermiſſo ordine tranſcendenti) hoc eſt, ſuperiori virtuti ſubiecta diſtinguitur: quia ab omnibus admittitur talem capacitatem, ſolum viribus ſupernaturalibus ſubditam operari. Tertio; appetitum innatum non eſſe propriè appetitum, quia appetere & cognoſcere ſunt propriè operationes vitales: ſed capacitatem natiuam rei ad bonum ſibi conueniens per interpretationem, aut analogiam ad amorem elicitum dici appetitum, quatenus ita comparatur ad tale bonum, ac ſi cognitione ferretur in illud. Vnde rectè deprehendes cum Ariſtot. 1. Rethor. Fonſ. 1. met. c. 1. q. 1. ſect. 3. AEgidio de Præſent. to. de Beat. q. 3. ar. 2. n. 11. quæ innato appetitu quidpiam expetunt, expetitura illudmet fore, ſi rationali, aut ſentienti appetitu mouerentur. Quô expendo noſtre Auguſtini teſtimonium lib. 11. de Ciuit. cap. 28. *Si lapides eſſemus, nihil quidem ſentiente motu amare poſſemus: verumtamen non deeſſet nobis, quaſi quidam noſtrorum locorum, atque ordinis appetitus. Nam velut amores corporum, momenta ſunt ponderum,*

Ariſtoteles Fonſeca. AEgidius.

Auguſtinus

Digitized by Google

ſiue deorſum grauitate, ſiue ſurſum leuitate nitantur. En, non abſolutè appetitus, ſed quaſi appetitus, & amor, grauitas, & leuitas corporum ab Auguſtino dicitur, & is quidem ſimilis appetitui vitali ſentientium, aut intelligentium ponitur. Ita Damaſcenus lib. 3. de fide cap. 23. *Omnia ipſius eſſe, & nequaquam non eſſe naturaliter habent deſiderium.* Vbi diſerte ponit omnia in ſui durationem, non in deſtructionem naturali deſiderio moueri. Vnde obiter deprehendes innatum appetitum, non amorem liberum, qui nociua, atque deuia plerumque quærit, ſed naturalem aut ſentientem, qui ſuum commodum procurat interpretari.

Damaſcenus.

21. Igitur ecce nunc diſſentionem de voce. Nam qui naturæ adſcribunt appetitum innatum donorum ſupernaturalium, re ipſa appetitum intelligunt capacitatem naturæ ad bonum ſibi conueniens, ſiue proprijs, ſiue alienis viribus aſſequibile. Et quidem talem capacitatem interpretantur appetitum, quoniam ſi natura cognitione duceretur, expeteret ea dona per amorem elicitum naturalem. Innatum vero, ſiue naturalem dicunt, vel quia ea capacitas in libera arbitrij poteſtate conſtituta non eſt, vel quia non eſt ab entitate ipſius naturæ realiter diſtincta. Quæ omnia vtriuſque factionis autores admittunt. Identidem qui negant eum appetitum, tantum reuera volunt, poteſtatem naturæ ad aſſequendum ea dona, non eſſe naturalem eo ſenſu, quo poteſtas naturalis obedientiali opponitur, quæ viribus alienis operatur. Putant enim non poſſe naturam in ea propendere, quæ ſuis viribus impoſſibilia ſunt. Naturam autem ſuis viribus impotentem ad ſupernaturalia dona in omnium Catholicorum ſcholis, conſtantiſſimum eſt. Similiter qui appetitum intrinſecum tuentur ſolum obedientialem, & non naturalem, reuera tantum conficiunt, naturæ in dona ſupernaturalia ſolam poteſtatem obedientialem, & non naturalem conuenire. Qui vero appetitum naturalem conditionatum, & non abſolutũ adſtruunt, aliud non cõtendunt, quam facultatem efficiendi, ſuſcipiendiue, dona ſupernaturalia eſſe dependentem à conditione eleuationis diuinæ ſibi indebitæ. Tunc ſic. Hæc omnia admittuntur in re ab omnibus diſputationibus, vt poſuimus num. præcedenti. Nulla igitur de re ab ipſis controuerſia proponitur, ſed tantùm de voce. Id quod etiam notarunt P. Suarez, P. Salas, & P. Raynaudus. Ideo S. Thomas ſupernaturalia dona interdum *ſupra naturam*; interdum *ſecundum naturam* adſtruit, quia ab ſcholaſticis non vno, eoquè conſtanti ſenſu comparantur cum natura; ideoquè in vno ſupra, in alio iuxta capacitatem naturæ aſſeri poſſunt. Itaquè 3. p. q. 9. art. 2. ad 3. *Viſio beata*, ait, *eſt quodammodo ſupra naturam animæ rationalis, in quantum ſcilicet propria virtute ad eam peruenire non poteſt; alio vero modo eſt ſecundum naturam ipſius, in quantum ſecundum naturam eſt capax eius.* Quæ doctrina aliis etiam donis ſupernaturalibus communis eſt.

P. Suarez. P. Salas. P. Raynaudus. S. Thomas.

22. Nihilominus quidquam de re, ſcilicet ordinem tranſcendentem naturæ in dona ſupernaturalia, diſputationem continere, quæ erat pars ſecunda noſtræ ſententiæ, iam conſtituimus diſputatione præcedenti, ſect. 4. oſtendentes inclinationem inſitam abſque ordine tranſcendenti eſſe non poſſe. Id quod confirmat Sanctus Thomas, docens appetitum naturalem eſſe ordinem potentiæ in formam ſibi conuenientem. Ita pluribus in locis, quæ refert Petrus de Bergomo tabula aurea verbo *appetitus*, num. 39. Qui ordo, vt perſpicuum eſt, non de prædicamentali, ſed tranſcendentali intelligendus eſt. Item docens propenſionem rebus innatam indiſtinctam eſſe ab earum entitate; innata enim, & intrinſeca, ſiue identificata inclinatio idem ſunt. Ita 1. p. q. 59. ar. 2. corpore. Quod etiam ſtatuit Scotus in 2. diſt. 3. q. 5. Docet Caiet. 1. p. q. 19. art. 1. Expreſſè appetitum innatum vendicare ordinem tranſcendentem habet AEgidius de præſentat. to 3. in append. q. 3. art. 3. num. 13. Hinc enim repugnanti inclinatione innata rei, ipſam quoque rem ipſi identificatam repugnare, neceſſe eſt. Repugnantibus autem donis ſupernaturalibus, repugnaret inclinatio naturalis in illa, quippe quæ in bonum repugnans non propendet. Igitur repugnaret quoque natura intrinſecè expetens dona ſupernaturalia. At connexio intrinſeca, qua naturæ aſtringitur poſſibilitati ſupernaturalium, vt ſupernaturalibus implicantibus implicaret natura, cenſetur nunc ordo tranſcendens naturæ in dona ſupernaturalia; ſicut ſimilis connexio Dei cum poſſibilitate creaturarum, intelligitur ordo tranſcendens Dei in creaturas. Igitur ſimul cum appetitu innato naturæ in dona ſupernaturalia, aſſeritur re ipſa ordo tranſcendens in ea dona. Atque ita affirmantes, & negantes hunc appetitum, quicquam habent de re in quo diſſentiant, quin tota pugna in ſola verba reuocetur.

Quid de re.

S. Thomas.

Bergomenſis.

Caietanus. AEgidius.

23. Hinc vero tandem abſolutè appetitum exterminandum à natura, quæ erat poſtrema propoſitio noſtræ opinionis, probare promptum eſt. Nam ordinem tranſcendentem naturæ in ſupernaturalia dona, exterminauimus diſputat. 3. ſect. 2. & diſp. 4. ſect. 3. & vberius diſputat. 32. Qua ratione non ſolum appetitus innatus naturalis, ſed etiam obedientialis, nec ſolum abſolutus, ſed etiam conditionatus reijciendus eſt; vt attingebamus ſectione ſuperiori. Sanè enim appetitus obedientialis, ſi abſolutus, & omnino intrinſecus, ac identificatus naturæ ponitur, vt res ipſa poſtulat, & aſſertores illius non diffitentur, eadem ratione ordinem tranſcendentem ſibi vendicat, qua appetitus innatus naturalis. Talis enim appetitus omninò identificatus rei, connectitur cum poſſibilitate doni ſupernaturalis, ſicut appetitus naturalis, à quo ſola voce diuerſus eſt, vbi cum donis ſupernaturalibus componatur. Haud ita facile improbatur appetitus cõditionatus. Quem tamen connexionẽ cum poſſibilitate donorum ſuper-

Exterminandus appetitus innatus.

naturalium, atque adeò relationem tranſcendentem afferre, ſic probo. Appetitus innatus non inclinat in rem ſub conditione poſſibilitatis, ſed in exiſtentiam rei poſſibilis ſub conditione alicuius principij conferentis in illam; quare per te appetitus ingenitus ſupponit poſſibilitatem formæ, quam expetit. At inclinatio ſupponens per ſe poſſibilitatem formæ, connectitur per ſe cum poſſibilitate illius. Ergo appetitus innatus, quicumque ille ſit, importat connexionem tranſcendentem cum poſſibilitate formæ, quam expetit. Minor & conſequentia apertæ ſunt. Maior eſt expreſſa, Sancti Thomæ 1. 2. qu. 8. art. 1. corpore, aſſerentis inclinationem naturalem propendere in bonum re ipſa exiſtens, ſicut inclinatio elicita in bonum exiſtens in apprehenſione. Deinde; ſi poſſet res inclinare in bonum repugnans ſub conditione non repugnantis, poſſet homo inclinare in identitatē cum Deo ſub cōditione quod talis identitas non repugnaret, & lapis in diſcurrendum ſub eadem conditione non repugnantis, quemadmodum ſimplex deſiderium in ſimiles chymeras plerumquè vagatur. Hoc autem ſanè chymera eſt. Ergo inclinatio ingenita non mouetur in rem impoſſibilem ſub conditione poſſibilis. Ad hæc; Appetitus innatus non æmulatur amorem elicitum ſimplicis complacentiæ, qui bonum ſecundum ſe ab exiſtenti præſcindens reſpicit; ſed amorem diſiderij, qui rei poſſibilis exiſtentiam procurat. Ergo appetitus innatus in rei poſſibilis exiſtentiam, non in eius poſſibilitatem inclinat. Antecedens Auguſtinus, & Damaſcenus num. 20. diſſertis teſtimonijs profitentur. Quibus accedit Sanctus Thomas 1. p. q. 19. art. 1. 2. corp. Nec Philoſophus eſt, qui huius inclinationis meminerit, quin eam in boni conuenientis exiſtentiam retulerit. A priori ratio eſt; quia appetitus innatus dicitur facultas rei, cui poſſeſſio boni conuenientis tùm poſterior, tùm contingens eſt, quæ ſunt conditiones propriæ obiecti, quod deſideriò quærimus. Quare ea, quæ iam prius ſupponuntur poſſeſſa, aut poſterius poſſidentur abſque contingentia, non ſunt huius appetitus obiecta. Quis enim expetat id, quo iam potitur ſiue formaliter, ſiuè æquiualenter. Potitur autem bono formaliter, cum boni poſſeſſio antecedit; æquiualenter verò, cum omnimoda neceſſitate ſubſequitur. Quare diximus diſput. 5. ſect. 2. rem iam exiſtentem non expetere primam ſui productionem, quam ſupponit. Nec ideo Pater æternus expetit generationem filij, neque actio creata exiſtentiam termini, quibus omnimoda neceſſitate annectuntur. At poſſibilitas effectus, neque poſterior exiſtentia cauſæ, neque contingens eſt; vt eſt exiſtentia effectus. Poſſibilitas igitur, deſiderij ingeniti obiectum non eſt, vt exiſtentia eſſe poteſt. Quid? Quod inſita propenſio rei in bonum tantum conueniens fertur. Sola autem exiſtentia, non mera poſſibilitas conueniens eſt. Quid enim confert naturæ damnatæ gratiam eſſe illi poſſibilem, ſi re ipſa non inhæreat?

Auguſtinus Damaſcenus. S. Thomas.

24. Obijcies. Amor elicitus, ad cuius Analogiam explicatur innatus, allicitur in rem impoſſibilem ſub conditione poſſibilis. Ergo amor innatus etiam inclinare poteſt. Nego conſequentiam. Tum quia non ſunt definiendi tot amores innati, quot eliciti. Aliàs eſſet amor innatus in bonum alterius, amor innatus in bonum ſecundum ſe, ab exiſtenti, & poſſibili, à præſenti, atquè futuro præſcindens; aliæque ſimiles ſpecies amoris eliciti Philoſophis omnibus ignotæ. Tum quia amor elicitus habet, quo ducatur in bonum impoſſibile ſub conditione poſſibilis, ſcilicet apprehenſionem intellectus, quæ impoſſibilia quoque repreſentat. Natura verò non habet, quo in tale bonum moueatur, cum à ſe nihil fruſtra conetur.

Plures appetitus eliciti quam innati.

25. Hinc ad integritatem reſtituo omnes illas rationes, quas poſito ordine tranſcendenti naturæ in dona ſupernaturalia ſect. 2. fregi. Præſertim eam, quæ ex appetitu naturæ exigentiam colligebat. Quid enim aliud eſt naturam exigere, quàm expetere? Ergo ſi expeteret dona ſupernaturalia, exigeret. Quî autem eſſent ſupernaturalia naturæ, quæ inclinationi, atque exigentiæ naturæ ipſius conſentanea, ac connaturalia ſunt? vt videre eſt diſp. 5. ſect. 2. Dices, exigentiam eſſe inclinationem rei in aliquid ſibi debitum. Appetitum verò inclinationem in bonum, ſiue debitum, ſiue indebitum. Sed contra. Bonum debetur rei, quia exigitur ab ipſa. At bonum quod intrinſecè expetitur, etiam exigitur. Contendimus enim, expetentiam ingenitam, & exigentiam non diſtingui. Ergo bonum, quod intrinſecè expetitur, debetur. Confirmatur: Rei debetur ex ſui inſtitutione affectio, ſine qua violenta perſeuerat: qua ratione lapidi debetur ferri deorſum, & igni ſurſum, quia extra centrum patiuntur vim. Sed res priuata bono, in quod inſita propenſione inclinat, violenta perſeuerat; vt lapis, & ignis priuati centro, in quod natiuo motu feruntur, violenti ſunt. Eſt enim violentum, quidquid eſt ab extrinſeco contra internum impetum, & inclinationem rei. Ergo debetur rei quælibet affectio, in quam interno impetu mouetur.

Inſtauratur probatio communis.

26. Dices, bonum prius deberi quam exigi, aut expeti; imò exigi, aut expeti, quia ſupponitur deberi. Debetur autem ſeorſim ab exigentia, aut expetentia, quia ſeorſim ab illa pertinet ad conſtitutionem, exiſtentiam, aut integritatem rei; ad conſtitutionem tanquam pars, ad exiſtentiam tanquam cauſa antecedens, ad integritatem tanquam proprietas conſequens. Sed contra. Igni applicato debetur combuſtio. Combuſtio autem neque ad conſtitutionem ignis tanquam pars, neque ad exiſtentiam tanquam cauſa, neque ad integritatem tanquam proprietas ſpectat. Præterea accidentia, quæ debentur rei, non pertinent ad integritatem eſſentialem, ſed accidentalem. Accidentia autem, quæ complent inclinationem inſitam rei, pertinent ad complementum accidentale. Nam res acci-

dentaliter incompleta eſt, dum eius inclinatio ingenita non completur. Neque ratio eſſe poteſt, cur alia accidentia integrent perfectionem accidentalem rei, & ea, quæ intrinſecè expetuntur non expleant.

Suffragatur S. Thomas.

27. Demùm, S. Thomas reſpuit naturæ inclinationem in dona ſupernaturalia. Tùm quia expreſſè docet inclinationem iſtam eſſe habilitatem rei, prout ab agente naturali in actum reducitur. Ita in 2. d. 18. q. 2. Tum quia inclinatio naturalis, & naturalis facultas idem ſunt. Facultas autem naturalis non conceditur à *S.* Thoma, niſi in ordine ad ea, quæ virtute virium naturalium fieri poſſunt. Vt conſtat manifeſtè ex diſputatione antecedenti ſect. *6.*

Duæ obſeruationes.

28. At obſerua duo. Alterum, non probatum admiſſo ordine tranſcendenti appetitum. Quia hæc collectio facienda eſt diſputatione 31. Alterum, negatum appetitum obedientialem ſolum intrinſecum, & idemtificatum naturæ. Nam inclinationem extrinſecam, conuenientem naturæ ex habitu ſupernaturali ſibi inhærente, & inclinante in opera ſupernaturalia, præſertim non libera, quis neget? Atque adeo etiam appetitum obedientialem, qui naturæ eleuationem per habitum ſupernaturalem intrinſecè complectatur. Itaquè is tantum appetitus, qui ſeorſim ab habitu ſupernaturali naturæ conueniat, ac idemtificetur, ſuperioribus exploditur.

DISPVTATIO DECIMA.

AN SVPERNATVRALIA SINT SVPRA euidentiam immediatam, & quidditatiuam naturæ.

EXamen eſt de cognitione clara, & euidenti. Nam citra dubium eſt, in notitiam coniecturalem, & probabilem naturæ ſupernaturalia venire poſſe. Ita Dæmon magnis argumentis ſuſpicatus fuit vnionem hypoſtaticam in Chriſto, vt Patres Eccleſiæ, quos referemus diſputatione ſequenti, teſtantur: & quotidie non temerê vrgentibus coniecturis plurium iuſtorum dona nobis perſuademus.

SECTIONES.

1. *Iudicia Theologorum.*
2. *Eſſe ſupra euidentiam immediatam & quidditatiuam naturæ ſacra authoritate oſtenditur.*
3. *Eadem veritas à poſteriori ſuadetur.*
4. *Ratio à priori aſſerti præcedentis expenditur.*
5. *Vera ratio à priori ſuperioris aſſerti.*
6. *Proponuntur, ac ſoluuntur argumenta ſententiæ contrariæ.*

SECTIO PRIMA.

Iudicia Theologorum.

Explicatur euidentia immediata.

1. EVidentia immediata eſt, quæ immediatè habetur in reipſa cognita, abſque medio ducente intellectum in ipſius cognitionem, vt euidentia viſionis beatæ, & ſenſationis internæ, atque externæ. Hæc eadem dicitur quidditatiua, quia ipſius rei quidditas immediatè eſt ratio obiectiua mouendi intellectum ad aſſenſum. Quamquam latius pateat cognitio quidditatiua quam immediata. Quippe cognitio quidditatiua etiam dicitur, quę rem diſtinguit in ſua cauſa eminenter continenti ipſam; quia hæc cognitio æquiualet cognitioni immediatæ rei in quidditate ipſius; vt cognitio creaturarum in Deo immediate viſo. Tamen hæc cognitio non eſt immediata, ſed mediata. Cæterum quoad inſtitutum præſens eadem eſt vtraquè euidentia. Nam doni ſupernaturalis eſſentia, aut exiſtentia, conſtare non poteſt in cauſa eminenter continenti, quin ipſa cauſa immediate penetretur. Cum autem cauſa, eminenter continens donum ſupernaturale ſit, ſupernaturalis, planum eſt non poſſe haberi euidentiam quidditatiuam doni ſupernaturalis, abſquè immediata doni ſupernaturalis euidentia. Nunc igitur diſputatio eſt; An cognitione naturali euidenti poſſint homines, aut Angeli dona ſupernaturalia immediatè & quidditatiuè præſentire?

Sententia negans. S. Thomas. Capreolus. Richardus. Paludanus. Bonauentura. Durandus. Alenſis. Caietanus. Banes.

2. Sententia negans ſolemnis eſt. Eam apertiſſimè tuetur S. Thomas 1. p. q. 57. art. 5. in 4. diſt. 10. art. 4. q. 4. Capreolus, & Sotus, ibidem art. 7. Ricardus art. 5. q. 1. Paludanus q. 4. art. 2. Bonauentura q. vltima. Durandus, diſt. 94. & clarius in 2. diſt. 3. q. 7. n. 19. q. 8. n. 6. diſt. 11. q. 3. n. 6. Alenſis, 2. p. ſum. q. 26. mem. 1. & 5. Caiet. 1. p. ad q. 57. art. 5. Banes ibidem con. 1. aſſerens oppoſitum pluſquam temerarium. Zumel, q. 2. con. 1. 2.

Zumel. Nazarius. Puteanus. Medina. Nugnius. Aluarez. AEgidius. Marchio Sforcia.

& 4. & 5. cenſens proximum errori. Nazarius controu. 1. p. 1. 2. & 3. & 4. temerarium, & diſſentaneum fidei. Puteanus con. 1. Medina introduct. in 3. p. q. 2. con. 2. Didacus Nugnius 3. p. q. 76. art. 7 Aluarez de Aux. diſp. 51. num. 16. diſp. 118. n. 10. & diſp. 119. AEgidius de pręſent. lib. 11. de beat. q. 8. art. 3. n. 117. Marchio Sforcia lib. 2. ſum. Theol. num. 27.

P. Molina. P. Valentia. P. Suarez. P. Vaſquez. P. Arrubal. P. Iannerus. P. Granadus. P. Albertinus. P. Raynaudus. P. Iuſtinianus. P. Cornelius.

3. Ex noſtris etiam P. Molina 1. p. q. 57. art. 5. diſp. 1. conc. 1. P. Valentia diſp. 4. q. 8. pa. 4. §. *Sed hæc opinio* P. Suarez de Angelis lib. 3. c. 29. n. 4. tom. 1. in 3. p. diſp. 3. ſect. 1. & tom. 3. diſp. 53. ſect. 5. P. Vaſquez 1. p. diſp. 214. c. 3. n. 13. P. Arrubal d. 172. c. 1. P. Iannerus tom. 1. diſp. 5. q. 3. dubio 7. n. 2. & to. 2. diſp. 1. q. 5. dub. 3. P. Granadus tract. 6. de Angelis diſp. 1. ſect. 2. P. Albertinus 1. princ. Phyl. q. 3. Theol. P. Raynaudus in Theolog. naturali diſt. 4. n. 19. & in diſcipl. moral. diſt. 1. num. 270. Pater Iuſtinianus, & Pater Cornelius ad Epheſ. 3. & 1. Corint. 2. verſic. 7.

Sententia affirmans. Scotus. Baſolis. Maior. Tartaretus. Ochamus. Gabriel. Rada. Faber. Palacius. AEgidius.

4. Nihilominus ſententia affirmans adeò ſingularis non eſt, vt ei non adhæreant Scotus in 4. diſtinct. 10. q. 8. Baſolis q. 4. concluſ. 5. Maior & Tartaretus ibidem, Ochamus q. 4. & 5. art. 3. Gabriel ibidem & in canonem miſſæ lect. 45. littera X. Angles in 2. diſt. 3. q. 4. difficultate 12. Rada 2. p. controu. 8. Philippus Faber in 4 d. 43. c. 5. & alij ſcotiſtæ. Probabilemque non cenſeant Palacius in 4. diſt. 10. d. 3. concluſ. 7. AEgidius de preſentatione lib. 11. de Beatitudine, q. 8. art. 3. num. 117. nec non noſter Pater AEgydius Coninck 3. p. q. 76. art 7 n. 114 & 118. Cui parti multum fauet iudicio plurium Thomiſtarum Caietanus 3. p. q. 76. art. 7. in ſolutione ad vltimam confirmationem, indicans Angelos vidiſſe habitus infuſos cognitione naturali. Referuntur pro hac ſententia Aureolus in 2. d. 9. q. 1. art. 1. & Ouandus in 2. diſtinct. 8. propoſitione 9. Qui tamen ibi non de ſupernaturalibus donis, ſed de naturalibus cogitationibus cordis diſputationem habent. Porrò tamen è numero ſupernaturalium, quæ euidentia naturalis quidditatiuè aſſequitur, excludit Scotus vnionem hypoſtaticam in 3. d. 1. q. 1. vt ſentiunt P. Suarez 3. p. P. Arrubal & Philippus Faber ſupra; quidquid aliter ſentiat Angles.

P. AEgidius. Caietanus. Aureolus. Ouandus.

SECTIO SECVNDA.

Eſſe ſupra euidentiam immediatam, & quidditatiuam naturæ ſacra authoritate oſtenditur.

Prima probatio. 1. Cor. 2.

5. SVffragium damus priori ſententiæ affirmanti, ſupernaturalia quoad eſſentiam & exiſtentiam vincere omnem euidentiam naturalem quidditatiuam, & immediatam. Quam primo probamus ex teſtimonio Pauli 1. Cor. 2. *Quæ ſunt Dei nemo nouit, niſi ſpiritus Dei. Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo data ſunt nobis.* Hic enim Paulus agit de ſupernaturalibus donis, quę peculiari ratione dicuntur Dei eſſe nobiſque donata à Deo; quare paulò ſupra diſſerit de bonis illis ſupremis iuſtorum, ac beatorum proprijs, *Quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* Deinde ea ignota ponit ſapientiæ naturæ, quæ per ſpiritum mundi accipienda eſt, & ſoli nota ſapientiæ ſupernaturali gratiæ, quæ per Dei ſpiritum ſignificatur. Chryſoſtomus in hunc locum; *A te acceptum ſpiritum, & diſciplinam Dei, neque noſtrum, neque Prophetarum quiſpiam hæc intellexit. Et quarum ratione vbi neque Angeli hæc nouerunt. Quomodo igitur cognouimus; inquit. Per ſpiritum. Non ergo exteriorem ſapientiam; quæ non permiſſa eſt, vt intus admittatur, & Domini præſit myſterijs. Vides quantum inter hanc, & illam interſit ſapientiam. Quæ Angeli non nouerunt, ea nos docuit.* Item Proſper ad Demetr. p. 6. *Plenè ergo & veraciter confitenda eſt gratia Dei; de cuius hoc primum munere eſt, vt auxilium ipſius ſentiatur. Propter quod dicit Apoſtolus; Nos autem non ſpiritum mundi accepimus, ſed ſpiritū qui ex Deo eſt, vt ſciamus &c. Vnde ſapientes huius mundi euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt cor inſipiens eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt. Videſnè qualis ſuperbis retributio debeatur, & quali mercede repleantur, qui ſi quo modo ad cognitionem veritatis acceſſerunt; ſuæ hoc ſapientiæ tribuunt. Et de naturali ingenio gloriantur; tanquam non Dei munere, ſed proprij intellectus facultate cognouerint.* Igitur gratiæ Dei eſt, ſupernaturalis eſt, non facultate naturali proprij intellectus, ſed ſuperno munere largitatis diuinæ ſapientiæ, quæ verè quidpiam ſupernaturale pertingit.

Chriſoſtomus. Proſper.

6. Ex quibus Chryſoſtomi, & Proſperi teſtimonijs vindicatur noſtrum argumentum à duplici reſponſione, quæ ei poterat adhiberi. Prima ex Scoto ſupra §. *ad confirmationem*, Paulum ſuperiori loco ſolum excludere certitudinem humanam, non autem Angelicam, aut aliam naturalem perfectiorem. Secunda ex Aureolo in 2. d. 1. q. 1. art. 1. Paulum ſolùm negare factum virtuti intellectiuę hominum, & Angelorum; non poteſtatem, ſi à Deo expedita ſuis viribus relinquatur. Prima enim planè conuincitur ex Chryſoſtomo, qui non ſolū homines, ſed etiam Angelos ſemel, & iterum myſteriorum gratiæ, ac donorum ſupernaturalium ignorantes teſtimonio Pauli comprehendit. Et textus ipſe expreſſus eſt, qui eos reijcit à notitia naturali harum rerum, qui ſuoptè ingenio ſpiritum, qui ex Deo eſt, non accipiunt. Secunda ex Proſpero ſuperatur, qui munus gratiæ ad hanc notitiam non modo vtile, verum etiam neceſſarium promit; ideoquè elatæ ſuperbiæ adſcribit talem notionem facultate naturali proprij intellectus comparatam ſibi arrogare. Si autem talem facultatem non excederet, ſuperbiæ non eſſet viribus naturæ eam notionem refferre. Item quia Paulus in commendationem altitudinis eorum donorum prædicat illa vincere ſapientiam naturæ. At ſi vſum tantùm, non poteſtatem certò noſcendi ſupernaturalia

Scotus. Aureolus. Chryſoſt. Proſper.

Digitized by Google

naturæ denegaret, vana eſſet tantæ altitudinis commendatio. Ex miraculo Dei enim, etiam naturalia dona poſſũt occultari cognitioni naturali Angelicæ. Ergo non vſus ſolùm, ſed virtus etiam cernendi ſupernaturalia, Pauli commendatione continetur.

Secunda probatio. 3. ad Eph.

7. Secundò arguimus ex cap. 3. ad Epheſ. *Mihi omniũ ſanctorum minimo data eſt gratia hæc, in gentibus euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes quæ ſit diſpenſatia ſacramenti abſconditi à ſæculis in Deo, vt innoteſcat Principibus, & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei.* En in primis, gratiæ Dei eſt, non naturæ liberaliter data, non laborioſe acquiſita harum diuitiarum notitia: ac per cõſequens ſupernaturalis, & non naturalis. Deinde diuitiæ Chriſti, quæ per illam innoteſcunt, inueſtigabiles ſunt lumine naturæ, dona ſunt ſupernaturalia, quibus ſine Chriſto non ditaremur. Vnde & ipſum Incarnationis ſacramentum luci naturæ occultum eſt, vt nec Principes, & Poteſtates Angelicæ illud aſſequantur. Chryſoſtomus ibi. Chryſoſt. *Si diuitiæ Chriſti etiam poſtquã manifeſtatæ ſunt, imperueſtigabiles fuerunt, multo magis ipſa eſſentia; ſiquidem myſterium adhuc eſt.* Itaquè non ſolum Incarnationis myſterium, ſed etiam illius diuitię & dona, notitiam naturalem fugiunt, etiam Angelicam; quin ex theſauro occulto diuitiarum gratiæ, arguitur occultum ſacramentum vnionis hypoſtaticæ, è quo omnes deriuantur. Ita Hyeronimus, Gregorius, Niſſenus, Theodoretus, Eccumenius, & alij. Qua autem ratione illud innotuerit per Eccleſiam poteſtatibus Angelicis, non eſt noſtrum explicare. Videantur P. Iuſtinianus, & P. Cornelius in eum locum. P. Suarèz, & P. Grenadus de Angelis ſupra.

Hyeronimus. Gregorius. Niſſenus. Theodoretus. Eccumenius.

8. Dices primò, Hoc teſtimonium, & ſuperius non diſſerere de cognitione euidenti, de qua nos diſſerimus; ſed de cognitione obſcura fidei, quę ad rem non pertinet. Sed contra. De iſta notitia agunt, quæ omnino certa ſit, & cui falſum ſubeſſe non poſſit, ſiue ea ſit euidens ſiue obſcura. At ſub hac notitia comprehenditur quidditatiua, & immediata, de qua contendimus. Ergo. Deinde ſi notitiam eorum donorum obſcuram, cui ſit adiuncta certitudo, adipiſci non poteſt ſua facultate natura intelligens neque humana, neque Angelica. Ergo minus poterit ſcientiam euidentem, quidditatiuam, & immediatam. Quæ præſtantior, & eleuatior eſt.

9. Dices ſecundo, His teſtimonijs tantùm conuinci, dona gratiæ ſuperare euidentiam naturę intelligentis nunc exiſtentis, cum qua ſola confert Paulus ea dona: non verò euidentiam naturæ intelligentis, etiam poſſibilis, quę exiſtenti longè ſuperior eſt, cum qua Paulus ea non componit. Sed contra. Non aliter conferuntur cum natura dona gratiæ quoad fieri, & certò cognoſci. Vt enim ſacra teſtimonia prædicant, non poſſe hominem, non poſſe Angelum, non poſſe naturam exiſtentem, ac creatam ſuis viribus, abſquè gratia, talia munera comparare, ita eadem prædicant non poſſe ſua facultate abſque gratia certò cognoſcere. Nihilominus natura intelligens impotens ſuis viribus agere, aut comparare dona ſupernaturalia, non eſt ſola exiſtens, ſed etiam quæuis poſſibilis affinis exiſtenti, quantumuis perfectione ſuperior modo quo expediuimus diſp. 3. ſect. 2. Ergo etiam natura impotens certò cognoſcere talia dona, vltra exiſtentem comprehendit poſſibiles, intelligendo præſtantiores, quæ nunc exiſtenti affines, & annexæ ſunt. Omnis enim natura æquè præſtantia horum donorum ex ſacris oraculis, & Patrum teſtimonijs eruenda eſt. Hæc autem æquè efferunt cognoſcibilitatem, ac entitatem illorum ſupra facultatem naturæ, neque magis expreſſè cum natura poſſibili quoad fieri, quàm quoad cognoſci componunt. Ergo.

Tertia probatio. Hyeronimus.

10. Tertiò iuuant ſanctorum Patrum teſtimonia. Hyeronimus ad locum Epheſ. 3. ſup. *Aduentus Chriſti non ſolum nobis, ſed etiam Angelis cunctiſque in cælo virtutibus profuit, & aperuit ſacramenta quæ antea neſciebant.* Igitur ex meritis Chriſti, non ex merito, & facultate naturæ aperiuntur ſupremis intelligentijs, ſacramenta cæleſtia, ac munera ſupernaturalia; quaſi aliter omnibus velata manſura. Damaſcenus lib. 4. de fide, cap. 14. planè docet exiſtentiam corporis Chriſti in Euchariſtia, quia ſupra naturã ſine ſupernaturalis eſt, non poſſe capi intelligentiã naturæ ſed fidei. *Spiritus ſancti operatione*, ait, *Deus ſupra naturam operatur, quæ non poteſt capere, niſi ſola fides.* Nec reſpondet Scotus ſup. Scotus. *5. ad confirmationem* dicens, hoc teſtimonium ſolum excludere intelligentiam naturalem humanam, non verò Angelicam. Tum quia obiecta ſolius fidei infuſę, quę hominibus, & Angelis eadem eſt, fugiunt captum naturalem etiam intellectus Angelici. Tum quia oſtendendum quomodo Euchariſtiæ ſacramentum ſolã fide, & notitiã infuſã ab Spiritu ſancto percipiatur, Damaſcenus. mox Damaſcenus adiungit. *Quomodo fiet mihi iſtud, dicit ſancta virgo, quoniam virum non cognoſco? Reſpondet Archangelus; Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Et nunc interrogas, quomodo panis fiet corpus Chriſti, & vinum & aqua ſanguis? Reſpondeo tibi & ego; Spiritus ſanctus obumbrat, & hæc operatur ſuper ſermonem & intelligentiam.* Itaque ſicut myſterium Incarnationis perfectum fuit ſupra intelligentiam Beatæ Virginis, & Archangeli Gabrielis, ſolo lumine Spiritus ſancti manifeſtum, ita, inquit Damaſcenus, etiam Euchariſtiæ ſacramẽtum perficitur ſupra omnem intelligentiam naturæ etiã Angelicam, ſola luce infuſã Spiritus ſancti reuelatum. Vnde ad alia ſacramenta, & dona gratiæ intrinſecè ſupernaturalia arguere eſt. Cum hæc exiſtentia Chriſti in Euchariſtia adeò ſupernaturalis non ſit, vt plures non adſtruant eſſe ſolùm quoad modum ſupernaturalem. Quod ego, licet non factum, ſaltem poſſibile agnoſco. Hoc Damaſceni teſtimonium, quia ab Scoto nobis aduerſante attingitur, proponere libuit. Vide plura apud nobis fauentes ſup.

Digitized by Google

SECTIO TERTIA.

Eadem veritas à poſteriori ſuadetur.

Prima ratio à poſteriori.

11. PRimò. Angeli non aſſequntur abſque reuelatione myſteria gratiæ intrinſecè ſupernaturalia. Aſſequerentur autem illa abſque reuelatione per cognitionem naturalem immediatam, aut quidditatiuã. Ergo dona ſupernaturalia gratię ſuperant notionem immediatam, & quidditatiuam naturæ. Conſequentia eſt legitima. Minor videtur certa. Nam inter ſubſtantias intelligentes, Angeli ſunt intelligendo omnium præſtantiſſimi. Maiorem vincunt plura teſtimonia Patrum, quæ adducunt Theologi relati n. 2. ad 1. p. q. 57. art. 5. & modo referre prolixum eſt.

12. Dices ex Scoto ſupra, Angelos prohiberi à Deo, ne vi natiua ſui intellectus noſcant ſupernaturalia, quæ alioqui poſſent. Sed contra. Primò. Quia nullo fundamẽto fingitur hæc vis illata virtuti natiuæ Angelorum. Secundò; quia, eſto hoc miraculo vteretur Deus in malorum Angelorum pænam, non eſt quare bonis Angelis hanc notitiam naturalem detraheret, quibus aliâs notitiam ſupernaturalem largitur. At Eccleſiæ Patres ſuis teſtimonijs ſtatuunt, non ſolùm malis, ſed etiam bonis Angelis ignota eſſe ſacramenta gratiæ quoad ſubſtantiam ſupernaturalia, & idcirco indigere ad eorum manifeſtationem reuelatione gratioſa Dei. Ergo abſcondita ſunt, quia vis naturę intellectus Angelici ad tantam euidentiam non aſſurgit.

Secunda ratio.

13. Secundò. Myſterium Trinitatis non cadit ſub euidentiam mediatam naturæ. Caderet autem, ſi ſupernaturalia continerentur ſub euidentiam immediatam & quidditatiuam. Ergo non continentur ſupernaturalia ſub immediatam & quidditatiuam euidentiam naturæ. Conſequtio optima eſt. Maior datur certa de fide à P. Valentia, P. Suarez, & Banes, 1. p. q. 32. & à nullo Catholico negatur etiam, eorũ qui aſſerto ſuperiori diſſentiunt. Probatur minor. Si ſupernaturalia continerentur ſub immediatam & quidditatiuam euidentiam naturæ, poſſet cognitio naturalis immediatè, & quidditatiuè intueri lumen gloriæ & viſionem beatã, quæ ad ordinem ſupernaturalem ſpectant. At eo ipſo noſceretur euidenter Trinitas perſonarum. Ergo. Probatur minor. Qui cernit intuitiuè, & immediatè lumen gloriæ, aut viſionem beatam, cernit etiam prædicata eſſentialia talis luminis & viſionis, prout ab alio lumine, & viſione diſtinguntur, inter quæ potiſſimus eſt reſpectus, & intuitus eſſentialis Trinitatis. Hic autem reſpectus, & intuitus ſic diſtinctus cerni quidditatiuè non poteſt, quin euidenter noſcatur Trinitas, quæ eſt terminus eſſentialis talis intuitus & reſpectus; quidquid aliter ſentiat Aureolus in 2. d. 1. q. 1. art. Ergo cognitione naturali cernente intuitiuè, ac immediatè Trinitatem, noſceretur Trinitas euidenter.

Tertia ratio.

14. Tertiò. Vnio hypoſtatica humanitatis cum verbo, occulta eſt ſuapte entitate lumini naturali, etiam Angelico. At occulta non eſſet, ſi ſupernaturalia quoad ſubſtantiã eſſent immediatè, ac quidditatiuè manifeſta. Ergo ſupernaturalia quoad ſubſtantiam non ſunt immediatè, & quidditatiue manifeſta lumini naturæ. Maiorem admittunt etiam aduerſarij, vt notabamus n. 4. & docet aperte Dyoniſius Areopagita, cap. 2. de diui. nomini. Dyoniſio Carthuſiano interprete art. 3. aſſerens Angelos illuminari, ac edoceri à Deo de exiſtentia atque eſſentia vnionis hypoſtaticæ, tamquam de obiecto, quod præteruolat aciem naturalem intellectus Angelici. Expende illud Areopagitæ ſupra. *Imo & quod Theologiæ totius vel euidentiſſimum eſt, ipſa Ieſu in carne apparitio ineffabilis eſt, ſermone omni, & omni ignota intelligentiæ, ipſi quoque antiquiſſimum Angelorum primati non cognita.* Minorem probo. Quia nulla ſunt argumenta, quæ ſuadeant euidentiam naturalem ſupernaturalium, quæ æque non ſuadeant euidentiam vnionis hypoſtaticæ; vt videbimus ſect. 6. Item quia vnionem hypoſtaticam, cum ſit modus creatus realiter à verbo diſtinctus, & infinite diſtans à perfectione Dei, ſola quidem ſupernaturalitas occultare poteſt lumini perſpicaciſſimo Angelorum. Supernaturalitas autem communis eſt reliquis donis intrinſece ſupernaturalibus. Ergo aut nulla dona intrinſece ſupernaturalia, aut etiam vnio hypoſtatica obiecta ſunt euidentiæ immediatæ, ac quidditatiuæ naturæ.

Dyoniſius Areop. Carthuſianus.

15. Nec ſatisfacit diſcrimen Philippi Fabri aſſerentis ſupra, vnionem hypoſtaticã abſcondi peculiariter notitiæ quidditatiuæ naturæ, quia ipſa peculiari ratione inuoluit cognitionem quidditatiuam Dei, quæ repugnat naturæ. Nam, vt detur cognitio quidditatiua vnionis hypoſtaticæ, non eſt opus cognitio quidditatiua Dei, ſed tantùm abſtractiua. Cognitio autem abſtractiua Dei non repugnat naturæ. Ergo ex hoc capite non repugnat naturæ cognitio quidditatiua vnionis hypoſtaticæ. Minor, & conſequentia conſtant. Probatur maior à poſteriori; ſcientia infuſa Chriſti Domini, & beatorum, diſtincta à lumine gloriæ, poteſt cognoſcere quidditatiue vnionem hypoſtaticam, vt decurſu oſtendemus. Tamen ſcientia infuſa Chriſti Domini, ac beatorum diſtincta à lumine gloriæ non cognoſcit quidditatiue, & immediate Deum, ſed tantum abſtractiue, & mediate in obiectis creatis. Ergo ad notionem quidditatiuam, ac immediatam vnionis hypoſtaticæ, non eſt opus notio quidditatiua, ac immediata Dei, ſed tantum abſtractiua, & mediata. Item, vt cognoſcatur quidditatiue viſio beata, aut actus fidei eſſentialiter, repreſentans Deum, aut amor charitatis eſſentialiter Deum reſpiciens, aut actio creata eſſentialiter pendens à Deo, ſufficit cognitio abſtractiua, & mediata Dei, quæ in his creaturis comparari poteſt. Ergo etiam vt cognoſcatur immediate, & quidditatiue vnio hypoſtatica, ſufficiet cognitio abſtractiua, & mediata, quæ in ipſa vnione haberi po-

Faber.

Cognitio quidditatiua vnionis hypoſtaticę nõ indiget cognitione quidditatiua naturæ diuinæ.

Digitized by Google

teſt. Nam cognitio, amor, & actio adæquata Dei, tam immediatè, ac eſſentialiter reſpiciunt Deum, & à Deo ſuam eſſentialem, ac ſpecificam differentiam ſortiuntur, quàm vnio hypoſtatica. A priori; vt conſtet euidẽtia quidditatiua exiſtẽtia, aut eſſẽtia vnionis hypoſtaticæ, ſufficit cognoſcere ipſius terminũ, nẽpe Deum in connexione eſſentiali vnionis cum ipſo Deo; neque enim amplius eſt opus, quàm Deum vt terminum, & connexum cum vnione cognoſci. At Deus non cognoſcitur quidditatiuè, ſed abſtractiuè in connexione eſſentiali vnionis hypoſtaticæ. Ergo non requiritur cognitio quidditatiua, ſed tantùm abſtractiua ad euidentiam immediatam, & quidditatiuã vnionis. Probatur facile minor. Cognitio quidditatiua eſt, qua cognoſcitur res aut in ſeipſa immediatè, aut in medio continenti ipſam eminẽter. At Deus non cognoſcitur in connexione eſſentiali vnionis, in ſeipſo immediatè, cum vnio ſit quid creatum realiter, & adæquatè diſtinctum à Deo; nec in medio continente ipſum eminenter, cum nulla res creata contineat eminenter Deum. Ergo in connexione eſſentiali vnionis hypoſtaticę, non cognoſcitur Deus quidditatiuè.

SECTIO QVARTA.

Ratio à priori aſſerti præcedentis expenditur.

Nulla eſt Thomiſtarum ratio.

16. Difficilis quidem ea eſt. Reddunt Thomiſtæ ſup. Quia ſupernaturalia pendent à ſola libera voluntate Dei. Quæ autem pendent à ſola libera voluntate Dei non poſſũt certò noſci abſquè Dei reuelatione: quemadmodum ſecreta cordis non poſſunt certò ſciri ab Angelo abſquè conſenſu alterius, quia opera ſunt, quæ à ſolo libito alieno dependent. Sed meritò Theologi aliam probationem deſiderant. Primò; Quia plura ſunt dona ſupernaturalia, quæ à noſtra ſimul voluntate dependent, vt virtutum infuſarum actus, & conſeruatio habituum. Quæ tamen, ſicut reliqua dona à libito creato independentia, latent cognitionem immediatam, & quidditatiuam naturæ. Secundò; Quia creatio Angeli, & cælorum conſeruatio pendet à ſolo libero decreto Dei; Similiter opera externa agentis creati liberi, à conſilio interno voluntatis creatæ. Nihilominus creatio Angeli, cælorum conſeruatio, & opera externa agentis creati liberi poſſunt certò, & quidditatiuè cerni, quamuis occulta maneant conſilia interna libera. Tertiò; Quia ſupernaturalia non ſolùm quoad exiſtentiam, ſed etiam quoad eſſentiam, & poſſibilitatem nequeunt immediatè, ac quidditatiuè dignoſci per cognitionem naturalem. Quoad eſſentiam autem, & poſſibilitatẽ non dependent à libero decreto Dei. Nihilominus ſemper hæc ratio veneranda eſt, quia traditur à S. Thoma 1. p. q. 57. art. 5.

S. Thomas. Secunda ratio. P. Albertinus. P. Raynaudus.

17. Probant alij quos ſequuntur P. Albertinus, & P. Raynaudus. Cum modus eſſendi obiecti excedit modum eſſendi potentiæ cognoſcentis, excedit ſimul modum cognoſcendi ipſius: Quia modus cognoſcendi ſequitur in potentia cognoſcente modum eſſendi: ſupernaturalia autem habent modum eſſendi ſuperiorem modo eſſendi omnis potentiæ naturalis. Ergo etiam habent modum eſſendi ſuperiorem modo cognoſcendi naturæ. Ac per conſequens non poſſunt facultate potentiæ naturalis quidditatiuè cognoſci.

Diſplicet.

18. Verùm hæc probatio non ſatisfacit. Nam etiam modus connaturalis cognoſcendi abſtractiuè ſequitur modum eſſendi, quandoquidem etiam virtus cognoſcendi abſtractiuè, eſt proprietas connaturalis potentiæ cognoſcentis, vt virtus quidditatiuè cognoſcendi: quare etiam potentia cognoſcens materialis non poteſt etiam abſtractiuè dicernere obiecta ſpiritualia, quæ poteſt ſaltem abſtractiuè potentia cognoſcens ſpiritualis, quamuis corpori immerſa. Nihilominus Deus ſuperans infinitè modum eſſendi naturæ creatæ, eſt obiectũ virtutis naturalis abſtractiuè cognoſcendi. Ergo nihilominus etiam poſſunt ſupernaturalia eſſe ſimiliter obiectum virtutis naturalis quidditatiuè cognoſcendi. Item; Non ita adæquatur modus eſſendi potentiæ quidditatiuè cognoſcentis modo eſſendi obiecti, vt non poſſit quidditatiuè cognoſci à potentia naturali obiectum ſuperans modum eſſendi ipſius, exceſſu quidem plúſquam generico. Nam animus incompletus cognoſcit quidditatiuè non ſolum Angelos primæ, aut ſecundæ ſpeciei, ſed etiam ſupremæ, ac alios poſſibiles ſpecie nobiliores. Ergo ſimiliter non obſtante inæqualitate eſſendi valebit obiectum ſupernaturale quidditatiuè diſtingui à potentia cognoſcenti naturali. Sin præfigantur termini certi perfectionis eſſendi, interquos contineatur obiectum potentiæ quidditatiuè cognoſcentis. Quod haud facile fiet.

19. Dices ex doctrina Thomiſtarum, & P. Albertini 1. princ. Phyloſo. dub. 2. aſſer. 1. Illud obiectum contineri intra ſphæram virtutis quidditatiuè cognoſcendi, quod non excedit modum eſſendi potentiæ ſecundum rationem genericam eſſendi extra materiam, aut extra potentialitatem. Qua ratione eſſendi extra materiam ſuperat Angelus animam ſentientẽ, & animum rationalem vnitum corpori, à quibus idcirco non poteſt quidditatiuè cognoſci: & ratione eſſendi entia potentialitatem ſuperat Deus ſubſtantiam Angelicam, quæ proptereà non valet ſua facultate intueri Deum. Sed contra eſt. Primò. Quia ſupernaturalia non excellunt naturam Angelorum ſecundum modum eſſendi extra materiã, cùm ambo ſint extra materiã nec ſecundũ modũ eſſendi extra potentialitatẽ cũ ambo ſint in potẽtialitate. Igitur iuxta hãc regulã ſupernaturalia ſunt intra ſphærã cognitionis quidditatiuè Angelorum. Secundò. Quia poſſibilia ſunt, & reipſa exiſtunt accidentia ſupernaturalia materialia. Accidentia autẽ materialia vincuntur ab Angelo ſecundum modum eſſendi extra materiam. Ergo materialia ſaltem cognoſcentur quidditatiuè ab Angelo; inter quæ numera vbicationem Euchariſticam,

Digitized by Google

& vnionem hypoſtaticam corporis Chriſti, quæ corporeæ, ac materiales ſunt. Denique, quia adhuc non eſt comperta repugnantia, quare impoſſibilis ſit animus, qui exiſtens in corpore cognoſcat quidditatiue Angelum extra corpus, operando cognitiones ſpiritualiũ independẽter à phantaſmatibus corporeis per ſpecies quidditatiuas, quæ eidem extra corpus debitæ ſunt. Nec quare ſit impoſſibilis ſubſtantia ſupernaturalis, quæ ſuapte natura intueatur Deum ſuperantem potentialitatem ſubſtantiæ creatæ? vt expendemus d. 23. vbi hæc ratio vlterius examinabitur. Igitur non bene diffinitur ſphæra cognitionis quidditatiuæ compoſitæ cum obiecto.

Deſeritur tertia ratio P. Suarez. 20. Arguit 3. P. Suarez cum Sforcia & alijs. Qualis eſt entitas rei, eſt intelligibilitas eiuſdem. Entitas rerum ſupernaturalium eſt ſupra naturam. Ergo. Etiam hæc ratio probat, Deum eſſe ſupra cognitionem abſtractiuam naturæ. Quia etiam intelligibilitas abſtractiua rei eſt qualis entitas eiuſdem; quare ſpiritualia nec abſtractiuè percipiuntur cognitione materiali: Deus autem ſecundum entitatem eſt ſupra omnem naturam intelligentẽ creatam. Ergo etiam ſecundum intelligibilitatem abſtractiuam. Item probat, non poſſe Angelum terminare cognitionem quidditatiuam animi ſeparati: quippe cognoſcibilitas adęquatur entitati. Entitas autem Angeli ſuperior eſt entitate animi. Solum igitur probat intelligibilitatem ſupernaturalium eſſe ſupra vires, & exigentiam naturæ, ſupra quas eſt ipſorum entitas: non verò ſupra eiuſdem euidẽtiam quidditatiuam ſupra, quam non deffinitur ab his authoribus entitas.

Item quarta. P. Grenad. P. Arrubal. 21. Quartò arguunt P. Arrubal, & P. Granadus cum alijs. Non obtinet natura ſpecies quidditatiuas rerum ſupernaturalium. Ergo nec cognitionem quidditatiuam. Conſequentia videtur bona; cum cognitio quidditatiua rei abſque eiuſdem ſpecie quidditatiua, ac immediata fieri nequeat. Probatur antecedens in Angelo cui potiſſimũ tales ſpecies concedendæ erant: ſpecies immediatas rerum ſupernaturalium non obtinet Angelus miſſas ab ipſis rebus ſupernaturalibus, cum Angeli non accipiant ſpecies à rebus; nec inditas immediatè à Deo, cum non ſint debitæ Angelo ſpecies eorum, quæ exiſtunt in alio ordine ab eo, in quo ipſe conditus eſt, ſupernaturalia autem in altiorem ordinem aſſurgunt. Ergò nulla ratione obtinet Angelus ſpecies naturales obiectorum ſupernaturalium? Non conuincit argumentum, quia non probat, quare non poſſint Angelo connaturales eſſe ſpecies aliorum, quã eorum, quæ ſunt in ordinè intrinſeco, in quo ipſe exiſtit; quod meritò deſideratur in præſenti. Cum tueri quis poſſit, poſſe connaturaliter indi à Deo ſpecies eorum, quæ ſunt in eodem ordine extrinſeco cum ipſo, videlicet, quæ vnam & eamdem rerum vniuerſitatem conſtituunt: ad quem vniuerſitatis ordinem complẽdum etiam ſpectant ſupernaturalia cum Angelis. Nec benè oppoſitum probatur à nonnullis, ex eo quod Angelo debita non ſint dona ſupernaturalia. Quia poſſunt ei indi connaturaliter ſpecies eorum, ſuppoſitione quæ exiſtãt, quin ſint debita ipſa dona. Vt beato datur, imo & debetur cognitio quidditatiua vnionis hypoſtaticæ ex ſuppoſitione, quod exiſtit, quin abſolutè ipſa vnionis exiſtentia debeatur. Species enim, & obiectum poſſunt eſſe in ordine longe diuerſo perfectionis, ac debiti. Quare plures perfectiones aliorum poſſunt naturaliter cerni, quæ ipſis cernentibus indebitæ ſunt.

SECTIO QVINTA.

Vera ratio à priori ſuperioris aſſerti.

22. QVod in aliorum doctrina difficilem, facilem quidem in noſtra, probationem habet. Prima eſt, quia cognitio naturalis quidditatiua rerum ſupernaturalium eſt contra cõceptum naturæ, ſupra quam collocantur ſupernaturalia, explicatum diſp. 3. ſect. 2. Secunda, quia eſt contra conceptum ſupernaturalitatis abſolutè explicatum diſp. 4. ſect. 3. Tertia, quia eſt contra conceptum ſupernaturalitatis relatiuæ explicatum diſp. 5. ſect. 2. Triplex probatio.

23. Et quidem eſt primò talis cognitio contra conceptum naturæ, ſupra quam efferũtur ſupernaturalia. Quoniam naturalia, ſupra quæ eleuantur ſupernaturalia, definiuimus eſſe illa, quæ continentur quidditatiuè intra vires Phyſicas, aut intentionales naturæ creatæ, eorumque, quæ cum natura creata connexionem quidditatiuam Phyſicam, aut intentionalem habent. At ſi ſupernaturalia terminarent cognitionem quidditatiuam naturæ, continerẽtur intra vires quidditatiuas intentionales. Ergo cognitio naturalis quidditatiua ſupernaturaliũ deſtruit conceptum naturæ, ſupra quam aſſurgunt ſupernaturalia. Conſequentia eſt optima. Minor eſt aperta. Maior probata eſt fuſe ſup. Item talis cognitio euertit conceptum ſupernaturalitatis abſolutæ. Nam ſupernaturalitas abſoluta poſita eſt in connexione immediata aut mediata cum gratia iuſtificante. Ita diſp. 4. ſect. 3. Sed cognitio naturalis intuitiua ſupernaturalium haberet connexionem aliquam cum gratia. Quia cognitio intuitiua connectitur cum exiſtentia ſui obiecti; non ſolum vt terminet, verum etiam vt moueat cognitionẽ. Quod obiectum ſupernaturale cum eſſet aut ipſa gratia, aut aliquid connexum cum gratia, neceſſario cognitio immediatè, aut mediatè connecteretur cum gratia. Ergo cognitio naturalis, ſupernaturalium intuitiua aduerſatur ſupernaturalitati abſolutæ. Tertiò etiam aduerſatur ſupernaturalitati relatiuæ. Hæc enim, vt vidimus diſp. 5. ſect. 2. conſtituit rem ſupra omnem exigentiam, atque ordinem tranſcendentem naturæ. Si autem ſupernaturalia terminarent intuitum, aut cognitionem quidditatiuam naturæ, non eſſent ſupra omnem exigentiam, atque ordinem tranſcendentem naturæ. Nam cognitio intuitiua exigit exiſtentiam ſui

Prima. Secunda. Tertia.

Digitized by Google

ſui obiecti, & quidditatiua tranſcendenter in illud refertur. Supernaturalitas igitur relatiua ægrè cum iſta cognitione naturali cōponitur.

Quarta. 24. Adde quartam probationem. Effectus poſtulans determinatè cauſam efficientem ſupernaturalem non poteſt non eſſe ſupernaturalis. Sed cognitio immediata ac quidditatiua obiecti ſupernaturalis poſtulat, determinatè cauſam efficientem ſupernaturalem. Ergo cognitio immediata, ac quidditatiua obiecti ſupernaturalis non poteſt non eſſe ſupernaturalis; ac per conſequens repugnans ſoli facultati naturæ. Conſequentiam quis neget? Maior probatione non indiget. Manifeſtè enim effectus poſtulans determinatè virtutem agentem ſupernaturalem ſuperat virtutem agentem, & exigentiam naturæ: quod ſolum plures actus, & habitus efficit intrinſecè ſupernaturales. Probatur minor. Cognitio immediata, & quidditatiua obiecti ſupernaturalis, cum ſit imago propria & eſſentialis obiecti, poſtulat oriri determinatè ab entitate obiecti, vel agente immediatè per vim motiuam ſibi intrinſecam, ſi adſit; vel mediatè per ſpeciem propriam, & non alienam ſubſtituentem concurſum immediatum, quem ipſum obiectum, ſi proportionatum adeſſet, conferret; qui concurſus cum eſſet ſupernaturalis, ſpecies etiam ſubſtituens illum debet eſſe ſupernaturalis. Ergo cognitio immediata, & quidditatiua obiecti ſupernaturalis poſtulat determinatè cauſam agentem ſupernaturalem. Vndè tandem concluditur, ſicut benè à priori probatur, non poſſe ſupernaturalia fieri actione naturæ, quia ſupernaturalitas ſuo conceptu eſt ſupra vim agentem naturæ, ita benè à priori probari, non poſſe quidditatiuè dignoſci cognitione naturæ, quia eſt ſupra vim quidditatiuè cognoſcentem naturæ.

25. At dices. His probationibus ſolum concludi repugnantem cognitionem naturalem quidditatiuam obiecti ſupernaturalis, quæ ſit intuitiua exiſtentiæ, non verò, quæ ſit tantum perceptiua poſſibilitatis? Sed contra, quia ſi benè perpendantur, etiam euertunt cognitionem naturalem, quæ quidditatiuè referat prædicata eſſentialia obiecti ſupernaturalis ſecundum ſe, etiam ab exiſtentia præſcindentia. Quandoquidem prædicata rei poſſibilis, & exiſtentis eadem ſunt, eamdemque excellentiam ſupra naturam important. Imo difficilius poſſibilia ſecundum ſe, quam exiſtentia immediatè referuntur. Plura enim natura nouit exiſtentia, quæ ſi non extitiſſent, immediatè non nouiſſet. Nulla autem poſſibilia immediatè, & quidditatiuè noſcit, quæ ſi exiſtant, eiſdem ſpeciebus non cernat. Exiſtentia enim non addit aliquid diſtinctum ab eſſentia, aut ſaltem excellentius perfectionibus eſſentialibus, quas res ſecundum ſe complectitur. Igitur eodem modo probatur excellēs naturā cognitio quidditatiua rei ſupernaturalis poſſibilis, quo probatur excellens cognitio intuitiua eiuſdē exiſtētis.

26. Si autem obijcias, Angelum cognoſcere quidditatiuè cogitationes alterius poſſibiles. Non poſſe autem cognoſcere exiſtentes. Reſpondeo. Etiam Angelus poteſt cognoſcere exiſtentes cogitationes cordis alterius eiſdem ſpeciebus naturalibus, quibus cognoſcit poſſibiles, ſi adiungatur conſenſus alterius, qui ad notionem exiſtentiæ neceſſarius eſt. Conſenſus autem iſte expectatur ad notionem exiſtentiæ, non quia exiſtentia talium cogitationum excellentius obiectum eſt, quam ipſarum eſſentia; (vt exiſtentia Dei, quam ratione naturali euidenti colligimus, non eſt obiectum excellentius, quam ipſius eſſentia, quam eadem ratione non adipiſcimur.) Sed quia ratione contingentię eſt exiſtentia obiectum proprium Dominij, ac iuris, quod propter bonum Reipublicæ rationalis competit vnicuique agenti libero ad occultandum alijs ſua conſilia. Quæ moralis ratio non militat ad occultandum exiſtentiam donorum ſupernaturalium, quæ ſolo titulo excellentiæ ſubterfugiunt notionem naturæ. Ergo natura valens diſcernere quidditatiuè dona ſupernaturalia ſecundum ſe, ac poſſibilia, poſſet eiſdem ſpeciebus, ac principijs eadem cernere intuitiuè exiſtentia.

SECTIO SEXTA.

Proponuntur, ac ſoluuntur argumenta ſententiæ contrariæ.

27. PRimum eſt. Solius Dei attributum eſt, notione immediata, & quidditatiua naturæ inacceſſibilem eſſe; iuxta illud 1.ad Thim.6. *Qui ſolus habet immortalitatem, & lucem habitat inacceſſibilem.* Ergo dona ſupernaturalia non ſunt inacceſſibilia notione immediata naturæ. Nam notione abſtractiua naturali, & notione immediata ſupernaturali, etiam Deus acceſſibilis eſt. Solus ergo dicitur inacceſſibilis notione immediata, ac quidditatiua naturæ? Reſpondeo negando antecedens. Vndè primò; Solus Deus dicitur habitare lucem inacceſſibilem, quia ſolus Deus incomprehenſibilis eſt etiam viribus ſupernaturalibus. Reliqua verò poſſunt diuinitus comprehendi. Ita S. Thomas in eum locum, & Ianſenius cap. 15. Concord. Euang. Secundo; Propoſitio Pauli non tribuit ſoli Deo lucem naturaliter inacceſſibilem, ſed immortalitatem, vel coniunctum ex vtraque; quod vere alijs non conuenit. Quare plures interpretantur Deum inacceſſibilem oculis corporeis, iuxta illud, quod immediatè ſequitur. *Quem nemo hominum vidit, ſed nec videre poteſt.* Quod de viſu corporeo intelligunt. Quid? Quod P. Vaſques 1.p.diſp.37. n.20. & diſp.55.n.6. & P. Arrub. diſp. 19 n.2. volunt, Deum naturaliter inacceſſum proponi à Paulo, non cognitione clara Angelorum, ſed tātum hominum: ideoque adiunxiſſe; *Quem nemo hominum vidit, ſed nec videre poteſt.* Quod ex Pauli contextu ſatis probabile faciunt. At inuiſibilem eſſe oculis corporeis, & inacceſſum etiam cognitione clara intellectuali hominum, Angelorum attributum eſt. Igitur Paulus non adſcribit ſoli Deo lucem inacceſſibilem, ſed immortalitatem. Adde tertio, Deum habitare lucem inacceſſibilem, quia ſcientiam obtinet, ad quam nulla creaturarum peruenire

Soluitur primum.

1. ad Thim. 6.

S. Thomas. Ianſenius.

P. Vaſquez. P. Arrubal.

Digitized by Google

poteſt; quippe ſolus Deus omnia creata, & ſeipſum comprehendere valet. Lux enim non tolum paſſiuè pro obiecto, quod ipſa cernitur, ſed actiuè etiam pro ipſo viſu cernente plerumque ſumitur. Quare dicimus lumine rationis, & luce naturæ notum, quod facultate cognoſcente naturæ, atque rationis perſpicuum eſt. Ita S. Thomas in hunc locum. *Lucem habitat inacceſſibilem; quia incomprehenſibilitas Dei ex duobus patet. Primò; quia tranſcendit quidquid in creaturis eſt comprehenſibile. Secundò; quia hoc ipſum, quod Deus eſt, omnium comprehenſionem excedit.* — S. Thomas.

Explicatur ſecundum. — 28. Secundum argumentum. Nullum eſt ens creatum quod non ſit obiectum proportionatum virtuti intuitiuæ Angelicæ. Supernaturalia autem ſunt creata. Ergo proportionata virtuti Intuitiuæ Angelicæ. Probatur maior. Nullum eſt ens creatum, quod lumine ſupernaturali Angelus intueri non poſſit. Si autem non eſſet lumini naturali proportionatum, non poſſet lumine ſupernaturali intueri. Vt oculus corporeus non poteſt ſupernaturaliter intueri ſonum, quia naturali viſioni improportionatum eſt. Ergo? Nego maiorem. Nam cum virtus intelligens Angelorum finitæ perfectionis ſit, nihil prohibet ſphæram virtutis intuitiuæ finiri perfectione obiectorũ naturalium, quin in ſupernaturalia quoque intuitum naturalem contendat, vt virtus comprehenſiua eorumdem ad certum genus obiectorum limitatur, vltra quæ in alia penetrare non valet. Nec probatio momenti eſt. Plura enim ſupernaturaliter cernimus, quæ naturaliter occulta ſunt. Ita animus vnitus corpori intueri valet ſupernaturaliter Angelum, quem naturaliter vix, abſtractiua cognitione aſſequitur. Angelus lumine ſupernaturali exprimit quidditatiuè Deum, quem lumine naturali non poteſt. Longè enim perfectior eſt cognitio quidditatiua, & euidens, quam abſtractiua, & obſcura. Atque ita poteſt natura intelligens ſuis viribus ad vnam peruenire, quin ad aliam, niſi viribus ſupernis non valeat.

29. Quare autem cernatur lumine ſupernaturali Deus, aut aliud obiectum, quod naturali lumine non cernitur, cum ſonus videri non poſſit oculo corporeo, à quo naturaliter non videtur? Latè explicandum eſt tract. de viſione Dei. Breuiter accipe hoc diſcrimen. Vt aliqua potentia cognoſcens eleuetur ad aliquem modum, ſeu perfectionem cognitionis, opus eſt, vt eum modum, ſeu perfectionẽ cognitionis exerceat naturaliter circa aliquod obiectum ſibi naturale: vlterius etiam, vt obiectum ad quod tali perfectione cognoſcendum eleuatur, talis potentiæ obiectum ſit, quod aliquali cognitione naturali, quamuis abſtractiuè, & cõfuſe percipiatur. Nam hoc pacto potentia vitalis per talem cognitionem, neque extra ſuum obiectum, neque extra modum cognoſcendi ſibi naturalẽ vagatur. Porro autem Deus, & dona ſupernaturalia, tum aliquali cognitione naturę continentur intra latitudinem obiecti potentiæ intelligentis naturalis; tum modus cognoſcendi intuitiuè, & quidditatiuè perfectio eſt competens potentiæ intelligẽti naturali circa alia obiecta. At verò ſonus non eſt obiectum aliqualis cognitionis naturalis potentiæ viſiuæ corporeæ, neque videndi vſus auditiui competit circa aliquod obiectum ſibi naturale. Itaque poteſt potentia intelligens eleuari ad intuendum Deum, & dona ſupernaturalia; quamuis neque viſus, neq; auditus ad videndũ ſonum eleuari queant. Video hæc vrgeri poſſe. Sed non eſt locus latioris diſputationis de hac re. Non prætermittam opponere, quod iuniores opponunt, animum ſuapte natura nihil cõprehendere; diuinitus tamẽ plura cõprehendere poſſe. At aſſumptum imprimis incertum eſt. Animus enim ſeparatus plures ſubſtãtias ſaltem corporeas ſua cognitione exhaurit. Deinde aliquibus facultatibus intelligentibus poteſt deeſſe comprehenſionis vis ex defectu extenſionis modi proprij cognoſcendi; aliquibus ex defectu perfectionis vitalis intenſiuæ ſecundum modum ſpecificum cognoſcẽdi. Cui non competit naturaliter modus cognoſcendi quoad perfectionem vitalem intenſiuam, non poteſt etiam diuinitus ad illam eleuari: quare nec phantaſia poteſt eleuari ad diſcurrendum etiam per cognitiones materiales, nec appetitus ad appetendum quidpiam libere. Cui verò competit naturaliter modus cognoſcendi quoad perfectionem vitalem intenſiuam, quamuis non competat quoad extenſiuam, poteſt diuinitus ad eum extenſionis modũ accedere; quare potẽtia non valens naturaliter percipere niſi duo obiecta, poteſt diuinitus percipere quatuor. At animo defectus comprehẽſionis Angelorũ non competit ex defectu perfectionis vitalis intenſiuæ, ſed tantum extenſiuę. Igitur poteſt diuinitus ad comprehendendũ Angelos eleuari. Hæc quæ nunc diximus ſimul, latius ſeorſim alibi examinãda, & declarãda ſũt.

30. Tertium argumẽtum. Naturalia, & ſupernaturalia, totum ſuum diſcrimen ſortiuntur per ordinem ad principia agẽtia, non per ordinem ad cognoſcentia. At diuerſitas agentium non variat cognoſcibilitatem rerum. Eamdem enim cognoſcibilitatẽ retinet homo, modo fiat viribus ſupernaturalibus, modo viribus naturalibus, vt eamdem retinet entitatẽ, quam in vnaquæque re cognoſcibilitas ſequitur. Ergo æquè cadunt ſub cognitionem quidditatiuam naturæ ſupernaturalia, ac naturalia? In primis docuimus diſp. 5. ſupernaturalitatem, etiam relatiuã, non conſtitui per ordinem ad agentia. Deinde, eſto, primariũ diſcrimen ab agentibus hauriant ſupernaturalia; quid vetat ſecundarium etiam à cognoſcentibus accipere? Itaque minor argumenti diſtinguenda eſt. Varietas agentium non variat cognoſcibilitatem rerum, cum ea varietas rebus accidentalis eſt, vt verè argumentum proponit, cõcedo. Cum ea rebus eſt eſſentialis, ac per ſe, vt inter naturalia, & ſupernaturalia cõtingit, nego. Tunc enim varietas principiorũ arguit varietatẽ in entitate effectus, ac per conſequẽs etiam in cognoſcibilitate. Effectus enim eiuſdem ſpeciei, & entitatis non poſſunt poſtulare per ſe ac determinate vires ſupernaturales, ac naturales; ſed effectus poſtulans per ſe, ac determinate principia ſupernaturalia, entitate differre debet ab effectu, qui per ſe, ac determinate ſolum, poſtulat — Tertium.

principia naturalia. Tum quia illis competunt exigentiæ intrinſecæ, ac eſſentiales diuerſæ. Tum quia ſemper perfectiora principia ratione alicuius præſtantioris entitatis deſiderantur. Quare in viuentibus ſpecie, & perfectione diſtinguimus operationes, quas diuerſas & inæquales diſpoſitiones, atque comprincipia per ſe, ac determinatè poſtulare comperimus. Igitur cum in ſententia, quam modo ponimus, ſupernaturalia ſint quoad ſubſtantiam ſupernaturalia, atque adeò per ſe, ac eſſentialiter poſtulent principia excellentiora, quam naturalia, quamuis ſupernaturalia differentia per ordinem ad agentia ſumantur, poteſt rectè ſupernaturalium entitas, atquè adeò, & cognoſcibilitas ab entitate, & cognoſcibilitate naturalium longè diſtare.

Quartum. 31. Quartum. Plura naturalia, quæ terminant intuitum naturæ ſunt excellentiora ſupernaturalibus: v. g. Angelus excellentior eſt, quam habitus temperantiæ, aut fidei. Ergo ſupernaturalia poſſunt intuitionem naturæ terminare. Nam ſola excellentiæ ratione poſſunt ſupernaturalia intuitionem naturalem recuſare. Reſpondeo. Plura naturalia excellunt quidem ſupernaturalia ſecundum rationem ſpecificam; non vero ſecundum omnem rationem genericam; eam videlicet, qua in gradu, & ordine diuino ſupernaturalium collocantur. A qua quidem perfectione habent excedere vim intuitiuam naturæ, quam non excedunt naturalia: vt habent excedere vim actiuam, & exigentiam eiuſdem, quam naturalia quamuis nobiliora non excedunt. Neque cognoſcibilitas quidditatiua rei metienda ſemper eſt perfectione eiuſdem. Nam viſus corporeus, qui cernit immediatè colorem, non poteſt cernere ſpeciem impreſſam, relationem, durationem, & alia accidentia imperfectiora colore. Videlicet, quia non pertinent ad genus illud entium, quod conſtituit proprium obiectum viſus ratione peculiaris perfectionis ipſius. Hic igitur poſſunt naturalia cadere ſub intuitum naturæ, quem ſupernaturalia naturalibus ignobiliora fugiunt; quia hæc non pertinent ad illud obiectorum genus, quod ratione ſuæ peculiaris conditionis vendicat ſphera virtutis intuitiuæ naturæ.

32. Quintum argumentum. Si calor ponatur in animo, aut frigus in forma ignis, videbit Angelus cognitione naturali inhærentiam ſupernaturalem eorum accidentium, ſimiliter videt modo quantitatem Euchariſtiæ creatam, ſeipſum beatum, ac ſanctum. Ergo ſupernaturalia referri quidditatiuè poſſunt cognitione naturali? Reſpondeo. Angelus non cognoſcit cognitione quidditatiua naturali ſuam beatitudinem, aut ſanctitatem, quæ citra dubium intrinſecè ſupernaturales ſunt. Item neque intuetur naturaliter inhærentiam caloris, & creationem quantitatis, ſi ponantur modi reales ab accidentibus diſtincti, & intrinſecè ſupernaturales. Vt neque humanitas Chriſti, neque Angelica natura eo genere cognitionis diſtinguit quidditatiuè vnionem hypoſtaticam, vbicationem ſupernaturalem, Euchariſticam, & alia id genus ſupernaturalia entia. Quid autem iudicet Angelus non cernens modos naturales, quos neceſſario alij ſupernaturales ſubſtituunt? explicandum eſt diſputatione ſequenti. Quintum.

DISPVTATIO VNDECIMA.

AN SVPERNATVRALIA SINT SVPRA euidentiam abſtractiuam, ac mediatam naturæ.

PLVRA latent noſtram euidentiam quidditatiuam, ac immediatam, quæ tamen abſtractiuæ, ac mediatæ euidentiæ ſubiecta ſunt; verbi gratia, Angelus, & ſubſtantia non ſunt nobis immediatè, & quidditatiuè nota, tamen abſtractiuè, & mediatè euidentia ſunt. Item Deus cognitione naturali in ſe ipſo, immediatè, ac quidditatiuè non cernitur, abſtractiuè tamen creaturis, aut ex creaturis euidenter colligitur. Quærimus igitur: an quamuis ſupernaturalia vincant ſcientiam naturalem quidditatiuam, ac immediatam, nihilominus ſub ſcientia abſtactiua, ac mediata contineantur?

Digitized by Google

SECTIONES.

1. *Placita Theologorum.*
2. *Nullo medio poteſt natura ſupernaturalia euidenter colligere.*
3. *Explicantur duo argumenta, quæ probant poſſe lumen naturale ex principijs naturæ ſupernaturalia quoad ſubſtantiam euidenter deducere.*
4. *Explicantur alia duo argumenta.*
5. *Diluitur efficax argumentum probans poſſe lumine naturali innoteſcere ſupernaturalia ſuppoſitis principijs ſupernaturalibus.*
6. *Aliud validum argumentum expeditur.*
7. *Alia tria argumenta ſoluuntur.*
8. *Concluditur argumentorum explicatio.*

SECTIO PRIMA.

Placita Theologorum.

Cognitio dupliciter abſtractiua.

2. COgnitio bifariàm dicitur abſtractiua. Tum vt opponitur intuitiuæ, quæ ſemper in exiſtentiam quidditatiuè fertur. Tum vt opponitur quidditatiuæ, quæ in rem ſiue exiſtentem, ſiue poſſibilem immediatè, aut in medio ipſam eminenter continenti, refertur. Priori conſideratione abſtractiua cognitio comprehendit cognitionem quidditatiuam rei poſſibilis. Poſteriori verò, omnem quidditatiuam excludit, & ſolam continet cognitionem, quæ rem mediatè, & quidem in medio, aut ex medio non continenti eminenter ipſam, venatur. Dixi *in medio, aut ex medio*; Dupliciter enim poteſt eſſe adhuc cognitio abſtractiua, & mediata. Altera quæ ſit diſcurſu comparata ex priori cognitione medij, qualem compararunt Philoſophi de Deo. Altera, quæ ſine diſcurſu, & priori cognitione medij cognoſcit rem eadem ipſa notione medij; ducta tantum ex veritate medij, quæ immediate ſibi manifeſta eſt; qualem habent Angeli in creaturis de exiſtentia Dei. Rurſus hæc cognitio abſtractiua, ac mediata poteſt eſſe, & obſcura, & euidens. Noſtra itaque diſputatio ſolam cognitionem abſtractiuam in ſecunda conſideratione, ſcilicet oppoſitam immediatæ, ac quidditatiuæ, & eam, quæ euidens ſit, in examen adducit. Nam abſtractiuam exiſtentiæ, quæ quidditatiua ſit, impoſſibilem eſſe naturæ; poſſibilem verò abſtractiuam, quæ ſit obſcura, & probabilis, ſuperiori diſputatione poſitum eſt.

Sententia affirmans.

2. Igitur prima ſententia, ſupernaturalia quoad exiſtentiam, & eſſentiam ſupra omnem euidentiam, etiam abſtractiuam, ac mediatam naturæ, conſtituit. Ita ferè omnes, quos diſputatione præcedenti nu. 2. retulimus exceptis ijs, quos mox referemus.

Sententia negans.

3. Secunda ſententia, naturæ concedit principia media, quibus ſupernaturalia euidenter inueſtiget. Ita à fortiori relati diſputatione præcedenti, num. 4. pro immediata cognitione. Quibus accedunt P. Vaſquez 1.2.d. 2. c. 2. & P. Arrubal 1. p. d. 15. c. 1. Nifus 2. met. d. 3. c. 4. Antonius Perez in Laurea Salmant. certam. 5. Scolaſt. dub. 3. num. 32. & alij aſſerentes, poſſe demonſtrari ex principijs naturæ poſſibilem viſionem intuitiuam Dei.

P. Vaſquez. P. Arrubal. Nifus. Antonius Perez.

4. Tertia ſententia media eſt, & tuetur, non poſſe ſupernaturalia demonſtrari ex medio, aut principio aliquo naturæ; at ſuppoſitis principijs fidei, & operibus miraculoſis, ac ſupernaturalibus poſſe Angelos, & homines eſſentiam, & exiſtentiam ſupernaturalium, etiam vnionis hypoſtaticæ, & viſionis beatæ euidenter arguere. Ita Pater Suar. lib. 2. de Ang. c. 33. num. 24. lib. 8. c. 6. num. 8. tom. 2. in 3. p. d. 31. ſect. 3. con. 1. tom. 2. Met. d. 30. ſect. 11. P. Mol. 1. p. q. 57 art. 5. diſp. 1. P. Iannerus tom. 1. d. 5. q. 3. dub. 7. num. 12. M. Albelda 1. p. d. 24. conc. 2. Syluest. 1. p. conflati q. 12. art. 1. §. *Item ratione tertia.* Accedit Caiet. 2. 2. q. 1. art. 4. & q. 171. art. 5.

P. Suarez. P. Molina. P. Iannerus Albelda. Syluest. Caietanus.

SECTIO SECVNDA.

Nullo medio poteſt natura ſupernaturalia euidenter colligere.

Prima probatio.

5. HAnc aſſertionem probant omnia teſtimonia, quæ anteriori diſputatione ſect. 2. propoſuimus. Etenim illa omnem prorſus ſcientiam naturalem donorum gratiæ, manifeſtè excludunt, nulla facta ſcientiæ immediatæ commemoratione. Imo talem ſcientiam naturalem reijciunt, vt ſoli fidei ſupernaturali donorum ſupernaturalium certa notitia debeatur. Cognitio autem fidei non eſt immediata, & quidditatiua, ſed abſtractiua, ac mediata, per ſpecies alienas elicita. Ergo etiam cognitio euidens, ac certa abſtractiua, ac mediata naturæ reſpuitur. Confirmatur; plura accidentia naturalia, & omnes ſubſtantiæ naturales conſtitutæ ſunt extra noſtram euidentiam quidditatiuam, & immediatam; nam tantum abſtractiuè, ac mediatè per effectus, in quibus ipſa non continentur eminenter, notionem eorum comparamus. At eis teſtimonijs intenditur donorum ſupernaturalium altitudinem tantam eſſe, vt ratio naturalis ad illam non accedat eo genere euidentiæ, ac luminis, quo obiecta naturalia pertingit. Ergo euidentia etiam abſtractiua, ac mediata donorũ ſupernaturaliũ, naturali lumini neganda eſt. Accedit plures Eccleſiæ Patres

Digitized by Google

quos ſect. 6. referemus, docere Dæmonem ſolis coniecturis nouiſſe vnionem hypoſtaticam. At ſi naturali ingenio poſſet euidenter colligere illius exiſtentiam, non eſt quare miraculoſè Deus illam occuleret, vt ſectione 6. dicemus. Ergo etiam poſitis principiis fidei, & operibus miraculoſis Chriſti, ſuperat vnio hypoſtatica euidentia argumenta luminis naturalis.

Ratio à priori.

6. Deinde à priori ſic arguo. Non poteſt haberi euidentia mediata ſupernaturalium, niſi iuuante cognitione immediata, ac euidenti medij connexi neceſſario cum ſupernaturalibus. Sed natura non poteſt habere cognitionem euidentem immediatam alicuius medij connexi neceſſario cum ſupernaturalibus. Ergo non poteſt habere euidentiam immediatam ſupernaturalium. Conſequentia legitima eſt. Maior eſt per ſe nota. Nam omnis euidentia mediata habetur in medio euidenter cognito. Non cognito mediatè per aliud medium, ne detur proceſſio infinita cognitionum, & mediorum concurrentium in cognitionem mediatam. Neque in medio ſeparabili ab obiecto ſupernaturali, alioqui non poteſt ducere euidenter in notitiam obiecti ſupernaturalis. Haberi itaque debet euidentia mediata ſupernaturalium in medio immediatè cognito, & connexo cum obiectis ſupernaturalibus. Minor quæ difficultatem Argumenti continet, probatur. Hoc medium immediatè cognitum, & connexum cum obiectis ſupernaturalibus non poteſt eſſe aliquod obiectum intrinſecè ſupernaturale, neque obiectum intrinſece naturale. Nam obiectum intrinſece ſupernaturale immadiate non poteſt cognoſci per cognitionem euidentem naturæ, vt oſtendimus diſputatione antecedenti. Obiectum autem intrinſecè naturale non habet connexionem Intrinſecam cum aliquo dono intrinſece ſupernaturali; vt ſuperioribus late probauimus. At præter obiectum intrinſece naturale, aut obiectum intrinſece ſupernaturale nullum eſt, quod poſſit eſſe mediũ, quod immediate cognitum, & connexum cum donis ſupernaturalibus inducat intellectum in notitiam euidentem illorum. Ergo nullum adeſt naturæ medium, in quo immediate cognitio ad euidentiam perueniat donorum ſupernaturalium. Confirmatur; ſuppoſitis principijs fidei, & operibus ſupernaturalibus, quibus aperte arguuntur ſupernaturalia, aut ea quidem principia teſtantur euidenter exiſtentiam ſupernaturalium cognita per fidem ſupernaturalem, aut cognita per euidentem cognitionem immediatam, & quidditatiuam naturę. Cognita per fidem non poſſunt, quia fidei cognitio obſcura eſt, non valens inducere cognitionem claram. Neque cognita per ſcientiam immediatam naturalem; quia per te ſcientia immediata naturalis de obiecto intrinſece ſupernaturali repugnat. Ergo etiam ſuppoſitis principijs fidei, & operibus ſupernaturalibus non poſſunt ſupernaturalia lumine naturali euidenter demonſtrari.

7. Dices ad euidentiam mediatam ſupernaturalium quoad ſubſtantiam non eſſe argumento alia principia, ſeu opera intrinſece quoad modum, quæ iudicio communi Theologorum poſſunt immediatè lumine naturali cognoſci? Sed contra; ſupernaturalia quoad modum, vt rectè notat ex Caietano, Bãnes 1. p. q. 57. art. 5. & explicauimus nos diſp. 1. ſect. 4. ſunt in duplici differentia. Alia quoad modum intrinſecè ſupernaturalem, quæ modum continent realem intrinſecè ſupernaturalem; vt Humanitas ſubſiſtens per Verbum: vnionem hypoſtaticam, Chriſtus ſub ſpeciebus exiens, Vbicationem Euchariſticam, actus naturalis relatus in Deum imperium charitatis. Alia quoad modum ſolùm extrinſecè ſupernaturalem, quæ ſupra naturam non habent quidquam quod intrinſece naturale non ſit. Quia tamen eo concurſu circunſtantiarum, tẽporis, aut loci habent, quæ natura non exigebat, ſupernaturalia dicuntur; vt reſtitutio viſus, caloris cum frigore compoſitio, & alia id genus. Igitur ſupernaturalia quoad modum, quæ immediate cognita manifeſtant ſupernaturalia quoad ſubſtantiam, non poſſunt eſſe prioris modi. Quia modus intrinſece ſupernaturalis illorum, ſecundum ſe tam abſconditus eſt euidentiæ immediatæ naturæ, quàm reliqua dona intrinſece ſupernaturalia, quæ ipſius exiſtentia teſtatur. Neque tale medium poſſunt eſſe ſupernaturalia poſterioris modi. Quoniam nullam cum ſupernaturalibus quoad ſubſtantiam inſeparabilem connexionem habent, prout opus eſt ad medium euidens cognitionis abſtractiuæ. Etenim omnia illa ſupernaturalia quoad modum componi poſſunt cum deffectu omnium donorum ſupernaturaliũ quoad ſubſtantiam. Poſſunt enim omnia miracula naturæ fieri virtute diuina nullo antecedenti, aut ſubſequenti dono intrinſece ſupernaturali. Quam enim neceſſitatem inducit producendi aliquid intrinſece ſupernaturale reſtitutio viſus, compoſitio frigoris cum calore, aut alia rerum intrinſece naturalium coniunctio, quamuis contra leges naturæ exiſtens? Nonne poſſet Deus naturæ leges inuertere, deſtruendo, & producendo naturalia contra exigentiam naturæ, etiã ſi ſtatuiſſet nullam rem, aut modum realem intrinſece ſupernaturalem efficere? Igitur neque ſupernaturalia quoad modum facere poſſunt euidentiam mediatam rerum intrinſece ſupernaturalium, intelligentiæ naturali.

Bãnes.

8. Aliter à priori noſtra ſententia monſtratur. Omnis cognitio euidens, quamuis abſtractiua, ac mediata habet connexionem intrinſecam, & entitatiuam cum obiecto, vt obiecto deficienti ipſa quoque quoad entitatem deficiat. Cognitio autem naturalis non poteſt habere connexionem intrinſecam & entitatiuam cum obiecto ſupernaturali, vt illius exiſtentiam depoſcat, & eo deficiente ipſa quoque quoad entitatem neceſſario deficiat. Ergo non poteſt eſſe cognitio naturalis euidens de obiecto ſupernaturali, etiam abſtractiua, ac mediata. Conſequtio perſpicua eſt. Maior negari non poteſt. Nam omnis cognitio euidens, etiam ſi abſtractiua ac mediata, eſt intrinſece ac eſſẽtialiter vera, & conformis ſuo obiecto, eo modo quo obiectũ refertur per ipſam. Cognitio autẽ

Alia ratio à priori.

eſſentialiter vera, & cōformis ſuo obiecto depoſcit exiſtentiam illius eo modo, quo refertur per ipſã, vt eo deficiēte ipſa quoquè quoad entitatē deficiat, vt per ſe manifeſtum eſt. At hoc repugnare cognitioni naturali, quod continebat minor propoſitio argumenti, conſtat ex conceptu ſupernaturalitatis abſolutæ, & relatiuæ ſuperioribus explicato; quæ quidem tali connexione, & exigentia cognitionis naturalis euerti efficaciter oſtendimus diſputatione præcedenti ſect. 5.

9. *S*ed obijcies contra hanc probationem. Cognitio naturalis poteſt eſſe probabilis, & vera de poſſibilitate entis ſupernaturalis, v. g. de poſſibilitate viſionis intuitiuæ Dei: At talis cognitio naturalis haberet connexionem neceſſariam, cum ſuo obiecto ſupernaturali. Ergo cognitione naturali non repugnat connexio abſtractiua neceſſaria cum obiecto ſupernaturali ſaltem poſſibili. Conſequentia bona eſt. Maior datur à nobis, & negari non poteſt. Probatur minor. Ea cognitio naturalis eſt intrinſecè, ac eſſentialiter vera. Quandoquidem ita eſt vera, vt nec diuinitus poſſit reddi falſa, cum nec diuinitus poſſit non eſſe poſſibilis viſio beata, quæ eſt obiectum, quod enuntiat. Cognitio autem intrinſecè, ac eſſentialiter vera connectitur intrinſecè, ac eſſentialiter cum ſuo obiecto. Iterum probatur minor. Talis cognitio refertur tranſcendentaliter in ſuum obiectum. Ordo autem tranſcendētalis cōnexio intrinſeca eſt cum obiecto poſſibili. Ergo? Reſpondeo. Cognitio probabilis vera de poſſibilitate entis ſupernaturalis non habet connexionem cum obiecto intrinſecam, ſed extrinſecam dumtaxat. Hoc eſt referre obiectum, quod aliter non poteſt eſſe quam ab ipſa refertur. Quoad iſtud ſecundum non prouenit ex prædicatis intrinſecis cognitionis, ſed ex neceſſitate intrinſecæ poſſibilitatis, obiecti dumtaxat. Nam ſi per impoſſibile obiectum illud poſſibile poſſet fieri impoſſibile, adhuc cognitio probabilis eadem quoad entitatem maneret, referens falſo poſſibilitatem obiecti, vt maneret eadem cognitio probabilis de exiſtentia, caſu quo obiectum non eſſet re vera exiſtens, & modo refert cognitio probabilis de viſione poſſibili Dei aliqua prædicata forſan repugnantia, vt quod poſſet omnes creaturas poſſibiles diſtinguere, & alia eiuſmodi. Itaquè relatio tranſcendens, & veritas intrinſeca tali cognitioni neganda eſt. Eſt quidem illa neceſſario vera, ſed non intrinſecè vera, hoc eſt veritate ipſi adæquatè intrinſeca, ſed partim intrinſecâ, & partim extrinſecâ, coaleſcenti ex repræſentatione cognitionis, & neceſſitate obiecti; vt Angelus neceſſario coexiſtit cęlo, ſed non intrinſecè, quia poterat ſecundum ſe exiſtere in abſentia illius. Item refert eſſentialiter obiectum, ſed non exigit ad ſuam relationem probabilem, quòd obiectum reipſa non poſſit aliter ſe habere. Vnde materialiter ſe habet neceſſitas realis, ac vera obiecti, exigentiæ talis cognitionis. Siquidem ea cognitio eadem obiecti prædicata exprimeret, quamuis ſolum apparenter eſſent vera. Hæc fuſius lib. de Anima expoſui, & in met. tract. de veritate cognitionis vberius exponemus.

SECTIO TERTIA.

Explicantur duo Argumenta, quæ probant poſſe lumen naturale ex principijs naturæ, ſupernaturalia quoad ſubſtantiam euidenter deducere.

10. NOſtra ſententia, ſecundæ & tertiæ ſententiæ relatis n. 3. & 4. aduerſaria eſt, atquè adeò vtriuſque ſententiæ argumenta illam oppugnant. Priùs argumenta ſecundæ ſententiæ diluemus. Poſteriùs argumēta tertiæ. Itaque primò ſic probo ſupernaturalia eſſe ex principijs naturæ demonſtrabilia. Ex principijs naturę demōſtratur poſſe, Deū quidquid non repugnat; inſuper gratiã iuſtificantē, viſionem beâtem, & alia dona non repugnare. Nulla enim eſt ratio, qua euidenter oſtendantur repugnare: Atquè adcò omnes rationes repugnantiæ vtpotè fallaces poſſunt ab Angelo diſſolui. Ergo ex principijs naturæ demonſtratur, Deum poſſe gratiam iuſtificantem, viſionem beâtem, & alia dona ſupernaturalia hominibus largiri.

Primum argumentũ ex perfectione omnipotentiæ

11. In primis hoc argumentum etiam probat, ex principijs naturæ eſſe demonſtrabilem Trinitatem perſonarum in vna natura, & incarnationem Verbi in natura humana. Quod aduerſarij diffitentur. Nam cum ea myſteria re verà contra rationem naturalem non ſint, nam ratio naturalis non eſt falſa; poſſunt vere omnia argumenta, quæ eorum poſſibilitatem oppugnant, nullius momenti conuinci. Nihilominus principia naturæ non poſſunt eorũ poſſibilitatem euidenter conuincere. Ergo non oſtenditur poſſibile, quod oſtenditur non eſſe euidenter impoſſibile. Itaque aliud eſt, rem eſſe non repugnantem, & poſſibilem. Aliud non conuinci, nec demonſtrari euidenter eſſe impoſſibilem & repugnantem. Poteſt enim aliqua prædicatorum compoſitio proponi, quæ re vera ſit chymæra, atquè repugnans; nihilominus argumenta nobis non eſſe, quibus eius repugnantia euidenter conuincatur. Nam rem eſſe poſſibilem, & non repugnantem eſt quid poſitiuum, nempe prædicata eſſentiali rei excludentia rapugnantiam, & chymæram. Rem non demonſtrari repugnantem eſt quid negatiuum; nempe deffectus euidentiæ, & luminis, quo nobis manifeſta ſit repugnantia. Ergo poteſt eſſe euidentia reflexa de negatione euidentiæ directæ impoſſibilitatis rei, quin ſit euidentia directa de poſſibilitate ipſius rei. Nam poſſibilitas rei, & negatio euidentiæ impoſſibilitatis ſunt obiecta ſeparabilia, atquè diuerſa; vt exiſtentia rei, & negatio euidentiæ abſentiæ illius diuerſa ſunt. Quare obiectum poteſt re vera abeſſe, & nihilominus non probari eui-

Explicatur.

Non eſt abſolute poſſibile quod non conuincitur repugnare.

denter abeſſe; vt contingit in Euchariſtia, vbi ratione naturali non probatur euidenter abeſſe panis, & nihilominus reuera abeſt. Angelus igitur, & alia creatura intelligens, poteſt lumine naturæ oſtendere argumenta, quæ ſuadent repugnantiam donorum ſupernaturalium, non eſſe euidentia. Cæterùm non poteſt poſitiuè oſtendere, eo lumine, re ipſa poſſibilia, & non repugnantia eſſe. Quia aliud eſt rem eſſe poſſibilem; aliud impoſſibilem non videri à natura; quæ limitatá videndi ſphærâ concluditur, & ſuopte ingenio quidquid eſt poſſibile, non videt.

12. Si autem obijcias, poſſibilitatem rei communiter probari à Phyloſophis, & Theologis eo principio, quod non eſt negandũ Deo, id quod non cõuincitur repugnare. Reſpõdeo. Ad probandum poſſibilitatem rei ab alijs proponitur hoc principium: *Poſſibile eſt Deo quidquid non repugnat.* Ab alijs hoc: *Poſſibile eſt Deo quidquid non conuincitur repugnare.* Quæ diuerſa ſunt. Prius principium euidenter concludit poſſibilitatem rei, ſi demonſtretur per minorem propoſitionem, rem quidem non eſſe prædicatis repugnantem. Poſterius principium non concludit euidenter poſſibilitatem rei, ſed tantum æquitatem ſententiæ probabilis, quæ vbi non oſtenditur abſurditas, & repugnantia, æquum eſt, vt in omnipotentiæ campum porrigendum inclinet. Quare ab alijs rectius proponitur hoc modo; *Non eſt negandum omnipotentia Diuinæ, quod non oſtenditur repugnare.* Quia æquior, & bene ſentientium de Deo dignior ſententia eſt, quæ terminos omnipotentiæ protrahit, quam quæ illos ſtringit. Porro tamen dupliciter poteſt non oſtendi repugnantia rei. Primò, quia nulla, neque probabilis repugnantia proponitur. Secundò; quia probabilis repugnantia, quamuis non euidens opponitur. Priori quidem caſu euidenter colligitur æquitas ſententiæ affirmantis, rem Deo eſſe poſſibilem. Poſteriori verò, ſolum probabiliter, quia probabilis repugnantia rei probabilem facit illius improducibilitatem à Deo; quod enim probabiliter repugnat, probabiliter improducibile eſt etiam à Deo. Quamquam in æqua lance probabilitatis Phyſicæ inter ſententiam affirmantem, & negantem ex principio communi Theologorum, morali æquitate eligenda eſt ſententia affirmans. Cæterum ſi pro ſententia negante ſunt argumenta poſitiua probabilia, & nulla ſunt argumenta poſitiua probabilia pro ſententia affirmante: aut ſi pro ſententia negante ſunt probabiliora, tunc ex illo principio neque morali æquitate pro affirmante ſententia iudicandum eſt. Semper enim eligendum eſt, quod verius proponitur, & verioribus iudicijs obſequium Deo præſtandum.

Solum ex morali æquitate dãdum Deo quod non cõuincitur repugnare.

13. Secundò nobis opponitur. Viſio intuitiua Dei demonſtratur poſſibilis ex principijs naturæ. Hæc viſio eſt intrinſecè ſupernaturalis. Ergo aliquid ſupernaturale demonſtratur poſſibile ex principijs naturæ. Maior ab Scoto in 4. diſt. 49. q. 8. ſic probatur. Deus euidenter continetur intra obiectum adæquatum intellectus, cum euidenter ſit ens, & verum. Euidens autem eſt poſſe intellectum cognoſcere ſuum obiectum cognitione perfecta, ſatiante eius appetitum, qualis ſolum eſt cognitio quidditatiua, atque intuitiua. Ergo euidens eſt intellectum noſtrum poſſe Deum quidditatiuè, atque intuitiuè cognoſcere. Confirmatur, reliquæ potentiæ cognoſcentes intellectu ignobiliores poſſunt quidditatiuè, & intuitiuè cognoſcere omnia ſua obiecta. Ergo euidens eſt, etiam intellectum id poſſe, ac proinde intueri Deum. Euidens namque eſt conuenire intellectui perfectionem cognoſcendi, quæ potentijs inferioribus conceditur. Probatur idem à P. Vaſquez ſupra. Inſitũ eſt à natura omnibus hominibus deſiderium aſſequendi ſummum bonum. At ſi aſſequtio, quæ eſt viſio intuitiua Dei, eſſet impoſſibilis, non eſſet à natura inſitum tale deſiderium. Natura enim ad impoſſibilia non impellit. Ergo viſio intuitiua Dei poſſibilis eſt. Tertiò probatur à P. Arrubal. Poteſt Deus amari amore immediato, & propter ſe, non obſtante infinitate Dei. Ergo eadem infinitate non obſtante, poteſt immediatè, & in ſe cognoſci. Conſequentia eſt bona. Antecedens lumine naturæ notum.

Secundum argumentũ ex viſione Dei poſſibili.
Scotus.
P. Vaſquez.
P. Arrubal.

14. Negandum eſt antecedens. Quod negant Dyoniſius Carthuſ. in 4. d. 49. q. 4. §. *Itaque quod primo.* Occam. q. 13. art. 2. Baſol. q. 5. art. 5. §. *Sed quantum.* & §. *Rationes igitur.* Gabr. q. 1. art. 3. dub. 2. ad 2. Medina 1. 2. q. 5. art. 1. §. *Sed quia.* Banes 1. p. q. 12. art. 2. dub. 1. & ad vlt. & dub. 2. ad 1. Zumel ibidem quæſt. ſua 1. ad vlt. Albelda ſupra con. 1. Lorca 1. 2. d. 28. AEgidius de preſent. 10. 2. de Beat. lib. 12. q. 2. art. 1. §. 2. Ex noſtris P. Mol. 1. p. q. 12. art. 1. d. 1. §. *Prima ratio.* P. Fonſeca 4. met. c. 1. q. 1. ſect. 5. ad finem. Suar. tom. 2. met. diſp. 30. ſect. 11. n. 50. P. Faſolus 1. p. q. 12. art. 1. nu. 18. P. Salas 1. 2. q. 3. tract. 2. d. 2. n. 73. P. Erice 1. p. d. 39. c. 2. P. Iannerus 1. 2. d. 1. q. 5. num. & P. Granadus.

Diluitur. Carthuſianus. Occam. Baſolis. Gabriel. Medina. Banes. Zumel. Albelda. AEgidius. P. Molina. P. Fonſeca. P. Suarez. P. Faſolus. P. Salas. P. Herice. P. Iannerus. P. Granadus.

15. Itaque probatio Scoti nulla eſt. Quia Deus ſolum continetur intra obiectum adæquatum cognitionis abſtractiuæ intellectus; non verò intra obiectum adæquatum cognitionis intuitiuæ. Vt autem abſolute contineatur intra obiectum adæquatum intellectus, ſufficit aliqua ipſius cognitione licet abſtractiua attingi. Neque inde euidens fit, poſſe cognitionem intuitiuam terminare; nam abſtractiua imperfecta eſt, & viribus naturæ continetur: intuitiua verò perfectiſſima, & viribus præſtantiſſimis, multarum opinionum contentioni ſubiectis indigens. Vt inde non fit euidens, poſſe terminare cognitionem comprehenſiuam, quamuis obiectorum creatorum notitia plenè non ſatiet appetitum illa ſciendi, niſi adæquata, & comprehenſiua ſit, totã obiecti cognoſcibilitatem exhauriens. Vt igitur comprehenſiua Dei lumini naturali abſcõditur, ratione infinitæ perfectionis diuinæ eſſentiæ, & virtutis limitatæ noſtræ potentiæ: ita cognitio intuitiua poteſt abſcondi, & mille ex capitibus, atque nebulis rationis naturalis obſcurari. Similiter non benè colligitur, poſſe phãtaſiam diuinitus

Scoti probatio reijcitur.

Digitized by Google

iudicare de obiectis quæ ſimplici apprehenſione cognoſcit, quia hic modus cognoſcendi eſt extra ſpheram talis potentiæ. Ergo pariter euidens collectio non eſt, poſſe Deum intuitiuè cognoſci ab intellectu creato, quod abſtractiuè percipiatur, quia non temerè poterat dubitari, an tantæ perfectionis modum ferre poſſet limitata intellectus creati natura. Item confirmatio nihil concludit. Tum quia plures perfectiones reperiuntur in viuentibus ignobilioribus, quæ nobilioribus non competunt: vt acies in videndo, acumen in olfaciendo, velocitas in progrediendo, & aliæ ſimiles, quæ brutis plerique præſtantiores competunt, quam hominibus. Tum quia intellectus poteſt euidenter intuitionem conteudere in omnia obiecta, in quæ poſſunt facultates cognoſcentes inferiores. Non poſſe autem in omnia, quæ ipſe abſtractiuè aſſequitur, prouenit ex ſuperiori intellectus virtute, quæ obiectum omnium excellentiſſimum, & infinitum, longiſſimè ſuperans obiecta omnia reliquarum potentiarum, poteſt ſuis curſibus inueſtigare, & eâ cognitione abſtractiuâ, quæ omnes intuitiuas aliarum potentiarum altiſſimè vincat. Igitur quin detrahatur perfectioni euidenti intellectus, poteſt non eſſe euidens cognitio intuitiua Dei.

Item probatio P. Vaſquez.

16. Probatio P. Vaſquez ſolum conuincit euidentiam moralem; non verò Phyſicam. Nam vt omnibus hominibus inſit deſiderium elicitum aſſequendi ſummum bonum, ſufficit perſuaſio probabilis poſſibilitatis illius. Etenim probabilis cognitio finis poſſibilis excitat prudenter deſiderium, & intentionem adipiſcendi illud. Quid? Quod eo argumento probatur poſſe viſionem naturaliter haberi, quia ab ipſa natura in illam aſſequendam impetimur. Aut ſaltem poſſe haberi diuinitus comprehenſionem. Quia comprehenſio diuitiarum, & pelagorum Dei etiam cadit ſub naturale hominum deſiderium. Quis enim non accenditur deſiderio ſciendi quanta ſit latitudo, longitudo, & profunditas ſcientiæ, omnipotentiæ, æternitatis, & aliorum attributorum Dei? Si autem reſpondeas, hoc deſiderium eſſe tantum conditionatum, & ſimplex, ſub conditione quod talis comprehenſio eſſet poſſibilis. Idem tibi eſto reſponſum ad naturale deſiderium viſionis.

Probatio P. Arrubal.

17. Probationi P. Arrubal negatur conſequentia. Quoniam ad immediatam cognitionem Dei plura requiruntur, quam ad amorem immediatum quæ viſionis poſſibilitatem difficilem, & dubiam, ne dum euidentem efficiant. Nam ad viſionem opus eſt concurſus immediatus naturæ per modum obiecti, qui non eſt opus ad amorem; ad viſionem beantem neceſſaria eſt aliqua creaturarum expreſſio, quæ ad amorem neceſſaria non eſt; ad viſionem opus eſt connexio cum ſuo obiecto reipſa exiſtenti; ad amorem ſufficit cum obiecto tantum apprehenſo, & alia ſimilia, quæ tot difficultatibus implicantur à Theologis, vt omnem planè tollant euidentiam naturalem poſſibilitatis viſionis. Quin amor Dei immediatè, & propter ſe habetur viribus naturæ; viſio vero ſolis viribus ſupernaturalibus. Etenim ſi P. Arrubal non admittat amorem, quo Deum diligimus viribus naturæ, eſſe immediatum, & propter ſe, quia amorem immediatum intelligit, qui in Deum immediate propoſitum per viſionem fertur, tunc eius argumento negandum eſt antecedens: ſcilicet euidens eſſe lumine naturæ, poſſibilem amorem immediatum Dei; imo argumentum peccabit, probans concluſionem ipſâ concluſione, nimirum poſſibilem eſſe viſionem ex poſſibilitate viſionis, quæ per te in amore immediato continetur.

SECTIO QVARTA.

Explicantur alia duo argumenta.

Tertium argumentũ ex virtute cognoſcitiua Angeli & potentia obedientiali naturæ.

18. Tertio obijcitur. Angelus comprehendens naturam penetrat virtutem obedientialem naturæ. Nam virtus obedientialis naturæ ab entitate naturæ indiſtincta eſt, & ad eius cognoſcibilitatem ſpectat. At penetrans virtutem obedientialem naturæ cognoſcit in illa effectus ſupernaturales poſſibiles. Ergo in medio naturali, effectus ſupernaturales cognoſcibiles ſunt. Probatur minor, quæ indiget probatione. Effectus ſupernaturales correſpondentes virtuti obedientiali, æquè cognoſcibiles ſunt in virtute obedientiali, ac effectus naturales in virtute naturali. Quippe virtus obedientialis æquè eſt connexa cum ſupernaturalibus, ac naturalis cum naturalibus. Ergo vt naturales cognoſcuntur ab Angelo comprehendente naturam, ita & ſupernaturales.

Prima reſponſio.

19. In primis negatur maior. Quia virtus obedientialis abſolutè productiua effectuum ſupernaturalium non eſt adæquatè idemtificata naturæ; ſed partim naturæ, & partim eleuationi extrinſecæ Dei, quæ non pertinet ad comprehenſionem naturalem creaturæ. Deinde negatur minor: quia virtus obedientialis non eſt facultas connexa cum poſſibilitate abſoluta effectuum ſupernaturalium, vt eſt virtus naturalis: ſed ſolum eſt potentia ad effectus ſupernaturales ſub conditione, quod effectus non repugnent, & velit Deus gratioſe naturam eleuare ad agẽdum illos. Vt autem eſſet medium, in quo prænoſcerentur effectus ſupernaturales abſolutè poſſibiles, opus erat connecti tranſcendentaliter cum abſoluta poſſibilitate illorum. Hæc duo explicantur à nobis diſput. 32. Addo; eſto, virtus obedientialis eſſet adæquatè idemtificata naturæ, & connexa tranſcendentaliter cum effectibus ſupernaturalibus, & verè hi effectus eſſent cognoſcibiles in illa; non eſſent quidem cognoſcibiles per cognitionem naturalem, ſed ſupernaturalem; neque talis potentia vt relata ad effectus ſupernaturales pertineret ad comprehenſionem naturalem, ſed ſupernaturalem. Quia inter comprehenſiones eiuſdem rei datur maior, & minor perfectio: & poteſt res ſufficienter comprehendi, quin omnia in illa cognoſcibilia per cognitio-

Secunda.

nem diſtinguantur. Vt in hac ſuppoſitione ab omnibus eſſet admittendum iuxta communem Theologorum ſententiam, quæ virtutem obedientialem tribuit vnicuique rei, ad producendum rem quamcumque. Nam ad comprehenſionem ſufficientē formicæ, non eſſet opus cognoſcere in illa omnes creaturas poſſibiles, quamuis ad omnes efficiendas poſſet in hac ſententia eleuari. Quid autem ad comprehenſionem requiratur, alterius ſubſellij eſt.

Quartum à ſimili. 20. Quartò obijcitur. Deus tametſi excellentiſſimus, cognoſcitur euidentiâ abſtractiua ex principijs naturæ. Ergo etiam dona ſupernaturalia, tametſi excellentia, poſſunt

Diſſoluitur ſubeſſe principijs euidentibus naturæ? Negatur conſequentia. Quia excellentia propria Dei poſtulat, vt ex effectibus naturalibus euidenter arguatur; excellentia vero propria entis ſupernaturalis creati, vt non arguatur euidenter ex effectibus naturalibus. Nam propriæ Dei excellentiæ eſt, vt omnes effectus tam naturales, quam ſupernaturales, determinata ac neceſſaria connexione dependeant à Deo; atque adeò vt eorum omnium exiſtentia argumentum ſit euidens exiſtentiæ Dei, ſine quo fieri, & conſeruari non poſſunt. At vero excellentiæ propriæ entis ſupernaturalis creati eſt, vt determinata, ac neceſſaria connexione pendeant ab illa ſoli effectus ſupernaturales; nam effectus pendentes determinatè, ac neceſſario à cauſa creata intrinſecè ſupernaturali, non poſſunt eſſe naturales, ſed ſupernaturales; quãdoquidem ſunt ſupra omnem virtutem, & exigentiam naturæ creabilis, & creatæ. Exiſtentia autem cauſæ ſupernaturalis non poteſt euidenter colligi ex effectibus naturalibus; niſi effectus naturales determinatè, ac neceſſaria connexione pendeant ab illa, medium enim cognitionis euidentis determinatè, ac neceſſario connexum eſt cum eo, quod in ipſo, aut ex ipſo euidenter innoteſcit. Quod ergo Deus euidenter colligatur ex effectibus naturæ argumentum non eſt, vt ex eiſdem effectibus colligantur euidenter dona ſupernaturalia. Explicatur; excellentior eſt Deus, quam vnio hypoſtatica, & Deus vt vnus altiores perfectiones continet, quam vt trinus. Nihilominus effectus naturales teſtantur euidenter excellentiam Dei, & non vnionis hypoſtaticæ, vnitatem diuinam, & non trinitatem: quia effectus naturales pendent determinatè, ac neceſſario à Deo vt vno, & non vt trino; à Deo etiam ſeiuncto, & non vt vnito hypoſtaticè cum natura creata. Igitur non obſtante ſuperiori dignitate Dei poſſunt dona ſupernaturalia creata, ratione peculiaris excellentiæ ipſorum, non connecti euidentiæ naturæ, cui Dei exiſtentia neceſſario connectitur.

SECTIO QVINTA.

Diluitur efficax argumentum, probans poſſe lumine naturali innoteſcere ſupernaturalia, ſuppoſitis principijs ſupernaturalibus.

21. Arguitur primo ex hoc capite. Nulla eſt negatio rei naturalis, quæ non poſſit euidenter cognoſci cognitione naturali. At plures negationes rerum naturalium ſuppoſitâ miraculoſa exiſtentia ſubiecti naturalis, quod cadit ſub intuitum naturæ, habent connexionem neceſſariam cum donis intrinſecè ſupernaturalibus, teſtantem euidenter exiſtentiam talium donorum. Ergo per cognitionem naturalem poteſt colligi notitia euidens donorum ſupernaturalium. Conſequutio eſt optima. Minor probatu facillima. Negatio ſubſiſtentiæ naturalis in humanitate Chriſti, ſuppoſita exiſtentia humanitatis, quam Angelus intuetur, habet connexionem neceſſariam cum ſubſiſtentia diuina: ſimiliter negatio vbicationis circumſcriptiuæ corporis Chriſti in Euchariſtia cum vbi ſupernaturali eiuſdem: negatio inhæſionis quantitatis cum modo ſupernaturali creationis; quia neque humanitas Chriſti poteſt exiſtere abſque ſubſiſtentia naturali, aut ſupernaturali. Neque corpus Chriſti abſque vbi circumſcriptiuo, aut definitiuo; neque quantitas abſque inhæſione, aut creatione. Ergo Angelus videns humanitatem, corpus, & quantitatem ſine ſubſiſtentia, locatione, & inhæſione naturalibus, colligit euidenter eis ineſſe ſubſiſtentiam, locationem, & creationem ſupernaturales. Et vero Angelum cernere euidenter negationes affectionum naturalium, quæ erat maior propoſitio argumenti, probare promptum eſt. Nam rei naturalis negatio non eſt altioris ordinis, neque magis ſupernaturalis, quam res ipſa, quam negat. Ergo neque magis excedit notionem euidentem naturæ, quàm ipſa. Neque obeſſe videtur, quod P. Vaſquez & alij ſentiunt, negationes naturales in ſe ipſis quidem immediatè cognoſci ab Angelo, cum ſequuntur cauſam aliquam, ſeu exiſtentiam naturalem; cum tamen ſequuntur cauſam, ſeu exiſtentiam ſupernaturalem, cognoſci non poſſe. Nam rei naturalis negatio, ſiue ſequatur, ſiue antecedat cauſam ſupernaturalem, ſemper remanet eadem, atque adeò eadem ſemper cognoſcibilitate immediata viſibilis. Sicut res naturalis ſemper manet eadem, eademque ratione cognoſcibilis, modò virtute naturali, modò virtute ſupernaturali exiſtat. Ergo negatio rei naturalis in ſeipſa immediatè cognoſcibilis, immediatè cernitur ab Angelo, etiam inducta per cauſam ſupernaturalem.

Prima obiectio ex notione negationis formæ naturalis.

P. Vaſquez.

22. Fateor equidem argumenti vim. Tamen duplicem illi ſolutionem inuenio. Alteram, negando minori, connexionem negationum naturalium cum modis ſupernaturalibus, qui in ſubiecto exiſtenti naturales ſubſtituant. Nam

Prima ſolutio.

Digitized by Google

iuxta noſtra principia Phyloſophica quæ in Met. fusè exponemus, poteſt eſſe humanitas Chriſti diuinitus abſque ſubſiſtentia naturali, & ſupernaturali; item corpus Chriſti abſque vbi definitiuo, & circumſcriptiuo, imò & abſque vllo vbi; quantitas abſque inhærentia, & modo creationis diſtincto à ſola diuina voluntate immediatè dependens. Ergo negatio ſubſiſtentiæ vbicationis, & inhærentiæ naturalis euidenter cognitæ medium non eſt deprehendendi euidenter aliquid ſupernaturale creatum, quod in earum defectum ſufficiatur. Quid? quòd defectus ſubſiſtentiæ humanæ poteſt diuinitus ſuppleri per ſubſiſtentiam naturalem Angelicam, quæ mea opinione poteſt eſſe res,&non modus: corpus Chriſti locari ſub accidentibus panis per vbi quoad ſubſtantiam naturale; & quantitas creari per actionem diuinitus indifferentē inhæſioni & ſeparationi à ſubiecto? Quæ in met probationem habent,& Deo volente dabimus breui. Ergo quod ſubiectum naturale videatur priuatum affectionibus naturalibus non arguit euidenter illud eſſe affectum alijs ſupernaturalibus; cum abſque ſupernaturalibus intrinſecè per alias naturales extrinſecè, exigentiæ ſubiecti poſſit ſubueniri.

23. Dices: cum ſubiecto reipſa neque extraneæ iſtæ affectiones naturales connaturalium munere de facto ſubſtitutæ ſint, ignoteſcent Angelo immediatè defectus earum, vt defectus connaturalium innoteſcunt. Inſuper cum præter affectiones naturales tam connaturales, quam extraneas, ſolæ ſupernaturales ſuperſint, deprehendet manifeſte, de facto ſupernaturales ineſſe? Sed nego, Angelo ex natura rei deberi notitiam immediatam negationum accidentium omnium naturalium, quæ diuinitus ſubiectum naturale perficere poſſunt. Nam hæ negationes immediatè, & quidditatiuè videri non poſſunt, quin ipſa accidentia poſſibilia, quæ negant, dignoſcantur. Hæc autem cum ad infinities infinitas ſpecies pertineant, cenſeo, naturaliter ab Angelo nequè talium negationes diſcerni. Cognoſcit quidem Angelus nullam ſibi extraneam affectionem obijci; verum hoc argumentum non eſſe omni euidentia colligendi ipſarum deffectum, explicabimus num. 27. & 28.

Secunda ſolutio.

24. Altera ſolutio ſit. Demus negationes rerum naturalium, quas Angelus immediatè cernit, eſſe neceſſariò connexas cum modis ſupernaturalibus, quibus reipſa ſubiectum afficitur. Reſpondeo nihilominus, Angelum non deprehendere exiſtentiam modorum ſupernaturalium. Quia non dignoſcitur ab Angelo connexio neceſſaria earum negationum, cum ſupernaturalibus modis. Ratio eſt: quia ea connexio non eſt adæquatè intrinſeca negationibus, ſed partim intrinſeca, & partim extrinſeca, illis coaleſcens ex negationibus ipſis, & reali poſſibilitate eorum modorum, quin negationes ſubiecti intrinſecè depoſcant poſſibilitatem eorum, ſed modis repugnantibus negationes ſecundum ſe eædem permanerent. Ideò itaque deficienti ſubſiſtentia naturali poteſt humanitas exiſtere, & neceſſarium eſt, vt ſubſiſtat per ſubſiſtentiam ſupernaturalem; quia poſſibilis eſt vnio ſupernaturalis ad illam. Quia ergo Angelus non noſcit immediatè poſſibilitatem iſtius vnionis ſupernaturalis, propterea neque connexionem negationis naturalis cum exiſtentia talis vnionis immediatè nouit: neque ex tali connexione immediatè cognita, abſtractiuam, atque mediatam notitiam exiſtentiæ vnionis deducit. Siſtit igitur naturalis cognitio Angeli in ipſa negatione immediatè cognita, quin euidenti deductione, illius cauſam ſupernaturalem conijciat. Quia ipſa negatio immediatè cognita, tametſi neceſſariam, ſibi tamen intrinſecam, & eſſentialem connexionem cum cauſa intrinſecè ſupernaturali non habet. Vndè vt hominibus contingit, qui intuentes effectum, cauſam ignorant, Angelus in admirationem, & ambiguitatem cauſæ, quam non aſſequitur rapitur. Atque ita tandem diſtinguenda eſt hæc minor argumenti. Sunt negationes naturales quæ habeant connexionem neceſſariam cum donis ſupernaturalibus, *negationibus intrinſecam, & ab Angelo cognoſcibilem*, nego. *Negationibus extrinſecam, & non cognoſcibilem ab Angelo*, concedo.

25. At, quid dicendum ad maiorem propoſitionem argumenti? ſuntne rerum naturalium negationes immediatè notæ mentibus Angelicis? Reſpondeo. Non eſt huius loci examinare, an negationes in ſe ipſis immediatè, per propriam ſpeciem cognoſcibiles ſint? An per ſpeciem alienam cauſæ poſitiuæ, quæ illas inducit? Cenſeo equidem contra P. Vaſquez & alios, non poſſe negationem in ſeipſa immediatè cognoſci, abſq; ſpecie aliena alicuius rei poſitiuæ. Item contra P. Suarez, P. Arrubal, & alios, rem iſtam, cuius ſpecie cognoſcenda eſt, non eſſe cauſam, ex qua inducitur, ſed formam poſitiuam, quam negat. Cuius rei argumenta varia in Met. tract. de Angelis proponemus.

An negationes formarum naturalium immediatè innoteſcāt Angelo?

P. Vaſquez.

P. Suarez.
P. Arrubal.

26. Nihilominus in rem præſentem aſſero. Si negationes naturales in ſeipſis immediatè cognoſcibiles ſint, non latebunt cognitionem Angelicam, quamquam cauſam ſupernaturalem ſequantur. Quod num. 21. argumentum efficaciter probat. Atque ita argumento concedenda eſt maior. Si verò in ſeipſis immediatè cognoſci nequeunt abſque ſpecie propria cauſæ, quæ negationes in ſubiectum inducit, neganda maior eſt. Quia in hac opinione planè non poſſunt euidenter explorari negationes formarum naturalium, quæ ex introductione ſupernaturalium ſubiectum deſtituunt. Nam formæ ſupernaturales, quæ naturalium emanationem præpediunt, immediatè manifeſtæ non ſunt, vt medio eſſe poſſint ad euidentiam negationum.

27. At obijcies. Angelus euidenter cernit, non videri à ſe formam naturalem, v. g. ſubſiſtentiam, quam videret palam, ſi re vera exiſteret. Ergo exploratum habebit, formam naturalem abeſſe. Quemadmodum nobis exploratiſſimum eſt, media nocte lucem non eſſe, ſolùm quia apertis oculis lucem non cernimus?

Digitized by Google

Sed contra, quia poteſt Angelus ambigere; an ex impedimento aliquo ſupernaturali, quod ipſe non aſſequitur talis obſcuritas proueniat: ſcilicet, vel quia à Deo ſibi detrahitur concurſus ad viſionem, vel quia forma aliqua ſupernaturali (cuius ſpecies ad cognitionem neceſſaria ſupra ſphæram ſuæ perfectionis eleuatur) naturalis forma præuenta eſt? Ergo quod Angelus non cernat formam naturalem, exploratum non erit, re vera abeſſe; cum defectus viſionis eo euentu ſanè mirabili, in aliam cauſam, quam in abſentiam formæ poſſit referri.

28. Sed vrgebis Ergo hac ratione non erit euidens, media nocte lucem abeſſe, imo ſemper erit ambigua negatio cuiuſque rei: cum ea ſemper deprehendenda ſit ex eo quòd res poſitiua, quam negat, abſcondatur. Negatur conſequentia. Tum quia plures negationes ſequntur neceſſario exiſtẽtiam cauſarum naturalium, quæ plerumque nobis euidenter cõſtant. Tum quia non ſemper licet ambigere, an defectus viſionis ex abſentia obiecti proueniat? Sed cum circunſtantiæ adſunt, quæ defectum viſionis mirabilem, ambiguitatemque probabilem efficiunt: quippe cum hæc duo iunguntur ſimul, ſcilicet, & à potentia ex ſe expedita non videri obiectum, & fundamenta adeſſe, quæ ſaltem probabiliter teſtentur exiſtentiam obiecti. Tunc enim argumenta, quæ obiecti exiſtentiam teſtantur, ambiguum efficiunt. An viſionis defectus in aliam cauſam, quæ non ſit abſentia obiecti, referendus ſit? v. g. Videt Angelus exiſtentia accidentia panis, quæ naturaliter teſtantur exiſtentiam ſubſtantiæ panis, & nihilominus exiſtentiam panis non cernit, nec aliquid oppugnans illam: item videt humanitatem exiſtentem, quæ ſuapte natura ſubſiſtentiam naturalem importat, & nihilominus talem ſubſiſtentiam non dignoſcit, nec quidquam ſubſiſtentiæ naturali oppoſitum. Iure quidem ambigere poteſt Angelus, an ea obſcuritas ſibi ex abſentia obiecti, an ex defectu concurſus Dei, an ex aliqua cauſa ſupernaturali, quam ipſe non aſſequitur, proueniat? Licet enim is viſionis defectus poſſit prouenire ex defectu obiecti: tamen in eo euentu, in quo aliarum rerum natura tot fert argumenta exiſtentiæ illius, tenetur cohibere iudicium abſentiæ, hæſitareque, an ea obſcuritas ex alio capite contingat? Quin ex duobus miraculis, in quæ is euentus referri poteſt, nempe vel contra leges naturæ obiectum abeſſe, vel obiecti viſionem à Deo ſupernaturaliter impediri, tenetur credere, quod minus eſt. Minus autem eſt viſionem impediri, quàm obiectum abeſſe. Similiter igitur, ſi circumſtantiæ aliquæ fundarent exiſtentiam connaturalem lucis, vt quod ſol noſtro emiſpherio adeſſet, tunc autem apertis oculis non cerneremus lucem, merito quidem verendum eſſet, an abſentia lucis, an præſenti luce defectus concurſus Dei notitiam lucis detraheret. Quia verò hæc argumenta naturaliter indicantia exiſtentiam lucis, noctis ſpatio deſunt, ideò tunc non licet ambigere, an mentis meæ obſcuritas ex abſentia lucis oriatur?

SECTIO SEXTA.

Aliud validum argumentum expeditur.

29. PRo eadem tertia ſententia ſecundum, & non contemnendum argumentum eſt. Dæmon euidenter nouerat miracula Chriſti fieri virtute diuina, cum ſatis compertas haberet omnium agentium naturalium vires, ad eaque opera efficienda cerneret inſufficientes. Inſuper nouerat euidenter illa peragi in teſtimonium diuinitatis Chriſti. Etenim audiebat ipſum Chriſtum Matth. 9. dicentem. *Vt autem ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, Adoleſcens tibi dico ſurge.* Et Ioan. 11. *Vt credant quia tu me miſiſti, &c.* Quod ſæpe in ſua prædicatione repetebat. Quodque potiſſimum eſt, audiuit perſpicue dæmon teſtimonium ipſius Dei voce de cælo clamantis, *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipſum audite.* Quod teſtimonium euidẽter ſibi conſtabat, non fuiſſe prolatum opere alicuius hominis, aut alterius dæmonis, atque adeò expreſſum fuiſſe opere ipſius Dei, aut alicuius Angeli iam beati miniſtrantis Deo, qui decipere non poſſunt. Ergo euidenter nouerat dæmon diuinitatem Chriſti, & vnionem hypoſtaticam humanitatis cum Deo. Nam euidentiſſimum eſt Deum non poſſe teſtari falſum. At notiſſimum erat dæmoni, Deum tum miraculis, tum verbis teſtari diuinitatem Chriſti. Ergo Chriſti diuinitas dæmoni erat notiſſima. Non per ſcientiam ſupernaturalem. Tum quia dæmoni talis ſcientia prodige tribuitur. Tum quia collectio facta, lumine & ingenio naturali fieri poteſt. Ergo per ſcientiam naturalem explorata erat. Atque adeò naturale lumen poteſt ſupernaturalia quoad ſubſtantiam euidenti deductione conijcere. Secundum argumentũ ex vnione hypoſtatica dæmoni manifeſta.

30. Nihilominus nego, dæmonem viſis miraculis Chriſti euidentiam habuiſſe pluſquam moralem diuinitatis Chriſti: quidquid nobiles, & eruditi Theologi oppoſitum contendant. Ita expreſſe D. Thom. 3. p. q. 44. art. 1. ad 2. ibi. *Dæmon viſis miraculis ex quadam ſuſpicatione coniecturauit, eum eſſe filium Dei.* Vbi ſibi adiungit Chryſoſtomum aſſerentem, *Dæmonem non certam, neque firmam Incarnationis Dei habuiſſe notitiam:* & Ambroſium, *Veniſſe filium Dei ex infirmitate corporis non putaſſe.* Idem habet Hieronymus Matth. 8. *Dæmones ſuſpicari magis filium Dei, quam noſſe intelligendi ſunt.* Beda lib. 2. in Lucam cap. 14. *Per ſignorum potentiam dæmon vel intellexit, vel potius ſuſpicatus eſt eſſe filium Dei.* Quare idem S. Thomas q. 16. de malo. art. 6. ad 3. promit. *Dæmon in ijs, quæ Deus ſupernaturaliter facit, interdum deficit falſum opinando.* Et q. 58. art. 5. docet, *poſſe dæmonem decipi iudicando ex naturalibus ſupernaturalia, vt ſi videndo Chriſtum eſſe hominem, iudicet eſſe Deum.* Negatur vnionem hypoſtaticam dæmoni manifeſtam. S. Thomas. Chryſoſtomus. Hieronimus. Beda. S. Thomas.

31. Nec fidem facit teſtimonium ipſius dæmonis aſſerentis Luc. 4. *Quid nobis, & tibi Ieſu Nazarene? Veniſti perdere nos? ſcio te qui ſis ſanctus Dei.* Ipſiuſque Lucæ mox adiungentis, Lucæ 4.

Non ſinebat ea loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chri-
S. Thomas. *ſtum.* Quoniam vt ait S. Thomas 3. p. q. 44. art. 1. ad 2. cum Chryſoſtomo & Beda relatis ab ipſo. *Quod dicitur Lucæ 4. Quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum, & filium Dei, magis erat ex quadam ſuſpicione, quam ex certitudine.* Vnde arguebam num. 5. ſupernaturalia quoad ſubſtantiam eleuari ſupra omnia argumenta euidentia naturæ, etiam ſuppoſitis operibus ſupernaturalibus ac fidei. Quia ſi ea principia poſſent rationem naturalem ducere in euidentiam alicuius doni ſupernaturalis, ſane poſſent in euidentiam vnionis hypoſtaticæ Chriſti, quam tot, ac tanta opera miraculoſa, fideique noſtræ principia præ alijs donis ſupernaturalibus illuſtrant. Nihilominus omnia illa ex teſtimonio Patrum ſolam moralem, & coniecturalem euidentiam conferunt. Ergo ſupernaturalia verè ſuperant omnem euidentiam naturæ, etiam ex medio operum ſupernaturalium, ac fidei comparatam.

32. Scio à pleriſque ſentiri, Dæmonem virtute diuina impeditum fuiſſe, ne ferret iudicium euidens de diuinitate Chriſti, quod principia naturæ lumine nota cogebant, ideoque eius mentem in coniectationes vagaſſe. Verum
P. Suarez. rectè oſtendit P. Suar. to. 2. in 3. p. d. 31. ſect. 3. cum pluribus Patribus, ac Theologis, nullo fundamento id promi. Etenim vt aliquod miraculum, aut vis ſupra rerum exigentiam illata prædicetur, opus eſt egregium aliquod ſacræ paginæ teſtimonium, aut euidens aliud argumentum. Hoc autem non adducitur ad ſuadendum Deum miraculoſâ prouidentiâ, Dæmonis iudicio tenebras iſtas offudiſſe. Ergo tale miraculum nullo fundamẽto prædicatur. Quare cum Eccleſiæ Patres teſtentur, ſolis coniecturis innotuiſſe Dæmoni diuinitatem Chriſti, ſola ſcientia coniecturalis, non autem euidens, naturali eius ingenio tribuenda eſt. Vnde omnia teſtimonia Patrum, quæ congerit P. Suarez ſup. ſignificantium Dæmonem nouiſſe diuinitatem filij Dei; explicanda ſunt de notitia coniectante, aut ſolum moraliter euidenti, quæ ſecundum ſe falſitati ſubiecta eſt.

Prima reſponſio. 33. Iam ad probationem argumenti reſpondeo. Non fuit manifeſtum Dæmoni miraculis Chriſti, Deum eius diuinitatem teſtari. Quod erat principium vnicè neceſſarium ad deprehendendam euidenter vnionem hypoſtaticam. Nam licet compertum eſſet Dæmoni ea opera excedere virtutem agentium naturalium exiſtentium; tamen ambigere poterat, an excederent virtutem propriam alterius ſuperioris creaturæ, quæ ſibi ignota eſſet, vel quia lumine naturę non eſt euidens, Angelum nunc exiſtentem poſſe noſcere euidẽter omnes creaturas poſſibiles ſine fine, ſuperiores ipſo: vel quia ſtando rationi, non eſt omnino exploratum, repugnare agens aliquod ſubſtantiale ſupernaturale, cui virtus agendi ea opera connaturalis ſit. Etenim cum plura opera ſint miraculoſa comparatione vnius agentis, quæ non ſunt miraculoſa comparatione alterius; Angelus quidem iudicans ex terminis ipſis difficillimum eſſe perſuaſu diuinitatem coniungi cum abiecta conditione hominis patientis, & mortalis, hæſitare merito poterat, an ea opera quoad modum ſupernaturalia, quæ in teſtimonium illius hominis fiebant, miraculoſa quidem virtuti humanæ, & Angelicæ nunc exiſtenti, fieri forſan potuiſſent, & fierent ex pacto, & virtute alterius ſuperioris creaturæ capacis fallendi, quæ ſibi eſſet ignota? Inſuper eſto, nouiſſet eui- Secunda.
denter fieri virtute diuina, ignotum ſibi erat, an fierent ab humanitate Chriſti, eleuata immediate per omnipotentiam Dei; an eleuata per qualitatem inhærentem, quæ ſubiecta eſſet: quamquam ſupernaturalis, malitiæ humanæ voluntatis, abutentis illa in hominum deceptionem: vt virtus conſecrandi & abſoluendi, prauis hominum intentionibus ſubiecta eſt, qui communi Theologorum conſenſu, poſſunt in prauos fines conſecrationem, & abſolutionem ſupernaturalem imperare. Vereri igitur eadem ratione poterat Dæmon, ne illa miracula agerentur virtute quidem ſupernaturali infuſa à Deo, ſed imperata ab homine in teſtimonium diuinitatis falſæ. Neque enim ſic virtus ſupernaturalis concurreret ad mendacium. Nam malitia mendacij conſtituta non eſt in opere illo externo miraculoſo ſecundum ſe indifferenti, in quod ſolum illa virtus influxum confert, ſed in opere interno voluntatis, quod actione talis virtutis non attingitur. Quid? Quod adhuc ſtando rationi, euidentia comperta non eſt, quare repugnat habitus, ſeu virtus ſupernaturalis, quæ ab vſu noſtræ voluntatis in actionem prauam immediatè concurrat, ſicut ipſe Deus immediate concurrit? A qua doctrina non abſonat Bannez 2. 2. q. 5. art. 4. Bannez.
ad 1.

34. Ad hæc. Quamuis illa opera fieri non Tertia.
poſſent, niſi in teſtimonium veritatis; euidens tamen Dæmoni non erat, facta fuiſſe in teſtimonium filiationis naturalis, & diuinitatis vere, ac hypoſtatice vnitæ humanitati Chriſti. Nam ambigere poterat, num ſolum filiationem adoptiuam, & eximiam aliquam ſanctitatem, num vnionem tantum extrinſecam per aſſiſtentiam ſpecialem, aut aſſumptionem externam, commixtionemue diuinitatis (qualem plures hæretici commenti ſunt in Chriſto, & diabolus ratione naturali diſtinguere euidenter non poterat,) propter quæ Chriſtus Dei filius, & à Patre miſſus dici poterat, omnia illa ſigna, & oracula teſtarentur? Sub qua ambiguitate vnio vera, & hypoſtatica humanitatis Chriſti cum diuinitate verbi, neutiquam aperto lumine cernebatur.

SECTIO SEPTIMA.

Alia tria argumenta ſoluuntur.

35. Tertio poteſt eadem doctrina confirmari. Angelus initio ſuæ creationis experiebatur ſe credere, & amare Deum. At ſcitiſſimum erat Angelo non credere, & amare Deum per actus naturales. Ergo ſcitum ſibi erat credere, & amare per actus ſupernaturales. Tertia obiectio ab experimento Angelico.

Probatur

Digitized by Google

Probatur minor; quia poterat Angelus reflectere ſupra eos actus. At comperiens eos à ſe immediate non diſcerni, euidenter conijceret non eſſe naturales. Nam ſi naturales eſſent, citra omnem ambiguitatem ſibi immediate innoteſcerent. Ergo ſcire poterat eſſe ſupernaturales.

Confirmatio.

Confirmatur; Euidentiſſimum eſt Dæmoni, donatum fuiſſe à Deo gratiâ ſanctificante, ac donis ſupernaturalibus, quibus poſſet, ſi vellet, ad æternam fœlicitatem peruenire, cum detruſus ad inferos luat æternum pœnas opportunitatis amiſſæ. Quas certe non eleuat, ſed aggrauat intenſè priſtinæ fœlicitatis memoria. At Dæmon nulla instructus eſt ſcientia ſupernaturali. Ergo meminit eorum per cognitionem naturalem. Ac ſubinde ſupernaturalium euidentia poteſt eſſe naturalis.

Prima ſolutio.

36. Primum negari poteſt actus ſupernaturales charitatis, ac fidei feciſſe experientiam notioni naturali Angelorum.

Secunda.

Deinde ſi credendi, & diligendi Deum experientia naturalis concedatur, dici poteſt, eam factam fuiſſe actibus naturalibus, quos circa idem obiectum ſimul cum ſupernaturalibus elicuerunt; quos ſolos reflexe intuens ſatisfaceret Angelus experimento naturali.

Tertia.

Demum eſto, experientia contingeret ſolis actibus ſupernaturalibus, non deduceret reflexione naturali notionem euidentem illorum. Nam ſua reflectione diſcernere non valens quidditatem eorum, ſuſpiceret prudenter, an ea experientia credendi, ac diligendi Deum ex actibus ſupernaturalibus ſuperantibus ſuam diſcretionem naturalem? an ex naturalibus velatis ſibi ex prouidentia ſpeciali à Deo? an ex aliqua deceptione, quæ circa ſupernaturalia ſibi poſſibilis eſt, forſan contingeret? vt dicebamus n. 27. & 28.

Explicatur confirmatio.

37. Ad confirmationem. Vel non habet Dæmon euidentiam pluſquam moralem priſtinæ gratiæ ſanctificantis, vel illam habet ſupernaturalem, conceſſam à Deo in maiorem ipſius cruciatum: vt cōceditur dānatis hominibus character ſupernaturalis Sacerdotij; ac baptiſmi in maiorem ignominiam ipſorum, teſte

S. Thomas.

D. Tho. 3. p. q. 63. art. 5. ad 3. cum omnibus interpretibus. Nec mirandum; cum Durandus in 2. diſt. 3. q. 7. nu. 20. & diſt. 7. q. 3. aſſerat cum Yſidoro, Dæmones per reuelationem ſupernaturalem Dei aſſequi plures effectus ſupernaturales.

Durandus. Alenſis. P. Salmerō. P. Suarez.

Item idem Durandus, Alenſis, P. Salmeron, & D. Tho. locis adductis à P. Suarez lib. de fide d. 6. ſect. 9. n. 8. velint, damnatis non adimi omnino fidem ſupernaturalem, ſed in ipſorum ſupplicium plura credere certo per actus fidei infuſæ, quæ principijs naturæ eſſent occulta. Demum quamquam memoria naturali euidenti nouiſſet Dæmon priſtinam ſanctitatem, ac dona ſupra omnem naturæ exigentiam exhibita, latere ipſum poterat, aut ſaltem non eſſe euidenter notum, an iuſtus ipſe fuerit per donum ſibi inhærens? an per extrinſecam iuſtitiam, aut acceptationem Dei? vt hæretici noſtri temporis iudicant: an donum charitatis, ac fidei, ſit auxilium extrinſecum, aut ſpecialis aſſiſtentia Spiritus ſancti? Quod Magiſter inter Doctores Catholicos credidit. De ſupernaturalibus enim, quæ omnia principia naturæ excellunt, eadem poteſt ambigere Dæmon, quæ nobis ambigua ſunt. Quo ſanè nihil creatum ſibi, aut nobis inhærens intrinſecè ſupernaturale tali notitia comperiret. Quod nunc contendimus.

Quarta obiectio ex diſcurſu naturali Chriſti.

38. Quartò ſic arguo. Chriſtus Dominus non ſolum ſcientia ſupernaturali, ſed lumine, ac ratiocinatione naturali deprehendit ſe eſſe vere Deum. Nam perfectiſſimè nouit ſacras literas, ipſumque eſſe Meſſiam in eis contentum: Quippe in quem omnia eis oraculis prænuntiata conuenirēt. Inſuper notū ſibi erat lumine naturali ſe deſcendiſſe ad inferos cum poteſtate Redemptoris, excitatumque à mortuis aſcendiſſe ad gloriam dignam filio Dei, aliaque complura, quæ manifeſtè diuinitatem indicabant. Ergo euidentia rerum ſupernaturalium non eſt omnino aliena à cognitione naturali.

Diluitur.

39. Nego antecedens. Nam Chriſtus Dominus ſola inquiſitione naturali non potuit aſſequi euidenter ſcripturas Catholicas fuiſſe reuelatas à Deo. Inſuper, neque euidenter perſuaderi ſolo lumine naturali ſenſum, quem ipſius ſtudium aſſequeretur fuiſſe, quem Spiritus ſanctus contendit. Denique, neque ipſum eſſe, quem verè ſacra oracula prædicabant. Nam ſecluſſa ſcientia ſupernaturali, ductuſque ratione naturali ſolum, Phyſicè quidem loquendo, & inſpecta poteſtate abſoluta Dei poterat ſubdubitare, an puro homini conuenire poſſent omnia, quæ de ſe ratio naturalis compererat? Quandoquidem nihil nouit, quod poteſtate abſoluta Dei puro homini Phyſicè loquendo repugnaret.

Quinta ex concluſione Theologica naturali.

40. Quintò ſic vrgeo. Concluſio euidens deducta ex vna premiſſa ſupernaturali, & altera naturali eſt ſupernaturalis. At talis concluſio poteſt eſſe de obiecto intrinſecè ſupernaturali: vt ſi ex hoc principio noto per ſcientiam ſupernaturalem. *Humanitas Chriſti eſt contingenter vnita verbo*, & ex iſto comperto per ſcientiam naturalem, *ſed inter omnia extrema contingenter vnita intercedit vnio diſtincta*, Colligas hanc cōcluſionem. *Ergo inter humanitatem Chriſti & verbum intercedit vnio diſtincta*. Poterit igitur cognitione euidēti naturali explorari aliquid intrinſecè ſupernaturale. Minor, & conſequentia probatione non ægent. Maior probatur. Concluſio Theologica deducta ex vna præmiſſa ſupernaturali fidei, & altera naturali ſcientiæ eſt naturalis. Ergo etiam concluſio deducta ex vna ſupernaturali ſcientiæ infuſæ, & alia ſcientiæ naturalis erit naturalis. Nulla enim eſt ratio, quare præmiſſa naturalis efficiat concluſionem naturalem coniuncta vni præmiſſæ ſupernaturali, potius quam alteri. Aut quare vna præmiſſa ſupernaturalis colligat concluſionem ſupernaturalem, potius quàm alia ſupernaturalis eidem præmiſſæ naturali coniuncta.

Eneruatur.

41. Nego maiorem, quando præmiſſa euidens ſupernaturalis refert obiectum intrinſecè ſupernaturale. Tunc enim concluſio de obiecto ſupernaturali eſt neceſſario ſupernaturalis,

Digitized by Google

Diſcrimen autem inter concluſionem Theologicam, & eam concluſionem euidentem, eſt apertum. Nam euidens notitia obiecti ſupernaturalis deducta ex præmiſſa ſupernaturali euidẽti non poteſt nõ oriri ex principio ſupernaturali; cognitio autẽ, quæ determinatè, & eſſentialiter poſtulat aliquod principium ſupernaturale non poteſt non eſſe ſupernaturalis: at vero notitia de eodem obiecto ſupernaturali deducta ex præmiſſa ſupernaturali in euidenti fide poteſt non oriri ex tali præmiſſa, ſed ex alia naturali, quæ eius loco ſubſtituatur. Cognitio autem quæ ita procedit à principio ſupernaturali, vt etiam à naturali poſſit procedere, & intra vires adæquatas naturæ contineri, non poteſt non eſſe intrinſecè naturalis. Imò vnica ratio, quare concluſio Theologica poſſit eſſe naturalis eſt indifferentia, quam habet, vt ex præmiſſa in euidenti naturali, aut ſupernaturali, coniuncta præmiſſa euidenti ſcientiæ naturalis colligatur: vt diſp. 55. dicemus. Ratio autem, quare concluſio euidens de obiecto ſupernaturali non poſſit non colligi ex præmiſſa ſupernaturali, poſſit autem concluſio Theologica, eſt, quia loco præmiſſæ euidentis ſupernaturalis iudicantis quidpiam ſupernaturale, non poteſt cognitio euidens naturalis de eodem obiecto ſubſtitui, cum de obiecto ſupernaturali euidẽtia repugnet; concluſio autem euidens ſuapte natura non pôteſt nõ colligi ex præmiſſis euidẽtibus. At loco præmiſſæ ſupernaturalis ineuidentis poteſt ſubſtitui præmiſſa ineuidens naturalis, ex qua talis concluſio deducatur; quia non repugnat de obiecto ſupernaturali cognitio ineuidens naturalis. Vnde concluſio euidens de obiecto naturali, quãuis illata ex cognitione euidenti ſupernaturali poterit eſſe naturalis, quia de tali obiecto poteſt eſſe præmiſſa euidens naturalis, quæ præmiſſę ſupernaturalis munere ſubſtituatur. Vberius hæc exponentur, diſp. 55.

SECTIO OCTAVA.

Concluditur argumentorum explicatio.

Sexta obiectio ex euidentia credibilitatis myſteriorũ fidei.

47. SExto ſic obijcitur. Miſteria ſupernaturalia etiam iudicio naturali ſunt euidenter credibilia per fidem diuinam. Quare poſſũt infideles abſque vlla excuſatione ad eorum aſſenſum induci. Sed myſteria euidenter credibilia per fidem diuinam ſunt euidenter vera. Quia euidens eſt fidem diuinam non poſſe aſſentiri falſis, ſed veris; nam Deus, cuius teſtimonio mouetur, mentiri non poteſt. Ergo myſteria ſupernaturalia etiam iudicio naturali ſunt euidenter vera? Reſpondeo. Myſteria ſupernaturalia bifariam dici poſſunt euidẽter credibilia per fidem diuinam, aſſentientem obiecto propter teſtimonium Dei. Primò, quia euidens eſt obligatio imperandi aſſenſum reuelationis diuinæ, & myſterij reuelati propter illam, quamquam re vera non eſſet talis reuelatio diuina exiſtens. Secundo, quia euidens eſt exiſtentia reuelationis diuinæ, ac ſubinde myſterium reuelatum euidenter credibile per illum. Hæc poſterior euidentia credibilitatis inducit neceſſario euidentiam myſterij, quia non poteſt eſſe reuelatio euidenter exiſtens, quin myſterium reuelatum ſit à parte rei, ſicut à Deo reuelatur. Prior euidentia credibilitatis non efficit euidentiam myſterij reuelati, quia poteſt eſſe euidens obligatio imperandi aſſenſum reuelationis, quin reipſa ſit exiſtens reuelatio, dum ipſa ſufficienter ab Eccleſia, quæ propria & humana auctoritate falli poteſt, proponatur. Vt res quæ proponitur aſſerta à Sancto Thoma, S. Auguſtino, S. Ambroſio & S. Hieronymo in ſcriptis ipſorum eſt hoc pacto euidẽter credibilis per fidem humanam; quamquam fieri poſſit, rem aſſertam falſam eſſe, & ab his Doctoribus eam re uera non aſſertam. Quare docent P. Suarez de fide diſput. 4. ſect. 2. nu. 9. P. AEgidius diſp. 11. n. 47. & plures alij 2. 2. q. 5. art 4. eſſe poſſe obligationem imperandi omnem aſſenſum reuelationis diuinæ, quem intellectus poteſt, & rem propoſitam veram non eſſe. Quamquam in eo caſu licet imperium piæ affectionis poſſit eſſe ſupernaturale: aſſenſus tamen, qui iſtud ſequitur, non eſſet ſupernaturalis, ſed naturalis, quia deerat reuelatio re vera exiſtens, quæ eſt aſſenſus ſupernaturalis obiectum. Myſteria igitur ſupernaturalia priori tantum modo ſunt euidenter credibilia, ideoque infidelibus incumbit euidenter obligatio illa credendi, tanquam à Deo reuelata. Non ſunt euidenter credibilia poſteriori modo; quia non eſt euidentia reuelationis reipſa exiſtentis. Atque ita tandem non ſunt iudicio humano euidenter vera. De quo plura tractatu de fide & diſp. 45.

Occurritur

S. Thomas. S. Auguſtinus. S. Ambroſius. S. Hieronimus P. Suarez. P. AEgidius

Septima ex reuelatione Dei Dæmoni nota.

43. Poſtremo arguo. Poteſt Deus ipſe immediate reuelare Angelo ſupremo aliquid ſupernaturale. Tunc autem Angelus lumine naturali noſcet euidenter obiectum ſupernaturale: ergo obiectum ſupernaturale non eſt omnino extra euidentiam luminis naturalis. Minorem, in qua tota vis poſita, ſic probo. Angelus noſcet euidenter ſibi loquentem eſſe Deum: quia noſcet euidenter loquentem non eſſe alium Angelum, neque hominem. Aliunde autem ſcit, non eſſe exiſtentes ſubſtantias intellectuales præter Angelum, hominem, & Deum. Ergo euidenter noucrit quidpiam ſupernaturale. Probatur conſequentia. Tum quia ipſa Dei locutio, & reuelatio ſupernaturalis eſt. Tum quia ipſa reuelatio euidenter nota manifeſtat euidenter obiectum reuelatum, quod eſt intrinſecè ſupernaturale.

Prima explicatio.

44. Hic plura habeo dicere. Sed breuiter proponenda, quia vberem, & plenam explicationem alibi vendicant. In primis poteſt eſſe locutio, & reuelatio immediata Dei, quæ non ſit ſupernaturalis, ſed omnino naturalis, pertinens ad exigentiam naturæ. Natura enim rationalis non exigit ſuum auctorem, & Principem mutum, ſed verbiloquum. Ad eum enim ſpectat præcepta hominibus, & Angelis iniungere, conſilia interna, quæ exequantur, aperire, leges condere, conſulere miris, à vitijs deterrere, præmijs propoſitis ad officia virtutum

prouocare. Quæ boni cuiuſque Principis prouidentiam decent, & abſque manifeſtatione conceptuum, & conſiliorum ad extra, quæ verbis efficitur, ægre ſanè intelligi poſſunt. Atque ita admitti poteſt eſſe poſſe loquutionem immediatam Dei, quæ euidenti notione naturæ percipiatur. Cæterum hæc erit, cum de obiectis naturalibus ſuas creaturas inſtruat; non verò cum de ſupernaturalibus verba fuerint. Etenim verba Dei (ſiuè ea ſint conceptus mentis creatæ, ſiue ſpecies impreſſæ, ſiue habitus, aut aliæ qualitates, de quibus inter Theologos diſſenſio eſt) connexa ſint cum obiectis, quæ exprimunt. Atque adeo cum obiecta ſupernaturalia ſunt, non poſſunt exprimi niſi verbis ſupernaturalibus. Vnde Angelus ſupremus licet poſſit diſcernere verba exprimentia naturales effectus, non poterit euidenter ea, quæ ſignificent ſupernaturales.

45. At nunc vrget. An nouerit Angelus ſibi non loqui alium Angelum, ſed Deum, vt inde deducat verba eſſe expreſſa à Deo? Reſpondet Bannez 2. 2. q. 5. art. 1. ad 1. quem ſequitur Aluarez de auxilijs d. 118. num. 10. ignorare, an ea ab alio Angelo inferiori proferantur, quia dubitare poteſt, an is, qui natura inferior eſt, ſit dignitate gratiæ ſuperior, ac proinde valeat ipſum de rebus ſupernaturalibus illuminare? Sed non ſatisfacit. Quia ſi verba ſint naturalia, à quocumque proferantur ſcit Angelus, poſſe ab ipſo euidenter calleri; ſi verò ſint ſupernaturalia, à quocumque proferantur, ſcit cum obiectis euidenter connecti. Ergò ſi ea verba callere non poteſt, conijciet euidenter eſſe ſupernaturalia, ac proinde vera, & cum obiectis connexa, ſiue à Deo, ſiue à creatura promantur. Iterum reſpondet Bannes, quamquam verba ſupernaturalia ſint, poſſe Angelum eis vti ad mentiendum, & decipiendum alios; atque adeò dubitare poſſe Angelum, an is, qui ea ſibi verba facit, ipſum decipiat? Sed facile redarguitur. Primò; quia ſi ſemel admittitur, Angelum deprehendere talia verba eſſe ſupernaturalia. Ergo iam quidpiam ſupernaturale ſub euidentem collectionem cadit. Quo admiſſo ratio non eſt, quare alia plura repugnent ſimiliter euidenter dignoſci. Deinde verba non ſolum ſignificant res, ſed etiam conceptus. Ergò ſi verba ſupernaturalia connectuntur infallibiliter cum rebus quia ſupernaturalia ſunt, etiam debent conceptibus loquentis, quos etiam ſignificant, infallibiliter connecti. Atque adeò non poſſunt mentiendo formari. Tertio denique; quia veritas obiecti poteſt bifariam ex verbis iudicari. Tum propter veracitatem dicentis; Tum propter connexionem infallibilem ipſorum cum obiectis, vt ſi quis deprehendat me videre montem, euidenter deprehendet montem eſſe, quia viſio cum obiecto connexa eſt. Igitur quamquam non iudicaret Angelus virtutem obiecti ex veracitate dicentis, poſſet nihilominus ex connexione verborum, quæ falſa eſſe non poſſunt, obiecti veritati certo aſſentiri. Bannes igitur huic difficultati non ſatisfacit.

Bannes.
Aluarez.

46. Propterea dici poteſt, ideo Angelum vagantem circa verba ſupernaturalia non inferre verba eſſe ſupernaturalia, quia ex natura rei poteſt vnus Angelus loqui cum alio, quin de verbis naturalibus cognoſcat pluſquam loquenti libitum eſt, cognoſci. Itaque ſicut interna conſilia quamquam naturalia ex natura rei non poſſunt cognoſci, niſi ad libitum loquentis, ita etiam de verbis diſtingui non poteſt pluſquam loquenti placitum eſt. Quare etiam ſi verba ordine determinato reſpiciant perſonas loquentes, poſſunt audiri verba, quin ipſa perſona loquens diſcernatur; vt inter homines contingit plerumque. Hac ratione Angelus audiens verba exprimentia ſecreta ſupernaturalia, quin de verbis diſtingueret qualitatem naturalem, aut ſupernaturalem eorum, meritò poterat ambigere, an libito loquentis, ea ſibi occulerentur? etiamſi ipſa entitatis naturalis eſſent. Hoc ergo eſſet inter locutionem naturalem, ac ſupernaturalem diſcrimen; quod locutio ſupernaturalis neutiquam poſſet naturali cognitione diſcerni; naturalis verò poſſet, licet non pro libito audientis, ſed loquentis. Quare cum locutio eſſet reuera ſupernaturalis, & nulla induſtria audientis diſcerneretur, in dubium Angelus venire poſſet, an id ex ſupernaturalitate locutionis, an ex loquentis nutu proueniret? Quod quidem fieri poſſet conferente, vel negante Deo concurſum ad omnem, quam verba, cognitionem imprimere poſſent.

47. Rurſus. Demus Angelum neceſſario cognoſcere verba naturalia ſecundum vltimam ipſorum differentiam. Adhuc poſſet Deus verba faciens, de obiectis ſupernaturalibus, non diſtingui. Vt explicem præmitto breuiter duo. Alterum poſſe, verba naturalia ab Angelicis, & diuinis præſcindendo, obiecta ſupernaturalia ſignificare, vt verba externa, & interna naturalia, quibus myſteria fidei diſcimus, atque docemus, ſupernaturalia ſignificant. Alterum, etſi verba ſint quæ determinate ſonent perſonam loquentem, ad eamque reſpectum ſingularem habeant, eſſe poſſe aliqua, quæ ſecundum ſe à diuerſis loquentibus proferri poſſint, vt ea ratione poſſint plura manifeſtari occultata perſona, quæ loquitur. Quod enim perfectionis reperitur inter homines, cur in alijs perfectioribus negandum eſt. Nunc igitur admitti facile poteſt, Deum reuelare Angelo obiecta ſupernaturalia, & æquiuocam manere eius mentem, an Deus ſit, an alius Angelus, qui ea arcana reuelat? Nam poteſt reuelare per verba naturalia, quæ ſecundum ſe indifferentia ſunt, vt vel à Deo, vel ab Angelo efformentur? Atque adeo ex ſe nec Deum magis denotent loquentem, quam Angelum.

Secunda explicatio.

48. Qua autem ratione verba Dei poſſint eſſe, quæ falſitati poſſunt ſubeſſe, vt verba naturalia ſubſunt? in promptu eſt explicare. Quia ad ſummam ſapientiam, ac veracitatem diuinam non eſt opus, verba, quæ nobis facit, habere cōnexionem intrinſecam cum obiectis,

Digitized by Google

ſed ſufficit habere extrinſecam cum illis quatenus dicta, & procedentia à Deo. Eo enim ipſo quod verba quamquam ſecundum ſe inindifferentia, vt facilitati ſubiaceant, à Deo loquente fieri nequeant, niſi cùm obiectis conformia ſunt, plane Deus ſapientiſſimus, ac veraciſſimus habetur, eiuſque teſtimonijs nihil auctoritatis detrahitur. Sicut quamquam verba Ioannis, & Petri ſecundum ſe poſſint æque cum falſitate componi, nihilominus teſtimonia Ioannis poſſunt eſſe maioris fidei, quam Petri, quia Ioannis ſapientia ac veracitas maior eſt, propter ea quæ moris illi eſt talia teſtimonia non dare, niſi veritati rerum conformia. Ergo ſimiliter licet verba prolata à Deo ſecundum ſe ſint eiuſdem ſpeciei cum verbis creaturæ, ideoque ſecundum ſe falſitati obnoxia, ſi tamen prout ſunt à Deo expreſſa, vel vt Paulus loquitur, prout ſunt verè verbum Dei, non poſſunt aberrare à vero, nec eo euentu exprimi, quo in aſſenſum falſum audientem inducant, indemnis omnino relinquitur ſumma auctoritas teſtimoniorum Dei. Quin credibile ſit, Deum cum Angelis, & hominibus colloquia habuiſſe verbis, & conceptibus omnino naturalibus, eiuſdemque conditionis cum ijs, quos aliarum creaturarum colloqutio gignit, vtpote qui ipſis magis connaturales, atque intelligibiles erant. Quanquam eorum auditio, & perceptio, cum certo loquentem diſtingueret, diuerſæ rationis ſit, nam verborum Dei detegentium aliquid ſupernaturale, neceſſario ſupernaturalis, verborum verò creaturæ, naturalis eſſe poſſet. Secus ſi loquentem confunderent, vt poſſent. Quod qua ratione fieri queat, ad tractatum de Angelis, & tractatum de fide explicationem habet.

49. Demum. Poteſt dici, potuiſſe Angelum audientem verba, & non diſtinguentem loquentem ſubdubitare, num eſſet tunc aliqua creatura ipſa ſuperior, quæ illa verba proferret? Quoniam vt dicebamus num. 27. non habet Angelus notitiam euidentem carentiarum omnium creaturarum poſſibilium. Atque ita ex eo quod non eſſet in Angelo diſcretio eorum verborum, non inferret euidenter non eſſe illa ab aliqua creatura ſuperiori, vt num. 28. & 29. expoſuimus. Confunderetur igitur mens Angelica inter duo opera ſupernaturalia, quæ tunc poſſent occurrere. Alterum intrinſecè ſupernaturale, quod Deus verba intrinſecè ſupernaturalia extra ſphæram ſuæ diſcretionis exprimeret. Alterum quoad modum tantum ſupernaturale, quod aliqua creatura, quam ipſe non aſſequeretur, tanta ſacramenta manifeſtaret. Sicut ſi ego in meo cubili audirem aliquem proximè loquentem, quem non viderem, hærerem conijciens, num ea verba à Deo ipſo immediate, num ab Angelo, num ab homine diuinitus inuiſibili formarentur? Tertia

DISPVTATIO DVODECIMA.

AN SVPERNATVRALIA POSSINT CITRA viſionem beatam euidenter cognoſci.

AD excellentiam immediatæ cognoſcibilitatis donorum ſupernaturalium hoc expedit declarare: an ſcilicet cognitio ſupernaturalis neceſſaria ad quidditatiuam notitiam ſupernaturalium, quam diſp. præcedenti probauimus, beatorum tantum propria ſit? an ad ſcientiam aliam infuſam viatoribus communem pertinere poſſit? Cuius ſanè diſputationis non meminiſſem, niſi ad eam me noua, ac ſingularis illuſtrium quorumdam Thomiſtarum doctrina prouocaſſet.

SECTIONES.

1. *Expenditur noua Bannes & Aluares ſententia.*
2. *Cōmunis, & vera ſentētia explicatur.*

SECTIO PRIMA.

Expenditur noua Bannes, & Aluares ſententia.

Explicatur ſententia Bannes & Aluarez.

1. BAnnes igitur 2. 2. q. 5. art. 1. ad 3. argumentum, & Aluares de Aux. diſp. 51. nu. 16. diſp. 118. num. 10. & diſp. 119. ex profeſſo; peregrinæ eius exiſtimationis ſunt, vt aſſerant, dona ſupernaturalia, quæ obſcure in via per fidem, aut Theologicam rationem nouimus, non poſſe extra patriam euidenter citra viſionem beatam cognoſci. Porro diſtinguunt ſupernaturalia citra viſionem Dei trifariam euidenter cognoſci. Primò in teſtimonio Dei euidenter noto. Secundò in ſe ipſis, immediate, & à priori. Tertiò ex aliquo ipſorum effectu à poſteriori. Igitur extra viſionem Dei, ſolam priorem euidentiam ſcientiæ ſupernaturali tribuunt. Reliquas

Digitized by Google

omnes prorſus inficiantur. Vnde manifeſtum eſt, non ſolum euidentiam immediatam rerum ſupernaturalium, ſed etiam mediatam, cuius medium non ſit aut natura diuina, aut ipſius teſtimonium, omnino relegare. Ita plane locis adductis, & conſtat ex ſcopo, in quem diſputatio contendebat. Vt hinc appareat, Aluarez. Aluarez de Incarnatione, diſput. 61. con. 2. ſibi contrarium fuiſſe aſſerentem, Chriſto per ſcientiam infuſam dona ſupernaturalia extra Dei teſtimonium eſſe euidenter nota; explicationemque ſuæ doctrinæ, quam libro de auxilijs præmiſerat, de cognitione tantum immediata, tacitam quamdam retractationem eſſe. Hoc ſenſu aſſentitur Thomi- P.Raguſa. ſtis Pater Raguſa tom. 1. in 3. p. diſput. 92. aſſerens, ea dona, quæ peculiari reſpectu ſortiuntur ſpeciem ab aliqua perfectione Dei, vt gratiam iuſtificantem, viſionem beantem, & vnionem hypoſtaticam, non poſſe extra Deum immediate viſum quidditatiuè diſtingui; poſſe tamen alia, quæ ſic non referuntur in Deum, vt vbicationem Euchariſticam, ſupernaturaleſque corporis, & animæ beatæ dotes.

Arguit Bãnes. 2. Arguit primò Bannes probans fidem, & alios habitus ſupernaturales ſola viſione Dei ſecũdum quidditatem cognoſci. Virtus ſeminis non poteſt perfectè dignoſci, quin ipſius fructus perfectè dignoſcatur. At gratia iuſtificans, & virtutes ſunt quædam ſemina Rom. 6. beatitudinis: iuxta illud Romanorum 6. *Gratia Dei vita æterna.* Ergo non poſſunt euidenter dignoſci ignota viſione beata, quæ eſt fructus ipſarum. At viſio beata inferiori alia ſcientia dignoſci non poteſt; nam lumen gloriæ eſt perfectiſſimum lumen, quod alio inferiori lumine non poteſt cognoſci. Ergo citra lumen gloriæ, & viſionem beantem non eſt cognitio euidens donorum ſupernatura- 1. Ioan. 3. lium. Confirmatur ex prima Ioan. 3. *Nunc filij Dei ſumus; ſed nondum apparuit, quod erimus. Scimus autem quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* Ergo dignitas filiorum Dei euidenter non apparet, dum non videtur Deus ſicuti eſt.

Arguit Aluarez. 3. Arguit Aluarez. Non poteſt euidenter perſuaderi concluſio, quin eius principium euidenter ſit manifeſtum. Principium autem & obiectum gratiæ eſt Deus, qui citra viſionem beantem ignotus eſt. Ergo gratia iuſtificãs non poteſt ſine viſione beante euidenter perſuaderi. Eadem autem eſt ratio de vnione hypoſtatica, ipſa viſione beante & alijs donis ſupernaturalibus, quæ gratiæ iuſtificanti annexa ſunt. Ergo. En argumenta, quæ egregios Thomiſtas in nouam, & peregrinam opinionem adduxerunt.

Arguit P. Raguſa. 4. Denique arguit Pater Raguſa. Gratia iuſtificans, & eius habitus, ac reliqua ſupernaturalia dona ſunt participationes Dei, prout eſt in ſe ab omni creatura diuerſus. Quidquid creatum autem Deum participat prout eſt in ſe ab alijs diuerſus, non poteſt ſecundum ipſius quidditatem cognoſci, quin Deus prout eſt in ſe cognoſcatur, quod viſionis beatæ proprium eſt. Quomodò enim poteſt videri, Deum, prout eſt in ſe, participari, niſi nobis conſtet, quid Deus prout eſt in ſe, quidditatiuè contineat? Vt non poteſt iudicari aliquam imaginem referre Philippum Regem prout eſt in ſe, quin Rex Philippus prout eſt in ſe, nobis ſit notus. Extra viſionem igitur cernentem Deum prout eſt in ſe non poſſunt gratia, nec reliqua dona ſupernaturalia ſecundum peculiares, ac quidditatiuas differentias conſtare. Confirmatur. Gratia iuſtificans, viſio beata, & vnio hypoſtatica, & quæuis alia dona, quæ ab his ſuam quidditatem trahunt, ſpeciem ſuam quidditatiuam habent à natura diuina; tanquam à forma extrinſecè conſtituente ipſorum eſſentiam. Ergo quidditas, & ſpecies illorum perfectè, ac in ſeipſa immediatè cognita importat perfectam, ac immediatam cognitionem naturæ diuinæ; talem quidditatem, atque ſpeciem conſtituentis. Quidquid enim de natura diuina fuerit occultum, erit etiam de ſpecie, & quidditate, quam ipſa conſtituit, ignotum. Igitur quin Deus immediatè videatur; per aliam ſcientiam infuſam à viſione beante diſtinctam, non poſſunt dona ea quidditatiuè penetrari.

5. Vt horum argumentorum momenta videamus, duo præmitto. Alterum, cognitionem quidditatiuam non eſſe ſolum cognitionem euidentem quidditatis, ſed cognitionem euidentem quidditatis, habitam in ipſa quidditate immediate; aut in medio æquiualenti quidditatem, quale eſt cauſa ipſam continens eminenter. Statuimus diſput. 10. num. 1. & conſtat; nam cognitio comparata in teſtimonio Dei; & ex proprietatibus, aut effectibus rei, non eſt quidditatiua. Tamen poteſt eſſe cognitio euidens omnium prædicatorum eſſentialium rei, quæ aliunde poſſunt indagari. Ergo ad cognitionem quidditatiuam rei non ſufficit notitia euidens quidditatis. Sed præterea opus eſt, vt ea ſit immediata, aut in medio, quod rem eminenter contineat. Alterum eſt, inter cognitiones quidditatiuas intereſſe magnum inæqualitatis diſcrimen, vt alijs aliæ perfectiores ſint. Nam albedinem, verb. grat. quidditatiuè (quippe immediate, ac intuitiue) refert viſio ſenſitiua, cognitio intellectualis humana, Angelica & Diuina. Quarum aliæ quidem, alias longiſſime excellunt. Ideoque plura Deus, quàm Angelus de eadem re vtrique quidditatiue notæ præſentire poteſt; Angelus plura, quam homo; intellectus plura, quam viſus. His præmiſſis.

6. Ad argumentum Bannes reſpondeo primò. Poteſt virtus ſeminis quidditatiuè cognoſci, quin ipſius fructus vlla ratione dignoſcatur. Satisfit argumento Bannes. Quia poteſt eſſe cognitio quidditatiua, quæ non ſit comprehenſiua, & adæquata, ſed inadæquata tantum, quæ virtutẽ non ad omnes ipſius effectus, ſeu fructus, ſed ad aliquos tantum referat. Vt viſio ſenſitiua non refert albedinem

ad plures effectus, quos ipſa intrinſecè continet, nec viſio intuitiua Dei omnipotentiam ad effectus infinitos, qui in ipſa cognoſcibiles ſunt. Similiter ergo poteſt gratia, & cumulus habituum ſupernaturalium quidditatiuè cognoſci notione inadæquata, quatenus ſunt virtutes ad auertendum peccata, & agenda plura virtutum opera, quin in beatitudinem, quam etiam ſua virtute continent, referantur. Secundo; poteſt virtus etiam adæquatè notione quidditatiua comprehendi, quin fructus, ſeu effectus ipſius immediate cognoſcatur, ſed tantum abſtractiuè. Nam ad comprehenſionem alicuius virtutis ſufficit cognoſcere effectus in ipſa contentos, quatenus in ipſa cognoſcibiles ſunt. Ergo ſi in ipſa non ſunt cognoſcibiles quidditatiuè, ſed tantum abſtractiuè: quia in ipſa non continentur eminenter, ſed tantum virtualiter, ac inadæquatè, non erit opus ad comprehenſionem talis virtutis, effectus quidditatiuè diſcernere, ſed abſtractiuè tantum. At hoc pacto continetur beatitudo formalis in gratia, & virtutibus infuſis. Aut ſaltem non continetur formaliter, ſed eminenter. Ergo ad comprehenſionem gratiæ, & virtutis non erit opus cognitione quidditatiuè immediata beatitudinis, ſed tantum mediata, quæ in ſemine ipſius haberi poteſt. Tertiò; etiamſi immediata, & quidditatiua cognitio fructuum, ſiue effectuum, qui Phyſicè continentur, neceſſaria ſit; tamen neceſſaria non eſt fructuum, qui continentur moraliter, & per modum præmij. Hi enim ab arbitrio præmiantis dependēt, & excedentes perfectione virtutem moralem, in qua continentur plures ſine fine diuerſi reddi poſſunt. Dona autem infinita, quæ ſeorſim poſſunt rependi à Deo pro merito, opus non eſt quidditatiuè prænoſcere ad notionem comprehenſiuam virtutis, ac meriti. At beatitudo non continetur phyſicè, ſed moraliter tantum, ac per modum præmij, & hæreditatis dependenter ab arbitrio Dei, in entitate gratiæ, ac virtutum moralium, vt tract. de gratia ædificante. d. 2. docui. Quarta & omnium planiſſima reſponſio eſt. Poteſt ipſa beatitudo formalis, quæ eſt fructus gratiæ, immediatè, & quidditatiuè cognoſci alio lumine inferiori, quam lumine gloriæ, atque adeo, quin natura diuina immediatè per eam cognitionem cernatur. A priori res eſt clara; quia viſio beata, & lumen gloriæ reſpiciunt pro obiecto formali immediato naturam diuinam. Viſio immediata, & quidditatiua beatitudinis, lumenque ſupernaturale quo fieret, reſpiceret pro obiecto formali immediato ipſam beatitudinem formalem, quæ à natura diuina in ratione obiecti, & quidditatis longiſſime diſtat. Ergo viſiones, & lumina etiam diſtabunt. A poſteriori; quia viſio creata intuetur immediate lumine gloriæ creato, beatitudinem formalem increatam, & lumen increatum Dei excedens infinite lumen gloriæ creatum. Ergo etiam viſio ſcientiæ infuſæ poteſt immediatè intueri viſionem beatam, & lumen gloriæ lumine ſupernaturali inferiori. Demum; poteſt viſio immediata beatitudinis à lumine gloriæ procedere, quin ipſa viſio reflexa ſit formalis beatitudo; atque ita citra viſionem beatam, vt formam cognoſcentem ſupernaturalia, quidditatiuè conſtare. Nam poteſt idem lumen continere cognitiones referentes obiecta formalia immediata diuerſa; alteram quæ ſolā referat immediatè naturam diuinam, mediate verò, quæ naturæ annexa ſunt: alteram, quæ immediate referat cognitionem immediatam naturæ, mediatè verò ipſam naturam. At hæc poſterior, & reflexa cognitio non eſſet viſio intuitiua, & quidditatiua naturæ diuinæ. Quia licet cognoſceret de natura diuina totum, quod prior, & directa cognitio; verum non cognoſceret illud in ſeipſa immediate, aut in medio continenti eminenter naturam diuinam, ſed in creata quadam imagine naturæ diuinæ. Ergo non eſſet quidditatiua, ac intuitiua cognitio naturæ diuinæ. Ad hæc; plura ſunt dona ſupernaturalia, quæ non ſunt ſemina beatitudinis formalis, ſed ipſius beatitudinis fructus, vt dotes gloriæ, & accidentia comitantia beatitudinem, vt vbicatio Euchariſtica. Ergo licet aliqua extra beatitudinem formalem non innoteſcant, quia ſunt ſemina beatitudinis, poterunt alia, quæ eius conditionis non ſunt. Ad cōfirmationem reſpondeo. Ioannes eo in loco in viſionem beantem ſolum reſeruat notitiam quidditatiuam Dei, non verò notitiam gratiæ, & donorum ſupernaturalium; neque dignitatem filiorum Dei nobis ignotam prædicat eam, quæ ex gratia, ſed eam, quæ ex beatitudine Dei filijs conueniet. Quamquam etiam ſi hæc prædicetur ignota modo, & ſolum nota in patria, quia ſolum in patria donatur ſcientia infuſa ſupernaturalis diſtincta à ſcientia beata, per quam quidditatiuè dignoſcitur, quid inde, vt non poſſit vlla ratione, extra viſionem beantem reuelari?

Satisfit argumento Aluarez.

7. Ad argumentum Aluarez reſpondeo primò. Per ſcientiam infuſam poteſt Deus abſtractiua euidentia cognoſci, vt per ſcientiam naturalem cognoſcitur. Quod ſufficit, vt aliqua euidentia ſaltem abſtractiua, gratia iuſtificans, & reliqua dona ſupernaturalia colligantur. Secundò; Deus ſolum eſt principium Phyſicum gratiæ, non autem principium Metaphyſicum, & Logicum omnino neceſſarium. Quia cognitio quidditatiua haberi poteſt in principijs intrinſecis, & prædicatis eſſentialibus gratiæ, ac reliquorum donorum, quæ ſine Deo immediatè cognito innoteſcere poſſunt. Vt dicebamus ſupra, & oſtendemus infra.

Item argumento Patris Raguſæ.

8. Ad argumentum P. Raguſæ. In primis donorum ſupernaturalitas non eſt conſtituta in participatione Dei, prout eſt in ſe ab omni creatura diſtinctus: vt vidimus diſp. 4. ſect. 1. Deinde vt euidenter conſtet, gratiam, & dona ſupernaturalia participare naturam diuinam prout eſt in ſe, requiritur quidem, vt nobis cōſtet euidenter quidditas naturæ diuinæ, non verò vt ea immediatè, & quidditatiuè manifeſta ſit. Vbi enim nota fuerit quidditas Dei, fieri poteſt ſufficiens collatio inter gratiam, & naturam diuinam, vt inde gratiam participare deitatem, euidenter deprehendamus. Sicut omnium aduerſantium iudicio exploratum eſt

Digitized by Google

prænoſceni euidenter teſtimonium Dei, gratiam eſſe participationem naturæ diuinæ, quãquam natura diuina non eſſet in ſe immediatè nota. Similiter ſi quis in aliquo medio comperiret euidenter qualis ſit ſpecies, & facies Philippi, intuens poſtea imaginem ipſius, iudicaret euidenter illam exprimere Philippum, & non alium. Cum igitur in ipſa gratia, viſione beata, & vnione appareat euidenter, quodnam ſit obiectum, & terminus eorum donorum, quia cum ipſo obiecto, & termino connexa ſunt, ſufficit euidentia, quæ in ipſis donis haberi poteſt, vt participatio diuinitatis eis conueniens explorata ſit. Quo differt cognitio intuitiua imaginis Philippi à cognitione quidditatiua gratiæ, & aliorum donorum; quod cognitio intuitiua ipſius imaginis non poteſt deducere conditionem, & proprietatem Philippi, cum qua eſſentialem connexionem non habet; ac proinde aliunde debet conſtare conditio, ac proprietas Philippi, vt euidenter diſcernatur imago eſſe illius propria. Cum vero gratia, & alia dona cum natura diuina eſſentialiter connexa ſint, in ipſis donis euidenter, ac immediate cognitis conſtare euidenter poteſt quidditas Dei; prout neceſſarium eſt, vt ipſorum participatio diuina ſit aperta. Atque ita ad immediatam,& quidditatiuam notitiam eorum donorum ſufficiet euidentia quidditatis, quæ per ſpecies proprias, ac quidditatiuas ipſorum comparari poteſt. Hæc autem naturæ diuinæ quidditatiua non eſt, vt conſtat ex num. 5. Quid? quod non omnis cognitio quidditatiua eſt adæquata & comprehenſiua, vt dicebamus num. 5. Atque adeo licet perfectius innoteſcerent ea dona participantia naturam diuinam, ſi natura diuina perfectius in ſe immediate per viſionem beatam cerneretur, adhuc tamen extra eam perfectionem poteſt dari locus notioni quidditatiue ipſorum. Vnde ad confirmationem argumenti reſpondeo. Natura diuina non ſpecificat, neque conſtituit eſſentiam eorum donorum intrinſece, ſed tantum extrinſece, tanquam terminus, & obiectum ipſorum. Ideo poteſt in ſe immediate eorum eſſentia conſtare, etiam ſi natura diuina in ſe immediate non appareat, ſed in medio aliquo extrinſeco, quod poteſt eſſe ipſa donorum natura, quæ eſſentialiter connexa eſt cum natura diuina. Mitto plura exempla, quibus res poſſet exponi, quia doctrina ipſa plana eſt. Quibus conſtat quàm facile hi Theologi doctrinam communem deſeruerint.

SECTIO SECVNDA.

Communis, & vera ſententia explicatur.

Statuitur ſententia affirmans.

9. Communis ergo, & longe probabilior ſententia docet ſupernaturalia poſſe extra viſionem beatam, non ſolum abſtractiuo, ſed etiam proprio, immediato, & quidditatiuo conceptu euidenter dignoſci. Ita antiquiores Scholaſtici in 3.d.14.tribuentes Chriſto ſcientiam infuſam ſupernaturalium in proprio genere immediatam, & extra verbum. Durandus q.3.n.6. Gabriel. q. vnica, art. 2. Scotus q.3. & plures alij interpretes S. Thomæ 3.p. q.11.art.1. Nazarius q.5.con.3. P. Valentia diſp.1.q.11.puncto 2. P. Suarez diſp. 27.ſect. 3. & communiter Theologi.

Durandus. Gabriel. Scotus. Nazarius. P. Suarez. P. Valentia.

Prima probatio.

10. Probatur primo. Dona ſupernaturalia ſunt in ſeipſis immediate cognoſcibilia. Ergo cognitione ſupernaturali ſcientiæ infuſæ poſſunt in ſeipſis immediate cognoſci. Nam eo modo quo res eſt cognoſcibilis, eſt poſſibilis cognitio, qua actu cognita conſtituatur. Probatur antecedens. Sunt ea dona in ſeipſis immediatè vera ſeorſim à quolibet alio, quod illa formaliter efficiat vera. Verum autem vt verum cognoſcibile eſt. Ergo ſunt dona ſupernaturalia in ſeipſis immediate cognoſcibilia.

11. Dices ea dona eſſe in ſeipſis vera veritate reſpiciente eſſentialiter naturam diuinam, atque ideo eſſe cognoſcibilia cognitione naturæ diuinæ? Sed contra. Plures veritates ſunt reſpicientes eſſentialiter aliud, quæ tamen non in alio quod reſpiciunt, ſed in ſeipſis immediate cognoſcibiles ſint. Ergo dona ſupernaturalia, non erunt neceſſario cognoſcibilia in Deo, quod Deum eſſentialiter reſpiciant. Probatur antecedens. Omnia entia naturalia etiam reſpiciunt eſſentialiter Deum. Tamen ſunt in ſeipſis immediate cognoſcibilia ab Angelo. Item Pater æternus refertur eſſentialiter in filium, & filius in patrem, cauſa creata in effectum, & effectus in cauſam, & alia plura, quæ mutuo ſe ordine reſpiciunt. Quin tamen pater in filio, neque filius in patre, cauſa in effectu, & effectus in cauſa, & alia quæ ſe mutuò reſpiciunt in alijs neceſſario, ſed in ſeipſis immediate poſſint diſtingui. Quidquam ergo non obeſt, dona ſupernaturalia eſſe reſpectiua naturæ diuinæ, vt nequeant in ſeipſis immediate diſcerni.

12. Dices, ſupernaturalia dona reſpicere naturam diuinam, non ſolum vt terminum, ſed etiam vt formam, quæ conſtituit eſſentiam, & ſpeciem intrinſecam ipſorum? Sed contra. Natura diuina non poteſt eſſe forma intrinſece conſtituens eſſentiam donorum ſupernaturalium, cum intrinſece non ingrediatur eorum compoſitionem. Sed tota eorum eſſentia adæquate ſit ab eſſentia diuina diuerſa. Erit igitur conſtitutiua eſſentiæ eorum donorum tantum extrinſecè, quatenus dona ſuam ſpeciem obtinent per reſpectum peculiarem naturæ diuinę, vt ſpecie, & eſſentia differant ab omni alio, quod eo intrinſeco reſpectu non gaudet. Hac tamen ratione omnes termini formales ordinis eſſentialis rerum, ſeorſim à quibus immediatè cognitis ſunt res ipſæ in ſe immediatè cognoſcibiles, conſtituunt extrinſece ſpeciem, & eſſentiam rerum. Quia ſuam ſpeciem, & eſſentiam pro diuerſitate terminorum formalium ſortiuntur diuerſam. Nulla igitur eſt conſtitutio iſta, vt dona ſupernaturalia in ſeipſis immediate euidentem notionem terminare nequeant. Aut igitur omnes veritates reſpectiuæ neceſſario debent in alio manifeſtari, aut ſupernaturales etiam in ſeipſis immediate poſ-

Digitized by Google

ſunt euidenter præſciri.

Probatio ſecunda. 13. Secundo probatur. Dona ſupernaturalia poſſunt amari propter ſe, quin diuina bonitas, quam participant, ſit motiuum intrinſecum amoris. Ergo etiam poſſunt in ſe immediatè cognoſci, quin diuina veritas, quam participant, ſit medium, & obiectum formale intrinſecũ cognitionis. Nam vt ſe habẽt in ratione boni comparatione amoris, ſe habent in ratione veri comparatione cognitionis. Probatur antecedens. Homo iuſtus dignus eſt, qui ametur propter ſanctitatem gratiæ, & pulchritudinem ſcientiæ, ac virtutum ſupernaturalium etiam ſeorſim à motiuo bonitatis diuinæ. Nam ea dona perficiunt formaliter hominem, eumque reddunt decorum, ac amabilem magis, quam dona naturalia inferioris conditionis. Homo autem redditur dignus, qui ametur propter naturalia dona. Ergo potius qui ametur propter ſupernaturalia.

Tertia. 14. Tertio: Chriſtus per ſcientiam infuſam nouit euidenter myſteria creata, ac dona ſupernaturalia gratiæ. Nouit enim illa extra verbum perfectius, quam viatores per fidem, qui illa norunt per cognitionem ſupernaturalem obſcuram. Ergo Chriſtus Dominus nouit illa per notionem ſupernaturalem euidentem, & claram. At illa non nouit abſtractiue. Ergo nouit extra verbum quidditatiuè. Ac per conſequens extra viſionem verbi poteſt eſſe cognitio quidditatiua donorum ſupernaturalium. Probatur minor. Medium in quo notione abſtractiua aſſequeretur ſupernaturalia, non poteſt eſſe intrinſecè naturale, neque intrinſecè ſupernaturale. Ergo nullo medio abſtractiuè, ſed immediatè, & quidditatiuè nouit illa. Medium non eſſe naturale, conſtat; quia nullum medium poteſt eſſe ratio cognoſcendi euidenter aliud, quod cum illo connexum non eſt. Medium autem naturale non eſt intrinſecè connexum cum ſupernaturalibus, vt ſatis oſtenſum eſt. Alias etiam cognitione naturali euidenti aſſequi ſupernaturalia poſſet. Ergo nullo medio naturali ſupernaturalia euidenter nouit. Inſuper medium ſupernaturale non eſſe, ſic probo. Medium cognoſcendi aliud, immediatè cognoſcitur, ne media infinita vnicæ cognitioni præluceant. At eo ipſo quod Chriſtus nouerit ipſum medium immediatè, quamquam intrinſecè ſupernaturale ſit, poteſt immediate noſſe alia obiecta, quamquam intrinſece ſupernaturalia: cum ſupernaturalitas obiecti non ſufficiat abſcondere dona à notione immediata, & quidditatiua ſcientiæ infuſæ Chriſti. Ergo non abſtractiue per medium, ſed quidditatiue ac immediate agnouit Chriſtus ſupernaturalia dona.

15. Dices, Chriſtum Dominum per ſcientiam infuſam ſolum nouiſſe ſupernaturalia in euidenti teſtimonio Dei. Sed contra. Hoc teſtimonium Dei reuelans Chriſto ſupernaturalia poteſt eſſe intrinſece ſupernaturale, & immediate notum per ſcientiam infuſam. Ergo etiam dona reuelata poſſunt eſſe immediate nota. Probatur conſequentia. Nam eadem ratio eſt fugiendi notionem immediatam ſcientiæ infuſæ in teſtimonio Dei, quæ eſt in reliquis donis. Cum tale teſtimonium ſit intrinſece ſupernaturale, & participans veracitatem Dei, ſicut gratia iuſtificans, & alia dona ſunt intrinſece ſupernaturalia, & participantia bonitatem diuinam. Atqui tota ratio abſcondendi ſupernaturalia notioni immediatæ ſcientiæ infuſæ eſt ſupernaturalitas, & participatio aliqua naturæ diuinæ. Ergo aut teſtimonium reuelans ſupernaturalia erit immediate ignotum ſcientiæ infuſæ Chriſti, aut poterunt eſſe immediate nota reliqua ſupernaturalia dona. Deinde vt ait S. Thomas 3. p. q. 11. art. 1. æque perfecte nouit Chriſtus ſupernaturalia per ſcientiam infuſam, ac Angelus naturalia per naturalem cognitionem. At Angelus extra reuelationem Dei nouit naturalia proprio, & quidditatiuo conceptu per cognitionem naturalem. Ergo Chriſtus Dominus extra reuelationem Patris nouit ſupernaturalia proprio & quidditatiuo conceptu per ſcientiam infuſam. Sane valde limitata eſſet ſphera ſcientiæ infuſæ Chriſti, ſi nihil poſſet ſupernaturalium adipiſci, niſi medio teſtimonio Dei, ita vt Deo tacente quicquam ſcire non poſſet. Vt limitata eſſet ſcientia naturalis illius, qui nihil poſſet ſuo ingenio adipiſci, niſi quod alij palam docuiſſent.

16. Quarto denique. Quia nulla eſt ratio, qua repugnent extra verbum ſpecies immediatæ, & quidditatiuæ donorum ſupernaturalium. Quarta. Ergo nulla ratione repugnabit extra verbum notitia immediata, & quidditatiua ſupernaturalium. Conſequentia bona eſt. Quia ſpeciebus proprijs, ac quidditatiuis rerum fieri recte poſſunt conceptus proprij, ac quidditatiui illarum. Antecedens probatur. Eæ ſpecies propriæ, ac quidditatiuę ſupernaturalium extra verbum immediate viſum non repugnant ex aliqua infinitate donorum ſupernaturalium, cum abſolute finitæ perfectionis ſint. Neque ex infinitate verbi, quod neceſſario exprimere debent. Nam eorum donorum natura adæquate eſt diſtincta à natura verbi. Eſto ipſorum cognitio connotet neceſſario naturam verbi. Ergo poſſunt eſſe ſpecies exprimentes proprie naturam eorum donorum adæquate diſtinctam à natura verbi, licet connotando naturam verbi. At quòd expreſſio naturæ eorum connotet naturam verbi, non inducit neceſſariam connexionem cum viſione immediata, & directa naturę verbi. Quia plura relatiua noſcuntur connotando alia, quę tamen opus non eſt immediate nouiſſe, ſed tantum in alio, quantum in alio cognoſcibilia ſunt, vt vidimus n. 11. Ergo poſſunt eſſe ſpecies propriæ, ac quidditatiuæ rerum ſupernaturalium, quæ non ſint directæ, ac immediatæ ſpecies naturæ verbi. Quod ſuperiorum argumentorum explicatio non parum confirmat.

Digitized by Google

DISPVTATIO DECIMA TERTIA.

AN SVPERNATVRALIA SINT SVPRA comprehenſionem creatam?

HANC diſputationem vendicat adæquata cognoſcibilitas donorum ſupernaturalium. Potiſſimum cum in ea non conueniant omnino Theologorum iudicia.

SECTIONES.

1. *Sententia P. Suarez, & P. Albertini.*
2. *Poſſunt ſupernaturalia cognitione creata ſupernaturali comprehendi.*
3. *Explicatur argumentum contrariæ ſententiæ.*
4. *Corollarium de comprehenſione vnionis hypoſtaticæ.*

SECTIO PRIMA.

Sententia P. Suarez, & P. Albertini.

Explicatur ſententia P.Suarez, & P.Albertini.

1. PAter Suarez tom. 1. in 3. p. d. 27. ſect. 3. fine, & P. Albertinus to. 1. primo princ. Phil. quæſt. 4. Theol. num. 30. volunt à ſolo Deo comprehendi poſſe vnionem hypoſtaticam, viſionem beatam, gratiam habitualem, & alia, quæ ad Deum peculiarem habitudinẽ inuoluunt. Eaq; ratione reliqua dona ſupernaturalia, facile conſtituent ſupra omnem comprehenſionem creaturæ, qui ſupernaturalitatem omnem in participatione Dei, prout eſt in ſe, ſitam agnoſcunt, ideoque etiam extra viſionem immediatam Dei omnem illorum notitiam quidditatiuam prorſus inficiātur; quibuſcum diſputatione ſuperiori pugnauimus.

Fundamẽtum eorum.

2. Ratio ea eſt. Quia quo perfectius cognoſcitur extremum vnionis, & habitudinis rei, eo perfectior cogitatur vnio, & habitudo rei. Quandoquidem vnio, & alia quæuis habitudo eſſentialis ſuam ſpeciem, & perfectionem ſumit ex termino formali, quem reſpicit. Ergo ab eo comprehendit vnio, & habitudo rei, à quo comprehenditur extremum, quod illam formaliter terminat. At extremum vnionis hypoſtaticæ, & alterius habitudinis ſpecialis, quæ reſpicit naturam diuinam à ſolo Deo comprehenditur. Ergo à ſolo Deo comprehenditur vnio hypoſtatica, & alia dona, quæ in Deum ſpecialem habitudinem præ ſe ferunt.

SECTIO SECVNDA.

Poſſunt ſupernaturalia cognitione creata ſupernaturali comprehendi.

Sententia contraria verior.

3. HAEc ſententia aſſertores non habet, qui eam expreſſe tradant. Referri poſſunt, qui incomprehenſibilitatem, proprium ſolius Dei attributum agnoſcunt. A qua mente alieni non ſunt Eccleſiæ Patres, qui illud Pauli ad Thimotæum 6. *Qui ſolus habet immortalitatem, & lucem habitat inacceſſibilem*, de incomprehenſibilitate, quæ ſolius Dei propria ſit interpretantur. Ita S. Thom. quamquam hoc teſtimonium alias etiam expoſitiones admittat; quarum meminimus diſp. 10. ſect. 6. AdThim. 6.

Notatio prima.

4. Ante probationem præmitto primo: poſſe aliquam creaturam ab alia creatura comprehendi, v. g. leonem ab animo ſeparato, animum ab Angelo, Angelum inferiorem à ſe, vel ab alio Angelo ſuperiori. Quod neque aduerſarij diffitentur, cum incomprehenſibilitatem, excellentiam peculiarem ſupernaturalium proponant.

Notatio ſecunda.

5. Præmitto ſecundo, incomprehenſibilitatem ſupernaturalium reuocari non poſſe in duo capita, in quæ frequentes Theologi Dei incomprehenſibilitatem referre ſolent. Alterum, quia creaturæ repugnant aſſequi omnia, quæ in Deo cognoſcibilia ſunt. Alterum quia, eſto omnia illa aſſequatur, tamẽ non eo modo, qui adæquet perfectionem cognoſcibilitatis Dei, nempe vt principium cognoſcens in ratione cognoſcentis ſit tantæ perfectionis, quātæ Deus eſt in ratione obiecti cogniti. Nam ea, quæ in vnoquoque ente ſupernaturali cognoſcibilia ſunt, tanta quidem non ſunt, quæ non poſſint cognitione ſupernaturali diuinitus poſſibili euidenter diſtingui; imo quæ non excedant varietate, & multitudine ab ijs, quæ in animo, & Angelo, alijſque entibus naturalibus comprehenſione naturali diſtinguntur. Inſuper nec tantæ perfectionis ſunt in ratione obiecti immediati, atque directi, vt principiū cognoſcens in ratione principij cognoſcentis non poſſit illis æquare, & ſuperius quidem exiſtere. Nam lumen ſcientiæ infuſæ ſuperat perfectione lumen fidei, & gratia iuſtificans cognoſcentis poteſt excedere perfectione gra-

Digitized by Google

tiam iuſtificantem cognitam.

Tertia notatio. 6. Præmitto tertio, totam concertationem eò contendere, an ad comprehenſionem rei opus ſit comprehenſiue cognoſcere omnia, à quibus res ſpeciem, atque perfectionem ſortitur: ita vt cæteris paribus, quò ea excellentiora ſunt, excellentior quoque apprehendatur res, tum abſolutè, tum comparatione alterius, quæ habitudine ad alia ignobiliora ſuam quidditatem, ac perfectionem nanciſcitur? Nam ſola iſta habitudo ad eſſentiam diuinam poteſt ſupernaturalia ſupra omnem cõprehenſionem creatam, quæ planè naturæ diuinæ adæquari non poteſt, præ alijs entibus collocare. Quod aduerſariorum argumentum indubitatum relinquit. Vnde vbi probemus, comprehenſionem obiecti non vendicare comprehenſionem eorum, in quæ obiectum eſſentialiter refertur, & à quibus ſuam ſpeciem, & perfectionem potitur, obtinuimus rem.

Prima ratio 7. Nunc igitur ſic argumentum conficio. Vt ſupernaturalia exactè comprehendantur, non eſt opus comprehendere naturam diuinam, in quam habitudinem peculiarem inuoluunt. Ergo non ſunt incomprehenſibilia cognitione creata. Nam ſola incomprehenſibilitate naturæ diuinæ, quam peculiari ordine reſpiciunt, poteſt excedere cõprehenſionem ſcientię ſupernaturalis creatæ. Probatur antecedens à poſteriori. Vt comprehendatur cognitio, & amor naturalis Dei, actio creata dependens à ſolo Deo, quæ peculiariter connectuntur cum natura diuina, non eſt opus comprehenſione Dei. Item vt aliquis actus Angeli ſuperioris adæquetur cognitione ab Angelo inferiori, neceſſaria non eſt comprehenſio Angeli ſuperioris. Ergo nec vt ſupernaturalia comprehendantur, erit neceſſaria cognitio comprehenſiua naturæ diuinæ. Probatur conſequentia. Nam vt ſupernaturalia vendicant peculiarem habitudinem in Deum, à quo ſuam ſpeciem, & quidditatem obtinent, ita cognitio, & amor naturalis Dei, & actio creatiua diſtincta peculiariter referuntur in Deum, à quo ſuam perfectionem, & naturam ſortiuntur. Similiter actus pendentes eſſentialiter ab Angelo ſuperiori. Quin omnes creaturæ hac ratione à ſuo authore extrinſecè ſpecificantur, vt eo variato varia quoque eſſet creaturarum perfectio. A priori vero; ad comprehenſionem rei non eſt opus exhaurire cognoſcibilitatem extrinſecam rei, ſed tantum intrinſecam, hoc eſt, cognoſcibilitatem, quam habere poſſunt ab alijs rebus immediatè, & vt obiectis formalibus cognitis, ſed quam habent à ſe, vt obiecto formali in ſe immediatè cognito. At ad exhauriendam cognoſcibilitatem intrinſecam rerum ſupernaturalium, non eſt opus comprehendere naturam diuinam; quia in donis ſupernaturalibus immediatè cognitis nec ab ipſo Deo comprehenſibilis eſt natura diuina, niſi ipſa in ſe immediatè penetretur. Ergo comprehenſio naturæ diuinæ eſt extra comprehenſionem ſupernaturalium. Minor, & conſequentia conſtant. Probatur maior. Si opus eſſet ad comprehenſionem rei exhaurire omnem cognoſcibilitatem formalem rei tam intrinſecam, quam extrinſecam, in primis nulla res creata poſſet comprehendi, quin omnia poſſibilia quidditatiuè, & diſtinctè cognoſcerentur, nam cum vnaquæquè res inducat neceſſario negationes, & diuiſiones determinatas ab omnibus rebus poſſibilibus, ſanè cognitis illis poſſet cognoſci, vt ab illis diſtincta. Hęc autem eſſet perfectior, & clarior cognitio rei: Nam maior cognitio differentiæ, & diſtinctionis rei eſt perfectior, ac minus confuſa cognitio eiuſdem. Deinde non poſſet res in ſolo Deo comprehendi, nec effectus in vna tantum cauſa, quandoquidem cognoſcibilis eſt in ſe ipſa immediatè, & in alijs cauſis. At hæc Theologis inaudita ſunt. Ergo ad comprehenſionem ſimpliciter rei non eſt opus exhaurire omnem cognoſcibilitatem formalem rei, tam intrinſecam, quam extrinſecam. Certè plenior, ac perfectior comprehenſio rei eſſet, quæ non ſolum cognoſcibilitati intrinſecæ, ſed etiam extrinſecè adæquaretur. Verum hæc neceſſaria non eſt, vt allata exempla demonſtrant: ſed inter comprehẽſiones etiam inæqualitas admittenda eſt, vt omnium perfectiſſima, etiã ſi de re qualibet naturali minutiſſima ſoli Deo poſſit adſcribi: quippè ſolus Deus omnem cognoſcibilitatem intrinſecam, & extrinſecam rei tam ex parte obiecti, quam ex parte modi poteſt hac ratione penitus exhaurire. Quare Deo non comprehenſio ſolum, ſed ſupercomprehenſio quoque rerum creatarum tribuitur.

8. Secundo probatur ſententia. Comprehenſio naturæ diuinę ad ſupernaturalium comprehenſionem aut requiritur, vt ſupernaturalia modo omnium perfectiſſimo cognoſcantur, aut requiritur, vt omnes illorum perfectiones diſtinctè, & quidditatiuè innoteſcant, quin vlla lateat, qua perfectiora exiſtant. Vt cognoſcantur modo omnium perfectiſſimo requiri non poteſt: quia hac ratione non ſupernaturalia ſolum, ſed etiam naturalia omnia ad ſui comprehenſionem, naturæ diuinæ comprehenſionem vendicarent, cum omnia cognoſcantur omnium perfectiſſimo modo in Deo pleniſſime comprehenſo. Nec item requiri poteſt, vt omnes eorum donorum perfectiones, diſtinctè, ac quidditatiuè appareant, nulla abſcondita, qua nobiliora ex parte obiecti exiſtãt. Nam perfectiones omnes, quæ in ſupernaturalia à Deo infinito deriuantur, non ſunt infinitæ, ſed finitæ. Aliunde in ſe immediatè cognoſcibiles, vt diſputatione antecedenti cum ipſo P. Suarez probatum reliquimus. Ergo poſſunt omnes cognitione finitã in ſe immediatè diſtingui, quin comprehenſione Dei opus ſit. Multitudo enim, & intenſio finita perfectionum in ſe immediatè cognoſcibilis extra viſionem immediatam Dei poteſt cognitione quidditatiua finita adæquatè apprehendi. Confirmatur. Res non apprehẽditur perfectior, quòd modo perfectiori cognoſcatur, ſed quod pluribus perfectionibus intrinſecis innoteſcat. Neq; enim albedo perfectior cogitatur ab Angelo ſupremo, quam ab infimo ipſam comprehendente, etiamſi perfectiori cognitione Angelo ſupremo objiciatur, quia ab vtroque eadem Secunda.

Digitized by Google

perfectiones euidenter, ac quidditatiuè diſtinguntur. Sed comprehenſione naturæ diuinæ non diſtinguuntur in dono ſupernaturali plures perfectiones intrinſecæ, quam poſſunt diſtingui cognitione quidditatiua talis doni in ſe immediatè, aut etiam cognitione quidditatiua talis doni in Deo, non comprehenſiua naturæ diuinæ. Ergo comprehenſione naturæ diuinæ non apprehenditur res ſupernaturalis perfectior, quam alia cognitione ſupernaturali poſſibili, quæ non comprehenſiua ſit. Aliunde talis comprehẽſio non exigitur, quod ad rei comprehenſionem modus cognoſcendi omnium perfectiſſimus exigatur. Ergo ad comprehenſionem donorum ſupernaturalium fruſtra exigitur comprehenſio Dei. Probatur prima minor. Nulla eſt perfectio intrinſeca doni ſupernaturalis, quæ non poſſit concipi diſtinctè, & quidditatiuè, aut in ſe, aut in Deo abſque comprehenſione naturæ diuinæ, vt conſtat ex diſputatione præcedenti: ergo etiam omnes, nulla abſcondita, qua donum in ſe perfectius ſit, poſſunt diſtinctè, & quidditatiuè apprehendi. Probatur conſequentia; quia omnes ſunt finitæ intenſione, & varietate. Perfectiones autem finitæ in ſe, & in Deo cognoſcibiles ſine comprehenſione Dei non indigent comprehenſione Dei, vt diſtinctè cognoſcantur. Ergo æquè perfecta poteſt cognoſci extra comprehenſionem Dei, ac per Dei comprehenſionem. Atquè adeò ad ſui comprehenſionem fruſtranea erit comprehenſio Dei.

SECTIO TERTIA.

Explicatur argumentum contrariæ ſententiæ.

Prima explicatio argumenti. 9. Hinc negotium nullum eſt aduerſantium argumentum diluere. Primò, quia non eſt ſemper verum, quò terminus in ſe perfectior cognoſcitur, eò perfectiorem innoteſcere vnionem, atque habitudinem rei. Nam licet id verum ſit quoad abſtractiuam cognitionem rei, & eam, quæ à ſigno cõparatur, tamen quoad omnem cognitionem immediatam, & quidditatiuam à vero abeſt. Etenim poſſunt omnes perfectiones vnionis, atque habitudinis rei in ſe immediatè cognoſci non ſolum, quoad extenſionem, verumetiam quoad intenſionem, cum omnis quantitas, atque cumulus perfectionum, quæ è termino quamuis infinito, deriuantur, finitus ſit, & in ſe immediatè ſeorſim ab alio medio cognoſcibilis. Cum autem omnes perfectiones rei, à quibus perfectionis quantitas deſumitur, quoad intenſionem, & extenſionem earum quidditatiuè innoteſcunt, non apparet aliunde perfectior res, quod ipſius terminus in ſe immediatè per aliam cognitionem excellentior innoteſcat, quandoquidem iam innotuit per immediatam cognitionem habitudinis, tota intenſio, & extenſio perfectionum, quæ ex maiori illa perfectione termini de nouo comperta effluebat. Vnde poteſt cõtingere quod comprehẽſione Dei non appareant ſupernaturalia perfectiora, quam alia cognitione ſupernaturali poſſibili creaturæ, quæ eadem, aut in ſe immediate, aut in diuina natura quidditatiuè diſcernat, quamquam modo perfectiori per talem comprehenſionem diſtinguantur; vt de eadem albedine cognita ab Angelo infimo, atque ſupremo dicebamus num præcedenti.

10. Deinde quia vt probabamus num. 7. ad comprehenſionem rei opus non eſt, adæquare cognoſcibilitatem formalem extrinſecam, ſed tantum intrinſecam. Res autem per comprehenſionem ſui termini non cognoſcitur perfectius, aut perfectior cognoſcibilitate intrinſeca, ſed tantum extrinſeca. Nec obeſt, rem comprehendi poſſe in Deo, quamuis non habet in eo cognoſcibilitatem intrinſecam, ſed tantũ extrinſecam. Quia cognoſcibilitas extrinſeca æquiualens cognoſcibilitati intrinſecæ conſtituit rem quidditatiuè, & comprehenſiuè cognoſcibilẽ in illa. Secus vero cognoſcibilitas extrinſeca, non æquiualens intrinſecè. At cognoſcibilitas extrinſeca æquiualens, & excedens conſtituit rem ſupercomprehenſibilem in ipſa. Res igitur in Deo ſupercomprehenſibilis erit quoad exceſſum, quo res perfectius in Deo comprehenſo, quàm in ſe ipſa immediatè penetratur. Secunda.

11. Denique, quia vt habitudo eſtimetur perfectior, non ſufficit, terminum cogitari perfectius, ſed perfectiorem, dignoſcendo in illo ex parte obiecti plures perfectiones. Poteſt autem contingere cognitione increata comprehendente naturam diuinam non cognoſci Deum perfectiorem, hoc eſt cum pluribus perfectioribus obiectiuis, quam per cognitionem creatam non comprehendentem cognoſcatur. Nam probabiliſſima mihi eſt eorum opinio, qui volunt, Deum non eſſe incomprehenſibilem à creatura, quòd repugnet cognitio creata adæquata cognoſcibilitati Dei ex parte obiecti, hoc eſt, aſſequens ex parte Dei cognoſcendi quidquid in ipſo formaliter, & eminenter contentum cognoſcibile eſt, ſed tantum quod modus implicet, quo Dei cognoſcibilitas exhauriatur. Tunc igitur vnio, & alia quæuis habitudo in Deum non apparebit perfectior Deo comprehenſo, quàm non comprehenſo. Siquidem nec ipſe Deus in ſe cognitioni comprehendenti perfectior quam non comprehendenti objicitur, quamquam perfectius ex parte modi comprehendenti objiciatur. Tertia.

SECTIO QVARTA.

Corollarium de comprehenſione vnionis hypoſtaticæ.

Vnio hypoſtatica poteſt cognitione creata comprehendi.

12. Ex dictis liquido conſtat vnionem hypoſtaticam non eſſe cognitione creatâ incomprehenſibilem. Nam ſecluſa incomprehenſibilitate Dei nihil poteſt reddere illam

Digitized by Google

incomprehenſibilem. Incomprehenſibilitas autem Dei non poteſt vnionem hypoſtaticam potius quam alia dona, & modos ſupernaturales reſpicientes eſſentialiter Deum, à creatura incomprehenſibilem conſtituere. Cum ſuperioribus ſatis oſtenſum ſit, poſſe eſſe comprehenſionem illius, ſeorſim omnino ab exacta comprehenſione Dei.

Obijcitur difficile argumentum

13. Cæterum aduerſus comprehenſionem vnionis hypoſtaticæ peculiariter vrget argumentum minimè diſſimulandum, quod ex cõmuni ſententia requirente ad comprehenſionem æqualitatem inter principium cognoſcens, & obiectum cognitum, ſic conficio. Ad comprehenſionem opus eſt, vt principium cognoſcens ſit æqualis perfectionis cum obiecto cognito. Sed nullum eſt principium creatum cognoſcens æqualis perfectionis cum vnione hypoſtatica. Ergo nullum eſt creatum principium, quod poſſit comprehendere vnionem hypoſtaticam. Maior videtur certa: quia nulla alia ratione Deus eſt incomprehenſibilis à creatura, niſi quia perfectio principij intelligentis nulla ratione poteſt æquare perfectionem obiecti cogniti. Probatur minor. Quia principium cognoſcens quidditatiuè vnionem hypoſtaticam partim eſt naturale, & partim ſupernaturale. At neque perfectio naturalis, neque perfectio ſupernaturalis eſt æqualis vnioni hypoſtaticæ. Naturalis enim eſt in genere ignobiliori. Supernaturalis eleuans intellectum ad cognoſcendum vnionem eſt accidentalis, & omnino finita, vt *quo*, & vt *quod*. Vnio hypoſtatica vero eſt ſubſtantialis, & infinita ſaltem vt *quo*, cum humanitati conferat ſanctitatem infinitam. Ergo nullum eſt creatum principium cognoſcens quidditatiuè vnionem hypoſtaticam, quod ſit æqualis perfectionis cum illa. Confirmatur. Quamquam vnio hypoſtatica ſit perfectionis finitæ, nulla eſt poſſibilis creatura, quæ illam propria virtute contineat, quia non poteſt continere eminenter vnionem, niſi agens quod continet eminenter compoſitum, quod vnione producitur, quare vnionem hominis non poteſt producere agens inferius homine, quamquam ipſam vnionem perfectione excellat. Nullum autem eſt agens creatum, quod contineat eminenter compoſitum ex vnione hypoſtatica reſultans; quippe quod verbi infinitatem complectitur. Ergo ſimiliter principium comprehendens vnionem hypoſtaticam æquari debet cognitione, & perfectione non ſolum vnioni: ſed etiam compoſito, quod ex vnione reſultat. Hoc autem impoſſibile eſt creaturæ. Ergo impoſſibile erit eidem vnionem hypoſtaticam comprehendere.

Occurritur primo.

14. Hoc argumentum in primis falſum ſupponit, nimirum ad comprehenſionem opus eſſe æqualitatem principij cognoſcentis cum obiecto. Nam poteſt contingere principium inferioris perfectionis cognoſcere obiectum ſuperius cognitione æquali ei, qua idem obiectum adæquatè cognoſcitur à principio ſibi æquali, v. g. Angelum ſuperiorem quoad omnia, quæ continet formaliter, & eminenter, ab inferiori cognoſci cognitione æquali ei, quæ ipſe Angelus ſuperior a ſeipſo cognoſcitur. At cognitio, qua Angelus ſuperior à ſeipſo cognoſcitur, poteſt eſſe comprehenſiua. Ergo etiam cognitio illi æqualis, qua cognoſcitur ab inferiori. Quandoquidem æquari non poteſt modus cognoſcendi vnius cognitionis cognoſcibilitati obiecti, quin modus æqualis alterius eidem adæquetur. Itaque conſequentia, & minor probatione non egent. Probatur maior. Poſſunt duo agentia inæqualis perfectionis, vnam, aut alteram operationem edere omnino æqualem, imo quod ignobilius eſt, perfectiorem aliquam eâ, quam poteſt nobilius. Vt equus ignobilior homine continet plures vitales functiones præſtantiores, quam homo, v.g. modum localem, nutritionem, auditum, tactum, & viſum. Item ſol ignobilior, quam planta poteſt intenſiorem calorem, quam illa. Neque enim maior ſimpliciter perfectio rei exigit exceſſum omnium operationum, & proprietatum alterius; quamuis enim in vna, aut altera æqualis ſit, poteſt in alijs ſuperari. Ergo poteſt componi Angelum penetrare cognoſcibilitatem alterius Angeli, cognitione æquali ei, qua ſemetipſo penetratur; quamquam inferioris aliâs perfectionis ſit. Nam excepto eo obiecto ſuperſunt infinita alia, in ordine ad quæ ſuperioris excellẽtia deſumatur. Quæ quidem, vt poteſt in ordine ad alia cum inferiori æquari, poterit ſanè in ordine ad cognitionem, qua ipſius natura penetratur. Certum igitur manet, poſſe Angelum inferiorem cognitionem elicere diſtinguentem omnia quæ ſunt formaliter, & eminenter in Angelo ſuperiori, æqualem ei, quæ à ſemetipſo elici poteſt, atque adeo adæquatam cognoſcibilitati ipſius, & comprehenſiuam, ſicut eſt cognitio à ſemetipſo elicita. Ac per conſequens ad comprehenſionem fruſtra requiri æqualitatem principij cognoſcentis, & obiecti cogniti. Hoc argumento male torſi in publicis diſputationibus aliquos recentiores, qui poſtea conſultius conſiderantes vim ipſius, in commentarijs de viſione Dei coacti ſunt mutare ſententiam.

15. Deinde poteſt dari cognitio creata procedens à principio cognoſcenti æqualis perfectionis cum vnione hypoſtatica vt *quo*, & vt *quod*, nempe cognitio ipſius Chriſti, in quo ſane ſubſiſtentia verbi complens humanitatem ad operandum, principium cognoſcendi conſtituit: præſertim ſi aſſeratur cognitionem ſupernaturalem quidditatiuam vnionis pendere per ſe à ſubſiſtentia verbi. Item ſubſtantia ſupernaturalis, quæ mea opinione non repugnat. Rurſus complexum ſubſtantiæ Angelicæ, & luminis ſupernaturalis excellentiſſimi. Etenim licet moraliter pluris æſtimetur vnio hypoſtatica ſeorſim à verbo quam compoſitum ex ſubſtantia Angelica, & collectione donorum ſupernaturalium poſſibilium; tamen Phyſicè loquendo plures in eo compoſito perfectiones inueniuntur, quam in modulo vnionis hypoſtaticæ. Neque verum eſt, quod confirmatio contendit, nimirum ad comprehenſionem vnionis hypoſtaticæ deſiderari æqualitatem

Occurritur ſecundo.

Digitized by Google

tatem cognoſcentis cum compoſito, quod vnione coaleſcit, ſicut ad eiuſdem productionem deſideratur. Nam diuerſa planè eſt comprehenſionis, atque productionis ratio. Etenim productio vnionis ea ratione exigit principium continens perfectionem partium, quia reuera vnionis productio eſt realis quædam perfectionis partium communicatio; nullum autem agens poteſt alijs perfectionem, quam in ſe non præhabet, communicare. At vero comprehenſio vnionis non eſt vera perfectionis partium communicatio; vt talis, non eſt quidditatiua cognitio, quæ ſanè à principio ignobiliori poſſibilis ab ipſis aduerſarijs admittitur. Nihil igitur prohibet vnionem hypoſtaticam, ſicut alia dona ſupernaturalia, cognitione ſupernaturali creata diuinitus comprehendi.

DISPVTATIO DECIMAQVARTA.

AN SVPERNATVRALIA SINT SVPRA deſiderium voluntarium naturæ?

POSQVAM vidimus excellentiam ſupernaturalium ſupra cognitionem naturæ, procliue eſt differere de eorumdem excellentia ſupra amorem. An poſſint amore naturali arbitrij deſiderari? Qua in re plura ſunt Theologorum placita, quæ noſtris aſſertionibus proponemus. Qui ſane licet diſputationem habeant de affectu naturali beatitudinis ſupernaturalis, tamen omnia quæ in eius affectus probationem, & impugnationem contendunt, eodem prorſus modo conferunt in affectum naturalem reliquorum donorum ſupernaturalium, quæ media ſunt, aut attributa quædam beatitudinis ſupernaturalis. Quippe omnis controuerſia in ſupernaturalitatem beatitudinis reuocatur, quæ ſupernaturalitas omnibus donis, quæ noſtra diſputatio complectitur, communis eſt.

SECTIONES.

1. *Nullum deſiderium ſupernaturalium conferens in ſalutem, etiam conditionatum, & inefficax poteſt fieri facultate naturæ.*
2. *Aliquod deſiderium ſupernaturalium non conferens in ſalutem, haberi poteſt facultate naturæ, etiam ſecluſa reuelatione Dei.*
3. *Poſſunt expeti ſupernaturalia affectu naturali ex ſe abſoluto, & efficaci.*
4. *Autores & fundamenta contrariæ opinionis.*
5. *Expediuntur aliquæ dubitationes de deſiderio naturali ſupernaturalium.*

SECTIO PRIMA.

Nullum deſiderium ſupernaturalium conferens in ſalutem, etiam conditionatum, & inefficax poteſt fieri facultate naturæ.

1. IN hoc aſſerto omnes Catholici conſtantes ſunt. Nihil enim omnibus Theologis ſolemnius, quàm nullum opus, quamuis imperfectum, quod in ſalutem promoueat, fieri abſque auxilio gratiæ; oppoſitumque Semipelagianorum ſententiam eſſe. Ita manifeſtè Concilium Arauſicanum 2. can. 5. ibi. *Si quis ipſum credulitatis affectum, quo in Deum credimus, non per gratiæ donum, id eſt, per inſpirationem Spiritus ſancti corrigentem voluntatem noſtram ab infidelitate ad fidem, & naturaliter nobis ineſſe dicit, Apoſtolicis dogmatibus aduerſarius approbatur.* can. 6. *Si quis ſine gratia Dei volentibus, deſiderantibus, conantibus, petentibus, quærentibus nobis miſericordiam dicit conferri, non autem diuinitus, vt velimus vel hæc omnia, ſicut oportet agere valeamus per infuſionem, & inſpirationem Sancti ſpiritus in nobis fieri confitetur, reſiſtit Apoſtolo.*&c. Vbi non ſolum fidem, & alia pietatis opera, ſed etiam affectum, & deſiderium fidei, & aliorum operum ſalutarium, cum ſalutare quidem eſt, in gratiæ auxilium, & infuſionem Spiritus ſancti Patres Arauſicani referunt. Accedit Concil. Moguntinum tom. 4. cap. 5. *Homines*

[Aſſerti probatio.] [Concilium Arauſ.] [Moguntinum.]

Digitized by Google

nondum adiuti gratia Dei, ea quæ ſunt Spiritus, & ad ſalutem conferunt non agnoſcere, ne dum appetere queunt.

Auguſtinus 2. Item Auguſtinus lib. de correctione, & gratia cap. 1. vbi *deſiderare auxilium gratiæ*, ait, *initium eſt gratiæ*, quia nimirum tale deſiderium

Proſper. abſque gratia non concipitur. D. Proſper in hac doctrina multus, & frequentiſſimus eſt lib. 1. de vocat. gentium cap. 8. *Si quærit victoriam, non dubitet quærendi affectum ab illo ſe accepiſſe quem quærit.* Et infra iuxta Codicem Cambronenſem. *Nullo, mortalis homo, ſpiritualem noui generi dignitatem deſiderio appetit, qui calorem ipſius deſiderij non accepit à Deo.* Quid magis ad rem? Item fine. *Saluari volentes omnino ſaluantur, quia ipſum deſiderium ſalutis ex Dei inſpiratione concipiunt.* Et cõtra Collatorem cap. 8. exprobans Caſſianum: *Dices ergo habere hominem a ſemetipſo deſiderium ſanctitatis.* Et poſt pauca. *Salus prima eſt, vt ſibi incipiat diſplicere. Sequens vera eſt, vt & ſanari deſideret, & à quo ſananda ſit, nouerit. Quæ curationem ipſius ſic præcedunt, vt ei ab illo, qui ægram ſanaturus eſt, inſerantur.* Lib. de ingratis cap. 19. *Bene velle gratia dat. Ergo voluntatis genitrix, operumque creatura non eſt ex merito*, cap. 20.

Nonne
Perſpicuum eſt quantum damnatos confoueatis,
Dum cuique ad vera capienda exordia vitæ
Naturam affectum fidei conferre docetis.

Nullas igitur affectus fidei, nullum ſalutis, aut alterius ſupernaturalis doni deſiderium, quod in ſalutem conferat, in facultatem naturæ abſque Pelagianiſmo refertur. Pluribus opus non eſt in probationem doctrinæ omnibus nunc probatiſſimæ. Habemus ſatis multa diſput. 17. & ſequentibus, vbi huius aſſerti rationem expendemus, quæque eius expugnationem vrgent, explicabimus.

Opponitur Cyrillus. 3. Oppones nunc Cyrillum Alexandrinum de lib. arb. col. 5. *Capax eſt hominis conſtitutio, aut potius natura, & bonitatis, & iuſtitiæ, & ſanctificationis, eorumque inſitum ſibi habet à Deo deſiderium.* Ergo deſiderium iuſtitiæ, & ſanctitatis inſitum, & connaturale eſt.

Exponitur. Reſpondeo. Deſiderium eorum bonorum ſupernaturalium non dicitur à Cyrillo inſitum à natura, ſed à Deo; atque adeò non naturale, ſed infuſum, ac ſupernaturale putandum eſt. Quare mox adiungit. *Quod enim infuſa ſit hominis naturæ ex prima creatione omnis boni appetentia, atque propenſio, declarat ſapientiſſimus Paulus Rom. 2.* En infu-

Rom. 2. ſam vocat appetitionem boni; in eiuſque declarationem adducit teſtimonium Pauli ad Rom. 2. quod diſput. 20. nu. 60. de operibus ſupernaturalibus gratiæ cum Auguſtino & alijs exponemus. Id quod etiam Cyrillus oſtendit ſubdens: *Manifeſtum cuiuis fuerit, quod iuſta, & bona in principio fuerit hominis natura, & bonitatis Dei imaginem præ ſe ferens. Sancta enim erant prima humana vitæ tempora.* Quæ planè ordinem ſupernaturalem præ ſe ferunt.

Obijcitur Proſper. 4. Oppones ſecundo. Proſperum lib. 3. de vita contempl. cap. 2. *Nobis irreprehenſibiliter viuere velle non ſufficit, niſi ipſum velle noſtrum, quod languida poſſibilitate deficit, diuina virtus adiuuerit.* In quo teſtimonio duo expendenda ſunt. Alterum, *ipſum velle*, dici *noſtrum*, & *languida*, quidem, *poſſibilitate deficiens*, certè quia facultate naturæ elicitum eſt; nam facultate gratiæ elicitum non erat, quare ipſum velle potius diceretur noſtrum, quam irreprehenſibiliter viuere: Nec quare languida poſſibilitate deficeret, & non potius robuſta poſſibilitate vigeret. Alterum, diuinam virtutem adiungi noſtro velle ad perficiendum ipſum irreprehẽſibiliter cernere, quia ſine auxilio ſpeciali diuinæ virtutis comparatum ſupponitur inſufficiens ad opus volitum. Ergo velle conducens in opus ſupernaturale ſine auxilio ſpeciali gratiæ concipitur.

5. Reſpondeo, animus Proſperi eo in loco tantum eſt diſcrimen oſtendere inter conditionem naturæ vitiatæ per culpam, & conditionem naturæ ante culpam ſanæ. Videlicet naturam ſanam ante culpam potuiſſe facili negotio pro ſuo velle innocenter viuere, quia maius, ſecundum entitatem, auxilium opus non erat ad volendum aliqua ratione innocentem vitam, & ad reipſa obtinendum illam; quoniam victoriam quarumcumque tentationum, & perſeuerantem legis obedientiam facile pro ſuo velle auxilijs ordinarijs poterat comparare; at verò naturam vitiatam id quidem non poſſe, ſed peculiariſſimum auxilium ſecundum entitatem requiri ad aliquarum tentationum reſiſtẽtiam, continuamque legis obſeruantiam, diſtinctum ab eo, quod ordinariè ad volendum aliqua ratione irreprehenſibiliter viuere, conferri ſolet. Quod commune eſt Theologorum iudicium vt oſtendemus lib. 5. conſtabitque manifeſte ſi integrum reddamus teſtimonium ſuperius, quod eſt huiuſmodi. *Non eo modo iam poſſumus peccato reſiſtere, ſicut ille* (Adamus) *potuit, cui nihil aliud fuit non peccare, quam nolle. Nobis autem irreprehenſibiliter viuere velle non ſufficit. Et quia illud ad non peccandum etiam iuuare poterat adhuc ſana natura, nos iam impedit vitiata, & illum peccare fecit ſola peccandi voluptas; nos etiam cogit plerumque peccati iam facta neceſſitas.* Vnde ipſum velle innocenter viuere, nunc quidem noſtrum dicitur, non autem dicitur ipſum viuere; quia ipſum velle re ipſa nunc auxilijs gratiæ comparamus; ipſum autem viuere innocenter ſoli Mariæ conceſſum fuit. Item hoc velle *Languida poſſibilitate deficere*, dicitur, *Diuinaque ei accedente virtute iuuari:* quia auxilia ordinaria gratiæ, quæ velle conferunt, abſque acceſſione maioris virtutis, ipſum viuere innocenter non conſequuntur. Explicatur.

6. Oppones tertio, Chryſoſtomum hom. 17. in Ioannem aſſerentem noſtrum eſſe velle, Chryſoſtomus. Dei autem auxilia tribuere, noſque volendo incipere, nec Deum voluntates noſtras præuenire. Sed Chryſoſtomus longo examine explorandus eſt diſput. 17. ſect. 11. Vbi plura alia vberius rem iſtam confirmabunt.

Digitized by Google

SECTIO SECVNDA.

Aliquod deſiderium ſupernaturalium non conſerens in ſalutem, haberi poteſt facultate naturæ, etiam ſecluſa reuelatione Dei.

Autores. D Bonauẽtura. P. Suarez. P Salas. P Hurtice. Zumel. Machin. Albelda. Nazarius. P. Fonſeca. Bannes. P. Granadus. P. Faſolus.

7. ITa D. Bonauent. in 4. d. 49. q. 2. P. Suarez 1. 2. diſp. 16. ſect. vltima, P. Salas, 1. 2. tract. 2. d. 12. ſect. 3. P. Hurtice 1. p. diſp. 38. cap. 1. Zum. 1. p. q. 12. art. 1. con. 1. Machin. 1. p. diſp. 14. ſect. 4. con. 1. Albelda 1. p. diſp. 24. ſect. 2. con. 5. Nazarius 1. p. q. 12. art. 1. con. 5. P. Fonſeca 1. met. c. 1. q. 2. ſect. 3. Bannes 1. p. q. 12. art. 1. con. 2. P. Granadus 1. 2. contro, 1. tract. 3. diſp. 5. ſect. 2. P. Faſolus 1. p. q. 12. art. 1. dub. 1.

Prima probatio ratione Auguſtini & Thomæ.

8. Probatur primo. Beatitudo ſupernaturalis poteſt deſiderari affectu naturali. Ergo etiam reliqua dona ſupernaturalia. Conſequentia eſt manifeſta. Tum quia beatitudo inter dona ſupernaturalia excellentiſſimum eſt. Tum quia eo affectuum genere quo expetitur finis, expeti poſſunt, media promouentia in finem. Beatitudo autem finis eſt; reliqua dona media promouentia in illum. Antecedens probatur ab Auguſtino communi omnium hominum experimento. Nam lib. 4. contra Iulianum cap. 3. *Non omnes homines*, inquit, *inſtinctu naturali immortales, & Beati eſſe vellemus, niſi eſſe poſſemus; ſed hoc ſummum bonum præſtari hominibus non poteſt, niſi per Chriſtum.* Vbi per inſtinctum naturalem ſatis indicatur deſiderium naturale; & per ſummum bonum, hominibus præſtandum per Chriſtum, proculdubio beatitudo ſupernaturalis. Quo ſenſu lib. 13. de Trinit. cap. 8. ait. *Ad volendum beatitudinem natura compellit.* Idem antecedens probatur à S. Thoma 1. p. q. 12. art. 1. & 3. contra Gent. cap. 51. Quia omnes homines, præſertim ſapientes, viſis creaturis naturaliter excitantur in ſtudium, ac deſiderium videndi creatorem, qui mirabiles omnium perfectiones indiuiduè, ac eminenter complectitur: iuxta illud Ariſtotelis. *Omnes homines naturaliter ſcire deſiderant.* Ergo principijs naturæ excitatur deſiderium viſionis Dei: quæ eſt intrinſecè ſupernaturalis. Notitia namque abſtractiua Dei imperfecta eſt, comparaturque ex ipſis effectibus, quin expleat hominis appetitum.

Auguſtinus

S. Thomas.

Sanctus Thomas nõ bene explicatur à Caietano.

9. Nec admittendæ ſunt duæ expoſitiones Caietani 1. p. q. 12. art. 1. & 1. 2. q. 3. & 5. art. 8. Altera, vt deſiderium videndi Deum dicatur naturale, ſolum ex parte ſubiecti, ſcilicet quia ſubiecto naturali ineſt. Altera, vt dicatur naturale homini, non ſecundum ſe, ac nude conſiderato, ſed vt eleuato ad finem ſupernaturalem, & ſuppoſita reuelatione Dei. Prior quidem deſerenda eſt; quia ea ratione, ex parte ſubiecti etiam gratia, & viſio beata naturales ſunt. Aliter autem aſſeritur à S. Thoma naturalis appetitus videndi Deum. Poſterior verò; quia tale deſiderium ponitur excitari ex notione creaturarum; ergo non ex ſuppoſita eleuatione, & reuelatione ſupernaturali. Item quia tale deſiderium adducitur à S. Thoma ad probandum poſſibilem viſionem Dei. Si autem ſupponeret per ſe eleuationem, & reuelationem viſionis, perperam probaret ex tali deſiderio poſſibilitatem viſionis; ſiquidem ad tale deſiderium ſupponi opus erat ipſam poſſibilitatem viſionis, quam eleuatio, & reuelatio reſpicerent. Quin congruentius eſſet, conficere probationem ex eleuatione, & reuelatione, quam præexigebat deſiderium, quam ex ipſo deſiderio.

10. Nec item audiendus eſt Ferrarienſis 3. contra Gent. cap. 51. vt tale deſiderium tantum ſit videndi Deum, tanquam primam cauſam; quo pacto Deus non eſt obiectum ſupernaturale, ſed naturale; ſecus videndi tanquam obiectum beatificum, qua ratione non eſt obiectum naturale, ſed ſupernaturale. Quia viſio intuitiua cauſæ primæ, ac creatoris omnium rerum tam ſupernaturalis eſt, excedenſque facultatem naturæ, quam viſio intuitiua obiecti beatifici. Ergo deſiderium talis viſionis erit deſiderium obiecti ſupernaturalis. Conſequentia bona eſt: antecedens probandum tract. de beatitudine. Nec probandus Sotus lib. 1. de natura & gratia cap. 4. & in 4. ſentent. diſp. 49. q. 2. vt tale deſiderium non ſit naturale elicitum, ſed naturale innatum. Quia illud deſiderium aſſeritur excitari ex cognitione creaturarum. Deſiderium autem ex cognitione excitatum, elicitum eſt, non innatum. Poſtremò nec P. Vaſquez 1. 2. d. 22. c. 4. vt eiuſmodi deſiderium dicatur naturale, non prout opponitur ſupernaturali, ſed libero, quia quoad ſpecificationem ſaltem neceſſarium eſt. Quoniam eſto, tale deſiderium dicatur naturale, quia neceſſarium; negari nequiquam poteſt eam neceſſitatem intelligi inductam ex vi cognitionis naturalis ſapientum, cum eam cognitionem creaturarum intellexerit, quæ Catholicis, & infidelibus communis eſt. At deſiderium neceſſario conceptum ex cognitione naturali, non poteſt eſſe ſupernaturale, ſed naturale. Ergo S. Thomas poſuit deſiderium naturale beatitudinis ſupernaturalis.

Neque à Ferrarienſi.

Nec à Soto

Nec à P. Vaſquez.

Secunda probatio à priori.

11. Secundo à priori probatur aſſertio poſita. Intellectus creatus ſiue Angelicus, ſiue humanus, ſecluſa reuelatione Dei, poteſt conſequi probabili aliqua ratione poſſibilitatem viſionis beatæ, vnionis hypoſtaticæ, adoptionis, atque amicitiæ cum Deo, aliorumque donorum ſupernaturalium, quæ nobis vt bona, & amabilia proponuntur. Cognitio autem probabilis poſſibilitatis bonorum ſufficit ad mouendum amorem illorum. Ergo ſecluſa reuelatione Dei poſſunt amari facultate naturæ dona ſupernaturalia. Maior conſtat ex decurſis diſputationibus. Minor quotidiano experimento nota eſt. Conſequentia non indiget probatione.

12. Nihilominus dices primo; Bonitatem eorum donorum probabiliter propoſitam eſſe ſupernaturalem, atque ideo ineptam, vt affectu naturali ametur. Sed contra: primo. Poteſt

Digitized by Google

affectus naturalis moueri formaliter ex bonitate ſupernaturali, vt videbimus ſect. 3. Ergo. Secundo, dona ſupernaturalia ſunt ad plures fines naturales conducentia; virtutes enim, & ſcientiæ ſupernaturales maximi emolumenti ſunt ad plura opera naturalia. Ergo quamquam non expetantur ex motiuo intrinſecè ſupernaturali, poſſunt ſaltem expeti ex motiuo naturali. Quod nobis nunc ſufficit.

13. Dices ſecundo; quamuis expetantur affectu intrinſecè naturali, ſemper requiri auxilium aliquod ſpeciale gratiæ; quo affectus omnino non erit naturalis. Sed contra, primò: quia ex natura rei poſſunt fieri affectus honeſti naturales abſque auxilio gratiæ, vt ſtatuimus lib. 5. Deinde quia dona ſupernaturalia poſſunt expeti affectu indifferenti; quandoquidem ſunt in plura emolumenta indifferentia maximè vtilia. Auxilium gratiæ autem ſolum ad effectus honeſtos exigitur. Præterea quia auxilium gratiæ requiſitum ad affectum naturalem non eſt gratia quoad ſufficientiam auxilij, ſed tantum quoad congruitatem, & efficaciam: qua ſolum ratione ad amorem honeſtum obiecti naturalis, deſideratur gratia in hac ſententia. Nos autem ſolum expendimus ſufficientiam naturæ ad amandum dona ſupernaturalia, & ſupernaturalium excellentiam ſupra virtutem ſufficientem ad amorem naturalium.

Tertia à poſteriori.

14. Tertio ſic arguo. Poſſunt expeti ſupernaturalia affectu prauo. Affectus prauus eſt omnino naturalis. Ergo poſſunt expeti ſupernaturalia affectu naturali, non conferente in ſalutem. Minor, & conſequentia manifeſtæ ſunt. Probatur maior. Simon Magus Actor. 8. ambiuit poteſtatem ſupernaturalem tribuendi Spiritum ſanctum, eamque ab Apoſtolis procurauit; Dæmones 1. p. q. 66. art. 3. & 2. ſent. diſt. 6. appetierunt inordinatè beatitudinem ſupernaturalem, aut excellentiam diuinitatis, aut Chriſti; Hæretici ſeſſ. 6. c. 4 Tridentini, vanâ fiduciâ ſperant remiſſionem peccatorum, & ſalutem æternam: denique Sacerdotes ſacrilegi in fines malignos dirigunt conſecrationem Euchariſticam, ordinationem, & abſolutionem ſacramentalem. Ergo prauis affectibus ſupernaturalia amari poſſunt.

Actor. 8.

Aduerſantur.

15. Nobis aduerſantur Caietanus 1. p. q. 12. art. 1 §. *ad euidentiam*, & 1. 2. q. 3. & 5. art. 8. & P. Vaſquez 1. 2. d. 22. c. 4. Quamuis ex diuerſo fundamento. Caietanus, quia ſecluſa reuelatione Dei non poteſt haberi notitia donorum ſupernaturalium. Ergo nec deſiderium. Quo argumento ad eamdem ſententiam conuincitur Sotus in 4. diſt. 49. q. 2. art. 1. con. 4. P. Vaſquez vero, quia ſine auxilio gratiæ ſola facultate naturæ non poteſt fieri amor obiecti honeſti. Ergo nec amor obiecti ſupernaturalis. Eidem ſententiæ adiudicantur à nonnullis Ferrara, Bannes, Medina, & alij. Sed qui eos viderit, alterius planè iudicij erit. Caietanus deſeritur; quia, vt dicebamus num. 11. Poteſt natura aſſequi notionem probabilem donorum gratiæ; quæ ſufficit ad excitandum naturale deſiderium ipſorum. Item quia vt rectè obſeruant Bannes, & Albelda, etiam eorum, quæ impoſſibilia ſunt, poteſt haberi deſiderium ſimplex, & conditionatum; quod cum Ariſtotele 1. mag. moral. cap. 18. & 3. ethic. c. 2. to. 16. oſtendi lib. de anima. P. Vaſquez non admittitur; quia, vt dicebamus ſupra, poteſt eſſe amor honeſtus ſine auxilio gratiæ. Item poteſt eſſe amor obiecti ſupernaturalis, qui honeſtus non ſit; ſed indifferens aut malus. Vide num. 12.

Caietanus. P. Vaſquez

Sotus. P. Vaſquez Ferrara. Bannes. Medina.

Ratio Caietani nulla.

Bannes. Albelda.

Ariſt.

Item ratio P. Vaſq.

SECTIO TERTIA.

Poſſunt expeti ſupernaturalia affectu naturali ex ſe abſoluto, & efficaci.

Exponitur aſſertio.

16. Aſſertum explico. Dupliciter poteſt eſſe affectus abſolutus, & efficax. Primò ſolum intrinſecè, & quantum eſt ex ſe. Secundò intrinſecè, & extrinſecè, etiam quantum eſt ex parte eorum, quæ neceſſaria ſunt ad exequutionẽ operis amati. Affectus ſolum intrinſecè, & ex ſe efficax eſt ille, qui ita fertur in obiectum, vt ex modo expetendi illud repugnet componi cum odio efficaci ipſius, aut alicuius neceſſarij ad ipſius exequutionem, neceſſariamque connexionem habeat cum omnibus, quæ ad illam conferre poſſunt, caſu quo in voluntatis poteſtate conſtituantur; quamquam poſſit contingere, vt vires ei deficiant ad obtinendum, quod expetit; ideoque ex deffectu efficaciæ mediorum ſibi poſſibilium, non ex deffectu efficaciæ deſiderij ad operis voliti adeptionem non perueniat. Qua ratione dicitur efficax odium peccati, etiamſi illius maculam non deleat ſua vi, ex deffectu gratiæ, & benignitatis diuinæ, quæ ad illius deſtructionem opus eſt. Item poteſt eſſe efficax deſiderium Martyrij, quamquam ob deffectum tyranni non expleatur: ſimiliter eſt efficax voluntas occidendi hoſtem, cum totus animus contenditur in eius necem, licet ob ipſius reſiſtentiam ad optatum finem non perueniat. Ratio à priori eſt: quia ad efficaciam affectus non pertinet vis exequens, ſeu efficiens operis amati, ſed vis tantum neceſſario inferens, ſeu imperans principia exequentia illius, cum in poteſtate voluntatis poſita ſunt: quare deficientibus principijs exequentibus opus deſideratum poteſt adeſſe affectus abſolute efficax ipſius. Hinc affectus intrinſecè & extrinſecè efficax erit ille, qui, præter vim ſibi intrinſecam nuper explicatam, in ſua poteſtate habet media, ex quibus opus abſolutè perficiat. Atque adeò cum extrinſeca ſolum ſit differentia vtriuſque affectus, poteſt contingere, æqualem, quin maiorem efficaciam intrinſecam conuenire affectui, qui volitum opus exequutioni nõ mandat ex deffectu mediorum, quæ ad illam neceſſaria ſunt, quam is, qui re ipſa eius exiſtentiam adipiſcitur. Ita Scotus in 4. d. 49. q. 10. §. *dico quod duplex*, & ſequenti. Hac ratione pluribus Theologis 1. 2. q. 109. art. 3. commune eſt dilectionem Dei efficacem vocare illam, quæ adimpletioni præceptorum re ipſa con-

Affectus dupliciter abſolutus, & efficax.

Scotus.

Digitized by Google

iuncta eſt. Inefficacem vero illam, quæ præceptorum impletione non expletur; quamquam ex ſe æqualis efficaciæ, licet non æqualis perſeuerantiæ fuerit cum priori. Propter eaque ab alijs melius prior dilectio dicitur efficax in actu ſecundo; Poſterior vero, efficax in actu primo. Vt in re præſenti prior dicitur à nobis efficax ſolum intrinſecè, ſed extrinſecè inefficax, poſterior verò tam intrinſecè, quàm extrinſecè efficax.

17. Igitur pronuntiatum ſuperius non tuetur, poſſe naturam ſuis viribus affectum abſolutum concipere, qui poſterioris efficaciæ ſit, & intrinſecæ, & etiam extrinſecæ. Nequè enim volumus competere naturæ vires, quibus opus aliquod intrinſecè ſupernaturale perficiat. Hoc enim temerarium, & pæne erroneum aſſertum eſt. Medina. In quo ſenſu proculdubio cenſuit Medina 1.2. q. 3. art. 8. con. 3. omnino improbabilem eſſe ſententiam quæ admittit abſolutum, & efficacem affectum beatitudinis, atque adeò alterius cuiuſuis doni promouentis in illam, ſi viribus naturæ elicitus adſtruatur. Eſt ergo priori tantum ratione, hoc eſt, ſolum intrinſecè efficax, affectus naturalis, qui aſſertione noſtra proponitur. P. Salas. P. Herice. P. Granadus. P. Vaſquez. Cui ſententiæ adhærent manifeſte P. Salas, P. Erice, & P. Granadus relati num. 7. Nec longè abeſt P. Vaſquez 1.2. d.22. cap.4. aſſerens expreſſe affectu efficaci, quoad ſubſtantiam naturali, amari poſſe Deum vt beatificatorem noſtrum, ſolumque requirens auxilium gratiæ naturalis ad illum, eadem ratione, qua ad affectum inefficacem requirit, nempe quia moraliter bonus eſt, non quia abſolutus, & efficax eſt. Bannes. P. Suares. Itidem Bannes 1. p. q. 12. art. 1. con. 2. & P. Suarez 1.2. d. 16. ſect. vltima, qui affectus naturalis inefficaciam procedentis ex iudicio poſſibilitatis doni ſupernaturalis, in defectum virtutis exequutiuæ naturæ, non in defectum motionis illatiuæ, & imperatiuæ deſiderij referunt. Quod alijs etiam pluribus commune eſt, eo quidem indicantibus affectum naturalem, ſolum in poſteriori vſurpatione, non in priori efficacem reſpuere. Item Scotus ſupra aſſerens, affectum beatitudinis in damnatis eſſe poſſe ardentiorem, & intenſiorem, quam in eis, qui finem adipiſcuntur: quare cum talis affectus inefficax dicitur, de inefficacia extrinſeca, non intrinſeca accipiendus eſt. P. Valentia. Arrubal. Antonius Perez. Nec recedunt P. Valentia 1.2.q.5.p.1. circa finem. P. Arrubal 1.p.d.14.c.5. & Antonius Perez in Laurea Salmant. certam 5. Schol. dub. 3. nu. 30. affectus naturalis improportionem, non inremiſſionem, & inefficaciam, ſed in meriti defectum referentes; quod omnes fatemur.

Prima ratio aſſerti.

18. Probatur aſſertio primo ex Auguſtino, & Thoma adductis num. 8. Nam Auguſtinus ait; *Non omnes homines inſtinctu naturali beati eſſe ve'lemus, niſi eſſe poſſemus.* At amore inefficaci, & conditionato poſſemus velle eſſe beati, etiamſi non eſſe poſſemus: vt voluerunt reipſa Dæmones (plurium Theologorum iudicio) proprijs viribus eſſe beati; quamquam id impoſſibile ſit; quia vt dicebamus nu. 14. voluntas inefficax, & conditionata etiam impoſſibilium eſſe poteſt; Ergo. Doctor Angelicus etiam poſſibilitatem viſionis Dei colligit ex deſiderio naturali videndi Deum. Collectio autem eſſet nulla, ſi tale deſiderium poneret tantum inefficax, & conditionatum, quod in obiectum impoſſibile ferri poteſt. Ergo. S. Thomas ponit tale deſiderium abſolutum, & efficax.

Secunda.

19. Secundò probatur. Is eſt affectus intrinſecè abſolutus, & efficax, qui ita fertur in obiectum, vt repugnet coniungi cum odio efficaci ipſius, aut alicuius neceſſarij, ad ipſius exiſtentiam conducentis, vimque cogendi habet poteſtatem exequentem, vbi eius arbitrio ſubijciatur, vt obiectum volitum exequutioni detur. At affectus naturalis donorum ſupernaturalium poteſt eſſe eiuſmodi. Ergo affectus naturalis donorum ſupernaturalium poteſt eſſe intrinſecè abſolutus, & efficax. Conſequentia eſt legitima. Maior conſtat ex num. 16. Probatur minor. Voluntas conficiendi ſacramenta, vt conſecrandi panem, abſoluendi à peccatis, & quidpiam ſimile efficiendi poteſt eſſe naturalis; quin poteſt eſſe turpis, & ſacrilega. Talis voluntas ſic afficitur in ſupernaturalia, vt nequeat admittere odium efficax illorum, aut affectum efficacem alicuius impedientis illa. Ergo affectui naturali erga ſupernaturalia conuenire poſſunt conditiones affectus ex ſe abſoluti, & efficacis. Confirmatur. Confirmatur: Etiam ſuppoſita eleuatione naturæ ad finem ſupernaturalem poſſibilis eſt amor efficax naturalis Dei. At amor efficax naturalis Dei in natura eleuata, complectitur adimpletionem omnium præceptorum tam naturalium, quam ſupernaturalium, vt eo perſeuerante vtraque neceſſario obſeruentur. Ergo amori naturali competere poteſt erga ſupernaturalia vis, & efficacia intrinſeca num. 16. explicata. Maior, & minor conſtabunt contra Salmanticenſes recentiores diſp. 49. ſect. 3. In quam doctrinam expendemus propoſitionem 25. Michaëlis Baiy damnatam à Pio V. & Gregorio 13. quam in rem præſentem nonnulli proponunt. Pius V. Gregorius XIII. Conſequentia bona eſt. Etenim amor Dei ſuper omnia æquè eſt efficax ex ſe ad inducendum voluntatem in adimpletionem præceptorum ſupernaturalium, ac naturalium, vbi vtraque in noſtræ voluntatis poteſtate conſtituantur.

Confirmatio ſecunda.

20. Iterum confirmo argumentum. Poteſt hæreticus affectu ex ſe æquè abſoluto, & determinato, ac Catholicus ferri in obiectum ſupernaturale; v.g. ad ſuſcipiendum gratiam Euchariſticam, aut aliquod agendum miraculum, quod vtriuſque poteſtati ſubditum eſt: ſicut vterque aſſenſu æquè abſoluto, ac determinato repugnante cum diſſenſu, poteſt idem obiectum ſupernaturale approbare. At Catholicus fertur affectu ex ſe efficaci, hæreticus affectu naturali. Ergo affectu naturali ex ſe efficaci expetitur obiectum ſupernaturale. Rurſus; poteſt Deus decernere nullum fieri virtutis actum naturalem, quem circa idem obiectum non comitetur actus ſupernaturalis, præſertim mea opinione conſtituente virtutibus naturalibus, ac ſupernaturalibus idem obiectum formale,

Quinimo reipſa talem legem latam eſſe à Deo, monſtrabo pluribus diſ.20. Vnde voluntatem ſe determinare ad virtutis naturalis actum, erit reipſa ſe determinare ad actum virtutis ſupernaturalem, vnumque efficaciter imperari, erit imperari alium. At poteſt voluntas affectu naturali efficaci imperare virtutis actum naturalem. Ergo eodem poteſt & ſupernaturalem ipſi annexum. Ac per conſequens vi, & efficacia affectus naturalis poteſt cogi voluntas, vt principijs ſupernaturalibus actum ſupernaturalem exequatur. Inſuper; poteſt Deus ſtatuere nullum conferre concurſum in actum ſupernaturalem, & nihilominus beatitudinem ſupernaturalem conſtituere in poteſtate voluntatis elicientis aliquem actum naturalem, ita vt actus naturalis ſit conditio arbitrio diuino requiſita, vt beatitudinem ſupernaturalem largiatur. Tunc ſic. Homo, aut Angelus conſiderans ſibi poſſibilem beatitudinem ſupernaturalem adipiſci medio actu naturali, poteſt ſic affici in beatitudinem, vt ex vi talis affectus nequeat medium illud naturale ſibi poſſibile prætermittere. Ergo ex ſe affectus naturalis capax eſt, vt vi, & efficacia intrinſeca gaudeat, qua cogat voluntatem ad vſum omnium mediorum ſibi poſſibilium. Hoc autem ſufficit, vt affectus ſit ex ſe, & intrinſecè efficax. Ergo.

Tertia ratio. 21. Tertiò ſic arguo. Donum ſupernaturale poteſt proponi cognitione naturali probabili abſolutè poſſibile, & cum bonitate alliciente ex ſe quemuis affectum, & conatum voluntatis. Ergo propoſitum cognitione naturali poteſt excitare affectum abſolutum, & efficacem. Nam bonitas, & poſſibilitas obiecti propoſita voluntati, ſufficit excitare in illa deſiderium ex ſe abſolutum, & efficax. Et quidem bonum ſupernaturale, non eſt, vnde poſſit minuere vim & efficaciam affectus naturalis. Non ex defectu bonitatis, cum maior ſit ad alliciendum voluntatem bonitas ſupernaturalis, quam naturalis. Non ex defectu poſſibilitatis, cum abſolutè proponatur poſſibile, ſicut donum naturale. Non ex defectu virium ad illud aſſequendum. Tum quia vt dicebamus num.16. efficacia intrinſeca affectus à viribus exequentibus independens eſt. Tum quia re ipſa nunc eleuatione ſuperna collatæ ſunt naturæ vires, quibus plura dona ſupernaturalia obtineat, quæque affectu naturali in eorum adeptionem cogatur, etiamſi affectui naturali ipſi indebitæ ſunt, quod ad eius efficaciam intrinſecam minimè requiritur. Etenim plures affectus ſupernaturales ſunt efficaces, quibus vires exequentes operis voliti omnino debitæ non ſunt: v. g. affectus religionis, aut obedientiæ imperans efficaciter actum charitatis, aut affectus agendi aliquod opus ſupernaturale miraculoſum, vt producendi gratiam, aut aliud ſimile; quibus nulla vis inferretur, etiamſi Deus vires exequentes operis imperati denegaret. Nullo igitur ex capite affectus doni ſupernaturalis erit intrinſecè ex ſe minoris efficaciæ, quam affectus doni naturalis.

Confirmatur. 22. Explicatur. In obiecta naturalia, quæ noſtris viribus ſubiecta non ſunt, ſed ab aliorum virtute dependent, vt Magiſtratum, amicitiam aliorum, imò in ea, quæ omnino ſunt repugnantia, vt in non eſſe Dei, non eſſe contractus præteriti & irreuocabilis poteſt efficaciter moueri voluntas ea efficacia intrinſeca, qua re ipſa talia obiecta exequutioni daret, ſi eorũ exequutio in voluntatis facultate conſtitueretur. Ergo etiã in obiecta ſupernaturalia, quæ ſuperant facultatem naturæ, eodem prorſus modo affici poteſt voluntas. Cum ſolus defectus poteſtatis ad illa aſſequenda prohibere poſſit efficaciam intrinſecam affectus naturalis. Porro quamuis huius poteſtatis defectus impediret voluntati affectum naturalem ex ſe efficacem donorum ſupernaturalium, modo tamen cum plurium ſupernaturalium exiſtentia, atque productio noſtræ poteſtati, & arbitrio relicta eſt, cur affectus naturalis non poterit cooperationem voluntatis neceſſariam ſua vi, atque motione omnino determinare? Demus, v.g. voluntatem eſſe completam in actu primo ad agendum affectum aliquem ſupernaturalem religionis, & hominem affectu naturali appetere efficaciter victoriam alicuius tẽtationis, in quam iudicat eſſe conducentiſſimum medium, talem religionis actum. Poteſt efficaciter velle in eum finem religionis actum elicere. Ergo poteſt affectus naturalis efficaciam obtinere in opus ſupernaturale. Antecedens probatur. Eo affectu tunc fertur in eum finem naturalem, vt non poſſit componere cum illo odium medij, quod iudicat vnice neceſſarium ad illum; ſiquidem finem illum naturalem efficaciter, & abſolutè totis viribus obtinere decernit. Ergo iudicans eum actum religionis vnice neceſſarium ad illum, non poteſt non cogi ad eum eliciendum. Alioqui ſi voluntas nollet eum elicere, vellet quantum eſt ex ſuis viribus naturalibus, ac ſupernaturalibus duo contradicentia, nempe elicere religionis actum neceſſarium ad talem finem naturalem, & eundem actum non elicere. Neque verum eſt, eo ipſo quod is affectus comprehendat Religionis actum ſupernaturalem fore ſupernaturalem. Nam per te ad ſupernaturalitatem affectus non ſufficit obiectum materiale ſupernaturale, ſed præterea requiritur, vt obiectum formale etiam ſupernaturale ſit; quare admittis affectum ſaltem conditionatum naturalem in obiectum intrinſecè ſupernaturale, imò etiam affectum turpem, vt oſtendemus diſp. 50. At affectus, quem argumentum proponit, ſolum fertur in obiectum materiale ſupernaturale, non in obiectũ formale. Ergo quamquam efficax ſit, erit intrinſecè naturalis. Ad hæc; per te poteſt eſſe affectus conditionatus naturalis ex ſe efficax in exiſtentiam obiecti ſupernaturalis, ſcilicet ſub conditione, quod obiecti ſupernaturalis productio, noſtræ poteſtati relinquatur. Iterum cōfirmatur. At hæc conditio modo abſoluta eſt. Ergo etiam efficacia affectus naturalis poterit eſſe abſoluta. Iuxta commune pronunciatum Phyloſophorum, quod *affectus conditionatus poſita conditione tranſit in abſolutum.*

23. Quarto ſic aſſertum ſuadeo. Poteſt Quarta ratio.
voluntas elicere actum intrinſecè ſupernatura-

lem mouente,& inclinante inefficaciter ad eius conſenſum affectu naturali, qui per ſe in obiecta ſupernaturalia non repugnat. Ergo poteſt eumdem elicere,affectu naturali efficaciter cogente,& inducente voluntatis conſenſum. Antecedens videtur aduerſariorum admittentium in obiecta ſupernaturalia affectus ſimplices, & conditionatos inefficaces, qui ſuo pondere alliciunt blande, & ſuauitet inuitant voluntatem in conſenſum ſupernaturalem obiecti, quem in ſua poteſtate adiota auxilio gratiæ liberè continet. Conſequentia mihi certa eſt. Nam duo tantum poſſunt obeſſe deſiderio naturali efficaci donorum ſupernaturalium, quæ autores partis aduerſæ, proponunt. Alterum à priori;quod naturę facultati ſupernaturalia impoſſibilia ſunt. Alterum à poſteriori;quod alias affectus naturalis poſſet tribuere initium noſtræ iuſtificationi. At hæc duo æquè excludunt affectum inefficacem blandé mouentem, ac efficacem neceſſario cogentem. Ergo vbi inefficax ſuauiter alliciens admittitur, efficax quoque omnino determinans, & cogens admittendus eſt. Probatur minor quoad primum. Nam ſecundum ſe, & ſeorſim à viribus ſupernaturalibus exequentibus actus intrinſecè ſupernaturales æquè repugnat moueri, & inclinari naturam in aliquod opus ſibi impoſſibile, & ſupernaturale, ac omnino cogi, & neceſſario induci ad illud peragendum. Nihilominus natura poſitis viribus ſupernaturalibus exequētibus actus ſupernaturales poteſt allici,ac moueri per affectus naturales inefficaces in eos actus ſupernaturales, in quos ſeorſim ab eis viribus non alliciebatur. Ergo ſimiliter poſitis eiſdem viribus poterit cogi, & neceſſario induci ad eos peragendos per affectus naturales ex ſe efficaces. Probatur idem quod ſecundum. Ad tribuendum initium iuſtificationi non requiritur motio ex ſe, & intrinſecè efficax, ſed ſufficit indifferens. & inefficax. At quamquam motio indifferens & inefficax ad actus ſalutares conueniat affectui naturali,non refertur initium iuſtificationis in affectum naturalem. Ergo quamquam efficax, & determinata motio ad actus ſalutares conueniat eidem, poterit in gratiam, quin in naturam initium iuſtificationis reuocari. Minor, & conſequentia ſunt notæ. Probatur maior à poſteriori; quia initium noſtræ iuſtificationis de facto tribuitur vocationibus gratiæ, quæ ex ſe, & intrinſecè efficaces, ac determinantes conſenſus voluntatis non ſunt, vt melior,ac frequentior in orbe Catholico Theologia docet. A priori verò;quia reipſa talis motio genus quoddam cauſalitatis moralis eſt,quę ad extrahendum voluntatis conſenſum plurimum confert, vt motio voluntatis per cognitionem viuacem boni, etiamſi cognitio indifferens ſit, ingentis quidem virtutis eſt. Ergo talis motio ſufficit noſtræ iuſtificationi initium conferre. Nihilominus iuſtificatio in ſimilem motionem naturalem non refertur, licet ſimilis motio affectibus naturalibus poſſibilis ſit. Igitur pariter poterat in motionem naturalem ex ſe efficacem nequaquam reduci, licet motio ex ſe efficax affectibus naturalibus eſſet poſſibilis. Quod qua ratione tueri poſſit, ſectione ſequenti expediemus.

SECTIO QVARTA.

Autores, & fundamenta contrariæ opinionis.

Sententia negans.

24. NVllum affectum naturalem in opera, aut dona intrinſecè ſupernaturalia abſolutum, & efficacem eſſe poſſe, promunt frequentes Theologi. Zumel. 1. p. q.12.art.1. conc. 1. Machin. 1. p.d. 14. ſect. 4. conc. 1. Lorca. 1.2.d.29. membro. 2. Ripa 1. p.q.12. dub. 1. Albelda 1.p.d.24. ſect. 2. concluſi. 3. Nauarreta 1. tom.controu. 33. §.3.concluſ. 3. fol. 191. col. 3. Medina 1. 2. q. 3. art.8. & q. 114. art. 2. concluſ. 3. Nazarius 1. p. q. 12. art. 1. con. 4. AEgidius de præſent. tom. 3. in appendice q. 3. art. 3.nu. 26. & 34. Hieronimus Perez 1. p. q. 12. art. 1. dub. 2. P. Iannerus 1. 2. d.1.q. 5. num.25. P. Reynaudus in ſua moral. diſcipli. diſt. 1. num. 274. P. Faſolus, 1. p. q. 12.art.1.dub.1. & communiter recentiores. In quam ſententiam adducitur Durandus in 4. d.49. q. 8. D. Bonauent. ibidem q.2. & alij antiquiores, & recentiores. Qui tamen ſolum differunt de affectu naturali prout opponitur libero, & præſcindunt ab efficaci & inefficaci deſiderio; & in noſtram ſententiam magis inclinant, cum dicunt affectu naturali ſummè expeti beatitudinem.

Zumel. Machin. Lorca. Albelda. Nauarreta. Medina. Nazarius. AEgidius. P. Iannerus. P. Reynaudus. P. Faſolus. Durandus. D. Bonauētura.

Prima obiectio diſſoluitur.

25. Objicitur primo. Quia dona ſupernaturalia ſunt impoſſibilia viribus naturæ. Impoſſibilia autem non poſſunt appeti affectu abſoluto & efficaci. Ergo. At hoc argumentum ſuperioribus ſatis dilutum eſt. Tum quia in ea, quæ facultati naturæ ſunt impoſſibilia poteſt affici voluntas affectu ex ſe, & intrinſecè abſoluto, & efficaci. Tum quia modo abſolutè impoſſibilia non ſunt, cum ex prouidentia Dei præbeantur naturæ plura principia exequentia donorum ſupernaturalium; quæ per affectum naturalem poſſunt ad agendum determinari.

Vrgetur.

26. Sed vrgebis. Efficacia mouendi voluntatem in actus ſupernaturales non poteſt eſſe intrinſeca affectui naturali. Nam efficacia mouendi voluntatem in actus ſupernaturales neceſſario vendicat connexionem cum actibus ſupernaturalibus poſſibilibus;quia in actus impoſſibiles mouere repugnat. Connexio autem intrinſeca cum actibus ſupernaturalibus poſſibilibus, nequit in noſtra ſentētia affectui naturali conuenire; cum repugnet ordo tranſcendens alicuius entis naturalis in quidpiam intrinſecè ſupernaturale. Ergo efficacia mouendi voluntatem in actus intrinſecè ſupernaturales non poteſt eſſe affectui naturali intrinſeca. Ac proinde nullus erit affectus naturalis in opera ſupernaturalia intrinſecè efficax, ſed inefficax. Reſpondeo. Hoc argumentum æquè improbat motionem inefficacem, ac efficacem affectus naturalis in opus aliquod intrinſecè ſupernaturale. Nam motio etiam inefficax ven-

Reſpondetur.

dicat eſſentialiter poſſibilitatem operis, ad quod voluntas mouenda eſt; cum ea non ſolum efficaciter, verum etiam inefficaciter moueri, ac inclinari repugnet in actionem aliquam omnino repugnantem; motione non affectiua ſolum, (qualis competit per amorem in ea obiecta, quæ actioni voluntatis ſubdita non ſunt,) ſed etiam exequutiua, qualis competit per vocationes, & auxilia indifferentia gratiæ in opera, quæ cooperationi voluntatis ſubijciuntur. Aut ergo motio etiam inefficax releganda eſt affectibus naturalibus intrinſeca, aut etiam admittenda motio efficax. Quare dicendum eſt, vim motricem in actus ſupernaturales tum efficacem, tum inefficacem, eſſe quidem vtrique affectui intrinſecam. Tamen quia hæc vis exercet ſuam cauſalitatem in genere cauſæ formalis, opus eſſe ad illius motionem capacitatem ſubiecti, quæ tunc voluntati competit, cum virtus actiua talium operum diuinitus confertur; qua deficiente deficiet quoque actualis impulſus, & motio affectus naturalis, non ex defectu formæ mouentis, ſed ſubiecti capacis moueri. Quemadmodum amor efficax Dei habet vim intrinſecam mouendi efficaciter voluntatem in reſtitutionem ablati; cæterum ſi talis reſtitutio vel non proponitur obligans, vel poſſibilis fieri, non inducit amor Dei voluntatem ad illam, quia talis inductionis, & motionis capax non eſt, niſi prius ſupponatur poteſtas reſtituendi, & notitia obligationis; quam poteſtatem, & notitiam non exigit per ſe amor efficax Dei. Pariter igitur conſiderare eſt vim intrinſecam mouendi efficaciter, aut inefficaciter voluntatem ad actus ſupernaturales in affectu naturali; vt eius actualis motio pendeat à tali conditione, & capacitate ſubiecti; à qua affectus ipſe independens eſt, & liber, ideoque ab ordine tranſcendenti in actus ſupernaturales, qui ab ea conditione, & poteſtate pendent, omnino abſolutus. De quo iterum occurret ſermo.

Secūda obiectio explicatur.

27. Secundo obijciunt. Si natura ſuis viribus poteſt deſiderare efficaciter aliquid ſupernaturale, poterit per naturæ vigorem, primo habere affectum credendi fide ſupernaturali contra Arauſſ. 2. can. 5. Item eligere quidpiam ad ſalutem conducens contra canon. 7. eiuſdem Concilij. Tertio, expetere animæ ſanitatem. Quarto auxilium ſupernaturale gratiæ contra Auguſtinum & Proſperum adductos num. 3. Ergo naturæ vigor non valet efficere deſiderium efficax donorum ſupernaturalium. Reſpondeo primo. Hoc argumentum non ſolum euertit affectum abſolutum, & efficacem donorum ſupernaturalium, ſed etiam conditionatum, & inefficacem. Nam concilia, & Patres Eccleſiæ indiſcriminatim reijciunt omnem affectum ſalutis, & fidei, qui poteſt conferre in ſalutem. Affectus autem inefficax æquè poteſt conferre in opus ſalutare, ac affectus efficax, cùm mouere, & allicere voluntatem in opus volitum vtrique affectui commune ſit, & inefficaci congruentius: quòd alliciat, ac moueat ſalua libertate neceſſaria ad meritum, vt arguebamus num. 24. Deinde non quilibet affectus boni ſupernaturalis, ac pertinentis in vitam æternam excedit facultatem naturæ, niſi qui etiam in vitam æternam ſalutaris eſt. Poteſt enim affectus non ſalutaris quidpiam ſalutare deſiderare. Etenim vt affectus prauus in finem turpem poteſt expetere dona ſupernaturalia, poteſt affectus naturalis honeſtus in finem honeſtum naturalem eadem ſupernaturalia dona procurare. Igitur cum affectus naturales honeſti, viribus naturæ eliciti, nullatenus à nobis aſſerantur promouere hominem in ſalutem, nec per modum meriti, nec per modum impetrationis, minime ij affectus ſupernaturalium ſunt, qui damnatione Conciliorum, ac Patrum Eccleſiæ continentur. Quippe exploratiſſimum eſt, Eccleſiam tantum reprobare affectus ſupernaturalium omnino naturales, qui in ſalutem æternam per modum meriti, aut impetrationis conferant, vt ſtatuemus diſp. 17. Salutares enim affectus ſunt, & non alij, quos hæretici, contra quos Patres diſſeruut, contendebant.

Robur adijcitur.

28. Sed vrgebis. Meritum fidei non eſt formaliter in actu fidei, in quo non eſt formalis libertas, ſed in actu voluntatis imperanti fidem. At per nos actus voluntatis efficaciter imperans fidem poteſt eſſe naturalis; nam velle efficaciter fidem, & illam imperare ſunt prorſus idem. Ergo in affectu naturali poteſt inueniri meritum fidei. Reſpondeo primò. In ipſo actu imperato, in quo nulla reſidet immediata libertas, exiſtit ratio meriti diſtincta à merito actus imperantis; vt tractatu de merito docui cum Scoto, & alijs. Secundo, meritum affectionis imperantis fidem non competit affectui naturali, licet in fidem ſupernaturalem efficiatur; ſed affectui intrinſecè ſupernaturali, qui ſemper per ſe antecedit aſſenſum ſupernaturalem fidei. Nam affectus naturalis, qui per accidens præit talem aſſenſum, nullam vim mouendi animum ad illum habet, niſi prius conſtituantur omnia per ſe requiſita ad illius exiſtentiam. Ex per ſe requiſitis autem ad aſſenſum obſcurum ſupernaturalem fidei, vnum eſt, affectus ſupernaturalis piæ affectionis, vt docetur communiter tract. de fide, noſque oſtendemus diſp. 49. Ei igitur affectioni ſeorſim ab affectu naturali ineſſe poterit valor meritorius, aut impetratorius fidei. Vnde etiamſi affectus naturalis efficaciter ſtatuat aſſenſum ſupernaturalem fidei, non elicietur is aſſenſus, quin ei iungatur etiam affectus ſupernaturalis, qui per ſe immediatè confert libertatem, ac meritum aſſenſui ſupernaturali fidei, comitaturquè neceſſario, non ſequitur talem naturalem affectum.

Eneruatur primo.

Secundo.

Vrgetur.

29. At vrgebis rurſus. Affectus naturalis poteſt efficaciter imperare non ſolum fidem, ſed etiam piam affectionem ſupernaturalem, quæ per ſe antecedit fidem, itaut tota libertas proxima vtriuſque actus à tali affectu naturali deriuetur, eoque cogatur animus ad vtrumque actum. At tunc ratio libertatis, ac meriti fidei in ſolum poteſt imperium reuocari, cum ſola imperij naturalis libertate vterque actus liber ſit. Ergo in affectum naturalem poterit ratio

Occurritur.

Digitized by Google

meriti referri. Reſpondeo. In eo euentu pertinet ad prouidentiam Dei, vt cum affectu naturali reflexo imperante fidem, & ſupernaturalem affectionem inſeratur affectus etiam ſupernaturalis reflexus, qui meritum, ac libertatem duplicis actus ſupernaturalis imperati conſtituat, non deſtruat. Quod mirum non videbitur, ſi legas diſputationem 20. in qua fuſe demonſtro nullum fieri affectum naturalem circa obiectum honeſtum, quem circa idem obiectum non comitetur affectus aliquis ſalutaris, ac ſupernaturalis. Id quod ſpecialiter de primo actu heroico fidei, quo quis ab infidelitate conuertitur ad fidem, Chriſtianam religionem complectens, dicendum erat, ne tantum facinus ſine vllo merito relinqueretur. Aut propterea ſentiendum, etiam actibus imperatis rationem meriti conuenire à merito actuum imperantium diſtinctam: vt recolebam nu. 29.

Inſuper vrgetur.

30. Vrgebis inſuper. Quamquam affectus ſupernaturalis iungatur ad imperium actus fidei cum affectu naturali; tamen reuera etiam affectus naturalis inducit, ac mouet voluntatem in actum fidei. Quandoquidem per me eſt intrinſecè efficax, ac motiua voluntatis in illum. Ergo confert quicquam in ſalutem, cum conferat, ac promoueat in actum ſalutarem.

Reſpondetur.

Reſpondeo. Affectus naturalis poteſt conferre in actum ſalutarem Phyſicè; non vero moraliter per modum impetrationis, aut meriti, qua ratione profitebantur Semipelagiani affectus naturales in ſalutem conferre. Vnde hæc conducentiæ ratio non eſt, quæ à Patribus contra Semipelagianos damnata eſt. Etenim Phyſica conducentia in actus ſalutares rectè poteſt viribus naturæ cum conſortio auxiliorum ſupernaturalium abſque periculo tribui. Nam facultas naturalis potentiarum, inſtructa habitibus ſupernaturalibus, & habitus etiam naturales virtutum in homine iuſto plurimum iuuant ad exercitium actuum ſupernaturalium, qui ſine concurſu potentiarum ſimpliciter, ſine concurſu habituum naturalium facile, fieri non poſſent. Igitur cum affectus naturalis in noſtra ſententia non poſſit mouere voluntatem in actum ſupernaturalem abſquè principijs exequentibus ſupernaturalibus, imo nec abſque principio formali ſupernaturali, quando illud per ſe neceſſarium eſt (quale requiritur ad actum fidei, qui per ſe piam affectionem ſupernaturalem præexigit) motioque affectus naturalis in actus ſupernaturales nulla ratione ponatur meritoria, aut impetratoria, certè illius efficacia, & conducentia nulla ratione erit Patrum, & Conciliorum damnationi ſubiecta. Præſertim cum hic conducentiæ modus à pluribus Theologis etiam actibus prauis adſcribatur, referentibus ſupernaturalia opera in fines illicitos, vt proponemus diſp. 50. ſect. 1.

Rurſus vrgetur obiectio.

31. Demum vrgebis. Non ſolum moraliter, verum nec Phyſicè poteſt tribui affectibus naturalibus initium fidei. Nam eis nequit tribui initium fidei, ea ratione qua auxilijs, ac vocationibus diuinis tribuitur. Auxilijs autem, ac vocationibus diuinis, quæ ſeorſim à noſtra libertate nobis, ſine nobis infunduntur, non moraliter, (quia mereantur, aut impetrent) ſed Phyſicè tantum, (quia illuminando intellectum, & afficiendo voluntatem mouent) initium ſalutis, ac fidei tribuitur. Ergo nec Phyſicè tribui poteſt affectibus naturalibus initium fidei.

Satisfit.

Reſpondeo. Initium fidei non poteſt referri neque Phyſicè in affectus naturales, tanquam in principia ſufficientia initiare fidem; ſemper enim ante omnem actum ſalutarem opus ſunt illuſtrationes, & affectiones ſupernaturales, vt fuſe differemus diſpur. 17. Poteſt tamen in eos affectus referri tanquam in principia ſuperaddita principijs ſupernaturalibus requiſitis, conſtituentibus, ſeorſim ab iſtis, omnem ſufficientiam naturæ. Quare neque Phyſicè concurrunt affectus naturales in ſupernaturales actus eadem ratione, qua auxilia, & vocationes gratiæ; nam vocationes gratiæ per ſe neceſſariæ ſunt, & naturæ ſufficientiam complent: affectus naturales verò per accidens iunguntur auxilijs, & motibus ſupernaturalibus, non ad complendum facultatem naturæ, ſed ad conſequendum voluntatis conſenſum, qui facilius, ac promptius extrahitur, ſi motibus ſupernaturalibus motio quoque, & affectio naturalis aggregetur. Vnde interdum continget ex conſortio affectus naturalis etiam ſimplicis, ac inefficacis, ſortiri motus ſupernaturales congruitatem, & efficaciam, quam ſeorſim ab illo non haberent, quia voluntas reipſa ſolis ſupernaturalibus non conſentiret, eoſque ſine affectu naturali merè ſufficientes relinqueret. De quo alibi plura. Porro animum aduerte, cum affectibus naturalibus negamus concurſum moralem in actus ſupernaturales, non accipi concurſum moralem, prout opponitur efficienti (neque enim affectus naturales efficienter influunt in ſupernaturales,) ſed prout opponitur concurſui non meritorio, & impetratorio dumtaxat; vt ſatis ſuperiora teſtantur. Alio enim moralitatis genere rectè poſſunt admitti in actus ſupernaturales moraliter influentes, mouendo ſcilicet, & alliciendo voluntatem.

Tertia obiectio.

32. Obijcitur tertio. Homo viribus naturæ ductus, potius iudicat dona ſupernaturalia impoſſibilia, quam poſſibilia. At in bonum iudicatum impoſſibile friget, potiuſquam accenditur voluntas. Ergo ardens, & efficax deſiderium donorum ſupernaturalium viribus naturæ excitari non poteſt. Reſpondeo. Hoc argumentum inprimis tantum reprobat deſiderium efficax ſupernaturalium ante reuelationem Dei. Nam poſt reuelationem plures habentur notiones naturales donorum ſupernaturalium, quæ in eorum ardens deſiderium incitare poſſint voluntatem. Teſtentur hęretici, qui notionibus naturalibus iudicant poſſibilem vnionem hypoſtaticam, gratiam iuſtificantem, beatitudinem, & pleraquè alia dona. Deinde ſeorſim à reuelatione Dei poſſunt Angeli, & homines ſcientijs naturalibus, inſtructi probabiliter aſſequi poſſibilitatem viſionis intuitiuæ Dei, argumentis, quæ propoſuimus diſp. 11. ſect. 3. & ſeqq. & plures exiſtimant euidentia. Idemtidem poſſibilitatem gratiæ abluentis hominem à peccato, & adoptantis in filium Dei, alio-

Digitized by Google

rumque huiuſmodi, vt dicebamus num. 22. Nam licet ſupernaturalia vincant euidentiam naturæ; tamen eius argumenta probabilia omnino non vincunt, præſertim quæ Angeli, & homines ſapientiſſimi ſtudio naturali aſſequi poſſunt. At probabile iudicium poſſibilitatis ſufficit ad deſiderium ardentiſſimum, & ex ſe intrinſecè efficax boni; plures enim intenſiſſimè exoptant, quæ probabiliter tantum putant poſſibilia. Demum tanta poteſt proponi voluntati bonitas, tantaquè in bono apprehenſo conuenientia, vt quamquam ſibi perſuadeat impoſſibile eſſe, doleat de impoſſibilitate, & altiſſime aſſurgat in deſiderium poſſibilitatis, & adeptionis boni: adeò vt ſtante illo cogatur ad omnia media, quæ, alia cognitione deinceps adueniente proponantur exequutiua boni. Vt odium peccati præteriti, & Dei cenſetur efficax, & ardens, etiamſi repugnet Deum non eſſe, & peccatum actuale non præteriiſſe; quia ſi in hominis poteſtate conſtitutum eſſet, ex vi talis affectus ceſſaſſet exiſtentia Dei, & præteritio peccati. Explico rem, iudiceturviſio intuitiua Dei impoſſibilis. Poteſt adhuc homo tantum bonum in Deo intuitiuè videndo apprehendere, vt in eius poſſibilitatis, & adeptionis conſequutionem eo affectu accendatur, vt ſi eo ſtante reuelet illi Deus id bonum, quod ipſe exiſtimat impoſſibile, re vera eſſe poſſibile, quin etiam infallibiliter obtinendum, ſi hæc illi obſequia exhibeat, nequeat homo cum priori affectu componere omiſſionem eorum obſequiorum; quæ ſibi proponuntur media efficacia ad bonum prius impoſſibile apprehenſum conſequendum; quod ſanè, & non aliud eſt, affectum voluntatis eſſe intrinſecè efficacem in bonum. Poteſt igitur in bonum impoſſibile propoſitum, quantum eſt ex ſe efficaciter affici voluntas.

Corollariũ ex dictis. P. Salas. Bannes. Lorcæ.

33. Hinc colliges contra P. Salas, Bannes, Lorcam, & alios, opus non eſſe iudicio erroneo ad deſiderium efficax rerum ſupernaturalium ſecluſa reuelatione Dei. Nam ex principijs naturæ colligitur iudicium probabile, & verum poſſibilitatis donorum ſupernaturalium; quod ſufficit ad affectum ex ſe efficacem ipſorum. Nec iuuat quicquam, opus eſſe iudicare dona ſupernaturalia eſſe meis viribus poſſibilia, vt meis viribus expetam illa. Iudicare autem in pura natura eſſe meis viribus poſſibilia ſupernaturalia, à verò alienum eſt: cum re quidem vera ad obtinendum illa vires à Deo infuſæ ſemper neceſſariæ ſunt. Hoc, inquam non iuuat. Nam ratione probabili, non ſolum aſſequi poſſumus ſupernaturalia eſſe, vtcumque poſſibilia, verum etiam poſſibilem eſſe eleuationem Dei, & principia infuſa à Deo, quibus noſtra voluntas adipiſcatur illa. Iudicare autem dona ſupernaturalia eſſe nobis poſſibilia per auxilia gratioſè collata à Deo, veriſſimum eſt, & ad expetendum efficaciter, ac ardenter ſufficiens. Ergo ſeorſim à iudicio erroneo poſſunt expeti efficaciter ſupernaturalia. Rurſus, quia poſſunt ardentiſſimè exoptari ſupernaturalia, & quantum eſt ex vi affectus efficaciter, quamuis alterius, nempe ſola Dei poteſtate poſſibilia proponantur, itaut eo affectu cogatur homo ad omnia, quæ ipſius poteſtate exiſtentia iudicauerit Inducere, aut mouere poſſe alterum ad eorum exequutionem. At poſſibilia eſſe plura dona ſupernaturalia poteſtate abſoluta Dei, probabile, ac verum naturæ iudicium eſſe poteſt. Ergo.

SECTIO QVINTA.

Expediuntur aliquæ dubitationes de deſiderio naturali ſupernaturalium.

Prima an poſſint expeti ſub motiuo ſupernaturali.

34. PRima eſt, an eo poſſint deſiderari ſupernaturalia ſub motiuo intrinſecè ſupernaturali? Negant P. Arrubal, P. Salas, P. Faſolus, Machin, & Antonius Perez ſupra relati, negareque tenentur quotquot volunt in genere, nullum actum naturalem moueri poſſe ex obiecto formali ſupernaturali. At affirmant P. Erice, & P. Granadus ſupra, & quotquot tuentur poſſe actum naturalem motiuum ſupernaturale reſpuere. Quos referemus diſp. 45. ſect. 1.

Eligitur ſententia affirmans.

35. Quare ergo affirmantibus aſſentior. Nã vt decernemus ea diſputatione: poteſt affectus naturalis ex obiecto formali ſupernaturali intrinſecè moueri. Ergo affectus naturalis poteſt expetere ſupernaturalia ſub motiuo ſupernaturali. Confirmatur, viſio intuitiua Dei propoſita cognitione probabili naturæ, excedens omnem virtutem naturalem, atque adeò ſupernaturalis, poteſt ferre ratione ſuæ bonitatis affectum voluntatis, cum ſic propoſita apprehendatur vt omnium bonorum ſupremum, ſummaque hominum fœlicitas explent appetitum cuiuſuis boni. At bonitas viſionis intuitiuæ Dei ſic propoſita non eſt naturalis, ſed ſupernaturalis, cum ſit bonitas excedens omne meritum, & exigentiam naturæ. Inſuper affectus, quem eius propoſitio ferret, eſſet naturalis, & non ſupernaturalis, cum cognitio eſſet tantum naturalis, & probabilis. Ergo bonitas ſupernaturalis ratione ſui, & propter ſe mouere poteſt affectum naturalem. Ille enim affectus, qui ex tali propoſitione excitaretur, nullius alterius obiecti bonitate, quam viſionis intuitiuæ Dei propoſitæ ſupra naturam formaliter, & intrinſecè moueretur, cum nulla proponeretur, quæ prius, & ardentius expeti poſſet.

Confirmatur.

Opponitur

36. Neque huic doctrinæ aliud opponunt, quam bonitatem ſupernaturalem ſuperare omnia motiua, quæ aſſequitur affectus naturalis. Addit P. Salas, ſupernaturalitatem non eſſe motiuam formaliter affectus voluntatis, cum nihil ametur, quia ſupernaturalé, ſed quia bonum. Verum affectum naturalem aſſurgere poſſe in motiua ſupernaturalia, nunc verius ponimus ex diſputatione 45. vbi hac de re acriter contendendum eſt. Noſter Salmanticinus, P. Salas nimium probat. Nimirum nec affectum ſupernaturalem moueri poſſe ex obiecto formali ſupernaturali, quia nec affectus ſupernaturalia

P. Salas.

Explicatur.

Digitized by Google

fertur in rem, quia ſupernaturalem, ſed quia bonam. Igitur vt ſupernaturalis affectus moueri dicitur ex obiecto formali ſupernaturali, non quia ſupernaturalitas ipſa affectum prouocet, ſed quia prouocat bonitas talis excellentiæ, quę ſupra naturæ facultatem eleuatur: ſic affectus naturalis exoptare dicitur quidpiam ſub motiuo ſupernaturali, quia bonitas formaliter mouens, non qualiſcumque eſt, ſed ad eum ordinem expectans, in quo omnia, quæ naturam ſuperant, collocantur.

S. Thomas exponitur.

37. Aduerſari videtur D. Thomas pluribus in locis aſſerens, deſiderio naturali non expeti beatitudinem ſub ratione particulari, ſed tantum ſub ratione communi, quod alia ratione verum eſſe non poteſt, niſi quia beatitudo ſub ratione particulari ſupernaturalis eſt, ſub ratione communi verò à ſupernaturalitate pręſcindit. Sed Reſpondeo. S. Thomas negat deſiderium naturale beatitudinis ſub ratione particulari, inſitum quidem naturæ, & omnibus hominibus cogitantibus de beatitudine communi, quia plures qui de beatitudine cogitarunt aſſequuti non ſunt illam in viſione intuitiua Dei conſtitutam eſſe. Sed alij in hominibus, alij in diuitijs, alij in virtute collocarunt, quin omnes in Dei viſionem intuitiuam incubuerint. Quod & nos promptiſſimè fatemur. At non negat Doctor Angelicus tale deſiderium eſſe poſſibile ijs, qui in Dei viſione ſitam eſſe, ſaltem probabiliter nouerunt. Quod aſſertione noſtra tuemur.

Secunda, an ex fine turpi?

38. Secunda dubitatio eſt, an poſſint optari ſupernaturalia ex fine turpi? Nota, ſupernaturalia alia eſſe, quæ bonitatis moralis intrinſecæ capacia ſunt, vt opera interna virtutum Theologalium, & moralium. Alia quæ talis bonitatis intrinſecæ expertia ſunt, vt opera externa agendi miracula, & conficiendi ſacramenta. Citra dubium eſt, opera externa ſupernaturalia, bonitatis moralis ſibi intrinſecæ expertia in finem prauum dirigi poſſe. Acri contentioni Theologorum ſubiectum eſt: an opera virtutum interna in eum finem poſſint referri? Sed hæc controuerſia dirimenda eſt diſput. 50. vbi in affirmantem partem noſtrum dabimus ſuffragium.

Suffragium pro ſententia affirmante.

Tertia an ex gratia per Chriſtum.

39. Tertia dubitatio. An vt ſupernaturalia diligantur affectu naturali honeſto, opus ſit auxilio efficaci gratiæ, quod ex meritis Chriſti præbeatur? Hucuſque enim de ſufficientia virium naturalium ad diligendum ſupernaturalia, diſſertum eſt. Nunc autem de efficacia earum virium inquirimus, quandoquidem poſſit contingere, vt vires ſufficientes ad aliquod opus debitæ ſint, efficaces verò ſint gratioſæ, v.g. ad diligendum Deum ſuper omnia, & ad obſeruandum integrè præcepta naturalia debentur naturæ auxilia ſufficientia: vt tamen re ipſa diligatur Deus ſuper omnia, obediaturque integrè legi naturæ, opus ſunt auxilia gratiæ, frequentiori Theologorum iudicio. Hæc difficultas expedienda eſt ex dicendis libro quinto de neceſſitate gratiæ ad opera naturalia honeſta. Vbi quidem ſtatuemus duo principia, quæ huic quæſtioni lucem omnem collatura ſunt. Alterum, ex natura rei opus non eſſe gratiæ diuinæ auxilio, ad vnum, aut alterum opus virtutis naturalis, etiamſi heroicum ſit, & dilectio efficax beatitudinis æternæ, & amor diuinæ bonitatis ſuper omnia. Alterum, ex lege, ac prouidentia ſupernaturali Dei opus eſſe auxilio gratiæ, eoque intrinſecè ſupernaturali, quod ſtatuerit Deus, vt nullum conferat natura conatum in virtutis actum, qui in vitam æternam, in quam homo eleuatus, ac deſtinatus eſt, ſalutaris non ſit: ideoque aut opus naturale virtutis auxilio intrinſecè ſupernaturali eliciat, aut ſimul cum virtutis actu naturali actum quoque intrinſecè ſupernaturalem edat.

40. Vnde duo de re præſenti pronuntianda ſunt. Primum, plures etiam efficaces beatitudinis ſupernaturalis, ac præceptorum ſupernaturalium affectus honeſtos naturales haberi poſſe, quin ad eorum conſenſum ex natura rei auxilium efficax gratiæ opus ſit. Secundum, ex lege tamen Dei ſemper illud neceſſarium eſſe, quandoquidem ad ſupernaturalium, ac ſalutarium deſiderium ea lex congruentior ſit, quàm ad amorem eorum, quæ intra limites naturæ continentur. Igitur ſi ad amorem virtuoſum obiectorum naturalium ex lege Dei auxilium gratiæ præuenit voluntatem creatam, potiori ratione præueniet ad amorem operum ſuapte conditione ſalutarium. Quod non leuiter confirmant omnia teſtimonia, quæ ſectione 1. produximus, quæ ſanè nullo facto diſcrimine affectus fidei, & ſalutis, aut alterius conducentis in ſalutem, manifeſtè promunt in auxilium gratiæ reuocandum, quippe quia nullus eſt rei ſalutaris affectus honeſtus, qui de facto non ſalutaris eliciatur. Sed vberius progreſſu hæc doctrina fulcienda eſt. Noſtrum iudicium.

DISPVTATIO DECIMAQVINTA.

AN SVPERNATVRALIA SINT SVPRA meritum condignum Naturæ.

NVLLO ex capite altius effertur excellentia ſupernaturalium, quam conſtanti ſacrorum dogmatum, & Patrum Eccleſiæ doctrina, qua naturæ vires ad merendum, atque impetrandum quidpiam ſuper-

Digitized by Google

naturale inſufficientes prædicantur. Cuius imbecillitas noſtris nunc diſputationibus expendenda eſt. Primumque ſtatuemus, nullam meritis naturalibus condignitatem ad præmium intrinſecè ſupernaturale ineſſe. Deinde nullam ineſſe congruitatem, & impetrationem.

SECTIONES.

1. *Explicatur meritum condignum, & congruum.*
2. *Pelagij ſententia.*
3. *Sententia Semipelagianorum.*
4. *Reijcitur meritum condignum præcedentium hæreticorum.*
5. *Colligitur etiam in iuſto, opera elicita viribus naturæ non eſſe de condigno meritoria.*
6. *Expenditur ratio, quare ſupernaturalia ſint ſupra meritum condignum naturæ.*
7. *Obſeruantur nonnulla ad maiorem ſuperiorum lucem.*

SECTIO PRIMA.

Explicatur meritum condignum, & congruum.

1. HAnc explicationem ſequentia vendicant. Itaque meritum in communi ſic definies: *Obſequium cedens in vtilitatem, aut honorem alterius valentis illud munere aliquo compenſare.* Vnde meritum cum duplici reſpectu conſidera. Altero ad perſonam remunerantem, ſuperioremue, in cuius obſequium opus exhibetur. Altero ad munus, præmiumue, quo tale obſequium compenſatur, velut ad moralem effectum, quem, mouendo voluntatem ſuperioris præuia ſui approbatione, & complacentia cauſat. Hinc lucem accipies ad diſtinguendum cum S. Thoma 1. 2. q. 21. art. 2. 3. & 4. duas affectiones operis moraliter honeſti, ſcilicet rationem meriti, & laudabilitatem ipſius. Primò ex radice, in qua proximè fundantur. Nam ad rationem meriti opus debet apprehendi conueniens alteri ſuppoſito diſtincto ab ipſo merenti, ſcilicet ſuperiori, à quo remunerandum eſt; ad laudabilitatem vero ſufficit apprehendi conueniens ipſimet operanti, quâ liberum eſt, legibuſque rationis ſubiectum. Secundo, ex effectibus, quos opus in alijs ſuppoſitis mouet. Nam opus quâ laudabile eſt, habet effectum, manifeſtationem bonæ exiſtimationis per verba; quâ meritorium vero, manifeſtationem animi grati, atque placentis per munera. Quia tamen inter munera ſæpe computatur eximia operis commendatio, & preclara laus, ideò meritum ſepe laudibus compenſatur.

Diſcrimen laudabilitatis à merito.

S. Thomas.

2. Igitur meritum condignum dicitur communiter, quod obligat ex iuſtitia ad retributionem præmij; congruum vero, quod obligat tantum ex decentia, & congruitate. Scrupulum faciet cuipiam hæc explicatio. Tum quia obſequia filiorum apud Parentem videntur aliqua remuneratione digna, & non obligant ex iuſtitia. Tum quia opus leuiſſimum, v. g. velocior in ſtadio curſus, cui à Principe præclara ciuitas regni publicè in remunerationem promiſſa eſt, forſam obligat ex iuſtitia, & non eſt tanto præmio condigna. Item actus naturales virtutum non ſunt meritorij gratiæ ſupernaturalis etiam de congruo; tamen facienti quod in ſe eſt per actus naturales, cenſebis tribuere Deum gratiam ſupernaturalem ex quadam congruitate, & decentia, quam non inuenit in eo, qui nec actibus naturalibus conatur quantum in ſe eſt mouere voluntatem diuinam.

Communis diffinitio meriti condigni, & congrui.

3. Melius itaque dicitur meritum condignum eſſe, cuius valor eſt æqualis præmio; congruum verò, cuius valor non eſt æqualis. Itaque in vtroque merito requiritur valor ad præmium; ſed in altero æqualis, ſiue condignus, in altero inæqualis, ſiue congruus. Ideo forſan meritum condignum dicitur eſſe iuſtitię, congruum vero miſericordiæ: quia condignum continet æqualitatem cum præmio, quam præſcribit iuſtitia, congruum verò inæqualitatem, quam ſola patitur miſericordia. Scio pleroſque graues Doctores æquale meritum ex defectu obligationis iuſtitiæ vocare congruum. Sed hęc ad voces tantum pertinent, & in explicatione vocum, quæ planior, & frequentior, eligenda eſt. Neque ij Doctores nobis aduerſantur. Sunt enim de merito in actu ſecundo, non in actu primo (quod nos tantum exponimus) accipiendi. Ita qui laborat in vinea abſque conuentione non dicitur mereri de condigno mercedem, neque beata Virgo ſuis operibus nobis meruiſſe auxilia gratiæ. Licet labor operatij, & Beatiſſimæ Virginis actus æqualem cum præmio valorem contineant. Scilicet quia ad meritum in actu ſecundo, conuentio, pactum, aut lex remuneratoris opus eſt. Hæc autem defuerunt vt ea opera in actu ſecundo exercerent rationem meriti. Cæterum in actu primo ſemper de condigno meritoria ſunt eorum donorum, quæ valorem, & æſtimationem ipſorum non excedunt: quemadmodum opera Chriſti Domini de condigno meritoria ſunt plurium donorum, quæ nulla ratione eorum intuitu ſunt decreta, ſi tamen Deus vellet, infra ipſorum valorem poſſent decerni.

Rectior diffinitio.

4. Verum quis æſtimetur valor æqualis præmio

Quis valor æqualis præmio.

Digitized by Google

præmio? quis inæqualis? definire difficillimum eſt. In eius rei explicationem ſequentes diſputationes inſudabunt. In genere ego illum puto valorem æqualem præmio, qui penſatis omnibus, quæ operis valorem augent, poteſt eſſe obiectiua ratio, propter quam ſolam ſeorſim à gratia remuneratoris, ſupplente dignitatem operis prudenter, & iuſte poteſt conferri præmium. Inæqualem vero, qui obiectiuè mouere poteſt remuneratorem, vt gratia remuneratoris ſufficiens operis æſtimationem intuitu operis tribuat præmium. Vnde æqualis valor poteſt conferre merenti iuſtitiæ ius aduerſus retribuentem, ſi aliunde retribuens iuſtitiæ ſtrictæ non repugnet; id autem non poteſt valor inæqualis, qui ſecluſa ſuperioris gratiâ obligare non poteſt Adhuc lancibus opus eſt ad æqualitatem iſtam cognoſcendum. Sed plenior de hac re notitia examine ſequentium diſputationum habenda eſt. Ex iis enim operibus, quæ ex ſacris Scriptoribus & Patribus conſtant æqualia, & inæqualia præmio, quod opus in genere æquale, aut inæquale æſtimari debet, deprehendendum eſt. Vide alia diſcrimina diſp. 16. ſec. 12.

Diſcrimen meriti ab impetratione.

5. Hinc diſcrimen meriti ab impetratione explicandum. P. Vaſquez 1.2. diſp. 216. cap. 4. P. Torres opuſc. 8. diſput. 6. dub. 6. Pennotus lib. 8. c. 19. non diſtinguunt inter impetrationem, & meritum congruum. P. Suarez li 1. 12. de gratia cap. 34. n. 8. ſic diſtinguit, vt impetrationem ſoli orationi adſcribat, meritum verò omnibus operibus commune ſit. Communis conſenſus Catholicorum videtur in quolibet opere etiam meritorio de condigno meritum, impetrationem, & ſatisfactionem, veluti affectiones diſtinctas cogitare, quando quodlibet opus vt meritorium augmento gratiæ, & gloriæ ſibi tantum conferendo, vt ſatiſfactorium peccatorum pœnis eleuandis, vt impetratorium alijs bonis ſibi, aut alijs conſequendis proficere ferunt. Ego diſſenſionem puto de voce. Quod notatum inuenio apud Medinam 1.2.q.114. art. 6. Nec diſſonat P. Vaſques ſupra numero 31.

P. Vaſquez. P. Torres. P. Pennotus. P. Suarez.

P. Vaſquez

Variantiũ ſententiarũ compoſitio

6. Harum ſententiarum diſſidium ſic compono. Impetratio, primâ & omnium ſtrictiſſima ſignificatione exprimit vim mouendi ſuperiorem per humilem deprecationem inferioris, deinde extenſum eſt vocabulum ad ſignificandum tum affectionem quamdam communem omnibus operibus honeſtis à merito diſtinctam, quam mox explicabo, tum ſpeciem particularem meriti de congruo. Et quidem impetrationem præcipuè, ac primariò annotare vim exorandi ſuperiorem per preces, docuit S. Thomas 2.2.q.83. art. 15. & 16. diſtinguens in oratione efficaciam merendi omnibus operibus communem ab efficacia impetrandi orationis propria. Item 1.2.q. 114. art. 9. ad 1. docens, iuſtos per orationem impetrare poſſe perſeuerantiam in gratia, mereri autem non poſſe. Accedit communis modus loquendi Theologorum, aſſerentium inter virtutum actus orationem eſſe magis impetratoriam apud Deum, & actum charitatis magis meritorium. Inſuper plurium Theologorum ſententia, quam ex profeſſo tuetur S. Thomas 2. 2. ſup. art. 11. Angelos, & beatos in patria non eſſe in ſtatu merendi; tamen eſſe in ſtatu impetrandi, quia orationibus poſſunt flectere voluntatem diuinam ad benefaciendum hominibus. Hic autem loquendi modus ſufficit in controuerſia de voce ad probandum ſtrictam, & ſingularem vſurpationem vocis. Ergo ſtricta, ac præcipua ſignificatione impetratio vim denotat flectendi humilium precum propriam. A priori explicatur res. Quia aliter mouetur Deus à meritis, aliter à precibus fidelium. Ergo motio piarum precum propria rectè ſignificatur per impetrationem; cum nullo aptius vocabulo ſignificari poſſit. Antecedens probatur. Quia à meritis mouetur Deus, vt ſunt obſequia cedentia in aliquod ipſius commodum, aut honorem, vt notabamus num. 1. A precibus mouetur, vt ſunt humilis quædam propriæ indignitatis, ac indigentiæ profeſſio, diuinæque bonitatis, ac poteſtatis reuerens quædam deprædicatio. Quod plurimum valere ad benemoratam voluntatem flectendam, quis non conſideret? Qua ratione precationes, quæ ab amicis, & ſubditis funduntur, plurimum valent ad inclinandum voluntatem amicorum, & ſuperiorum, tametſi preces iſtæ nulla ratione proponantur vt obſequia eis, quibus fiunt, vtilia. Aliter igitur meritum, aliter orationes fidelium diuinam voluntatem deuinciunt. Hæc autem ſpecialis vis alliciendi voluntatem diuinam orationis propria, impetrationis vocabulo exprimi ſolet.

S. Thomas.

S. Thomas.

7. Hinc impetrationis vox non incongruè extenditur à Theologis ad omnia opera honeſta fidelium, etiam de condigno meritoria; cum in quolibet opere honeſto, meritum, impetrationem, & ſatisfactionem conſiderant, impetrationemque actus charitatis, cum orationis impetratione conferunt. Ratio quidem vſurpationis potuit eſſe. Quia opera honeſta iuſtorum non ſolum ſunt grata, ac placentia Deo, vt proponuntur obſequia honori diuino vtilia, qua ratione meritoria ſunt; verum etiam vt proponuntur ſecundum ſe honeſta, ac rationis legibus conformia, ſeorſim omnino ab vtilitate ipſorum. Honeſtas enim moralis ſecundum ſe ſeorſim ab omni emolumento iure fert affectum complacentiæ diuinæ; & hic affectus ex honeſtate ſecundum ſe conceptus, mouere poteſt Deum ad beneuolentiam efficacem, qua illi largiatur gratioſè aliquod bonum: qua ratione æmulantur opera orationis vim, innituntur que miſericordiæ diuinæ. Igitur & iure ſecundum iſtam affectionem impetratoria dici poſſunt.

8. Rurſus inde impetratio vſurpata eſt particularis differentia meriti congrui, prout à merito condigno diſcernitur. Quoniam meritum congruum, qua ratione à merito condigno differt, habet mouere miſericordiam, & non iuſtitiam ad retributionem doni. Hoc autem orationis proprium eſt. Ergo non abs re ratio meriti congrui, & impetratio communi voce confunduntur. Ita Auguſt. epiſt. 105.

Auguſtinus

Digitized by Google

Neque ipſa remiſſio peccatorum ſine aliquo merito eſt, ſi fides hanc impetrat. Item Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4 definiens attritionem in ſacramento pœnitentiæ impetrare gratiam. Quo loquendi more frequenter vtuntur Theologi. Concludendum igitur eſt impetrationem latâ vſurpatione conuenire merito congruo, ſtrictius affectioni omnium operum à merito diſtinctæ, ſtrictiſſimè autem orationi.

Collatio meriti cum ſatisfactione. 9. Iam meritum cum ſatisfactione conferamus. Quidam putant opus meritorium, & ſatisfactorium ſolum differre retributione, quę vtrique reſpondet. Nempè quia opus meritorium compenſatur aliquo bono; ſatisfactorium vero remiſſione mali. Admitto quidem latâ, & non impropria ſignificatione denotari poſſe per opus ſatisfactorium idem, quod meritorium remiſſionis pœnæ. Cæterum melius ſatisfactio in eodem opere diſtinguitur à merito, quatenus opus honeſtum: quâ meritorium, apprehenditur vt obſequium conferens in honorem Dei: quâ ſatisfactorium vero, vt caſtigatio quædam culpæ commiſſæ, proindeque elevatio pœnæ debitæ. Æquum enim eſt, vt homini pœnitenti, ac laudabiliter caſtiganti ſuam culpam, remittatur aliquid de pœna.

Concilium Tridentinū. Conijcio ex Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 8. de ſatisfactione ſic aſſerente. *Neque vero ſecurior vlla via in Eccleſia Dei vnquam exiſtimata fuit ad amouendam imminentem à Domino pœnam, quam vt hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentēt.* Caputque cōcludit ſic Sacerdotes monens. *Habeant autem præ oculis, vt ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantum ad nouæ vitæ cuſtodiam, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationem.* Igitur ſatisfactio eſt voluntaria quædam, ac propria caſtigatio, & vindicta culpæ commiſſæ, qua preuenitur, & ſimul amouetur iudicis pœna.

Diuerſa ratio ſatisfactionis, & meriti. 10. Vnde diuerſa eſt ratio ſatisfactionis ac meriti. Meritum namque, vt vidimus, reſpicit gratitudinem, vel iuſtitiam commutatiuam, aliamue virtutem, quæ inclinat ad retribuendum præmium. Satisfactio vero iuſtitiam punitiuam, aut manſuetudinem, qua placatur Iudex, ne vindicet culpam cum toto rigore. Finge in Republica duos Magiſtratus; quorum alter conſtitutus ſit ad præmiandum merita cedentia in Reipublicæ ſalutem; alter ad caſtigandum ſcelera. Plane ſi aliquis reus pœnæ in caſtigationem, ſeu ſatisfactionem ſuæ culpæ pro Republica tuenda ſubiret ſponte ingentes calamitates, & labores, æquum eſſet, vt ſecundus Iudex in ſcelerum vindictam deſtinatus temperaret, vel omnino reuocaret pœnam, quam reus debebat. Tamen hic ſecundus Iudex nō poteſt remunerare vel pręmiare. Ergo ablatio pœnæ ſatisfactioni reſpondens non eſt pręmium propriè dictum, reſpondens merito. Meritum itaque reddit dignitatem præmij per obſequium alterius, ſatisfactio vero tollit dignitatem pœnæ per propriam caſtigationem culpæ.

Satisfactio operis pœnalis propria. S. Thomas. 11. Hinc explorantur duo. Primo, quare ad ſatisfaciendum requiratur opus pœnale, vt docet S. Thomas in 4. d. 5. q. 1. art. 5. & communis ſententia Theologorum, quos refert, & ſequitur P. Suarez tom. 4. in 3. p. diſp. 37 ſect. 6. P. Suarez. Quia ſatisfacere formaliter loquendo non eſt mereri, ſed eſt placare iudicem, quatenus homo ſeipſum punit, præueniendo caſtigationem iudicis. Ad caſtigationem autem culpæ iudicis propriam opus pœnale neceſſarium eſt. Ideo ſacra Scriptura, & Patres Eccleſiæ hortantur ſemper fideles, vt ſe exerceant in operibus pœnalibus ad ſatisfaciendum Deo. Et Catechiſmus Pij V. in declaratione ſacramenti pœnitentiæ num. 34. exigit expreſſe ad ſatisfactionem, vt opus ſit pœnale. Catechiſmus Pij V. Idque ſupponit Tridentinum ſupra cum ait. *Dum ſatisfaciendo patimur pro peccatis, Chriſto Ieſu, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, conformes efficimur.* Notant tamen plures bene, nullum, aut fere nullum eſſe de facto opus bonum, quod aliquam ſecum pœnalitatem non afferat ratione difficultatis, quæ ſuperanda eſt contra inclinationem inſitam in delectabile bonum. Secundò, quare iuſtorum opera mereantur de condigno augmentum gratiæ, & gloriæ, & ſimul ſatisfaciant pro pœna temporali, quin æqualitatis præmij quidquam, ſatisfactione, minuatur, pluſuè gratiæ, & gloriæ donetur, cui nihil de pœna remittitur, quàm alteri, qui pœnæ temporalis reus eſt. Satisfactio nihil minuit de cōdignitate meriti. Quoniam ſatisfactio, & meritum ad genus diuerſum cauſalitatis moralis ſpectant, atquè adeò cauſalitas vnius generis non minuit cauſalitatem alterius. Vt in oratione ſimul merente gratiam, & impetrante alia dona cernere eſt.

SECTIO SECVNDA.

Pellagij ſententia.

12. NOn eſt animus Pellagij, ac eius diſcipulorum errorem integrè examinare; ſed meritum ſupernaturalium dumtaxat, quod actibus naturalibus tribuerunt, prout ſuſceptæ controuerſiæ expedit, breuiter declarare. Explicatur. Nam cum radicem entium ſupernaturalium ſtatuerimus eſſe gratiam iuſtificantem, entiaque ſupernaturalia eſſe, quæ gratiæ iuſtificanti aliqua ratione annexa ſunt, ſane merito donorum ſupernaturalium, quod ſuſcipimus explicandum, non modicam lucem afferet eorum errorum notitia, quos de merito naturali gratiæ iuſtificantis, auxiliantis, & beatitudinis æternæ Eccleſia Catholica damnauit. Pellagius igitur ponens cum Catholicis, in ſacris monumentis contineri actus fidei, charitatis, ac ſpei, pleroſque alios virtutum moralium actus, qui meritorij ſunt remiſſionis peccatorum, gratiæ iuſtificantis, & gloriæ, aliorumque donorum, quæ communiter habentur ſupernaturalia, aſſeruit, eos actus naturales eſſe, ac proinde excellentiora ordinis ſupernaturalis munera meritis facultate naturæ elicitis cōparari poſſe. Aut aliter; tribuens Pellagius naturæ cum pluribus Catholicis poteſtatem credendi in Deum, ſperandi, ac diligendi ipſum, virtutumque continentiæ, iuſtitiæ, & aliarum

opera peragendi, pertinaciter voluit, eos actus viribus naturæ elicitos, donorum ſupernaturalium,quæ ad noſtram iuſtificationem attinent, meritorios eſſe, ſacriſque Scriptoribus commendatos. Quo ſupernaturalia dona meritis naturalibus adæquari, non præſtare valore, conſtanter aſſeruit.

Autores. Auguſtinus. Hyeronimus. Proſper. Vincentius Lyr. Prateolus. Melanchtõ. Beda. Vega. Hyeronimus. Euagrius. Rufinus. Baſilides. Valentinus. Marcio. Baronius. Auguſtinus. P. Suares. P. Molina. P. Vaſquez. P. Ruyz. P. Valentia. P. Beccanus. P. Gualterus. P. Iannerus. Bellarminus. Toletus. Caſtro. Baronius. Prateolus. Vega. Pennotus.

13. Ita refert Auguſtinus lib. de hære. cap. 88. lib. 4. contra duas Epiſt. Pellag. cap. 6. de gratia Chriſti cap. 3. 22. & 23. de prædeſt. Sanctorum cap. 3. initio Hypognoſt. & Epiſt. 89. 90. 95. 105. 106. 107. & alijs in locis. Hieronimus Epiſt. ad Eteſiphon. de erroribus Pellagij, & dialogis contra Pellagianos. Proſper epiſt. ad Rufinum lib. de ingratis cap. 1. Vincentius Lyrinenſis contra profanas vocum nouitates cap. 34. Hunc errorem vt ſcribit Prateolus 11. de hæreſibus cap. 25. ſequutus eſt Melancthon, qui prius fuit Lutheranus, poſtea Manichæus, & tandem euaſit Pellagianus; in quem alios huius ætatis hæreticos incubuiſſe refert idem Prateolus lib. 14. cap. 14. Eumdem in Anglia ſuſcitaſſe nonnullos ſcribit Beda in hiſtoria Anglicana, & Vega. q. 6. de iuſtificatione. D. Hieronimus proœm. dial. contra Pellag. aſſerit Iouiniani hæreſim à Pellagio excitatam, Euagriumque eidem adhæſiſſe: & lib. 4. in Ierem. præfat. Rufinum. Addique poſſunt ex Clemente Alex. lib. 5. Strom. in principio Baſilides, Valentinus, & Marcio volentes hominem per naturam ſaluari. Socij & Fautores Pellagij in ſpargendo hoc veneno fuerunt Cæleſtius, & Iulianus de quibus late Baronius anno 411. num. 52. ex Auguſt lib. de peccato orig. c. 21. Pellagianam doctrinam ex Theologis noſtri ſæculi expendunt optime P. Suarez tom. 1. de gratia prol. 5. à cap. 2. P. Molina in concordia diſp. 1. 6. & 15. P. Vaſquez 1. p. diſp. 89 cap. 4. & diſp. 91. cap. 2. & 1. 2. diſp. 199. cap. 1. & diſp. 219. cap. 1. P. Ruiz de prædeſtinat. diſp. 5. ſect. 2. P. Valentia 1. 2. diſp. 8. q. 1. punc. 5. P. Beccanus tom. 1. ſumm. Theol. cap. 16. qu. 1. & 4. P. Iacobus Gualterus ſec. 5. ad annum 500. fol. 373. cap. 3. P. Iannerus 1. p. d. 3. q. 4. dub. 3. Illuſtriſſimique Cardinales Bellarminus lib. 1. de gratia, & libero arbitrio cap. 1. & Toletus ad Rom. cap. 9. Item Caſtro de hæreſibus verbo *gratia*, & verbo *meritum*, Baronius, Prateolus, & Vega ſupra, Pennotus de libertate humana lib. 6. cap. 8. & alij innumeri, quos progreſſu referemus.

Pelagius tribuit naturæ meritum condignum. P. Molina. P. Valentia. P. Suares. P. Vaſquez. P. Gualterus. P. Iannerus. P. Conicch. Vega. Medina. Zumel.

14. Meritum autem quod in dona ſupernaturalia operibus naturalibus Pellagius tribuit, non tantum congruum, ſed etiam condignum fuit. Ita P. Molina in concordia diſp. 1. memb. 4. P. Valentia ſupra q. 5. pun. 4. §. 2. & 1. p. q. 23. pun. 4 §. *Quo poſito*, P. Suarez 1. p. lib. 2. de prædeſt. cap. 6. n. 26. & 27. P. Vaſquez 1. p. diſp. 89. cap. 4. & diſp. 91. cap. 1. & 2. P. Gualterus ſup. c. 19. P. Iannerus 1. p. d. 3. q. 4. dub. 3. n. 8. P. AEgidius Conninch de merito diſput. 8. num. 103. Vega lib. 8. in Trident. c. 5. fine. Medina 1. 2. q. 109. art. 6. q. 2. & 3. §. *Sed dicet Theologus*. Zumel ibidem diſput. vnica not. 2. Necnon Henricus quodlibet 8. q. 5. Durandus in 1. d. 41. q. 2. Ianelus 1. p. tract. de prædeſt. cap. 17. in fine & Vinſfeldius ſect. 3. de gratia, & lib. arb. mem. 7. con. 1. & latius con. 4. Res eſt clara. Primò quia Pellagius admittebat cum Catholicis merita condigna gratiæ, & gloriæ. Omnia autem merita aſſerebat elicita viribus naturæ, quin viſum eſſet, ad quod ſimpliciter auxilium gratiæ intrinſecè ſupernaturale neceſſarium exigeret. Ergo merita viribus naturæ elicita adſtruebat condigna gratiæ, & gloriæ. Secundo, quia ita referunt Eccleſiæ Patres. In primis Auguſtinus paſſim illud genus meriti exprimit admiſſum à Pellagio ex facultate naturæ, quod omnẽ gratioſam retributionẽ donorum ſupernaturalium expugnet, quia nõ ex gratia, ſed ex iuſtitia debita profitebatur. Hoc autem meriti condigni proprium eſt. Ergo. Ita etiam Proſper de ingratis cap. 1. explicans Pellagianum errorem ibi;

Durandus. Ianelus. Vinſfeldius. Pelagius. Proſper.

Sed quemque mereri
Libertate ſua vt capiat promiſſa vocantis
Quæ ſint auerſis indebita, debita rectis.

Concilium Afric. Rom. 3.

Conſentienter Patres Concilij Africani Epiſtola ad Innocentium de Pellagio, & Cæleſtio ſic ſcribunt. *In ſacrilegam ſuperbiam extollendo liberum arbitrium nullum relinquunt locum gratiæ Dei, qua Chriſtiani ſumus*, &c. At cum merito congruo aliquis relinquitur locus gratiæ Dei: *Nam gratis iuſtificati* dicimur à Paulo ad Rom cap. 3. etiamſi meritum congruum, iuſtificationem præcedat.

SECTIO TERTIA.

Sententia Semipellagianorum.

Elucidatur. Proſper. Hilarius. Fauſtus. Regienſ.

15. Semipellagiani vero, qui reliquiæ Pellagianorum dicti ſunt, quia non integre, ſed partim Pellagij dogmata ſectabantur, perfectam quidem ſanctitatem, ac iuſtitiam ſupra meritum naturæ conſtituebant, inchoationem vero, ac initium ſanctitatis, atque iuſtitiæ connatibus, & deſiderijs naturæ tribuebant, quia poterat natura ſuis viribus deſiderare ſalutem, ac fidem, connarique in illam, petendo, & pulſando, alijſque virtutum moralium operibus facultate naturę elicitis diuinam voluntatem alliciendo, atque mouendo. Vnde Pellagius ad gratiam auxiliantem, & iuſtificantem ad ſanctitatem, & beatitudinem, ad quodcumque illarum augmentum; Semipellagiani vero ad initiandum dumtaxat fidem, & charitatem, aut aliud quidpiam egregium in iuſtificationem, aut beatitudinem promouens opera naturalia docebant meritoria. Referunt D. Proſper, & Hilarius epiſt. ad Auguſtinum, quę habentur tom. 7. ante lib. de præd. ſanct. Hæc ſententia communiter tribuitur Fauſto Regienſi Epiſcopo quia in duobus libris de gratia, & lib. arb. qui extant tom. 5 Bibliot. ſanct. aſſerta quædam Semipellagianis familiaria inſerebat, *vt nos incipimus, Deus vero perficit & conſummat. Deus expectat volũtates noſtras obedientiæ, labori, & induſtriæ humanæ diuina gratia ſub-*

Digitized by Google

iungitur. Volentibus, deſiderantibus, pulſantibus, & petentibus adiutorium, & miſericordia Dei præſtatur. Sic Fauſtus 1. de gratia, & lib. arbit. cap. 12. & expreſſius libr. 2. cap. 9. ideoque eius opera cenſentur apocriſa à Gelaſio c. *Sancta Romana.* d. 15. Item Caſſiano collat. 13. à c. 8. & libr. 12. de inſtitutis Renunciantium cap. 12. 13. & 14. quidquid alij perperam excuſare contendant. In eodem errore hæſit Auguſtinus ante Epiſcopatum in expoſit. ad Rom. c. 60. 61. & 62. Sed retractauit libr. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 3. & alijs in locis. Semipellagianorum placitum explicant eruditè P. Suares, P. Ruiz, P. Iannerus, P. Gaulterius, & alij num. 3. relati. Item P. Erice, 1. p d. 25. cap. 3. P Granadus, 1. p tract. 7. de prædeſt. d. 2. ſect. 2. & 1. 2. tract. 6. de gratia diſputat. 1. ſect. 1 qui vtrobique ſatis probat etiam perſeuerantiæ donum in naturæ vigorem, ac meritum Semipellagianos reuocare.

[Gelaſius. Caſſianus. Auguſtinus. P. Suares. P. Ruiz. P. Iannerus. P. Gaulterus. P. Herice. P. Granadus.]

[An Semipellagiani admiſerint meritum condignum]

16. At ſcitu dignum eſt: an Semipellagiani ſupernaturalia dona initiantia ſalutem, & egregium aliquod opus ſupernaturale in meritum naturale congruum, an in condignum retulerint? In congruum tantum retuliſſe ſentiunt Pater Vaſquez, 1. 2. diſput. 119. c 1. & 1. p. diſput. 89. cap. 5. num. 32. Pater Iannerus, & Pater Gaulterius relati num. 4. Pater Granadus tractatu 6. de gratia ſup. num. 12. P. Erice ſup. inclinat Pater Suarez lib. 2. de prædeſtinatione cap. 6. num. 27. & 28. & lib. 1. de gratia ſup. In condignum vero reuocaſſe autumant Pater Franciſcus Turrianus lib. 2. confeſſ. Auguſtini c 3. 5. 11. & 12. Toletus in illud ad Roman. 11. *Si autem gratia iam non ex operibus.* Vega lib. 2. in Trid. cap. 5. Sotus lib. 1. de natura, & gratia cap. 21. ad 2. & cap. 4. in fine. P. Connink de merito, d 8. num. 103. docetque Pater Suarez, de prædeſt. ſup. num. 26. hanc eſſe communem Scholaſticorum ſententiam. Quare plures quos referemus diſp. ſeq. veriti non ſūt, congruitatem meriti actibus omnino naturalibus in præmium intrinſecè ſupernaturale tribuere.

[P. Vaſquez. P. Iannerus. P. Gaulterius. P. Granadus. P. Erice. P. Suares. P. Turrianus. Auguſtinus Toletus. P. Connink P. Suares.]

[Contendebant Semipellagiani meritum à condigno, & congruo præſcindés]

17. Hac in re duo ſentio. Alterum, controuerſiam Patrum cum Semipellagianis fuiſſe de merito naturali præcedenti gratiam ſupernaturalem à mera congruitate, & condignitate præſcindenti, Semipellagianorumque animos ſolum contendiſſe aliquod genus meriti, ſiue condigni, ſiue congrui eſſet, ante omnem gratiam viribus naturæ conferre. Alterum, eos hanc ſtatuentes doctrinam non recuſaſſe, quin & interdum poſuiſſe naturalia opera gratia ſupernaturali condigna. Primum quidem aſſertum mihi conſtat. Primo quia Concilia, & Patres Eccleſiæ, qui aduerſus Semipellagianos definiunt, omnem rationem meriti, tam congrui, quam condigni ab actibus naturalibus reijciunt: vt diſput. 17. expendemus. Ergo controuerſia erat de merito ſupernaturalium, quod à congruo, atque condigno præſcinderet. Secundo quia ea ratione Semipellagiani in merita naturæ confugiebant, vt in cuiuſque hominis poteſtate conſtitueretur ſalus, & ex parte cuiuſque præcederet ratio, quare vnus eligitur, & alius relinquitur, vt ex Proſpero, & Hilario, colligere eſt pluribus in locis. Ad hoc autem ſufficiebat præcedere ex parte naturæ quoduis meriti genus, quod alterum hominem ab altero diſcerneret. Ergo. Tertio quia Semipellagianiſmi Principes interdum meritum congruum, interdum condignum indicant; vt mox apparebit. Ergo ſolum contendebant meritum ab vtroque præſcindens.

[Probatur primo. Secundo. Tertio.]

[Interdum aſſerebāt condignum]

18. Secundum aſſertum mihi perſuadeo ex pluribus teſtimonijs ipſorum Semipellagianorum, & Eccleſiæ Patrum, qui manus cum illis conſeruerunt, quæ breuiter proponam. Ac inprimis Caſſianus inter ea opera quæ contendit fieri facultate naturæ ſine auxilio gratiæ, & nihilominus eſſe meritoria apud Deum, recenſet plura, quæ ex ſententia omnium Theologorum exploratum eſt continere vim meritoriam de condigno. Nam lib. 12. de inſtituto renuntiantium cap. 11. ait eiuſmodi eſſe meritum confeſſionis Latronis in cruce impetrans Paradiſum. Cap. 14. talem eſſe illam orationem Dauid Pſalm. 67. *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.* Collat. 13. cap. 13. vbi eleuat meritum, quod operibus naturalibus tribuit, vt eorum merito præcedente, *Nihilominus gratia Dei gratuita perſeueret, dum exiguis, paruuliſque conatibus tantam immortalitatis gloriam, tanta perennis beatitudinis dona inæſtimabili tribuit largitate.* Id quidem probat ex paſſionibus, quas Paulus pertulit, quæ longe inferiores erant magnitudine præmij immortalis, quod earum intuitu promiſſum eſt ex illo 2. Cor. 4. *Momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, & ex illo ad Rom. 8. *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Ex quibus concludit; *Quantumlibet ergo enixa fuerit humana fragilitas futuræ retributioni, par eſſe poſſit, nec ita laboribus ſuis diuinam imminuet gratiam, vt non ſemper gratuita perſeueret.* Cap. 14. idem docet de paſſionibus, & patientia Iob, & de fide Abrahæ, qua Geneſ. 22. obtulit Deo filium ſuum, quibus certum eſt ſermonem habere de merito, cui infallibiliter vita æterna promiſſa eſt, quale communiter dignoſcitur meritū de cōdigno. Idemcidem referente Proſpero cap. 25. in naturalem facultatem refert voluntatem, qua Dauid voluit templum conſtruere Deo ſuo. Quæ omnia Theologi vniuerſi inter merita de condigno connumerant.

[Prima probatio. Caſſianus. 2. Cor. 4. Rom. 8.]

[Secunda.]

19. Secundo; quia Semipellagiani tale profitebantur meritum naturalium operum, ex quo gratia ſupernaturalis conferretur interdum debita; debitum autem ſolius meriti condigni proprium eſt. Ergo non verebātur admittere meritum naturale ſupernaturalium condignum. Conſequentia eſt bona. Minor communis Theologorum tract. de merito. Probatur maior. Auguſtinus de prædeſtinat. Sanct. cap. 2. refert eos poſuiſſe, *Quod gratia daretur debita, non donata.* Proſper contra Collat.

[Auguſtinus.]

Digitized by Google

cap. 16. *Hac doctrina meritum libero aſſignat arbitrio, quo preueniatur gratia, qua ei famuletur, reddens debitum, non conferens donum.* cap. 24. *Vult ergo eſſe multa propria hominum merita, quibus ad augendas naturales diuitias quadam deſurſum munera debeantur.* Ergo Eccleſiæ Patres tale ſibi perſuadebant Semipellagianum meritum, ex quo poſſet Deus contrahere debitum. Nec iuuabit aſſerere, Patres hæc non tam referendo conſtantem Semipellagianorum conſenſum, quam inferendo, & arguendo ex illorum doctrina propoſuiſſe. Quoniam ſaltem colligitur (quod intendimus) eos non expreſſiſſe ſolum meritum de congruo, ſed indiſcriminatim vtrumque meritum, ſiue de congruo, ſiue de condigno poſuiſſe, ideoque plerumque ſuam aſſertionem meritis de condigno confirmaſſe; ex quibus & non aliter Patrum collectio de debito gratiæ foret legitima. Nam ſi de ſolo merito congruo decertarent, legitima non eſſet, cùm ei merito etiam apud Catholicos præmium debitum non ſit.

Tertia.

20. Tertio; quia Semipellagiani conſtituebant ad priora dona ſupernaturalia alicuius ſeriei, & collectionis idem meritum, quod ad omnia ſupernaturalia dona conſtituebant Pellagiani. At Pellagiani non verebantur concedere meritum condignum ad cuncta ſupernaturalia. Ergo nec Semigellagiani ad priora concedere veriti ſunt. Minor, & conſequentia vel ipſis aduerſariis comperta eſt. Probatur maior. Tum quia nullibi apud Auguſtinum, Hilarium, & Proſperum ſtudioſè, & diligenter explicantes Semipellagianorum aſſerta, aliud diſcrimen inter ipſos, & Pellagium reperitur, quam quod meritum naturale Pellagius porrectius ad omnia ſupernaturalia dona; Semipellagiani verò contractius ad ea ſolum quæ ſalutem, aut egregium quodpiam facinus inchoant, conſtituerint. Tum quia eiſdem ſacræ paginæ argumentis, præſertim illo quod gratia ex merito prouiſa, non ſit ſimpliciter gratia, vtraque ſententia impetitur ab Auguſtino, & Proſpero. Videatur Auguſtinus lib. de prædeſtinat. Sanctor. & de bono perſeue. Paſſim cap. 105. & 106. & lib. 1. retract. cap. 9. Proſper contra Collatorem præcipue collat. 13. cap. 11. & 12. & ad obiectiones Gallorum præſertim ad 4. lib. de ingratis cap. 20. Ergo idem genus meriti vtriſque, Pellagianis ſcilicet, & Semipellagianis commune erat. Tum quia Auguſtinus de prædeſtinat. Sanctorum; cap. 2. ex Semipellagianorum ſententia ſic colligit. *Non ergo receditur ab ea ſententia, quam Pellagius ipſe in Epiſcopali iudicio Paleſtino, ſicut eadem geſta teſtantur, damnare compulſus eſt, gratiam ſecundum merita noſtra dari.* Proſper vero contra Collatorem cap. 36. ſic habet. *At exigua concluſione penè totum Pellagianum dogma confirmas, dicendo, nullius enim eſſet laudis, ac meriti, ſi id in eo (ſcilicet Centurione,) Chriſtus quod ipſe donauerat pretuliſſet.* Manifeſtius lib. de ingratis cap. 26. poſt Semipellagianorum doctrinam

Auguſtinus

proſper.

Auguſtinus

proſper.

propoſitam ſic agens.

Numquid non eadem ſapiunt, eademque perorant
Veſtri illi, quorum ructatis verba, Magiſtri?
Sed quia conſimili cognata ſuperbia quaſtu
Proſilit, &c.

Semper igitur perſuaſum Patribus fuit, idem à Semipellagianis meritum comparatione inchoationis ſalutis ac operum (hoc eſt auxiliantis gratiæ ſupernaturalis,) quod à Pellagianis comparatione gratiæ auxiliantis, iuſtificantis, & gloriæ traditum fuiſſe.

21. Quarto. Quia Auguſtinus epiſt. 105. & de gratia Chriſti cap. 26. & ſequentibus, & de prædeſtinatione Sanctor. cap. 5. & Proſper contra Collatorem cap. 22. & lib. 3. de vita contemplatiua capit. 21. epigr. 81. & lib. 2. de vocat. Gentium cap. 30. & aliis in locis probant, non poſſe præcedere bonum meritum. Quod contendebant Semipellagiani, gratiam ſupernaturalem pertinentem ad fidem, quia ipſa gratia, ſcilicet fides, quæ per dilectionem operatur, præcedit omne bonum meritum. Hoc autem ſolum eſt verum de merito condigno: nam congruum meritum ſine dilectione Dei haberi poteſt. Ergo non recuſabant Semipellagiani etiam condignum meritum naturale fateri. Claudo igitur teſtimonio Diui Proſperi lib. 1. de vocatione Gentium cap. 24. vbi ſatis oſtendit quid contra Semipellagianos contenderit his verbis. *Abunde demonſtratum eſt, fidem qua iuſtificatur impius, niſi ex Dei munere non haberi, eamque nullis meritis precedentibus tribui, ſed ad hoc donari vt principium poſſit eſſe meritorum.* Vtique eorum, quæ condigna ſunt, nam fides iuſtificans aliorum radix non eſt. Contendit igitur ante hanc fidem nullum præcedere meritum ſiue condignum, ſiue congruum, ſed ipſam neceſſario antecedere omne meritum condignum, atque adeo ex hoc capite falſum reddi dogma Semipellagianorum.

Quarta. Auguſtinus

proſper.

22. Sed obijciunt Suares, & Vaſquez ſup. 1. Auguſtinum de prædeſtinatione Sanctorum cap. 2. ſic in Semipellagianos inſurgentem. *Videte quid agitur iſto modo, niſi vt gratia ſecundum merita noſtra detur quolibet modo: ac ſic gratia non ſit gratia.* Vbi Suares expendit illud *quolibet modo*; Quaſi rem euicerit Auguſtinus, vbi aliquam rationem meriti excluſerit etiam congrui. Reſpondeo illud, *quolibet modo*, non eſſe idem, quod *aliquo modo*: ſed idem quod *omni modo*, additumque fuiſſe ad augendum potius, quam extenuandum meritum, vt inde apertius colligeret extenuari gratiam, eoque gratiam non eſſe gratiam. Quod conſtat ex probatione, quam ſubiungit. *Redditur namque hoc pacto debita non donatur gratis, debetur enim credenti, vt à Domino ipſa fides augeatur, & ſit merces fidei capta fides aucta; nec attēditur, cum hoc dicitur, non ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum iſtam mercedem credentibus imputari.* Quid enim magis proprium meriti condigni, quam debitum inducere, quod ex tali merito induci toties repetit Auguſtinus. Præterea ſolum aſ-

Obijcitur Auguſtinus p. Suares p. Vaſquez.

Exponitur.

ſerimus, Semipellagianos interdum fateri meritum condignum, cum quo rectè componitur, interdum ſolum ſtatuere meritum congruum. Quia eorum ſcopus is ſolum erat, vt aliqua ratio meriti gratiam præcederet, vt num. 7. præmiſimus.

Caſſianus obijcitur.

23. Secundò obijciunt Caſſianum collat. 13. c. 13. & lib. 12. de inſtit. renuntiat. c. 12. & 13. præcipuè vero cap. 14. ſic aientem. *Dicimus petitionem, & pulſationem, & inquiſitionem noſtram non eſſe condignam, niſi miſericordia Dei id, quod petimus, dederit.* Ergo non condignitatem, ſed tantum occaſionem congruam, & opportunam ad miſericordem largitionem donorum ſupernaturalium naturalibus conatibus tribuerunt Semipelagiani. Vnde ſubdit; *præſto eſt occaſione tantummodo à nobis bona voluntatis oblata a Deo omnia conferenda.* Eadem *occaſionis* voce vtitur cap. 11. & collat. 13. c. 13. Adiungũt Fauſtum 1. de gratia, & lib. arb. cap. 17. *Nec à nobis quicquam de meritis laboris vendicemus*, Ibidemque ait, *miſericordiam attrahentis dignis non dari.* Quare Hilarius epiſt. ad Auguſt. refert de Semipelagianis pro ſe reſpondere ſolitos, *Nec negari gratiam, ſi præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat, non autem quicquam ipſa iam valeat.*

Hilarius.

Explicatur primo.

24. Hoc eſt omnium validiſſimum argumentum, quod tamen facile ſoluam. Reſpondeo primo. Semipellagiani interdum ſolum meritum congruum ſtatuunt, quia eorum animus ſolum fuit aliquod genus meriti conatibus naturæ tribuere. Cui non aduerſatur interdum eos meritum condignum non auerſari.

Secundo.

Secundò, Semipellagiani cum extenuant meritum collatum cum præmio, illoque non omnino dignum promunt, non excludunt condignitatem, & æqualitatem proportionis, quæ ad iuſtitiam, & rationem meriti condigni ſat eſt, ſed condignitatem, & æqualitatem quantitatis, & rei ad rem, quam ad opera condignè meritoria non requiri, nec de facto dari oſtendam diſputatione ſequenti à ſect. 4. ex profeſſo. Conſtat ex Caſſiano adducto num. 8. Vbi etiam opera, quæ Theologicè putantur condigna, negat condigna, quia Mathematicè condigna non ſunt, adducens illud Pauli, *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis, &c.* Quod reuera propriam, ac Theologicam condignitatem non tollit.

Paulus.

Tertio.

Tertio iure ambigi poteſt, an ea verba Caſſiani, & Fauſti ſint, an aliorum, à quibus eorum libri ſunt caſtigati. Nam vt refert Baronius tom. 5. Annal. ſub Sixto Papa anno 433. ex Gennadio lib. de viris illuſtribus. Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus Caſſianum purgauit in Gallia, & teſte Caſſiodoro lib. inſtitutionis diuinarum lectionum cap. 29. Quod Eucherius in Gallia præſtitit, Victor Martyritanus Epiſcopus in Africa facere contendit, quamuis vt colligitur ex Adone Viennenſi ſub anno 425. in fine, non plenè obtinuit; quandoquidem multò poſtea ipſe admonuit, vt Caſſiani opera præſertim quæ de gratia, & libero arbitrio agunt, cautè legerentur. Vtque refert idem Ado etiam Caſſiodorus Rauennatum Senator eoſdẽ libros corrigere aggreſſus eſt. Eamdem ſuſpicionem Fauſtus ſubit. Nam Tritemius in Fauſto fol. 84. ait, Fauſtum prius Pelagianè ſcripſiſſe, poſtea à Fulgentio conuerſum ſcripſiſſe Catholicè. Quod ſi fidem meretur, credibilius eſt extantes libros correctiores eſſe, quam quod ait Valentia de prædeſtinatione Catholicos periiſſe, Pellagianos extare; ac proinde ad eleuandum eius errorem ſuppoſitum fuiſſe meritum ſolum de congruo, & negatum de condigno.

Baronius. Gennadius Eucherius. Caſſiodorus. Victor. Fauſtus. Tritemius.

SECTIO QVARTA.

Reijcitur meritum condignum præcedentium hæreticorum.

Huius erroris expugnatores.

25. HVnc errorem multis expugnat Eccleſia, nec vllus fuit, in quem tot milites armauerit, tot anathemata contenderit. Ad defenſionem gratiæ ad merendum ſupernaturalia neceſſariæ, euerſionemque ſufficientiæ naturalis in aciem prodierunt primum Eccleſiæ Patres, deinde ſupremi Pontifices, rurſus ſanctiſſima Concilia, denique Scholaſtici Doctores. Quorum omnium authoritatem & ſeriem eruditè expendit noſtri ſæculi ornamentum, Catholicæ religionis columen, ſocietatis noſtræ decus P. Franciſcus Suarez tom. 1. de Gratia prol. 6. vbi cap. 6. producit ex Patribus primum, ac Principem omnium Auguſtinum, item Hieronymum, Atticum Conſtantinopolitanum, Paulum Oroſium, Hilarium Arelatenſem Epiſcopum, Proſperum Aquitanicum, Cæſarium Arelatenſem, Fulgentium, Petrum Diaconum, Ioannem Maxentium, Iſidorum, Damaſcenum, Bedam, Anſelmum, Bernardum, & Angelicum Doctorem S. Thomam cap. 1. Ex ſupremis Pontificibus Innocentium primum, Zoſimum, Bonifacium, Cæleſtinum, Sixtum tertium, Leonem Magnum, Gelaſium, Hormiſdam, Leonem decimum, Paulum tertium, Pium quartum, ac demum Pium quintum, & Gregorium decimum tertium. Inſuper cap. 3. 4. & 5. recenſet ex Concilijs Dioſpolitanum, Carthaginenſe primum & ſecundum; item Mileuitanum, Epheſinum, Arauſicanum, Valentinum, Moguntinum, Senonenſe, aliud Moguntinũ, ac poſtremo Aecumenicũ Tridentinum. Ex Scholaſticis quis cogat in numerum, qui errorem Pellagianum, ac Semipellagianum contriuerunt? Videantur interpretes Magiſtri in 1. diſt. 17. & in 2. diſt. 27. interpretes S. Thomæ 1. p. q. 23. & 1. 2. q. 109. art. 5. & 6. & q. 114. art. 2. & 4. præcipuè Caietanus, Conradus, Medina, Zumel, Lorca, P. Vaſquez, P. Valentia, P. Iannerus, P. Faſolus, P. Granadus. Præterea P. Suarez tom. 1. de Gratia toto lib. 1. 2. & 12. P. Molina in concordia d. 1. 6. & 15. P. Aegidius Conninck 2. 2. d. 4. dub. 3. P. Torres de merito diſput. 1. dub. 11. & diſp. 6. num. 17. Curiel. 1. 2. q. 112. art. 2. dub. 3. Sotus 2. de natura & gratia cap. 3. Vega lib. 6. in Trident. cap. 3. 4. & 5. & opuſc. de iuſtificat. q. 6. 8. & 11. Driedo de captiuit.

P. Suarez. Eccleſiæ Patres.

Pontifices.

Concilia.

Scholaſtici. Magiſter. S. Thomas. Caietanus. Conradus. Medina. Zumel. Lorca. P. Vaſquez. P. Valentia P. Iannerus P. Faſolus. P. Granadus P. Suarez. P. Molina. P. Conninx P. Torres. Curiel. Sotus. Vega. Driedo.

Digitized by Google

Roffenſis. Vinſfeldius Decanus. Vualdenſis. Oſſius Lindanus. tract. 3. cap. 4. Roffenſis art. 36. Vinſfeldius ſect. 3. de lib. arb. memb. 7. con. 1. Decanus art. 7. Petrus de Soto lect. 10. de pænit. Vualdenſis tom. 3. de Sacram. cap. 9. Oſſius in confeſſione cap. 66. Lindanus lib. 3. Panop. cap. 20. Quorum vna vox eſt, nullum naturæ facultate ſine auxilio gratiæ elicitum opus poſſe vitam æternam, gratiam iuſtificantem, auxiliantem, aut quidpiam aliud ſupernaturale ad gratiam, & ſalutem ſpectans de condigno mereri. Adde quotquot diſputat. ſequenti contra meritum congruum naturæ proferemus.

Improbat primo. Con. Arauſicanum. 26. In eius ſententiæ reprobationem ſufficiant nunc Canones Concilij Arauſicani ſecundi. Septimus eſt: *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod ad ſalutem pertinens vitæ æternæ cogitare, eligere, ſiue Euangelicæ prædicationi conſentire poſſe confirmat, hæretico fallitur ſpiritu.* Quid autem in ſalutem vitæ æternæ conducentius quam meritum condignum gratiæ, aut gloriæ? Nonus eſt; *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiſcum vt operemur operatur.* At bona opera planè ſunt pietatis actus, qui promouent in ſalutem, quos illud *quoties* omnes ſine diſcrimine comprehendit. Clarius 18. *Debetur merces operibus bonis, ſi fiant. Sed gratia, quæ non debetur, præcedit, vt fiant.* Etenim gratia præcedens vt bona opera fiant, auxiliaris eſt; merces vero operibus debita præmium eorum condignitati reſpondens. Igitur gratia auxiliaris ad meritum condignum mercedis ſupernaturalis ſemper neceſſaria eſt; atque adeo operibus ſine auxilio gratiæ elicitis valor condignus præmij ſupernaturalis ineſſe repugnat.

Item Tridentinum. 27. Accedat Tridentinum ſect. 6. cap. 16. *Cum ille Chriſtus Ieſus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites iugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, comitatur, & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria eſſe poſſunt, nihil amplius iuſtificatis deeſſe credendum eſt, quominus illis quidem operibus, quæ in Deo facta ſunt, vitam æternam vere promeruiſſe cenſeantur.* En manifeſtè nulla ſunt opera Deo grata, vitæque æternæ meritoria, niſi quæ in Deo facta ſint, & medio influxu gratiæ antecedentis, comitantis, ac ſubſequentis à Chriſto Ieſu, tanquam à noſtro capite deriuentur. Item ſect. 14. cap. 8. *Neque vero ita noſtra eſt ſatisfactio hæc, quam pro peccatis exſoluimus, vt non ſit per Chriſtum Ieſum: nam qui ex nobis, tanquam ex nobis nihil poſſumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia poſſumus, ita non habet homo vnde glorietur.* Eadem autem eſt meriti, atque ſatisfactionis ratio. Quare concludit; *omnis gloriatio noſtra in Chriſto eſt, in quo viuimus, meremur, & ſatisfacimus.* Sine Chriſto igitur confortante, ſuiſque meritis virtutem ſupernaturalem infundente nulla eſſent in nobis opera ſatisfactoria, nec meritoria.

Cæleſtinus 28. Prætereundus non eſt Cæleſtinus Papa epiſt. ad Epiſ. Galliæ cap. 12. è quo Tridentinum ſect. 6. cap. 16. hanc doctrinam, & verba depromſit. *Omnium bonorum affectuum, atque operum Deum profiteamur autorem, & non dubitemus ab ipſius gratia præueniri omnia hominis merita, per quem fit, vt aliquid boni, & velle incipiamus, & facere; quo vtique auxilio non auffertur liberum hominis arbitrium, &c. Tanta enim eſt erga homines Dei bonitas, vt noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona, & pro ijs quæ largitus eſt, æterna præmia ſit donaturus.* Nihil hac in re extat manifeſtius. Hæc non leuiter confirmantur ex Bulla Pij V. & Gregorij XIII. edita contra Michaelem Baium, vbi hæc propoſitio 4. damnatur. *Vita æterna homini integro, & Angelo promiſſa ſunt intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege naturæ ad illam conſequendam per ſe ſufficiunt.* Item conſequenter 7. *Primi hominis integri merita fuerunt prima creationis munera, ſed iuxta modum loquendi ſacra Scriptura non rectè vocantur gratia, quo fit, vt tantum merita, non autem gratia debeant nuncupari.* Quibus conſonat 24. ſimiliter caſtigata. *Abſurda eſt eorum ſententia, qui dicunt hominem ab initio dono quodam ſupernaturali, & gratuito ſupra conditionem naturæ fuiſſe exaltatum, vt fide, ſpe, & charitate Deum ſupernaturaliter coleret.* Itaque damnabile eſt, non ſolum naturæ lapſæ, verum etiam integræ meritum condignum competere, quod viribus naturæ, & abſque auxilio ſupernaturali perficiatur. Meritum igitur condignum præmij ſupernaturalis ab operibus naturæ prorſus alienum eſt. Pius V. Gregorius XIII.

SECTIO QVINTA.

Colligitur etiam in iuſto opera elicita viribus naturæ non eſſe de condigno meritoria.

29. HOc corollarium deprehenditur manifeſtè ex ſect. ſuperiori contra Caiet. 1. 2. q. 109. art. 9. annot. 1. Sotum 3. de natura, & gratia cap. 4. aliosque Thomiſtas, quorum ipſe meminit, docentes virtutum acquiſitarum actus elicitos viribus naturæ abſque auxilio gratiæ actualis mereri de condigno fœlicitatem ſupernaturalem, ſolum quia à ſuppoſito ſancto, & iuſto per gratiam habitualem procedant. Quæ ſententia tribuitur à nonnullis Medinæ 1. 2. q. 18. art. 9. & q. 114. art. 4. Sed reuera falſo, quin eis in locis hac de re non diſſerit. Noſtrum tamen aſſertum tuetur expreſſè S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 9. & q. 114. art. 2. 3. & 8. referens meritum operis in motionem actualem Spiritus ſancti. Item Scotus, Bonau. Gabriel, Durandus, & Capreolus quos refert & ſequitur iuratus Thomiſta Zumel. 1. 2. q. 114. art. 4. diſput. 1. conc. 1. Vega q. 12. de Iuſtificatione, Vualdenſis, Hoſius, & Lindanus, P. Ægidius, & P. Torres relati num. 15. cum aliis, qui noſtris temporibus contra hæreticos ſcripſerunt. P. Iannerus, P. Suares tom 3. de gratia lib. 12. cap. 7. P. Vaſquez 1. 2. diſput. 219. cap. 5. qui rem iſtam ad fidem pertinere iudicat. Ego aliàs parum cenſor oppoſitum improbabile puto. Caietanus. Sotus. Medina. S. Thomas. Zumel. Vega. P. Suares. P. Vaſquez.

30. Etenim exploratum mihi eſt, teſtimonia præcedenti ſectione propoſita exigere ad meritum de condigno gratiam operantem, & actualem, qua natura alias impotens reddatur Probatur aſſertum.

Digitized by Google

pŏtens ad agendum opus meritorium. At ea teſtimonia manifeſte comprehendunt etiam iuſtos. Ergo etiam iuſti nequeunt habere aliquod de condigno meritum ſola facultate naturæ, abſque ope gratiæ actualis elicitum. Conſequentia eſt manifeſta. Maior & minor à nullo etiam proteruo negari poſſunt, ſi ſincerè teſtimonia expendantur. Quæ illam planè gratiam contendunt, quam à Pellagio Eccleſiæ Patres extorquere conati ſunt. Hoc autem non fuit gratia iuſtificans, quam probabilius eſt admiſiſſe Pellagium; ſaltem euidens eam non eſſe auxilium ad rectè viuendum neceſſarium, quod ille negabat: vt rectè obſeruat P. Suares tom. 1. de gratia prolog. 5. cap. 2. Gratia igitur eis teſtimonijs comprehẽſa erit auxilians & actualis, ſine qua iuſtos & iniuſtos rectè viuere, legem implere, tentationes ſuperare, aliaquè pietatis officia exercere arbitrabatur. Superiora confirmo duplici teſtimonio Concilij Arauſicani, Moguntini, & Auguſtini: Arauſicanum can. 25. ait. *Hoc etiam ſecundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptiſmum gratia, omnes baptiſatis, Chriſto auxiliante, & cooperante quæ ad ſalutem pertinent, poſſint & debeant, ſi fæliciter laborare voluerint, adimplere.* Vbi manifeſtè præter gratiam habitualem acceptam in baptiſmo gratiam etiam auxiliantem, & cooperantem Chriſti ad quoduis meritum vitæ æternæ requirit. Concilium Moguntinum ſic habet cap. 8. *Opera iuſtificatorum gratia Dei effectus ſunt, & mouente, & adiuuante Spiritu Sancto fiunt verè bona, & Deo grata, ac remuneratione vitæ æternæ digna. Non enim ſecundum humanas vires æſtimanda ſunt iuſtificatorum opera, ſed ſecundum eam gratiam, quam in ipſos influit Chriſtus, ex qua deinde bona ipſorum opera promanant: & ſecundum eam dignitatem, quam de Spiritu ſancto velut omnis boni operis motore, & operatore ſumunt.* Vbi diſtinguit perſpicuè duo, quæ obtinent ab Spiritu ſancto iuſtificatorum merita tum bonitatem, & exiſtentiam, tanquam effectus gratiæ, à motione, & operatione Spiritus ſancti quæ auxiliantis gratiæ propria eſt, tum dignitatem, & meritum, quod eſt proprium iuſtificantis. Quare eis annectit. *Sic in bono opere faciendo deprimenda eſt facultas hominis, vt interim cogitemus Spiritus ſancti motum, & in nobis efficacem, & apud Deum acceptum, ac pretioſum eſſe.* Quæ planè de gratia mouente, & iuuante naturam, qualis non eſt iuſtificans intelligenda ſunt. Auguſtinus verò ſic fauet de natura, & gratia cap. 28. *Sicut oculus corporis etiam pleniſſimè ſanus, niſi candore lucis adiutus, non poteſt cernere, ſic homo etiam perfectiſſimè iuſtificatus, niſi æterna luce iuſtitiæ diuinitus adiuuetur, rectè non poteſt viuere.* En apertè Auguſtinus ad rectam, & meritoriam vitam iuſtorum, præter gratiam ſanantem requirit auxilium illuſtrationis internæ, in qua gratia actualis poſita eſt.

P. Suares. — Confirmatur. — Conci Mogunt.

31. Addo ſuffragium D. Bernardi de gratia, & lib. arb. col. antepen. *Non libero arbitrio à ſe, ſed deſurſum potius à Patre luminum deſcendere merita putentur. Dei proculdubio ſunt munera, tam noſtra opera, quam eius præmia.* Item Magiſtri in 2. diſt. 27. §. *Cum ergo* his verbis. *In bonis merendis cauſæ principalitas gratiæ attribuitur, qua excitatur liberum arbitrium, & ſanatur atque iuuatur voluntas hominis, vt ſit bona.* Gratia enim excitans non habitualis, ſed actualis eſt, cui Magiſter in operum merito principatum tribuit. Nullum igitur ſine concurſu gratiæ actualis meritum eſt. Etiam Doctoris Angelici ad Rom. 4. lect. 1. col. 2. notantis, *Humana opera poſſe conſiderari dupliciter. Vno modo ſecundum ſubſtantiam operum, & ſic non habent aliquid condignum, vt eis merces æterna gloria reddatur. Alio modo poſſunt conſiderari ſecundum ſuum principium, prout ſcilicet ex impulſu Dei aguntur ſecundũ propoſitum Dei prædeſtinantis, & ſecundum hoc eis debetur merces prædicta ſecundum debitum, quia qui ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei: ſi autem filij, & hæredes.* En requiritur ad meritum condignum ex ſententia ſancti Thomæ impulſus Dei, quo agantur iuſti. Hic autem impulſus non quadrat in gratiam habitualem, ſed actualem, vt per ſe manifeſtum eſt. Ergo. Quibus hoc argumentum adiungo. Opera, quæ in iuſto ſunt meritoria de condigno à dignitate perſonæ ſanctæ, ſunt in peccatore meritoria de congruo à bonitate morali, quam ſeorſim à gratia iuſtificante retinere poſſũt. Sed opera elicita à peccatore, ſolo vigore naturæ abſquè vllo iuuamine gratiæ actualis non ſunt meritoria de congruo. Ergo nec in iuſto ſolis viribus naturæ ſine ope gratiæ actualis elicita de condigno meritoria ſunt. Conſequentia aperta eſt. Minor fusè diſputat. ſequenti probanda, & à recenſioribus, qui Thomiſtis accedunt, admittitur. Maior conſtat: quia gratia habitualis non tribuit condignitatem operibus, quæ ſeorſim ab ipſa congruitatem non habent, & in ordine ſupernaturali conſtituta non ſunt. Quæ enim ex ſe ſeiunctim à gratia iuſtificante congruitatem non habent, vt eorum intuitu conferatur quidpiam ſupernaturale in iuſtificationem conducens, neque congruitate prædita ſunt, vt ab ipſa gratia iuſtificante dignificentur in gloriam, & vlteriorem gratiam. Hæc vberius ſequentibus expendenda ſunt.

Bernardus. — Magiſter.

32. Obijciunt primo aduerſarij cum Caietano, Iuſtus poteſt ſuis viribus perficere plura opera virtutum acquiſitarum, ſicut poteſt peccator. Ad opera namque virtutum naturalium gratia per Chriſtum neceſſaria non eſt; neque iuſtus minori pollet ad ea perficienda virtute, quam peccator. Sed omnia opera iuſtorum moraliter bona ſunt de condigno meritoria; vt plura Sacræ paginæ teſtimonia perſuadere videntur. Ergo in homine iuſto virtutum moralium opera, quamuis ſine præſidio gratiæ elicita præmio ſupernaturali condigna ſunt. Reſpondeo. Teſtimonia Sacrarum literarum, quibus vita æterna omnibus iuſtorum operibus promittitur, exponenda ſunt de operibus quæ in Deo, motione Spiritus ſancti, & auxilio gratiæ fiunt, ſicut Conſilia, ac Patres Eccleſię interpretantur, vt ſuperiora demonſtrant. Igitur ea opera moraliter bona, quæ ſola naturæ facultate peraguntur, merito vacua ſunt. Inſuper omnia virtutum moralium opera prædicantur meritoria, quia reipſa ſemper influxu

Diluitur prima obiectio. — Caietanus.

Digitized by Google

gratiæ actual s efficiuntur. Nam licet ex natura rei talis gratiæ concurſus ad operum exiſtentiam neceſſarius non ſit de facto, tamen ſuppoſita eleuatione naturæ, vires ſupernaturales adiunguntur in quoduis opus virtutum moralium, vt plenè, & mea opinione planè oſtendemus diſp.20.

Secunda. 33. Obijciunt ſecundo. Quæcumque opera moraliter mala, etiam virtutibus naturalibus oppoſita, ſūt demeritoria donorum ſupernaturalium. Ergo quæcumque bona ſunt meritoria. Nimium probat argumentum. Nempè etiam opera peccatoris moraliter bona, quamquam ſolo vigore naturę elicita, conferre in ſalutem merendo quidpiam ſupernaturale; quod inter Catholicos ferendum non eſt. Rurſus conſequentiam admitto, quia ſuppoſita eleuatione naturæ puto omnia virtutum acquiſitarum opera fieri concurſu gratiæ actualis, prout ex natura rei opus eſt ad meritum ſupernaturalium, vt nuper ponebam ex diſput. 20. Deinde facile conſequentia negatur; quia minus ad demerendum bonum, quam ad illudmet merendum requiritur; vt conſtat in vnione hypoſtatica, quam peccato veniali poſſumus digni deperdere, nullo tamen præcellenti opere neque naturali, neque ſupernaturali poſſumus obtinere dignè.

Tertia. 34. Tertio. Ex communi ſententia S.Thomæ, & Theologorum, nullum eſt opus indifferens quoad meritum, & demeritum. Eſſet autem, ſi opus iuſtificatum ſine auxilio gratiæ non eſſet meritorium, cum per ſe conſtet non eſſe demeritorium. Ergo. Reſpondeo. Communis Theologorum doctrina negat opus indifferens ad meritum, & demeritum præmij præſcindentis à naturali, & ſupernaturali: ſecus determinatè ad meritum, ac demeritum præmij ſupernaturalis, de quo nunc diſſeritur. Quinimo maior pars Theologorum admittentium opera moraliter bona ſine auxilio gratiæ per Chriſtum tuetur opera non conferentia in ſalutem, aut in præmium ſupernaturale, ſola naturæ virtute exiſtentia; qualia negari non poſſunt opera bona omnino naturalia peccatoris. Quid. Si aſſeramus de facto ea opera non inueniri ſic indifferentia, quia de facto nulla eduntur bona à natura, in quæ auxilijs gratiæ ſupernaturalis non præueniatur à Deo, vt ſuperius monebamus.

Quarta. 35. Quarto. Opera naturalia in peccatore elicita auxilio gratiæ ſupernaturalis poſſunt quidpiam mereri de congruo, & in iuſto de condigno. Ergo etiam in iuſto ad idem meritum valent, quamuis auxilio gratiæ actualis deſtituantur. Probatur conſequentia. Poteſt gratia habitualis conferre operibus ſupernaturalitatem, quam cōferre poteſt auxilium actuale gratiæ. Neque enim minus ſupernaturalis, nec minus potens eſt ſupernaturalitatem extrinſecam tribuere gratia habitualis, quam actualis. Inprimis dubia mihi ſunt, opera naturalia auxilio gratiæ per Chriſtum elicita, de congruo, aut de condigno meritoria; de quo diſputat. 44. Deinde hoc eſt diſcrimen inter auxilium actuale gratiæ, & gratiam habitualem; quod auxilium actuale gratiæ, cum ſit ad agendum deſtinatum, poteſt ſupernaturalitatem conferre; aut intrinſecè, eliciendo actum ſuapte conditione connexum cum gratia ſupernaturali, aut extrinſecè, conſtituendo libertatem, & indifferentiam voluntatis ad actum eiuſdem rationis cum eo, qui auxilio naturali comparatur; à qua libertate, & indifferentia in actu primo opus redditur morale, & cum libertas ſupernaturalibus principijs coaleſcit, reddi etiam poteſt ſupernaturale, vt vberius exponemus diſput.70. Gratia habitualis vero, cum principium agendi non ſit, neque facultatem liberam agendi in actu primo conſtituat, ea conditione caret, quæ ad conferendum ſupernaturalitatem ſiue intrinſecè, ſiue extrinſecè neceſſaria eſt. Ideo ipſius munus tantum eſt actum aliundè ſupernaturalem, (vt actum aliunde moraliter bonum) in altius prætium efferre, & præmio ſupernaturali condignum conſtituere. Condignitas igitur, non ſupernaturalitas, aut bonitas meritorum, effectus formalis eſt gratiæ iuſtificantis.

36. Vrgebis cum Soto gratiam iuſtificantem influxum phyſicum conferre in virtutum actus; quo inter principia agendi numerari, & libertatem in actu primo conſtituere poſſit. A vero prorſus alienum iudico influxum phyſicum gratiæ habitualis in virtutum actus, vt tractatu de iuſtificatione diſſerui. Rurſus is influxus non in actus intrinſecè naturales, ſed in ſupernaturales dumtaxat probandus eſſet. In actus naturales enim, & ſuperfluus, & præter ipſius gratiæ genium apprehenditur. Satius quidem eſſet, inde, quod ſuperioribus poſuimus, colligere, ſcilicet omnem naturæ in iuſtitia exiſtentis conatum honeſtum, auxilio gratiæ habitualis edere ſemper actum intrinſecè ſupernaturalem, ſubindequè nullum reipſa fieri actum naturalem honeſtum, qui ſine auxilio gratię à gratia iuſtificante reddatur meritorius. Cæterum monuerim, tolerabilius eſſe id, quod Sotus in re præſenti docet, quam recentiorum aſſertum; nempe actus naturales meritorios iuſti fieri influxu phyſico gratiæ habitualis ſine influxu gratiæ actualis, quam omnem prorſus influxum ſupernaturalem tam gratiæ actualis, quam habitualis reijcere. Nam ex teſtimonijs Conciliorum, & Patrum aliquod gratiæ auxilium ad meritum de condigno neceſſarium eſt, quod actui ſupernaturalitatem conferat. Hoc autem auxilium datur ſaltem virtualiter, & eminenter in ſententia Soti, & nulla ratione in ſententiis recentiorum. Sotus.

37. Demum efficacius argui poteſt. Gratia habitualis reddit naturam rationalem, cui vnitur, gratam Deo, quamuis ex parte naturæ non præcedat quidquam ſupernaturale. Ergo ſimiliter poterit opera talis naturæ reddere grata Deo, quamuis nihil ſupernaturale ex parte ipſorum præcedat, quo in ordinem ſupernaturalem aſſurgant. Sed opera bona moralia grata Deo per donum ſupernaturale, & gratiæ iuſtificantis, meritoria eſſe poſſunt doni ſupernaturalis. Ergo. At hoc argumentum etiam probat, opera naturæ, indifferentia moraliter, Poſtrema obiectio.

Digitized by Google

fieri grata Deo per gratiam habitualem, ac proinde meritoria. Nam gratia habitualis conſtituit naturam rationalem gratam Deo, quamuis nihil bonitatis moralis ex parte naturæ ipſam antecedat. Ergo pari ratione conſtituet Deo grata, opera moraliter indifferentia, ac proinde meritoria, licet omni morali bonitate vacua gratiam antecedant. Quod certe nimium eſt. Præterea hoc eſt diſcrimen inter naturam rationalem, & ipſius opera; quod gratia vnitur naturæ tanquam forma ſupponens ignobilitatem ipſius naturæ, vt ea vnione natura creata in altiorem naturæ diuinæ æmulationem, ac conditionem aſſurgat; operibus vero iungitur tanquam forma, antecedens ignobilitatem ipſorum, radixque altioris generis agendi: vt natura rationalis in altitudinem diuinitatis euecta actus edat tali conditione dignos: immo tota diuinitatis participatio gratiæ iuſtificantis propria, in morali æmulatione naturæ diuinæ quoad genus agendi honeſtè poſita eſt, vt tractatu de gratia iuſtificante, ſacræ paginę, ac Patrũ teſtimonijs, rationibuſq; Theologicis illuſtraui. Vnde etiam oſtendi, non poſſe gratiam opera dignificare in gloriam, quin per modum naturæ illamet antecedat. Hinc eſt, gratiam vniri naturæ, etiamſi quidquam ſupernaturale non præcedat, quia ipſa gratia eſt effectus ignobilitatis naturæ in genere cauſæ materialis, vt poſterius per eſſe ſupernaturale gratiæ nobilitetur natura; operibus verò non vniri, niſi aliqua ratione ſupernaturales ſint, quippè effectus conſequentes exiſtentiam gratiæ, ſapienteſquè excellentiam naturæ eleuatæ per illam; quod abſque aliqua ſupernaturalitate proueniente à gratia actuali obtinere non poſſunt. Nam cùm ipſa gratia habitualis immediate actiua, aut excitatiua non ſit, opus eſt, medijs alijs principijs operum exiſtentiam antecedere, inter quæ actualis gratia ex natura rei locum habet. Vnio igitur gratiæ habitualis cum operibus bonis, vt ferant affectum remunerandi diuinæ voluntatis, fieri non poteſt abſque auxilijs actualis gratię intuitu gratię iuſtificantis promiſſis. De quo vberius tractatu de gratia iuſtificante.

SECTIO SEXTA.

Expenditur ratio, quare ſupernaturalia ſint ſupra meritum condignum naturæ.

38. QVamquam exceſſus donorum ſupernaturalium ſupra meritum condignũ naturæ, ex ſacris monumentis conſtantiſſimus ſit, ratio tamen à priori talis exceſſus partim à Theologis explorata eſt.
Prima ratio communis. Omnes Theologi his rationibus vtuntur. Prima eſt: ad meritum condignum opus eſt promiſſio Dei. At operibus omnino naturalibus præmia ſupernaturalia
Secunda. promiſſa non ſunt. Secunda: ad meritum condignum exigitur æqualitas meriti cum præmio. Opus autem omnino naturale non poteſt eſſe æquale præmio ſupernaturali; à quo vt in eſſe, ſic in æſtimatione, & prætio ſuperatur. Tertia. Tertia.
Meritum, & præmium mutuam vendicant proportionem, cum præmium tanquam finis; & meritum tanquam medium comparetur. Quæ autem in diuerſo ordine conſtituta ſunt, proportione carent. Quarta. Meritum, & præmium Quarta.
ſub eamdem prouidentiam cadunt, cum meritum in præmium, vt in ſuum finem deſtinetur. Atque adeò cum præmium ſupernaturale eſt, etiam meritum prouidentiæ ſupernaturali ſubijcitur. Meritum autem prouidentiæ ſupernaturali ſubiectum, omnino naturale non eſt. Igitur meritum omnino naturale vendicare dignè non poteſt remunerationem præmij intrinſecè ſupernaturalis.

39. Sanè his argumentis congruentiæ vim negare non poſſum; cum omnes penè Theologi eis conſtanter fidant. Vltra congruentiam tamen vires non habent. Neque enim Theolo- Rationes ſuperiores infirmæ. Prima.
gi contra Pellagianos tanto ſtudio probationem rationis, quanto argumenta ex ſacris litteris, Concilijs, ac Patribus petita exquiſierunt, quibus primum Catholicam veritatem euidenter munitam, congruentibus deinde rationibus abſque negotio, & ſtudio confirmarunt, vtpote in quam probationes à ratione ſuperfluerent, vbi ſacræ paginæ, Conciliorum, ac Patrum argumenta manifeſta ſuppeterent. Et quidem prima probatio ab autoritate potius, quam à ratione eſt, & factum potius, quam rei naturam oſtendens. Poteſt enim admitti, de facto quidem ſolis operibus ex gratia elicitis dona ſupernaturalia eſſe promiſſa, quia de facto etiam ad opera ſupernaturalia agenda natura eleuata eſt; cæterum potuiſſe Deum, ſi vellet, etiam intuitu operum naturalium eadem dona decernere, quin ea indignis, ſed potius dignis largiretur. Ad ſecundam probationem reſpon- Secunda.
deo. AEqualitas meriti cum præmio Mathematica non eſt, ſed cuiuſdam latiſſimæ proportionis, quæ præmium longè ſuperius merito iuſte patiatur: vt tractatu de merito docui, doceboque diſput. ſeq. rem illam acrius expendens. Quare igitur hæc inæqualitas, & excellentia præmij non parietur etiam, vt præmium ſit donum aliquod infimum ſupernaturalium, cum meritum eſt naturalium ſupremum. Ponamus Deum largiri homini auxilium intrinſecè ſupernaturale ad eliciendum actum miſericordiæ, aut fidei, intuitu dilectionis naturalis perfectiſſimæ Dei; in qua longo tempore cum integra legis obedientia perſeuerauit, ac ſimul largiri augmentum immortale gratiæ, & pondus æternum gloriæ intuitu vnius actus ſupernaturalis miſericordiæ leuiſſimi, quo vnico inſtanti voluit homo potum aquæ frigidæ ſitienti præbere. Maior ſanè donationis exceſſus videtur eſſe, quo duratio inſtantanea vnius leuiſſimi actus ſupernaturalis miſericordiæ rependitur æterna, ac immortali duratione gratiæ iuſtificantis & gloriæ, quam quo longa & perſeuerans dilectio naturalis Dei, ac obedientia legis rependitur vnica illuſtratione ſupernaturali. At prior donatio eſt condigna. Ergo etiam poſterior. Quid. Quod plura naturalia excedunt perfectione ſupernaturalia plurium Theo-

Digitized by Google

logorum iudicio, de quo diſput.21. Ergo opera naturalia, quæ ſine fine perfectiora, & perfectiora edi poſſunt, in eam perfectionem deuenient, qua præmio ſupernaturali æquari poſſint. Saltem hic exceſſus præmij ſupernaturalis manifeſtus non eſt. Ergo neque eſt manifeſta inæqualitas præmij ſupernaturalis cum merito, vt maiori explicatione non egeat, quam communiter adhibetur.

Tertia. 40. Ad tertium reſpondeo. Meritum, & præmium vendicent proportionem: at non adæquatam Mathematicè, ſed inadæquatam, vt conſtat ex num.29. At proportio inadæquata latiſſima eſt, & capere poſſe videtur inæqualitatem eorum, quæ in ordine naturali, ac ſupernaturali poſita ſunt. Saltem non oſtenditur argumento, quare eam non patiatur. Ad quartum reſpondeo. Poſſunt opera naturalia ad prouidentiam ſupernaturalem extrinſecè pertinere ex directione Dei intendentis finem ſupernaturalem; vt pertinere arbitror bonam indolem, ingenium, & plura beneficia naturalia ad prouidentiam ſupernaturalem prædeſtinatorum. Tamen ex ea directione nullum pretium, quo digniora fiant præmio ſupernaturali, opera naturalia deſumunt, vt infra oſtendemus diſput.44. Si deſumunt, certè Pelagiani talem directionem operum in fœlicitatē, & præmium ſupernaturale minimè recuſabant, ſed potius totis viribus contendebant. Neque aliud contenditur nunc, quam poſſe opera merè naturalia dirigi à Deo in præmium intrinſecè ſupernaturale, quo ea digne remuneretur. Alia igitur ſupernaturalitas: quam iſta extrinſeca prouidentiæ diuinæ opus non eſt ad meritum operum naturalium; quod Pelagianiſmo ſat eſt. Vnde conficitur præmia ſupernaturalia excedere condignitatem operum naturalium ſolùm ex lege Dei, non vero ex natura rerum, quia ad ſatisfaciendum teſtimonijs ſacris, quæ contra Pellagianos obijciuntur, ſufficit lege Dei ſtatutum eſſe nullum donum ſupernaturale conferri, niſi intuitu operis, quod etiam ſupernaturale ſit. Cæterum inſpectis naturis rerum non conſtat, quare naturalia opera nequeant retributione ſupernaturali compenſari. Prçſertim ſi vera eſt Scotiſtarum & Nominalium ſententia, quæ tuetur opera non ex ſe intrinſecè, ſed extrinſecè ab acceptatione, & conſignatione Dei pretium, & valorem accipere; de qua diſp.16.

Quarta.

Sforcia deſeritur. 41. Vndè deſeritur etiam explicatio Sforciæ Pellauicini lib.4. ſummæ Theologicæ, nu. 23. quæ eſt huiuſmodi. Præmium meriti condigni eſſe debet tale, vt ſi minus tribueretur, iure quis conqueri poſſet, in eoque æqualitas meriti condigni, & præmij conſiſtit. Sed operibus naturalibus ſecluſo præmio ſupernaturali poteſt retribui præmium, quod iniuſtas faciat querelas de præmio ſupernaturali negato, nam plura ſunt dona naturalia quibus iuſtè ſine dono ſupernaturali talia opera remunerentur. Ergo præmium ſupernaturale eſt extra condignitatem meriti naturalis. Tamen ex dictis hæc ratio firma non eſt. Nam æqualitas meriti condigni cum præmio non eſt quantitatis, & mathematica, ſed latiſſimæ proportionis, quæ ſuſcipit magis, & minus, vt ſi operibus iuſtorum in gratia elicitis non decerneretur in præmium beatitudo æterna, ſed temporalis tantum, verbi gratia, centum mille annorum, iuſtè Deus poſſet eorum opera rependere, quin merito de exiguitate, & inæqualitate præmij homines conqueri poſſent, vt ex numero 29. pono. Ergo æqualitas meriti condigni cum præmio non excludit condignitatem operum naturalium comparatione præmij ſupernaturalis. Si enim præmium dignè reſpondens meritis ſupernaturalibus continet latitudinem propè infinitam, qualis in morali æſtimatione eſt inter fœlicitatem durantem mille annos, & durantem æternitatem totam; quare præmium dignè reſpondens meritis naturalibus non capiet latitudinem finitam, quæ inter donum naturale, & ſupernaturale exiſtit? præſertim cum plura naturalia dona poſſint abſolutè æquare, & præſtare etiam perfectione pluribus donis ſupernaturalibus, vt diſp.21. ſtatuemus.

42. Fateor ingenuè difficultatem rei. Quam forſan expediemus, ſi ex noſtris principijs in hunc modum arguamus. Nullum opus meretur de condigno prçmium, quod eſt ſupra omnem connexionem tranſcendentem naturæ operantis. At donum quodlibet ſupernaturale eſt ſupra omnem connexionem tranſcendentem naturæ rationalis ſuis viribus operantis. Ergo quodlibet donum ſupernaturale eſt ſupra meritum condignum naturæ rationalis ſuis viribus operantis. Conſequutio legitima eſt. Minor ſatis ſuperioribus explicata. Maior præterquam quod ex terminorum apprehenſione ſatis probabilis eſt, vel eo ſolum viro Theologo probanda, quod præſentem difficultatem prorſus explanet. Cum enim Eccleſiæ dogmata prædicent naturæ opera, quamuis præſtantia ſint, præmio aliquo ſupernaturali indigna eſſe, etiamſi illud exiguum ſit, nempe vnicum auxilium illuſtrationis, aut affectionis gratiæ; aliunde vero hæc indignitas meriti, difficile explicetur, niſi præmio dignè reſpondenti naturç per connexionem trāſcendentem eiuſdem limites definiantur, certe vel ex hoc ipſo donum ſuperans omnem ordinem, & connexionem tranſcendentem naturæ non debet admitti præmium eiuſdem operibus dignè reſpondens. Præterea maiorem ſic probo. Donum ſuperans omnem ordinem, & connexionem tranſcendentem naturæ, ſuperat etiam exigentiam phyſicam naturæ, quare dona ſupernaturalia non poſſunt exigi phyſicè à natura. Ergo etiam ſuperat meritum condignum naturæ. Probatur conſequentia à paritate rationis, quæ maxima eſt. Etenim meritum condignū naturæ eſt quædam exigentia elicita, & rationalis eiuſdem, vt exigentia phyſica eſt naturalis, & innata. Vtque naturalis, & innata exigentia vendicat connexionem tranſcendentem naturæ cum poſſibilitate doni, quippe dono repugnanti eſſe, repugnat exigentia phyſica talis doni: ſic exigentia elicita, ac rationalis eamdem vendicat connexionem, cum neque

Propria explicatio.

Digitized by Google

dono repugnanti eſſe queat rationalis, & elicita exigentia ipſius. Confirmatio. Confirmatur: Non poteſt eſſe exigentia Phyſica doni excedentis connexionem naturæ, quia talis exigentia inducit aliquam rationem debiti, quæ eſt contra propriam conditionem ſupernaturalis doni explicatam diſput. 5. ſect. 2. Ergo neque eſſe poteſt exigentia moralis propria meriti condigni. Siquidem etiam moralis exigentia meriti condigni aliqua ratione conſtituit ſibi debitum donum, quod exigit: neque alia ratione illud moraliter exigit, niſi qua iure aliquo ſibi retributorem deuincit. Imo exigentia Phyſica non adeò ſtrictè debitorem conſtituit Deum, vt negantem donum iniuſtum efficiat; exigentia moralis verò meriti condigni propria eo vinculo obligat Deum ſaltem in actu primo, vt non largientem donum, iniuſtum reddat, cum ſtrictum iuſtitiæ ius ſaltem in actu primo ſua condignitate pariat, vt ex communi Theologorum poſuimus ſectione prima. Conſtans igitur ſit, non poſſe donum excedens omnem connexionem tranſcendentem naturæ ſub eiuſdem condignitatem venire. Reque vera non aſſequor quod diſcrimen de re definiri poſſit inter dona, quæ poſſunt, & non poſſunt cadere ſub meritum condignum naturæ ſuis viribus operantis, niſi quod ſuperiori connexione naturæ explicari poteſt.

Vlterior explicatio. 43. Neque maior huius argumenti probatio eſt, quam facilis nunc explicatio eorum, quæ commune Theologorum aſſertum difficile reddunt. Iam enim conſtat, quare æternitas gratiæ, & gloriæ poſſit eſſe præmium actus ſupernaturalis miſericordiæ, non poſſit autem vel vnicum auxilium gratiæ ſupernaturalis eſſe præmium dilectionis perfectiſſimæ naturalis. Eſto, maior ſit exceſſus immortalis gratiæ & gloriæ ſupra valorē actus leuiſſimi miſericordiæ ſupernaturalis, quā exceſſus vnius illuſtrationis ſupernaturalis ſupra perfectionē dilectionis naturalis perfectiſſimæ. Quippe natura rationalis inſtructa donis ſupernaturalibus gratiæ iuſtificantis, & virtutum connexionem tranſcendentem habet, qua quidditatiuè cognoſcere, & appetere poſſit, talem æternitatem gratiæ & gloriæ, capacitatemque tranſcendentem fundare ad lumen gloriæ ſuapte natura æternum, & connexum cum gratia iuſtificante, & viſione beante, vt eo lumine repugnante repugnaret quoque quoad entitatem gratia iuſtificans. At verò natura rationalis proprijs facultatibus relicta nullam cum dono ſupernaturali quamuis exiguo tranſcendentem connexionem habet, nullamque ad illud aptitudinem fundat, qua dono aliquo ſupernaturali intrinſecè repugnāti intrinſecè repugnaret natura. Itaque vt in genere Phyſico intellectus humanus inſtructus lumine gloriæ eleuatur ad videndum intuitiuè Deum, viſus autem corporeus nullo dono eleuari poteſt ad videndum intuitiue Angelum; etiamſi maior ſit in eſſe entis exceſſus Dei ſupra intellectum humanum, quam exceſſus Angeli ſupra viſum corporeum: quoniam proportio, & æqualitas obiectiua alia eſt, à proportione, & æqualitate entitatiua, ita poteſt opus ſupernaturale miſericordiæ condigne compenſari præmio ſupernaturali pæne infinito, ſcilicet poſſeſſione bonitatis infinitæ, & infinitum duranti, quin vnica illuſtratione ſupernaturali remunerari poſſit perſeuerantiſſima dilectio naturalis Dei, quamuis exceſſus prioris donationis ſupra opus ſupernaturale vincat exceſſum donationis poſterioris ſupra opus naturale; quoniam etiam in hoc genere propter rationem ſuperiorem alia eſt æqualitas proportionis condignitatis moralis ab æqualitate proportionis entitatiuæ, ac Phyſicæ.

Exemplis illuſtratur. 44. Claudo probationem noſtræ ſententiæ duobus exemplis. Primo: Bona, quæ titulo amicitiæ naturalis inter Deum & hominem communia ſunt, non excedunt connexionem tranſcendentem naturæ, ſed naturalia ſunt. Ergo etiam bona, quæ titulo meriti naturalis donantur, tantum ſunt naturalia, & naturæ connexioni conſentanea. Nam titulus meriti ſolum addit amicitiæ, debita reddere bona, quorum, amicitiæ titulo, capaces exiſtimus; atquè adeò meritum naturale apud Deum tantum valebit ad eum obligandum, vt ea dona præbeat quæ intra ordinem naturæ debita ſunt, & gratiæ amicorum conſentanea. Secundo: Si natura Brutorum poſſet obſequijs quidpiam apud homines mereri, certè præmia illorum operibus conſentanea, non eſſent bona, quæ naturæ rationalis propria ſunt, Brutorumquè connexionem excedunt: v. g. ſuis operibus Bruta condigna non eſſent vt eum illis honorem defferremus, qui hominibus, qua rationales ſunt, deferri ſolet. Ergo pari ratione natura rationalis ſuæ ignobilitati, & facultati relicta non poteſt naturalibus obſequijs fieri digna, vt ea illi dona præbeantur, quæ ſupra omnem ipſius connexionem aſſurgunt; & naturæ conſortis diuinitatis propria ſunt. Hæc tota probatio manifeſte eſt S. Thomæ in 2. d. 27. q. 1. art. 3. corpore; vt fusè expendemus diſp. ſeq. ſect. 7. S. Thomas.

SECTIO SEXTA.

Obſeruantur nonnulla ad maiorem ſuperiorum lucem.

Obſeruatio prima. 45. VT plenius ſuperiora explicentur, & præoccupentur plura, quæ noſtræ explicationi obijci poſſunt, aliqua obſeruanda ſunt. Primo notandum eſt, naturæ operantis connexionem cum præmio ſolum aſſeri à nobis neceſſariam, non vero ſufficientem ad condignitatem meriti. Nam hæc connexio neceſſaria ſufficit, vt præmia ſupernaturalia etiam omnium leuiſſima, extrahantur ab ſphæra condignitatis naturalis: quamquam præſtantiſſima dona ſupernaturalia exiguis meritis ſupernaturalibus tribuantur, vt vidimus. Quo adhuc poſſunt plura ſupernaturalia dona in eam æſtimationis, ac prætij altitudinem aſſurgere, vt non quæuis merita ſupernaturalia etiam hominis iuſti condignum ad ea conſequenda valorem obtineant, etiamſi talia dona ſupra gratiæ iuſtificantis

Digitized by Google

ficantis connexionem non ſint. Quia præter eam connexionem gratiæ requiri poſſunt alia, quæ ad moralem proportionis iuſtæ æqualitatem prudentia præſcribit, & omnibus operibus ſupernaturalibus collatis cum omnibus ſupernaturalibus donis forſan non conueniunt. Vt aliquibus naturalibus operibus non conueniunt omnia, quæ ad omnium præſtantiſſima munera naturalia, iuſtâ, ac prudenti retributione conferenda neceſſaria ſunt. Vnde adhuc poſſunt extra meritum ſupernaturale actus ſupernaturalis miſericordiæ poni, intenſio infinita gratiæ, & gloriæ nunc exiſtentis æternitatem durans, & finita intenſio alterius gratiæ, & gloriæ, ſpecifice præſtantioris, ac præſtanſtantioris ſine fine poſſibilis. De quo vberius infra.

Secunda. 46. Animaduertendum ſecundo, ſuperiorem connexionem cum præmio ad meritum condignum neceſſariam, integrum relinquere iudicium ad aſſerendum, poſſe iuſtum alijs non peccatoribus, neque iuſtis gratiam de condigno mereri. Nam licet ſubiectum, cui donum confertur, talem cum præmio connexionem non habeat, ſufficit habere illam ſubiectum, quod eius retributione remuneratur. Quod enim nunc contendimus tantum eſt, præmium merito condigno retribuendum, eſſe debere conforme connexioni naturæ merentis, modo illud ipſi merenti ſuppoſito, modo alteri, ex ipſius beneplacito cõferendum ſit. Quin opus non eſſe, vt ipſi ſuppoſito merenti præbeatur perſpicuum, euincunt merita Chriſti Domini, quæ nobis de condigno meruerunt habitus ſupernaturales pœnitentiæ, ac fidei, qui ſuppoſito merenti ex natura rei repugnant.

Tertia. 47. Obſeruandum tertio: Connexionem naturæ merentis cum præmio non eſſe debere cum exiſtentia præmij, ſed ſufficere cum poſſibilitate eiuſdem; nec eſſe naturæ merentis reduplicatiuè, itaut præmium cum ipſo merito componi poſſit, ſed ſpecificatiuè tantum, vt natura ſecundum quod talis meriti radix eſt connaturalis, cum præmio exiſtenti, aut poſſibili coniungatur. Rem explicat actus fidei merens de condigno viſionem beatam, quæ tamen non eſt fidei quoad exiſtentiam annexa; nec ſimultaneum eius conſortium admittit. Quo occurritur ſingulari argumento, quod ſic in præcedentem doctrinam poteſt contendi. Si Deus ſtatuat efficaciter nullum præmium conferre iuſto quamuis honeſtiſſimè operanti; iuſtus autem ſciens per reuelationem Dei hoc decretum, conformetur illi per affectum ſupernaturalem, planè hic affectus ſupernaturalis erit meritorius. Tamen huic affectui repugnat connexio, ſiue coniunctio cum præmio. Nam ei repugnat per ſe coniungi cum decreto retribuendi præmium, quandoquidem ſupponit per ſe antecedens decretum oppoſitum non retribuendi illud, quod eſt obiectum, cui eſſentialiter talis affectus conformatur. Ergo merentis condignè non eſt connexio cum præmio. Sed ex noſtra obſeruatione iam prompta ſolutio eſt. Tum quia præmium poteſt coniungi cum ipſa natura merenti ſpecificatiuè, quamuis cum ipſo merito incompoſſibile ſit. Tum quia ipſum meritum ſaltem cum poſſibilitate præmij connexum eſt, ſiquidem ſuapte natura exigit decretum non conferendi præmium poſſibile, in præmia enim omnino impoſſibilia prohibenda, decreta efficacia Dei occupari non poſſunt. Hæc autem, vt nuper monebamus, ad ſuperiorem connexionem tuendam ſufficientia ſunt.

48. Quarto, obſeruatione dignum eſt, à nobis eam connexionem naturæ merentis cum præmio ſolum exigi ad condignitatem meriti ex natura rei, non vero de potentia abſoluta, vt locus relinquatur diſputandi, an merita naturalia ſaltem diuinitus poſſint valorem acquirere præmio ſupernaturali condignum? De quo diſputatione ſequenti. Nunc enim de ſolo merito ex natura rei digno præmij ſupernaturalis diſſertum eſt, neque aliud contentum, argumentis conuinci. Quarta.

DISPVTATIO DECIMASEXTA.

AN SVPERNATVRALIA POSSINT DIVINITVS cadere ſub meritum condignum elicitum viribus naturæ?

VBi ſupernaturalia cum merito condigno naturæ conferimus hæc diſputatio præteriri non poteſt.

1. *Sententia Caietani & Medinæ.*
2. *Scotiſtarum, ac Nominalium ſententia.*
3. *Sententia P. Vaſquez & Petri de Lorca.*
4. *Deſeritur præcedens defenſio, & condignitas mathematica operum ſupernaturalium cum præmio.*
5. *Condignitas ſolius proportionis*

cum præmio ex ſacris litteris oſtenditur.

6. *Idem probatur ex Pontificibus & Patribus Eccleſiæ.*

7. *Probatur ratione condignitas ſolius proportionis operum ſupernaturalium cum præmio.*

8. *Occurritur argumentis P. Vaſquez & Petri de Lorca.*

9. *Explicatur condignitas proportionis operum ſupernaturalium cum præmio ſupernaturali gloriæ æternæ.*

10. *Explicantur plenius præterita aliquot dubitationibus enodatis.*

11. *An meritum ſit operibus ſupernaturalibus intrinſecum?*

12. *Aliarum dubitationum enodatio.*

13. *Concluditur indignitas operis naturalis ad præmium ſupernaturale.*

SECTIO PRIMA.

Sententia Caietani, & Medinæ.

Explicatur. 1. CAietanus 1. 2. q. 114. art. 2. docet, cum S. Thomas eo art. ait, neminem mereri poſſe vitam æternam à Deo ſine gratia, intelligendum eſſe de potentia ordinata, non autem de potentia abſoluta Dei. Nam ſi ſermo ſit de potentia abſoluta Dei (addit Caietanus) fortaſſe dicet aliquis, poſſe eſſe condignum meritum vitæ æternæ ab homine in pura natura per opera liberi arbitrij. Intelligit autem opera liberi arbitrij, facta ſine auxilio gratiæ actualis, quæ ex gratuita promiſſione diuina in tale præmium ordinata ſunt. Cui ſententiæ Medina ibidem con. 2. & 4. pleno conſenſu ſuffragatur ſtatuens expreſſe, hominem ſine gratia habituali, & ſine gratia actuali operibus ſola naturæ facultate perfectis, poſſe mereri de condigno fœlicitatem æternam, & alia dona ſupernaturalia conferentia in illam. In quod iudicium P. Granadus etiam incubuit 1. 2. controuer. 8. de gratia, tract. 11. diſput. 5. tale meritum vocans, condignum ex iuſtitia legali, quia tota iuſtitiæ, & æqualitatis ratio naſcitur ex ſola acceptatione extrinſeca operum naturalium in præmium ſupernaturale. Refertur pro eadem ſententia Sotus in 4. diſt. 1. q. 3. art. 1. à Zumel. 1. 2. q. 114. art. 2. d. 1. Sed ibi huius diſputationis non meminit. Niſi ad eam per violentas conſequutiones trahatur, quod doceat, hominem ſine gratia inhærente fieri poſſe gratum, & amicum Deo; & argumento ſexto, gratiam inhærentem indigere acceptatione extrinſeca Dei, vt gloriam hominibus conferat. Verum cum ipſe Zumel tueatur, hominem poſſe acceptatione extrinſeca fieri gratum Deo, nihilominus non poſſe per opera naturalia de condigno mereri gloriam; idem etiam poſſet de Dominico Soto iudicare. Item ego cum alijs cenſeo, gratiam non eſſe ſuapte natura connexam cum gloria, tamen conſequens non exiſtimo, poſſe opera naturalia de condigno mereri gloriam. Itaque ſine fundamento in hanc opinionem adducitur Sotus. At præter Sotum plures recentes Thomiſtæ eidem aſſentiunt opinioni. A quibus non longe abeſt P. Valentia 1. 2. diſp. 8. q. 6. pun. 3. ad primam rationem.

(Medina. — P. Granadus. — Sotus. — Zumel. — P. Valentia)

2. Mouetur Medina, quia Principes creati poſſunt ſuis legibus tribuere valorem rebus ſupra entitatem ipſarum, verbi gratia, ſtipulam eleuare ad valorem argenti. Ergo à fortiori Deus poterit actus naturales efferre in meritum præmij ſupernaturalis, ſtatuendo ſua lege, vt ſupernaturale præmium pro actu naturali retribuatur. Secundo, Recentiores. Quia poſſunt homines extrinſeca acceptatione adoptare alios in filios, tribuendo eis in ſuam hæreditatem ius quod natura non contulit. Ergo idem poterit Deus. Ac per conſequens etiam operibus naturalibus conferre ius in præmium ſupernaturale, quod ſuapte dignitate non habent. At condignitas meriti non eſt aliud, quam ius in præmium, quod operibus acquiritur. Ergo extrinſeca acceptatione Dei poſſunt merita naturalia obtinere condignitatem in præmium ſupernaturale. Tertio: Quia ſacramenta eleuantur ad producendum gratiam iuſtificantem ſupra natiuam excellentiam ipſorum. Ergo & opera naturalia poſſunt eleuari ad cauſandam moraliter, ac meritoriè gratiam ſupra intrinſecum ipſorum valorem.

(Arguit Medina. — Item Recentiores. — Tertio alij.)

3. Hæc tamen merito diſplicuerunt alijs Theologis. Patri Vaſquez 1. 2. d. 214. à cap. 4. & d. 216. cap. 2. Patri Connink 2. 2. diſput. 8. num. 105. Zumel ſupra con. 2. 3. & 4. Petro de Lorca, 1. 2. diſput. 45. 5. *Hinc habetur*: Accedit Pater Suarez tom. 7. de gratia lib. 12. c. 17. num. 6. Quibus annumerat Zumel. con. 2. Ferrarienſem 3. contra Gentes: c. 147. & 150. Sed immerito. Nam cap. 150. ſolum agit de potentia ordinaria; cap. verò 147. vbi expreſſe diſſerit de potentia abſoluta, ſolum improbat opera naturalia intrinſecè digna vitæ æternæ; non autem digna extrinſecè per gratioſam acceptationem Dei, prout autores aduerſates opinatur. Ait enim de illis: *Si huiuſmodi opera acceptentur à Deo, erunt digna vita æterna extrinſece, id eſt, per diuinam acceptationem tantum, non autem intrinſece, quaſi in ſe ipſis habeant quo formaliter digna ſint tali præmio.* Vnde mox colligit, non aduerſari, S. Thomæ Scotum in 1. d. 17. q. 1. Vbi Scotus communi Theologorum iudicio cenſetur fautor, & autor contrariæ opinionis; de quo ſectione ſequenti. Igitur Ferrarienſis potius patronus, quam aduerſarius eſt ſententiæ deſertæ, cum ea ſententia condignitatem operum naturalium ad præmium ſupernaturale, non intrinſecam, ſed extrinſecam tantum

(Refragantur. — P. Vaſquez. — P. Conninck — Zumel. — Lorca. — P. Suarez. — Ferrarienſis. — Scotus.)

Digitized by Google

ex diuina acceptatione tueatur.

Sententia negãs probatur à poſteriori primo.

4. Aduerſus hanc condignitatem operum naturalium omnino extrinſecam, alijs à poſteriori, alijs à priori pugnabo. A poſteriori primo. Opera naturalia ſecundum ſe indifferentia nulla acceptatione Dei poſſunt fieri condigna beatitudine, aut alio præmio intrinſecè ſupernaturali, etiam ſi Deus decernat dona ſupernaturalia poſitis operibus indifferentibus largiri. Ergo nec opera bona omnino naturalia, & nulla ratione connexa cum præmio intrinſecè ſupernaturali poſſunt acceptatione Dei fieri digna tali præmio. Antecedens eſt manifeſtum. Qua enim ratione præmio dignum eſt opus, quod nullo merito laudari poteſt, cum laudabilitas, & meritum alicuius bonitatis moralis affectiones ſint? Vt diſput. antecedenti ſect. 1. poſuimus. Conſequentia probatur. In hac ſententia, quam impugnamus, opus naturale bonum ſuapte entitate intrinſeca nullam cum præmio intrinſecè ſupernaturali connexionem, aut merendi rationem habet magis, quam opus ſecundum ſe indifferens: itaut nec de cong[illegible]o ſpectatum intrinſecè quidquam ſupernaturale mereatur. Sed tota merendi ſupernaturalia ratio eſt, gratioſa, & extrinſeca acceptatio Dei, quæ æque poteſt opera indifferentia, ac naturalia bona ad diſtribuendum ſupernaturalia pro ſuo libito requirere. Sicut quia ſacramenta phyſicè producunt gratiam ex ſola extrinſeca eleuatione Dei, quin entitas naturalis ipſorum quidpiam conferat in efficientiam gratiæ, nulla eſt, vel minima entitas naturalis, quæ in gratiæ productionem non poſſit aſſumi. Ergo ſimiliter non ſolum bona opera naturalia, ſed etiam indifferentia, quæ Deus poteſt ſpectare ad largitionem bonorum ſupernaturalium, poſſent obtinere dignitatem merendi ſupernaturalia, vbi acceptatio extrinſeca Dei eſſet tota ratio merendi illa per opera bona naturalia.

Secundo.

Rurſus, nulla opera bona viribus naturæ elicita, imo nec opera elicita à puro homine viribus gratiæ, poſſunt mereri de condigno, & ex iuſtitia ſtricta vnionem hypoſtaticam, redemptionem generis humani, aut gratiam & gloriam intenſione, ac duratione infinitam ſuppoſito operanti, & alijs diſtribuendam; vt tractatu de Incarnatione monſtrabo. Tamen ea opera poſſunt aſſumi à Deo ad tribuendum præmium infinitum, ſicut finitum. Ergo extrinſeca ordinatio Dei non valet conferre valorem, & condignitatem iuſtitiæ, operibus naturalibus.

Tertio.

Tertio; de facto Deus acceptat opera ſupernaturalia iuſtorum vltra præmium gratiæ iuſtificantis, & gloriæ ad auxilia ſupernaturalia gratiæ, & alia bona temporalia: quin peccatoris contritionem acceptat ad infuſionem iuſtitiæ habitualis, & remiſſionem culpæ; & opera antiquorum Patrum acceptauit ad plura redemptionis noſtræ, & incarnationis Chriſti beneficia. Tamen hæc omnia opera ſolam obtinent rationem merendi de congruo, non autem de condigno, vt fert communis conſenſus Theologorum. Ergo ſola acceptatio extrinſeca Dei non ſufficit conferre operibus condignitatem ad præmium. Ad hæc; Pellagiani aſſerebant, actus virtutum naturalium acceptari à Deo ex meritis Chriſti ad præmia ſupernaturalia. Cæterum quia non erant actus auxilio gratiæ eliciti, negabantur à Patribus verè meritorij donorum ſupernaturalium. Reque ipſa Pellagiani non adſtruebant verum meritum condignum vitæ æternæ, quamquam adſtruerent reipſa exiſtens, quidquid authores Catholici agnoſcunt meritum condignum in euentu poſſibili. Ergo opera omnino naturalia, etiam acceptatione Dei, non fiunt dignè meritoria donorum ſupernaturalium.

Idem probatur à priori.

5. A priori rem probo. Meritum condignum eſt, cuius intuitu Deus obligari poteſt ex iuſtitia ad retribuendum præmium. At intuitu operum naturalium nulla iuſtitiæ ratione obligari poteſt Deus ad retribuendum præmium intrinſecè ſupernaturale. Ergo. Probatur minor. Opera omnino naturalia nihil conferunt ex ſua dignitate, & bonitate ad obligandam ex iuſtitia talem retributionem, ſed tota eorum dignitas eſt acceptata fuiſſe à Deo ad præmium ſupernaturale. At hęc acceptatio purè gratioſa fuit, & ſupra omnem dignitatem operum naturalium. Ergo remuneratio ſupernaturalis facta intuitu talis acceptationis potius eſt gratioſa, ac liberalis donatio, quam iuſta præmij debiti retributio.

Confirmatur.

Explicatur. Opera facta ſolis viribus naturæ aut conferunt ex ſe quidquam ad præmium intrinſecè ſupernaturale; aut non. Si nihil conferunt ex ſe, quidquid ſupernaturale tribuitur naturæ ſuis tãtum viribus operanti, gratioſum eſt, ac ſi eidem non operanti tribueretur. Si quidquam intrinſecum conferunt, quod acceptatione extrinſeca Dei compleatur ad condignitatem meriti. Ergo ſua bonitate intrinſeca viribus naturę elicita & obtinent intrinſecè congruitatem meriti ad præmium ſupernaturale, & ſimul cum gratia iuſtificante in homine iuſto condignitatem meriti, quam acquirunt acceptatione extrinſeca Dei. Nam cum gratia iuſtificans reddat ſuppoſitum operans acceptum, & amicum Deo, aptius certè, quam acceptatio extrinſeca Dei poſſet conſtituere dignitatem operum naturalium ad præmium intrinſecè ſupernaturale. Hæc autem ſunt repugnantia aſſertis ipſorum aduerſariorum, & ijs, quæ nos oſtendimus diſp. præced. ſect. 5. & oſtendemus diſp. ſequenti. Ergo.

Explicatur.

6. Præterea; in meritis de condigno, & eſt conſiderare vim meritoriam in actu primo, & quoad ſufficientiam, & rationem merendi in actu ſecundo, & quoad efficaciam: vt in gratia habituali dignificante hominem tanquam filium adoptiuum Dei ad gloriam vt hæreditatem, & eſt conſiderare dignitatem, & aptitudinem poſitiuam, quam confert homini, vt acceptetur in filium ad hæreditatem gloriæ; & eſt conſiderare ius actuale, ac connexionem neceſſariam cum hæreditate gloriæ. Quamuis efficacia merendi in actu ſecundo poſſit operibus conuenire extrinſecè per extrinſecam acceptationem retribuentis, tamen condignitas merendi in actu primo ſufficienti operibus intrinſeca eſt, prout à ſuppoſito me-

genti procedunt: quemadmodum intrinſecum eſt gratię habituali præbere homini in actu primo aptitudinem, & dignitatem, vt adoptetur à Deo in filium, & in gloriam vt hæreditatem deſtinetur; quamuis eidem extrinſecum ſit, actuale ius, & connexionem cum gloria conferre: de quo vberem diſputationem habui tract. de gratia iuſtificante. Igitur vt Deus non poteſt ſua acceptatione extrinſeca albedini tribuere vim iuſtificandi, & filiandi adoptiuè hominem, quamuis poſſit ſtatuere pro ſuo libito, vt homini albo condonetur peccatum, & conferatur beatitudo; quia ſufficientia, & aptitudo intrinſeca in actu primo ab albedine aliena eſt. Similiter non poterit Deus ſua extrinſeca lege valorem condignum gloriæ, aut alterius pręmij ſupernaturalis, naturalibus operibus communicare, quamuis ſtatuat, operantes virtutum naturalium actus, donis ſupernaturalibus exornare; quia intrinſeca condignitas, & ſufficientia mouendi Deum ad præmium ſupernaturale, talium actuum conditionem vincit. Etenim vt gratia iuſtificans in genere cauſæ formalis ſolum, non in genere cauſæ efficientis reddit hominem dignum gloria vt hæreditate, ſic meritum in genere cauſæ formalis, ſolum reddit eumdem dignum gloria, vt corona, & præmio. Ergo vt voluntas extrinſeca Dei non poteſt conferre albedini, aut alij qualitati naturali vim formalem dignificandi hominem ad gloriam, vt hæreditatem, ſic non poterit operibus naturalibus conferre vim dignificandi in genere cauſæ formalis ad gloriam vt coronam. Nam genus cauſæ formalis voluntate extrinſeca Dei ſuppleri non poteſt, vt non poteſt ſuppleri in qualitate mortua vis formalis viuendi, intelligendi, aut amandi per illam.

Alia probatio à priori.

7. Demum. Ad meritum condignum non ſolum naturaliter, ſed etiam eſſentialiter opus eſt connexio quidditatiua, & tranſcendens naturæ merentis cum præmio, quam explicuimus diſputatione præcedenti ſectione 6. & 7. Sed tali connexione cum præmio ſupernaturali deſtituta eſt natura operans abſque auxilio gratiæ. Ergo natura operans abſque auxilio gratiæ, neque diuinitus poteſt mereri de condigno præmium intrinſecè ſupernaturale. Conſequutio eſt ſine dubio certa. Nam deficiente aliquo eſſētiali ad meritum neceſſario, neque diuinitus poteſt eſſe tale meritum. Minor ſatis eſt ſuperioribus expoſita. Maior inde ſuadetur, quia præmium ſuperans omnem connexionem naturæ, non videtur æquale etiam proportione cum naturæ merito. Aequalitas enim proportionis, etiam diuinitus requiſita ad meritum condignum ſine iſta connexione explicari non poteſt, vt arguere eſt ex diſp. præcedenti ſect. 6. & 7.

Reſpondetur ad primum.

8. Ab argumentis contrariæ ſententiæ facile noſtram expediemus. Ad primum nego, poſſe Regem ſua lege rem pretio vilem, verbi gratia, ſtipulam ad æſtimationem ſuperiorem auri, aut argenti transferre, vt explicat Pater Vaſquez 1. 2. d. 214. num. 35. & d. 216. num. 16. Ad ſecundum etiam nego, poſſe Deum extrinſeca tantum voluntate conſtituere hominem filium adoptiuum adoptione, & iure dignificante hominem ad beatitudinem fruendam; eſto, alio adoptionis genere poſſit illi conferre ius ad hæreditatem gloriæ. Itaque quamuis acceptatione extrinſeca operum naturalium acquiratur aliquod ius in gloriam, tale ius non erit in gloriam vt coronam, condignitatis meriti proprium, ſed quale gratioſa quadam donatione acquiri poteſt. Eſt igitur conſiderare in hac ſententia duplex adoptionis genus. Alterum, quod hominem efficit abſolutè dignum hæreditate gloriæ, quale competit homini per qualitatem gratiæ iuſtificantis. Alterum quod cum iure ad gloriam nullam homini tribuit dignitatem poſitiuam ad illam, quale competit homini per ſolum extrinſecam acceptationem Dei. Cum enim prior adoptio, noua bonitate qualitatis iuſtificantis, reddat hominem meliorem, & digniorem, quam antea, complacentia Dei, poſterior vero eum relinquat ſicut antea deſtitutum bonitate, quæ talem beneuolentiam mereatur, iure prior dici poteſt dignificare hominem ad gloriam, non vero poſterior. Atqui ius ad gloriam, quod merita condigna tribuunt, priori adoptioni aſſimilatur. Ergo quamuis opera naturalia acceptentur ad gloriam, & ius acquiratur ad illam, quia tamen tale ius non oritur ex dignitate, & bonitate operum, quæ in merito potiſſima pars exiſtit, non erit ius ad gloriam vt coronam, quodque hominem dignificet ad illam, ſed merè extrinſecum, quale conuenit homini, qui ſine gratia inhærente, & operibus adoptatur in filium. Ad tertium promptum eſt diſcrimen inter eleuationem ſacramentorum ad efficiendum gratiam, & eleuationem operum naturalium ad merendum gloriam. Nam prior eleuatio pertinet ad genus cauſæ efficientis, quod voluntate diuina ſuppleri poteſt; poſterior verò ad genus cauſæ formalis, quod voluntas diuina minimè præſtat. Licet enim præmium in genere cauſæ efficientis moralis in meritum referatur, tamen vt hanc moralem cauſalitatem in præmium exerceat, opus eſt in ordine ad ſuppoſitum formalis cauſæ munus obire, reddendo illud aliqua bonitate alliciente beneuolentiam retribuentis dignius præmij, quam antea. Quod ſolo extrinſeco fauore Dei neutiquam præſtari poteſt.

P. Vaſquez.

Ad ſecundū

Ad tertium

SECTIO SECVNDA.

Scotiſtarum, ac Nominalium ſententia.

9. Scotiſtæ, ac Nominales etiam tuentur, poſſe opera naturalia poteſtate abſoluta Dei mereri de condigno gloriam, & alia dona ſupernaturalia, ſi citra ipſorum exigentiam, ac debitum ordinentur à Deo in tale præmium. Verum inter hos autores, & eos,

Digitized by Google

quos ſect. præcedenti deſeruimus, diſcrimen eſt. Nam illi totam merendi rationem in extrinſecam Dei acceptationem referunt; hi verò condignitatem operum naturalium ex bonitate morali ipſorum operum, & extrinſeca ordinatione Dei adæquatè complent. Illi enim nullam intrinſecam, neque incompletam connexionem, & relationem admittunt operum naturalium in præmium ſupernaturale; quare de facto opera elicita viribus naturæ neque in peccatore congrua, neque in iuſto condigna ad quidpiam ſupernaturale merendum audent adſtruere. Scotiſtæ verò, & Nominales virtutum naturalium actus ſecundum ſe, ac intrinſecè ad merendum ſupernaturalia conſentaneos fatentur, cum doniſque ſupernaturalibus tranſcendentaliter connexos, ſicut ipſam naturam ſecundum ſe virtute paſſiua naturali, & propenſione innata connexam cum eis donis tuentur: quamquam lege ordinaria Dei non acceptentur ad præmia ſupernaturalia, niſi præcedente charitate, & gratia, cui Deus ſuo libito talem acceptationem alligauit. Id oſtendunt eorum argumenta in re præſenti, & alia principia de actibus ſupernaturalibus tantum quoad modum, de virtute paſſiua naturali, ac innato appetitu naturæ in dona ſupernaturalia, de facienti, quod in ſe eſt viribus naturæ, & alijs ſimilibus quæ Scotus, ac Gabriel cum Ochamo docere ſolent. Quare meo iudicio conſequentius Scotiſtæ, & Nominales, quam Thomiſtæ, & alij Theologi relati ſectione præcedenti, tribuunt diuinitus operibus naturalibus meritum condignum donorum ſupernaturalium; cum ipſi ſolum ex lege Dei, & non propter aliquam ſpecialem bonitatem, quæ actibus meritorijs eueniat, de potentia ordinaria gratiam & charitatem ad meritum requirant; aſſerantque eumdem actum, cum eadem bonitate merito conſentanea, auxilio gratiæ, & ſine gratiæ auxilio fieri poſſe, ideoque diuinitus ſine gratia, & charitate poſſit acceptari ad præmium, eaque acceptatione ad meritum compleri.

Scotus. 10. Ita Scotus in 1. d. 17. q. 2. §. *de ſecundo articulo*, vbi ait, *Quod Deus de potentia abſoluta bene potuiſſet acceptare naturam beatificabilem, exiſtentem in puris naturalibus, & ſimiliter actum eius, ad quem eſſet inclinatio eius merè naturalis, potuiſſet acceptare vt meritorium.* At bonitatem actus intrinſecè ad meritum conferre, eamque non adæquatè, ſed inadæquatè tantum per Dei acceptationem compleri, planiſſimè docet §. *Dico igitur*, §. *contra, ratio meriti.* §. *vlterius ſicut in actu meritorio.* Quo ſenſu interpretatur, & ſequitur Scotum Philippus Faber in 3. diſp. 42. c. 2. & 3 & quoad priorem partem Lorca 1. 2. d. 43. in 2. Vnde non benè annumerant Scotum autoribus conſtituentibus meritum adęquatè in acceptatione extrinſeca Dei, Pater Vaſquez 1. 2. diſput. 214. c. 1. & alij recentiores. Scotum ſequuntur Baſſolis in 1. diſt. 17. quæſt. 1. art. 1. Gabriel ibidem qu. 2. vbi actum elicitum à pura naturâ tuetur poſſe acceptatione diuinâ conſtitui meritorium de condigno gloriæ. At hoc meritum etiam compleri ex bonitate ipſius actus, his fatetur quæſt. 1. art. 1. notab. 3. *Æqualitas meriti de condigno attenditur vel ex natura, & conditione intrinſeca actus, & præmij, vel ex ordinatione, aut promiſſione præmiantis.* Ecce non excludit conditionem, & bonitatem intrinſecam actus. Concluditque præter actus bonitatem intrinſecam, opus eſſe ad condignitatem pactum, ſeu acceptationem Dei, quâ actus excellentia ſuppleatur, & compleatur. Quare perperam Lorca 1. 2. diſp. 43. mem. 2. inter prioris factionis duces refert Gabrielem. Cui etiam adiungitur Gregorius ididem q. 1. con. 2. Verum meo iudicio Gregorius ibi ſolum intendit actum charitatis poſſe ſine habitu fieri meritorium de condigno gloriæ. Cæterum non agit de actu mere naturali, ſed ſupernaturali, qui ſuaptè entitate exigit habitum ſupernaturalem, & in eius abſentia auxilium extrinſecum Dei, quod ſuppleat habitus ſupernaturalis influxum, vt perpendenti conſtabit. Quod à præſenti inſtituto remotiſſimum eſt.

Faber.

P. Vaſquez.

Baſſolis.

Gabriel.

11. Argumenta ſunt. Primum; exiſtente habitu charitatis, & gratiæ, actus naturalis eſt meritorius de condigno. Ergo etiam non exiſtente meritorius eſſe poteſt. Antecedens ſupponunt, & communiter admittitur. Probatur conſequentia. Nam quidquid confert habitus charitatis, & gratiæ in actum meritorium, conferre poteſt voluntas extrinſeca Dei. Nam quod habitus charitatis, & gratiæ confert in meritum gloriæ ſolum eſt perſonam agentem reddere charam Deo, & in ipſum actum meritorium auxilium aliquod præbere. At perſona agens poteſt per extrinſecam voluntatem Dei tum eſſe chara Deo, tum ad agendum actum meritorium iuuari. Ergo voluntas extrinſeca Dei conferre poteſt diuinitus in meritum, quidquid lege ordinaria confert habitus charitatis, & gratiæ. Secundum: Habitus charitatis, & gratiæ non eſt ex natura rei neceſſarius ad meritum amoris Dei ſuper omnia, quoad ſubſtantiam naturalis, nec alterius cuiuſuis actus virtutis acquiſitæ, ſed ſolum ex lege Dei nolentis admittere ad præmium obſequium virtutis, quod ab homine ſibi charo non exhibetur. Ergo Deus abſolutus hac lege ſibi voluntaria poteſt meritum condignum conferre eiſdem actibus elicitis à pura natura. Probatur antecedens. Amor Dei æqualis bonitatis, ac laudabilitatis poteſt fieri cum habitu charitatis, & ſine illo. Ergo habitus charitatis nihil confert ad rationem meriti, ex natura rei neceſſarium: ſed ſolum neceſſarium ex lege Dei. Probatur antecedens. Tum quia ab homine exiſtente in pura natura cognoſcitur Deus vt ſummum bonum, & ſuper omnia diligibile, exigiturque lege naturæ, vt ſuper omnia diligatur. Tum quia habitus charitatis non eſt ſimpliciter neceſſarius ad ſubſtantiam actus, ſed tantum ad modum facilitatis, vel delectabilitatis, vel acceptationis voluntariæ ad præmium. Ergo ſine habitu charitatis fieri poteſt actus æqualis bonitatis, ac laudabilitatis cum actu elicito

Primum argumentũ

Secundum.

Digitized by Google

Tertium. per habitum. Tertium; adhuc exiſtente habitu charitatis & gratiæ, non exiſtit actus meritorius intrinſecè æqualis præmio, iuxta illud Pauli; *Non ſunt condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis:* Sed indiget acceptatione voluntatis diuinæ, vt ad condignitatem tanti præmij perueniat. Ergo etiam ſine habitu charitatis, & gratiæ poteſt acceptatione Dei ad idem meritum peruenire. Nam acceptatio ad tantum, vel tantum præmium voluntaria & integra Deo eſt independenter ab habitu charitatis. Ergo vt acceptatio Dei, ſupra excellentiam, quam actus habet à ſe, & ab habitu charitatis, tribuit condignitatem ad æternam fœlicitatem, ſic poterit eadem acceptatio tribuere condignum meritum ſupra excellentiam intrinſecam entitatis ſolitariæ.

Paulus.

Oppoſita ſententia veror. primo.

12. Huic ſententiæ refragantur ijdem Theologi, qui præcedenti. Neque mihi vlla ratione placere poteſt. Primò; quia ei repugnant ferè omnia, quæ contra præcedentem opinionem expendimus. Secundò; quia eam oppugnant, omnia quæ diſput. anteriori ſect. 5. obiecimus in eos, qui ſentiebant actus elicitos à iuſto viribus actualibus naturæ eſſe meritorios de condigno; quod eſt præcipuum huius ſententiæ fundamentum. Tertio; quia aduerſus eamdem militant, quæ diſputatione ventura opponemus contra meritum congruum operum naturalium; quandoquidem tuetur actus elicitos à pura natura intrinſecè congruos eſſe, vt à Deo acceptentur ad præmium ſupernaturale, eoque fiant meritorij de condigno. Quartò; quia ſupponit hæc ſententia connexionem, & ordinem intrinſecum naturæ cum donis ſupernaturalibus; quem multis expugnauimus ſupra.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

Satisfit primo argumento.

13. Neque argumenta me mouent. Primi antecedens falſum eſt, & conſequentia mala. Falſum quidem eſt antecedens, quia actus naturales etiam eliciti à iuſto non eſſe meritorios de condigno, ſi abſque auxilio actuali gratiæ fiant, vidimus diſputatione ſuperiori, ſect. 5. Deinde nullum de cōdigno, aut de congruo meritorium fieri, qui intrinſecè ſupernaturalis non ſit, probabimus ex profeſſo diſputat. 44. ſect. 7. Conſequentia autem non eſt bona; quia quidquam confert habitus gratiæ actui bono, quod per voluntatem extrinſecam Dei conferri non poteſt, quia id non in genere cauſæ efficientis, ſed formalis tantum exibetur; videlicet amabilitatem motiuam maioris complacētię diuinę, cuius ratione obſequium eſt dignius, quod munere aliquo compenſetur. Etenim actus elicitus ab homine intrinſecè amico, & grato Deo gratior eſt, & amabilior Deo, quàm elicitus ab alio non amico. Maior autem amabilitas, & gratia operis ratio eſt mouens retribuentem ad maiorem complacentiam, atque adeo & retributionem præmij. Poteſt forſam Deus, opus factum facultate naturæ admittere ad præmium ſupernaturale; item naturam ſine habitu gratiæ in æternam fœlicitatem dirigere, atque adoptare; tranſeat: verum non poteſt id ſtatuere ſine habitu gratiæ, allectus, & motus ea amabilitate, & gratioſitate operis quam opus ex propria bonitate, & dignitate operantis obtinet, quando ab homine iuſto perficitur. Condignitatis autem, & meriti ratio eſt vis illa motiua voluntatis diuinæ, quam opus vt à ſuppoſito operante exhibitum, adipiſcitur. Quod confirmant quæ diximus numero 8.

14. Secundi argumenti antecedens damnatum eſt à Pio quinto, & Gregorio decimo tertio, propoſit. illa 2. Michaelis Baij: *Sicut opus malum ex natura ſua eſt mortis æternæ meritorium, ſic bonum opus ex natura ſua eſt vitæ æternæ meritorium.* Quod damnarunt Pontifices, quia conſtantiſſima Baij ſententia erat præter obedientiam legis ex natura rei aliud quicquam, ad meritum non requiri, neque habitum gratiæ, & adoptionis Dei neceſſarium eſſe; vt conſtat ex propoſit. 14. *Opera bona à filijs adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiunt per ſpiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, ſed tantum ex eo, quod ſunt conformia legi.* Idemque repetit propoſitione 16. 18. & alijs pluribus. Igitur habitus gratiæ iuſtificantis quidquam confert per ſe, & ex natura rei ad rationem meriti neceſſarium. Et quidem Michaëlis Baij fundamentum ad excludendum omnino habitum gratiæ à ratione meriti, non erat aliud, quam argumentum aduerſariorum, videlicet quia ſublimitas perſonæ non auget bonitatem virtutis, & amoris honeſti, ſed opus eiuſdem bonitatis ab homine iuſto, atque puro fieri poteſt. Quare hic eſt titulus capitis, 7. lib. 2. de meritis operum, è quo 14. propoſitio excerpta eſt; *Quod perſona operantis ſublimitas in opere bono non augeat rationem meriti, niſi quantum auget rationem virtutis, & boni.* Ad probationem antecedentis dicito, præter bonitatem, & laudabilitatem operis, quæ ex conformitate ad rectum dictamen deſumitur, plurimum conferre ad meritum amicitiam, & gratiam operantis, vt nuper dicebamus, quia meriti ratio accipitur per conuenientiam ad complacentiam retribuentis, ad quam plurimum iuuat excellentia, & amicitia ſuppoſiti operantis. Atque adeo licet ſine habitu charitatis exiſtat opus æqualis bonitatis, & laudabilitatis, non exiſtet æqualis meriti ob defectum bonitatis moralis, quæ deriuatur in opus à dignitate, & præſtantia ipſius operantis; vt fusè diſſerui tractatu de merito in communi; vbi etiam ex maiori gratia iuſtificante augeſcere rationem meriti condigni efficaciter oſtendi. Aliter, & planius argumento reſpondeo. In homine iuſto ſola dilectio Dei intrinſecè ſupernaturalis, non verò intrinſecè naturalis eſt meritoria de condigno; quod firmiter ſtabilimus diſput. 44. At ad dilectionem Dei intrinſecè ſupernaturalem non ſolum ex lege Dei, ſed etiam ex natura rei habitus charitatis deſideratur. Demum eſto, actus intrinſecè naturalis mereatur de condigno ſupernaturalia, ideoque habitus charitatis ad illum per ſe neceſſarius non ſit, opus tamen eſt ex natura rei, vt ſaltem is actus auxilio actuali gratiæ intrinſecè ſupernaturalis fiat, vt diſput. præcedenti ſect. 5. vidimus; & vberius oſtendemus diſput. 70. Igitur quamquam habitus cha-

Secundo. Pius V. Gregorius XIII.

Digitized by Google

ritatis ex natura rei neceſſarius non ſit, numquam actus ſolis naturæ viribus elicitus relinquitur de condigno meritorius. Requiritur autem ad actum meritorium naturalem auxilium intrinſecè ſupernaturale, non quia auget auxilium bonitatem moralem actus, ſed quia actui, vt moralis eſt, & à voluntate in actu primo libera, liber extrinſecè conſtituitur, tribuit tale auxilium connexionem tranſcendentem cum præmio ſupernaturali, in eodemque ordine collocatur, prout expedire ad meritum condignum donorum ſupernaturalium, ſuperioribus ſtatuimus; quod plenius explicabimus diſputatione

Tertio. 15. Tertium argumentum diuiſos habet autores negantes operi naturali meritum condignum fœlicitatis ſupernaturalis. Nam P. Vaſquez, & Petrus de Lorca cum alijs volunt æqualitatem operis eliciti auxilio gratiæ cum præmio vitæ æternæ eſſe mathematicam; & non ſolius proportionis, ad quam acceptatio diuina aliquid conferat. Alij vero negant mathematicam eſſe, & quantitatis: ſed proportionis, & reſpectiuam. Itaque vt autores tribuentes operi naturali meritum condignum donorum ſupernaturalium ex acceptatione Dei diuiſi ſunt, aſſerentes alij, talem acceptationem eſſe adæquatam rationem meriti, & opus ipſum naturale nihil conferre intrinſecum ad conſtitutionem neceſſariam illius. Alij verò talem acceptationem eſſe tantum complementum eius, quod operi deficit: ſic autores requirentes opus auxilio ſupernaturali factum, pariter diſſentiunt, dum alij volunt, condignitatem in actu primo ſufficientem adæquatè compleri bonitate operis cum dignitate operantis, quin aliquid conferat acceptatio Dei; alij verò præter operis bonitatem, etiam acceptationem diuinam meriti æqualitatem complere. Quod nunc expendendum eſt, vt appareat, quouſque repugnet operibus naturalibus meritum fœlicitatis ſupernaturalis.

P. Vaſquez. Lorca.

SECTIO TERTIA.

Sententia P. Vaſquez & Petri de Lorca.

[illegible]nitur P. Vaſquez. 16. ERgo P. Vaſquez 1.2. diſp. 116 cap. 2. ſtatuit repugnare etiam diuinitus operibus elicitis à pura natura meritum condignum vitæ ſupernaturalis; quia condignitas meriti ſaltem in actu primo, ea eſt æqualitas valoris operis cum æſtimatione præmij, qua tantum valeat, & non minus opus, quod exhibetur, quantum præmium, quod redditur; quare opera, quæ minoris valoris ſint, quam ea, quæ nunc habentur æqualia, & condigna præmio, non poſſunt iure reputari digna præmio. At ea, quæ fierent ab homine relicto puræ naturæ, eſſent minoris valoris, quam ea, quę nunc habentur, & iudicantur æqualia. Nam de facto opera conſtituuntur ęqualia præmio, tum ex bonitate ſupernaturali, quam acquirunt ab auxilio gratiæ, tum ex dignitate gratiæ iuſtificantis, & ſpiritu adoptionis Dei; quæ operibus naturæ puræ deeſſent, & per voluntatem Dei, ſuppleri non poſſunt. Ergo talia opera non poſſent adæqualitatem, & condignitatem valoris cum præmio gloriæ peruenire. Aſſumptum quidem docet P. Vaſquez diſput. 214. c. P. Vaſquez, 10. & 11. Eumque ſequitur Petrus de Lorca Lorca. diſput. 45. §. *Hinc habetur*, & ſequentibus. Pro quo intelligendo diſtingue duplicem condignitatem, ſiue æqualitatem operis cum præmio. Alteram mathematicam, & omnino abſolutam quantitatis, & rei ad rem; alteram proportionis, & reſpectiuam. Primo modo opus dicitur condignum, & æquale præmio, quod ſecundum ſe, ex parte ſuppoſiti operantis penſatum, ſeorſim ab omni circunſtantia, & promiſſione retribuentis, valet tantum, quantum præmium, quod illi retribuitur, quin minori præmio poſſet ad æqualitatem ſatisfieri. Ad modum, quo labor mercenarij abſolutè æſtimatus tantus eſt, quantus eſt valor mercedis, qua compenſatur. Alio modo dicitur opus æquale, & condignum præmio, quod ſecundum ſe, & abſolutè, ab omnique circunſtantia ſeiunctum ſuperatur à magnitudine præmij, ſi tamen reſpectus, & conſideratio fiat proportione ad circunſtantias cauſarum, promiſſionis, magnitudinis, & finis retribuentis, aliaſque, quæ honeſtant promiſſionem, ſeu propoſitionem grandis remunerationis, æquale præmio eſt, poſitaq; promiſſione obligationẽ iuſtitię inducit, vt præmium propoſitũ retribuatur. Qualiter æquale ſolet eſſe opus requiſitum ab eximio Principe, aut illuſtri Republica in natalitio Regis ad remunerandum victores in certamine publico equeſtri, litterario, aut alio ſimili; quod ſecluſis circunſtantijs, in quibus exhibetur, multo minori prætio poſſet compenſari; poſita tamen tali circunſtantiarum collectione ius acquirit iuſtitiæ, vt propoſito præmio coronetur. Quare prior condignitas, ſeu æqualitas mathematica à poſteriori proportionis differt, quod prior inuariabilis eſt, inuariata operis vtilitate, aut honeſtate intrinſeca, vt explicat labor mercenarij diuinus: poſterior vero latitudinem admittit, nullaque in opere facta variatione nunc præmij maioris, nunc minoris prætij iure compenſatur; vt exploratum faciunt præmia publicè propoſita, quæ iuxta varias circunſtantias eiſdem operibus inęqualia redduntur. V. g. eidem poæmati à diuerſis Principibus in eadem occaſione, & ab eodem Principe in occaſionibus diuerſis inæqualia munera iuſte quidem reddenda proponuntur. Igitur P. Vaſquez, & Petrus Lorca noſtra merita priori æqualitate condigna putant, ideoque detracta in ſtatu purę naturæ bonitate ſupernaturali operum, & dignitate ſupernaturali perſonæ, detrahi ſimul ęqualitatem cum pręmio ad meritum condignum requiſitam.

17. Idque primò probant; quia licet comparando entitatem actus cum entitate pręmij non reperiatur ęqualitas iſta rei ad rem; tamen comparando valorem, & virtutem actus, quam ex ſpiritu adoptionis vendicat, ęqualitatem Prima ratio

habet. Ideo enim ſacræ ſcripturæ more, noſtra merita, & gratia illa dignificans, dicuntur ſemen æternæ vitæ. 2. Cor. 8. *Qui parce ſeminat, parce & metet*; Identidem Pſal. 125. & 1. Ioan. 5. Nam ſemen licet ſecundum entitatem ſuperetur à fructu, ſecundum virtutem tamen illi æquale eſt, vt expendit Auguſtinus adductus à P. Vaſquez cap. 11. Ergo noſtrorum operum valor æqualis omnino eſt cum magnitudine præmij. Confirmari poteſt, quia merentes gloriam apud ſacros ſcriptores, & Eccleſiæ Patres comparantur laborantibus in vinea ſtipendio diurno, & mercantibus cælum nobis venale propoſitum. Id autem quod venditur, & tanquam merces tribuitur, ſeruat æqualitatem rei ad rem, ac inuariabilem omnino cum prætio. Ergo.

[2. Cor. 8] [Auguſtinus]

Secunda. 18. Secundo probant. Peccatum mortale eſt æquale æqualitate rei ad rem, & non ſolius proportionis cum pœnis, quibus caſtigatur, licet delectatio peccati longiſſimè vincatur amaritudine, & acerbitate ſupplicij; quia malicia moralis peccati ſua dignitate continet totam magnitudinem pœnarum. Ergo ſimiliter opus meritorium erit æquale præmio, quamuis illius entitas magnitudine præmij ſuperetur. Quia penſata æſtimatione, quam acquirit à propria bonitate, & dignitate gratiæ iuſtificantis, continet moraliter totam remunerationem præmij: Tertiò; Si opus ſecundum ſe inæquale præmio, fieret ſimpliciter æquale, ac dignum promiſſione Dei, nullum eſſet diſcrimen inter meritum condignum, & congruum. Siquidem etiam opus meritorium de congruo ſecundum ſe continet aliquem valorem, licet inæqualem præmio, eidemque congruo accedit promiſſio Dei, ſicut meritorio de condigno. Ergo æqualitas meriti de condigno omnino abſoluta, ac inuariabilis eſt, à diuinaque promiſſione independens. Quartò; Condignitas operum non ſolum coaleſcit ex bonitate ipſorum, ſed etiam ex dignitate gratiæ iuſtificantis, quæ eximia eſt & iure contendens æqualitatem cum gloria. Ergo ſecluſa proportione retribuentis & circunſtantiarum, ipſa principia intrinſecè conſtituentia condignitatem meriti, æquari poſſunt abſolutè, ac mathematicè cum excellentia præmij. Confirmatur: Deus potuit præbere creaturæ rationali, quam prædeſtinauit in gloriam, vt coronam, ea principia, quibus illam mereretur de condigno, condignitate, & æqualitate omnino abſoluta, & æquiualenti præmio, ſecluſa largitate diuina. Ergo reipſa talia principia præbuit. Nam Deus, quæ poteſt agere ordine naturali rerum, non agit ordine præternaturali, & gratioſo. Ordo autem naturalis id exigebat ſuppoſita prædeſtinatione hominis ad gloriam vt coronam. Sicut propterea voluit vt Chriſtus meritis rigoroſis iuſtitiæ redimeret genus humanum. Ergo. Denique à priori; quia licet ratio completa meriti, prout inducit obligationem retribuendi præmium, (qua in actu ſecundo, & quoad efficaciam conſtituitur) indigeat promiſſione, & decreto antecedenti Dei; tamen condignitas in actu primo ex parte ſuppoſiti operantis, intrinſeca eſt, ſeorſimque à reſpectu ad promiſſionem retribuentis competit; quare prorſus abſoluta, & inuariabilis eſſe debet. Alias remuneratio doni pro merito plus donationis liberalis quam iuſtæ retributionis præmij contineret. Ergo condignitas operum non eſt proportionis, & extrinſeca, placitoque retribuentis, ac promittentis variabilis.

[Tertia.] [Quarta.] [Confirmatur.] [Vltima.]

SECTIO QVARTA.

Deſeritur præcedens defenſio, & condignitas mathematica operum ſupernaturalium cum præmio.

19. QVamquam tuenda nobis ſit ſententia, quæ negat, meritum condignum donorum ſupernaturalium eſſe diuinitus poſſibile operibus naturæ: fundamentum tamen æqualitatis abſolutæ, & mathematicæ meriti cum præmio non admittimus, ſed infirmum, atque inconſtans iudicamus. Porrò merita noſtra de facto, etiam vt à gratia iuſtificante, & ſpiritu adoptionis procedunt, ſola proportionis æqualitate, non autem abſolutâ, & rei ad rem eſſe condigna præmio gloriæ, aſſertores ſunt plures, ac illuſtres Theologi. Scotus in 1. d. 17. q. 2. Baſſolis ibidem. q. 1. Gregorius. q. 1. con. 1. & 2. Gabriel q. 1. art. 1. notab. 3. Durandus q. 2. & in 2. diſt. 27. q. etiam 2. Bonauent. in 2. d. 27. q. 3. Sotus lib. 3. de natura & gratia. cap. 7. ad finem, Caſtro verbo *meritum*, Vega de Iuſtificatione q. 5. ad 1. & 3. Bellarminus de Iuſtificatione lib. 5. cap. 18. ad 4. Maldonatus in Matth. cap. 25. num. 14. Hoſius in confeſſione fidei. cap. 73. Philippus Faber in 3. diſp. 42. c. 2. & 3. P. AEgidius Connink diſp. 8. dub. 3. num. 32. P. Granadus 1. 2. controu. 8. de gratia tract. 11. dip. 3. n. 14. P. Didacus Ruiz 1. p. q. 21. diſp. 59. ſect. 1. num. 3. Quibus accedunt quotquot conſtanter affirmant, Deum remunerare noſtra merita vltra condignitatem ipſorum. Quippe, quia ſupra æqualitatem abſolutam, & quantitatis præmia retribuit, vt citra condignum punire dicitur, quia infra abſolutam dignitatem peccati punit, quamuis non ſit ſupplicium infra dignitatem reſpectiuam, & proportionis, quæ comparatione benignitatis diuinæ fieri poteſt. Ita veteres Scholaſtici in 4. diſt. 46. S. Thomas, S. Bonauentura, Scotus, Durandus & alij.

[Autores aſſerti.] [Scotus] [Baſſolis] [Gregorius] [Gabriel] [Sotus] [Caſtro] [Bellarminus] [P. Maldonatus] [Hoſius] [Faber] [P. Connink] [P. Granadus] [P. Ruiz] [S. Thomas] [Bonauentura] [Scotus] [Durandus]

20. Planiſſime eſt noſtræ ſententiæ Doctor Angelicus pluribus in locis. Expende ſequentia teſtimonia. Primum 1. 2. q. 114. art. 1. corpore. *Manifeſtum eſt quod inter Deum, & hominem merentem eſt maxima inæqualitas, in infinitum enim diſtant, & totum quod eſt hominis bonum, eſt à Deo. Vnde non poteſt hominis à Deo eſſe iuſtitia ſecundùm abſolutam æqualitatem, ſed ſecundum proportionem quamdam; & ideo meritum hominis apud Deum eſſe non poteſt, niſi ſecundum præſuppoſitionem diuinæ ordinationis.* Clarius in 2. diſt. 27. q. 1. art. 3. in corpore: *Eſt duplex æqualitas, ſcilicet quantitatis, & proportionis. Secundum quantitatis æqualitatem*

[Aſſert. ſuperiori ſuffragatur S. Thomas.]

Digitized by Google

ex actibus virtutum vitam æternam ex condigno non meremur; non enim tantum bonum eſt in quantitate actus virtutis, quantum præmium gloriæ quod eſt finis eius. Secundum autem æqualitatem proportionis ex condigno meremur vitam æternam. Vt lectori meo conſtet non ſententiam ſolum, verumetiam terminos, quibus eam docemus, Angelico Doctori deberi. Neque aſſentire poſſum duobus illuſtribus Thomiſtis, Capreolo n. 2. d.27.q.1.& Petro Bergomenſi concord.883. volentibus, S. Thomam eis locis non egiſſe de merito, quod competit actui, prout à diuina gratia procedit, ſed quod ei ineſt ſecundum ſuam entitatem ſeorſim à charitate & gratia. Nam tradens eamdem doctrinam in 3. d. 18. q.1.art.2.corpore, triaque exponens ad merendum de condigno neceſſaria, ſic tertium proponit. *Tertium eſt ſecundum comparationem actionis ad mercedem, vt ſcilicet æquiparetur mercedi, non quidem ſecundum æqualitatem quantitatis, quia hoc requiritur in iuſtitia commutatiua, quæ conſiſtit in emptionibus, ſed ſecundum æqualitatem proportionis, ſecundum quam Deus æterna præmia largitur. Actio autem proportionata ad vitam æternam, eſt actio ex charitate facta, & ideo per eam ex condigno meretur quis, ea quæ ad vitam æternam pertinent.* En actum meritorium de condigno docet eſſe eum, qui ex gratia, & charitate ducit dignitatem, & originem, eumquè non eſſe præmio æqualem æqualitate quantitatis, ſed proportionis dumtaxat. Neque credendum eſt, Præceptorem Angelicum explicantem ex profeſſo duobus locis ſupra relatis, An creaturæ conueniat meritum condignum apud Deum? adeo ſteriliter concluſiſſe quæſtionem, vt eam non diſſeruerit, ſumendo meritum, prout complectitur partem potiſſimam condignitatis, in quam ſciebat ipſe totam potiſſimè dubitationem reuocari, nempe charitatem & gratiam.

S.Thomam male exponunt Capreolus & Bergomẽſis.

21. Dicent forſan, id egiſſe conſultius 1.2. q.114.art.3. ibique apertè ſatis ſtatuiſſe actum virtutis ſecundum ſuam ſubſtantiam ſolum habere congruitatẽ *ſecundum quamdam æqualitatem proportionis*, at verò vt procedit ex gratia Spiritus ſancti, mereri de condigno gloriam, *quia eius valor attenditur ſecundum virtutem Spiritus ſancti, mouentis nos in vitam æternam.* Verùm hinc confirmo conſtantius meam interpretationem. S. Thomas diſtinguens ibi virtutis actum & ſecundum ſubſtantiam, & vt à gratia Spiritus ſancti procedit, non ait, condignitatem conuenire actui conſiderato ſecundum ſubſtantiam, ſed tantum conſiderato ſecundum proceſſionem à gratia: ſed congruitatem ſecundum ſubſtantiam, condignitatem verò ſecundum virtutem Spiritus ſancti, & gratiæ conuenire. Ergo locis ſuperius adductis condignitatem meriti non tribuit ſubſtantiæ actus ſecundum ſe, ſed vt procedenti à gratia. At hæc condignitas aſſeritur ſolius proportionis, & non quantitatis. Ergo actus etiam vt procedens à gratia non habet condignitatem quantitatis, ſed proportionis dumtaxat. Nec obeſt eo art. 3. actui ſecundum ſe tribuiſſe æqualitatem proportionis. Quia proportio illa latiſſima eſt, & ab ipſo Angelico Doctore in eomet loco diminuta, tum quia dicta eſt congruitas, & non condignitas, tum quia non abſolutè ſecundum æqualitatem proportionis, ſed ſecundum quid, hoc eſt, *ſecundum quamdam æqualitatem proportionis.* Locis autem à me propoſitis abſolutè condignitas, & ſimpliciter ſecundum æqualitatem proportionis ponitur. Ergo non vt ibi, ſolum ſecundum ſubſtantiam actus, ſed ſecundum ſubſtantiam actus, & virtutem gratiæ ſimul meritorium opus accipiendum eſt.

Vlterior confirmatio mentis S. Thomæ.

SECTIO QVINTA.

Condignitas ſolius proportionis cum præmio, ex ſacris litteris oſtenditur.

22. PRima probatio ſumitur ex teſtimonio Pauli ad Rom 8. *Non ſunt condigna paſsiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Expendit Paulus excellentiora hominum merita, quæ in patiendo pro Chriſto conſtituta ſunt. Ea autem cum gloriæ futuræ prȩmio collata condigna non æſtimat: Non quia omnem prorſus condignitatem, & æqualitatẽ improbet: alias firmaretur omnino vera, ſectariorum noſtri ſæculi ſententia, quæ merita condigna gloriæ penitus aſpernatur. Ergo quia re vera ea merita non inuenit condigna æqualitate mathematica, & rei ad rem, ſed tantum reſpectiua circunſtantiarum, ac proportionis. Rationem aſſerti reddit Paulus 2. Cor. 4. *Id enim quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Quæ enim videntur, temporalia ſunt, quæ autem non videntur, æterna.* Nimirum quia labores, ac ſudores certaminis, tempore euaneſcunt, corona autem, quæ illis eſt parata, æternitatem duratura eſt. Quam rationem expendemus ſect. ſequenti. Nunc ſic pulchrè Proſper ſent. 272. *Non ſunt condigna paſsiones huius temporis, &c. Sæuiat & fremat mundus, increpet linguis, coruſcet armis: quidquid fecerit; quantiſlum erit ad illud, quod accepturi ſumus? Appendo quod patior contra id, quod ſpero; & tamen incomparabiliter maius eſt, quod ſperatur, quam quod infertur: Finis temporalis tranſit in perceptionem æterni boni.* Igitur ſi æquis lancibus examinentur merita, ac præmium, multis partibus merita inferiora remanebunt.

Probatio prima. Ad Rom. 8.

2. Cor. 4.

Proſper.

23. Duæ ſolutiones huic argumento excogitatȩ ſunt. Altera, Apoſtolum non conferre valorem meritorum cum prætio, ac valore præmij, ſed dolores, ac moleſtias certaminis cum delectatione, & iucunditate coronæ: qua comparatione longe ſanè ſuperius eſt gaudium bonorum cæleſtium, quam mæror, & tribulatio malorum præſentium; vt acerbitas, & dolor pænarum, quibus caſtigatur peccatum, longiſſimè ſuperat voluptatem, & iucunditatem peccati, quamquam peccati condignitas ſit maior. Altera, Paulum valorem quidem noſtrorum operum cum venturæ gloriæ magnitudine componere;

Duæ ſolutiones argumenti.

Digitized by Google

verum noſtra opera non quâ fiunt ſpiritu adoptionis, gratiaque iuſtificante dignificantur, ſed quâ ſecundum dignitatem ſuæ ſubſtantiæ, ac entitatis manant, cum excellentia præmij comparare; quo pacto indubitatum eſt, dignitatem operum æquiualere non poſſe ingenti magnitudini bonorum cæleſtium.

Eneruatur prior.

24. Prior ſolutio vim infert Paulo. *Nam condignitatis* vox, quâ ad Romanos loquitur, & *gloriæ pondus*, quod ad Corinthios proponit, manifeſtè exprimunt, paſſiones, ac tribulationes huius temporis, non quá moleſtæ, ac acerbæ ſunt, ſed quâ inde valorem, ac pretium ad promerendum gloriam nanciſcuntur, cum excellentia futurorum bonorum comparari. Etenim peccata nulla ratione dici poſſunt indigna cruciatibus, quibus puniuntur, licet vehementior ſit acerbitas ſupplicij, quam delectatio culpæ; quia propria ſignificatione condignitas, valorem, & quantitatem operis cum pœna, aut præmio compoſiti manifeſtat. Neque ad pondus, & menſuram merita, & corona traducuntur, niſi vt æquis momentis quantitas perfectionis, & valor vtriuſque examinetur. Quidque aliud illud *Appendo quod patior, contra id, quod ſpero*, Diui Proſperi ſuadet, quam dignitatem patientiæ cum poſſeſſione ſperatæ gloriæ quoad vtriuſque æſtimationem conferre? diminuuntur ergo à Paulo noſtræ paſſiones quoad illarum condignitatem, ac meritum; vt in conſpectu ingentis gloriæ, quæ pro illis retribuitur, eluceat Dei miſericordia cum iuſtitia, eaque prædicetur æqualitas meritorum, quæ locum tribuat largitati diuinæ.

Eneruatur poſterior. Fulgentius.

25. Poſterior ſolutio vero ſimilior apparet. Sed eam planè oppugnat Diuus Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 10. reddens rationem cur vita æterna dicatur gratia, cum merces ſit meriti. *Gratia autem ipſa non iniuſte dicitur, quia non ſolum donis ſuis Deus dona ſua reddit, ſed quia tantum etiam ibi gratia diuinæ retributionis exuberat, vt incomparabiliter, atque ineffabiliter omne meritum, quamuis bona, & ex Deo data, humanæ voluntatis, atque operationis excedat.* Quod confeſtim probat: *Quamuis enim pro Chriſto patiendi virtutem à Deo nobis donari Beatus Paulus oſtendit ad Philipp. 1. illam tamen futuræ vitæ gratiam omnibus præſentis tēporis paſſionibus anteponit.*

Rom. 8.

Ad Rom. 8. non ſunt condigna paſſiones, &c. En tanta eſt gratia retributionis diuinæ, vt omne meritum humanæ operationis, atque patientiæ, quantumcumque à Deo datæ, & ſecundum omnem gratiam huius vitæ conſideretur, incomparabiliter excedat. Igitur non ſolum ſecundum ſubſtantiam, verum etiam ſecundum dignitatem gratiæ, gratia diuinæ retributionis humanas iuſtorum paſſiones, & operationes exuperat. Et quidem ſi poſita gratia iuſtificante, & opere ſupernaturali eſſet æqualitas omnimoda meriti humani cum gloria, eo tantum ſenſu diceretur gloria ventura gratia, quia donis ab ipſo Deo gratioſe collatis retribuitur: non vero vt contendit Fulgentuis, etiam quia poſt omnem gratiam huius vitæ noua gratia in futura retributione elucet, quatenus adhuc poſt præſentem gratiam omne meritum humanæ voluntatis illa retributio infallibiliter excedit. Reſtat præoccupare ſolutionem eius, qui dicere velit, meritum bonæ, & ex Deo datæ operationis intelligere Fulgentium opus ſolum prout eſt ſupernaturale à gratia actuali procedens, non vero à gratia iuſtificante, à qua potiorem dignitatem ſortitur. Quod facile euincitur ex ijs, quæ D. Fulgentius præmiſit, & ſubiunxit teſtimonio ſuperiori. Nam immediatè ante præmiſerat, *De plenitudine quippe eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia, ſcilicet gratiam glorificationis æternæ, pro gratia iuſtificationis indebita; vt gratia iuſtificationis omne meritum malum deleat indebito beneficio, & meritum bonum iugi confirmet auxilio, cui gratia iuſtificationis iuſta reddatur in præmio; gratia autem etiam ipſa ideo non iniuſte dicitur, &c.* Deinde teſtimonio ſubdit. *Hanc gratiam non ſolum in præſentis vitæ iuſtificatione, ſed etiam in futuri ſæculi remuneratione dicit Apoſtolus gratiam permanere, & ſuper nos, hoc eſt, ſuper omnia bona cuiuſlibet hominis merita in Dei bonitate aſſerit abundare.* Quid iam certius, quam Fulgentium meritum à Deo datæ voluntatis intelligere, procedens etiam à gratia iuſtificationis. Item D. Paulus, vt nuper dicebamus, expendit condignitatem, ac valorem patientiæ noſtræ. Præcipuus autem valor, ac condignitas illius ſumitur ex gratia iuſtificante. Quare immediatè ante præmiſerat Paulus, *Ipſe ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei: ſi autem filij & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti; ſi tamen compatimur, vt & glorificemur. Exiſtimo enim, &c.* Vtique conglorificabimur tanquam filij Dei, ſi compatiamur cum Chriſto tanquam filij. Nihilominus ſubdit, conglorificationem tanto fore ſuperiorem compatientiæ huius vitæ, vt paſſionum dignitas, quamuis filiorum ſit, futuræ gloriæ filiorum Dei propriæ magnitudine ſuperetur. Ergo patientiam huius vitæ etiam cum ſpiritu adoptionis filiorum Dei inferiorem prædicat Paulus gloriæ venturæ præmio.

Confirmatur tota probatio.

26. Vrgeo. Opera meritoria manant tum à gratia actuali, tum à ſpiritu adoptionis gratiæ habitualis. Cum Paulus oſtendit momenta noſtrorum operum compoſita cum gloria, conſiderat opera vt à gratia actuali procedunt, quippe, vt aliqua ratione ſupernaturalia ſunt, & in ordinem gloriç ſupernaturalis diriguntur, cum ſecluſa ea proceſſione à gratia non ſolum inæqualem, verum neque aliquam condignitatem obtineant, præſertim ſi, vt noſtri aduerſarij poſſibile autumant, in iuſto opera meritoria intrinſecè naturalia ſint. Ergo etiam credendum eſt à Paulo expendi ea opera etiam vt à gratia habituali procedunt. Cur enim Paulus non omnes operis circunſtantias ad illud examen adduceret, & expenſis minus præcipuis magis præcipuas excluderet? Inſuper: Reuera Paulus totam inæqualitatem noſtrarum paſſionum cum gloria reuocat ad exceſſum durationis æternæ, in qua præmium gloriæ, valorem operum excedit. At ſi opera ſecundum ſubſtantiam tantum, & non etiam ſecundum circunſtantiam filiationis, & ſanctitatis habitualis penſarentur, non eſſet opus exceſſum præmij

Digitized by Google

in durationem referre, quandoquidem ipſa gloria ſecundum ſubſtantiam cum æquali duratione ſubſtantiam noſtrorum operum excedit. Ergo re vera ponderauit Paulus opera humana cum dignitate gratiæ. Claudo: Paſſio Chriſti Domini abſolutè non poteſt dici indigna, aut non condigna præmio redemptionis, & gloriæ corporis, quam meruit; quamuis ſecundum ſubſtantiam, & ſeorſim à dignitate ſuppoſiti, non ſit tanto præmio digna; ſiquidem ſecluſa dignitate ſuppoſiti valoris finiti relinquitur. Ergo ſimiliter paſſiones iuſtorum, non poſſunt dici abſolutè indignæ, aut non condignæ futura gloria; ſi re vera ſunt à dignitate gratiæ habitualis omni æqualitate dignę. Igitur cum Paulus iuſtorum paſſiones prædicet non condignas, aliqua illis æqualitas reipſa deficit, quæ ſpectata etiam filiatione Dei minus ſit, quam præmium gloriæ. Quod argumentum etiam aduerſus priorem ſolutionem vrget. Nam paſſio Chriſti Domini quoad acerbitatem compoſita cum abundantia hilaritatis, & lætitiæ, qua corpus Chriſti in ſua reſſurrectione delibutum eſt, longe inferior eſt gloriâ corporis, qua eſt remunerata. Nihilominus abſolutè paſſio Chriſti dici non poteſt non condigna eo præmio. Ergo ſimiliter. &c.

Secunda probatio.

27. Accedit ſecunda probatio ex alijs principijs ſacrarum litterarum, quæ breuiter propono. Gen. 15. ait Deus Abrahæ: *Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.* Oſtendens mercedem Dei ſecluſa promiſſione ſuperare noſtrorum operum laborem. Matth. 5. Non ſine cauſa dixit Dominus: *gaudete, & exultate quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis*; & apertius. Luc. 6. *Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſuperfluentem dabunt in ſinus veſtros.* Certè enim ſufficiens merces erat menſura bona; cur additur conferta, coagitata, ſuperfluens, ſi nihil additur ſupra condignitatem mathematicam & rei ad rem? Matth. 25. *Quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa tè conſtituam.* & Luc. 19. *Euge bone ſerue, quia in modico fuiſti fidelis eris poteſtate habens ſuper decem ciuitates.* Semper accreſcit præmium operibus. Ad hæc Matth. 10. in parabola vineæ manifeſtè cernimus dari multis integrum diurnum denarium, cum tamen non integrum diem in vinea laboraſſent. Atque id non ex omnimoda æqualitate operæ, & labori debita factum eſſe indicat Dominus illis verbis. *Volo huic dare, ſicut & tibi. An non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Ex quibus manifeſtè colligitur ſupra operum valorem accumulare Deum præmia alterius vitæ. Non quæ omnino ſuperent condignitatem proportionis, cum mercedi ex conuentione promiſſæ comparentur, ſed condignitatem quantitatis & rei ad rem. Quo ſpectat Proſper lib. 1. de vocat. Gent. cap. 17. aliàs 5. expendens vltimum teſtimonium Matthæi. *Ideo in parabola de his, qui laborant in vinea, dari idem præmium, eamdemque mercedem omnibus operarijs, ſiue multum, ſiue parum laborauerint, vt ij qui multo labore ſudarunt, nec amplius, quam nouiſſimi acceperunt, intelligant, donum ſe gratiæ, non operum accepiſſe mercedem.*

(Marg.: Gen. 15. — Matth. 5. — Luc. 6. — Matth. 25. — Luc. 19. — Matth. 10. — Proſper.)

SECTIO SEXTA.

Idem probatur ex Pontificibus, & Patribus eccleſiæ.

28. IDem tertio ex Concilio Senonenſi Decreto. 16. non leuiter confirmatur: *Facit miſericordia locum vnicuique iuxta meritum operum ſuorum, non abſoluta condignitate quidem, ſed gratuita magis, & liberali repromiſſione, qua conuentione facta de denario diurno conduxit operarios in vineam ſuam.* Vbi confirmatur teſtimonium Matthæi ſuperius adductum, & noſtra ſententia ipſius terminis, & vocibus ſtabilitur. Rurſus 4. idem probatur ex Bulla Pij 5. & Greg. 13. damnante ſententias Michaelis Baij. Eſt enim inter damnatas propoſitiones quarta decima huiuſmodi. *Opera bona iuſtorum non accipient in die iudicij extremi ampliorem mercedem, quam iuſto Dei iudicio mereantur accipere.* Vbi damnari æqualitatem mathematicam, quam iuſtitia nulli admixta miſericordiæ reſpicit, apertè oſtenditur ex mente huius Doctoris Louanienſis, qui lib. 2. de meritis cap. 9. cuius titulus eſt propoſitio ſuperior, contendebat perſuadere, iſtam æqualitatem meritorum cum gloria mathematicam eſſe, & rei ad rem, ex æqualitate peccatorum cum pœna. Quare concludit caput: *Sicut igitur in impijs non eſt veriſimile ſupplicium futuri ſæculi fore infra delicti menſuram: ſic in iuſtis minus veriſimile eſt, quod retributio præmij exſuperet menſuram meriti, etiamſi forſitan humanis ſenſibus aliud appareat.* Cum autem præcedentibus ſibi obieciſſet teſtimonia Pauli ad Rom. 8. & 2. Cor. 4. ſuperius adducta, ea ſic exponit, vt comparatio fiat inter acerbitatem paſſionum, & iucunditatem gloriæ, non inter valorem & pretium vtriuſque; vt volebant aduerſarij num. 23. Quod ſic probat. *Sicut cæleſtis gloria, in ijs qui liberantur, incomparabiliter iuſtorum tribulationes exſuperat, ſic in ijs, qui damnantur acerbitas ſupplicij etiam incomparabiliter excedit iucunditatem delicti. Sed in his dici non poteſt quod modus ſupplicij excedit menſuram delicti, quia iniquitas eſſet apud Deum, qui infert iram. Igitur in ijs, qui liberantur, gloria magnitudo non ſufficienter oſtendit; quamuis præmij excedat menſuram meriti.* En contenditur à Michaele Baio omnimoda æqualitas inter meritum, & præmium; probatque ſuam ſententiam æqualitate culpæ cum pœna, quaſnam probant aduerſarij, teſtimonijſque ſuadentibus oppoſitum eadem ſolutione occurrit. Tamen damnatur à Pontificibus Eccleſiæ. Ergo.

(Marg.: Probatio tertia. Conc. Sen. — Quarta probatio. Pius 5. Greg. 13. — Rom. 8. 2. Cor. 4.)

29. Adde probationem quintam ex Patribus Eccleſiæ. Plura ſunt eorum teſtimonia. Accipe pauca. Athanaſius in vita S. Antonij: *Nec vniuerſo orbi renunciantes dignum aliquid habitaculi poſſumus compēſare cæleſtibus.* Bern. ſerm. 1. de Annunt. *Quid ſunt merita omnia ad tantam gloriam?* Cyrillus Alexādrinus ad illud Luc. 17. *Numquid gratiam habet ſeruo illi?* apud Sanctum Thomam in catena: *Deus petit à nobis famulatum*

(Marg.: Quinta. — Athanaſius — Bernardus — Cyrillus Alexand. — S. Thomas.)

Digitized by Google

iure ſeruitij; Verum quia clemens, & bonus eſt, honores famulantibus pollicetur, & ſupereminet ſudoribus ſubditorum beneuolentia magnitudo: Gregor. in pſal. 142. ad illum verſum. *Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam*: In hunc modum; *Quod ſi illa ſanctorum fœlicitas miſericordia eſt, & non meritis acquiritur, vbi erat, quod ſcriptum eſt: Et tu reddes vnicuique ſecundum opera ſua? Si ſecundum opera redditur, quomodo miſericordia æſtimabitur? Sed aliud eſt ſecundum opera reddere, & aliud propter ipſa opera reddere. In eo enim quod ſecundum opera dicitur, ipſa operum qualitas intelligitur, vt cuius apparuerint bona opera, euaſit & retributio glorioſa. Illi namque beata vita, in qua cum Deo, & de Deo viuitur, nullus poteſt æquari labor, nulla opera comparari, præſertim cum Apoſtolus dicat: Non ſunt condigna &c.* Euſebius Emiſſenus hom. 3. ad Monachos. *Totis licet animæ, & corporis laboribus deſudemus, totis licet obedientiæ viribus exerceamur, nihil tamen condignum merito pro cæleſtibus bonis compenſare, & offerre valebimus.* S. Baſilius in pſal. 114. ad illud. *Conuertere anima mea in requiem tuam; Vbi propoſita eſt*, ait, *æterna requies ijs, qui legitimè in hac vita certauerunt, quæ non ſecundum operum debitum, ac meritum retribuitur, ſed iuxta magnificentiam Dei exhibetur.* Auguſt. in pſal. 93. *Quanto labore digna eſt requies, quæ non habet finem? Si verum vis comparare, & verum iudicare, æterna requies, æterno labore rectè emitur. Verum hoc eſt, ſed noli timere, miſericors eſt Deus.* Si æternæ requiei ſolus æternus labor eſt prætium æquale, quomodo erit æquale ſecluſa proportione, temporalis? Itaque Eccleſiæ Patres agnoſcunt noſtra merita inæqualia, & indigna magnitudine gloriæ, quæ iuſtis retribuitur. Non quia negent merita abſolute condigna gloriæ, vt contendunt noſtri temporis Hæretici. Ergo quia negant æqualitatem omnimodam quantitatis, & rei ad rem, vt quantum datur Deo, tantum à Deo retribuatur, & non amplius. Rurſus eiſdem teſtimonijs docent, Deum miſericordem, & munificum, ſe exhibere in retributione gloriæ, non ſolum, quia gratiam, qua illam mererentur, liberaliter tribuit, ſed etiam quia eam quantitatem, & excellentiam præmij, quæ nouæ adhuc miſericordiæ, & munificentiæ obiectum ſit propter doni magnitudinem. Ergo exceſſum docent ſuperantem noſtra merita.

Gregorius · Euſebius · Baſilius · Auguſtinus

SECTIO SEPTIMA.

Probatur ratione condignitas ſolius proportionis operum ſupernaturalium cum præmio.

Prima ratio. 30. Demum idem ſtabilitur ratione. Gloria æterna promittitur nobis vt corona; ſicut Brauium proponebatur certantibus in ſtadio, vt habetur. 1. ad Cor. 4. & ad Philipp. 3. Sed præmium publicè in ſtadio propoſitum ſola æqualitate proportionis æquale eſt, vt conſtat ex num. 16. Ergo gloria noſtris meritis promiſſa ſola æqualitate proportionis æqualis eſt. Conſequutio eſt legitima. Item totus valor noſtri meriti ſolum continet dignitatem gratiæ habitualis, & perfectionem operis. At hoc totum non eſt mathematicè æquale præmio gratię, & gloriæ, qua noſtrum meritum compenſatur: Ergo totus valor noſtri meriti non eſt mathematicè æqualis præmio gratię, & gloriæ, quo compenſatur à Deo. Probatur minor. Gratia habitualis, quæ merito retribuitur, æqualis eſt gratiæ dignificanti meritum; Vlterius remuneratur illud Deus, ſeipſum tradendo, quod eſt bonum morali æſtimatione infinitum. Nam bonum, quod Beatitudine formali poſſidemus, non eſt aliud, quam ipſe Deus, cuius poſſeſſio excedit infinitum poſſeſſionem omnium creaturarum. Ergo præmium compenſans noſtrum meritum non exequat mathematicè valorem illius. Neque refert viſionem intuitiuam, qua Deus poſſidetur, eſſe finitam, ſupra quam poſſunt eſſe viſiones perfectiores infinitæ. Nam ſanctitas humanitatis Chriſti etiam in concreto eſt morali æſtimatione infinita, licet vnio, qua verbum ſanctificat, ſit finita, ſupra quam poſſunt eſſe vniones perfectiores infinitæ: quia ſanctitas Verbi in abſtracto eſt infinita. Ergo animam eſſe beatam poſſeſſione ſummi boni erit quid morali æſtimatione infinitum, licet poſſeſſio ipſa ſit finita. Secunda.

31. Rurſus hæc poſſeſſio ſummi boni non eſt temporalis, ſed æterna. At poſſeſſio æterna ſummi boni incomparabiliter excedit valorem finitum noſtrorum operum. Ergo. Probatur minor. Poſſidere ſummum bonum viginti annos fœlicitate integrè ſatiante appetitum pluris æſtimatur, quam poſſidere decem annos. Ergo poſſidere durationem infinitam, erit æſtimatione infinitum. D. Auguſtinus num. 29. aſſeruit, æternam requiem niſi æterno labore rectè emi non poſſe. D. Proſper num. 22. tantillum eſſe quod patimur ad illud, quod accepturi ſumus; quia paſſio temporalis tranſit in perceptionem æterni boni. S. Paulus leuem denique reputat tribulationem noſtram, quia æternitas gloriæ in ſublimitate pondus effert ſupra omnem æſtimationem & modum. Ergo duratio gloriæ auget æſtimationem præmij: Igitur augmentum durationis infinitum, augebit æſtimationem ſupra omnem valorem finitum. Confirmatur: Proponat Deus laboribus iuſtorum aut viſionem beantem intenſione infinitam, ſed duratione centum annorum finitam; aut viſionem duratione infinitam, & intenſione centum graduum finitam. Certè prudens non eſſet, qui viſionem duratione infinitam non præferret. Quis enim non eligat æternum eſſe fœlicem, licet intentione finita, potius quam eſſe fœlicem intenſione infinita, duratione centum annorum? At viſione beante intenſionis infinitæ durante centum annos, ſatis, ſuperque rependeret Deus obſequia vnius diei, aut anni. Ergo ſuperabundanter rependit viſione durante æternitatem, quæ pluris æſtimatur. Tertia.

32. Dices primò cum Lorca, noſtrum meritum continere affectiuè exiſtentiam æternam, ratione cuius poſtulat remunerationem æternam charitatis actus: quia quantum eſt ex ſe amat Occurritur Lorcæ.

Digitized by Google

amat durare æternitatem; ſicut peccatum temporale meretur æternam pænam, quia ex vi affectus auertitur à Deo per totam æternitatem. Sed contra. Peccatum temporale non eſt dignum æternâ pænâ, quia affectiua auerſio eſt æterna, ſed quia grauitas peccati eſt infinita ſimpliciter, aut ſecundum quid ſeorſim ab eo affectu; quare ſi quis affectu expreſſo vellet auerti à Deo tantum per annum, eo ipſo peccaret lethaliter, & eſſet dignus puniri pæna æterna. At noſtrum meritum quamuis expreſſo affectu expetat æternitatem obſequij diuini, non aſſequitur valorem infinitum, ſed finitum, vt non aſſequitur bonitatem infinitam, ſed finitam. Ergo. Præterea iuſtus non ſolum meretur per actus charitatis, ſed etiam per actus aliarum virtutum, in quibus talis affectus non continetur; neque ad eorum meritum neceſſarius eſt, vt tractatu demerito manifeſtum oſtendi. Ergo æternitas affectiua non eſt ratio conferendi effectiuè præmium æternum. Deinde alij affectus poſſunt vniri efficaciter ſuis obiectis, quin expetant durationem æternam. Ergo affectus charitatis etiam, qui feruentiſſimus non ſit. Vt enim poteſt non velle plura excellentia obſequia perfectionis, & conſilij; ſic poteſt non velle durationem ſui æternam; quin poteſt expreſſe nolle durationem æternam, ſed temporalem, quæ ſola præcepto iniungitur. Denique affectus durationis æternæ non valet tantum, quantum ſi reipſa duraret æternum, vt affectus intenſionis infinitæ non eſt valoris realis talis intenſionis. Alias eſſet valoris infiniti, & mereretur præmium intenſione infinitum. Ergo ſimiliter affectus noſtri meriti, non meretur reipſa præmium duratione infinitum.

Eluditur ſecunda reſponſio.

33. Dices ſecundo: dignitatem iuſtorum, ex qua deriuatur valor in noſtra merita, eſſe propriam filiorum Dei, & aliqua ratione infinitam, cum ſuapte natura conſtituat hominem participem diuinitatis, & alterum Deum, cuius proprium eſt æternum eſſe fælicem. Confirmatur: Gratia iuſtificans ratione ſuæ dignitatis exigit gloriam æternam, vt hæreditatem; ergo eamdem æternitatem gloriæ poteſt exigere vt coronam. Sed contra; quidquid ſit altiſſima dignitas iuſtorum, noſtra merita compenſantur augmento eiuſdem dignitatis, & gratiæ æquante gratiæ præcedentis æſtimationem. Rurſus, ſuperadditur primò ſuprema hominis fælicitas; deinde æternitas priſtinę gratiæ, & gratię habitualis, merito comparatæ, nec non eſſe viſionis beatæ. Ergo quamuis excellentiſſima ſit dignitas gratiæ habitualis, ſemper relinquitur, vnde ſuperabundet præmium. Præterea ſi æternitas propria Dei argueret æternitatem naturalem gratię habitualis, fieret eâdem ratione deberi iuſto virtutem agendi infinitam, meritum redemptionis generis humani, infinitam intenſionem glorię, & alia id genus, quę filiationem naturalem, & diuinitatem, cuius eſt participatio, referunt. Ad confirmationem nego, gratię habituali ſuapte dignitate deberi hæreditatem ęternam glorię. Nam opus eſſe gratię iuſtificanti ęterno fauore, & beneficio Dei ad tribuendum ius, & exigentiam glorię, ideoque munificentię, & largitatis diuinę eſſe adhuc poſita gratia hominem fieri filium adoptiuum Dei, & hęredem glorię, multis oſtendi tractatu de gratia iuſtificante cum Richardo, Scoto, Ochamo, Gabriele, Ioanne Medina, & alijs relatis à P. Suarez lib. 7. de gratia cap. 1. & P. Torres diſput. 72. dub. 2. Quibus accedunt Gregorius in 1. diſput. 17. quęſt. 1. conc. 2. Baſſolis q. 1. artic. 1. Sotus in 4. diſput. 1. quæſt. 3. artic. 1. argumento 6. Bellarminus lib. 2. de iuſtificatione cap. 16. P. Leſſius lib. 12. de diuin. perfect. cap. 11. P. AEgidius 2. 2. diſput. 21. dub. 8. P. Salas tom. 2. in 1. 2. tract. 11. diſput. 6. num 106. ad 7. rationem, & Puteanus 1. 2. q. 113. dub. 3. con. 2.

Gratię iuſtificanti non eſt debita hæreditas glorię.

P. Suarez
P. Torres
Gregorius
Baſſolis
Sotus
Bellarminus
P. Leſſius
P. Aegidius
P. Salas
Puteanus

Tertia ſolutio reijcitur.

34. Dices tertiò, æternitatem viſionis beatæ, non eſſe præmium, ſiue donum diſtinctum ab ipſa viſione, quia eſt proprietas ex natura rei connexa entitati viſionis. Tranſeat. Ideo puto non poſſe retribui viſionem cum ſuis affectionibus naturalibus, quin ſimul cum illa retribuatur bonum æſtimatione morali infinitum; atque adeo exequari non poſſe merito æſtimatione finito. Nam retribui viſionem Dei vt præmium, eſt retribui ſimul æternam durationem eidem annexam. Ergo quod opus tanto bono æquale non eſt, neque erit omnino æquale exiſtentiæ connaturali ipſius viſionis. Ita non poteſt homo mereri de condigno æqualitate rei ad rem, vt homini exiſtenti in peccato tribuatur gratia iuſtificans, licet mereri poſſit, vt eadem tribuatur iuſto, aut non peccatori: quia in homine peccatore gratiæ iuſtificanti annexa eſt remiſſio peccati, quæ cenſetur præmium æſtimatione infinitum, ideoque ſuperius merito purę creaturę. Idemtidem non poteſt iuſtus æquare meritis donum vnionis hypoſtaticæ, licet in ſe ſit perfectione finitum, quia coniunctam habet ſanctitatem ſimpliciter infinitam. Similiter igitur impoſſibile erit æquare mathematicè donum exiſtentiæ connaturalis viſionis, quia coniuncta cum illa eſt duratio infinita tanti boni.

Anſelmus objicitur.

35. Dices quartò; Anſelmum in Monologio cap. 68. & 69. aſſerere præmium condignum amoris diuini, non eſſe aliud, quam ſummam fælicitatem, eamque æternam. Sic enim concludit cap. 68. *Nihil verius, quam quod omnis anima rationalis, ſi quemadmodum debet ſtudeat amando, deſiderare ſummam beatitudinem; aliquando illam ad fruendum percipiat.* Incipit deinde cap. 69. *Vtrum autem ea ſine fine fruatur dubitare ſtultiſſimum eſt.* At Anſelmum diſſerere de merito condigno conſtat ex his, quæ præmiſerat. *Vtique nihil poteſt eſſe præmium huius amoris, niſi quod ſupereminet in omnibus naturis: quid ergo ſumma bonitas retribuet amanti, niſi ſe*

Digitized by Google

ipſam. *Nam quidquid aliud tribuat, non retribuit, quia nec compenſatur amore, nec conſolatur amantem, nec ſatiat deſiderantem.* Igitur ipſa beatitudinis æternitas, retributio condigna eſt amoris diuini. Verum Anſelmus explicationem habet in noſtra ſententia. Nimirum de condignitate proportionis diſſerere; non autem de condignitate quantitatis,& rei ad rem. Id conijcio, quia tale præmium refert Anſelmus in excellentiam ipſius Dei amati potius, quam in meritum ipſius amoris. Nam cap. 67. ait: *Inconueniens eſt nimis ſummè bono, ſummèque ſapienti, & omnipotenti Creatori, vt quod fecit eſſe ad ſe amandum, id faciat non eſſe, quandiu vere amauerit, & quod ſponte dedit non amanti, vt ſemper amaret, id auſferat, vel auferri permittat amanti:* Et cap. 68. *Nullatenus verum videri poteſt, vt iuſtiſſimus, & potentiſſimus nihil retribuat amanti ſe perſeueranter.* Deinde Anſelmus hanc amoris condignitatem ad æternam Beatitudinem non tribuit cuicumque amori, ſed tantum amori ſempiterno & perpetuo. Ideo cap. 67. habet. *Abſurdiſſimum eſt, vt aliqua natura ſemper amando illum, qui eſt ſummè bonus, & omnipotens ſemper miſere viuat:* Et cap. 68. *Quid dabit amanti, ſi amare non ceſſet?* Igitur ſoli amori indeſinenti & perpetuo, æterna beatitudo retributio condigna eſt. Vnde meritis temporalibus non poteſt æternitas Beatitudinis æſtimatione æquari.

Explicatur.

SECTIO OCTAVA.

Occurritur argumentis P. Vaſquez, & Petri de Lorca.

Diluitur primum argumētum.

36. IAm argumentis ſatisfaciamus. Ad primum deſumptum ex comparatione ſeminis reſpondeo. Naturalia ſemina duplicis generis ſunt. Alia fructibus ſpecifica nobilitate æqualia, vt granum frumenti, & ſimilia; quæ vim efficientem principalem, & continentem adæquatè ſubſtantiam fructuum habere poſſunt. Alia fructibus ignobiliora, vt humanum ſemen, & equinum, quæ vim ſolam diſponendi ſubiectum, ſolamque inſtrumentalem efficiendi fructum dependenter ab influxu ſuperiori obtinere poſſunt. Semina prioris conditionis in genere phyſico ſimilia ſunt in genere moris, meritis mathematicè, & abſolutè æqualibus præmio. Poſterioris verò conditionis ſemina, meritis ſolâ proportione æqualibus. Recte enim æqualitas cauſæ principalis efficientis eſt æqualitas abſoluta, & rei ad rem, cum ſemper effectum æquali, aut ſaltem nobiliori perfectione contineat: æqualitas vero cauſæ tantum diſponentis, & ſubiecti vltimo diſpoſiti eſt æqualitas proportionis, cum effectum ſe nobiliorem, quæ propria cauſalitate producere non poteſt, ſuapte natura exigat, vt altior ſibi influxus in gremium inducat, dignaque exigentia eſt, cui ab Autore naturę ſatisfiat. Igitur ſacri ſcriptores noſtra merita, & gratiam ſanctificantem conferunt ſemini ignobilioris conditionis, quod non continet virtutem principalem efficientem fructus, ſed vim tantum præparandi ſubiectum aptum, ac dignum illius, medio influxu cæleſti, aut alio ſuperiori, qui ei benigne aſſiſtat. Vnde non condignitas, ſeu æqualitas mathematica, ſed reſpectiua, ac proportionis dumtaxat colligitur. Quod non diſſuadet Auguſtinus adductus à P. Vaſquez ijs verbis: *Sic diuina gratia quam Ioannes ſemen appellat, in ſuprema vitæ præmium ſibi mendicandum aſſurgit mediantibus meritis.* Expendo gratiam mendicare vitæ æternæ præmium mediantibus meritis. Præmium enim, quod meritis mendicatur, non omnimoda æqualitate debitum eſt, ſpectatâque ipſius excellentia, potius ex miſericordia, quam iuſtitia conferendum. Ad confirmationem admitto, cælum nobis ementibus venale proponi, & laborantibus mercedem. Cæterum ſimul miſericordia diuina proponitur, quæ exiguitatem noſtri prætij, atque laboris ſuppleat. Ita de laborantibus in vinea habet Proſper ſupra num. 27. De ementibus cælum accipe Chryſoſtomum hom. 9. de pœnitentia: *Habes denarium, eme cælum; non quod venale ſit cælum, ſed quod clemens eſt Dominus.* Itaque ſi æſtimetur magnitudo cæli, nullo æquali prætio venale eſt; ſi tamen ſtemus clementiæ, ac promiſſioni diuinæ, exiguo prætio emi poteſt. Quare paulo inferius ſubdit: *parua da, & magna ſuſcipe; da corruptibilia, & incorruptibilia accipe.* Et hom. 12. in Matthæum: *vt cælum emamus, nec hac quidem, quæ noſtris vſibus ſuperant, erogamus, & hoc cum exiguo illud prætio emere poſſimus, & in perpetuum poſſidere; ſi ſemel emerimus.* Exiguum igitur, ac paruum eſt, quidquid pro cælo comparando poſſumus erogare, neque illius excellentiæ omnino æquale, niſi diuina clementia prętium acceptetur ſufficiens.

P. Vaſquez

Proſper

Chryſoſtomus

37. Ad ſecundum; manifeſtum eſt diſcrimen inter peccatum mortale, & opus meritorium. Culpa mortalis enim malitiam fert ſaltem ſecundum quid infinitam; opus meritorium vero bonitatem continet omnino finitam. Item culpa mortalis ſuapte ſubſtantia ſeorſim à conditione operantis meretur de condigno pœnam; opus bonum verò ſuapte ſubſtantia, ſecluſa conditione filiationis, & gratię habitualis perſonæ operantis, non meretur de condigno præmium. Igitur ſimiliter poterit culpa mortalis digna eſſe omni æqualitate, quæ puniatur cruciatibus æternis, quamuis bonum opus ſola proportione dignū ſit, quod donis æternis remuneretur. Ideo damnatur à Pontificibus Eccleſiæ propoſitio 2. Michaelis Baij: *Sicut opus malum ex natura ſua eſt mortis æternæ meritorium; ſic bonum opus ex ſua natura eſt vitæ æternæ meritorium.* Paritas ergo omnimoda inter meritum mortis æternæ, & meritum æternæ vitæ aſſerenda non eſt, abſoluteque ſine ſcrupulo neganda. Fateor equidem Patri Vaſquez diſput. 214. cap. 13. animum Doctoris Louanienſis in ea propoſitione ſolum fuiſſe, opus bonum ſine reſpectu ad gratiam adoptionis,

Explicatur ſecundum.

P. Vaſquez

& dignitatem perſonæ operantis eſſe meritorium vitæ, ſicut peccatum eſt ſine reſpectu ad indignitatem perſonæ operantis meritorium mortis; in eoque ſenſu à Pontificibus damnari; ea namque propoſitio titulus eſt præfixus capiti 2. libri ſecundi de meritis operum Michaelis Baij; quod caput ſic exorditur. *Operi malo non ex praua aliqua peccantis indignitate, ſed ex deformitate operis, quæ qualitatem facit operantis, hoc eſt, quia diuinæ reuelationi reſiſtit, mors debetur æterna. Igitur bono operi non ex praua aliqua dignitate operantis, ſed ex natura, & qualitate boni operis, quæ qualitatem facit operantis, quia videlicet Dei ordinationi conſentit, vita debetur æterna.* Quod toto capite varijs argumentis confirmat. Itaque ea paritate à Pontificibus damnata ſolum contendit, opus bonum excludere dignitatem operantis ad meritum vitæ æternæ, vt peccatum excludit indignitatem antecedentem ad meritum mortis. Cæterum hinc arguere poſſumus, alias etiam diſcriminis rationes intereſſe poſſe inter meritum mortis æternæ, & meritum vitæ, videlicet omnimodam æqualitatem culpæ cum pœna, & æqualitatem ſolius proportionis operis boni cum gloria: vt ex propoſitione. 14. eiuſdem Baij oſtendimus num 28. Atque adeò parum fidendum eſſe paritati argumenti facti ex merito vitæ cum merito mortis; quod nunc contendimus.

Tertium. 38. Ad tertium argumentum ſectione ſequenti ſatisfaciemus, diuidentes ſufficienti diſcrimine meritum condignum à congruo.

Quartum. Ad quartum conſtat ex ſuperiori ſectione; quamquam altiſſima ſit dignitas gratiæ iuſtificantis, ſupereſſe ſemper, vnde æternæ gratiæ, atque gloriæ præmium noſtra merita æqualitate rei ad rem inferiora relinquat. Ad confirmationem etiam conſtat, coronam gloriæ diſpoſitam eſſe reddendam ex meritis ſola proportione æqualibus, atque adeo naturalem prouidentiæ ordinem exigere, vt ea principia, quæ ſolum condignitatem proportionis continent, prouideantur; neque ijs, quæ reipſa contulit, condignitatem Mathematicam eſſe poſſibilem.

Poſtremũ. Ad poſtremum; condignitas operum determinata ad tantum præmium ſuperans valorem meritorum, etiam in actu primo non eſt omnino intrinſeca, ſed partim intrinſeca, & partim extrinſeca, coaleſcens partim ex dignitate ipſius operis, atque perſonæ, & partim ex promiſſione diuina; condignitas verò determinata ad præmium mathematicè æquale, & indifferens ad hoc, vel illud præmium ſuperius, adæquatè intrinſeca eſt, licet cum reſpectu ad largitatem retribuentis; quippe ſuapte perfectione intrinſeca capax eſt, vt à retribuente infinito iuxta varias circunſtantias, & beneplacitum ſuum, ad hoc, vel illud præmium, excellens mathematicè prætium noſtrorum operum eleuetur. De quo plura ſectione ſequenti.

SECTIO NONA.

Explicatur condignitas proportionis operum Supernaturalium, cum præmio ſupernaturali gloriæ æternæ.

39. Hanc proportionis condignitatem; licet plures ſequantur, vix vnus ex profeſſo declarauit. Neque mirum; difficillima enim res eſt ad momenta certa, ac determinata reducere præmium proportione æquale merito, cum proportio ea eſt, quæ ſub æqualitate præmij cum merito capit præmium tum æſtimatione finitum, tum æſtimatione infinitum. P. Connink ſup. num. 34. & ſequenti proportionem iſtam meriti exequat præmio; tum ex ſupernaturalitate operis, tum præcipuè ex dignitate perſonæ operantis, quæ ex duplici conditione coaleſcit, alterâ quâ eſt filius Dei; alterâ, quâ eſt membrum Chriſti, à cuius ſanctitate, & valore deriuatur in genere cauſæ formalis, ac moralis, is nouus, ac peculiaris valor in opera iuſtorum, quo maioris præmij digna ſint, quam forent, ſi Chriſto vt capiti non eſſet vnita. Quod etiam tuentur Caietanus to. 3. opuſculorum tract. 10. cap. 9. Horantius lib. 1. de locis cathl. cap. 67. & cap. 69. Payna lib. 6. orthodoxarum explicationum. §. *non ſolum autem*, Hoſius in confeſſione Catholica cap. 73. Sindanus lib. 3. panopliæ euangelicæ, cap. 20. §. *Cæterum quod doctrina*, Ruardus Iapper art. 11. §. *in particula ſecunda articuli*, Alphonſus Virueſius philippica. 4. contra dogmata Lutheri, Lorca. 1. 2. diſp. 46. circa finem, P. Granadus controu. 8. de gratia tract. 11. diſp. 2. ſect. 4. Sotus in 4. diſt. 19. q. 1. art. 2. — P. Connink non explicat bene. — Caietanus Horantius Payna Hoſius Sindanus Ruardus Iapper

40. Duo mihi diſplicent in hoc dicendi modo. Alterum, quod P. Connink, & alij plures indicant, dignitatem à Chriſto deriuatam, in iuſtorum opera, neceſſarium complementum eſſe, vt merita noſtra condignè exequentur præmio. Nam Angelorum merita præmio condigna fuerunt. Communis tamen ſententia docet, Chriſtum Dominum non influxiſſe in Angelos, tanquam caput in membra valorem, ſeu virtutem merendi. Saltem potuiſſe abſque Chriſto coronam gloriæ, in quam prædeſtinati fuerunt, dignis meritis obtinere, non eſt Theologus Catholicus, qui inficietur. Identidem dicunt plures de meritis comparatis ab homine in ſtatu innocentiæ iuxta commune placitum Theologorum volentium non venturum Chriſtum, ſi non peccauiſſet Adamus. Igitur influxus formalis Chriſti non poteſt adſtrui neceſſarius ad complementum dignitatis, & æqualitatis meritorum cum præmio. Alterum diſplicet, quod omnes relati Autores ſentiunt, nimirum, noſtra opera in genere cauſæ formalis digniora reddi à dignitate membri Chriſti, quam eſ- — Duo improbantur in doctrina præcedẽti.

Digitized by Google

ſent, ſi perſona operans tali conditione eſſet deſtituta: vt digniora ſunt à dignitate, & augmento propriæ ſanctitatis, ac iuſtitiæ, quamquam ſecluſo eo valore, ac dignitate maiori, manante à Chriſto, adhuc poſſent opera condignè mereri præmium. Etenim hic maior valor operum deriuatus in genere cauſæ formalis à Chriſto nequit intelligi, niſi, vel quia ſanctitas, & dignitas perſonæ Chriſti moraliter informat noſtra merita; vel ſecundò, quia valor ipſorum meritorum Chriſti in noſtra merita transfertur, vt transfertur in poſteros Adami demeritum iuſtitiæ originalis: vel tertiò, quia ipſa gratia iuſtificans donata nobis influxu Chriſti, ſeu propter merita ipſius dignificat magis noſtra merita, quam ſi propter Chriſti merita non eſſet donata. At nullo ex his modis poteſt deriuari in noſtra opera exceſſus valoris à Chriſto in genere cauſæ formalis extrinſecæ. Ergo à Chriſto non habent noſtra merita in genere cauſæ formalis digniora eſſe præmio.

Opera iuſtorum non ſunt digniora præmij ex dignitate Chriſti.

41. Et quidem primò modo digniora non eſſe, ſcilicet quia à ſanctitate, & dignitate Chriſti moraliter informamur: probatur. Sanctitas, & dignitas Chriſti eſt indiuiſibilis, ac infinita. Ergo dignificans opera iuſti, redderet illa digna, ac meritoria infinite; hoc eſt, valentia impetrare de condigno redemptionem generis humani, & gratiam intenſione, ac duratione infinitam tum ſibi, tum alijs infinitis hominibus. Quod eſt abſurdum. Rurſus, ſi opera iuſtorum dignificarentur moraliter à ſanctitate Chriſti, merita condigna non ſolum proportione, ſed etiam mathematicè eſſent æqualia præmio. Quandoquidem ſanctitas Chriſti, à qua meritoria fiunt, æquiualet mathematicè præmio gloriæ, quod iuſtis refertur. Quod eſt contra Patrem Connink, & plures Autorum, quos memorauimus num. 19. & contra dicta ſectionibus præcedentibus. Deinde ſanctitas, & dignitas Chriſti non poteſt augere valorem operum iuſti, niſi quatenus perſonam ipſam iuſti reddit magis ſanctam, & iuſtam. Nam eatenus gratia dignificat opera, quatenus ſanctificat, Deoque gratificat perſonam. Sed ſanctitas, & dignitas Chriſti non reddit perſonam iuſti magis ſanctam, & iuſtam. Nam alias à ſanctitate infinita eſſet perſona iuſti infinitè ſancta. Item à ſanctitate repugnante veniali peccato fieret etiam venialiter impeccabilis. Præterea effectus formalis ſanctificandi perſonam eſt phyſicus, indigens vnione phyſica ſanctitatis, ſicut effectus formalis calidi, & albi: alias daretur Hæreticis noſtri temporis, poſſe hominem à ſanctitate, & iuſtitia Chriſti reddi ſanctum, & iuſtum; quod perniciosum eſſet. Sicut ergo non poteſt homo ab albedine, & calore Chriſti reddi ſimpliciter albus, & calidus; ita nec ab eius ſanctitate, & iuſtitia formaliter ſanctus, & iuſtus. Igitur neque iuſti opera poterunt reddi formaliter meritoria; ſiquidem non poteſt ſanctitas dignificare opera, niſi ſanctificando perſonam.

42. Alio ſecundo modo non poſſe noſtra opera ex Chriſto crementum valoris accipere, ſcilicet, quia valor operum Chriſti transfertur in iuſtos, iam facile ſuadetur. In primis quia alias valore Chriſti transfuſo meremur infinitum, cum is valor Chriſti infinitus ſit, vt demeritum originale eſt infinitum, quia peccatum transfuſum Adami eſt infinitum. Item nihil agentes moraliter poſſemus in Chriſto Capite mereri, ſicut nihil agentes moraliter, demeruimus in Adamo. Siquidem per te meritum operum Chriſti formaliter transfunditur in membra, ſicut demeritum Adami in eius Poſteros transfuſum eſt. Deinde à priori; Non poteſt valor condignus transfundi in iuſtos, quin transfundatur etiam iuſtitia, & ſanctitas Chriſti, quæ eſſentialiter talem valorem conſtituit. At quamuis affectus honeſti Chriſti poſſint formaliter in iuſtos transfundi, iuſtique poſſint formaliter eſſe diligentes Deum dilectione Chriſti, vt poſteri Adæ fuerunt inobedientes inobedientia Adæ, tamen non poteſt in iuſtos transfundi ſanctitas, & iuſtitia Chriſti, vt ea ſanctitate, atque iuſtitia reddantur formaliter ſancti, & iuſti; quod numero ſuperiori probabamus. Ergo valor condignus operum Chriſti non poteſt in iuſto formaliter transfundi.

43. Vnde obiter colliges. Primò aduerſus nonnullos Recentiores, (liceat ſemel breuis excuſſio,) poſſe noſtras voluntates in voluntatem Chriſti transferri, vt in Adami voluntatem tranſlatæ ſunt, quin inde nos mereamur infinitum. Nam in actu meritorio alius eſt valor proueniens à bonitate operis, alius valor proueniens à dignitate perſonæ; quorum primus in Chriſto finitus eſt, ſecundus verò infinitus. At licet ex Chriſto poſſit transfundi in iuſtos primus valor proueniens ex bonitate operis; tamen transfundi non poteſt ſecundus proueniens ex dignitate perſonæ, vt ipſa perſonæ dignitas transfundi non poteſt, eſſent aliter omnes homines Deus, & filius naturalis Dei; quod incredibile eſt. Ergo quamquam omnes hominum voluntates transferantur in voluntatem Chriſti, non merebuntur homines infinitum, ſed finitum; nempe ſola bonitate finita operis, quæ transfunderetur, non dignitate infinita perſonæ, quæ non poſſet transfundi. Colliges ſecundò, quare merente Adamo de condigno pœnam æternam, poſſit in eius Poſteros meritum condignum pœnæ propagari: merente autem de condigno gloriam non poſſit propagari condignum meritum gloriæ. Scilicet, quia vt aliquis reddatur formaliter merens de condigno gloriam merito condigno alterius, non ſufficit, quod affectu honeſto alterius conſtituatur moraliter bonus, ſed etiam requiritur, quod alterius ſanctitate fiat formaliter ſanctus, & iuſtus; quippe dignitas perſonæ conſtituit eſſentialiter valorem condignum operis. At licet affectu obedientiæ Adami poſſint eius Poſteri reddi formaliter obedientes, quia ponimus transferri voluntates poſterorum in voluntatem Adami, non ſolum in ordine

Collectio prima.

Collectio ſecunda.

Digitized by Google

ad affectum moraliter malum, ſed etiam moraliter bonum, de quo tractatu de peccato originali; tamen ſanctitate habituali Adami non poſſunt fieri formaliter ſancti, & iuſti, quia ſanctitas, & iuſtitia habitualis non eſt forma moralis, ſicut affectus moralis voluntatis, quæ poſſit ab vno in alios diffundi abſque vnione phyſica; ſicut neque charitate habituali Adami poſſunt Poſteri conſtitui formaliter potentes efficere actum charitatis, quia hic effectus formalis phyſicus eſt, & non moralis. Item à poſteriori, quia incredibile apparet, vnius Adami meritum continere condignitatem ad gradus gratiæ, & gloriæ ſyncathegorematicè infinitos, qui hominibus ſyncathegorematicè infinitis poſſint diffundi. Id autem in demerito non ſit incredibile; cum peccatum contineat grauitatem iniuriæ, ſaltem ſecundum quid infinitam: obedientia vero Adami bonitate infinita deſtituta ſit.

Collectio tertia.

44. Colliges tertiò: transferente Deo voluntates poſterorum in voluntatem Adami in ordine ad obedientiam legis, vt obedientia Adami moraliter reputaretur obedientia Poſterorum, ſicut modo inobedientia reputatur, poſſe ab Adamo in poſteros aliquale meritum de congruo transfundi. Nam congruitas meriti ineſt operi ſupernaturali moraliter bono, ſeorſim à dignitate perſonæ. Ergo ſi poteſt transfundi bonitas moralis operis, poterit etiam transfundi moralis congruitas meriti; quæ talis bonitatis affectio eſt. Item libertas ſufficiens ad peccatum mortale, ſufficit ad aliquod meritum gratiæ, vt tractatu de merito explicui. Libertas autem capitis ſufficit ad peccatum mortale originale. Ergo etiam ſufficiet ad meritum aliquod originale Poſterorum. Dixi poſſe ab Adamo in poſteros aliquod meritum de congruo transfundi; quia ex perfectione, qua ipſum caput eo affectu mereretur, transfundi meritum non poſſet; Cum neque libertas eadem perfectione Poſteris conueniat. Explico: dilectione efficaci charitatis impetraret Adamus gratiam, quod dilectio perſonalis in capite repugnaret cum affectu actuali peccandi. Dilectio originalis autem in membris non repugnaret cum affectu actuali peccandi. Item Adamus diligens perſonaliter Deum eſſet dignus laude. Non ita Poſteri diligentes originaliter. Igitur poſteri non mererentur de congruo eâ perfectione, qua Caput. Ideo etiam demeritum, inæqualiter competit membris, & Capiti. Nam ratione peccati originalis Adamus dignus fuit vituperio, & pænâ ſenſus; quo ſupplicio eius Poſteri digni non ſunt.

Collectio quarta.

Vnde colliges quartò; licet dilectio charitatis eſſet forma ſanctificans Adamum, eâque ratione ſeorſim à ſanctitate habituali de condigno meritoria, non eſſet propterea ſanctificans Poſteros, neque ad præmium gloriæ iure dignificans. Nam maxima eſt inæqualitas, qua dilectio efficax charitatis afficeret Adamum, & Poſteros; immò verè comparatione Adami eſſet efficax, in quo nullum affectum peccati grauis ſecum admitteret; ad omnemque legis naturalis, atque ſupernaturalis obſeruantiam obligaret. Comparatione Poſterorum verò eſſet inefficax, in quibus affectus actualis peccandi, & actualis violatio legis poſſet cum dilectione Capitis componi. Ergo quamquam tali dilectione eſſet Adamus, ſeorſim ab alio dono ſanctus, & dignus præmio gloriæ, non eſſent Poſteri æquali ratione ſancti, & digni. Hæc quę nunc ſimul, & breuiter propoſuimus, ſeorſim alibi & vberius explanabimus.

Bellarminus explicat æqualitatem proportionis.

45. Vt igitur eo, vnde digreſſi ſumus, reuertamur, Illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus lib. 5. de Iuſtificat. cap. 18. ad 4. condignitatem proportionis exponit eſſe aptitudinem, diſpoſitionis propriam, qua homo aptus, riteque diſpoſitus efficitur ad ſupernaturalia munera ſuſcipienda. Itaque vt in moralibus, atque naturalibus plerumque aptatur, atque diſponitur ſubiectum ad dignitatem aliquam, & formam per qualitates ignobiliores ipſa dignitate, & forma. V. g. qui doctrina, & bonis moribus præditus eſt, & pro Eccleſia aliquandiu laborauit, dignus Epiſcopatu iudicatur, quamuis abſolutè dignitas Epiſcopalis ampliſſima ſit, & nullo pretio comparabilis; Item calor reddit ſubiectum aptum, & dignum, cui ex iuſtitia quadam naturali forma ſubſtantialis ignis, quamquam calore præſtantior, debeatur. Sic dilectio Dei, laborum patientia, & frequentia pietatis officia hominem ritè diſpoſitum, ac dignum conſtituunt, qui præmio gloriæ coronetur, quamuis præmium gloriæ excellentiſſimum ſit, longeque excedens mathematicè omnem valorem noſtrorum operum. Hic opinandi modus rectè quidem explicat quomodo poſſint merita hominem reddere aptum, ſiue dignum præmio, quamuis præmium ſuperius ſit ſecundum æqualitatem rei ad rem valore meritorum. Etenim verum eſt in genere phyſico, non ſolum formam eſſe dignam, cui imperfectiores proprietates tribuantur, ſed etiam diſpoſitionem vltimam ignobiliorem forma, aut ſubiectum ratione diſpoſitionis vltimæ dignum eſſe, cui nobilior forma concedatur, iuſque naturale fundare cui vis inferetur, ſi negetur. Atque ita pari ratione in genere moris poſſe merita inferiora præmia, ius morale diſpoſitionis proprium, ſiue æqualitatem proportionis conferre, cui iniuria fiet, ſi negetur præmium. Cæterum ne hac ratione merita naturalia arrogent ſibi dignitatem ad præmium ſupernaturale, merita vero ſupernaturalia finita vendicent, nihilominus præmium æſtimatione infinitum, modoque aliquo definiantur termini, intra quos contineatur latitudo proportionis meriti cum præmio. Addenda his eſt explicatio condignitatis proportionis, quam S. Thomas in 2. d. 27. q. 1. art. 3. corpore poſuit his verbis: *Secundum æqualitatem proportionis ex condigno meremur vitam æternam. Attenditur enim æqualitas proportionis, quando æqualiter ſe habet hoc ad illud, ſicut alius ad alterum. Non autem maius eſt Deo vitam æternam tribuere, quam nobis actum virtutis exhibere; ſed ſicut hoc congruit huic, ita illud illi. Et ideo quadam proportionis*

S. Thomas addendus Bellarmino.

Digitized by Google

æqualitas inuenitur inter Deum præmiantem, & hominem merentem. Dum tamen præmium referatur ad idem genus, in quo eſt meritum; vt ſi præmium eſt quod omnem facultatem naturæ excedit, ſicut vita æterna, meritum etiam ſit per talem actum, in quo refulgeat bonum illius habitus, qui diuinitus infunditur.

Concluditur proportionis æqualitas.

46. Itaque æqualitas iſta proportionis ex S. Thoma ſic metienda eſt. Primò, facta comparatione inter merentem, & præmiantem poteſt eſſe pręmium æſtimatione ſuperius merito, quia præmians etiam merente ſuperior eſt. Decet enim præmiantem iuxta maieſtatem ſuam obſequia muneribus compenſare. Nota eſt Alexandri vetus Hiſtoria qui cum Poëtæ ni fallor, propter compoſitum carmen ingentem pecuniæ ſummam iuſſiſſet dari, iſque reſpondiſſet, *nimium hoc eſt Poeta*, ſubiecit; *At Alexandro non eſt nimium.* Atque ita præmium gratiæ, & gloriæ, poteſt eſſe condignum meritis iuſtorum, quamuis valorem meritorum æſtimatione vincat. Ne tamen ſic exceſſus præmij intra condignitatem meriti ſine limite creſcat, vt exceſſus Dei præmiantis abſque limite creſcit ſupra iuſtum merentem, duobus terminis, altero extrinſeco, altero intrinſeco limitatur. Secundò enim facta comparatione præmij cum præmiante, ac ſimul meriti cum merente, non debet eſſe præmium ſuperius facultate morali præmiantis, quam eſt meritum morali facultate merentis. Eſt autem facultas moralis præmiantis, dominium ſuorum bonorum, iuſtaque, ac recta diſpenſatio illorum; merentis vero facultas eſt poteſtas, ac debitum obſequiorum, quæ poteſt, ac tenetur exhibere ſuperiori. Qua ratione non eſt ſuperius Deo vitam æternam tribuere, quam iuſto obſequium virtutis exhibere: eſſet tamen ſuperius, ſi cuilibet iuſto merenti viſionem infinitè intenſam (quam pone poſſibilem) nec non vnionem hypoſtaticam tribueret, omneſque iuſti eſſent ſuis meritis infinitè beati, ac Deus. Quod ex terminis eſſet nimia quædam diuinitatis, ac bonorum ſupernaturalium profuſio. Tertiò facta comparatione inter meritum & præmium, opus eſt, vt vtrumque ad idem genus, eundemque ordinem pertineat. Quapropter ait S. Thomas, ſi præmium ſupernaturale eſt, meritum quoque debere eſſe ſupernaturale. Etenim ad meritum opus eſt, vt intuitu illius diſpenſetur præmium: quare neceſſarium eſt vt aliqua, vel exigua exigentia intrinſeca præcedat in merito, qua Deus moueatur ad retribuendum præmium: alias poſſet mereri homo præmium per opera neceſſario elicita, aut per opera libera indifferentia: quandoquidem nulla connexio, aut exigentia præmij requiſita eſt ad merendum præmium. At opera naturalia nullam connexionem, aut exigentiam tranſcendentem, & intrinſecam habent ad præmium intrinſecè ſupernaturale, vt diſputatione præcedenti expoſuimus. Ergo cum præmium ſupernaturale eſt, proportio, & æqualitas meriti cum præmio exigit, vt meritum quoque ſit intrinſecè ſupernaturale. Eadem proportione præmium infinitum non poteſt eſſe debita remuneratio meriti finiti, quando infinitudo præmij excedit ſtatum principij merentis, eiuſque generis eſt, ad quod infinitudinis genus principium merens non pertineat. Nam æqua proportio neceſſaria eſt inter præmium, & meritum in eſſe infinito ac in eſſe ſupernaturali; ſiquidem finitum, & infinitum explicatum ad genus diuerſum attinent, præſertim in eſſe morali, ſicut naturale, & ſupernaturale. Ergo vt meritum ſupernaturale deſideratur ad ſupernaturale præmium, ſic & meritum infinitum ad præmium infinitum. Quare non poteſt iuſtus mereri de condigno vnionem hypoſtaticam cum infinita ſanctitate verbi, connaturaliter ac perpetuo durantem; item nec viſionem beantem intenſione, ac duratione infinitam, quia præmium ea infinitudine excedit meritum, ad quam principium merens non ſpectat.

47. Cæterum poteſt iuſtus obſequijs ſupernaturalibus dignus fieri, qui præmio ſola duratione infinito, remuneretur. Nam hoc infinitudinis genus non eſt extra ſtatum, & conditionem principij merentis. Primò, quia principium merens eſt animus rationalis, qui ſuapte conditione immortalis eſt; atque adeo ex hac parte proportionem habet ad pręmium immortale. Pręſertim cum pręmium egregijs meritis, & obſequijs proportionatum, eius ſępius generis ſit, quod merentem in fœlici aliquo viuendi ſtatu conſtituat. Eo enim ſudores, eo diſcrimina militum deſtinantur, vt remunerati à Republica, aut Principe obtineant aliquid, quo deinceps pacate, & fœliciter viuant: quare ſæpe facinora vnius diei compenſantur à Republica, & Rege, redditibus, & fortunis perpetuis, non ſolum pro vita ipſius merentis, ſed etiam omnium deſcendentium ab ipſo. Status autem viuendi animo rationali immortalis eſt. Ergo pręmium illi proportionatum eſſe poteſt immortale. Vnde crediderim non ſolum merita ſupernaturalia fœlicitate ſupernaturali æterna, verum etiam & naturalia poſſe à Deo compenſari æternitate fœlicitatis naturalis. Secundò, quia principium merens de condigno eſt filius adoptiuus Dei, ſiue gratia habitualis accepta ad hęreditatem glorię, ideoque pręmium meritis reſpondens non eſt prima gloria, quę titulo hæreditatis decreta iam eſt, ſed augmentum illius, vt tractatu de merito oſtendi: At prima gloria prędecreta filijs titulo hęreditatis eſt æterna; idque ſtatus filij omnino exigit; vt hęreditas ei non ſolum pro tempore determinato competat, ſed pro tota vita, quę ſecundum animum cui gratia inhęret, æterna eſt. Ergo etiam augmentum glorię, quod titulo meriti decernitur vt corona, poteſt eſſe ęternum. Quandoquidem ante coronam pręſupponitur ex parte merentis filiatio, & hęreditas, quę in ęternitatis ordine conſtituta ſunt. Neque refert gratiam habitualem ſuapte natura non inducere debitum talis filiationis, & hæreditatis æternæ, ſed nouo fauore Dei, opus eſſe gratia habituali ad talem acceptationem. Nam factâ à Deo eâ gratiâ acceptationis, relinquitur merens in ordine ſupernaturali conti-

Digitized by Google

nenti infinitudinem extenſiuam durationis, ac proinde ſufficienter proportionatus, cui ex natura rei poſſit promitti corona, augmentum æternum talis hæreditatis, ac filiationis; cum tale augmentum non pertineat ad nouum genus infinitudinis, ad quod prior merentis ſtatus non pertineret.

Confirmatur noſtra explicatio. 48. Confirmatur hæc proportio explicata à S.Thoma ex meritis ciuilibus ſola proportione æqualibus præmio. Ad illa enim primo attenditur magnitudo præmiantis, iuxta quam augeſcit, ac decreſcit præmium etiam ex iuſtitia propoſitum. Eidem enim operi, eiſdemquè publicè certantibus maiora præmia proponuntur à Republica opulentiſſima, aut Principe Auguſtiſſimo, quam à Republica, aut Principe infimæ nobilitatis, & conditionis. Quare non abſolutè iuxta pretium meriti, ſed reſpectiuè iuxta conditionem præmiantis iuſtum præmium decernitur. Secundo conſideratur, ne præmium maius ſit comparatione præmiantis, quam obſequium comparatione merentis. Immerito enim proponeret Princeps dimidiam partem Regni, aut vnius vrbis dominium victoribus in certamine equeſtri, aut Poetico; quia maius eſt tale præmium comparatione Principis, quam Poema, aut curſus equeſtris comparatione certantis. Tertio ſuo modo confertur genus præmij cum genere meriti. Neque enim ſeruus poteſt ſuis obſequijs, mereri hæreditatem filij, neque miles litterarum præmia, Cathedras, & Magiſtratus, neque litteratus armorum coronas, & imperia. Igitur collationes factæ à D.Thoma ad eruendum proportionem æqualem meriti cum præmio, æquiſſimæ ſunt.

SECTIO DECIMA.

Explicantur plenius præterita aliqua dubitationibus enodatis.

Prima dubitatio. 49. PLura aduerſus præcedentia occurrent, quibus forſan ſequentibus dubitationibus occurremus. Prima eſt. Vnde ſciendum eſt, collatis mutuò ſubdito merente cum ſuperiore præmiante, meritoque cum premio præmium non eſſe maius premianti, quam obſequium merenti. Nam ſi conferamus præmium diſpenſatum à Deo pro actu religionis cum præmio diſpenſato pro actu iuſtitiæ, non videtur reſpectiue maius vnum præmium, quam aliud: atque adeò ſi prouidiſſet Deus actui iuſtitiæ præmium, quod actui religionis prouidit, non retribuiſſet Deus præmium, quod Deo eſſet ſuperius, quam homini eſt obſequium iuſtitiæ. Nihilominus tamen condignitate proportionis diſtribuit Deus obſequio religionis maius præmium, quam obſequio iuſtitiæ. Ergo ſuperior explicatio diminuta eſt.

Explicatio. Reſpondeo. Semper proportionis æqualitas difficile exponitur. Poteſt quidem terminis extrinſecis, ad quos peruenire non poteſt, definiri. Terminis intrinſecis vero omnino conſtantibus, ac fixis repugnat, cum ſemper ſit capax ſuſcipiendi magis, & minus. Ideo in qualibet re intrinſeci termini iudicio prudentis, aut artificis peritiæ relinquuntur. Nos extrinſecos terminos duntaxat explicuimus, quare ſcilicet præmium excedens æqualitate abſoluta meritum, non poſſit eſſe æqualitate reſpectiua, & proportionis ſupernaturale comparatione meriti naturalis, & omnino infinitum comparatione meriti finiti. Quod noſtro inſtituto congruebat. In qua autem determinata proportione æquale ſit præmium ſupernaturale finitum, comparatione cuiuſcumque meriti ſupernaturalis finiti, quis terminis intrinſecis omnino conſtantibus definiat? Quis id diuino iudicio æquiſſimo cuiuſlibet pretij examini non relinquat? Duo poſſunt conſtantia haberi. Alterum proportione maioris, ſeu perfectioris meriti, maius quoque æqualiter præmium diſponi. Alterum ex ijs, quæ in tota latitudine iuſtæ proportionis diſponi poſſunt, non inferiora, ſed ſuperiora, quin & ſuprema noſtris meritis eſſe diſpoſita. Nam frequentibus ſacrorum ſcriptorum præconijs ea præmia iuxta cuiuſque opera iuſti diſpenſantur, tantoque commendato amore, ac largitate diſpenſantis, vt intra iuſtæ remunerationis metas facile credi poſſit, ſuperiores, ac ſupremas attigiſſe.

50. Secunda dubitatio; Qua ratione proportiones explicatas merentis cum præmiante, meritique cum præmio ad diſpenſationem præmij mutuo conferre opus ſit; cum diſtributio præmiorum fiat à Deo ex iuſtitia commutatiua, quæ reſpicit æqualitatem arithmeticam rei ad rem; non verò ex iuſtitia diſtributiua, quę reſpicit æqualitatem geometricam proportionis. Dubitatio ſecunda. Reſpondeo. Verum eſt, Deum ex iuſtitia ſtricta obligante poteſtatem moralem ordinariam, non verò obligante poteſtatem abſolutam diſpenſare iuſtorum meritis præmia; item hanc iuſtitiam non eſſe diſtributiuam, ſed commutatiuam: Quæ fuſe tractatu de merito expoſui. At iuſtitia commutatiua, & diſtributiua non diſtinguuntur ex proportione dati, & accepti, aut accipientis, & dantis, quam poteſt reſpicere iuſtitia commutatiua, ſed ex proportione perſonarum accipientium cum mutuo ordine, & reſpectu ipſarum, quam ſola reſpicit diſtributiua. Itaque iuſtitia commutatiua dirigit commutationes bonorum, quæ contractibus fieri ſolent, expectando ſolum ęqualitatem abſolutam, aut reſpectiuam rei ad rem, dati & accepti, aut etiam dantis, & accipientis, independenter omnino à conditione, & dignitate alterius perſonæ accipientis proportione arithmetica. Diſtributiua vero dirigit diſtributiones bonorum pluribus communium, iuxta conditionem, & dignitatem perſonarum accipientium proportione geometrica, itaut ea ſit æqualitas, & proportio in bonis, vnicuique diſtributis, quæ eſt in perſonis, quibus diſtribuuntur, conferendo cuilibet bona cum reſpectu, & ordine ad alias perſonas. Iuſtitia ergo commutatiua per ſe ſolum ſpectat ęqualitatem, ſiue abſolutam, ſiue proportionis inter datum, & acceptum; dantemque & accipientem ſeor-

Reſolutio. Quid iuſtitia commutatiua, & diſtributiua.

Digitized by Google

ſim ab alijs accipientibus perſonis. Diſtributiua vero inter proportionem, & proportionem; itaut ea ſit æqualitas inter res, quæ diſtribuuntur, quæ eſt inter perſonas, quibus fit diſtributio: cum ea dependentia mutua, vt vna perſona plus accipiat bonorum, quia alteri minus debitum eſt, acceptura eadem perſona minus, ſi alteri plus deberetur; ſimiliterque alia perſona accipiat minus, quia alteri plus debitum eſt, eadem acceptura magis, ſi alteri deberetur minus. Quod iuſtitia commutatiua non ſeruat, quamuis interdum pluribus perſonis ſtipendium, aut mercedem pro cuiuſque merito, aut labore diſtribuat. Exemplo illuſtremus rem, ſint quatuordecim aurei diſtribuendi inter tres Scholaſticos ſecundum proportionem doctrinæ eorum; inter quos primus ſit duplo doctior ſecundo, & ſecũdus duplo doctior tertio. In eo ſanè caſu primo Scholaſtico debentur octo aurei, ſecundo quatuor, tertio duo; nam vt in prioribus comparatione poſteriorum eſt dupla proportio doctrinæ, ſic eſſe debet dupla proportio præmij. Eo tamen reſpectu vnius ad alium, ſine dependentia vnius ab alio, vt ideo primus accipit octo aureos, quia eo ſunt tanto indoctiores alij, minus quidem accepturus, ſi alij eſſent doctiores, licet ipſe æquè eſſet doctus, ac modo eſt. Conſentienter alij accipient minus, quam primus, quia hic eſt ipſis doctior, accepturi magis, ſi minus doctus eſſet, etiamſi ipſi non eſſent doctiores, quam modo ſunt. En quomodo iuſtitia diſtributiua reſpiciat æqualitatem proportionis inter perſonas accipientes bona, quæ pluribus diſtribuuntur. Cæterum laborent in eadem vinea varij operarij, reportantes pro inæqualitate laboris inæqualem mercedem, alius alio maiorem. Tunc quidem in ſoluenda mercede plus datur plus laboranti, ſine vllo tamen reſpectu ad reliquos operarios; neque enim ideo vnus accipit magis, quia alius minus laborauit, & accepit, neque minus accepiſſet, quamuis alij plus laboraſſent. En quomodo iuſtitia commutatiua conſtituat æqualitatem inter laborem, & mercedem plurium perſonarum, ſine ordine vnius ad aliam; nullam quidem proportionem reſpiciens perſonarum accipientium. Sed proportionem dati, & accepti; & interdum etiam accipientis, & dantis, vt contingit in præmijs inæqualibus, quæ nobilibus, & plebeis à Principibus inæqualiter illuſtribus & opulentis eidem labori, aut operi publicis certaminibus proponuntur; contingeretque compenſanti laborem vineæ, ſi pactus fuiſſet maiorem mercedem ſoluere eis, qui alias melioris conditionis, maiorisque dignitatis eſſent.

Illuſtratur.

Deus remunerat merita ex ſola iuſtitia commutatiua.

51. Æqualitas proportionis autem, quam ſuperioribus diximus, ſeruari à Deo remunerante merita humana, non inter perſonas merentes, ſed inter merentem, & præmiantem, meritumque & præmium verſatur, ſeorſim omnino à reſpectu, quem habet Deus ad Petrum, vt compenſet muneribus cæleſtibus Franciſcum. Vnde ſolum de æqualitate iuſtitię commutatiuæ, non de æqualitate iuſtitiæ diſtributiuæ diſſertum eſt. Porrò ex nuper expoſitis facile deprehenditur nullam Deum iuſtitiæ diſtributiuæ, propriæ, atque ſtrictæ rationem habere in diſtributione præmiorum. Etenim ad iuſtitiam diſtributiuam ſtrictam, ac propriam opus eſt, vt Deus largiatur hominibus gratiam & gloriam cum mutuo reſpectu, ac dependentia vnius ab alio, itaut Petrus accipiat amplius, quia Franciſcus accepit minus, accepturus minus Petrus, ſi Franciſcus accepiſſet amplius. Deus autem non largitur iuſtis præmium cum hac proportione & reſpectu mutuo. Quandoquidem eiſdem gradibus gratię & gloriæ, referret merita Petri, quamuis Franciſcus, alijque beati plus, minuſue accepiſſent. Quamquam nihilominus aliquam rationem iuſtitiæ diſtributiuæ impropriam, & iuſtitiæ commutatiuæ communem negari Deo non poſſit; quatenus refert pluribus præmia iuxta proportionem dignitatis merentium, alijs plus, alijs minus pro inæqualitate meritorum. Quam ſolam iuſtitiæ diſtributiuæ rationem intendiſſe credo S. Thomam ſupra & 1.p.q.21. art 1. pluresque alios priſcorum Theologorum.

S. Thomas.

Nihil ob merita Chriſti diſpenſatur iuſtis ex iuſtitia diſtributiua.

52. Hic tamen duo aſſerta volo. Primum contra nonnullos recentiores non ſolum munera, quæ Deus refert iuſtis iuxta omnem condignitatem ſuorum meritorum, verum neque ea (ſi quę ſunt) quę Deus largitur ob ſola Chriſti merita vltra omnem condignitatem etiam proportionis iuſtorum, diſpenſari à Deo ex iuſtitia diſtributiua ſtricta. Res eſt clara. Quoniam neque ea munera diſtribuuntur iuſtis cum eo reſpectu, ac dependentia mutua, quam anterioribus explicuimus. Vnde non refert ſpolia victoriæ diuidi inter milites ex iuſtitia diſtributiua; hæc autem munera eſſe veluti ſpolia communia paſſionis Chriſti. Nam militibus diuiduntur ſpolia victoriæ, in quæ ius habent, iuxta vniuſcuiuſque dignitatem cum mutuo reſpectu vnius ad alium, quem ſuperioribus explicuimus; cæleſtia tamen bona etiam ob merita Chriſti non ita diſpenſantur, vt ex eis plus vni beatorum diſtribuatur, quia alijs diſtribuitur minus. Atque ita ea munera aut liberaliter volente Deo ob merita Chriſti largiri, aut ex iure commutatiuo particulari Chriſti obligante Deum, aut ex iure commutatiuo iuſtorum tranſlato per Chriſtum, non autem ex iure aliquo communitatis Ciuium ſupernorum. Vnumque iuxta ſuam dignitatem diſponuntur. Secundo aſſertum volo contra P. Azor tom. 1. inſtit. moral. lib. 1. cap. 10. q. 3. & alios quamquam de facto Deus non dirigat diſtributionem præmiorum legibus iuſtitiæ diſtributiuæ, propriam tamen illius rationem nulla ratione Deo repugnare, vbi ei non repugnet iuſtitia commutatiua. Nam Deo non repugnat diſtribuere bona hominum communitati propoſita cum eo reſpectu vnius ad alium, vt plus eorum bonorum vnus accipiat, quia alius accepit minus, accepturus idem plus, ſi minus alius accepiſſet. Quid enim prohibet Deum ea ratione bona cæleſtia communia proponere, vt inter beatos tot determinati gradus gloriæ, & non plures diuidantur iuxta cuiuſque dignita-

P. Azor.

Non repugnat Deo iuſtitia diſtributiua.

Digitized by Google

tem cum dependentia vnius ab alio ad maiorem, vel minorem portionem, ſeu intenſionem gloriæ accipiendam. Aliunde ius diſtributiuum non magis repugnat Dominio diuino; quàm ius commutatiuum, quod nunc ponimus conuenire Deo. Ergo iuſtitia diſtributiua ex ſe minimè repugnat Deo.

SECTIO VNDECIMA.

An meritum ſit operibus ſupernaturalibus intrinſecum?

Tertia dubitatio.

53. DVbitatur tertio: An meritum condignum vitæ æternæ, intrinſecum ſit operibus ſupernaturalibus procedentibus à iuſto, ſeorſim à promiſſione, aut acceptatione voluntaria Dei? Nam ſi eis extrinſecum eſt, cur naturalia etiam opera non poſſunt ex libito Dei eamdem meriti rationem obtinere? Si eſt intrinſecum; ergo minori præmio non poterant digne compenſari; ac proinde non proportione, ſed mathematicè erunt præmio vitæ æternæ condigna. Acriter certatur hac de re inter P. Vaſquez 1.2. diſp. 214. & P. Suarez tom. 3. de gratia lib. 12. c. 17. & alios ſcriptores huius temporis. Mea opinione diſſidium omnium mere vocale eſt. De re quidem mihi conſtant. Primò. Deum non poſſe referre præmium obligatum ex iuſtitia aut fidelitate independenter à ſuo verbo. Nam opera noſtra exiſtentia poteſt Deus ſi velit irremunerata relinquere. Item ſecundò, ſeorſim à promiſſione, aut lege Dei non poſſe opera humana determinatè in præmium vitæ æternę referri etiam in actu primo æquali. Quandoquidem ex ſe minori præmio poſſunt compenſari dignè, determinatioquè ad tale præmium ex ſolo beneplacito diuino dependet. Tertio. Dignitatem proportionis ex ſe indifferentem ad præmium vitæ æternæ, & aliud inferius ante omnem legem Dei, & promiſſionem noſtris operibus procedentibus à gratia intrinſecam eſſe, neque potuiſſe à Deo ad tale, vel tale præmium acceptari, niſi præcederet intrinſeca aptitudo, vt poſſet Deus in tale præmium, vel aliud referre. Nam vt vidimus ex parte ipſius merentis, ſeorſim à præmiante requiſitæ ſunt plures perfectionis conditiones, ſine quibus talis dignitas non competeret, vt opus eſſe ſupernaturale, eſſe ex principio immortali, & filio Dei, & aliæ ſimiles, vt ea ratione, non donatione gratuita, ſed intuitu, & motione noſtrorum meritorum decernatur præmium.

P. Vaſquez. P. Suarez.

Cõtrouerſia eſt de voce.

54. Hinc ſi nomine meriti intelligatur noſtrum opus, vt inducens ius aliquod in gloriam, & obligationem ex parte Dei ad conferendum præmium, à nullo Theologorum negari poteſt, rationem meriti conuenientem noſtris operibus elicitis ex gratia exigere aliquam legem volitionis diuinæ. Ita intelligunt meritum vendicans decretum liberum voluntatis diuinæ P. Suarez ſup. P. Ægidius 1.2. diſp. 8. dub. 4. P. Raguſa in 3. p. diſp. 10. § 2. P. Granadus 1.2. controu. 8. de gratia diſp. 3. ſect. 1. Zumel 1.2. q. 114. art. 1. diſp. 1. diff. 2. Lorca diſp. 43. Philippus Faber in Scotum lib. 3. diſp. 42. c. 2. & 3. Item. S. Thomas, Bonauentura, Conradus, Hoſius, Bellarminus, Medina, & alij ab ipſis adducti. Identidem ſi meritum vitæ æternæ intelligas noſtrum opus in actu primo condignum eo determinato præmio, æqualitate proportionis proxima & determinata ad illud, noſtra quidem ſentẽtia ſuppoſita neceſſario dicendũ eſt egere opus noſtrum ad rationẽ meriti promiſſione & acceptatione diuina Qua ratione meritũ proueniens ab acceptatione diuina ſumere exiſtimo Scotum in 1. diſt. 17. q. 1. ſup. Greg. q. 1. art. 2. Ochamum q. 2. Gabrielem, & Baſſolem ſup. alioſque num. 9. relatos. Si verò meriti voce, ſolum ſignificetur condignitas operis in actu primo, vt à Deo acceptetur in præmium, pręſcindendo à condignitate quãtitatis, & proportionis determinata, & indifferenti, certum eſt, rationem meriti ante diuinam acceptationem operibus conuenire. In hoc ſenſu meritum independens omnino à verbo, & lege Dei accipiunt P. Vaſquez ſup. P. Turrianus opuſc. 8. diſp. 1. dub. 3. & 2. 2. diſp. 70. dub. 2. P. Moncæus diſput. 12. cap. 10. & Capreolus, Richardus, Romæus, & alij ab eiſdem adducti. Igitur controuerſia eo tantum deuoluitur: An meriti vocabulo opus noſtrum procedens à gratia auxiliante, atque ſanctificante, ſignificetur, vt obligans Deum? an ſolum vt æquale hac, vel illa æqualitate præmiò determinato gloriæ? Quæ contentio prorſus vocalis eſt.

P. Suarez. P. Ægidius. P. Raguſa. P. Granadus. Zumel. Faber. S. Thomas. Bonauentura. Conradus. Hoſius. Bellarminus. Medina.

Scotus. Ochamus. Gabriel. Baſſolis.

P. Vaſquez. P. Turrianus. P. Moncæus. Capreolus. Richardus. Romæus.

Tollitur æquiuocatio diſtinctione.

55. Ideo conſultius recentiores æquiuocationem diſtinctione tollunt, dicentes, meritum in actu primo, aut meritum quoad ſufficientiam, aut meritum remotum (quæ omnia idem exprimunt) eſſe independens à promiſſione diuina. Meritum verò in actu ſecundo, aut meritum quoad efficaciam, & proximum, à diuina promiſſione, & acceptatione pendere. Nec bene indignantur alij contra iſtam diſtinctionem, quod ſemper maneat controuerſia, quid ſimpliciter nomine meriti ſignificetur? An meritum quoad ſufficientiam, & in actu primo tantum? An rurſus meritum quoad obligationem, quoad efficaciam, & in actu ſecundo? Nam cum differentium controuerſia ad ſolas voces reuocatur, diuerſi diuerſa eiſdem vocibus ſimpliciter ſignificant, aut vocibus diuerſis idem; cum enim vocum ſignificatio ab vtentium libito pendeat, quod volunt, poſſunt ſuis vocibus denotare. Ideo æquiuocatio diſtinctione tollenda eſt. Cæterum cum abſque diſtinctione loquendum eſt, ſtandum grauiorum, ac maioris partis conſuetudini. Quæ in re præſenti ea eſt, quæ vocabulo meriti obligationem Dei, & eius efficaciam comprehendit. Quippe eam ſequitur S. Thomas, cum Thomiſtis, Scotus cum Scotiſtis, Ochamus & Gabriel cum Nominalibus. Quibus accedit Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 16. ibi. *Tanta eſt Dei erga nos homines bonitas, vt eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona.* Commendans enim bonitatem Dei, quod ipſius dona, hoc eſt, opera elicita auxilio gratiæ voluerit eſſe merita

Quid abſolute dicendum.

Tridentinum.

Digitized by Google

noſtra, indicat potuiſſe Deum efficere, ſi vellet, vt hæc ipſius dona non eſſent merita noſtra, atque adeò opera auxilio gratiæ facta beneplacito Dei fieri meritoria. Item Concilium Moguntinum cap. 8. ibi *Iuſtorum opera ſunt digna remuneratione vitæ æternæ, quia Deus bene operantibus mercedem miſericorditer promiſit.* Quo loquendi modo non dicimus abſolutè meruiſſe Chriſtum Dæmonibus gratiam reconciliatricem; neque beatos ſibi augmentum gloriæ, quamuis Chriſti, & beatorum operibus non defuerit condignitas, & valor ad illud præmium; ſolum quia defuit ordinatio Dei ad illud. Conſequenter meritum condignum abſolutè dicitur meritum iuſtitiæ, & obligans. Meritum autem iuſtitiæ, & obligans comparatione Dei non poteſt eſſe independens à voluntate diuina. Quare tandem ratio meriti abſolutè erit partim intrinſeca, & partim extrinſeca operibus ſupernaturalibus. Quamquam condignitas remota, & in actu primo indifferenti poſſit dici adæquatè intrinſeca, vt dicebamus num. 38.

Concil. Mogunt.

Prima obiectio Patris Vaſquez.

56. Hoc pronuntiatum improbant Pater Vaſquez, & eius aſſeclæ ſupra. Primò; Quia promiſſio non inducit obligationem, niſi cognita, & acceptata ab eo, cui fit. Plures autem de facto condignè merentes ignorant promiſſionem præmij; aut eius non recordantur; aut poſſunt non acceptare, volentes Deo ſine remuneratione ſeruire. *Secunda.* Secundo: Quia in humanis merentur plures apud alios ſine promiſſione, vt filius apud Parentem, ſeruus apud Dominum, laborans in vinea alterius, tacente & permittente alio. *Tertia.* Tertio: Quia meritum condignum pœnę cōpetit peccato ſeorſim à comminatione pœnæ. *Quarta.* Quarto: Quia Chriſtus Dominus meruit condigne præmium infinitum. Tamen Chriſto non fuit promiſſum infinitum. *Quinta.* Quinto: Quia meritum reſpicit agens liberum, atque adeò non obligatum, & impotens ſua promiſſione denegare præmium. *Sexta.* Sexto denique, quia poteſt Deus allectus bonitate operis, & dignitate perſonæ conferre homini præmium adæquatum valori operis, quamuis nullum præceſſerit pactum de illo. Hoc autem præmium retribueretur merito condigno, & non congruo, cum præmium non excederet operis prætium. Promiſſio igitur antecedens, & obligatio Dei ſuperuacanea eſt ad rationem meriti ſimpliciter.

Omnes obiectiones vnica ſolutione diſſoluuntur.

57. Hæc fuſe, & eruditè diluunt P. Suares, P. Ægidius, & alij cum eis commemorati num. 54. Breuiter ego expediam conſentienter ad dicta. Primùm, omnia vnica ſolutione explicantur. Scilicet ſolum concludere, rationem meriti in actu primo ſufficienti eſſe independentem ab omni lege poſitiua exiſtenti Dei, antecedenti, aut conſequenti; ſecus vero rationem meriti in actu ſecundo, aut in actu primo determinato, & efficaci. Quæ vindicat connexionem infallibilem cum præmio. Hanc autem connexionem non habet opus meritorium ſecundum ſe, independenter à lege exiſtenti Dei antecedenti, aut conſequenti opus elicitum gratiæ. Nobis enim ſufficit lege conſequenti, opus gratiæ decerni præmium intuitu operis, vt tale opus abſolutè meritorium de condigno ſit. Cum opus illud ex ſe aptum ſit accedente promiſſione Dei, obligare ex iuſtitia, quamuis de facto non obliget, ſiquidem ponitur proportione æquale præmio, & aliunde accedit lex Dei inferens infallibiliter præmium intuitu obſequij exhibiti Deo. Quæ à merito de congruo aliena ſunt, vt conſtat ex diſput. antecedenti ſect. 1. & vberius conſtabit ex ſect. ſeq.

Seorſim reſpondetur ad primam. Hæb. 11.

58. Deinde ſingulis ſatisfacio. Ad primum, promiſſio Dei ſufficienter eſt nota fidelibus ex fide operantibus, iuxta illud Apoſtoli ad Hæb. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & quia inquirentibus ſe remunerator ſit.* Inſuper, vt omnes homines acquirant ius ad gloriam, ſufficit promiſſio facta Adamo, & ab eo acceptata vt capite, nomine totius generis humani. Validam enim eſſe obligationem ortam ex contractu vnius facto in fauorem alterius oſtendit, Couarruuias cum alijs in cap. *Quamuis pactum* p. 2. relect. § 4. à num. 2. de pact. in 6. & l. 2. tit. 16. lib. 5. nouæ collect. *Couarruuias.* Præſertim ſi aliorum voluntates in contrahentis voluntatem conuenirent, vel perſonali conuentione omnium, vel tranſlatione ſupremi Domini eorum, qui ius habet ad illud, vt contigit in Adamum. Quod ſi quis tali iuri cedat, ceſſio erit nulla, quia vbi decreuit Deus adultum meritis coronare, eo ipſo tamquam ſupremus Princeps reddit inualidam talem ceſſionem. Præterea non eſt opus, omnibus hominibus notitia, & acceptatione promiſſionis diuinæ, etiam facta ab alio, nomine totius vniuerſitatis humanæ. Nam promiſſio ſolum requiritur, vt bona ſupernaturalia, quæ ex ſe non ſunt debita, neque communia, fiant lege diuina communia. Vbi autem facta ſunt lege vniuerſali Dei communia, non eſt amplius deſiderandum, vt cadant ſub meritum, atque ius operantium cum ignorantia legis. V. g. Proponit Rex præmium currentibus in ſtadio. Currunt, & vincunt ignorantes talem promiſſionem. Nihilominus debetur præmium; quia iam lege Dei factum fuerat communitatis, ſiue commune. Demum à nobis non requiritur obligatio actualis iuſtitiæ ſtrictæ, atque adeo neque promiſſio; ſed aliqua lex, ſeu obligatio iuſtitiæ latæ, & legalis, antecedens, aut conſequens, qua æquale præmio opus de facto referatur in præmium, cum eoque infallibiliter connectatur.

Ad ſecundã.

59. Ad ſecundum: Neque homines, v. g. Filij apud Parentes, ſerui apud Dominos merentur abſolute præmium, niſi aliqua voluntas ſaltem implicita antecedat, aut ſuperueniant obſequia, referens illa cum aliqua connexione in præmium. Præterea diſcrimen eſt. Quia ſuperiores creati ex re accepta ſeorſim à ſua promiſſione poſſunt obligari ex iuſtitia. Deus autem ſupremus Dominus nihil poteſt accipere à creatura ſeorſim à ſua lege, & voluntate, quod ſuum non ſit. Item homines poſſunt abſque pacto implicito obligare ex iuſtitia alium ad mercedem æqualem æqualitate rei ad rem,

Digitized by Google

V. g. laborans in vinea. Domino ſolum tacente, & permittente: ſecus verò ad mercedem æqualem æqualitate proportionis, quæ vltimò, ac proximi Principis lege complectur. Præmium autem gloriæ æquale eſt operibus ſola æqualitate proportionis. Vltimò laborans in vinea aut tenetur laborare alio, quam mercedis titulo, vt ſeruus apud Dominum, & filius apud Parentem; & ſic laborans præter permiſſionem, & præceptum Domini, vendicat pactum ad contrahendum ius aduerſum Dominum; cum alias talis labor cenſeri poſſit acceptari à Domino exhibitus alijs titulis. Aut non tenetur alio, quam mercedis titulo laborare, neque rationabiliter credi poteſt eum alio quam mercedis titulo laborare; & ſic ſufficit permiſſio ad acquirendum ius contra Dominum vineæ. At creatura mille titulis eſt obligata obſequijs Dei. Ergo ſola permiſſio, & præceptum ſecluſo aliquo pacti genere non ſufficit ad ius contrahendum in Deum.

Ad tertiam. 60. Ad tertium; intereſt inter peccatum, & bonum opus: quod peccatum meretur pœnam condignitate mathematica, & rei ad rem; bonum opus verò præmium gloriæ ſola condignitate proportionis. Item peccator ratione culpæ non conſtituit Deum ſibi debitorem pœnæ infligendæ, ſed potius ſe conſtituit debitorem iudici pœnæ tolerandæ. Iuſtus verò ratione meriti Deum conſtituit ſibi debitorem retribuendæ gloriæ. Hoc autem debitum repugnat Deo independenter à ſua voluntate. Atque adeò licet ad demeritum non ſit neceſſaria comminatio pœnæ, tamen ad meritum erit neceſſaria promiſſio coronæ. Quid? damnatos peccatis inter ſupplicia inferorum perpetratis non mereri abſolutè nouam pœnam, ſolum quia Deus talem pœnam eis peccatis non præſcripſit? Igitur etiam ad actuale meritum pœnæ requiritur ordinatio voluntaria Dei.

Ad quartũ. Ad quartum conſtat diſcrimen. Merita Chriſti Domini fuerunt æqualia præmio æqualitate abſoluta, & rei ad rem. Merita verò humana ſola æqualitate proportionis. Præterea frequentes Theologi volunt, Chriſtum Dominum non meruiſſe abſolutè infinitum, ſed tantum cum addicto *in actu primo*, quia de facto non ſunt deſtinata in quidpiam ſimpliciter infinitum, à quo non abſonat ipſe P. Vaſquez (P. Vaſquez) diſp.214. cap. 9. Ad hæc, plures volent meritum Chriſti iure dici ſimpliciter infinitum, quia obtinuit de facto redemptionem generis humani, quæ in ratione præmij æſtimari poteſt infinitum, quia à nullo ſuppoſito præter ſimpliciter infinitum poteſt ad æqualitatem impetrari. Demum credibile eſt promiſſum fuiſſe Chriſto præmium infinitum, ſubiectum tamen ipſius arbitrio, vt ſi libuiſſet, exiſteret alia vnio hypoſtatica, aut gratia chategorematicè, vel ſincathegorematicè infinita; quamquam re ipſa non extiterit, non quia Patris defuit promiſſio, ſed quia defuit efficax voluntas Chriſti.

Ad quintũ. 61. Ad quintum; Deus promittens præmium manet ſimpliciter indifferens ad illud negandum indifferentia antecedenti: quia promiſſio eſt ligamen conſequens voluntatis diuinæ, quod non adimit, neque minuit libertatem ſimpliciter. Dices, præmianti neceſſariam eſſe facultatem negandi præmium, etiam ex ſuppoſitione meriti. At Deum negare præmium non poſſe ex ſuppoſitione meriti ſimpliciter, ſi meritum ſimpliciter conſtituitur promiſſione Dei. Diſtinguo. Præmianti conuenire debet facultas negandi præmium ex ſuppoſitione meriti, ſecundum id, quod meritum importat ex parte merentis; quia obſequium, & dignitas merentis ſecundum ſe non poteſt cogere ad præmium. At vero ea facultas ad præmiandum neceſſaria non eſt ex ſuppoſitione meriti, ſecundum id, quod meritum importat ex parte ſuperioris præmiantis, ſcilicet promiſſionem præmij: & id tantum eſt negare Deo facultatem fruſtrandi ſuam promiſſionem.

Ad poſtremum. P. Suarez. Ad poſtremum: P. Suarez cap. 30. num. 24. non veretur negare opus æquale præmio, cui antecedenter præmium propoſitum non eſt, etiamſi fuerit conſequenter decretum, eſſe ſimpliciter meritum de condigno, ſed tantum de congruo, licet potuerit eſſe accedente obligatione iuſtitiæ, & promiſſione Dei etiam de condigno. Ad noſtram tamen doctrinam ſufficit lex conſequenter decernens præmium æquale operi intuitu ipſius operis, vt abſolutè dicatur homo meritus tale præmium, ſaltem pro poſteriori decreti diuini connectentis opus cum hoc determinato præmio. Æquiualet enim tale decretum cõſequens promiſſioni antecedenti ad efficaciam, & connexionem operis cum præmio, per quam in actu ſecundo, & efficaciter meritorium opus eſt. Sufficiant hæc ad meram controuerſiam de voce.

SECTIO DVODECIMA.

Aliarum dubitationum enodatio.

Quarta dubitatio. 62. Dvbitatur quarto; Quomodo diſtinguantur inter ſe meritum condignum, & congruum, ſiue condignitas, & congruitas operis ſupernaturalis, ſiquidem vtraque præmio inæqualis eſt. Nos autem diſputatione præcedenti ſect. 1. ſola æqualitate, & inæqualitate operis cum præmio condignitatem, & congruitatem diuiſimus. Accedit ſuperioribus cum Bellarmino (Bellarminus.) num.45. condignitatem proportionis expoſuiſſe condignitate diſpoſitionis; contritionem autem, quæ de congruo tantum meritoria eſt, prædicari à Patribus Eccleſiæ diſpoſitionem condignam gratiæ; Eſto, ipſa forma iuſtificans non ſit. Itẽ de facto ſepè Deũ largiri iuſto auxilia efficacia gratiæ intuitu operũ præcedentiũ, quæ tamen de cõgruo tantum eorum auxiliorum meritoria dicuntur, quamuis ad ea auxilia præbenda acceptentur à Deo, ſicut acceptantur ad gloriam.

Enodatio. Reſpondeo conſentienter ad dicta diſput. præcedenti ſectione 1. opus condignum præmio eſt idem, quod abſolute, aut proportione æquale præmio; congruum vero, quod neque abſolutè, neque proportione æquale eſt. Porro opus ſal-

Digitized by Google

tem proportione æquale eſt, cui Deus iuſtè ſeipſum obligat ad retribuendum ex iuſtitia præmium. Etenim licet præmium ex iuſtitia retribuendum poſſit ſuperare operum noſtrorum prætium: Hic tamen exceſſus, licet à nobis haud facile definiatur, ſua quidem proportione finitus eſt. Neque enim poteſt Deus iuſtè pro quolibet opere ſupernaturali omnia præmia poſſibilia ex iuſtitia retribuenda decernere; vt neque Princeps creatus iuſtè ſtatueret, pro eleuata palea eleuantem nobilitare, aut alio ingenti præmio remunerare. Iuſtam autem proportionem inter ſingula opera, & præmia ſupernaturalia, deſtitutus quidem notitia fidei, alioquè ſupernaturali lumine, temere Theologus definiret. In Deum ergo callentem perfectiſſime omnium rerum æſtimationem tale iudicium reuocandū eſt. Quamquam & à nobis conijci poſſit, vt dicebam num. 49. dona, quæ de facto præmia condigna rependit, eſſe ſuprema omnium, ad quæ ſphæra proportionis iuſtæ poteſt extendi. Atque adeò omnia alia, quę ſupra illa ſunt, in congruum tantum meritum referenda, nempe excedentia omnem proportionis condignitatem, ad quam promiſſione Dei iuſta eleuari poſſunt. Ideoque tandem ea omnia, quæ in ſententia tribuenti noſtris operibus æqualitatem rei ad rem cum præmio condigno, habentur ſuperiora valore noſtrorum operum. Eadem prorſus ratione habenda etiam ſuperiora in noſtra ſententia condignitate proportionis eorumdem.

Contritio non iuſtificans non meretur de condigno remiſſionē culpæ.

63. Vnde dicendum eſt, contritionem non ęquare condignitate proportionis gratiam iuſtificantem, & remiſſionem peccati, ſi formaliter iuſtificans non ſit, propter eamdem rationem, propterquam non æquat mathematicè, & abſolutè. Nempe, quia ad eam proportionem opus ſunt ſaltem opera à ſuppoſito non inimico procedentia, vt ſunt ad æqualitatem abſolutam neceſſaria. Peccatum enim, vbicumque eſt, reddit ſubiectum omnino indignum quocumque præmio; atque adeo defectus huius indignitatis præcedere debet ad qualiſcumque præmij dignitatem; quare non ſolum remiſſionem peccati, quæ æſtimatur prę-mium infinitum, verum nec vnicum auxilium gratiæ actualis, quod finitum eſt, & inferius ipſo contritionis actu, meretur peccator de condigno. Si autem Eccleſiæ Patres contritionem docent eſſe dignam diſpoſitionem hominis ad impetrandum gratiam; crediderim dignam diſpoſitionem cenſeri, aut quia dignum eſt, atque debitum, vt homo illam exhibeat ad impetrandum veniam peccatorum; non quia dignum eſt, & debitum, vt Deus intuitu ipſius gratiam iuſtificantem infundat, & iniuriam condonet; aut dignam diſpoſitionem prædicari, quia reuera forma iuſtificans eſt in actu primo ſufficienti, cuius intuitu poſſit Deus, ſi velit, dignè condonare peccatum; non in actu ſecundo efficaci, cuius intuitu reipſa graue peccatum condonet. Nam vt docui tract. de Iuſtificatione, forma iuſtificans poteſt eſſe, quæ non habet connexionem ex natura rei cum remiſſione peccati, ſed moralem dumtaxat, eamquè ſolam vendicat gratia habitualis, & habet contritionis actus: itaut digna forma ſit, cuius intuitu Deus poſſit ſi velit, noſtra condonare peccata. Quamquam de facto intuitu ſolius gratiæ habitualis, quæ perfectior eſt, ea condonentur, diſponente tantum contritione ad gratiæ habitualis infuſionem. De quo alibi fuſa nobis erit diſputatio. Identidem colligendum, gratiæ actualis auxilia præberi à Deo ſupra omnem condignitatem proportionis, cum ſeorſim ab illis, ſolo augmento gratiæ, & gloriæ ſatisfaciat plerumque Deus condigno valori aliorum operum, & eo proportionis gradu, qui ſupremas metas totius condignitatis attingit, vt poſuimus num. 49.

Contra Salmanticenſes aliquos venia peccatorū contritis promiſſa eſt.

64. Aliter Salmanticenſes quidam hæc ſoluunt, dicendo, ad meritum condignum, Dei promiſſionem requiri; Deum tamen non promiſiſſe contritioni, veniam peccatorum, neque benè operanti hodie auxilia efficacia ad bene operandum cras: teſtimoniaque Sacræ paginæ, quæ proponunt hominibus contritis infallibiliter futuram veniam peccatorum, non promiſſionem voluntatis, ſed aſſertionem, & prænuntiationem eius, quod futurum eſt, tantummodo continere: hoc eſt, non teſtari Deum ante contritionem velle, vt ſi homines conuertantur in ipſum, condonetur peccatum, & in priſtinam amicitiam reſtituantur, ſed voliturum Deum poſt talem contritionem, peccatum condonare, & in priſtinam fœlicitatem peccatores reducere: Aliud enim eſt nunc velle poſita conditione gratiam infundere, aliud futurum eſſe, quod velit Deus: ſi ponatur contritio. Prius igitur ad promiſſionem opus eſt, & in ſententia horum recentiorum non continent Sacræ paginæ teſtimonia. Poſterius ad promiſſionem non ſufficit, & ſolum id ſacra eloquia pronuntiant. Sed non aſſentior. Nam ſi Deus negetur promittere peccatori contrito veniam, nulla certo ex ſacris teſtimonijs colligi promiſſio valet. Etenim eodem modo proponitur à Deo peccatorum venia ſub conditione contritionis futura, quo proponitur futura vita æterna ſub conditione perſeuerantiæ. Neque maius fundamentum eſt, vt vitam æternam intelligamus promiſſam, hoc eſt iam decretam ſub conditione perſeuerantiæ, quam veniam peccatorum ſub conditione contritionis. Aut vtraque igitur, aut neutra, ſub conditione decreta, atque promiſſa cenſenda eſt. Ait Deus Zachar. 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Ait Matth. 10. *Qui perſeuerauerit vſque in finem hic ſaluus erit.* Cur prior aſſertionem tantum, non promiſſionem; poſterior promiſſionem, & non tantum aſſertionem continet? Certè diſcrimen arbitrarium eſt. Tritum eſt illud Chryſoſtomi; *Peccatori, cui venia peccatorum promittitur, diem craſtinum non promitti.* Ergo peccatorum venia promiſſa eſt. Quam promiſſionem frequenter Eccleſiæ Patres inculcant. Audiendus Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 14. *Sic autem Deus non omnia promiſit, quæ prædixit, quamuis prædixerit omnia, quæ promiſit.* En promiſſio non eſt mera prædictio. Vnde mox addit: *Iuſtificandis ergo, atque glorificandis*

Zachar. 1.

Fulgentius

ficandis prædeſtinatum miſericordia ſuæ opus prædixit tantummodo, non promiſit. Concluditque. *Iuſtificatio igitur & glorificatio prædicta eſt, & promiſſa.* Igitur propriè gratia iuſtificans, & remiſſio peccatorum promiſſa eſt. Quî igitur promiſſio negatur? Hoc eſt voluntas actu exiſtens condonandi peccatum ſub conditione contritionis ſerio à Deo hominibus propoſita. Deus reuera confert auxilia ad contritionis actum ex intentione præcedente ipſius contritionis, contritionem autem intendit, vt eius intuitu peccator iuſtificationem conſequatur. Ergo ante contritionem iam Deus peccatori gratiam conferendam intendit. Quid ergo prohibet, Deum hominibus proponentem ſub contritione collationem gratiæ animum actu exiſtentem conferendi gratiam manifeſtare, atque adeò etiam gratiam poſt contritionem donandam promittere? Petrus 2. 1. prædicat, Deum nobis per Chriſtum *magna, & pretioſa promiſſa donaſſe, vt diuinæ efficiamur conſortes naturæ*; inter quæ proculdubio prima gratia iuſtificans; prætioſiſſimum promiſſum eſt, quin vt vidimus diſputatione 4. ſect. 3. cum Patre Lorino promiſſum eſt omnia complectens promiſſa. Perperam igitur prima gratia ſanctificans negatur ab his Salmanticenſibus promiſſa.

Petrus 2.1.

P. Lorinus.

Qua ratione poteſt negari promiſſio ſtricta contritioni

65. Aſſentirem equidem eis, ſi faterentur, diuina oracula non tam prædicere voluntatem gratiæ futuram poſt contritionem, quam proponere voluntatem iam actu exiſtentem infallibiliter connexam cum gratia iuſtificante poſt contritionem; ſimpliciter tamen, & ſtricte non dici promiſſionem: quia alia eſt promiſſio (etiam oneroſa) inducens ſolam obligationem fidelitatis, qualis eſt ea, qua Pater proponit filijs ſibi obſequentibus præmium, & Dominus etiam ſeruis in obſequio diligentibus; alia eſt promiſſio oneroſa iuſtitiæ inducens obligationem ſtrictæ iuſtitiæ, qualis eſt ea, qua Princeps proponit certantibus, & bellantibus præmium; promiſſionem autem ſimpliciter, præſertim eam, quæ ad meritum dignum neceſſaria eſt, ſolam vocari, quæ iuſtitiæ obligationem parit: Ergo cum hæc obligatio non competat Deo largienti contrito iuſtificationem, rectè poſſe negari ex defectu promiſſionis ſtrictæ competere contritioni condignum meritum ad gratiam. Cæterum aliquam promiſſionem, ſaltem fidelitatis, & voluntatem actu exiſtentem de donanda gratia, ſi præcedat contritio, omnino negare, vt hi recentiores negant; parum conſonum Sacris ſcriptoribus, ac Patribus Eccleſiæ puto: Itaque ponentes meritum condignum promiſſione iuſtitiæ compleri, explicare poſſumus, contritionem reipſa de condigno non mereri remiſſionem culpæ, quia Deus ad eam remittendam non ſe obligauit ex iuſtitia, ſed ſolum ex fidelitate, vt prædicant effata ſacra, quæ noſtram iuſtificationem omnino gratioſam pronunt, meritumque contritionis condignum reijciunt. Num autem potuerit Deus ſuam iuſtitiam contritioni peccatoris obligare ad remittendam propriam culpam? aut actui charitatis iuſti ad condonandam culpam alienam? Item quo differat promiſſio oneroſa ſolius fidelitatis, & iuſtitiæ? propriam diſputationem vendicant, quam nos iam tract. de merito, & iuſtificatione habuimus.

66. Rurſus poteſt ſic meritum condignum à congruo diſtingui. Vt meritum condignum ſit opus, quâ eſt obſequium Dei cedens in aliquod commodum, aut honorem extrinſecum ipſius; congruum vero ſolum quâ eſt moraliter bonum, & rectè rationi conſentaneum, ſeorſim ab vllo commodo, & honore Dei, in quem opus conferat; modo quo diſputatione antecedenti numero ſeptimo, impetrationem latam expoſuimus. Quare ex parte Dei remunerantis meritum condignum & congruum, hoc eſt diſcrimen. Quod Deus referens munus merito condigno mouetur ad illud referendum ex opere, quâ ſibi aliqua ratione vtile eſt. Referens vero munus merito congruo mouetur ex opere, quâ in ſe moraliter bonum, ipſique operanti conueniens, rationique rectæ conſentaneum eſt, cedat, vel non cedat in obſequium, & honorem ipſius. Ideoque & Deus ex iuſtitia præmiat condignum, ex miſericordia vero congruum. Nam condignum quaſi ex accepto obſequio, & obligatione compenſat; congruum verò ex decentia, & congruitate probandi, & prouocandi honeſta opera, à ſeipſo muneribus implet. Vnde Deus remunerans condignum meritum, Iudicis officium gerit, munuſque ipſum coronæ, mercedis, & præmij nomine abſolutè dicitur: remunerans vero meritum congruum officium ſubit Patentis, & Superioris religioſe politici, munuſque ipſum abſolutè non vocatur corona, merces, & præmium. Ac tandem ad meritum condignum æqualitas cum præmio abſoluta, aut proportionis neceſſaria eſt; ad congruum verò neque æqualitas, neque inæqualitas attenditur; ſed ſiue opus æquale, ſiue inæquale ſit, dum ſolo titulo bonitatis moralis, & decentiæ remunerandi ſeorſim ab obſequio vtili moueat, congruè tantum, & non condignè merebitur. Atque adeo idem opus in actu primo tum congruum, tum condignum eſſe poteſt; & in actu primo congruum, & in actu ſecundo condignum: necnon in ordine ad vnum munus condignum, in ordine ad aliud congruum. Quippe opus in actu primo vtroque modo mouere poteſt, & Deus in actu ſecundo poteſt pro libito, quo voluerit titulo, atque motiuo referre munus, & quod ſibi voluerit ex ijs, quæ ad ordinem ſupernaturalem ſpectant. Tametſi igitur condignitas meriti ſolam proportionis æqualitatem exigat, intereſſe multum poteſt inter opus quâ meritorium de condigno, & de congruo. Porro ea de facto titulo congruitatis præberi cenſenda ſunt, quæ gratioſa prædicantur à Sacris ſcriptoribus, ac Patribus Eccleſiæ, vt remiſſio peccatorum, & auxilia ad perſeuerandum efficacia; ea vero titulo condignitatis, quæ tanquam merces ex iuſtitia conferenda proponitur. Neque hoc diſcri-

Alia diſtinctio meriti condigni à congruo.

Digitized by Google

men meriti condigni, & congrui voluntarium eſt. Reipſa enim duplici explicato titulo poteſt Deus diſpenſare ſua munera, tanquam Iudex, & tanquam Parens: aut Gubernator ſollicitus naturæ rationalis. Prior autem titulus, iuſtitiæ, & condignitatis proprius eſt; poſterior verò, miſericordiæ, & congruitatis. Aut ſaltem cum reipſa diuerſi ſint, non inepte his vocibus declarantur.

Quinta dubitatio.

67. Dubitatio quinta eſt; An poſſit charitatis actus condignitatem proportionis habere ad remiſſionem peccati? Siquidem poteſt beneficium æſtimatione infinitum æquari meritis inferioribus valoris finiti.

Reſponſio.

Reſpondeo. Charitatis actus abſolutè non eſt ſatisfactorius ad æqualitatem iuſtitiæ pro peccato. Quia ſatisfactio iuſtitiæ omnino æqualis pro peccato obligans Deum ad illud condonandum exigit æqualitatem rei ad rem. Hæc autem repugnat actui charitatis. Atque adeò neque meritum continet mathematicè condignum. Quod communi Theologorum ſententiæ libens defero.

Poteſt iuſtus alteri mereri de condigno remiſſionē peccati.

Tamen probabile cenſeo, iuſtum, qui poteſt alteri iuſto, aut non peccatori gratiam iuſtificantem merito condigno impetrare, etiam poſſe impetrare peccatori condignitate proportionis remiſſionem peccati. Ducor primò, quia condignitatem proportionis habere poteſt actus, qui æſtimatione inferior eſt, quam præmium. Aliunde reſiſtentia peccati quamquam grauitate infiniti tanta non eſt, vt ſuperari nequeat bonitate finita gratiæ habitualis, quæ dignum reddit peccatorem, cui condonetur peccatum. Ergo actus charitatis procedens ab homine iuſto dignitatem continet proportionis, cui Deus iuſtè veniam peccatoris largiatur. Cum is actus præter bonitatem ſibi intrinſecam, vt meritorius eſt, complectatur intrinſecè, tanquam partem eſſentialem ſui valoris, etiam bonitatem gratiæ habitualis, vt tractatu de merito docuimus. Confirmatur: Maior eſt diſplicentia Dei in malitia peccati, quam Dei complacentia in bonitate gratiæ, ſiue magis ingrata eſt Deo malitia peccati, quam eſt grata bonitas gratiæ, cum illa ſit infinita, hæc verò finita: quare cenſui tractatu de iuſtificatione, non eſſe connexionem naturalem gratiæ cum depulſione peccati, ſed dumtaxat moralem in quadam morali dignitate ſubiecti conſtitutam. Nihilominus complacentia gratiæ dignè mouet Deum ad deponendum odium peccati. Ergo etiam complacentia Dei in iuſto operante actum charitatis mouebit dignè ad veniam peccatori largiendam, (vbi poteſt iuſtus alteri quidquam de condigno mereri.) Antecedens ſolemniter admittitur à Theologis. Probatur conſequentia. Maior eſt complacentia Dei in iuſto agente moraliter actum charitatis, quam in iuſto ſecundum ſe ſeiunctim ab actu charitatis; nam priorem complacentiam terminat bonitas gratiæ, & bonitas actus charitatis ſimul, poſteriorem verò ſola bonitas gratiæ. Sed complacentia Dei in ſola bonitate gratiæ ſufficit mouere dignè voluntatem diuinam ad deponendam inimicitiam cum peccatore. Ergo maior complacentia Dei in bonitate gratiæ & actus charitatis ſimul etiam ſufficiet. Actius hæc alibi vrgenda ſunt. Ducor ſecundò, quia mea opinione actus charitatis vim habet ſanctificandi animam; licet de facto non ſanctificet, quod ſtatuerit Deus ſolo intuitu gratiæ habitualis, ac permanentis veniam peccatori præſtare; id quod tract. de gratia iuſtificante illuſtrauimus. Ergo ſufficienti dignitate proportionis præditus eſt ad veniam peccatorum impetrandam. Vnde conſequenter etiam aſſerendum eſt, contritionis actum vim condignam habere ad impetrandam remiſſionem peccati in ſuppoſito, cui ineſt. Forma enim moralis habens excellentiam dignam, cuius ſuppoſito Deus condonet iniuriam, non poteſt non prædita eſſe morali bonitate ſufficienti ad meritum condignum talis remiſſionis.

De facto tamen non meretur peccator de condigno remiſſionem ſuæ culpæ.

68. Neque verò propterea de facto dicendus eſt contritus mereri de condigno remiſſionem culpæ. Nam de facto Deus ſtatuit lege ſua, vt nulli remittatur peccatum, niſi præcedente habitu gratiæ habitualis; vndè ante remiſſionem peccati infundi debet gratia habitualiter ſanctificans. Hoc autem ſufficit, vt de facto non mereatur dignè remiſſionem peccati. Tum quia, vt dicebamus ſectione præcedenti, non dicitur abſolutè mereri, per aliquod opus, quod aliqua lege Dei non decernitur præberi intuitu illius. De facto autem contritio non ſanctificat, atque adeò eius intuitu non decernitur remiſſio peccati, ſed intuitu gratiæ habitualis, quam Deus nunc ſemper expectat ad condonandum peccatum. Tum quia maius quid eſt remiſſio peccati, & gratia habitualis ſimul, (quæ ſecum fert diuinitatis conſortium, & collectionem virtutum ſupernaturalium,) quam ſola peccati remiſſio. Igitur cum de facto mereri remiſſionem peccati ſit mereri gratiam habitualem, & conſortium diuinitatis, atque virtutum ſupernaturalium, non merebimur dignè remiſſionem peccati, quod actus contritionis tali remiſſioni ſeorſim à gratia habituali proportionis condignitate ſit æqualis. Item quia non poteſt contritio cenſeri digna alicuius doni diſtincti à remiſſione peccati, niſi merendo prius remiſſionem peccati; quæ talis præmij condignitati impedimento eſt; dum enim non intelligitur ablatum peccatum, non intelligitur ablata indignitas poſitiua cuiuſuis alterius doni, quæ etiam exiſtente contritione adeſt, ſi adſit peccatum. Neque mirum conuenire dignitatem ad remiſſionem peccati, & non ad aliud bonum, niſi præcedente venia peccati. Nam ad cauſandum præſentiam localem, & durationem non eſt opus præcedere aliquam præſentiam temporis, aut loci, quam tamen præcedere opus eſt ad cauſandum aliud quidpiam à duratione, & præſentia loci diſtinctum. Etiam habitualis gratia reddit ſubiectum dignum, cui remittatur culpa, & hæreditas gloriæ diſponatur. Tamen prius eſt peccatori culpam remitti, quam ius proximum in talem hæreditatem tribui. Nunc ſic. Sed in peccatore de facto non eſt prius remitti cul-

pam: quam gratiam infundi, quandoquidem lege Dei ſtabilitum eſt, vt ſolo intuitu gratiæ permanentis deleatur macula peccati, diſponente tantum contritione ad eius gratiæ infuſionem. Atque adeò ad merendum condigne remiſſionem culpæ de facto prius eſt opus, mereri gratiam habitualem per contritionem. Igitur de facto nullum ineſſe poteſt contritioni meritum condignum ad remiſſionem peccati.

Obiectio.

69. Obijcies, contritionem præcedere gratiam habitualem; proptereaque ſi ſanctificans eſt, ante infuſionem gratiæ opponi cum peccato, illudque deſtruere.

Solutio.

Reſpondeo. Contritio, & gratia habitualis ſanctificans non habent connexionem ineuitabilem ex natura rei cum deſtructione peccati cui Deus abſque vlla vi obſiſtere non poſſit; ſed connexionem tantum moralem titulo decentiæ, & dignitatis conſtitutam. Itaque poteſt contritioni antecedenti veniam peccatorum negare, illamque gratiæ habituali præcedenti adſtringere. Quod autem poteſt, re ipſa nunc præſenti prouidentia diſpoſuit, vt euincunt argumenta, quæ contritioni ſanctificationem actualem adimunt. Vrgebis, ſi adhuc exiſtente gratia habituali indigetur nouus fauor ad detergendum maculam peccati, poſſe contritionem coniunctam pro poſteriori gratiæ habituali dignificari ad merendum talem fauorem, & indemnitatem peccati, vt dignificatur ab eadem gratia ad merendum dignè coronam gloriæ. Nego ſequelam. Primo. Quia, vt probaui tractatu de merito, gratia habitualis non poteſt conferre valorem condignum operi, niſi antecedat illud, quare neque contritionem dignificat ad primam gloriam. Secundo; Quia gratia non habet ſola dignificare opera, niſi adiuncta carentia indignitatis poſitiuæ, quam ſubiectum contrahit per peccatum; quare exiſtente peccato cum gratia non poſſet gratia dignificare opera quamuis ſupernaturalia, & bona. Hæc autem carentia indignitatis, & peccati non iungitur gratiæ ante remiſſionem culpæ. Ergo.

Poſtrema dubitatio.

70. Dubitatio ſexta; An ſi Deus ſtatuiſſet iuſto agenti feruentem charitatis actum conferre vnionem hypoſtaticam cum aliqua trium perſonarum, non perpetuam, ſed biennem, aut centennem, mereretur illam de condigno æqualitate proportionis? Nam licet vnio hypoſtatica perfectione intenſiua infinita ſit; adeò tamen decreſcit illius æſtimatio finitudine extenſiua durationis, vt iure poſſit contendere cum illa de maiori æſtimatione præmij, gratia & gloria ſine fine durans. Quin; ſi cui eligenda proponatur, aut vnio hypoſtatica biennis, aut perpetua gloria; ſi reſpectiuè ad commodum iuſti facienda eſt electio, videtur præferenda gloria perpetua vnioni hypoſtaticæ temporali. At poteſt gloria perpetua meritis condignis obtineri. Ergo & vnio hypoſtatica temporaria.

Expoſitio.

Reſpondeo. Non inuenio repugnare tale meritum. Nam actus iuſti poteſt mereri de congruo vnionem hypoſtaticam; vt fert communis conſenſus Theologorum, & diſputatione ſequenti dicemus. Aliunde vbi temporaria ſolum proponitur, non videtur excedere æqualitatem proportionis operis iuſti, vt ratio dubitandi efficaciter ſuadet. Ergo poteſt temporaria cadere ſub meritum condignum. Quod enim poteſt impetrari de congruo, etiam poteſt de condigno, intercedente promiſſione Dei, & conſtituta æqualitate inter meritum, & præmium. Nihilominus non decerno.

SECTIO DECIMATERTIA.

Concluditur indignitas operis naturalis ad præmium ſupernaturale.

Doctrinæ ratio.

71. Nihilominus relinquendum eſt, opera elicita viribus naturæ non poſſe etiam diuinitus ad meritum condignum alicuius præmij ſupernaturalis eleuari. Nam licet ad condignitatem meriti non ſit neceſſarius valor omnino æqualis cum præmio, poſſitque perfectione, & æſtimatione morali æquari magis donum aliquod ſupernaturale ab opere naturali, quam æternum gloriæ pondus ab aliquo ſupernaturali, vt expendebamus diſputatione præcedenti num. 39. tamen neceſſaria ſemper eſt proportio inter meritum, & præmium; ad quam exigi ſupernaturalitatem operis oſtendimus cum Sanct. Thoma num. 45. & 46. (S. Thomas) Igitur deficiente ſupernaturalitate operis, deficiet pars eſſentialis proportionis ad meritum condignum neceſſaria. Expende quæ adduximus diſputatione præcedenti, ſectione 6. Nam hunc exceſſum ſupernaturalium ſupra meritum condignum naturæ, non ſolum ex natura rei, ſed etiam poteſtate abſoluta Dei illuſtrant. Etenim modo ex natura rei, & non ſolum ex lege extrinſeca Dei opera elicita viribus naturæ ſunt indigna præmio intrinſecè ſupernaturali, vt oſtendimus diſputatione ſuperiori. At ſi Deus lege ſua ſtabiliret, vt operibus etiam naturalibus præmia intrinſecè ſupernaturalia præberentur, adhuc opera naturalia quoad ſuam intrinſecam ignobilitatem, quæ ex natura rei illa facit indigna præmio ſupernaturali, eadem permanerent. Ergo ſemper eſſent præmio ſupernaturali inæqualia. Recole ad explicationem duo exempla. (Illuſtratur exemplis.) Alterum ex impotentia naturæ corporeæ ad vidẽdum etiam diuinitus aliquod vel minimum ens ſpirituale, & poteſtate naturæ ſpiritualis creatæ ad videndum Deum; tametſi maior ſit exceſſus Dei ſupra naturam animæ ſpiritualis, quam exceſſus obiecti ſpiritualis ſupra naturam animæ ſentientis. Neque redarguere eſt, potentiam ſpiritualem quamuis naturalem, ſaltem diuinitus eleuari ad viſionem Dei ſupernaturalem: ideoque & opera moraliter bona, quæ ſpiritualia ſunt, tametſi naturalia, poſſe ad præmij ſupernaturalis meritum eleuari. Nam po-

tentia naturalis ad viſionem ſupernaturalem eleuatur in genere cauſæ efficientis, cuius munus præſtare Deus poteſt; opus autem naturale ad condignitatem præmij ſupernaturalis eleuatur in genere cauſæ formalis, cuius munus Deo repugnat, præſertim ſi cauſalitas rebus creatis intrinſeca futura ſit ad mouendum ipſius Dei voluntatem, qualis debet competere operibus meritorijs: vt dicebamus numero 6. & 8. & 46. Alterum exemplum eſt; ſi natura brutorum poſſet quidpiam apud homines mereri, planè non poſſent eorum obſequia vlla poteſtate abſoluta creaturarum, aut Dei, reddere bruta digna eis donis, & honoribus, quæ naturæ rationalis propria ſunt, quamuis reuera cederent in maius hominum commodum; quam plura obſequia, quæ ab hominibus exhibentur. At dona ſupernaturalia non ſunt naturæ rationalis ſuis viribus relictæ propria. Ergo ſuis viribus natura rationalis ſupernaturalibus donis, neque diuinitus fieri poteſt digna. Vnde ad tuendum indignitatem operum naturalium ad ſupernaturale præmium, non eſt opus recurrere ad æqualitatem rei ad rem, neceſſariam ad condignum meritum. Cuius occaſione excurrimus ſuperiora.

Prima obiectio. 72. At obijciet quis. Poteſt Deus diuinitus ita paciſci cum homine in pura natura exiſtenti, vt homo diligat Deum ſuper omnia, & Deus illi referat gratiam habitualem. Tunc Deus tenetur ex iuſtitia remunerare diligentem ſe, habituali gratia. Ergo impetrat illam de condigno; cum impetratio condigna ſit eadem, quæ ex iuſtitia. Aut ſaltem de voce erit diſſenſio, an condigna dicenda ſit? Reſpondeo. Deus non poteſt ſe obligare ex iuſtitia ad retribuendum gratiam habitualem diligenti Deum dilectione tantum naturali, quia nulla poteſt eſſe æqualitas etiam proportionis inter opus naturale, & gratiam ſupernaturalem, vt iam oſtendimus. Quare ea gratiæ largitio potius erit liberalitatis, quam iuſtitiæ actus. Hinc conſtat quo differat de re noſtra ſententia ab oppoſita. Primò: Quia noſtra negat Deum poſſe ex iuſtitia obligari ad reddendum donum ſupernaturale homini tantum naturaliter operanti, itaut illud negans iniuriam irroget creaturæ; quamquam eius iuſtitiæ capax ſit collatus cum homine ſupernaturaliter operante. Oppoſita ſententia verò Deum ex iuſtitia obligat homini ſolum naturaliter operanti, caſu quo poſſit Deus ex iuſtitia obligari operanti ſupernaturaliter. Secundo: Quia noſtra ſententia negat vllum ordinem, connexionemue tranſcendentem naturæ rationalis, & eius operum cum dono ſupernaturali, ita vt eadem cum omnibus ſuis operibus permaneret repugnantibus omnibus donis ſupernaturalibus. Secus contraria ſententia. Porrò ſi ad voces diſſentio referenda eſt, præferenda noſtra ſententia; quippè quæ communiorem, & grauiorum autorum loquendi modum ſectatur.

Diluitur.

Obiectio ſecunda. 73. Obijcies ſecundo. Opera naturalia elicita auxilio gratiæ quoad modum tantum ſupernaturali, poſſunt mereri de condigno dona ſupernaturalia. Ergo etiam elicita viribus naturæ. Quia auxilia ſupernaturalia quoad modum nullum eis operibus valorem conferunt. Antecedens eſt Patris Vaſquez pluribus in locis. Conſequentia Patris Suares. Neque refert ſaltem gratiam habitualem intrinſecè ſupernaturalem requiri ad meritum condignum. Tum quia tractatu de merito ſtatuimus cum Patre Suares libro 12. de gratia c. 14. num. 16. Patre Raguſa in 3. p. diſp. 4. propoſitione 2. & 4. ſolum ex natura rei, non vero diuinitus, gratiam iuſtificantem eſſe neceſſariam ad meritum condignum. Tum quia neque ex natura rei homini non peccatori ad meritum alicuius exigui doni ſupernaturalis, ſed tantum ad meritum vitæ æternæ, talem gratiam iuſtificantem deſiderauimus. Reſpondeo. Nullum opus naturale elicitum auxilio gratiæ quoad ſubſtantiam naturali, etiamſi quoad modum ſupernaturale ſit, (modo quo aſſeritur à P. Vaſquez) meretur de condigno aliquid ſupernaturale. De quo fuſa erit diſputatio libro quinto. Deinde ſeorſim à gratia iuſtificante neque diuinitus vitæ æternæ meritum, neque ex natura rei alterius, vel minimi doni meritum tribuendum eſt alijs operibus, quam ſupernaturalibus quoad ſubſtantiam. Quod tract. de gratia iuſtificante diſſertum à nobis eſt.

P. Vaſquez. P. Suares. P. Raguſa. Explicatur.

Tertia. 74. Obijcies tertio. Contritione efficaci naturali poteſt homo in pura natura de condigno impetrare veniam, ſaltem peccatorum venialium. Nam in pura natura poterat eſſe perfecta amicitia naturalis; quæ exigit impetrare ab amico poſſe, manifeſto vero animi dolore, culparum ex inaduertentia procedentium, aut aliarum leuium remiſſionem. At nunc hæc remiſſio inter dona ſupernaturalia refertur. Ergo valet actus naturalis quidpiam ſupernaturale impetrare dignè. Reſpondeo. Quidquid ſit de poteſtate puræ naturę ad impetrandum de condigno remiſſionem peccati, de quo nunc decernere non libet, remiſſio peccati per ſolam extrinſecam condonationem Dei, quæ nullam ſibi annexam habet gratiam iuſtificantem intrinſece ſupernaturalem, ſpectat ad ordinem naturæ, & inter beneficia quæ autor naturæ largiri poteſt, iure refertur. Remiſſio vero peccati in ſtatu naturæ eleuatæ ſibi annexam habet gratiã iuſtificantem. Ideo merito nunc inter ſupernaturalia beneficia recenſetur. Eſt quidem peccatorum venia autoris naturę beneficium; nam rationalis natura autorem, & Principem ſupremũ exigit facilem venię largitorem, non auſterum, & inexorabilem iudicem, ac vindicem. Autori ſanè rationalis naturæ neganda non ſunt quæcumque decent quemuis Principem creatum. Iniuriarum autem obliuiſci, miſereri ſubditorum cæco paſſionum impetu delinquentium, præſertim præcedente vera atque ex animo pœnitentia, quis non laudauit in Principe. Quis non vituperauit ſemper iuſtum exactorem debiti, nunquam miſericordem, & diſſimulantem culparum ſuperiorem, etiam poſt efficacem animi dolorem, & mutationem? Miſerrimũ

Reſponſio.

Remiſſio peccati ſine gratia ad ordinẽ naturæ ſpectat.

Digitized by Google

ſanè eſſent inter omnes creaturas homines, ſi eius conditionis eſſet ipſorum autor, vt nullis ipſorum gemitibus placari poſſet. Ipſi in pura natura, vt fert communis ſententia, adeo in peccata proni, vt moraliter impoſſibile ſit, abſque ſpeciali Dei auxilio integram diu ſeruare legem: Deus adeò inexorabilis, vt neque velit, neque poſſit peccata condonare; quid eſſet de natura rationali ſuapte conditione, niſi in damnationem, & interitum creari? Intra limites igitur beneficiorũ naturalium venia peccatorum continetur. Neque propterea debita aſſeritur, noſtræque operibus naturæ æquabilis. Vt inter beneficia naturæ eleuatæ remiſſio peccatorum per gratiam connumeratur, quamuis neque debita ſit, neque operibus ſupernaturalibus æquabilis. Refertur itaque remiſſio peccati ſine gratia iuſtificante inter beneficia naturæ, quia licet ipſa indebita ſit, procedit tamen à facultate naturæ debita. Quippe licet natura non exigat iure remiſſionem peccati, tamen iure exigit, vt ipſius autor poteſtate condonandi ſua peccata præditus ſit. Quod ſufficit, vt hæc poteſtas ordini naturæ aggregetur, ac per conſequens etiam ipſius actus, vt expoſuimus diſputatione 5. ſect. 3.

DISPVTATIO DECIMASEPTIMA.

AN SVPERNATVRALIA SINT SVPRA meritum congruum naturæ?

MERITVM congruum longè inferius eſt munere, quod ipſius intuitu refertur, longeque maiorem inæqualitatem ferre poteſt inter opus meritorium & præmium, quam meritum condignum: ideò examine Theologico opus eſt. An opera ſolis naturæ viribus elicita, quamquam, vt vidimus, dignitatem non conferant ad ſupernaturalia dona, ſaltem ex ſe congruitatem ferant?

SECTIONES.

1. *Placita Theologorum.*
2. *Prima probatio contra meritum congruum operum naturalium.*
3. *Secunda probatio contra meritum congruum operum naturalium.*
4. *Tertia probatio contra meritum congruum naturæ.*
5. *Quarta probatio contra meritum congruum naturæ.*
6. *Confirmantur ſuperiora oſtendendo Patres Eccleſiæ de merito congruo atque remoto ad noſtram iuſtificationem differuiſſe.*
7. *Aliæ probationes contra meritum congruum naturæ.*
8. *Diluuntur argumenta Maſſilienſium.*
9. *Catholicorum argumenta.*
10. *Obijcitur auctoritas Chriſoſtomi, & aliorum Græcorum Patrum.*
11. *Vindicantur Chriſoſtomus & Græci Patres ab errore Semipellagianorum.*
12. *Cenſura ſententiæ aſſirmantis, & mens Theologorum antiquorum.*

SECTIO PRIMA.

Placita Theologorum.

1. POſſe dona ſupernaturalia cadere ſub meritum congruum operum naturalium tuentur quotquot aiunt, virtutum actus, elicitos ſolis viribus naturæ poſitiuè, ac ſufficienter diſponere hominem ad gratiam iuſtificantem, eamque de congruo mereri. Ita Durandus in 1. d. 41. quæſt. 2. & in 2. d. 28. quæſt. 5. num. 7. & d. 40. quæſt. 3. num 7. & in 3. d. 29. quæſt. 2. & in 4. d. 17. quæſt. 2. Gab. in 2. d. 28. quæſt. vnica art. 2. concluſ. 1. & art. 3. dub. 1. & 2. & d. 27. quæſt. 1. art. 2. concluſ. 4. & artic. 3. dub. 4. & art. 5. & in 3. d. 27. quæſt. 1. art. 3. d. 2. propoſit. 2. & in 4. d. 14. quæſt. 1. art. 2. concluſ. 5. littera S. & ſequentibus & quæſt. 2. præſertim art. 3. dub. 3. in fine, referens pro ſe Occamum, Petrum Aliacenſem, & Scotum: Almainus 2. moral. cap. 9. & in 4. d. 14. q. 2. vbi Ioannes Maior qu. 1. 5. Sed contra ait, licet probabilius putet, neminem poſſe benè moraliter operari ſine auxilio Dei ſpeciali (quod non ſemper datur) tamen in

Autores affirmantes. Durandus. Gabriel. Occamus. Aliacus. Scotus. Almainus. Maior.

oppoſita ſententia quemlibet poſſe in quolibet inſtanti elicere ſine ſpeciali auxilio dolorem ſufficientem ad ſuam iuſtificationem; Petrus Bergomenſis in concordant. D. Thomæ dubio 889. Iauellus in expoſitionibus ad 1. p. Diui Thomæ tract. de prædeſtinat. cap. 5. Caietanus tom. 1. opuſc. 4. de contritione q. 1. Turrecremata de pœnitentia d. 1. §. *Hinc etiam leproſi* num. 7. fol. 12. Camerarius lib. de gratia & lib. arbitrio cap. 10. §. 2.

Bergomenſis. Iauellus. Caietanus. Turrecremata. Camerarius.

2. Idem tenuiſſe S. Thomam in 2. d. 28. q. 1. art. 4. & d. 27. q. 1. art. 4. ad 4. & d. 5. quæſt. 2. art. 1. corpore & ad 1. & de verit. quæſt. 24. art. 1. ad 2. & in 4. d. 17. quæſt. 2. art. 1. quæſt. 1. ad 6. & quæſt. 3. corp. & ad argumenta: & art. 2. q. 6. attamen retractaſſe 1. 2. q. 109. art. 6. plures Theologi teſtantur. Quamquam non deſunt alij, qui Angelicum Doctorem liberent ab hac ſententia etiam in libris ſententiarum, vt Pater Vaſquez 1. p. diſp. 91. cap. 1. num. 63. & Thomas Elicius infra. Verius eidem ſententiæ adhæſiſſe videtur Scotus in 4. d. 14. q. 2. art. 2. & in 2. d. 28. quæſt. vnica, vt volunt Sotus 2. de natura, & gratia, cap. 4. & Lorca 1. 2. diſputat. 11. & Pater Vaſquez ſupra: licet Angles in 2. d. 28. quæſt. vnica art. difficultate 2. ante 1. concluſionem, & artic. 6. difficultate 1. ante 1. concluſionem, & in 4. quæſt. 1. de pœnitentia art. 6. & Vega lib. 6. in Tridentin. cap. 28. & quæſt. 11. de iuſtificatione ad 3. velint, falſo tribui Scoto hanc opinionem, quia non differit de actu elicito abſque ſpeciali auxilio Dei, ſed abſque gratia habituali. Item referuntur pro hac ſententia Adrianus quodlibeto 7. art. 4. & in 4. quæſt. 2. de pœnitentia, & Richardus in 2. d. 28. art. 1. quæſt. 2. Caietanus 1. 2. quæſt. 109. art. 6. Verum ab ea opinione vendicat hos autores Maſcarenas diſputat. 1. de auxilijs parte quinta.

S. Thomas. P. Vaſquez. Elicius. Scotus. Sotus. P. Vaſquez. Angles. Vega. Adrianus. Ricardus. Caietanus. Maſcaren.

3. Eidem ſententiæ accedunt, qui docent, opera naturalia diſponere poſitiue; quamuis remote ad noſtram iuſtificationem, merendo de congruo ſaltem auxilia actualia ſupernaturalia ad actus ſupernaturales proxime diſponentes ad illam. Referuntur Driedo libro de concordia prædeſtinationis parte 2. cap. vltimo. fol. 50. & de captiuitate tract. 5. cap. 2. p. 2. Decanus art. 7. contra Calninum §. *Doctores Scholaſtici*, & Antonius Panthuſa lib. de prædeſtinatione, & gratia cap. 6. Item Enricus quodlibeto 5. q. 20. poſt medium. Conradus, Clingius in locis contra hæreticos cap. 14. Viguerius in inſtit. cap. 3. §. 3. verſiculo, 1. ſen. 2. in fine, Ierſon, Alphab. 61. in 1. tract. de vita ſpirituali lect. 1. circa principium. §. *Fatendum.* Adiungi poſſunt idem diſpoſitionis genus tribuentes operibus naturalis facultatis. Ouandus in 4. d. 15. propoſit. 8. Alenſis 3. p. quæſt. 64. memb. 5. art. 5. §. 2. Caietanus 1. 2. quæſt. 109. art. 6. Sotus lib. 1. de natura & gratia cap. 20. & lib. 2. cap. 3. notabili 2. & ad 1. & cap. 12. dubio vltimo: & cap. 16. poſt medium. Alexius Gomez in elucidario Scholaſtico, lib. 2. cap. 3. in principio, & ad primum, Richardus in 2. d. 28. art. 1. quæſt. 2. Petrus de Aquila d. 29. q. 1. art. 2. Scholiaſtes Caſſiani propoſitione 5. Nec diſſonat Palatius in 2. d. 29. diſp. 2. Amolincis ad marginem Ægidij quodlibeto 2. q. 29. Albertus in 2. d. 29. art. 1. ad 2. quamquam hos autores loquutos fuiſſe de diſpoſitione tantum negatiua remouente peccatum prohibens, interpretantur Pater Suarez lib. 3. de auxilijs cap. 2. num. 3. Maſcarenas diſp. 1. de auxilijs Zumel 1. 2. q. 109. art. 6. diſputatio vnica, Lorca de gratia diſput. 11. & Binsfeldius de libero arbitrio, & gratia ſectione 3. membro 7. concluſ. 7.

Driedo. Decanus. Enricus. Conradus. Viguerius. Ierſon. Ouandus. Alenſis. Caietanus. Sotus. Alexius Gomez. Richardus. Aquila. Scholiaſtes. Palatius. Albertus. P. Suares. Maſcarenas. Zumel. Lorca. Binsfeldius.

4. At vero opera ſola naturæ facultate elicita non eſſe meritoria de congruo donorum ſupernaturalium ſine dubio ſentiunt, qui errorem Semipelagianorum explicant fuiſſe de merito ſolum congruo operum naturalium. Ita Pater Vaſquez, Pater Iannetus, Pater Suarez, Pater Gualterus, Pater Granadus, & Pater Herice relati diſput. 15. num. 16. Item qui abſolute negant poſſe hominem viribus naturæ elicere diſpoſitionem poſitiuam ad gratiam iuſtificantem ex improportione operis naturalis cum præmio ſupernaturali. Ita Sanctus Thomas 1. 2. quæſt. 109. art. 6. & 4. contra Gent. cap. 72. Bonauentura in 2. d. 28. art. 2. q. 1. & d. 20. quæſt. 1. & d. 30. quæſt. 1. Richardus d. 28. art. 1. quæſt. 2. Ægidius quæſt. 3. Marſilius 2. quæſt. 17. Capreol. qu. vnica art. 1. Concluſ. 5. & art. 3. ad argumenta Durandi, Argentinas in 2. d. 27. quæſt. 1. art. 3. & d. 28. qu. 1. art. 2. Gregorius quæſt. 1. & 3. Angles, in 2. d. 28. art. 6. difficultate 1. & in 4. qu. 1. de pœnitentia art. 6. Palatius in 2. d. 29. diſp. 2. Lælius Zechus in ſua Theologia cap. 21. §. *Quoad primum dubium.* Tiletanus Apologia in Tridentinum, Alexius Gomez in elucidario Scholaſtico lib. 2. cap. 3. Carthagena diſcurſu 9. de Prædeſtinatione, Roa 1. de Prædeſtinatione qu. 8 Enricus quodlibeto 5. q. 10. Antoninus 4. p. titulo 9. cap. 5. §. 4. Nauarrus in ſumma cap. 1. num. 39. Enriquez 1. de pœnitentia cap. 21. §. 6. Driedo de captiuitate tract. 4. cap. 2. & lib. 1. de gratia, & libero arbitrio tract. 2. cap. 6. Petrus Aurelius in oppugnatio: Luther, inquiſit. 1. de gratia, & libero arbitrio §. *Verumenim vero.* Et §. *Sed etiam ad reliquas.* Thomas Eliſius qu. 6. de gratia art. 7. & 8. Stapletonius 2. de iuſtificatione cap. 4. Victoria in ſumma quæſt. 110. alias 121. Vega de iuſtificatione quæſt. 11. & lib. 6. in Tridentinum cap. 28. Vinsfeldius ſect. 3. de libero arbitrio & gratia membro 7. concluſione 4. & 5. Zumel. 1. 2. q. 109 art. 6. diſput. vnica & art. 3. diſput. 2. Medina, & Conradus ibidem, Lorca diſput. 11. & 50. de gratia, Sotus 2. de natura & gratia c. 3. & 4. & in 4. d. 14. q. 2. art. 5. §. *Diximus autem*, Matthias Felißius in 2. d. 24. c. 24. Bellarminus 6. de gratia à cap. 1. vſque ad 8. Valentia controuerſia de gratia parte 2. cap. 2. &. 1. 2. diſput. 8. quæſt. 5. puncto 4. Suares 2. de Prædeſtinatione, cap. 6 & lib. 8. de gratia capite ſeptimo num. 2. 6. & 7. & tom. 4. in 3. p. diſp. 3. ſect. 6. 1. de Prædeſtinatione ca. 7. n. 11. Vaſquez 1. p. diſp. 91. ca. 10. & 1. 2. ſupra, &

Autores negantes. P. Vaſquez. P. Iannetus. P. Suares. P. Gualterus. P. Granadus. P. Herice. S. Thomas. Bonauentura. Richardus. Ægidius. Marſilius. Argentinas. Gregorius. Angles. Palatius. Lælius. Tiletanus. Roa. Enricus. Nauarrus. Enriques. Driedo. Aurelius. Eliſius. Stapletonius. Vega. Binsfeldius. Zumel. Medina. Conradus. Lorca. Sotus. Felißius. Bellarminus. Valentia. Suares. P. Vaſquez.

P. Molina P. Leſſius P. Torres — Molina in concordia diſput. 1. membro 4. P. Leſſius opuſculo de auxilijs appendice ad c. 10. P. Torres opuſc.4. diſp.1. dub.2.

SECTIO SECVNDA.

Prima probatio contra meritum congruum operum Naturalium.

Probatio ex neceſſitate gratiæ. 5. IAm ab hac ſententia nulli Catholico diſcedere fas eſt. Primò quia ex ſacra ſcriptura, Concilijs, ac Patribus eccleſię habemus, vniuerſaliter non poſſe liberum arbitrium quidpiam agere boni ſine gratia Dei. At hæc doctrina tam vniuerſalis, & frequens, licet non comprehendat omnia bona opera moralia naturæ, minimùm comprehendere debet opera conducentia in noſtram iuſtificationem proximè vel remotè, merentia de congruo gratiam iuſtificantem, aut gratiam auxiliantem ad actus neceſſarios ad illam. Ergo ſine gratia Dei ſolis viribus arbitrij non poteſt natura quidpiam ſupernaturale de congruo mereri. Pręſertim cum teſtimonia ſacra pręcipuè agant de operibus, quę ad obtinendam iuſtificationem diſponunt, & conferunt, quę iuxta Catholicam doctrinam, quamquam intrinſecè ſupernaturalia ſint, ſolum de congruo meritoria eſſe poſſunt. Ioann. 15. Ita illud Ioannis 15. *Sine me nihil poteſtis facere.* 1.Cor.4. 1.Cor.4. *Quis eſt qui te diſcernit? Quid habes, quod non accepiſti?* Ad Phil. 2. Ad Philipp. 2. *Deus eſt qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.* Ioannis 6. *Nemo poteſt venire ad me niſi Pater meus traxerit eum.* Aliaque innumera, quę plane oſtendunt, abſque diuina ope nihil ſalutare poſſe arbitrio conuenire ſuis viribus relicto. Id quod planiuſ conſtabit ex Concilijs, & Patribus eccleſiæ, qui aduerſus Semipellagianos eis teſtimonijs vtuntur.

Concilium Palæſtinū. Auguſtinus. 6. Primum Concilium ad hanc veritatem ſtabiliendam coactum fuit in Palæſtina aduerſus Pellagium, vbi vt teſtatur Auguſtinus epiſt. 106. decretum fuit; *Gratiam Dei, & adiutorium etiam ad ſingulos actus dari, eamque non dari ſecundum merita noſtra, ſed per eius miſericordiam, qui dixit, miſerebor, cuius miſertus ero, &c.* Concilium Afric. Deinde concilium Africanum ducentorum, & quatuordecim Epiſcoporum, quod refert Proſper in Cronico, à toto orbe receptum fuiſſe; cuius decreto ſanctum eſt: *Gratiam Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, non ſolum ad cognoſcendam, verum etiam ad faciendam iuſtitiam nos per actus ſingulos adiuuare, ita ut ſine illa nihil vere, ſanctaque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus.* Con. Arauſ. Item in Gallia concilium Arauſicanum iuſſu ſancti Leonis, cuius canone 2. decernitur: *Diuini muneris eſt cum recte cogitamus, & pedes noſtros à falſitate, & iniuſtitia tenemus; quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiſcum vt operemur, operatur.* Canone 20. *Nulla facit homo bona, quæ non Deus præſtet, vt faciat homo.* Quò tres orbis partes Aſia, Africa, & Europa ad confirmandam iſtam doctrinam conſpirarunt.

7. Quibus accedunt tres illuſtres Romanę Eccleſiæ Pontifices, Innocentius in epiſtola ad concilium Carthaginenſe apud Auguſt. 91. & in epiſtola ad concilium Miliuitanum apud Auguſtinum 93. definiens; *in omnibus diuinis paginis voluntati liberæ non niſi adiutorium Dei legibus eſſe nectendum, eamque nihil poſſe cæleſtibus auxilijs deſtitutam.* Innocētius Auguſtinus. Zoſimus in epiſtola ad omnes Epiſcopos, cuius meminit Cæleſtinus in epiſtola ad Gallos cap. 9. ſtatuens, *in omnibus actibus, cauſis, cognitionibus, motibus adiutor, & protector Deus orandus eſt. Superbum eſt enim, vt quicquam ſibi humana natura præſumat.* Zoſimus. Ipſe Cæleſtinus in prædicta epiſtola cap. 8. aſſerens: *in bonis quibuſque voluntatis humanæ ſingulis motibus magis Dei, quam arbitrij auxilium valere:* Cæleſtinus.

8. Eiuſdem doctrinę aſſertores fuerunt Primores eccleſiæ Patres. Cyprianus lib 3. ad Quirinum cap. 4. *In nullo glorіandum, quando noſtrum nihil eſt*; eorum ſcilicet, quæ conferunt in ſalutem. Cyprianus. Ambroſius lib. 2. in Lucam cap. 12. *Vbique Domini virtus ſtudijs cooperatur humanis, vt nemo poſſit ædificare ſine Domino, nemo cuſtodire ſine Domino, nemo quicquam incipere ſine Domino.* Ambroſius. Hieronymus lib. 3. contra Pellagianos initio. *Hoc longa diſſertione concluſum eſt, vt gratia ſua Dominus, quia nobis conceſsit liberum arbitrium, in ſingulis operibus iuuet, atque ſuſtentet.* Hieronymus. Clarius, validiuſque Auguſtinus lib. 1. contra duas epiſtolas Pellagianorum cap. vltimo: *Cum nemo bene vti poſsit libero arbitrio, niſi per gratiam, quæ non ſecundum debitum datur.* Auguſtinus. Et lib. 2. cap. 5. *Liberum arbitrium dicimus ad bene, pieque viuendum non valere, niſi ipſa voluntas hominis, Dei gratia fuerit ad omne bonum actionis, ſermonis, cogitationis adiuta.* lib. 1. de gratia Chriſti cap. 47. *Si conſenſerit Pellagius etiam ipſam voluntatem, & actionem diuinitus adiuuari, vt ſine illo adiutorio nihil boni velimus, & agamus, eamque eſſe gratiam Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, in qua nos ſua, non noſtra iuſtitia facit iuſtos, vt ea ſit vera iuſtitia, quæ nobis ab illo eſt, nihil de adiutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controuerſia relinquetur.* De correctione, & gratia cap. 2. *Sine gratia nullum prorſus ſiue cogitando, ſiue volendo, & agendo faciunt bonum.* Proſper cōtra Collatorem cap. 38. *Non conturbat nos ſuperbientium inepta querimonia, quia liberum arbitrium cauſantur auferri, ſi, & principia, & profectus, & perſeuerantia in bonis, Dei dona eſſe dicantur:* Proſper. Ad Demetriadem pag. mihi 7. *Cum in peccatis agitur, propria diliguntur; cum autem in bonis, & rectis actibus laudabilis vita ducitur, Dei eſt quod geritur, Dei eſt quod amatur.* Item lib. de ingratis cap. 19. *Quod non fit à gratia, non bene fit.* Fulgentius ad Monimum cap. 14. *Quid eſt autem faciam vt faciatis, niſi mei erit operis omne bonum, quod operati fueritis? Ipſe ergo facit, vt faciamus, quo in nobis operante fit omne bonum, quod facimus. De quo dicitur ad Hebreos; aptet vos in omni bono faciens in vobis, quod placeat coram ſe.* Fulgentius. Cap. 15. *Quæcumque nobis facienda donat, ſicut habere non poſſumus, niſi ipſe nobis largiatur, ſic facere non poſſumus, niſi ipſe nobis, quæ largitus eſt, operetur. Propterea nullatenus ſinimus, imo ſalubriter prohibemus tam in noſtra fide, quam in noſtro opere tanquam noſtrum nobis aliquid vendicare.* Anſelmus lib. cur Deus homo cap. 9. *Quod quis* Anſelmus.

Digitized by Google

non habet de ſe, ſed à Deo, hoc non tam ſuum, quam Dei dicere debet. Nullus enim homo à ſe habet veritatem, quam docet, aut iuſtam voluntatem, ſed à Deo. Gregorius Greg. hom. 9. in Ezech. *Nos præuenit, vt velimus, & volentes ſubſequitur, ne inaniter velimus.* Denique Bernardus de gratia, & libero arbitrio. *Conatus noſtri, & caſſi ſunt, ſi non adiuuentur, & nulli, ſi non excitentur.* Quibus adde Magiſtrum ſcholaſticorum Principem in 2. d. 27. §. cum ergo *ex gratia quæ præuenit, & ſanat arbitrium, & ex libero arbitrio procreatur in homine omnis bonus affectus.* En eccleſiæ Patres ſine diſcrimine docent hominem ſuo arbitrio ſine adiutorio gratiæ Dei bene agere velle, aut cogitare non poſſe. Qui, eſto non velint omnia vniuerſim opera bona indigere auxilio diuinæ gratiæ, conſenſu tamen communi Theologorum volunt opera ſaltem aliquo merito conferentia in primam, aut poſtremam ſalutem non in vires arbitrij, ſed in gratioſa Dei ſubſidia referenda eſſe. Atque adeo nullum eſſe poſſe meritum de congruo doni ſupernaturalis, quod ſola facultate naturæ fiat. Quare interdum adeo deprimunt virtutem naturę, vt eam ſecluſa gratia ad ſolum peccandum valere pronuntient. Ita Patres Arauſicani cap. 22. Auguſtinus tract. 5. in Ioannem lib. 2. de peccatorum meritis. c. 18. lib. 4. contra Iulianum cap. 3. contra duas epiſtolas Pellagiani cap. 8. & alibi ſæpe. D. Proſper ad cap. Gallorum 6. Quî igitur credendum poteſtatem merendi de congruo ſupernaturalia, naturæ auxilio gratiæ deſtitutæ aliqua ratione conuenire?

Patres Arauſicani. Auguſtinus Proſper

SECTIO TERTIA.

Secunda probatio contra meritum congruum operum naturalium.

Argumentum ex imbecillitate naturæ ad opus ſalutare.

9. SEcundum argumentum ad euertendum meritum congruum naturæ conficio ex alio principio ſacris ſcriptoribus familiariſſimo. Nempe cum de neceſſitate diuinę gratiæ confirmantis imbecillitatem naturę diſſerunt, non ſine concilio notantur adiungere eam gratiam ad opera, *quæ ad iuſtitiam, ad pietatem, ad ſalutem, ad iuſtificationem,* aut quid ſimile attinent, neceſſariam eſſe, manifeſtè indicantes naturam ſuis viribus ad nihil ſalutare, neque per modum meriti, neque per modum diſpoſitionis poſitiuæ valere. Primus huius notationis autor eſt D. Petrus 2. 1. n. 7. *Quomodo omnia nobis diuinæ virtutis ſuæ quoad vitam, & pietatem donata ſunt per cognitionem eius, qui vocauit nos! &c.* Omnia, quæ ad vitam, & pietatem pertinent, tum donata, tum diuina, non humana acquiſita virtute prædicantur. Nulli igitur ſunt virtutum naturalium actus ſolis naturæ viribus eliciti, qui ſuo ſalutari merito his donis initium tribuant. Collectio eſt Proſperi contra Collatorem cap. 29. *Numquid virtutum ſemina, quæ naturaliter habebamus inſerta, epitulatione ſua excitauit in nobis? Sed ait, qui nunc omnia nobis, quæ ad vitam æternam, & pietatem pertinent, donauit.*

Petrus 2. 1. Proſper

2. Pet. 1. *Quid dicendo, diuinæ virtutis, in natura initium poſuit, quod non ab eo collatum ſit, qui cuncta donauit?* 2 Pet. 1.

10. Eodem concilio idem adiungit, & notat Arauſicanum ſecundum can. 6. *Si quis ſine gratia Dei credentibus, volentibus, deſiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, ſtudentibus, petentibus, quærentibus, pulſantibus nobis miſericordiam dicit conferri, non autem diuinitus, vt credamus, velimus, vel hæc omnia, ſicut oportet agere valeamus per infuſionem, & inſpirationem ſancti Spiritus in nobis fieri confitetur, aut humilitati, aut obedientiæ humanæ ſubiungit gratiæ adiutorium, reſiſtit Apoſtolo dicenti, quid habes, quod nõ accepiſti?* Item can. 7. *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ cogitare, aut eligere poſſe confirmat abſque illuminatione, & inſpiratione Spiritus ſancti hæretico fallitur ſpiritu.* Eadem decernit Canon. 25. Si autem poſſet homo per fidem, vigiliam, deſiderium, contritionem, orationem, aut obedientiam humanam, viribus naturę elicitam, miſericordem gratiæ iuſtificantis, aut auxiliantis largitionem comparare, quis neget, poſſe homini ſine gratia Dei credenti, vigilanti, oranti, deſideranti miſericordiam conferri, pluraque ab eo humana opera ſine inſpiratione Spiritus ſancti per ſolum naturę vigorem prout oportet fieri, humanæque humilitati, aut obedientię adiutorium gratiæ ſubiungi? Eodem modo Africani Concilij Patres vt ſcribit Proſper in reſponſione ad cap. 8. Gallorum definierunt gratiam Dei nos per actus ſingulos adiuuare; *ita vt ſine illa nihil vera, ſanctæque pietatis habere, cogitare valeamus.* Concilium autem Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 5. præcurrentem gratiam ad noſtræ iuſtificationis exordium adeo neceſſariam eſſe docet, *vt abſque illa liberum arbitrium mouere ſe ad iuſtitiam coram illo libera ſua voluntate non queat.* Paulo poſt: *Si quis dixerit ſine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque eius adiutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pænitere poſſe ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Rurſus Concilium Moguntinum cap. 5. *Homines nondum adiuti gratia Dei ea, quæ ſunt Spiritus, & ad ſalutem conferunt non agnoſcere, ne dum appetere queunt.* Opera autẽ meritoria de congruo gratię ſupernaturalis, iuſtificantis aut auxiliantis, actus ſunt verę, ſanctæque pietatis, conferentes in ſalutem; quibus liberum arbitrium ad iuſtitiam ſe mouet; prout oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur. Ergo.

Con Arauſ. Proſper Conc. Trid. Concil. Mogunt.

11. In eamdem notationem veniunt plurima ſanctorum Patrum teſtimonia. Auguſtinus lib. de gratia Chriſti cap. 27. *Gratiam Dei ſic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, vt omnino nihil boni ſine illa, quod ad pietatem pertinet, veramque iuſtitiam fieri poſſe non dubitet.* lib. de prædeſtinatione ſanctorum cap. 2. *Quod ergo pertinet ad religionem, atque pietatem de qua loquitur Apoſtolus; ſi non ſumus ſufficientes cogitare aliquid, quaſi ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, profecto non ſumus idonei: &c.* Epiſt. 146. *vt nec negetis Dei gratiam, nec liberum arbitrium ſic defendatis, vt ſine illa, vel cogitare aliquid, vel agere ſecundum Deum vlla ratione poſſimus.* lib. de bono per- Auguſtinus

ſeuerantiæ cap.16. *Quod attinet ad pietatis viam, verumque Dei cultum non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis &c.* Denique ne omnia perſequar, lib.de gratia, & libero arbitrio cap. 17. *Sine illo vel operante vt velimus, vel cooperante cum volumus ad bona pietatis opera nihil valemus.* Quibus addenda ſunt quæ habet Auctor Hypognoſt. lib.3. cap.4. *Eſſe fatemur liberum arbitrium, non per quod ſit idoneum, quæ ad Deum pertinent ſine Deo, aut inchoare, aut certe peragere.* Et cap. 10. *Quiſquis ſic eſſe dixerit liberum arbitrium, quod ſine Deo bonum opus, quod ad eius ſanctum propoſitum pertinet, nec incipere, nec perficere poſſit, Catholicus eſt.* Rurſus quæ ſcribit Author de eccleſiaſticis dogmatibus cap.44. qui putatur Gennadius. *Si quis dixerit per naturæ vigorem bonum aliquod quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ cogitare vt expedit, aut eligere poſſe abſque illuminatione, aut inſpiratione Spiritus ſancti hæretico fallitur ſpiritu.* Eadem ratione Proſper contra Collatorem cap.19. *Perditio autem, per quam ad æternam, atque inamiſſibilem corporis & animæ incorruptionem poterat peruenire, quid ei remanſit, niſi quod ad temporalem pertinet vitam, quæ tota eſt damnationis, & pœnæ.* Item lib.de ingratis cap.20.

Nonnè
Perſpicuum eſt quantum damnatos conſonetis?
Dum cuique ad vera capienda exordia vitæ
Naturam, affectum fidei conferre docetis?

Item cap. 39.

Cum damnatis ſapiunt, damnataque proponunt cum dicunt
Nec ſolum ad vitæ præſentis commoda ſolers
Sufficere ingenium, quo ſe tueatur, & ornet
Sed ſummis etiam mentem aptam percipiendis
Æterniſque bonis, ſponte ad cæleſtia ferri.

Similiter cap.41. recenſens plura de quibus natura gloriari poteſt ſua virtute partis, vt

Quòd legibus vrbes
Inſtituit, moreſque feros ratione recidit,

Tandem claudit.

Quæ licet ex primo naturæ habeantur honore;
Non tamen ad veram poſſunt perducere vitam.

Fulgentius. D.Fulgentius deniquè de incarnatione, & gratia cap.21. *Nullus eſt qui naturaliter poſſit aliquid boni velle quod pertinet ad vitam æternam.* Igitur ea, quæ pertinent ad animæ ſalutem, & vitam; ad iuſtitiam, ad religionem, & pietatem; ad ſanctum Dei propoſitum, ſecundum Deum, & in Deo, neque ſolum ad temporalem vitam, neque ad vitæ præſentis commoda tantum, vt Eccleſię Patres loquuntur, nequaquam poſſunt ſolis naturę viribus haberi. At opera de congruo merentia gratiam iuſtificantem, & auxiliantem ſupernaturalem, aut prĕmium aliud ſupernaturale, quamuis accidentale gloriæ, pertinent certiſsimè ad animæ ſalutem, & vitam, ad iuſtitiam &c. & non ſolum ad vitam temporalem, & eius commoda. Ergo eius conditionis opera ſola facultate naturæ fieri nequeunt. Confirmatur: Peccatori, & infideli negantur ſine auxilio gratiæ opera eo modo ſalutaria, quo eidem conceduntur ſalutaria cum auxilio gratiæ. Sed opera peccatoris, & infidelis cum auxilio gratię ſolum ſunt meritoria de congruo, & non de condigno. Ergo ſine auxilio gratiæ non ſolum de condigno, ſed etiam de congruo meritoria negantur.

SECTIO QVARTA.

Tertia probatio contra meritum congruum naturæ.

12. HAurio tertiam probationem ex alia conſtantiſſimæ Patrum doctrina; nullum gratiæ, iuſtitiæue, pietatis, aut ſalutis initium tribui facultati naturæ; ſed omne exordium, omneque inchoationis genus ad iuſtitiam, ſalutem, & vitam non à libero arbitrio viribus ſibi debitis agente, ſed à gratia ſupernaturali ſumendum eſſe. At ſi libero arbitrio ſuis viribus incipienti annecteretur gratia auxilians, & iuſtificans per meritum congruum ipſius naturæ comparata, planiſſimè ſumeretur initium ab arbitrio, & non à gratia. Ergo incipere nequit natura iuſtificationem, & ſalutem merito congruo alicuius doni ſupernaturalis. Explicatur: Gratia, & fides collata per Chriſtum dicitur verè inchoare noſtram iuſtificationem, & ſalutem per actus, quos excitat in peccatore diſponentes ad illam: quamquam hi actus non ſint meritorij de condigno, ſed tantum de congruo donorum ſupernaturalium. Ergo ſi natura ſuis viribus efficeret actus poſitiuo merito conferentes in iuſtificationem, & ſalutem, verè diceretur initiare noſtram iuſtificationem, & ſalutem; quamuis hoc meritum non eſſet condignum, ſed congruum. Alia ratiò ex initio ſalutis impoſſibili naturæ.

13. Hoc autem naturæ initium damnat Arauſicanum 2.can.3. *Si quis inuocationem humanam gratia Dei dicit conferri, non autem ipſam gratiam facere vt inuocetur à nobis, contradicit Eſaiæ, vel Apoſtolo dicenti: inuentus ſum à non quærentibus me.* Can.4. *Si quis, vt à peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare contendit, non autem vt etiam purgari velimus, per ſancti Spiritus infuſionem, & operationem in nobis fieri confitetur, reſiſtit ipſi Spiritui ſancto dicenti; præparatur voluntas à Domino.* Can.5. *Si quis ſicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipſum credulitatis affectum, non per gratiæ donum, & naturaliter nobis ineſſe dicit, Apoſtolicis dogmatibus aduerſarius approbatur.* Etiam Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 5. *Declarat præterea* (ſancta Synodus) *ipſius iuſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum Ieſum præueniente gratia ſumendum eſſe.* Item Synodus Moguntina cap.7. definit; *Iuſtificationis initium ex Dei gratia prouenire, qua ante omne meritum, dum adhuc inimici ſunt excitati, & adiuti, eidem gratiæ ſic excitanti, & adiuuanti conſentientes, & cooperantes ad iuſtificationem diſponuntur.* At ſi valeret natura ſuis viribus agere actus de congruo meritorios gratiæ ſupernaturalis, certè poſſet natura ante ipſam gratiam inuocare, & impetrare illam; habere voluntatem purgandi ſe à peccatis, & credendi; exordiumque aliquando iuſtificationi præbere, merendo auxilium gratiæ ad fidem, & contritionem neceſſariam. Ergo nullum meritum gratiæ ſupernaturalis etiam de congruo libero Concil. Arauſicanum.

Digitized by Google

arbitrio deſtituto gratiâ Dei tribuendum eſt. Sanè id genus inceptionis, ac meriti pertinentis ad iuſtificationem, & ſalutem negant hæc teſtimonia arbitrio peccatoris, & infidelis ſine gratia; quod eidem tribuunt cum actuali gratia ante ipſam iuſtificationem & ſalutem. At hoc genus inceptionis, ac meriti non eſt condigni, ſed congrui, vt concors eſt omnium Theologorum ſententia. Ergo manifeſte negatur genus inceptionis, & meritum de congruo.

Auguſtinus

14. Eadem doctrina apud Eccleſiæ Patres frequentiſſima eſt. Auguſtinus lib. de bono perſeuerantiæ cap. 13. *Satis dilucidè oſtenditur, inchoandi gratiam Dei non ſecundum merita noſtra dari, ſed donari ſecundum ipſius ſecretiſſimam, eamdemque iuſtiſſimam, beneficentiſſimam, ſapientiſſimam voluntatem.* lib. 83. qq. q. 68. *Et ſi quiſquam tribuit quod venit vocatus; non ſibi poteſt tribuere, quod vocatus eſt.* Nullum igitur præcedit naturæ meritum, cui inchoatio gratiæ, vocatioque diuina tribuatur, ſed ſecretiſſimę tantum, ac beneficentiſſimæ voluntati Dei. De prędeſtinatione ſanctorum cap. 2. *Sicut nemo ſufficit ad incipiendum vel perficiendum quodcumque opus bonum; vnde in omni opere bono, & incipiendo, & perficiendo ſufficientia noſtra ex Deo eſt; ita nemo ſibi ſufficit ad incipiendam fidem, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Proſper lib. 1. de vocat. Gent. cap. 8. *Si quærit victoriam, non dubitet quærendi affectum ab illo ſe accepiſſe, quem quærit.* Et infra iuxta Codicem Cambronenſem. *Nullo mortalis homo ſpiritualem noui generis dignitatem deſiderio appetit, qui calorem ipſius deſiderij non accepit à Deo.* Contra Collatorem cap. 8. *Doces ergo habere hominem à ſemetipſo deſiderium ſanitatis.* Quod ſic reijcit. *Salus prima eſt, vt ſibi incipiat diſplicere. Sequens vero eſt, vt & ſanari deſideret. Quæ curationem ipſius ſic præcedunt, vt ei ab illo, qui ægram ſanaturus eſt, inſerantur. Ne cum ei nullo modo hæc ineſſe poſſunt, merito videatur ſaluata, non gratia.* Cap. 15. *Defendimus non ſolum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo eſſe principium, qui nobis & initium ſanctæ voluntatis inſpirat, & virtutem, atque opportunitatem eorum, quæ rectè cupimus, tribuit, peragendi.*

Fulgentius

Fulgentius multus eſt in hac doctrina proponenda lib. de incarnat. & gratia cap. 1. *Gratia gratis indignis ita tribuitur, vt ipſa in nobis & exordium, & profectũ bonæ voluntatis operetur.* Cap. 13. *Sic manſit oppreſſus, vt nullatenus aliquod bonæ voluntatis initium habere potuiſſet, niſi hoc Deo gratis donante ſumpſiſſet.* Cap. 16. *Quomodo de poſſibilitate ſolius liberi arbitrij ſi non præueniatur adiutorio gratiæ Dei, quantulumcumque ſibi bonæ voluntatis & operis exordium repromittit, quæ nec ſana potuit Dei ſeruare mandatum?* Item lib. 1 ad Monimum cap. 8. *Operatio gratiæ meritum hominis bonum & initiat ad iuſtitiam, & conſumat ad gloriam. Primo inchoans in homine voluntatem bonam; deinde eamdem voluntatem adiuuans inchoatam.* Demum epiſt. 6. ad Theodorum Senatorem: *vt deſideremus adiutorium gratiæ, hoc ipſum quoque opus eſt gratiæ; Ipſa namque incipit infundi, vt incipiat poſci.* Quid clarius, quam hæc Auguſtini, Proſperi, & præcipuè Fulgentij teſtimonia ad remouendum à libero arbitrio initium bonæ & meritoriæ voluntatis, promouentis hominem in fidem & ſalutem. Adde Iſidorum de ſummo bono lib. 2. cap. 5. *Hominis meritum ſuperna gratia non vt veniat, inuenit; ſed poſtquam venerit, facit in ea meritum, quod remuneret, quæ ſolum inuenerat, quod puniret.* Denique S. Thomam 2. 2. q. 24. art. 3. ad 1. vbi concedens aliquam cauſam varietatis gratiæ referri poſſe in diſpoſitiones arbitrij adiungit: *Sed hanc etiam diſpoſitionem, vel conatum præuenit Spiritus ſanctus mouens mentem hominis, vel plus, vel minus ſecundum ſuam voluntatem.* Nulla igitur præcedit diſpoſitio, nulla meritoria voluntas gratiam Dei, cuius intuitu ipſa infundatur, ſed ipſa præuenit omnem naturæ diſpoſitionem, & conatum, quæ antequam veniat, nihil inuenit, quod remuneret, ſed ſolum quod puniat. Perperam igitur adſtruitur meritum congruum alicuius doni, ſeu gratiæ ſupernaturalis elicitum ſola facultate naturę. Duplex ſolutio poteſt occurrere ſuperioribus teſtimonijs. Prior, Eccleſiæ Patres ſolum agere de merito condigno, & non congruo. Poſterior, agere ſolum de merito congruo proximo ad iuſtificationem, non vero remoto impetrante aliquam gratiam actualem. Sed his explicationibus occurremus ſect. 6.

Iſidorus

S. Thomas

SECTIO QVINTA.

Quarta probatio contra meritum congruum naturæ.

Arguitur ex collatione gratuita gratiæ.

15. COnficitur quarta probatio ex alio dogmate, Patribus contra Semipelagianos familiariſſimo: videlicet gratiam auxiliantem, & actualem gratis dari nullo præcedente merito naturæ: alioqui gratia non erit gratia. Vbi cum omne naturæ meritum ſine diſcrimine excludant, periculoſe meritum congruum adſtruitur. Sumunt ex Paulo ad Rom. 11. *Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ ſecundum electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt. Si autem gratia, iam non ex operibus. alioquin gratia iam non eſt gratia.* Quaſi diceret: quemadmodum cum penè vniuerſam Iudæorum nationem impius idolorum cultus occupaſſet, non paucos tamen Deus ſuæ gratiæ beneficio ab illa impietatis contagione immunes, integroſque ſeruauit; ita nunc ex innumerabili Iudæorum multitudine, qui Euangelio reluctantur, nonnullos liberaliter, gratuitoque ſelegit, qui fidem Chriſti, & religionem ſectarentur. Quod ſi electione gratiæ, hoc eſt gratuita (vt volunt Auguſtinus, & alij Patres ex phraſi hæbraica) factum eſt, planè non erit operum merito; quæ ab eadem gratia non procedant. Sic intelligit Auguſtinus hunc locum pluribus in locis; De prædeſtinat. Sanctorum cap. 2. *Non ergo elegit Deus opera cuiuſquam in preſcientia quæ ipſe daturus eſt, &c. Reliquiæ per electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt. Quæ vtique non eſt gratia, ſi eam vlla merita præcedunt.* Ita hoc Pauli teſtimonio omne naturæ meritum anteuertens noſtram iuſtitiam, & gratiam deteſtantur Eccleſiæ Patres. Ita Patres Arauſicani can. 17. fortitudinem fidelium ex gratia Chriſti

Rom. 11.

Auguſtinus

Arauſic.

Digitized by Google

prouenire, quę eis datur *non per voluntatis arbitrium, ſed per Spiritum ſanctum nullis meritis gratiam praeuenientibus*. Tridentini vero; exordium iuſtificationis ſumendum eſſe à *Dei per Christum Ieſum praeueniente gratia, hoc eſt, ab eius vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur.* Moguntini autem cap. 7. *Iuſtificationis initium ex Dei gratia prouenire, qua ante omne meritum excitati; & adiuti & eidem gratiae excitanti, & adiuuanti conſentientes, & cooperantes ad iuſtificationem diſponuntur.*

Trident.

Mogunt.

Auguſtinus

16. Item Auguſtinus lib. de prædeſtinatione ſanctorum, cap.1. *Dei gratia omnino nulla eſt, ſi ſecundum merita noſtra datur.* Cap.3. *quae vtique non eſt gratia, ſi eam vlla merita praecedunt.* lib.2. de peccato orig. cap. 24. *Non enim Dei gratia gratia erit vllo modo niſi gratuita fuerit omni modo.* lib. de natura & gratia cap.4. *Hac igitur Christi gratia, ſine qua neque infantes, neque aetate grandes ſalui fieri poſſunt, non meritis redditur, ſed gratis datur, ideoque gratia nominatur; iuſtificati, inquit, gratia per ſanguinem ipſius*: De verbis Apoſtoli ſerm.15. cap.2. *Non ex operibus ne forte dicas, promoueri & ideo accipi. Non putes te promerendo accepiſſe, quia non promereres, niſi acciperes. Gratia praeceſſit meritum tuum: non gratia ex merito, ſed meritum ex gratia. Nam ſi gratiam ex merito emiſti, non gratis accepiſti. Pro nihilo, inquit, ſaluos facies eos. Nihil in eis inuenis, vnde ſalues. Gratis das, gratis ſaluas. Omnia merita praecedis, vt dona tua conſequantur merita mea. Prorſus gratis das, gratis ſaluas, qui nihil inuenis, vnde ſalues, & multum inuenis, vnde damnes.* Idem de verbis Domini ſerm. 14. cap. 4. contra duas epiſtolas Pellagianorum cap.7. & 11. q.2. ad ſimplicianum antè medium. lib.4. contra Iulianum Pelagianum cap. 3. epiſt 105. Quo nihil eſt frequentius in operibus Auguſtini. D. Proſper epiſtola ad Auguſtinum ante librum de prædeſtinat. Sanctorum, de errore Semipellagianorum ſcribens; *Ad confitendam eam Christi gratiam, qua omnia praeueniat merita humana, cogantur, ne ſi meritis redditur, fruſtra gratia nominetur.* Ad excepta Genuentium ad dub. 3. *Peruerſitatem incurrit, qui de naturali bono caetera dona mereatur.* Contra Collatorem cap.8. docet deſiderium & cognitionem ſalutis à *Deo inſeri: ne cum ei vllo modo haec ineſſe poſſint merito videatur ſaluata non gratia*, lib. de ingratis cap.19. agens de gratia.

Proſper

Qua voluntatis meritum creat.
Ergo voluntatis Genitrix, operumque Creatrix
Non eſt ex merito: quoniam quod non fit ab illa
Non benefit ———

Fulgentius

Fulgentius de incarnatione & gratia cap. 18. *Bonam voluntatem (ſicut illi volunt) gratia in nobis inuenit, quam ipſa nobis dedit; imo ſi ſic eſt, nos priores Deo voluntatem damus, atque ita gratiam non miſeratione tribuentis, ſed aequitate Dei retribuentis accipimus.* Ibidem poſt medium. *Paulus non ideo eſt adiutus Dei gratia, quia credere voluit, ſed vt credere vellet, donum gratiae praeuenientis accepit*: Et fine: *Reuera vt velimus miſericordiae praeuenientis illuminamur dono, & vt curramus miſericordiae ſubſequentis fulcimur auxilio.* Igitur humanum meritum nulla ratione anteuertit gratiam Dei ſupernaturalem, quę obiectum eſt proprium liberalis, & gratuitæ donationis diuinæ. In cuius confirmationem veniunt teſtimonia, quæ docent antè gratiam nihil conuenire libero arbitrio, niſi ſuperbiam & peccatum, quę retulimus num.8. Qua igitur ratione gratia inuenire poteſt meritum, cuius intuitu donetur.

SECTIO SEXTA.

Confirmantur ſuperiora, oſtendendo Patres Eccleſiæ de merito cõgruo, atque remoto ad noſtram iuſtificationem diſſeruiſſe.

17. Solemnis eſt horum teſtimoniorum explicatio, quam perſuadere volunt nonnulli recenſiores. Cum Vega lib.8. in Trident. cap. 5. Scilicet Patres Eccleſiæ non de merito congruo, ſed tãtum condigno diſſeruiſſe. Quia cum merito congruo componitur gratuita donatio, quæ merito condigno repugnat; vt iuſtificatio gratioſa dicitur, licet congruę diſpoſitioni reſpondeat. Sed ferenda non eſt hęc perſuaſio, quæ licentiam facit, impune aſſerendi poſſe hominem ſuis viribus abſque gratia Dei ſufficienter ad fidem, & iuſtificationem diſponi, quod meo iudicio nihilo differt à Semipellagianorum errore. Etenim licet id, quod retribuitur ratione meriti congrui, vt gratia iuſtificans ratione contritionis, poſſit & ſoleat rectè appellari gratia, cæterum dubitari non poteſt, quin aliquantulum detrahat perfectioni liberalitatis, & gratiæ, quod donum intuitu alicuius operis diſpenſatur, perfectioremque, ac ſtrictiorem gratiæ rationem conuenire donationi, quę nullo, neque congruo merito mouetur. Quare Auguſtinus ep.105. & lib.83. qq.q.68. docet; iuſtificantem gratiam, quę confertur peccatori, non dari omnino gratis, quia præcedit fides, & dolor intuitu cuius infunditur, licet abſolutè detur gratis, & ſine merito condigno. Patres ergo cum Paulo ſupra, cum abſolutè dicunt, quod intuitu operum confertur, non eſſe gratiam, loquuntur de hac ſtrictiſsima gratia, quæ nulla ratione à perfectione gratiæ declinat, contendentes eiuſmodi eſſe illam, qua Deus inchoat, & perficit hominũ ſalutem. Imo iuſtificationem peccatoris abſolutè gratioſam vocari, non ſolum quia ex benignitate diuina confertur, ſed etiam quia opera, quæ talem benignitatem alliciunt, ex gratia omnia merita præuenienti fiunt, vt Tridentinum, & Moguntinum ſupra ſatis indicant, cum iuſtificationis gratiam in vocationem ante omnia merita prouiſam referre volunt.

Improbanda explicatio de merito condigno.

Auguſtinus

18. Hanc mentem plura faciunt certiſſimam. Primò: Quia Semipellagiani reuera ſolum contendebant aliquod meriti genus à congruo, & condigno præſcindens, quod præberet initium noſtrę iuſtificationi, aut fidei, facultati naturali tribuere: ideoque interdum ſolum congruum, interdum etiam condignum meritum, eorum aſſerta comprehendebant: vt exponebamus diſp.15. ſect.3. Ergo niſi omne meritum viribus naturæ elicitum, tam congruum, quam condignum euerterent Eccleſiæ Patres; indemnem relinquerent aduerſa-

Prima ratio.

Secunda. riorum doctrinam. Secundo: Quia illud met meritum ante gratiam, & fidem colligunt Patres ex doctrina Semipellagianorum, quod ipſi Patres adſcribunt fidei poſt gratiam: At meritũ fidei elicitæ ex gratia ab homine infideli, & peccatore, omnium quidem Catholice ſentientium iudicio non eſt condignum, ſed congruum. Ergo ex doctrina Semipellagianorum non deprehenditur determinatè, & neceſſario meritum condignum, ſed congruum. Conſequentia eſt legitima. Minor à nullo Theologo negatur. Maior eſt expreſſa Auguſtini de prædeſtinatione Sanctorum cap. 2. vbi probans fidem eſſe donum gratuitum, & non ex merito, ait, poſita fide poſſe hominem aliqua ratione mereri cætera dona, ac proinde ſi ipſam fidem non auctam proprijs viribus comparare valet, omnia dona gratiæ abſolute ſecundum merita naturæ dari; quod Pellagius damnauit, ne ipſe à Patribus Paleſtinis damnaretur. Accipe Auguſtinum. *Quis autem dicat, eum qui iam capit credere, ab illo in quem credidit, nihil mereri? Vnde fit, vt iam merenti catera dicantur addi retributione diuina, ac per hoc gratiam ſecundum merita noſtra dari. Quod obiectum ſibi Pellagius, ne damnaretur, ipſe damnauit.* Item Proſperum contra *proſper.* Collatorem cap. 6. *Quomodo autem non aduertis te in illud damnatum incidere, quod velis, nolis, conuinceris dicere; gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari, cum aliquid pracedere boni operis ex ipſis hominibus, propter quod gratiam conſequantur, affirmas? Non enim nullius meriti haberi poteſt petentis fides, quarentis pietas, pulſantis inſtantia.* En bono operi præcedenti gratiam, illud meritum, quod ipſi fidei, adeſſe contendunt. Vbi expendo hoc meritum non tam à Semipellagianis aſſertum, quam conſequentiæ vi, ex ipſorum doctrina conſtituente viribus naturę initium gratiæ, tanquam abſurdum deductum à Patribus proponi. At planè conſequentiæ vis eſſet nulla, ſi in homine peccatore, & infideli meritum determinate condignum, & non meritum pręſcindens à condigno, & congruo colligerent; cum ipſi Patres, fidei ex gratia profectæ, ſolum meritum congruum adſcribant. Ergo.

Tertia. 19. Vndè tertio aſſumptum euinco. Illud meritum operis præcedentis gratiam euertere contendebant, quod operi, ſi à gratia eſſet profectum, conueniret; ideoque ſi initium fidei, & voluntatem credendi faterentur Semipellagiani procedere à gratia, ſicut ipſam fidem, eiuſque augmentum, nulla cum illis eſſet Auguſtino, & Proſpero contentio. Cum autem eis diſputatio eſſet de gratia auxiliante, & non iuſtificante, certè operi à gratia auxiliante præcedenti ſolum conueniret meritum congruum. *Quarta.* Ergo. Quarto: Pellagiani, & Semipellagiani objicientes ſibi gratiam gratis, & non ſecundum merita dari, ne à Patribus damnarentur, recurrebant ad initialem gratiã naturæ, in creatione ipſius omnia præuertente merita conſtitutam. Si autem gratia à Patribus contenta poſſet componi cum merito congruo, non eſſet, quare ad ſaluandum abſolute gratiam cogerentur recurrere ad primam creationis gratiam, cum facilius ſe poſſent tueri, dicendo ab ipſis non adſtrui facultate naturæ initium gratiæ condignum, ſed congruum. Ergo gratia Catholica adeò gratioſe donata, exquirebatur à Patribus, vt facultate naturæ neque meritum congruum præiret. Rurſus Semipellagiani id *Quinta.* ſua opinione volebant, vt fides, & gratia adiungeretur noſtris conatibus, & deſiderijs, ratioque ſalutis vnius, præ alio, *non in incertũ voluntatis Dei deduceretur, ſed in qualecumque initium noſtra voluntatis*, vt refert Hilarius in Epiſtola ad Auguſtinum; vel vt refert Proſper, *proſper.* *ideo accipiat, ideo inueniat, ideo introeat, quia petendo, quarendo, pulſando, bono natura bene vſus eſt.* Vbi autem Semipellagianis concederetur meritum congruum naturæ, certè gratia, fides, & ſalus hominis non deducebatur in incertum voluntatis Dei, ſed in aliquale initium voluntatis humanæ, verumque eſſet, ideò hominem accipere, inuenire, & introire, quia facultate naturali, quæſiuit, petijt, & pulſauit: vt ex gratia iuſtificante collata operibus elicitis ex gratia, ſolumque de congruo meritorijs arguere eſt. Ergo. Demum legantur Patres, manife- *Sexta.* ſtum erit, eos omne meritum viribus naturæ elicitum etiam congruum ante gratiam deteſtari. Nam vt naturæ initium reijciant, aiunt, naturam ante gratiam nihil habere, quod muneribus compenſet, ſed ſolum quod ſupplicijs caſtiget. Item inchoantem vocationem, & gratiam in Dei ſecretiſſimam voluntatem reuocãdam. Rurſus gratiam auxiliantẽ dari homini, vt bene agat, non quia benè aliquid egit. Ita Au- *Auguſtinus* guſtinus, Proſper, Fulgentius, & Iſidorus ad- *proſper. Fulgentius,* ducti lectionibus ſuperioribus. Si autem poſſet *Iſidorus.* impunè defendi meritum congruum naturæ antecedens gratiam, non eſſet, quare Patres ad tuendum gratiam in hæc aſſerta confugerent, quæ omne prorſus meritum naturæ præcurrens, gratiam excludunt. Ergo Patrum iudicio aduerſarius eſt, qui Dei gratiam non adeò gratioſe donatam profitetur, vt nec ſecundum congruum naturæ meritum detur.

20. Obijciuntur in hanc doctrinam plura, quæ gratiam ſimpliciter dictam cum merito de congruo, & impetratione componunt. Primo perſeuerantiæ donum, quod gratis datum aſſeritur à Patribus; quamuis interdum merito de congruo impetretur. Secundo iuſtificatio peccatoris, quæ omnino gratioſa prædicatur; licet dependenter à congrua diſpoſitione donetur. Tertio; Quia vt latè probat Molina tract. 2. de iuſtitia, diſp. 208. 238. 243. 244. 286. & 292. inter homines, quod bonum conferatur ad petitionem donatarij, non deſtruit rationem veræ donationis, & vt donatio dicatur antidotalis iuxta ſenſum legis Aquilius, non ſufficit preces donatarij, neque aliqua etiam obſequia præceſſiſſe. Quarto; Quoties in cõtractu etiam oneroſo non eſt æqualitas inter datum, & acceptum, vt ſi optimus equus vendatur decem argenteis, neceſſario miſcetur aliqua donatio. Quibus docent Vega lib. 2. in Trident. c. 8. & *Vega.* 5. P. Leſſius, Apolog. de gratia efficaci cap. 10. *P. Leſſius.* num. 30. & P. Suares 1. p. lib. 12. de prædeſt. *P. Suares.* c. 2. num. 24. & cap. 6. num. 24. referens Cardinalem Toletum in cap. 8. ad Roman. & 11. *Toletus.*

rationem

Digitized by Google

rationem veræ gratiæ non deſtrui per meritum de congruo.

21. Verum hæc non aduerſantur ſuperiori doctrinæ, quæ non tuetur meritum de congruo deſtruere rationem gratiæ ſimpliciter, ſed tantum illam ſtrictam, & ſpecialem gratiam, quam Patres contra Semipellagianos exquiſierunt, quæ non ſolum meritum de condigno, verum etiam de congruo procedens ex viribus naturæ prorſus excludit, vt manifeſtè ſuperiora conuincunt. Vnde libenter concedo poſſe abſolutè gratiam in vero, & proprio ſenſu cohærere cum merito præcedenti de congruo. Nego tamen, Eccleſiæ Patres ſolam hanc rationem gratiæ voluiſſe ſaluare; ſed ſpecialem illam, & ſtrictam perfectionem gratiæ, quæ nulla ratione à gratiæ perfectione declinet, vt expoſuimus num 17. Itidem volo, donum perſeuerantiæ, & iuſtifi. ationem à Patribus eo ſenſu gratis donata dici, quia licet meritum de congruo præcedat; tamen tale meritum non eſt elicitum viribus proprijs naturæ, ſed auxilio gratiæ omnino gratis collato, & abſque merito congruo. Et quidem hac ratione liberum Patribus erat, gratiam appellare; quia vocibus vti poſſumus, vt volumus; eiſquè præcipuè temporibus ſic vti nomine gratiæ expediebat, tùm quia à Paulo, & ſacris ſcriptoribus in ea vſurpatione frequenter accipitur; tùm quia radicitus euellendus erat error Semipellagianorum, qui tunc induſtriæ humanæ, & ſtudio naturali adiungebat gratiæ dona, & incipiebat ſua contagione plurium grauium virorum mentes fetire.

Al'a Patrũ expoſitio. 22. Alia explicatio præberi poteſt ſuperioribus argumentis, in quam plures recẽtiores ſuis temporibus inclinant. Videlicet Eccleſiæ Patres non de merito remoto impetrante auxilium gratiæ, ſed de merito tantum proximo, cui infallibiliter ſalus annexa eſt, cum Semipelagianis contendiſſe. Sed facile ruit iſta explicatio. Quia Eccleſiæ Patres non ſolum deteſtantur meritum ad perficiendam iuſtificationem, ſed etiam ad illam incipiendam, & inchoandam deſiderando, petendo, aut aliqua ratione quærendo, quin ferant vllum naturæ conatum anteuertere auxilium diuinę gratiæ. Meritum autem remotum gratiæ negari non poteſt, aliquod initium eſſe noſtræ iuſtificationis, ſeriem illius conſtituens, deſiderando, petendo, aut aliqua ratione conando in ſalutem. Ergo Patres Eccleſiæ etiam meritum remotum prorſus deteſtantur. Confirmatur: Quia meritum remotum noſtræ iuſtificationis intelligitur ab his Theologis opus, quod proxime impetrat auxilium gratiæ ad actus proxime diſponentes ad illam. Sed Eccleſiæ Patres manifeſtè reijciebant meritum proximum naturæ ad impetrandum auxilium gratię neceſſarium ad fidem, humilitatem, contritionem, & ſimiles: vt planum fiet recolenti teſtimonia ſuperius propoſita. Ergo Patrum iudicio etiam meritum remotum gratię iuſtificantis exturbandum eſt è Catholicorum ſcholis.

Deſeritur.

SECTIO SEPTIMA.

Aliæ probationes contra meritum congruum naturæ.

23. Sexta probatio contra meritum congruum naturæ colligitur ex teſtimonijs, quæ expendimus diſp. 14. ſect. 1. probantes non poſſe naturã modo ſalutari velle quidpiam ſupernaturale ſine auxilio gratiæ. Poſſet autem proculdubio, ſi affectus ſalutis, & gratiæ ſupernaturalis meritorius de congruo eliceretur viribus naturæ, vt contendit oppoſita ſententia. Siquidem affectus meritorius de congruo nobis ſalutaris eſt, vt eſt ſalutaris diſpoſitio ſupernaturalis ad gratiam iuſtificantem ratione talis impetrationis, ac meriti. Et quidem ſi naturæ conatus poſſet aliquid in ſalutem ſecluſa ope gratiæ ſupernaturalis, poſſet ſanè in aliquod velle, & deſiderium ſalutis, ac fidei quod viribus naturæ eis teſtimonijs negauimus. Ergo. Septimam probationem depromo ex teſtimonijs, quæ promemus diſp. 20. ad ſtatuendum, nullum etiam naturale fieri opus bonum morale quod Deus auxilio intrinſecè ſupernaturali non præueniat; neque vllum poſſe naturam conatum honeſtum in virtutem conferre; quem diuina gratia non anteuerterit. Hinc enim manifeſtè colligitur, nullum haberi meritum congruum doni ſupernaturalis ſine ope gratiæ diuinæ. Cum nullum ſit meritum, quod non ſit opus moraliter bonum. Octauam addo probationem ex teſtimonijs, quæ propoſuimus diſp. 15. ſect. 5. contra eorum ſententiam, qui volebant, hominem iuſtum ſuis viribus naturalibus abſquè vllo auxilio gratiæ actualis poſſe mereri de condigno gloriã. Nam eadem opera, quæ elicita à peccatore ſunt meritoria de congruo, elicita à iuſto ſunt meritoria de condigno. Ergo ſi viribus ſolius naturæ elicita à iuſto non ſunt condignè meritoria, elicita à peccatore non erunt meritoria congruè. Rurſus probatur exẽplo Chriſti Domini, cuius humanitatis exaltatio gratioſa exemplar ponitur gratuitæ largitionis gratiæ. Ergo ſicut nulla præceſſerunt merita in humanitate Chriſti, quæ Deum mouerent ad vniendum hypoſtatice humanitatem cum verbo, ita nulla præcedunt ex parte hominum merita ad illis tribuendum gratiam auxiliantem. Ita arguit Auguſtinus de prædeſtinatione ſanctorum cap. 15. *Eſt præclariſſimum lumen gratiæ ipſe Saluator, ipſe mediator Dei, & hominum Chriſtus Ieſus, qui vt hoc eſſet, quibus tandem ſuis vel operum, vel fidei præcedentibus meritis natura humana, quæ in Deo eſt comparauit?* Idem habet de bono perſeuerantiæ, c. vlt. & de corruptione, & gratia cap. 11. Item Fulgentius lib. de incarnat. & gratia, 19. *Sicut in natiuitate carnali: omnem naſcentis hominis voluntatem præcedit operis diuini formatio, ſic in ſpirituali natiuitate qua veterem hominem deponere incipimus*, cap. 20. vero; *forma præceſſit in carne Chriſti, quam in noſtra*

Sextum argumentum.

Septimum.

Octauum.

Nonum.

Auguſtinus

Fulgentius

Digitized by Google

fide ſpiritualiter agnoſcamus. Nam Chriſtus filius Dei ſecundum carnem de Spiritu ſancto conceptus eſt; carnem autem illam neque concipere Virgo poſſet aliquando, neque parere, niſi Spiritus ſanctus eiuſdem carnis operaretur exordium. Sic etiam in hominis corde neque poterit fides concipi, neque augeri; niſi eam Spiritus ſanctus effundat, & nutriat: ex eodem namque Spiritu renati ſumus, ex quo natus eſt Chriſtus. Vtique gratioſo, & liberali nulla in nobis ſupponente merita.

Vltimum.

24. Demum id probo. Quia vbi Patres incidunt in præmium operum naturalium, illud referunt in bona temporalia huius vitæ, & non ſupernaturalia, innuentes eorum meritum non tranſilire limites remunerationis naturalis.

Proſper

Inter quos præcipuè legendus eſt Proſper, qui lib. 1. de Vocat. Gent. cap. 2. *Humana ingenia*, ait, *etiamſi corporeæ voluptati non turpiter ſeruiant, & cupiditates ſuas iuſtitiæ, atque honeſtatis legibus temperent, nihil ſupra mercedem gloriæ temporalis acquirunt, & cum præſentem vitam decenter exornent, æternæ tamen beatitudinis præmium non habent; quia rectas actiones, & bona ſtudia non ad eius laudem, atque honorem referunt, à quo acceperunt, vt in ipſa animali diſcretione ſublimius fauerent, & excellentius cæteris eniteſcerent.* Certè corporeæ voluptati non turpiter ſeruire, cupiditates ſuas iuſtitiæ, atque honeſtatis legibus temperare, præſentem vitam decenter exornare, in rectas actiones, & bona ſtudia incumbere, euidentiſſimum eſt, opera moraliter bona teſtari. Tamen quia in vires naturales, & humanas accepta referuntur, ſola temporali laude, & remuneratione compenſantur. Cap. vero 7. *etſi fuit qui naturali intellectu conatus ſit vitiis reluctari, huius tantum temporis vitam ſteriliter ornauit; ad veras autem virtutes, æternamque beatitudinem non profecit.* Cecinit epigr. 81.

Quamuis multa homini poſt vulnera prima ſuperſint
Quæ vitã hanc faciant laudis habere decus;
Si tamen ingenio claro, & probitatis amori
Fons deſit fidei,
Cunctarum frugum marceſcit inutile germen.

Sterilia quidem germina ſunt in dona ſuperiora naturæ quæcumque opera, quæ viribus ſuperioribus fidei non aguntur. Repeto illud cap. 41. de ingratis quod ſect. 3. protuli.

Quæ licet ex primo naturæ habeantur honore
Non tamen ad veram poſſunt perducere vitam.

Vbi diſſerit de operibus rationi conſentaneis, de quibus natura gloriari poteſt; inter quos refert

quod legibus vrbes
Inſtituit, moreſque feros ratione recidit.

Item cap. 39. damnat aſſerentes,

Nec ſolum ad vitæ præſentis commoda ſolers
Sufficere ingenium, quo ſe tueatur, & ornet,
Sed ſummis etiam mentem aptam percipiendis.

Igitur ſphæra merendi per actus naturales ad ſola commoda præſentis vitæ porrigitur, ſub eaque dona ſupernaturalia includi nõ poſſunt.

Ratio à priori totius doctrinæ.

25. Sit à priori ratio pro merito congruo, quæ pro condigno ſuperioribus propoſita eſt. Nam opus ſecundum ſe meritorium de congruo poteſt fieri, accedente gratia iuſtificante meritorium de condigno. Ergo ſi opus viribus naturæ elicitum non poteſt eſſe meritorium de condigno præmij intrinſecè ſupernaturalis, quia nullo ordine tranſcendenti connecti poteſt cum dono ſupernaturali, eadem ratione neque poterit eſſe meritorium de congruo. Eſt igitur neceſſaria connexio aliqua tranſcendens inter opus meritorium, & præmium, ratione cuius vtrumque ad eumdem ordinem pertineat, intuituſque operis ex ſe mouere habeat ad donum, quo obſequium compenſatur. Hæc autem connexio repugnat operi naturali cum dono intrinſeco ſupernaturali. Ergo etiam ratio meriti de congruo.

SECTIO OCTAVA.

Diluuntur argumenta Maſſilienſium.

26. Meritum naturæ antecedens dona ſupernaturalia gratiæ ſuadebant Maſſilienſes, primo ex illo Matth. 25. numero 14. *Vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij verò vnum, vnicuique ſecundum propriam virtutem.* Vbi Chriſtus proponit dona ſupernaturalia gratiæ vnicuique diſtribui ſecundum virtutem propriam, hoc eſt, ſecundum opera naturalia virtutum moralium. Ergo meritum habent naturalia, cuius intuitu ſupernaturalia conferuntur.

Prima obiectio. Matth. 25.

Reſpondeo: Hæc parabola plures explicationes admittit, quin in meritum naturale donorum ſupernaturalium recurramus. Plerique volunt, illud *ſecundum propriam virtutem* non exhibuiſſe Chriſtum ad aliquid Deo diſtributori donorum applicandum, ſed ſolum ad explendam narrationem parabolæ ex hominum conſuetudine deſumptam. Ita Maldonatus, & P. Vaſquez 1. p. diſput. 91. cap 18. Alij talenta intelligunt naturalia bona, quæ iuxta cuiuſque meritum diſpenſari poſſunt. Alij dona ſupernaturalia in aliorum ſalutem deſtinata, quæ ad ſui miniſterium naturæ capacitatem, & virtutem deſiderant, vt prædicatio, Apoſtolatus, prælatio, & alia id genus, ſine dotibus peculiaribus naturæ manca. Ita Hieronymus, Origenes, Iuſtinus, Chryſoſtomus, & Theophilactus apud Maldonatum ſupra, & Salmeronem infra, & Ludouicum Legionenſem in id Gallat. 1. *Vocauit per gratiam ſuam.* Alij intelligunt talenta, dona ſupernaturalia gratiæ iuſtificantis, quæ iuxta meritum ſupernaturale abſolutè præuiſum diſtribuuntur à Deo: nam meritum ſupernaturale ratione cooperationis immediatæ arbitrij, iure dicitur ad propriã cuiuſque virtutem pertinere, vt pluribus Societatis Doctores oſtendunt. Ita Vaſquez, & Maldonatus ſupra, Salmeron tom. 7. tract. 39. num. 9. Carthagena diſcurſu 10. de prædeſtinatione ad 2. cum D. Thoma 2. 2. q. 24. art. 3. Alij interpretantur eadem dona diſtributa ſecundum merita ſub conditione præuiſa mouentia in genere cauſæ finalis, & non meritoriæ. Spes enim finis conſequendi ſæpè mouet intendentem ad hæc, vel illa exe-

Plures aliorum explicationes

P. Maldonatus
P. Vaſquez

Hieronymus
Origenes
Iuſtinus
Chryſoſtomus
Theophylactus
Maldonatus
Salmeron
Ludouicus Legion.
P. Vaſquez
Maldonatus
S. Thomas

Digitized by Google

quenda media, vt Rex, & Agricola prudens media parant iuxta euentum, quem ex illis ſperant. Ita Salmeron ſupra num. 9. cum Proſpero 2. de vocatione gentium cap. 2. Sixtus 6. Bibliothecæ annotat. 251. in fine, Camerarius Dialogo de prædeſtinat. à cap. 4. Driedo de concordia prędeſtinationis cap. 4. fol. 19. colum. 2. Valentia 1. p. de prædeſtinatione puncto 4. ſententia 8. concluſ. 2. in principio, & clarius in 2. probatione eiuſdem concluſionis, Paulus Griſaldus in deciſionibus fidei verbo *prædeſtinatio* num. 5. Cornelius in confeſſione. Hieron. tom. 2. cap. 10. §. 2. Benedictus Scholiaſtes Chryſoſtomi Romanorum 9. (vt refert Sotus ibi digreſſione de prædeſtinatione, & Molina 1. p. q. 23. art. 5. diſput. 1. membro 4.) Idemque voluiſſe credo Alenſem 1. p. q. 28. membro 3. art. 1. ad vltimum, & art. 3. ad 2. & 3. cum ait, vſum gratiæ præuiſum eſſe cauſam de congruo ad conferendam gratiam auxilij: nam art. 1. & 2. expreſſe habet, nullam dari cauſam meritoriam huius gratiæ, & 3. p. q. 69. membro 5. art. 2. §. 3. aperte dicit, opera ſequentia gratiam nullo modo illam mereri. Vnde nõ probo quod Vaſquez cenſuit 1. p. diſp 91. c. 6. Alenſem 3. p. retractaſſe, quod in prima docuerat.

Salmeron. Proſper. Sixtus. Camerarius. P. Valentia. Griſaldus. Cornelius. Benedictus Scholiaſtes. Sotus. P. Molina. Alenſis. P. Vaſquez.

Duæ expoſitiones ſingulares.

27. Quibus addo ego duplicem interpretationem virtutis propriæ, ſecundum quam vnicuique Deus diuidit auxilia actualia gratiæ. Prima eſt, eam virtutem eſſe naturalem facultatem ad opera externa virtutum moralium, in quibus actus interni exercentur. Etenim Deus iuxta poteſtatem oportunam exercendi externa virtutum opera auxilijs internis, pulſat hominum corda ad affectus abſolutos eorum. Plures enim vocationes exhibet diuiti ad affectus miſericordię, quam pauperi; vocationes ad affectus iuſtitiæ plures Iudici, quam Reo. Secunda eſt, quamquam non omnino certa, mihi tamen probabilior; Deum conferre auxilia gratię ſupernaturalia ſecundum virtutem præuiſam naturalem. Quoniam ſua lege ſtabiliuit auxilijs ſupernaturalibus excitare voluntatem ad eos virtutum actus ſupernaturales, ad quorum ſimiles iuxta cauſarum naturalium ordinem erit excitanda cogitationibus naturalibus: vt ita ſuauis ordo prouidentię ſupernaturalis ſequatur ordinem prouidentię naturalis, iuxta curſum naturalem huius vniuerſi. Hac tamen ratione Deus non ſpectat merita naturalia ad diſtributionem donorum ſupernaturalium, ſed virtutem tantum naturalem voluntatis, quę ex cogitationibus, & affectionibus naturalibus complenda eſt, conditioni, & materiæ earum accommodans illuſtrationes, & affectiones ſupernaturales. In quem ſenſum adduco Proſperum lib. 2. de vocat. Gent. cap. 8. ad præſens teſtimonium Matthæi: *Vnicuique ſecundum propriam virtutem, hoc eſt, ſecundum propriam, & naturalem poſſibilitatem, non autem ſecundum proprium meritum; quia aliud eſt poſſe operari, aliud operari.* De quo vberius alibi.

Proſper.

Obiectio ſecunda.

28. Secundo arguebant. Deus non eſt acceptor perſonarum: ergo aliquod meritum ex parte naturę expectat Deus ad conferendum auxilia gratiæ vni potius, quam alteri. Reſpondeo. Non eſt vitium acceptionis perſonarum, niſi vbi eſt obligatio iuſtitiæ. Solus enim qui tenetur omnibus dare, & vni dat potius quam alteri, acceptor perſonarum cenſetur. Deus autem ex iuſtitia non tenetur dare auxilia ſupernaturalia gratiæ. Præterea Deus omnibus prouidet auxilia ſufficientia gratiæ, etiam gentilibus, quibus ſalutem, & eximia quæque dona meritis conſequantur, vt oſtendemus diſp. 20. Si autem alijs efficacia, alijs vero inefficacia donat, non eſt quare iuſtè homines conquerantur, tum quia in arbitrio cuiuſque eſt, ſuam gratiam reddere efficacem; tum quia Deus, Dominus eſt ſuorum donorum, qui prouiſis vnicuique omnibus neceſſarijs, poteſt pro libito, quibus placuerit, vberiora, aut excellentiora auxilia largiri.

Reſponſio.

Tertia.

29. Tertiò. In poteſtate cuiuſque eſt adipiſci ſalutem. Non eſſet autem, ſi proprio merito, aut diſpoſitioni non eſſet annexum initium, aut primum auxilium ſalutis: aliter enim talis gratia, ac per conſequens ipſa ſalus in hominis poteſtate conſtituta non eſt. Ergo. Reſpondeo. In cuiuſque poteſtate poſitum eſt ſaluari; non quia aliqua auxilia gratię annexa ſint merito naturæ; ſed quia cuiuſque voluntati prouidet Deus independenter à ſuo merito propter merita Chriſti, & lege eleuationis ſupernaturalis auxilia gratiæ ſufficientia, quibus ad ſuam iuſtificationem diſponi, & vitam deinde æternam dignis meritis augere queant. De quo vbi ſupra. Quemadmodum hominis poteſtate relictum eſt, merita naturalia habere, licet dependeant ex cogitationibus, quę extrinſecus antè omnem conſenſum voluntatis excitari debent, quia reipſa vel à ſolo Deo, vel ex concurſu cauſarum naturalium nulli vſquam deficiunt. Hic pręoccupat hoc argumentum Concilium Senonenſe can. 15. ibi: *Neque tamen tanta gratia neceſſitas libero præiudicat arbitrio, cum ipſa ſemper ſit in promptu, neque momentum quidem prætereat, in quo Deus non ſtet ad oſtium, & pulſet, cui ſi quis aperuerit ianuam, intrabit ad illum.*

Explicatur.

SECTIO NONA.

Catholicorum argumenta.

Primum argumentum Durandi.

30. DVrandus objicit primo: Natura ſuis viribus pręparat ſubiectum ad formam, quę à ſolo Deo in ſubiectum induci poteſt. V.g. ad introductionem animæ rationalis. Ergo ſimiliter poteſt præparare animam ad gratiam iuſtificantem, quæ à ſolo Deo poteſt infundi. Reſpondeo. Diſcrimen eſt. Nam animus rationalis eſt forma naturalis, cuius exigentia non repugnat naturæ. Gratia vero eſt forma ſupernaturalis, cuius exigentia ſupra naturæ conditionem eſt. De quo plene diximus diſput. 4. & 5. Vnde repugnantia non eſt in eo quod non poſſit diſpoſitio ſubiecti ad formam ab alio agente, quam ab inducente formam prouenire, vt male putat Durandus.

Soluitur.

Digitized by Google

Secundum.

31. Secundò. Illa opera poſſunt congruenter mereri gratiam, quę ordinem habent immediatum ad gratiam. Opera autem virtutum naturalium ordinem habent immediatum ad gratiam. Ergo. Nego minorem. Nam hic ordo naturalis ſine connexione, & exigentia gratiæ eſſe non poteſt. Hęc autem connexio, & exigentia entibus naturalibus repugnat, vt fuſe ſuperioribus explicatum eſt.

Eneruatur.

Tertium aliorum.

32. Tertiò opponunt alij. Attritio naturalis ex motiuo, & cogitatione naturali cum ſacramento baptiſmi, & pænitentię confert gratiam. Credibile enim non eſt, damnari eum, qui quantum eſt ex ſe attritus ad ſacramentum acceſſit, & confeſtim mortuus eſt. Attritio autem in ſacramento impetratoria eſt gratiæ, vt habetur ſect. 14. Tridentini cap. 4. Ergo actus naturalis poteſt impetrare gratiam. Admittunt maiorem plures Thomiſtæ, Sotus in 4. d. 18. q. 3. art. 3. & lib. 2. de natura, & gratia cap. 3. fine. Canus relect. de pænitentia, Victoria in ſumma. q. 110. alias 121. & Vega. 6. in Tridentinum. cap. 17. ad 20. & lib. 13. cap. 15. Negant vero conſequentiam ad alios actus naturales; quia ſacramenta ſunt opera priuilegiata, valentiaque ex inſtitutione diuina ſupplere ſupernaturalitatem diſpoſitionis requiſitæ ad iuſtificationem. Hęc doctrina in re tam graui nimis arbitraria eſt, eamdemque cenſuram meretur, quam doctrina Durandi. De qua videatur Suarez lib. 2. de prædeſt. cap. 7. num. 11. & to. 4. in 3. p. diſput. 2. ſect. 2. & diſput. 8. ſect. 6. Corduba lib. 1. q. 2. poſt quartam opinionem dub. 4. Maſcarenas ſup. Nego itaque maiorem; quia Tridentinum ſupra de attritione diſponenti, ad iuſtificationem definit fieri ex dono, & auxilio Spiritus ſancti; in eamque faciunt omnia argumenta pręterita. Ad probationem reſpondeo; nullum accedere ad ſacramentum cum attritione omnino naturali; vel quia Deus lege prouidentię ſupernaturalis tenetur pręuenire voluntatem auxilijs ſupernaturalibus, etiam ad attritionem naturalem: vel quia non poteſt homo nunc naturalem attritionem ſine ſupernaturali habere. De quo fuſe diſput. 20.

Thomiſtarum reſponſio.
Sotus
Canus
Victoria
Vega

Reijcitur.

P. Suarez

Corduba
Maſcarenas.

Melior ſolutio.

Quartum argumentum.

33. Quartò. Deus prouidit omnibus hominibus auxilia ſufficientia ad ſalutem, atque adeo Gentilibus contulit poteſtatem ſaltem remotam credendi per fidem ſupernaturalem, ſine qua impoſſibilis eſt ſalus. At hæc poteſtas remota credendi per fidem ſupernaturalem ſupponit neceſſario poteſtatem conſequendi per actus naturales auxilia proxima ad talem fidem neceſſaria. Ergo actibus naturalibus Gentilium competit vis impetratoria gratiæ ſupernaturalis. Varia cogitarunt Theologi ad expediendam hanc difficultatem. Ego facillime expedio. Nam Gentilibus etiā tribuo auxilia gratiæ intrinſecè ſupernaturalia ante omne meritum prouiſa, quibus elicere poſſunt virtutum actus ſupernaturales præparantes hominem ad fidem ſupernaturalem, & iuſtificationem. De quo locupleti calamo agemus diſp. 20. Vbi etiam videbimus, quæ fides gentibus ad iuſtificationem ſufficiat, & an abſque miraculo poſſit contingere?

Diluitur.

Quintum.

34. Quintò poteſt opponi. Actus ſupernaturalis hominis puri poteſt mereri de congruo vnionem hypoſtaticam: imo eius exiſtentiam, aut ſaltem accelerationem de facto meruiſſe antiquos Patres, plures ſentiunt Theologi. Ergo etiam poteſt actus naturalis mereri de congruo donum aliquod ſupernaturale; v. g. auxilium ſupernaturale fidei. Nam maior eſt exceſſus vnionis hypoſtaticæ ſupra actum ſupernaturalem puri hominis, quam auxilij ſupernaturalis fidei ſupra actum naturalem dilectionis Dei; ſiquidem ille eſt exceſſus infinitus, iſte verò finitus eſt. Reſpondeo. Vt dicebamus ſuperioribus, Sphæra meritorum non eſt metienda æqualitate ipſorum cum præmijs. Nam hac ratione non ſolum de congruo, verum etiam de condigno, poſſet naturalis actus mereri donum intrinſecè ſupernaturale; quoniam maior eſt exceſſus gratiæ, & gloriæ æternæ ſuper actum miſericordiæ iuſti meritorium de condigno; quam auxilij gratiæ ſupra actum naturalem dilectionis Dei, vt expendebamus diſp. 15. ſect. 6. Definitur igitur Sphæra meritorum connexione, & ordine tranſcendenti mediato, aut immediato meritorum cum præmijs. Itaque quia actus ſupernaturales puri hominis pertinent ad eumdem ordinem, & connexionem tranſcendentem cum vnione hypoſtatica ſaltem media gratia habituali, & charitate, ac lumine fidei, aut gloriæ: itaut repugnante vnione hypoſtatica repugnaret etiam quilibet actus ſupernaturalis hominis puri; quia repugnarent plures habitus, & actus eiuſdem hominis, qui vnioni hypoſtaticæ, & alijs donis ſupernaturalibus annexi ſunt. Actus naturalis verò nullo ordine cum aliquo dono intrinſecè ſupernaturali hac ratione connexus eſt; ideo vnio hypoſtatica pertinere poteſt ad Sphæram meriti ſupernaturalis congrui, etiam hominis non Dei. Donum ſupernaturale verò quamuis exiguum ſit, non poteſt ad Sphæram meriti naturalis. De quo vide dicta ſup. diſp. 15. ſect. 6.

Diſſoluitur

Sextum.

35. Sextò poteſt opponi. In noſtra ſententia poteſt affectus merè naturalis imperare efficaciter actum intrinſecè ſupernaturalem. Ergo poteſt etiam quidpiam ſupernaturale congruè mereri. Tum quia actus ſupernaturalis attritionis, aut contritionis efficaciter imperatus per actum naturalem dilectionis Dei poteſt diſponere in ſacramento ad gratiam. Tum quia vt poteſt mouere phyſicè voluntatem creatam ad actionem ſupernaturalem, poterit moraliter diuinam ad aliquam remunerationem. Reſpondeo. De facto ex lege Dei numquam imperatur efficaciter ſupernaturalis actus per actum bonum naturalem, quin ad tale imperium inferatur etiam gratia ſupernaturalis, quâ ſimul cum imperio naturali fiat imperium etiam ſupernaturale; vt dicebamus diſput. 14. num. 29. & ex profeſſo diſput. 20. At quid ex natura rei, ſecluſa lege prouidentiæ præſentis? Opinor actum ſupernaturalem efficaciter imperatum ab actu dilectionis Dei omnino naturali, meritorium eſſe

Reſpondetur.

Digitized by Google

non merito extrinſeco actus imperantis, ſed merito ſibi intrinſeco ſaltem inadæquato. Nam vt docui tract. de merito, ineſt actui efficaciter imperato ſuum meritum ab actu imperanti diſtinctum. Igitur cum actus imperatus ſupernaturalis ſit, meritum doni ſupernaturalis non erit operis naturalis, ſed ſupernaturalis. Si vero actus imperatus capax negetur meriti ab actu imperante diſtincti, facilè admitti poteſt in eo euentu nullum ineſſe dilectioni naturali meritum, neque impetrationem gratiæ ſupernaturalis, vt caſu quo dilectio naturalis nullum ſupernaturalem actum imperaret. Ad ſecundam probationem intereſt inter motionem phyſicam, & meritoriã actus naturalis. Primò: Quod motio phyſica non conuenit dependenter ab aliqua peculiari excellentia actus, quæ ſua bonitate alliciat complacentiam Dei, ſed ab efficaci tendentia ipſius, quæcumque illa ſit; quare mouere phyſicè poteſt ad actum ſupernaturalem etiam actus naturalis indifferens, & turpis, vt diſp. 50. oſtendemus. Motio meritoria vero vendicat peculiarem excellentiam, mouentem voluntatem Dei ad præmium, quæ actui naturali non conuenit, vt non conuenit omnium conſenſu actui indifferenti, ac turpi. Meritum enim mouet media ſui complacentia, quæ ad motionem phyſicam neceſſaria non eſt. Secundo, neque motio phyſica competit actui naturali independenter à viribus gratiæ; nam ſi vires ſupernaturales ad opus ſupernaturale imperatum non præceſſiſſent in homine, nullam poſſet actus naturalis conferre motionem in tale opus, neque ad eius exequutionem tales vires exigeret, vt monuimus diſput. 14. ſect. 4. agentes de efficacia affectus naturalis in opus ſupernaturale. Vnde vis abſolutè motiua actus naturalis ad opus ſupernaturale intrinſecè complectitur vires ſupernaturales exequentes operis ſupernaturalis. Motio autem meritoria actus naturalis, de qua nunc diſſerimus, ſolum examinatur in actu naturali, qui omnino naturalis eſt, nullis præuenientibus illum auxilijs gratiæ ſupernaturalibus. Igitur motio phyſica affectus naturalis ad opus ſupernaturale à nobis poſita diſp. 14. non iuuat quicquam meritum congruum operis naturalis.

Septimum. 36. Septimo. Actus virtutum naturalium eliciti ex cogitatione congrua merè naturali ſunt meritorij, & impetratorij de congruo; vt plures Theologorum fatentur, quos referemus diſput. 44. Ergo abſolutè actus eliciti viribus naturæ eo modo, quo Semipelagiani contendebant, capaces ſunt meriti, & impetrationis de congruo. Tum quia reipſa Semipelagiani etiam admittebant gratiam cogitationis congruæ naturalis, vt oſtendemus lib. 5. Tum quia quod cogitatio naturalis ponatur indebita naturæ, non efficit actus intrinſecè naturales magis impetratorios, & ſalutares in finem ſupernaturalem, quam ſi ponatur naturæ debita. Siquidem in vtraque ſententia cogitatio aſſeritur eadem cum ea, quæ in pura natura homini conueniret, ſemperque intrinſecè intra naturæ dona continetur. Extrinſecè vero ex ordinatione diuina etiam in ſententia admittente meritum congruum à gratia ſupernaturali viribus naturæ elicitum ponitur pertinere ad ordinem ſupernaturalem, vt ponitur creatio naturæ, & bona indoles naturalis; ſiquidem omnia, etiam in hac ſententia, in finem ſupernaturalem diriguntur. Hoc argumentum meo iudicio maximi momenti eſt. Ideo eius explicationem in propriam diſputationem reſeruo, quæ nobis erit lib. 5. Interim vide quæ habemus diſput. 44. ſect. 7.

37. Demum obijcitur celebre axioma Theologorum *de facienti quod in ſe eſt, viribus naturæ*; communiſque Thomiſtarum doctrina *de peruenienti ad vſum rationis*. Quæ ſine aliqua congruitate operum naturalium ad impetrandum gratiam ſupernaturalem ægrè videntur ſuſtineri. Etenim hæc difficultas propriam vendicat diſputationem; de qua diſſerendum nobis diſput. 20. Octauum.

SECTIO DECIMA.

Obijcitur authoritas Chryſoſtomi, & aliorum Græcorum Patrum.

38. PRo merito congruo operum naturalium negotium faceſſit autoritas Græcorum Patrum, qui videntur poſuiſſe initium gratiæ ex viribus liberi arbitrij. Inter quos magis vrget Chryſoſtomus. Primum teſtimonium obijcitur ex tom. 1. hom. 27. in Gen. col. 8. *Tanta eſt erga nos Dei miſericordia; nam vbi viderit voluntatis noſtræ firmum propoſitum, non tardat, neque differt, ſed accelerat.* Igitur quamuis maxima ſit, & celer miſericordia Dei, tamen expectat videre propoſitum voluntatis, vt veniat. Secundum ex hom. 42. in principio, vbi ait: *Abraham non per fidem à Parentibus acceptam, ſed per ſcientiam à natura inditam; & à ſe ipſo in magnum perueniſſe virtutis faſtigium.* Subiungitque: *At fortè dicent aliqui, quod vix ille multam à Deo gratiam conſequutus ſit. Fateor, ita eſſe, & ego. Verum niſi primum & ipſe quod ſuum erat feciſſet, non tantam à Domino obtinuiſſet. Ea propter non ſolum hoc vide, ſed in vnoquoque diligenter attende, quomodo primum in omnibus virtutis ſuæ indicium exhibuerit, atque ſic diuinum meruerit præſidium.* Difficile ſanè teſtimonium. Rurſus ibidem: *vidiſti quomodo ab initio Abraham, quæ à ſemetipſo erant, attulerit, & propterea diuina quotidie vbertim ſuſceperit?* En multam gratiam conſequitur Abraham, quia prius quæ ſua erant, hoc eſt opera ſuis viribus elicita fecit, diuinaque, hoc eſt, dona ſupernaturalia, vbertim ſuſcipit; quia à ſemetipſo prius aliquid obtulit. *Eodem modo dilecti* (proſequitur) *& nos, ſi voluerimus ſuperna frui gratia, imitemur Patriarcham. Etenim qui ſcit arcana mentis noſtræ, cum viderit nos conari, & eniti ad virtutis agonem, ſtatim & nutu ſuo nos adiuuat.* Vbinam Caſſianus Chryſoſtomi Diſcipulus, apertiori ſermone noſtris conatibus initium gratiæ tribuit?

Ratio dubitandi de mente Chryſoſtomi.

Digitized by Google

Quid poſtea de Elia? *Quia quæ ſua erant, largiter attulit, atque virtutem amplexatus eſt, ſupernam quoque gratiam conſequutus eſt.* Quænam ſunt hæc *ſua* virtutis opera præcurrentia ſupernam gratiam, niſi ſui arbitrij viribus ſine gratiâ ſupernâ facta? Tertium teſtimonium opponitur ex tom. 3. hom. 17. in Ioannem ad illa verba, *Conuerſus autem Ieſus, & videns eos ſequentes*, ait, *Hinc admoneri poſſumus, Deum ſuis in nos beneficijs noſtras non præuenire voluntates, ſed à nobis incipiendum eſſe; ſed cum nos prompto, paratoque animo ad ſuſcipiendam gratiam exhibemus, tunc multas nobis offert ſalutis occaſiones.* En docet Deus noſtras non præuenire voluntates vtique auxilio gratiæ, ſed à nobis incipiendum eſſe, quis neget, propriæ viribus voluntatis? Rurſus quartum teſtimonium ex tom. 4. hom. 12. in Epiſtolam ad Hebręos initio moralis doctrinę. *Oportet nos eligere primum quæ bona ſunt, & tunc ipſe Deus quæ ſua ſunt introducit. Non antecedit noſtras voluntates, ne lædatur liberum arbitrium: cum autem nos elegerimus, multam tunc nobis affert auxiliationem.* Cum autem ſibi obiecifſet illud Apoſtoli ad Rom. 9. *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Reſpondet id propterea dictum eſſe, *Quia cuius eſt amplius, totum eſſe dixit. Noſtrum enim eligere tantum eſt, & velle, Dei autem efficere, & ad perfectionem perducere. Quia ergo illius eſt, quod amplius eſt, eius dixit eſſe vniuerſum.* Vt appareat, Chryſoſtomum, teſtimonia Pauli, quæ contra Maſſilienſes ab Auguſtino, & Proſpero obiecta ſunt, in ipſorum fauorem expoſuiſſe.

P. Vaſquez. P. Molina. Arianus.

39. Propterea ingenuè fatetur P. Vaſquez 1.p.diſp.89. cap.3. diſp.91.c.8. Molina in cõcordia diſput. 41. Arianus præfatione in opera Chryſoſtomi, ante adultam lucem Catholicæ doctrinæ, in Eccleſia acceſſiſſe Chryſoſtomum Semipellagianorum errori. Quibus annumerat P. Vaſquez ſupra c.3. Theophilactum, Occumenium, Clementem Alexandrinum, Origenem, Damaſcenum, & alios Græcorum Patrum. Præcipuè Marcum Eremitam lib. de Paradiſo, vbi *iubet Deus*, inquit, *vt homo imprimis cognoſcat, & cum cognouit, amet, & voluntatem depromat; vt autem mens exerceatur, laborem perferat; vt autem opus aliquod perficiat, gratia Domini largitur volenti, & credenti. Quare voluntas hominis eſt, velut auxilium à natura inſitum, quæ abſolute, ne Deus quidem quicquam operatur.* En affirmat, initium aliquod ex nobis præcedere, cui diuina gratia adiungatur, voluntaſque hominis aſſeritur velut auxilium homini innatum ad opus incipiendum, quod auxilio Dei ſuperaddito perficiatur. A iudicio P. Vaſquez alieni omnino non ſunt Pater Maldonatus cap. 25. Matthæi num. 14. & cap. 1. Ioannis aſſerens, Chryſoſtomum, & Græcos Patres verbis non admodum cautis, ſi non ſenſu, Pellagianis fauiſſe. Franciſcus de Chriſto in 1. d. 41. q. 4. aſſerens, Patres Græcos ante hæreſim Pellagianam incaute loquutos fuiſſe, & Ianſenius in concordia c. 59. occaſionem præbuiſſe Semipellagiani erroris, niſi pie explicentur.

P. Vaſquez. Theophilactus. Occumenius. Clemens Alex. Origenes. Damaſcenus. Marcus Eremita. P. Maldonatus. Franciſcus de Chriſto. Ianſenius.

40. Cæterum Græcos Eccleſiæ Patres, præſertim Chryſoſtomum in ſano, veroque ſenſu tuentur reliqui Theologi Societatis. Pater Suares 2. de prædeſtinat. c.8. P. Arrubal 1.p. diſp.75.c.3. P. Valentia de prædeſtinat. punct. 4. in 2. probatione concluſionis ſecundæ, & in controuerſijs lib. de prædeſt. cap. 2. P. Granadus 1.2. controu. 8. de gratia tract. 6. diſpu. 1. ſect. 6. P. Erice 1.p. diſp. 25. cap. 7. P. Iannerus 1.p. diſp. 3. de præd. q. 4. num. 17. Pater Iuſtinianus ad Rom. 11. verſiculo 5. & ad Philippen. c. 2. ad illa verba *Deus eſt qui operatur in vobis.* P. Didacus Ruyz de prouid. tr. 3, diſp. 27. extra Societatem, Sixtus Senenſis lib. 5. Bibliothecæ annotatione 111. & lib. 6. annotatione 251. Driedo de concordia cap. 4. ad 3. fol. 22. Bannes 1.p.q. 23. art. 5. dub. 1. in fine, & in concordia diſput. 1. membro vltimo, Carthagena diſcurſu 10. de prædeſtinatione ad 4. Enricus Kuiquius præfatione ad opera Chryſoſtomi, Aluarez de auxilijs diſp. 22, num. 22, & Lorca diſp. 11. de gratia.

P. Suarez. P. Arrubal. P. Valentia. P. Granadus. P. Erice. P. Iannerus. P. Iuſtinianus. P. Ruyz. Driedo. Bannes. Carthagena. Enricus Kuiquius. Lorca.

Sententia P. Vaſquez impia non eſt.

41. Neque cauſa Patris Vaſquez pietate deſtituta eſt, vt plerique huius ætatis Theologi obloquuntur. Nam poſt damnatam Semipellagianorum doctrinam fuerunt plerique Catholici, qui nimium tribuerunt viribus liberi arbitrij, quos maior pars Theologorum recentiorum Semipellagianiſmi arguunt. Ne igitur eorum doctrina contra veritatem Catholicam præſidium ſumeret ex Chryſoſtomo, tanto Eccleſiæ doctore, pietas in Catholicam veritatem fuit, teſtimonium Chryſoſtomi ſuſpectum proferre. Cuius ſanè autoritas ſolum humana hac ſuſpicione eleuari non poteſt. Etenim eo tempore hæc mens de Chryſoſtomo refertur, in quo Catholica veritas ſub nubibus latebat: In quo Auguſtinus ipſe ſcribit de prædeſtinatione Sanctorum cap. 2. ipſum ante Epiſcopatum in eodem fuiſſe iudicio; In quo Hilarius, & Proſper in Epiſtolis ad Auguſtinum narrant, *claros egregioſque in omnium virtutum ſtudijs viros, ad quorum autoritatem ipſi impares ſunt*, eidem adhæſiſſe doctrinæ. In quo Caſſianus Chryſoſtomi diſcipulus vir alias doctus, & pius, Semipellagianiſmum ducebat; quam Caſſianum ſuam deſumpſiſſe doctrinam ex Græcis Patribus, præſertim Chryſoſtomo ipſius Magiſtro narratur in Epiſtola præfixa operibus Proſperi editis à Louanienſibus. Quid? Quod magni illi Theologiæ Scholaſticæ Principes, D. Thomas, Scotus, Durandus, Occamus, & Gabriel, alijque Primores Theologorum, quos retulimus ſectione prima, poſt damnatum Maſſilianiſmum, poſt adultam in Eccleſia de diuina gratia doctrinam, poſt illuſtratam Theologiam Maſſilienſibus in libris ſententiarum fauiſſe, plures huius ſæculi Theologi affirmarunt. Quid ergo mirum, Chryſoſtomum, ante illa tempora non tam Scholaſticæ Theologiæ, quam morali interpretationi doctrinæ ſacræ debitum, ſubtilem huius quæſtionis fallaciam non cauiſſe? Et quidem ſuperiora eius teſtimonia leuis adeò momenti non ſunt, vt pietate opus non ſit ad putandum, Chryſoſtomũ ſeorſim ab alijs ſui tẽporis DD. ſenſiſſe. Expendamus communes interpretationes eorum, quæ ex Chryſoſtomo retulimus.

Auguſtinus. Hilarius, Proſper. D. Thomas. Scotus. Durandus. Occamus. Gabriel.

Digitized by Google

Prima expoſitio Chryſoſtomi nõ quadrat.

42. Prior eſt, Græcos Patres, & Chryſoſtomum cum negant, voluntatem noſtram præueniri ad incipiendum gratiâ Dei, ſolum negare gratiam prædeterminantem, & contrariam humanæ libertati; quia titulo ſaluandi illam aſſerit Chryſoſtomus, voluntatem à ſeipſa inchoare ſalutem. Sed hæc explicatio ſuſpecta eſt. Nam etiam Maſſilienſes negabant voluntatem humanam præueniri gratia Dei eodem titulo conſtituendi ſalutem in noſtra libertate. Nihilominus initium ſalutis in ſolas liberi arbitrij vires referebant. Explicemus rẽ. Dupliciter poteſt auxilio gratiæ arbitrium lædi. Primò quia gratia omnino prædeterminat voluntatem. Secundò; quia auxilium gratiæ neceſſarium, licet indifferens ſit, non eſt poſitum in noſtra libera poteſtate; eaque ratione conſequenter neque opus, ad quod eſt neceſſarium, in noſtra poteſtate cõſtitutum eſt, vt nõ eſt in arbitrio & poteſtate religioſi egredi clauſtra religionis pro libito; quia licet præmiſſa facultate ſuperioris liber ſit egreſſus, tamen hæc facultas ipſius arbitrio ſubiecta non eſt. Igitur Semipellagiani non priori modo, ſed poſteriori tantum ex neceſſitate gratiæ, libertatis damnum colligebant; quia cum gratia à natura indita non ſit, ſed pro beneplacito diuino homini conferatur; ſi illa ad initium ſalutis neceſſaria eſt, non videtur poſſe noſtræ poteſtati relinqui ſalus, cui talis gratia neceſſaria relicta non eſt. Ideo videbatur Semipellagianis concedenda naturæ facultas, qua opera aliqua agere valeat, quibus talia auxiliaria dona ex diuina miſericordia annectantur. Hoc diſcurſu ex neceſſitate gratiæ detrahebant noſtræ voluntati libertatem Semipellagiani, vt colligere eſt ex ſect 8. Idemtidem Chryſoſtomum arguere, verendum eſt. Nam illam gratiam præuenire noſtram voluntatem negat, quam Deus poſtea operibus præcedentibus voluntatis adiungit ad excellentiora opera efficienda. At hæc gratia, quæ ex meritis Chryſoſtomi adiungitur noſtris conatibus ex miſericordia Dei, non eſt Phyſicè prædeterminans, & neceſſitans efficacitate voluntatem: nam alias virtutis profectus & augmentum iuſtitiæ, non eſſent voluntati libera, ſed neceſſaria. Ergo Chryſoſtomus non inficiatur ſolam gratiam Phyſicé prædeterminantem. Neque ſatisfacit, quod P. Erice excogitauit, conatum, & inceptionem voluntatis, quam præuiam ad gratiam ponit Chryſoſtomus intelligendam eſſe determinationem agẽdi prouenientem gratiæ à libertate voluntatis; quia nimirum voluntas non agit determinata àb auxilio gratiæ, ſed potius illam determinãs.

P. Erice nõ ſatisfacit.

Nam Chryſoſtomus inceptionem voluntatis aſſerit, ita præire gratiam, vt prius videatur pręire voluntas, quam à Deo conferatur gratia. Ita habet expreſſe ſuperioribus teſtimonijs. At Deus non poteſt præuidere conatum, & inceptionem voluntatis prouenientẽ à gratia, priuſquam videatur exiſtens ipſa gratia, ita vt præuiſio operis ſit ratio conferendi gratiam, quæ eſt ipſius principium: qua ratione concurrere præuiſionem plane fatetur Chryſoſtomus. Ergo non differit dè inceptione, & electione voluntatis facta per gratiam.

43. Secundo. Eadem ſolutio difficilis redditur; quia non ſolum ait Chryſoſtomus, gratiam non præuenire voluntatem, ſed etiam voluntatem à ſemetipſa, & per cognitionem naturalem offerre aliquid ſuum, quod Deus remuneret donis gratiæ, quæ Dei ſunt. Ergo non ſolum excludit gratiam præmouentem, ſed etiam aliam quamcumque gratiam, referens in ſolas voluntatis vires opus incipiens ſalutem. Alias non eſſet, quare potius ea, quæ præcedunt gratiam dicerentur eſſe propria voluntatis, voluntatemque à ſe operari, potiuſquam alia, quæ fiunt poſt gratiam.

44. Quo præoccupatur ſecunda communis explicatio, Deum ſcilicet ſuum auxilium vberius offerre voluntati agenti prius ex gratia præcedenti. Nam ſi voluntas pręueniret Deum agens viribus gratiæ, quare voluntas diceretur ſua, & à ſeipſa offerre, priuſquam Deus ſua donet. At Chryſoſtomus ait, prius voluntatem à ſeipſa, quæ ſua ſunt offerre Deo, vt gratiam & ea quæ ſunt Dei conſequatur. Ergo. Rurſus Chryſoſtomus ait, Abrahamum cognitione, & ratione naturali exercuiſſe virtutem, qua meruit auxilia frequentia gratiæ. Cognitio autem naturalis non ſpectat ad auxilium gratiæ, quod à Deo per exercitium virtutis meremur. Ergo. Neque ſatisfacit Pater Suarez aſſerens, Chryſoſtomum ibi egiſſe tantum de actibus virtutum naturalium, qui ſolum negatiuè & tãquam remouentes peccatum impediens gratiam ſalutares ſunt; ad quos natura ſuis viribus iuuari poteſt. Etenim teſtimonio hom.42.in Geneſim conſtat, Abrahamum operibus per ſcientiam à natura inditam, & à ſeipſo factis diuinum meruiſſe præſidium; item Patriarcham proponi nobis exemplar, quod imitemur ad merẽdum ſupernam gratiam. Meritum autem, & virtutum gratiam conſequentium exemplar, ſonant diſpoſitionem poſitiuam, & non tantum negatiuam. Ergo reuera Chryſoſtomus de vero, & poſitiuo merito habebat ſermonem. His ſatis apparet, non leuiter ductum Patrem Vaſquez ad exiſtimandum Chryſoſtomum Semipellagianis fauiſſe.

Alia explicatio Chryſoſtomi nõ conſonat teſtimonijs obiectis.

P. Suarez non ſatisfacit.

P. Vaſquez non leuiter ductus.

SECTIO VNDECIMA.

Vindicantur Chryſoſtomus, & Græci Patres ab errore Semipellagianorum.

45. ENimuero pietatis ſtudium negandũ non eſt Eccleſiæ Doctoribus, dum eorum doctrina omnino intemerata defendi poteſt. In hanc pietatem ex profeſſo ſoli Societatis Theologi totis animis incubuerũt. P. Suares, P. Arrubal, P. Granadus, P. Erice, Pater Ruyz, & alij. Zelum eorum æmulatus & ego, viam tentabo, qua doctrina Chryſoſtomi, quæ præ omnibus Græcis Patribus diſputationem mouet, vrgetque, indemnis Theologis habeatur. Vt eruamus eius mentem, producamus ex ipſius ſcriptis teſtimonia, quæ manifeſte ſub-

P. Suarez
P. Arrubal.
P. Granadus
P. Erice.
P. Ruyz.

Digitized by Google

ſcribunt Catholicæ doctrinæ, omneque opus, & initium ſalutare, & bonum in Dei auxilium referunt, gratiamque auxiliarem vnicam naturæ virtutem, & ſine meritis donatam proponunt. To. 1. hom. in Pſalm. 118. *Bonum, ac perfectum donum deſurſum eſt à Patre Luminum. Nullus bonitati ſua aſſignet, quod habet, aut vendicet ſibi, quaſi proprium, quod à Deo accepit. Quando fuit homo bonus, qui in iniquitatibus eſt conceptus?* Subiungit. *Qui eſtis boni aſſignate illud dono Dei, & nolite illud vobis aſſumere, quod donatum eſt vobis, ne perdatis, quod habetis, & dicat vobis veritas: Quid habetis, quod non accepiſtis? Et ſi accepiſtis, quid gloriamini, quaſi non acceperitis? aſſignate ergo Deo bonitatem.* Nihil ergo bonum agnoſcit Chryſoſtomus ſine dono Dei. Quomodo meritum ſalutare fateretur? To. 2. hom. 25. in cap. 7. Matth. *Omnis gratia donum eſt ſolummodo largientis. Illi autem nihil ei de proprio attulerunt, propter quod etiam merito puniuntur.* En gratiæ donum gratis conceſſum ait, etiam eis, qui nihil de proprio attulerunt. Expreſſius, & vberius hom. 29. in cap. 11. Matth. diſcrimen gratiæ, & legis deſcribens poſt medium. *Sine gratiæ auxilio omnis iuſtitia hominibus grauis eſt: quia lex præceptum eſt nudum; gratia autem virtus eſt Dei. Lex in libro conſcribitur; gratia autem in corde plantatur. Ideo lex inſufferibile pondus eſt, gratia autem delectatio cordis. Ergo lex non ſolum eo grauis eſt, quia grauiora præcipit, ſed quia & præcipit fieri, & faciendi non præſtat auxilium. Nec ideo ſolum gratia leuis eſt, quia leuia ponit mandata, ſed quod fieri præcipit, & ipſa in nobis faciendo operatur virtutem.* Additque poſt pauca: *Quia in gratia Dei totum poſſumus, ſine gratia autem nihil, dicente Apoſtolo, omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Ante finem: *Pondus Chriſti magis adiuuat baiulantem, quia non nos portamus gratiam; ſed gratia nos. Nec nos ad auxilium gratiæ dati ſumus, ſed gratia magis ad noſtrum.* Quis Patrum expreſſius aliquid habet pro gratia Dei? Rurſus tom. 2. hom. 13. in cap. 1. Ioannis expendens illa verba *gratiam pro gratia*, aſſerit, primo gratiam fuiſſe creationem ex nihilo; *Non enim noſtris præcedentibus meritis hanc accepimus remunerationem.* Deinde docet aliam gratiam Dei poſt adulteratum diuinum præceptum: *Gratia nobis donata eſt, qua emendaremus peccatum. Iterum emendandi medicina adhibita, non debita quidem, ſed à miſericordia, & gratia proueniens.*

Chryſoſtomus ſubſcribit Catholicæ doctrinæ.

46. Inſuper tom. 4. hom. 1. in Epiſt. ad Epheſios paulo poſt initium. *Dic tu mihi quid Paulo profuiſſet, ſi non cælitus ipſum acciuiſſet ad fidem, & quem prius dilexerat, ad ſe attraxiſſet. Quod denique nos ſit tot bonis dignatus, ſua fuit erga nos charitatis, non autem noſtra virtutis. Etenim ſi nobis infuerit virtus, ſi Chriſti fidem amplectamur, hoc & eius munus eſt, qui nos vocauit.* Homil. 4. in eandem Epiſt. ad illa verba: *Gratia ſaluati eſtis per fidem*; ait, *Ne rurſus libertas vitiaretur arbitrij quæ in noſtra poteſtate ſita ſunt, poſuit, itemque tumorem ſuſtulit dicens; & hoc non ex vobis, ac ſi diceret; qui iam in ipſum potuiſſemus credere? Itaque quod fidei eſt meritum, nequidem nobis adſcribendum eſt. Dei enim donum eſt.* At hom. 18. in cap. 11. epiſt. ad Rom. excludit opera legis à ratione gratiæ ſalutaris in vitam æternam. *Quid propoſita gratia tumultuando contendis, legemque mihi temere, & inaniter obijcis? Neque enim ex illa ſaluaberis; ſed & hoc Dei donum inde tibi ipſi perdis. Nam ſi ex illa ſaluari contenderis, gratiam Dei è medio tolles.* Expendens illud ſecundum electionem gratiæ reliquiæ fuerunt. *Nam & ipſum oſtendentis eſt, quod potiorem partem ad ſalutem attulerit ipſe. At dices: ſi ex gratia ſolum eſt, cur non omnes ſaluamur? Quia noluiſtis. Gratia ſiquidem licet gratuita ſit, volentes tantummodo ſaluat, non eos, qui nolunt, qui continuo auerſantur, qui contradicunt.* Itaque gratia omnes gratuito præuenit, quamuis non omnes ſaluet ex defectu voluntatis humanæ. Accedit homil. 12. in cap. 4. 1. ad Corinthios ad illa verba, *quis te diſcernet? Sed eſto ſis laudandus, & certe habeas gratiam, ſed neque ſic oportet ſuperbia efferri; quippe qui non ex te habes, ſed à Deo accepiſti. Igitur quod accepiſti habes, neque hoc tantum & illud, ſed quod habes. Non enim merita tua hæc ſunt, ſed Dei gratia. Quamuis fidem adducas, à vocatione eam accepiſti, quamuis peccatorum veniam adducas, quamuis gratias, quamuis virtutes, omnia inde tibi prouenerunt. Quid igitur habes quæſo, quod acceptum habeas? Num igitur per te recte operatus eſt? non ſane, ſed accepiſti, & idcirco magni te facis? propterea non tuum id munus eſt, ſed largientis.* Quid ergo iam deſideramus apud Chriſtomum de neceſſitate gratiæ quicquam proferre, cum neque in Auguſtino, aut Proſpero pro illa manifeſtiora ſint. Itidem hom. 28. in cap. 12. Epiſt. 2. ad Corinth. ad illa verba: *ſicut ego ambulaui*, in hunc modum; *nonne eodem ſpiritu ambulabamus? Quid eſt eodem ſpiritu? Gratia totum tribuit, & oſtendit, quod tota hæc laus non à noſtris laboribus, ſed à ſpiritus dono bonum opus ſit, & à gratia. Etenim maxima erat gratia inopia preſſos nihil accipere propter docendorum ædificationem.* Præterea commentario in cap. 5. Epiſtol. ad Galat. *Fructus autem ſpiritus charitas* &c. quærit. *Cur autem vocat fructum ſpiritus?* Reſpondetque; *quoniam mala opera ex nobis ſolis oriuntur, vnde & opera vocat. Bona vero non tantum egent noſtra cura; verum etiam opus habent diuina benignitate. Igitur hæc diſſerturus, prius radicem bonorum proponit: ita dicens, fructus autem ſpiritus, charitas gaudium*, &c. En voluntati ſolum tribuit opera mala; bona vero ſpiritui gratiæ. Eadem cernes hom. 8. in cap. 3. ad Thim. 2. *Hoc ſolum ſcito, quod Deus omnia prouidet, quod alia quidem operatur, alia vero permittit; quod nihil mali vult fieri, quod non ex ſola ipſius voluntate fiunt omnia, ſed ex noſtra quoque: mala omnia ex noſtra tãtummodo voluntate fiunt; bona omnia ex voluntate noſtra, & ipſius adiutorio.* Qui omnia bona in Dei adiutorium reuocat, nullum excludit, vt excludebant Semipellagiani quæ initiũ dabant ſaluti. Qui bona operari, mala verò ſolum permitti aſſerit, ab eis ſeorſim ſentit, qui volebant æque poſſe voluntatem in bona, ac in mala operari. Refert Proſper lib. de ingratis cap. 4. Proſper.

Tum bona quemque docent ſectari poſſe ſuopte
Ingenio, quam poſſe ſubeſt, cuique in mala ferri.

Item in Epiſtola ad Auguſtinum *conſequens putant, quantum quiſque ad malum, tantum habeat facultatis ad bonum, parique momento animum ſe*

Digitized by Google

vel ad vitia, vel ad virtutes mouere. Clauſula huius probationis ſit teſtimonium ex tom.5.lib.1. de cōpunctione cordis verſus finē: *Nam & illi beati, pro animi virtutibus magni habentur, & clari. Quod vtique nutu quidem diuino, & gratia cæleſti, proprio tamen ſtudio, ac labore operati ſunt.* Nunquam virtutis officia ab opere gratiæ, & aſſiſtentia diuina ſeiungit. Annectit poſt pauca. *Sed quoniam non ſola gratia Dei hoc agit, requiritur enim, vt & nos quod in viribus noſtris eſt, expleamus, idcirco venit quidem ad vnumquemque gratia Dei*; quamuis vberior eis, qui gratiæ cooperantur, & non diſſentiunt. Itaque gratia ſemper præuenit noſtras vires, vt compleat, continuaque ſocietate indiuiſum cum illis operetur.

47. His quidem ſatis expreſſum habemus, alienam fuiſſe Chryſoſtomi mentem ab opinione Maſſilienſium; cum vix apud alium Patrem inueniamus plura, & vtiliora teſtimonia, quæ gratiæ adſcribant concurſum in omnia opera ſalutaria voluntatis. Omitto ea, quæ ex hom. de Adam, & Eua communiter adducuntur, quia merito dubitatur à pluribus, an ea homilia Chryſoſtomi fuerit; inter quos ſunt Suarez ſup. & Bellarminus de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, viri ſatis eruditi, & pij. Nunc adiungo coniecturas, quæ noſtram exiſtimationem non leuiter confirmant, quidquid P. Erice abs re eleuare conetur; coniecturæ enim non ad euidentiam rei, ſed ad prudentem fidem faciendam proponuntur. Prima eſt, Cæleſtinum Papam in Epiſt. ad Gallos reprehendere ſententiam Maſſilienſium, vt contrariam ſententiæ Patrum. Secunda, Concilium Arauſicanum coactum iuſſu Leonis Papæ affirmare Auguſtini doctrinam acceptam à Patribus Eccleſiæ. Tertia, conſenſione Epiſcoporum Orientalium in Concilio Palæſtino, vt refert Auguſtinus Epiſt. 106. & Proſper lib. de ingratis anathemate damnatum fuiſſe errorem Pellagianum iam exortum, & Semipellagianum, priuſquam eſſet exortus; quo tempore plerique opinantur, Chryſoſtomum viuere, imò & adfuiſſe tali Concilio; ſaltem nulli dubium eſt, Chryſoſtomi doctrinam tunc tanquam communis Magiſtri in maxima veneratione haberi. Quarta, Auguſtinum in eadem Epiſt. 106. abſolutè teſtari Catholicam Eccleſiam ſemper huic adhæſiſſe doctrinæ; & lib. de prædeſtinatione Sanctorū cap. 14. licet Eccleſiæ Patres antiquiores ex profeſſo non diſſeruerunt de gratia neceſſaria ad initium ſalutis, quia neceſſarium eis non fuit contra Semipellagianam ſententiam pugnare, tamen eorum mentem nunquam fuiſſe à Catholica veritate alienam. Inter quos Chryſoſtomum à Pellagianis obiectum in Catholicum ſenſum interpretatur, lib. de natura, & gratia cap. 64. lib. 2. contra Iulianum cap. 6. & 7. & lib. 1. cap. 6. & poſt Semipellagianiſmum adducit in confirmationem ſuæ doctrinæ teſtimonia Cypriani, Ambroſij, & aliorum Patrum, quæ minus expreſſa ſunt pro Catholicorum doctrina, quam ea, quæ nos pro Chryſoſtomo adduximus, vt colligere eſt ex aliorum verbis, quæ P. Suarez producit ſupra. Accedit elogium præclarum, quo effert Eccleſia Romana ſcripta Chryſoſtomi: *interpretandi rationem, ac inhærentem ſententia Sacrorum librorum explanationem, omnes admirātur, dignumque exiſtimant, cui Paulus Apoſtolus, quem ille mirifice coluit, ſcribenti, & prædicanti multa dictaſſe videatur.* Paulus autem expreſſam continet neceſſitatem gratiæ in ſuis operibus.

P. Suares.
Bellarminus.
Coniecturæ pro Chryſoſtomo.
Cæleſtinus
Auguſtinus
Proſper.

48. Quid ergo dicendum ad obiecta teſtimonia Chryſoſtomi? Quid alij reſpondeant, & quam difficile ſatisfaciant, vidimus num. 42. Duæ ſunt propoſitiones, quæ indigent explicatione. Altera affirmans; altera negans. Affirmans eſt, voluntatem incipere, & à ſe prius quod ſuum eſt offerre, vt Deus ſuam illi gratiam largiatur. Negans eſt, Deum non præuenire ſua gratia voluntatem humanam. Vt his lucem demus, præmitto duplex eſſe genus cogitationum ſupernaturalium gratiæ. Alterum earum, quæ affines ſunt auxilijs naturalibus pertinentibus ad propriam ſuppellectilem naturæ rationalis in hoc ordine rerum conſtitutæ; quia videlicet inſeruntur à Deo ſimul cum naturalibus cogitationibus, & affectionibus, quæ excitantur occurſu cauſarum naturalium, ſtudioque, & vſu rationis, ac luminis naturalis comparantur circa obiectum formale, & materiale honeſtum, quod reſpiciunt cogitationes, & affectiones naturales, in eademque intenſione, & expreſſione cum illis, vt ea ratione conatus voluntatis in actum virtutis naturalem, ſimul etiam in ſupernaturalem exhibeatur, nulluſque poſt eleuationem ſupernaturalem conatus honeſtus conferatur irritus in ſalutem. Alterum earum quæ immediate excitantur, & infunduntur à Deo, aut per medium naturæ indebitum citra obiecta, quæ ratione naturali proponūtur, & circa illa citra intenſionem, cōtinuationem & frequentiam naturæ. Nam vt diſput. 45. explicabimus, cogitatio, & affectio ſupernaturalis poteſt habere idem obiectum formale, & materiale, quod affectio, & cogitatio naturalis; & vt exponemus diſput. 20. cogitationem, & affectionem honeſtam naturalem miniſterio ſenſuum, & rationalis naturalis acquiſitam nunquam deſerit cognitio, & affectio ſupernaturalis infuſa; licet interdum ſupernaturalis à Deo infundatur, quin virtute naturæ generetur naturalis.

P. Suares.
Vera explicatio doctrinæ Chryſoſtomi.
Præmittitur duplex genus auxiliorum gratiæ.

49. Præmitto ſecundo ſpeciali ratione conuenire rationem gratiæ cogitationibus, & auxilijs poſterioris generis diſtinctam à ratione gratiæ, quæ conuenit cogitationibus, & auxilijs prioris generis. Nam prioris generis auxilia licet abſolutè comparata cum natura rationali ſecundum ſe illi indebita ſint, tamen comparata cum natura iam eleuata ex lege præſentis prouidentię, ſunt aliqua ratione debita, verſanturque circa obiecta honeſta, & virtutum officia, quæ exigit natura rationalis in hoc ordine rerum conſtituta, annexaque ſunt cogitationibus, & affectionibus honeſtis naturæ debitis, agentiumque naturalium miniſterio excitantur, operaque virtutum ſupernaturalia edunt prorſus accommodata naturæ, cum eâdem difficultate, qua naturalia, in eiſque ſolum euentibus, in quibus naturalia fierent, in hac diſpo-

Item præmittitur, alia auxilia ſupernaturalia ſpecialem rationē gratiæ habere præ alijs.

Digitized by Google

ſitione cauſarum, & rerum etiamſi homo ad finem ſupernaturalem eleuatus, ſupernaturalibus non præmuniretur auxilijs; vndè merito huius conditionis auxilia inter propriam ſupellectilem naturæ rationalis iam eleuatæ numerati poſſunt. At verò auxilia generis poſterioris omnino indebita ſunt naturæ etiam eleuatæ, ſoliquè gratiæ, & liberalitati largitoris ſunt ſubiecta, irregulariterque obiectum formale, & materiam virtutis, intenſionem, tempus, locum, & alia id genus extrinſeca reſpiciunt, quia Dei ſolius dono, pro ipſiuſque libito hominibus conferuntur. Peculiari igitur nomine hæc auxilia poſteriora rationem merentur gratiæ, quo illa priora non merentur, quandoquidem & intra ordinem naturæ priores cogitationes naturales non eſſent auxilia gratiæ ſimpliciter dictæ; eſſent vero cogitationes poſteriores, vt conſtabit ex lib. 5.

Tertiò præmittitur, auxiliaque quædam gratiæ prouideri homini propter vſum præuium aliorum, quædam non.

50. Præmitto tertiò, regulariter, & ordinariè ad donandum auxilia ſupernaturalia poſterioris conditionis, nulla quidem ratione debita etiam eleuationi naturæ, non eſſe abſonum à recta prouidentia Dei exſpectare quid agat voluntas à ſe auxilijs ſupernaturalibus prioris generis. Nam altiora beneficia, vt gratiam iuſtificantem, remiſſionem peccati, donum perſeuerantiæ, vitam æternam, denique ea, quæ noſtro labore & conſenſu poſſumus adipiſci, voluit à noſtro merito, aut diſpoſitione pendere. Congruum namque eſt, vt voluntati ſufficienter præuentæ gratis auxilijs ſupernaturalibus prioris generis, quibus impetrare valet dona præſtantiora gratiæ, non condonentur illa regulariter, niſi prioribus ſubſidijs incipiat moueri, in ſalutem, & iuſtitiam, deſiderando, proponendo, aut aliud quidpiam agendo. Si verò eis ſe moueat, conſentaneum eſt largitati diuinæ, altioribus hominem donis cumulare, valentioribuſque præſidijs promouere. Alias enim mortua erit hominis libertas in negotio ſalutis, fruſtraneuſque omnis arbitrij conſenſus ad illud. Itaque auxilia ſupernaturalia prioris generis, quæ ordinaria ſunt, ſemper dantur cum naturalibus ſequentibus ordinem cauſarum naturalium, quamuis nullum præcedat opus voluntatis; auxilia vero extraordinaria interdum illud exſpectant.

Elucidantur obiecta teſtimonia Chryſoſtomi.

51. Iam pelluntur tenebræ, quibus doctrina Chryſoſtomi obſcurabatur; lucemque accipiunt teſtimonia, quæ eius mentem diſſimulabant. Nam propoſitiones affirmantes, noſtram voluntatem incipere, eligere, quod ſuum eſt offerre, non per fidem, ſed per ſcientiam naturalem virtutem agere, vt Deus ſuam deinde gratiam largiatur, exponi poſſunt de voluntate incipienti, eligenti, & quod ſuum eſt agente per auxilia ſupernaturalia prioris generis, quæ ad propria animæ eleuatæ bona ſpectant. Propoſitiones vero negantes, Deum præuenire voluntatem, ne lædatur arbitrium, poſſunt interpretari de præuentione voluntatis per dona gratiæ præſtantiora, ad quæ donanda exſpectatur libertatis noſtræ cooperatio, & præparatio. Quam ſi Deus non exſpectat ad eximia gratiæ dona, nulla eſt libertas arbitrij in ordine ad ſalutem; non quia cogatur, ſed quia irrita redditur quippe libertatis cooperatio nihil conferet ad ea gratiæ dona, quæ omnino gratis, & ante liberum voluntatis conſenſum homini diſpenſantur. Hanc interpretationem eo mihi probo; quia ex vno capite Chryſoſtomus omnia ſalutaria opera in Dei auxilium reuocat, vt conſtat ex proxime adductis; ex alio verò aliqua opera gratiam præcedentia palam admittit, vt conſtat ex teſtimonijs nobis obiectis. Hæc duo autem alijs communibus expoſitionibus ægrè componuntur; vt colligere eſt ex ijs, quæ expendimus num. 42. Illuſtro hanc mentem Chryſoſtomi ex tom. 2. hom. 31. in cap. 13. Matth. ad illa verba. *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni cælorum.* Vbi duplex cogitationis per Spiritum ſanctum donatæ genus diſtinguit; aliud omnibus hominibus commune, aliud dignioribus, & electioribus proprium; illud ſimul cum natura, vtique eleuata, hoc per eius merita promiſſum. *Omnis quidem intellectus de Spiritu ſancto eſt, & gratia Dei eſt: tamen alia eſt gratia, quam Deus omnibus hominibus donauit, alia eſt quam non omnibus hominibus, ſed dignioribus, & excellentioribus, & electioribus donat.* Quod probat exemplo Patris familias, qui omnibus ſeruis mediocria, & neceſſaria alimenta pro officij debito diſpenſat, fidelioribus vero propter bonos eorum mores meliora, & maiora. *Sic & Dominus*, infert, *generalem gratiam, id eſt, intellectum boni, & mali omnibus dat pro neceſſitate naturæ, quia nec videmur eſſe homines ad imaginem Dei creati, niſi habuerimus diuinum intellectum. Dignioribus autem dat ſpecialem gratiam, vt puta cognoſcendi myſteria, non pro neceſſitate naturæ, ſed pro remuneratione bonæ voluntatis, & bonorum operum. Vide ergo quomodo dicit, vobis datum eſt noſſe myſterium regni cælorum.* Quo loco intellectum boni, & mali omnibus hominibus generalem intelligo cogitationem honeſtam ad bene moraliter agendum neceſſariam; eamque puto non naturalem, ſed ſupernaturalem, tum quia *ex Spiritu ſancto datam*, & *gratiam*, tum quia *diuinam* appellat. Igitur ſi per has communes cogitationes gratiæ ad ſalutem neceſſarias, digni fiamus, ſpeciales & illuſtriores ſuperabundantes donabit. *Si enim illam generalem gratiam*, concludit Chryſoſtomus, *abſcondiſti in terram, quæ datur pro neceſſitate naturæ, quomodo mereberis hanc ſpecialem, quæ pro remuneratione bonæ voluntatis, aut operum datur?* Non potuit expreſſius noſtra interpretatio probari. Addo quæ habet tom. 4. hom. 12. in Epiſt. ad Hæb. ex qua vltimum argumentum nobis obiectum eſt. Exponens enim illud Rom. 9. *Non eſt volentis, neque currentis*, &c. poſt teſtimonium oppoſitum num. 38. Subdit, *Adſtruit* (Apoſtolus) *hic duo magna. Vnumne in ſuperbiam erigamur. Siue cucurreris, ſiue ſatageris*, ait, *non puta tuum eſſe effectum. Si enim deſuper non adueniat adiumentum, omnia in vano erunt. Verumtamen quidquid adeptus fueris eorum, ad quæ feſtinas, manifeſtum, quia currendo, & volẽdo adipiſceris.* Primũ ſtatuit omnia, id eſt, ipſum currere, & velle, vana eſſe ſine adiutorio gratiæ, vtique neceſſario. Deinde opus eſſe velle, & currere, vt excellentiora dona, in

Chryſoſtomi doctrina confirmatur.

Digitized by Google

quæ homo feſtinat,& currit,nō gratis omnino, ſed præuijs voluntatis greſſibus adipiſcatur. En duo à nobis ſuperius poſita pro expoſitione Chryſoſtomi. Itaque alia auxilia ſupernaturalia donat gratis, quæ quia naturæ ordinem comitantur, eum naturalibus confunduntur; alia ex merito, quæ, quia citra naturæ ſeriem diſpēſātur, ſpeciali ratione gratię dona nuncupātur.

Seorſim explicatur primum teſtimonium.

52. Nunc ad ſingula ſeorſim reſpondeamus. Ad primum ex hom. 27. in Genes. perſpicuum eſt, agere de miſericordia Dei, quæ accedit propoſito voluntatis procedenti ex gratia. Nam diſſerit Chryſoſtomus de diſcrimine, quo Deus, & homo prouident ijs, qui ipſorum obſequijs addicti ſunt. *Homines enim* (ait Chryſoſtomus) *primum volunt ea, quæ præcipiunt opere compleri. Non ita ſe gerit communis omnium Dominus; prius enim benefacit, & noſtram naturam ad ſe allicit, & poſtea imperat facilia.* Hinc hortatur ad ea opera implenda. *Quia Dominum habemus miſericordem, & non indiget magno tēpore; tantum magno feruore ad ipſum accedamus, & ſuperna gratia innitamur.* Poſt quæ adiungit, diuinam miſericordiam accedere celerem propoſito voluntatis, vt primo teſtimonio obijcitur. Ergo Dei miſericordia accelerans poſt præuiſum propoſitum noſtræ voluntatis, ſupponit voluntatem præuentam beneficijs Dei, & innitentem diuinæ gratiæ.

Secundum.

Maius negotium eſt in explicando ſecundo teſtimonio ex homil. 42. verùm Abrahamum ibi non intelligi ad virtutis faſtigium prouectum ſeorſim à gratia Dei, ex eo conſtat, quod etiam à doctrina Semipellagianorum alienum eſt, ſine auxilio gratiæ magna virtutis, & iuſtitiæ crementa fateri. Illi enim ſolum initium, non autem perfectionem virtutis in vires naturæ reuocabant: quid *magnum virtutis faſtigium*? Igitur non ſolæ vires naturæ, ſed etiam gratiæ Abrahamum in eam virtutis altitudinem euexerunt. Dicitur itaque à ſemetipſo, & per ſcientiam à natura inditam, in tantum virtutis faſtigium perueniſſe, quia non per cogitationes fidei ſubminiſtratas prædicatione Euangelij, ſed per cogitationes fidei, ſupernaturales inſertas à Deo naturali ratione, occurſu, & ſtudio communi cauſarum naturalium virtutem operatus eſt. Quod qua ratione fieri poſſit, iam expoſuimus. Conſequenter id, *quod ſuum erat* in Abrahamo appellabat Chryſoſtomus opera ſupernaturalia, quæ fiebāt auxilijs ordinarijs naturæ eleuatæ, iuxta ſolam excitationem rationis naturalis abſque miniſterio prædicationis fidei, & luminis Eccleſiæ, quamuis reuera fierent cogitationibus ſupernaturalibus, quæ naturalibus inſerebantur.

Tertium.

53. Ad tertium teſtimonium ex hom. 17. in Ioannem idem reſpondeo. Quare in eadem homilia, dum explicat illa verba: *vt diligatis inuicem, ſicut ego dilexi vos*, ſic ait, *non enim veſtris præcedentibus meritis debitum perſolui, ſed ego incepi.* Quibus initium meritorum non tribuitur voluntati, ita ſuis viribus incipienti, vt excludatur auxilium gratuitum Dei. Accedit in operibus Chryſoſtomi Venetijs editis anno 1583. aliter illud teſtimonium legi: *Cum nos prompto, paratoque* PER ILLVM *animo ad ſuſcipiendam gratiam exhibemus, tunc multas nobis offert*, &c. Qua lectione omnino euertitur robur eius teſtimonij.

Quintum.

Ad quartum ex hom. 12. in Epiſtolam ad Hæbreos conſtat, electionem boni antecedentem ea, quæ Dei ſunt, non eſſe omnino ſine gratia Dei, ſed illa tantum gratia, quæ in ordine ſupernaturali ſpecialis eſt extra propriam ſuppellectilem naturæ rationalis eleuatæ. Nam ibidem habet ea, quæ expendimus num. 51. & hom. 28. in eamdem Epiſtolam illa verba cap. 12. *Aſpicientes in autorem fidei*, ſic exponit, *hoc eſt, quia ipſe nobis fidem infundit, etenim ad Diſcipulos ſuos dicebat, non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos: ipſe initium nobis impoſuit, ipſe etiam finem imponet*: vbi illud, *ipſe nobis impoſuit initium* manifeſtè ſignificat, nullum naturæ conatum initiare noſtram fidem, & ſalutem ſine aliquo auxilio Dei.

Vlterior confirmatio mentis Chryſoſtomi.

54. Demum expoſitio Chriſoſtomi confirmatur; quia alij Patres Eccleſiæ, qui à P. Vaſquez, & omnibus Theologis exiſtimantur ſtare pro Catholica ſententia, eiſdem, quibus Chryſoſtomus, vtuntur loquendi modis. Ambroſius lib. de Abraham cap. 7. *Talem te præbe bonis ſtudijs, & prompta fide, vt Deus vocet te.* Hieronymus dialogo 3. contra Pellagianos. *Noſtrum ſit rogare, illius tribuere, noſtrum incipere, illius perficere.* Bernardus ſermone ad illa verba Iob. *in ſex tribulationibus*, &c. ait, *Quod in nobis minus eſt, ipſe ſupplet: modicum tamen illud quodcumque noſtrum eſt, non patitur reſeruari.* Sic alij Patres Nazianzenus, Hilarius, Optatus, Mileuitanus, Damaſcenus, & alij apud Patrem Suarez ſupra num. 12. Qui omnes explicationem accipiunt ex ijs, quæ pro Chryſoſtomo adduximus.

Marcus Eremita expēditur.

55. Cæterum quia Marcus Eremita præ alijs expenditur à P. Vaſquez, educamus in lucem mentem ipſius, fauentem doctrinæ Catholicæ. Eodem enim libro de paradiſo ſic habet: *Si ad ſalutem perficitur, non poteſt inchoari, aut perfici, niſi per gratiam.* Item ibidem: *Quod per gratiam donatur, non iam metiri debemus pro modo, & merito antecedentis infirmitatis, ſiquidem gratia, iam non eſt gratia.* Ruſus lib. alio de paradiſo, & lege ſpirituali initio: *Primum omnium certò ſcimus, Deum totius boni eſſe authorem principij, tum medij, tum finis.* Quod fuſe proſequitur per octo priora capita. In quadrageſimo autem, *omnis virtutis initium Deus eſt.* Et cap. 47. *Omne bonum proficiſcitur à Deo pro nutu diſpenſante.* cap. 57. *Omne opus bonum, quod per noſtram naturam operamur tantum quidem facit, vt à contrario malo, aut vitio abſtineamur. Cæterum extra gratiam ſanctificationis, acceſſionem nobis facere non poteſt*: id eſt, non poteſt nobis ad ſalutem prodeſſe, niſi remouendo: prohibens gratiam ſanctificantem, vel auxiliantem. Vnde nō temerè explicatur teſtimonium obiectum à P. Vaſquez de vſu noſtræ voluntatis præuentæ auxilio gratiæ, modo quo in Chryſoſtomi expoſitionem diximus. Aut etiam nomine voluntatis, quæ ibi dicitur auxilium à natura inſitum, poteſt intelligi potentia ipſius voluntatis, quæ immediate, fulſita tamen viribus gratiæ in opera ſupernaturalia influit. Quibus tandem mani-

Digitized by Google

feſtum relinquitur, poſſe Græcos Eccleſiæ Patres abſque vlla vi in Catholicam ſententiam adduci.

SECTIO DVODECIMA.

Cenſura ſententiæ affirmantis, & mens Theologorum antiquorum.

Liberant à cenſura plerique.

56. SEntentiam tribuentem operibus naturalibus meritum de congruo à cenſura erroris Semipellagiani liberant, qui volunt à Semipellagianis ſolum aſſertum meritum de condigno. Ita P. Franciſcus Turrianus, P. Coninck, Vega, & relati diſputat. 15. ſectione 3. Item P. Leſſius de efficacia gratiæ appendice ad cap. 10. num. 29. volens Maſſilienſes ſolum damnatos, quod aſſeruerint voluntatem ſuis viribus poſſe ſe proxime ad iuſtificationem diſponere; contra quod non eſt, poſſe remote ſe ad iuſtificationem mouere, merendo aliquod auxilium gratiæ. Quos recentiores in manuſcriptis ſequuntur. Verum hanc ſententiam alij quos recenſuimus num. 4. grauibus cenſuris notant. Zumel aſſerens vt minimum erroneam, & ſecundum alios hæreticam; Sotus, & Lorca apud Scholaſticos malè audientem; Angles, Matthias Feliſius, Bellarminus, Vaſquez, & Molina Pellagianam; Tiletanus in Trydentino damnatam. Quibus ego ſubſcribo aſſerens, eſſe contra Concilia, & Patres, quos ſuperioribus adduximus. Ex quibus conſtat, quam procul à vero abſint, qui ſentiunt Semipellagianos non erraſſe adſtruendo meritum congruum gratiæ non ſolum iuſtificantis, ſed etiam auxiliantis; de quo præcipuè ſect. 6. & diſput. 15. ſect. 3.

P. Turrianus. P. Coninck. Vega. P. Leſſius. Alij cenſuris feriunt. Angles. Feliſius. Bellarminus. P. Vaſquez. P. Molina. Tiletanus.

57. Sed obijcitur authoritas antiquorum Scholaſticorum, quos retulimus num. 1. & 2. Sancti Thomæ, Scoti, Durandi, Gabrielis, Almaini, Bergomenſis, & aliorum aſſerentium voluntatem ſuis viribus poſſe præparari ad gratiam; quorum ſententiam durum eſt, tam grauibus cenſuris ferire. Reſpondent aliqui recentiores, diſcrimen eſſe latum inter Scholaſticos antiquos, & Semipellagianos. Nam Semipellagiani aſſerebant, arbitrium ſua facultate mereri gratiam; Catholicos vero ſolum aſſerunt præparari ad illam recipiendam; quæ duo diſcrepantia ſunt. P. Erice hoc non audit. Quia nullum extat diſcrimen inter diſpoſitionem moralem, & meritum de congruo. Ego diſcrimen inuenio inter meritum congruum, & diſpoſitionem, quod mox explicabo. Cæterum ex hoc capite antiquos Theologos nō vindico. Nam ipſi non ſolum diſpoſitionem, ſed etiam meritum de congruo palam fatentur. Ita Durandus in 1. d. 41. q. 2. num. 6. Item in 2. d. 28. q. 2. num. 4. Vbi ſolum requirit ad meritum de congruo gratiam conſequentem extrinſecam ex miſericordia largiente donum; non vero gratiam præuenientem, & auxiliantem opus meritorium. Gabriel in 2. d. 27. art. 2. concluſione 4. & in 4. d. 14. q. 1. art. 2. concluſione 5. littera S. Scotus ibidem q. 2. art. 2. Bergomenſis, & Almainus relati num. 1. quorum teſtimonia apud ipſos manifeſta ſunt, & ijs ſolum, qui non legerunt hos autores, dubia eſſe poſſunt. Excipio ſanctum Thomam, qui nomine tantum diſpoſitionis, & non meriti vſus eſt, dum arbitrio tribuit facultatem mouendi ſe in iuſtificationem.

S Thomas. Scotus. Durandus. Gabriel. Almainus. Bergomenſis. Non excuſantur bene à nonnullis. Durandus. Gabriel. Scotus. Bergomenſis. Almainus.

58. Alij excuſant autores antiquos, quod ſolum excluſerint auxilia gratiæ intrinſecè ſupernaturalia, non verò intrinſecè naturalia. Ita P. Læſſius ſupra liberat omnes Catholicos in genere. P. Vaſquez, & P. Torres, Sanctum Thomam, Andreas de Vega ſuum Scotum. Verum ego hanc excuſationem ſuſpectam habeo. Aſſerunt enim expreſſè poſſe voluntatem eos actus efficere per ſua naturalia, lumenque rationis, & in eis agendis non agnoſcunt aliam gratiam, quam eam, quæ in gratuita creatione naturæ, & luminis naturalis interuenit, quæ non propriè, ſed largè gratia eſt, vt expreſſum habet Sanctus Thomas in 2. d. 28. q. 1. art. 4. in corpore. Verba Sancti Thomæ ſunt: *Non oportet, vt actus, quibus homo ſe ad gratiam præparat, ſint naturam humanam excedentes, ſicut enim natura humana ſe habet in potentia materiali ad gratiam, ita actus virtutum naturalium ſe habent, vt diſpoſitiones materiales ad ipſam. Unde non exigitur, vt homo ad gratiam ſe præparet, aliquod aliud lumen gratiæ præcedens. Niſi forte gratia dicatur naturale lumen rationis, quod pertinet ad bona naturalia, & non ad gratuita, niſi large accepta.* Ita conſequenter ad quartum habet: *Etiam ad fidem habendam aliquis ſe præparare poteſt, per id, quod in naturali ratione eſt. Vnde ſi aliquis in barbaris natus nationibus, quod in ſe eſt, faciat; Deus ſibi reuelabit illud, quod eſt neceſſarium ad ſalutem; vnde non oportet, quod habitus fidei præcedat præparationem ad gratiam gratum facientem; ſed ſimul homo ſe præparare poteſt ad fidem, & alias virtutes, & gratiam habendam.* Item q. 14. de veritate art. 11. ad 1. *Si aliquis in ſyluis nutritus ductum naturalis rationis ſequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certiſſime eſt tenendum, quod ei Deus per internam inſpirationem reuelaret ea, quæ ſunt ad credendum neceſſaria, vel aliquem fidei Prædicatorem ad eum dirigeret.* Ergo cum homo agit, quod poteſt ſuis viribus debitis, & lumine rationis, etiamſi alio gratuito lumine naturæ non illuſtretur, diſponit ſe ad gratiam habendā. Etiam Scotus palam docet ex naturalibus, & cum cōmuni influentia naturæ poſſe actum dilectionis Dei, ac deteſtationis peccati elicere, quo de congruo iuſtificationem mereatur. Ita in 4. d. 14. q. 2. art. 2. lit. H. *Peccator poteſt ex naturalibus cum communi influentia conſiderare peccatum commiſſum, vt offenſiuum Dei, & ſub multis alijs rationibus, & poteſt voluntas ipſum ſub aliqua illarum, vel ſub multis peccatum ſic conſideratum deteſtari, & ille motus poteſt continuari, & intendi ante infuſionem gratiæ. Iſte autem motus eſt diſpoſitio, ſiue meritum de congruo ad deletionem peccati mortalis.* De quo motu, quem ante iuſtificationem vocat attritionem, & vult aliquod tempus à Deo præfixum durare, addit. *Nulla poteſt eſſe ſufficientior diſpoſitio ad iuſtificationem, quam iſta attritio, vſque ad quod*

Alia excuſatio non bona. P. Leſſius. P. Vaſquez. P. Torres. Vega. S. Thomas. Scotus.

Digitized by Google

ad quod Deus determinauit debere durare, vt ſit meritum de congruo ad iuſtificationem, & infundatur gratia. En duo ſatis aperta apud Scotum, & actum elicitum ex naturalibus cum communi influentia naturæ abſque ſpeciali auxilio gratiæ diſponere ad iuſtificationem, & eumdem etiam mereri de congruo gratiam iuſtificantem. Eadem habent Durandus, Gabriel, & alij, quorum meminimus num. 1. A quibus nullo fundamento diuiduntur in libris ſententiarum, S. Thomas, & Scotus, cum omnes eodem prorſus modo loquantur. Accedit, mea opinione, quam illuſtrabo libr. 5. cogitationes cōgruas naturales admiſſas à Semipellagianis fuiſſe, & à Patribus ſolum contentas eas, quæ intrinſecè ſupernaturales ſunt. Ergo admittere tales cogitationes non diſcernit Catholicos à Semipellagianis.

Aliud diſcrimen Catholicorū à Maſſilienſibus nullū eſt.

59. Hinc nulla etiam fit alia interpretatio Patris Leſſij, volentis Catholicos Doctores non admiſiſſe viribus naturæ diſpoſitionem ad gratiam iuſtificantem, ſed ſolum ad gratiam auxiliantem. Maſſilienſes verò damnatos, quod ad iuſtificationem admiſerint. Nam Scotus, & S. Thomas adducti numero præcedenti apertiſſime agunt de diſpoſitione ad gratiam iuſtificantem. Similiter Durandus, Gabriel, Almainus, & alij adeò manifeſtè, vt non interprete, ſed relatore indigeant. Præterea Maſſilienſes à Patribus oppugnatos eſſe, etiam quod meritum proximum gratiæ auxiliantis, & remotum ad iuſtificationem poſuerint, vidimus ſectione 6. Ergo neque ex hoc capite indemnis ſit Catholicorum ſententia.

S. Thomas liberatur.

60. Quid ergo? Dicemus propterea cum Lorca, Soto, & alijs recentioribus, Catholicos Doctores incautè in Maſſilianiſmum incidiſſe? Inprimis Sanctus Thomas Semipellagianiſmo apertè refragatur 1. 2. quæſt. 109. art. 6. Vbi inquirens, an poſſit homo ſe præparare ad gratiam abſque auxilio gratiæ, decernit, non poſſe; illudque auxilium non eſſe ſolum externum, ſed etiam internum, his verbis: *oportet præſupponi aliquod auxilium gratuitum Dei, interius animam mouentis, ſiue inſpirantis bonum propoſitum.* Item quodlibeto 1. art. 7. agens de diſpoſitione ad gratiam per ſolam naturalem arbitrij facultatem in corpore poſt relatum errorem Pellagij ait: *Vnde ad errorem Pellagianum pertinet dicere, quod homo poſſit ſe ad gratiam præparare abſque auxilio diuinæ gratiæ: & eſt contra Apoſtolum, qui dicit ad Philippenſes 1. qui capit in vobis opus bonum, ipſe perficiet.* Vbi ſatis oſtendit, alienam fuiſſe illius mentem ab oppugnatorum gratiæ doctrina; etſi verum eſt, in libris ſententiarum eorum fauiſſe ſententiæ, apertiſſimè poſtea retractaſſe, vt volunt Sotus libro ſecundo de Gratia cap. 3. Caietanus 1. 2. quæſt. 109. art. 6. & plures eius interpretes. Præterea Sanctus Thomas in libris ſententiarum nullibi docuit, meritum de congruo ex ſolis viribus arbitrij haberi, ſed tantum diſpoſitionem ad gratiam; quæ duo diſcrepantia ſunt, vt explicabimus diſputatione ſequenti ſectione prima, vbi ſectione ſecunda oſtendemus, aliquod diſpoſitionis genus ex viribus liberi arbitrij admittere, quod cum gratia nullam connexionem habeat, probabiliter poſſe à Semipellagianiſmo excuſari. Rurſus Sanctus Thomas, & reliqui Catholici Doctores aſſerentes poſſe hominem per ſua naturalia, & lumen rationis ad iuſtificationem diſponi, exponi poſſunt eo ſenſu, quo Chryſoſtomum ſectione præcedenti expoſuimus, vt velint, per opera facta eis auxilijs ſupernaturalibus gratiæ, quæ ex parte obiecti non tranſiliunt limites luminis rationis, & cogitationum naturalium occurrentium ex ordinaria ſerie cauſarum, poſſe hominem ad iuſtificationem peruenire, quin aliud illuſtrationis genus, influentiaue extraordinaria in ordine prouidentiæ ſupernaturalis neceſſaria ſit. Neque enim facile credi poteſt, rem in ſacra ſcriptura, Concilijs, & Patribus expreſſam latuiſſe Doctores adeò eruditos, & eximios. Denique quamquam reliqui Scholaſtici præter Sanctum Thomam meritum gratiæ congruum ex ſola naturæ facultate conceſſerint, probabiliter interpretari poſſumus eos, non idem, quod Semipelagiani, meritum admiſiſſe. Aliud enim eſt meritum congruum, quod exigentiam, & connexionem habet cum præmio; aliud, quod illam non habet; ſed tantum terminat connexionem, & exigentiam doni ſupernaturalis remunerantis obſequium præcedens, vt exponemus diſputatione ſequenti ſect. 1. Prius itaquè meritum in Maſſilienſibus damnatum eſt; non eſt omnino certum eſſe poſterius damnatum. Quo eorum ſententia à cenſuris liberatur. Hæc ſuam lucem ex ſequenti diſputatione deſumet.

Sotus. Caietanus. S. Thomas.

Omnes præſſi Theologi pie exponuntur.

DISPVTATIO DECIMAOCTAVA.

AN SVPERNATVRALIA SINT SVPRA diſpoſitionem naturæ.

VIDEBITVR alicui hæc diſputatio poſt præcedentem ſuperflua, quia vbi meritum congruum naturæ repugnat in ordine ad ſupernaturalia, apparet, manifeſtum repugnare etiam diſpoſitionem

Digitized by Google

moralem, quæ nihilo differt à merito de congruo. Sed immerito, quia plures autores diſcrimen inter vtramque cauſalitatem inueniunt. Ideoque expendendum, an tale diſcrimen verum ſit? operaque naturæ non ſolum in meritoriam, ſed etiam in diſpoſitiuam cauſalitatem inefficacia ſint?

SECTIONES.

1. *In quo moralis diſpoſitio à merito congruo diſcrepet?*
2. *Statuitur noſtra ſententia.*
3. *An ex lege Dei operibus naturalibus annectantur ſupernaturalia?*

SECTIO PRIMA.

In quo moralis diſpoſitio à merito congruo diſcrepet?

Affirmant diſcrepare Zumel. Lorca.

1. ZVmel. 1. 2. quæſt. 109. art. 6. diſput. 1. initio, & quæſt. 114. art. 5. diſput. 3. conc. 1. & Lorca d. 11. & 50. de gratia, ponunt diſpoſitionem, & meritum de congruo diſcrepare, minuſque ad diſpoſitionem, quam ad meritum requiri. Sed non definiunt, quænam vtriuſque differentia ſit? Sotus etiam lib. 2. de natura, & gratia cap. 3. & præcipuè 4. interſtitium inuenit; quolib. 1. c. 21. & lib. 2. cap. 3. docuit operibus honeſtis elicitis ſola facultate naturæ abſque ſpeciali auxilio gratiæ, ineſſe rationem diſpoſitionis remotæ ad gratiam iuſtificantem, adparando proximè ſubiectum ad gratiam auxiliantem; cæterum nullam eis merendi rationem conuenire; quin lib. 2. c. 4. ex animo decernit, actus ſupernaturales, quibus iuſtificatio annexa eſt, eſſe quidem diſpoſitionem ad illam, non vero meritum de congruo. Vnde videtur diſtinguere meritum in communi à diſpoſitione, quod meritum reſpicit mercedem tanquam ſibi debitam; diſpoſitio verò ſine debito eſſe poteſt. Sotum ſequuti ſunt reliqui Thomiſtæ recentiores. Medina 1. 2. quæſt. 109. art. 6. concluſione 4. Aluarez de auxilijs diſput. 59. num. 10. Zumel. 1. 2. quæſt. 114. art. 5. diſput. 3. con. 3. Sed Pater Suares 1. p. lib. 2. de Prædeſtinat. c. 7. num. 29. & Pater Erice 1. p. diſputat. 26. c. 2. num. 9. contendunt, nullam eſſe vtriuſque differentiam, ideoque ſi ſemel ponamus, nullum eſſe meritum congruum naturæ in ordine ad ſupernaturalia, ponendum conſequenter nullam eſſe diſpoſitionem moralem. Id probant; quia ad diſpoſitionem moralem requiritur, vt Deus intuitu illius moueatur ad conferendum donum ſupernaturale. Opus autem morale, cuius intuitu mouetur Deus ad conferendum donum ſupernaturale, de congruo meritorium eſt. Nam abſque congruitate operis cum dono ſupernaturali non poteſt opus mouere voluntatem diuinam ad illud largiendum ſuppoſito operanti. Ergo opus diſponens moraliter ſubiectum ſimul eſt de congruo merens.

Sotus. — Zumel. Medina. Aluarez. — Sed P. Erice, & Pater Suarez negant.

2. Ego verò cum Bellarmino tom. 3. libr. 1. de Iuſtificatione cap. 21. & lib. 5. cap. 21. Patre Vaſquez 1. 2. diſputat. 218. Patre Suares tom. 3. de gratia lib. 12. c. 32. P. Ægidio Coninck, Patre Torres, Patre Granado, P. Iannero, Diuo Bonauentura, omnibuſque Scotiſtis, & Nominalibus docuī tract. de merito, actus ſupernaturales antecedentes noſtram iuſtificationem mereri de congruo gratiam iuſtificantem; quod nunc ad præſentem diſputationem ſuppono. Ideoque inquiro. An & quo diſcrimine meritum de congruo à condigno diſtinctum diſſideat à diſpoſitione morali?

Bellarminus. P. Vaſquez. P. Suares. P. Ægidius. P. Torres. P. Granadus. P. Iannetus.

3. Meritum à morali diſpoſitione pluribus ego diſcerno. Primò, quod meritum à condigno & congruo, præſcindens ſuapte conditione debet eſſe obſequium ſuperioris remunerantis, cedens aliqua ratione in commodum, aut honorem ipſius, & quia obſequium eſt, ad remunerationem mouens. Diſpoſitio vero etiam moralis ſuapte ratione non exigit conditionem obſequij cedentis in honorem, aut commodum ſuperioris, neque intuitu obſequij ad doni largitionem mouet. Nam boni mores, & litterarum ſtudia diſponunt, & adaptant hominem ad recipiendum Magiſtratum, aut dignitatem aliquam Pontificiam, quamuis nulla in eo conſiderentur obſequia erga illos, à quibus vir probus, & doctus promouendus eſt; religioſus etiam, qui ſuæ virtutis, & prudentiæ diu ſpecimen dedit, aptus eſt, qui in aliorum ſuperiorem eligatur, licet nulla erga ſuum Generalem, aut Religionem exhibuerit obſequia. Secundo; Meritum reſpicit donum indifferenter ſibi, aut alteri retribuendum; quare alijs poſſumus noſtris operibus mereri. Diſpoſitio verò reſpicit munus ſupernaturale determinatè conferendum ipſi ſuppoſito operanti; neque enim noſtra opera diſponunt ſubiectum, vt alijs, ſed vt nobis tantum munera cæleſtia conferantur. Tertio; Meritum ſuo conceptu importat aliquam exigentiam exiſtentiæ præmij, aut ſaltem ordinem, & connexionem tranſcendentem cum poſſibilitate illius, ratione cuius repugnanti præmio repugnaret quoque meritum. Tum quia Patres differentes cum Pellagianis, & Maſſilienſibus ex merito præſcindenti à condigno, & congruo de-

Diſcrimen diſpoſitionis à merito. — Secunda diſcriminis ratio. — Tertia.

Digitized by Google

ducebant, gratiam dari debitam aliqua ratione, & non merè gratis, vt vidimus diſputatione præcedenti, ſectione quinta & ſexta. Quæ collectio eſſet nulla, ſi meritum ſuo conceptu communi non importaret aliquam exigentiam, aut connexionem cum præmio. Tum quia opus meritorium de congruo, & de condigno non differunt in ſubſtantia, & perfectione entitatiua operis, ſed ſolum in dignitate ſuppoſiti operantis, qua ſolum variata poteſt idem opus de congruo in condignum, & è contra variari. Opus autem meritorium de condigno, quà bonum & morale eſt, debet pertinere ad eumdem ordinem tranſcendentem cum præmio, ratione cuius exigentiam, aut connexionem habeat cum illo, vt expendemus diſputat. 15. ſect. 6. & diſput. 16. ſect. 13. & diſput. præterita ſect. 7. Igitur ratio meriti fert ſuo conceptu aliquam exigentiam exiſtentiæ præmij, aut ſaltem tranſcendentem connexionem cum poſſibilitate ipſius. At verò diſpoſitio ſecundum ſe indifferens eſt ad exigẽtiam, & connexionem intrinſecam cum forma, ad quam diſponit, & ad talis exigentiæ, & connexionis defectum. Quamuis enim recte dicantur diſponere hominem ad iuſtificationem actus intrinſecè ſupernaturales exigentes exiſtentiam gratiæ, aut ſaltem connexi cum illius poſſibilitate, ſicut diſpoſitiones naturales exigunt formam, & connectuntur cum illa; tamen non repugnat tale diſpoſitionis genus meditari, quam forma inducenda exigat in ſubiecto, quamuis ipſa diſpoſitio formam inducendam non exigat; nam ratione exigentiæ formæ inducendæ, quamuis non ratione exigentiæ ipſius diſpoſitionis intelligatur ſubiectum ad habendum formam aptius cum illa, quam ſine illa. Subiectum enim aptum ad formam recte dicitur, quod tale eſt, quale ad exiſtentiam connaturalem formæ requiritur, licet forma talis non ſit, qualis opus eſt, ad connaturalem exiſtentiam ſubiecti. Qua ratione cera verò dicitur apta, & diſpoſita ad formas artificiales, quia conditionem, & qualitatem habet, qualem formarum artificialium introductio requirit, licet formæ artificiales eæ non ſint, quæ ad ceræ, & ipſius qualitatum connaturalem exiſtentiam deſiderentur. Item in moralibus vir probus & doctus, aptus dicitur ad Epiſcopatum, quia animi dotes illi inſunt, quas munus Pontificium vendicat, licet Pontificium munus extra ipſius deſiderium ſit, imo & ipſius inclinationi repugnans. Diſpoſitio igitur ex ſe non requirit exigentiam, & connexionem intrinſecam cum forma habere, ſed formæ ipſius exigentiam & connexionem terminare. Rationem optimam ſuggeſſit Sanctus Thomas adductus diſputatione præcedenti numero 58. quia diſputationes pertinent ad complementum potentiæ paſſiuæ, quæ patiendi facultatem habet, quamuis forma ſit ſupra, & contra exigentiam ſubiecti, vbi ſubiectum non ſit ſupra, aut contra exigentiam formæ. Ergo ſimiliter diſpoſitiones recte aptabunt ſubiectum patiens, vbi fuerint conformes connexioni, & exigentiæ formæ inducendæ, quamuis forma inducenda ſit ſuperior connexione, & exigentia diſpoſitionum. Quarto denique meritum à diſpoſitione diſtinguo; quod diſpoſitio poteſt intelligi ſola cauſalitate negatiua remouente indiſpoſitionem poſitiuam impedientem donum ſupernaturale; meritum verò non poteſt abſque poſitiua cauſalitate conferente ad conſequutionem illius. Subiectum enim minus indiſpoſitum, magis diſpoſitum dicitur, nam lignum ſic cum aptius eſt ad concipiendum ignem, quam humidum. At vero ſuppoſitum non demerens præmium nulla ratione dicitur merens. Ex quibus facile eſt argumentum Patris Suares, & P. Erice diluere Nam ad meritum non ſufficit quoquo modo intueri opus honeſtum, ex illoque moueri, ſed affectum conditionibus, quas explicuimus, poſſe diſpoſitioni deficere. *Quarta diſferẽtia diſpoſitionis moralis à merito.*

4. Sed obſeruandum eſt, illud nunc congruum meritum à diſpoſitione morali eſſe diſcretum, quod Semipellagiani naturalibus operibus, Catholici verò ſupernaturalibus adiudicarunt; nempe meritum congruum congruitate operi intrinſeca, & non ſolum extrinſeca. Quod annotauerim pro recentioribus quibuſdam, quos refert Zumel ſupra, qui meritum congruum congruitate intrinſeca vocant opus, quod intrinſecè fert congruitatem ad præmium ſupernaturale; congruum verò congruitate extrinſeca, quod non ex ſe, ſed ex decentia diuinæ benignitatis congruum dicitur, vt munere ſupernaturali compenſetur. Quam congruitatem intrinſecam ego explico eſſe aliquam operis exigentiam, aut connexionem tranſcendentem cum præmio. Extrinſecam vero eſſe exigentiam, & connexionem aliquam præmij cum opere, vt pro diſpoſitione morali explicatum eſt. Quod meritum extrinſeca congruitate congruum, credo poſitum à Doctoribus Catholicis, quos memorauimus diſputatione præcedenti ſectione vltima: meritum vero congruum congruitate intrinſeca à Semipellagianis vt conſtat ex 3. diſcrimine, quo meritum congruum à diſpoſitione morali diuiſimus. De quo dicemus plura decurſu huius diſputationis. *Obſeruatio.*

SECTIO SECVNDA.

Statuitur noſtra ſententia.

5. DVo mihi explorata ſunt. Primum, poſſe naturam ſuis viribus negatiuè diſponi ad recipiendum dona ſupernaturalia. Quia poteſt ſuis viribus opera efficere, quæ impediant peccata obſtantia donis ſupernaturalibus. Ad hoc enim ſufficiunt opera ex ſe indifferentia, & actus virtutis acquiſitæ, quæ non ſunt ſupra naturæ vires. Alterum non poſſe naturam diſponi ad dona ſupernaturalia congruitate diſpoſitionis intrinſeca, qua ſcilicet opus naturale aliqua ratione exigat, aut connectatur cum dono *Aſſeritur diſpoſitio negatiua.* *Reijcitur poſitiua intrinſeca.*

Digitized by Google

ſupernaturali. Tum quia hæc intrinſeca exigentia, & connexio repugnat enti naturali, vt oſtendimus diſputatione 4. 5. 6. & 32. Tum quia hoc genus diſpoſitionis non eſt aliud à merito congruo, quod operibus elicitis ſola facultate naturæ conuenire non poſſe, pluribus oſtendimus diſputatione præcedenti.

Dubitatur de extrinſeca poſitiua.

6. Itaque diſputatio modò reuocatur ad examinandum, an genus diſpoſitionis congruæ, congruitate extrinſeca donorum ſupernaturalium, poſſit operibus naturalibus conuenire, quia hac ſolum ratione diſpoſitio naturæ ad donum ſupernaturale difficultatem ſpecialem continet, vt à merito diſtincta eſt. Ratioque dubitandi eſſe poteſt, quia hoc genus diſpoſitionis non eſt contra excellentiam donorum ſupernaturalium, & ignobilitatem, imbecillitatemque naturæ. Ex ſolo autem hoc capite poterat negari naturæ id diſpoſitionis genus. Ergo negandum non eſt. Probatur maior; quia non eſt contra excellentiam donorum ſupernaturalium, & imperfectionem naturæ, quod dona ſupernaturalia exigant aliquid naturale; nam manifeſtum eſt, gratiam exigere ſubſtantiam rationalem, fidem intellectum, & ſpecies naturales; quamuis ſubſtantia, & accidentia naturalia reciproce non poſſint exigere gratiam, & fidem. Ergo ſimiliter cogitari poteſt gratiam, & dona ſupernaturalia exigere ad connaturalem ſui exiſtentiam, vt opera honeſta naturalia præcedant, licet operibus naturalibus reciproca eorum donorum exigentia repugnet. Confirmatur: Melius diſpoſitus eſt ad credendum myſteria fidei, quæ ſunt rationi naturali conformia, qui ſpeciebus, & ſcientijs naturalibus inſtructus eſt, quã is qui eis eſt deſtitutus; ſiquidem prior præditus eſt qualitatibus iuuantibus poſitiuè conſenſum fidei, quas ad facilem, & expeditum aſſenſum exigit ipſa fides. Ergo poteſt conuenire naturalibus qualitatibus aliquod genus diſpoſitionis poſitiuæ ad quidpiam ſupernaturale.

Secunda ratio dubitandi.

Secundo, quia hoc genus diſpoſitionis non videtur eſſe contra dogmata ſacra, quæ diſputatione præcedenti oppoſuimus. Nam Maſſilienſes illud diſpoſitionis genus videntur adſtruxiſſe, quod congruitate intrinſeca pararet ſubiectum ad receptionem donorum ſupernaturalium. Siquidem Patres ex illo colligebant aliqua ratione debita reddi dona ſupernaturalia. Ergo illud diſpoſitionis genus adſtruere, quod nullum inducit debitum donorum ſupernaturalium, nec connexionem tranſcendentem etiam cum poſſibilitate eorum, quale nunc contendimus, impune poteſt in Scholis Catholicis defendi. Diſpoſitio enim, quæ contenditur ea ſolum eſt, quæ exigatur connexione formæ ſupernaturalis, quin ipſa aliqua connexione intrinſeca exiſtentiam, aut poſſibilitatem donorum ſupernaturalium depoſcat.

Tertia.

Tertio, quia non eſt contra proportionem requiſitam inter diſpoſitionem, & formam. Nam abſolutè proportionata eſt formæ diſpoſitio, quæ conformis eſt exigentiæ formæ, quamuis forma non ſit conformis exigentiæ diſpoſitionis, vt ſubſtantia rationalis eſt ſubiectum proportionatum gratiæ, quia eſt conformis exigentiæ gratiæ, quamuis gratia non ſit conformis exigentiæ ſubiecti. At diſpoſitio operum naturalium, quam examinamus eſt, quæ exigatur à forma ſupernaturali, quamuis ipſa non exigat formam ſupernaturalem. Quod non videtur impoſſibile, cum diſpoſitiones pertineant ad genus cauſæ materialis, quæ hoc genere proportionis, naturalis eſſe poteſt comparatione formæ ſupernaturalis. Ergo diſpoſitio naturalis poteſt eſſe proportionata formæ ſupernaturali. Hæc quæſtio poteſt examinari tum inſpectis naturis rerum, tum iuxta prouidentiam præſentem Dei, quæ conſtat ex ſacra ſcriptura, Concilijs, ac Patribus Eccleſiæ.

Aſſertio prima.

7. Aſſero primo. Iuxta prouidentiam præſentem, quam teſtantur ſcripturæ Sacræ, Concilia, ac Patres Eccleſiæ non poteſt natura ſolis viribus diſponi ad receptionem donorum ſupernaturalium. In hanc aſſertionem adduco omnes authores relatos diſputatione præcedenti numero quarto, dum vniuerſim docent repugnare naturæ diſpoſitionem ad dona ſupernaturalia. Item probationes, quas contra meritum congruum adduximus, quæ ſuo modo etiam diſpoſitionem naturæ excludunt.

Prima probatio.

Primò quidem, quia nullum opus ſalutare ſit abſque auxilio gratiæ. Qualibet autem diſpoſitio moralis ad gratiam ſiuè iuſtificantem, ſiue auxiliantem ſalutaris eſt. De quo videatur ſectio ſecunda, diſputationis præcedentis.

Secunda.

Secundo qualecumque initium ſalutis & fidei, non poteſt haberi ſine auxilio gratiæ. Si autem natura diſponeretur ſuis viribus ad gratiam, poſſet abſque auxilio gratiæ dari aliquale initium noſtræ ſalutis ſine auxilio gratiæ. De quo videatur ſectio tertia, diſputationis ſuperioris.

Tertia.

Tertio, ad iuſtificationem neceſſaria eſt diſpoſitio intrinſece ſupernaturalis, vt conſtat ex Concilio Tridentino, & alijs adductis diſputatione antecedenti, ſectione tertia & nona. Neceſſaria autem non eſſet hæc diſpoſitio ſupernaturalis, ſi poſſet natura actibus ſua facultate elicitis, ad fidem & iuſtificationem diſponi.

Quarta.

Quarto, Eccleſiæ Patribus non videbatur ſatis ſibi cautum à Semipellagianis, niſi aſſerendo, naturam ante omne auxilium gratiæ nihil poſſe niſi peccatum, & mendacium, vt conſtat ex relatis diſputatione præterita numero octauo. Ergo facultati naturæ nullum diſpoſitionis genus ad gratiam adiudicandum eſt.

Quinta.

Quinto à priori. De facto æquè poſſibiles ſunt naturæ eleuatæ actus virtutum ſupernaturalium, ac actus virtutum naturalium. Congruentius autem eſt exigentiæ donorum ſupernaturalium eos virtutum actus ſupponi ex parte naturæ, antecedentes ſui infuſionem, qui eiuſdem ordinis ſint cum ipſis donis ſupernaturalibus, vt naturalis conſonantia formæ cum ſua diſpoſitione vendicare videtur. Ergo.

Confirmatur.

Confirmatur; connaturalius eſt, effectum procedere à cauſa vniuoca, quam à cauſa æquiuoca, quando cauſa vniuoca

poteſt producere; quare calor productus in præſentia alterius caloris & lucis, non tribuitur luci, ſed calori. Ergo cum diſpoſitiones ſupernaturales morales iuxta præſentē prouidētiam æque poſſint adeſſe ad apparandum ſubiectum, ac naturales: connaturalius erit, ſupernaturales, quæ ſunt magis vniuocæ, præcedere, quam naturales æquiuocæ. Denique à poſteriori, cum actus intrinſecè ſupernaturales ſupponūt, & exigunt per ſe in ſubiecto actus præuios ad ipſorum exiſtentiam, hi ſunt intrinſecè ſupernaturales. Quare amor ſupernaturalis ſupponit cognitionem ſupernaturalem, aſſenſus fidei piam affectionem ſupernaturalem, intentio electionem, apprehenſio iudicium, concluſio ſupernaturalis præmiſſas ſupernaturales. Ergo ſi dona ſupernaturalia ſupponunt per ſe, & exigunt virtutum actus præuios ad ſui infuſionem, ratione cuius exigentiæ tales actus præcedentes dicuntur diſpoſitiones, planè tales actus debent eſſe intrinſecè ſupernaturales, excedentes facultatem naturæ. Argumenta, quæ contra hanc aſſertionem poſſunt opponi communia ſunt ijs, quæ contra meritum congruum obiecimus, & ſoluimus. Solum reſtat explicandum axioma frequens Theologorum de facienti, quod in ſe eſt, quod diſpoſitionem naturæ præcipuè confirmat, & explicabimus ſequentibus ſectionibus.

Iterum cōfirmatur.

Aſſertio ſecunda.

8. Aſſero ſecundo. Neque ex natura rei poteſt natura ſuis actibus diſponi ad gratiam, aut aliud donum ſupernaturale recipiendum. Nam hæc dona ſupernaturalia, aut ſunt actus ſupernaturales, aut habitus: ſi actus ſunt, non poſſunt per ſe ſupponere alios actus, qui non ſint ſupernaturales, vt nuper dicebamus, & probabimus diſput.49. Si vero ſint habitus, eadem ratione præcedere illos debent actus, qui ſint ſupernaturales, tum à paritate ipſorū actuum, tum ab vniuocatione, quam propoſuimus argumento 5. pro aſſertione præcedenti. Ergo ex natura rei aut dona ſupernaturalia non exigunt per ſe præuiam aliquam diſpoſitionem in ſubiecto, aut ea debet eſſe ſupernaturalis. Ac per conſequens neque ab exigentia extrinſeca ipſorum donorum poſſunt opera naturalia eſſe diſpoſitio congrua ad aliquod ſupernaturale. Item quia gratia confertur modò abſque vi facta exigentiæ ipſius. At, vt conſtat ex prima aſſertione, confertur abſque præuia diſpoſitione naturæ. Ergo exigentiæ gratiæ non eſt ſupponere præuiam aliquam diſpoſitionem naturæ. Rurſus nulla forma exigit ad introductionem ſui diſpoſitiones, quæ non ſunt neceſſariæ ad ſui conſeruationem: nam forma primum producta & conſeruata, ſemper eſt eiuſdem conditionis, atque naturæ. Sed gratia actualis ad conſeruationem ſui non deſiderat præuiam aliquam diſpoſitionem naturæ, vt eam non deſiderat gratia habitualis. Ergo.

Præcluditur prima reſponſio.

9. Dices dona habitualia ex natura rei nō poſſe ſupponere actus intrinſecè ſupernaturales: cum per ſe actus intrinſecè ſupernaturales exigant procedere ab habitibus ſupernaturalibus, & præternaturaliter illos præcedant. Ergo ſi habitus ſupernaturales per ſe ſupponunt ad ſui infuſionem aliquos virtutum actus, connaturalius eſt illos ſupponere naturales. Sed contra. Primo, quia plures ſunt actus intrinſecè ſupernaturales, qui ſuapte natura non poſſunt ab habitibus procedere, ſed exigunt eſſe diſpoſitiones præcedentes infuſionem illorum, nempe actus, qui à peccatore fiunt in abſentia habituum. Nam mea opinione actus vitales ſeipſis immediate, abſque actione diſtincta fluunt à ſuis principijs, atque adeò eſſentialiter illis affixa ſunt. Actus autem eliciti à peccatore in abſentia habituum non fiunt ab habitibus, ſed vel ab auxilijs intrinſecis actualis gratiæ, vel ab auxilio extrinſeco Dei. Ergo tales actus ſuopte ingenio non exigunt fieri ab habitibus, ſed à principijs, quæ eorum abſentiam ſubſtituunt, vt media diſpoſitione actuum præſentes ſubiecto fiant. De quo diſput. 35. vberius. Præterea eſto, actus vitalis per actionem à ſeipſo diſtinctam procedat à ſuis principijs, poteſt ex natura rei ab alijs, quam ab habitibus procedere, vt diſput.35. diſcutiemus. Ergo ex hoc capite poſſunt dona habitualia, quæ congruitate ſuæ naturæ exigunt ſubiectum, virtutum exercitio paratum, ſupernaturalium virtutum actus ſupponere.

Præcluditur ſecunda

10. Dices ſecundo. Gratia actualis poſtulat conferri ſubiecto indigno præuia aliqua diſpoſitione, ſicut gratia habitualis. At diſpoſitio præcurrens gratiam actualem ex natura rei non poteſt eſſe ſupernaturalis: nam nullus actus poteſt fieri ſupernaturalis, niſi præcurrente gratia actuali. Ergo ſaltem gratia actualis poteſt exigere actum naturalem honeſtum, diſpoſitionē ſui. Reſpondeo. Cum de facto gratia actualis non ſupponat aliquem naturalem actum, diſpoſitionem ſui, vt conſtat ex prima concluſione, non eſt, quare exiſtimemus, eius naturam exigere, vt aliqua moralis diſpoſitio ſubiectum præueniat. Nam credendum eſt, modo non infundi contra ipſius exigentiam. Cum ergo tota notitia rerum ſupernaturalium ſolum habeatur ex principijs, quæ Sacræ litteræ, Concilia, ac Patres Eccleſiæ Theologis miniſtrarunt, ex his autem potius deprehendatur gratiæ actualis eſſe, anteuertere omnem conatum naturę in ſalutem: non eſt quare putemus, eius conditionis eſſe, aliquam præuiam diſpoſitionem ſupponere. Diſcrimen autem inter gratiam actualem, & habitualem eſſe poteſt, quod gratia actualis ita eſt ad actum ſupernaturalem neceſſaria, vt nihil ſit, quod eius defectum ſupplere poſſit, vt oſtendemus inferius. Gratia habitualis vero non ita neceſſaria eſt, ſed poteſt in eius abſentia adeſſe aliud principium ſupernaturale, quod eius concurſum conferat in actum ſupernaturalem. Ergo gratia habitualis poteſt ex natura rei præexigere ad ſui infuſionem actum ſupernaturalem, quamuis gratia actualis non præexigat illum. Igitur cum aliunde conſtet ex probatione noſtræ ſententiæ, ſolum actum ſupernaturalem eſſe poſſe diſpoſitionem exactam per ſe à dono ſupernaturali, ſatis conſtare videtur, poſſe gratiam habitualem vendicare diſpoſitionem, licet eam non vendicet gratia actualis. Præterea probabile eſt, diſpoſitio-

Digitized by Google

nem præcedentem dona habitualia non adeſſe ratione exigentiæ eorum donorum, ſed ratione congruæ prouidentiæ moralis, quæ adeſſe videtur in eo, quod homo potens ſe actibus ſupernaturalibus præparare ad reſtitutionem eorum donorum, non recuperet ea dona, quin natura rationalis, quæ poteſt agere ſupernaturaliter, prius ſe actibus ſupernaturalibus diſponat ad illa, vt tractatu de Inſtificatione docui. Ante gratiam actualem autem nihil ſupernaturale fieri poteſt. Ergo neque congruitate prouidentiæ moralis, neque exigentiæ intrinſecè auxiliorum ſupernaturalium debet præcedere diſpoſitio naturalis infuſionem illorum.

Tertia reijcitur.

11. Dices tertio; licet gratia actualis non exigat abſoluè talem diſpoſitionem, ſaltem exigit, vt ei, in quo præceſſit, potius quam alteri tribuatur. Hoc autem ſufficit vt opera naturalia verè dicantur diſpoſitiones ad gratiam. Ergo. Reſpondeo. Aliud eſt, ex legibus æquitatis, & rectæ prouidentiæ dandam gratiam ſupernaturalem ei, qui incumbit virtutibus naturalibus, aliud ipſam gratiam ſupernaturalem id exigere. Illud prius examinabimus ſequentibus. Hoc poſterius nunc dubitamus, & fundamentum ad talem exigentiam gratiæ non inuenimus; ſine quo Theologicum non eſt, gratiam ſupernaturalem operibus naturalibus alligare. Gratia enim ex ſe donum eſt gratuitum, & ſoli beneplacito, & electioni Dei ſubiectum, vt ſi ei libuerit, non ſolum deſidi, verumetiam poſitiuè renitenti donet in ſuæ miſericordiæ exaltationem, largitatiſque argumentum. Imo de facto frequenter dat. Deus gratiam actualem hominibus non quærentibus Deum, ſed ipſi repugnantibus, relicto alio, qui virtutum moralium officijs incumbit, vt oſtendunt quotidiana exempla, & prædicant teſtimonia Patrum Eccleſiæ, præſertim Auguſtini, & Proſperi. Ergo gratia non exigit ſua conditione, vt vni potius, quam alteri præbeatur, quamuis operibus naturalibus incumbat, ſed vt libito gratuito Dei diſpenſetur.

Item quarta.

12. Dices quarto. Angelis, quo perfectiores erant in natura, eò maiorem à Deo gratiam inditam fuiſſe. Ergo naturæ perfectio confert ad diſtributionem gratiæ. In primis antecedēs incertum eſt, vt ait Corneſo 1. p. tract. 2. qu. 23. art. 5. diſp. 1. dubio 4. & ex Patribus Nazianzenus oratione in ſanctum Baptiſma non longè ab initio §. *Secundum lumen eſt.* Quod in ſententia Thomiſtarum aſſerentium efficaciam gratiæ eſſe auxilijs intrinſecam, videtur neceſſario admittendum: cum Angelis perſeuerantibus conceſſerit Deus auxilia gratiæ efficacia, cadentibus vero ſolum inefficacia; certumque ſit apud Patres, & Theologos ex Angelis cadentibus plures fuiſſe nobiliores perfectione naturali, quam plures perſeuerantium. Deinde

AEgidius.

AEgidius in corruptorio D. Thomæ ad qu. 62. 1. p. art. 6. & qu. 108. art. 4. & 8. & alij volunt, ea ratione Angelis pro inæqualitate naturæ inditam eſſe inæqualem gratiam ſanctificantem, quia inæqualis fuit diſpoſitio ſupernaturalis, quâ in Deum primo inſtanti creationis conuerſi ſunt: nimirum quia vnuſquiſque toto conatu operatus eſt, & maior conatus exhiberi poteſt à perfectiori natura, quo voluntas eum æquali gratia actuali perfectiorem operationem edat. Nam vt diſput. 38. oſtendemus, poteſt cum æquali gratia actuali pro inæqualitate conatus arbitrij edi opus inæquale. Denique eſto. Gratia auxiliās inęqualis pro inęqualitate naturæ ante omnem operationem donata ſit, tamen ad eam inæqualitatem natura ſecundum ſe nihil contulit, cum ex ſe natura perfectior non exigat gratiam, magis quam imperfectior, neque ſuapte conditione capacior ſit; Sed totum gratiæ actualis diſerimen ex ſolo beneplacito diuino ortum eſt. Ad hæc; ſi inæqualitas naturæ quicquā iuuit ad auxilium gratiæ; Phiſicè ſolum, & non moraliter iuuit, quia nullum opus præceſſit, quod rationem meriti, aut diſpoſitionis moralis haberet. Gratia actualis autem cum ſit ab illuſtrationibus intellectus, & affectionibus voluntatis indiſtincta, exigatque propterea naturam intellectualem, vt ſui principium immediatum actiuum & paſſiuum, poteſt Phiſica inæqualitas naturæ inducere inæqualitatem perfectionis in actibus ſupernaturalibus quos elicit, vt videbimus diſp. 37. Atque adeò & poteſt inæqualitatem inducere illuſtrationum, & affectionum ſupernaturalium, qui communi ſocietatis iudicio ſunt auxilia gratiæ. Cæterum illuſtrationes, & affectiones ſupernaturales non exigunt eo titulo alias operationes præuias naturæ, vt eas non exigunt naturales.

Reſpondetur ad primam rationem dubitandi.

13. Ad primam dubitandi rationem reſpondeo. Ratio reijciendi diſpoſitionem naturalem, quam exigat per ſe forma ſupernaturalis, non eſt, quia talis exigentia deſtruat conceptum eſſentialem ſupernaturalitatis, ſed quia deſtruit proprietatem, & connaturalem exiſtentiam formæ ſupernaturalis, quæ vendicat per ſe, aut nullas, aut ſupernaturales diſpoſitiones præmitti, vt euincunt, quæ noſtram aſſertionem confirmant.

Ad confirmationem.

Ad confirmationem argumenti: ſpecies naturales non pertinent ad diſpoſitionem ſubiecti, ſed ad cauſam efficientem actus fidei: nam licet ſpecies eſſent ſeiunctæ ab intellectu, dum ei aſſiſterent penetratæ, poſſet intellectus æquè, ac ſi eſſent vnitæ, aſſentiri per fidem myſterijs reuelatis, atque adeò exigentia ſpecierum non eſt exigentia diſpoſitionis, ſed tantum principij cuiuſdam efficientis, quo intellectus in ratione proximè intellectiui, & expreſſiui obiectorum cōſtituitur. De quo relege poſita numero præcedenti.

Ad ſecundā.

Ad ſecundam reſpondeo: licet Semipellagiani poſuerunt diſpoſitionem congruam congruitate intrinſeca, tamen à vero declinarunt, non ſolum in ea diſpoſitione aſſerenda, ſed etiam in eo, quod diſpoſitionem naturalem præſcindentem ab intrinſeca, & extrinſeca admiſerunt: vt colligere eſt ex ijs, quæ Eccleſiæ Patres docent, dum eos oppugnant, & nos attigimus aſſertione prima.

Ad tertiam.

Ad tertiam fateor, ſufficientem proportionem inueniri poſſe inter diſpoſitionem naturalem, & formam ſupernaturalem, ſi re vera forma ſupernaturalis depoſcat præuiam diſpoſitionem naturalem; verum eam

non depoſcere, noſtris argumentis oſtendimus.

Sententia diſpoſitionis extrinſecæ naturę periculoſa eſt.

13. At rogas; An abſque Semipellagianiſmo poſſit aſſeri diſpoſitio naturalis ad gratiam ſanctificantem, aut actualem, quæ non intrinſecè, ſed extrinſecè ab exigentia, & congruitate extrinſeca ipſius gratiæ, aut prouidentiæ diuinæ diſpoſitio ſit? Reſpondeo. Ego non auderem talem diſpoſitionem tueri, propter, ea quę anterioribus attigi, & ſectione ſequenti attingam. Quibus accedit errorem Caſſiani fuiſſe hac ratione conatus pręcedentes naturę ad gratiæ donationem requirere. Expende ex collatione 13. cap. 13. mentem ipſius. *Ita ſemper gratia Dei noſtro in bonam partem cooperatur arbitrio, atque in omnibus illud adiuuat, protegit, ac defendit, vt nonnunquam etiam ab eo quoſdam conatus bonæ voluntatis vel exigat, vel expectet.* En conatus bonę voluntatis diſponentes adſtruit, quod eos *gratia Dei vel exigat, vel expectet.* Nihilominus neque audeo improbabile aſſerere, quod aliqua ratione excuſari queant tot, ac tam graues Scholaſtici, qui ex priſcis Theologis probabiliter exiſtimantur ſenſiſſe virtutum actus ex viribus naturæ elicitos ad gratiam tum auxiliantem, tum ſanctificantem diſponere, quos ego non de diſpoſitione intrinſecè congrua, ſed tantum extrinſecè interpretor. Nam Semipellagiani videntur à Patribus damnati, quod diſpoſitionem congruam intrinſecè poſuerint, vt ea ratione excluderetur à Deo acceptio perſonarum, gratiaque aliquo merito, & dignitate naturæ tribueretur; quare Patres contra illos enixè contendebant, gratiam indebitam, & omnino gratis dari. Diſpoſitio autem ſolum extrinſecè congrua à congruitate gratiæ, aut prouidentiæ diuinæ, cum nullam præ ſe ferat connexionem, & exigentiam intrinſecam gratię, ſed quantum eſt ex ſe non ſolum ſine exiſtentia, verum etiam ſine poſſibilitate gratiæ poſſit connaturaliter exiſtere, nullo pacto detrahit perfectiſſimam rationem gratiæ, & doni omnino gratuiti, atque indebiti; totamque gratiæ largitatem in Dei ſolum miſericordiam refundit. Ergo diſpoſitio ſolum extrinſecè congrua à diſpoſitione Semipellagianorum aliena eſt. Aut certè quamuis probabilius ſit, eorum ſententiæ accedere, (quod ego iudico) non eſt improbabile, ab ea recedere. Pręſertim cum huius opinationis ſint P. Valentia 1. 2. diſp.8. quæſt.6. punct.4. conc. 2. & 3. P. Suarez 2. de prædeſtinatione cap.6. num.44. & 46. & ſequentibus, Pennotus lib.6. de libertate cap.9. num.1. Lorca d.11. de gratia, Ruardus Iapper artic.7. contra Caluinum, Arias Montanus Matth. 25. ad illud. *omni habenti dabitur*, & P. Leſſius ſup. Cum quibus malui probabiliter hanc ſententiam ab errore liberare, quam S. Thomam libros ſententiarum ſcribentem, Gabrielem, Durandum, Scotum, & alios Principes Theologiæ ſupra memoratos inter Semipellagianos recenſere.

Caſſianus

Pie tamen poteſt tradi non improbabilis.

P. Valentia

P. Suarez

Pennotus

Lorca

Ruardus Iapper

Arias Mon.

P. Leſſius

S. Thomas

Gabriel

Durandus

Scotus

SECTIO TERTIA.

An ex lege Dei operibus naturalibus annectantur ſupernaturalia?

14. POno primo: Dupliciter poſſunt ex lege Dei dona ſupernaturalia gratię operibus naturalibus annecti: Tum quia opera naturalia apta ſunt ex ſe mouere Deum ad conferendum illa; nam licet intrinſecè non ſint diſpoſitio efficax ad gratiam, hoc eſt, connexa intrinſecè cum exiſtentia gratię, tamen ſunt diſpoſitio ſufficiens, hoc eſt, connexa cum eius poſſibilitate. Tum quia ſecluſa omni connexione, & exigentia intrinſeca operum naturalium, & gratiæ, Deus ſuo libito ex meritis Chriſti ſtatuit, vt conatibus honeſtis naturę adiungeretur gratia ſupernaturalis conſequenter ad illos. Pono ſecundo. Non eſt controuerſia præſens de lege Dei lata ex aliquo motiuo operum naturalium aut exigentiæ donorum ſupernaturalium; ſed lata ſolum ex gratuito beneplacito ſuæ voluntatis. Nam repugnare operibus naturalibus motionem aliquam intrinſecam ad conferendum ſupernaturalia, aut è contra, ex ſuperioribus ſatis perſpicuũ eſt. Pono tertio. Opera naturalia, quibus ex lege Dei adiungeretur gratia ſupernaturalis, non fore diſpoſitionem, aut meritum comparatione donorum ſupernaturalium. Etenim ad rationem diſpoſitionis, & meriti requiritur aliqua intrinſeca conducentia ad gratiam, ſiue quia ipſum opus naturale connectatur intrinſecè cum gratia exiſtenti, aut poſſibili, ſiue quia ipſa gratia intrinſece connectatur cum opere: quare ſi Deus ſtatueret inducere formam ignis in materiam affectam albedine vt octo, nulla ratione albedo diceretur propriè diſpoſitio ad formam ignis; quia nulla intrinſeca connexio interueniet inter albedinem, & formam ignis, ſed ſolum extrinſeca ex mera voluntate Dei. Ergo opera naturalia, quæ nec exigunt gratiam exiſtentem, aut poſſibilem, nec ab ipſa gratia exiguntur, quamuis ex lege extrinſeca Dei iungantur cum ipſa gratia, non erunt propriè diſpoſitio ad illam. Pono quarto. Nulla lex à Deo condita eſt de non conferendis ſupernaturalibus, quin præcedant opera naturalia; atque adeo diſputatio ſolum erit; An condita ſit de conferendis eis donis gratiæ actualibus, ſiue habitualibus, ex ſuppoſitione, quod natura ſuis generoſis conatibus ea dona præcurrerit? Primum quidem conſtat, quia ait ipſe Deus Eſaiæ 65. & Rom. 10. *Inuentus ſum à non quærentibus me.* Et concilium Arauſicanum, can.4. damnat eum, qui dixerit, *Deum ad conferendum gratiam exſpectare voluntatem humanam.* Item Eccleſiæ Patres ſuperius adducti negant aliquale initium ſumi neceſſario à natura, ſed gratiam ſæpè conferri eis, qui ſolo ſupplicio digni inueniuntur. Quod confirmant ex Paulo, & Matthæo, alijſque innumeris vocatis à Deo, etiam cum totis animis in ſcelera, & omnem impietatem intendebant. Igitur nec ex lege

Poſitio prima.

Secunda poſitio.

Tertia.

Quarta.

Eſaiæ 65. Rom. 10. Concil. Arauſic.

Dei ponenda ſunt opera naturalia neceſſario præuia ad receptionem donorum ſupernaturalium. Id quod etiam Maſſilienſes fatebantur, vt conſtat ex Diuo Proſpero contra Collatorem cap. 7. 8 & 9. 13. 14. 15. 39. 40. & alijs aſſerente, Caſſianum admittere nonnunquam gratiam anteuertere conatus voluntatis; nonnunquam conatus voluntatis anteuertere miſericordiam Dei. Itaque nunc examinandum ſolum incumbit; an arbitrio conanti quantum eſt in ſe in officia virtutum naturalium, Deus ſubſequatur eos conatus, præbens illi gratiam auxiliantem aut iuſtificantem ſupernaturalem; non titulo diſpoſitionis, aut meriti, ſed ex ſolo beneplacito ſuæ voluntatis, ſic ſtatuentis propter merita Chriſti.

Proſper

Auctores negantes. P. Vaſquez P. Suarez P. Torres P. Granadus Aluarez Albelda Machin Roa

15. Negant talem legem ex noſtra Societate, P. Vaſquez 1. p. diſp. 91. cap. 10. P. Suarez 2. de prędeſt. cap. 7. num. 24. P. Torres opuſ. 4. d. 1. dub. 2. P. Granadus cap. 2. controu. 8. de gratia, tract. 6. diſput. 1. ſect. 7. Ex Thomiſtis Aluarez de auxilijs, diſput. 56. Albelda 2. p. d. 74. ſect. 2. Zumel 1. 2. q 112. art. 3. d. 1. Machin 1. p. diſput. 47. ſect. 2. cap. 3. nec non Roa 2. de prędeſtinat. q. 8. adducens Honcalam tract. de munditia cordis fol. 49. col. 1. & communiter recentiores Dominicani.

Quę in hac quæſtione imponuntur Patri Molinæ.

16. Vnicum aſſertorem huius legis faciunt Thomiſtæ Recentiores P. Molinam in concordia diſput. 10. cui etiam adſcribunt, aſſerere opera naturalia eſſe diſpoſitionem neceſſariam ad gratiam ſupernaturalem; proptereaque Molinam piè aggregandum Maſſilienſibus. Sed ipſorum venia, falſo Thomiſtę imponunt Molinæ plura. Primò legem Dei infallibilem de præbenda gratia ſubſequenter ad conatus naturæ; nam vt manifeſto apparebit diſp. 20. ſect. 2. Molina non agnoſcit legem Dei de donanda gratia ſubſequenti, ſed ſolum antecedenti honeſtos impetus naturæ. Secundò eidem imponunt, opera naturalia præuiè eſſe neceſſaria ad donationem gratię; quia licet dixerit, facientibus quod in ſe eſt, donari gratiam auxiliantem, nullibi tamen dixit, non facientibus gratiam non dari, imo illam præſto eſſe, neque ipſa præberi omnibus hominibus quantumuis ſceleratis, ex profeſſo ſuadet. Tertiò imponunt, conatus naturæ aſſerere diſpoſitionem ad gratiam. Quia nuſquam Molina talem diſpoſitionem agnouit, & vt notabam num. 3. & 14. & oſtendam num. 18. non eſt idem eſſe diſpoſitionem ad gratiam, & eſſe opus, cui ex ſola lege Dei ſubiungitur gratia. Quartò imponunt Molinę, eum eſſe primum talis legis aſſertorem. Nam probabilius, & apparentius ea lex aſſerta fuit à S. Thoma, Scoto, Gabriele, Durando, Almaino, Bergomenſi, & alijs adductis diſp. 17. ſect. 1. qui conuerſioni in Deum ex viribus naturæ alligant gratiam iuſtificantem, vt fert communis Scholaſticorum etiam Thomiſtarum interpretatio. Item Albertus in 2. diſt. 28. art. 1. ad 4. aſſerens, facientibus quod in ſe eſt Deum *ineuitabiliter dare* gratiam. Altiſiodorenſis lib. 3. ſummæ tract. 2. q. 5. aſſerens, hanc argumentationem eſſe neceſſariam: *Iſte facit quidquid in ſe eſt. Ergo Deus dat ei gratiam:* Et Aragon 2. 2. q. 2. art. 3. ad 2. adeſſe *ſine dubio gratiam.* Nec non S. Thomas q. 14. de veritate art. 11. ad 1. ſtatuens *eum, qui nutritus in ſyluis ſequeretur ductum naturalis rationis, certiſsimè tenendum eſſe, quod ei Deus prouidebit gratiam illuminantem ad fidem neceſſariam;* quæ certitudo planè non aliunde, quam ex lege Dei haberi poteſt. Iidem in 4. diſt. 20. q. vnic. art. 1. quæſt. 1. corpore, *Deus, qui dat omnibus abundanter, nulli gratiam denegat qui, quod in ſe eſt, facit:* Si nulli denegat; ergo lege vniuerſali ſtatutum eſt, vt omnibus conferatur. Accedit Lorca 1. 2. diſput. 26. de gratia adducens Alenſem, Ruardum, & S. Thomam, ibi. *Si homo facit quod eſt in ſe viribus naturæ, neceſſarium eſt, vt ei detur ſupernaturale auxilium, quo ad gratiam diſponatur, ex illa certa, & generali aſſertione, Deus confert omnibus auxilia ſufficientia ad ſalutem.* Item ibi, *facienti quod eſt in ſe infallibile eſt dandum gratiæ auxilium.* Rurſus hanc legem probabilem tradunt Medina 1. 2. q. 109. art. 6. con. 4. ad 3. & 3. p. q. 49. art. 6. digreſſione de fructu paſſionis Chriſti art. 1. ad 1. Canus relectione de Sacramentis p. 2. §. *ad rationem vltimo loco adiectam*: Pennotus lib. 6. cap. 13. & P. Leſſius de auxilijs appendice ad cap. 10. Fauent Corduba lib. 2. q. 4. & Carthagena diſcur. 8. de prædeſtinat. ad 1. principale, & Vega lib. 3. in Trident. cap. 12. ibi. *Deus, qui nemini deeſt, facienti, quod in ſe eſt, auxilium ſine dubio præſtabit ſufficiens ad obtinenda dona ſupernaturalia.* Imo, vt referunt P. Leſſius, & Pennotus ſupra, maior pars Theologorum antiquorum per quadringentos annos, & amplius huic adhæſit opinioni. Vtquid igitur ſoli Molinæ adſcribitur, quod tota ferè antiquitas amplexa eſt? En volunt ſolum Molinam huius ſententiæ fautorem, vt licentius poſſint ipſius nomen lacerare. Fateor antiquos Scholaſticos alium ſenſum ſaniorem accipere poſſe, quem eumdem voluiſſe etiam Molinam probabo diſp. 20. ſect. 2. Verum negari non poteſt eodem fundamento illos, quo Molinam potuiſſe in ſententiam præſentem adduci: ſed adductos à Thomiſtis non fuiſſe, vel quia eorum Scholaſticorum ſcripta ignota illis fuerunt, quod de tantorum virorum doctrina credi non poteſt; vel quia vnum tantum Molinam voluerunt Maſſilianiſmi damnare. Quod eſt poſtremum, quod Molinæ imponunt, ſcilicet eius mentem non fuiſſe à Maſſilienſibus alienam. Etenim vt num. vltimo conſtabit, improbabile non eſt, poſſe tuto defendi legem infallibilem de diſpenſanda gratia auxiliante ſupernaturali, agentibus totum, quod in ſe eſt, ex viribus naturæ.

Magis alij, quam Pater Molina fauent ſententiæ affirmanti.

Albertus

Altiſiodorenſis

Aragon

S. Thomas

Lorca

Medina

Pennotus

P. Leſſius

Vega

Sententia negans præferenda.

17. Nihilominus hæc lex de ſubiungenda gratia conatibus naturæ mihi diſplicet. Primò: Quia vt oſtendam fuſe diſput. 20. nullus exhibetur conatus honeſtus in aliquod virtutis etiam naturalis officium, quem Deus lege communi ſuæ prouidentię ſupernaturalis non præueniat auxilio gratię ſupernaturali. Ergo nulla extat lex de conferendo auxilio gratiæ intuitu conſequenti operis boni eliciti ſine auxilio gratiæ: ſiquidem ex lege Dei omne opus virtutis etiam naturalis, præuenitur antecedenti auxilio ſupernaturalis gratiæ. Secundò, quia vt vidimus

Secunda ratio.

Digitized by Google

diſp. 17. ſect. 3. nullum ſit opus ſalutare, quod non iuuetur auxilio gratiæ. Opus autem, cui infallibiliter ſubiungitur gratia ſupernaturalis, ſalutare eſt. Ergo non ſit abſque adiutorio gratiæ. Tertia. Tertio, quia Arauſicanum ſecundum canone ſexto, damnat dicentem, vigilantibus, petentibus, orantibus, & quærentibus ſine auxilio gratiæ adiungi miſericordiam Dei, & gratiam. Vbi non damnat nomen diſpoſitionis, aut meriti, ſed tantum connexionem gratiæ cum vigilijs, deſiderijs, & orationibus naturę abſquè auxilio gratiæ. Si autē aliquibus conatibus naturæ ex lege Dei annecteretur gratia ſupernaturalis, maximè vigilijs, & orationibus, ac deſideriis ardentibus naturæ. Ergo. Confirmatio. Confirmatur; Quia vt vidimus diſput. 14. ſect. prima. Neque ipſum velle credere, aut deſiderium gratiæ, & ſanitatis, ferunt Auguſtinus, & Proſper, haberi ſola facultate naturæ. Ergo nullus eſt conatus naturæ, cui annectatur gratia ſupernaturalis. Quarta. Quarto, quia vt expendimus diſp. 17. ſect. 4. nullum ſalutis initium qualecumque ſit, aſſerendum eſt omnino naturale, ſed auxilio gratiæ comparatum. Opera autem, quæ ſequitur infallibiliter gratia ſupernaturalis ad credendum, & conterendum de peccatis, aliquale initium ſunt noſtræ ſalutis. Ergo. Accedit, Auguſtinum, & Proſperum ante gratiam non Auguſtinus Proſper. agnoſcere in noſtro arbitrio, niſi mendacium, & peccatum. Ergo non ſunt opera, quibus connexa ſit gratia. Item Proſper lib. 1. de vocat. Gentium cap. 18. in ſolam Dei voluntatem refert donationem gratiæ collatæ vni potius, quam alteri. *Omnibus ergo hominibus cauſa percipiendæ gratiæ voluntas Dei eſt, apud quam ratio electionis abſcondita eſt.* Si autem operibus naturalibus ſubiungeretur gratia, ratio electionis vnius præ alio non eſſet abſcondita, neque in ſolum beneplacitum diuinum reuocanda, ſiquidem ratio talis electionis ſumeretur ex diſcrimine operum naturalium. Caſſianus. Rurſus vt conſtat ex num. 13. Caſſianus tantum contendebat, conatus bonæ voluntatis, quos *gratia vel exigeret, vel exſpectaret*. Ergo non ſolum exigentia intrinſeca inter opera naturæ, & gratiam, ſed etiam expectatio aliqua extrinſeca operum naturalium ad largiendum gratiam excludenda eſt; cùm ſecluſâ exigentiâ intrinſeca gratiæ lege ſola extrinſeca Dei poſſit ante Poſtrema. gratiam conatus expectari naturæ. Demum, quia vt habet Auguſtinus lib. ad Simplicianum quæſt. 2. & probat Suarez 2. de prædeſtinatione cap. 7. num. 20. contingit, ex inæqualibus peccatoribus vocari à Deo maiorem relicto minori, qui pluribus, quam alius incumbit virtutum moralium officiis. Ergo non eſt lex infallibilis donandi gratiam ſupernaturalem operantibus honeſte ex facultate naturæ. Identidem enim eſſe deberet lex iuxta inæqualitatem operum naturalium conferendi auxiliantem gratiam inæqualem.

Ratio Thomiſtarum infirma. 18. Ratio huius doctrinæ proponitur contra Medinam à Thomiſtis; quia opera, quibus ex lege Dei adiungitur gratia auxiliaris, non poſſunt non habere rationem diſpoſitionis, & meriti de congruo, comparatione gratiæ. At ratio diſpoſitionis, & meriti de congruo repugnat operibus naturæ comparatione gratiæ, vt conſtat ex antecedentibus. Ergo. Sed parum fidendum eſt huic rationi. Nam vt docuimus num. 3. ratio diſpoſitionis à ratione meriti congrui differens eſt, & num. 14. à ratione diſpoſitionis aliena ſunt opera, quæ ex ſolo beneplacito diuino inducunt in ſubiectum, formam ſupernaturalem. Itaquè quia ad meriti congruitatem exigitur connexio intrinſeca operis cum gratia, ſaltim vt poſſibili, & ad rationem diſpoſitionis exigentia & connexio intrinſeca gratiæ cum opere; hæc autem duo deficiunt connexioni mere extrinſecæ operum naturalium & gratiæ ex lege Dei prouenienti; ideo operibus naturalibus negatur congruitas diſpoſitionis ac meriti, comparatione gratiæ quamuis gratia ex voluntate Dei infallibiliter adiungatur naturæ. Inſtaturque in caſu, omnium opinione poſſibili, quo Deus decerneret, vt hos, vel illos actus naturales ſiue bonos, ſiue indifferentes operanti illico præberetur gratia ad actus ſupernaturales. Tunc enim actus omnino naturales non eſſent meritum, aut diſpoſitio ad gratiam ſupernaturalem; vt non eſſet albedo diſpoſitio Phyſica ad formam ignis; quamuis ſtatueret Deus, in ſubiectum album vt octo, formam ignis inducere. Ergo neque modo erunt actus naturales meritum, aut diſpoſitio ad gratiam, licet ex decreto Dei eum gratia coniungantur. Siquidem etiam nunc ponuntur ij actus, nulla ratione ſibi, aut gratiæ intrinſecâ, connexi cum gratia; ſed tota coniunctio prouenit ex lege extrinſeca Dei, ſicut in euentu poſſibili proueniret.

19. Melius mihi probatur ſententia hac ratione. Hæc lex infallibilis Deo libera conſtare ſolùm poteſt ex teſtimonio ipſius Dei. At nullum eſt teſtimoniū Dei annectens gratiam operibus ſolius arbitrij. Ergo. Probatur minor. Melior probatio. Nam quæuis teſtimonia nectentia gratiam cum operibus arbitrij, aptius intelliguntúr de operibus factis ex gratia, quam factis ſola facultate naturæ. Etenim hac facili interpretatione tùm cauemus ſecurè Semipelagianiſmi periculum, tùm dignè Deo prædicamus ſollicitam eius prouidentiam præuenientem omnes bonæ voluntatis actiones, parantemque omnibus hominibus gratiam; vt expendemus ſequentibus. Item non eſt lata à Deo lex infundendi gratiam iuſtificantem intuitu operum ſolius arbitrij; nam vt conſtat ex Tridentino, Arauſicano, Moguntino, & alijs adductis diſput. 17 ſect. 4. ad infuſionem gratiæ iuſtificantis neceſſaria eſt diſpoſitio ſupernaturalis ex viribus gratiæ. Neque lex ſtatuta eſt præbendi gratiam auxiliantem ad fidem, & contritionem, alioſque actus ad iuſtificationem neceſſarios ex præuiſione operum naturalium. Nam hæc opera naturalia, non ſunt qualiacumquè, ſed eximia, alias omnibus infidelibus agentibus aliquem miſericordiæ, iuſtitiæ, aut alterius virtutis naturalis actum adeſſet inſtructio, & illuſtratio ſupernaturalis proximè ſufficiens ad fidem, & dilectionem ſupernaturalem. Erunt igitur hæc opera dilectio efficax Dei, & deteſtatio omniū

Digitized by Google

peccatorum, quatenus ſunt offenſa Dei: Nunc autem ſic arguo. Dilectio efficax Dei ſupra omnia aut non eſt poſſibilis in natura eleuata intrinſecè naturalis, vt plures, ac graues Theologi Salmantini volunt, à quibus non abſonat Aureolus in 1. d. 8. art. 3. aut licet intrinſecè naturalis poſſibilis ſit, tamen propter grandem eius difficultatem ſemper neceſſaria eſt gratia aliqua ſupernaturalis, vt communis fert Scholaſticorum ſententia; ac per conſequens operi ſolius arbitrij: adſtricta non eſt gratia ſupernaturalis. Si verò dilectio efficax naturalis, adeò difficilis non eſt, vt abſque auxilio gratiæ pro breui tempore haberi non poſſit, vt ego monſtrabo lib. 5. tunc pluribus infidelibus tribuenda eſt hæc dilectio, quibus plures virtutum naturalium actus, qui graui aliqua difficultate non retardantur, tribui ſolent. Tamen barbaris hominibus, quos ſciamus, nullibi aut rarò adfuit inſtructio aliqua, & illuſtratio miraculoſa, ac ſupernaturalis myſteriorum fidei. Ergo non eſt decreta à Deo inſtructio, & illuminatio ſupernaturalis myſteriorum fidei diligenti naturaliter Deum. Vrgeo: Credibile eſt, latam eſſe à Deo legem tribuendi auxilia naturalia ad dilectionem efficacem Dei coniuncta, ac ſi multanea cum auxilijs ſupernaturalibus ad dilectionem Dei ſupernaturalem, ne conatus adeò generoſus naturę eleuatæ caſſus, & irritus edatur in ſalutem; quare perſuaderi non poteſt, peccatorem fidelem efficaciter conuerti in Deum, & deteſtari peccata, quin illico veniam peccatorum obtineat, quia eo ipſo credendum eſt, talem conuerſionem, ac deteſtationem fieri ſupernaturalem; de quo plura diſput. 20 Ergo credenda non eſt lex Dei de donandis auxilijs ſupernaturalibus ad fidem, & dilectionem ſupernaturalem ſolum conſequenter, & non antecedenter ad dilectionem, & conatus naturales.

Aureolus

Illuſtratur probatio.

20. Inſuper; ponamus hominem de peccatis dolere, Deumque ſuper omnia diligere in extremo diſcrimine vitæ, in quo ſolo iuxta graues Theologos dolor peccatorum, & dilectio efficax Dei hominibus incumbit. Quando hic homo ex natura rei de rebus fidei inſtruendus eſt, cum ex natura rei earum inſtructio præſertim in homine barbaro moram aliquam deſideret. Rurſus efficiat dilectionem iſtam extra mortis articulum; inſtructio fidei facienda non eſt in eodem inſtanti, quo dilectio naturalis; cum barbarus in vnico inſtanti ex natura rei de tam altis ſacramentis edoceri non poſſit: ſi verò interponatur mora, poteſt contingere in ea aliquod graue peccatum, quo graui tentationi ſuccumbat: nam quod fidelibus frequenter euenit, quid de infidelibus negandum eſt? Tunc autem quid de hoc homine agendum eſt? quantum temporis ſperandum, vt reſipiſcat? En omnia diuinationi poſita ſunt. Quare igitur aſſerenda eſt lex tot diuinationibus expoſita?

Occurritur Lorcæ.

21. Dices cum Lorca ſupra, licet Deus ſuam gratiam promiſerit diligenti ipſum ex viribus naturæ, tamen nunquam fore caſſum, in quo talis promiſſio expleatur, quia ex ſolis viribus naturæ nunquam infidelis diliget efficaciter Deum, licet diligere poſſit, propter moralem eius operis impoſſibilitatem. Sed contra. Primò: quia non ſolum quoad ſufficientiam: ſed etiam quoad efficaciam poteſt homo in natura lapſa ſine auxilio gratię efficaciter diligere Deum, vt oſtendam lib. 5. à qua non diſſentit ipſe Lorca de gratia diſput. 5. Ergo poteſt euenire caſus, in quo promiſſio Dei effectum ſortiatur. Secundò, quia fruſtranea eſſet promiſſio Dei, ſi prænouit nunquam in aliquo homine euenturum caſum, in quo opere compleatur, propter moralem conditionis, ſub qua promiſit impoſſibilitatem. Tertiò, quia barbaris hominibus dignatur Deus plura naturalia beneficia conferre, inter quæ, cur negandum eſt conferre auxilia gratiæ naturalis ad ſuum diligendum Autorem? Saltem id fidelibus peccatoribus concedendum eſt, quibus frequenter ad dilectionem ſupernaturalem auxilia prouidentur. In peccatoribus autem fidelibus ſuam vim argumentum habet: Si propterea dicas, nunquam fidelibus dari auxilia ad diligendum efficaciter Deum dilectione naturali, quin etiam dentur ad diligendum dilectione ſupernaturali; idem etiam de omnibus vniuerſim gentibus dicendum eſt, ac per conſequens ſtatuenda lex de coniungendis ſimul auxilijs naturalibus, cum auxilijs ſupernaturalibus ad diligendum Deum, excludendaque lex de tribuendis ſupernaturalibus ſubſequenter ad dilectionem naturalem.

Primò.

Secundò.

Tertiò.

22. Sed pro iſta lege opponitur primò commune axioma: *De facienti quod in ſe eſt*, quod de facienti ex viribus naturæ eſt accipiendum, vt priſci Theologi primi illius axiomatis conditores proculdubio acceperunt. At facienti quod in ſe eſt, ex viribus naturæ, non confertur gratia ex connexione intrinſeca operis naturalis cum illa. Ergo ſit plane, conferri ex lege extrinſeca Dei. Secundò opponuntur plura ſacræ ſcripturæ teſtimonia, in quibus, exercentibus virtutum moralium actus promittitur venia peccatorum, & bonorum cęleſtium abundantia. Tertiò opponitur illud. *Vult Deus omnes homines ſaluos fieri.* In quo omnibus hominibus etiam barbaris decernuntur auxilia ſufficientia ad ſalutem. At ea auxilia non eſſent omnibus hominibus ſufficientia decreta, niſi ſimul decerneretur barbaris remotis à vocatione ſupernaturali fidei, agentibus quod in ſe eſt auxilijs naturalibus, gratiam conferri ſupernaturalem, neceſſariam ad ſalutem. Ergo. Quartò: Deus frequenter largitur auxilia gratiæ ſupernaturalia ſceleratis hominibus renitentibus vocationi, & voluntati diuinę. Ergo credibile eſt, eiuſque pietati, ac prouidentiæ conſonum, nullum eorum qui quantum viribus ſuis relictum eſt, conantur in ſalutem, & obedientiam legis, deſerere auxilio ſupernaturali, ac ſalutari gratiæ. Sed hęc argumenta parum me mouent. Omnia mihi perſuadent prouiſam à Deo gratiam ſupernaturalem, non ſubſequentem, ſed antecedentem conatus honeſtos naturæ, vt omnes à natura eleuata in finem ſupernaturalem edantur ſalutares, inuitantes Deum ad vlteriorem gratiam, nullusque propterea exhibeatur,

Prima obiectio.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Explicatio omnium.

Digitized by Google

quem gratia ſupernaturalis non præuenerit. Itaque ponenda eſt lex coniungendi gratiam ſupernaturalem motibus honeſtis virtutum naturalium; at non poſteriorem, ſed anteriorem illis. Quo gratia ſupernaturalis non ſubſequitur opera ſolius arbitrij viribus facta; & altiori, abundantiorique prouidentia non ſolum fidelium, ſed etiam infidelium ſalus in cuiuſque poteſtate conſtituitur. De quo plena erit Diſputatio 20. in qua hęc doctrina Theologicis momentis expendenda eſt.

Sententia affirmans ſuſpecta eſt.

Rogas tamen: An hæc lex de gratia ſubſequenti conatus naturæ, præſtitos ſine auxilio gratiæ, qui neque meriti, neque diſpoſitionis rationem habeant, poſſit ab errore Maſſilienſium liberari? Sanè mihi ſuſpecta eſt hæc ſententia propter ea quæ contra illam propoſui ex teſtimonijs Conciliorum, ac Patrum, qui contra Semipellagianos pugnarunt. Cæterum improbabile non eſt, poſſe ab errore Maſſilienſium excuſari. Nam principia, & illationes, quibus contra illam arguimus, euidentia non ſunt, ſed tantum probabilia. Statuimus ſectione antecedenti, poſſe à Semipellagianiſmo liberari diſpoſitionem extrinſecam viribus naturę elicitam; rectius poteſt operatio naturalis, quæ neque vim diſponentem, neque merentem ferat. Si Patrum, & Conciliorum monumenta conſulantur, apparebit, eo ſermonem dirigere, vt neque meritum, neque diſpoſitio ſolius arbitrij concurſum conferat in gratiam ſupernaturalem, ſed totum negotium prædeſtinationis ad gratiam, in Dei gratuitam miſericordiam reuocetur: Quod integrum relinquitur, etiam ſi lex iſta ſtatuatur abſque vlla præuenienti actione meritoria, aut diſpoſitiua noſtrę voluntatis. Neque confert, Eccleſię Patres colligere rationem diſpoſitionis ac meriti, ex pręcedenti conatu naturæ, cui gratia ſubiungitur. Nam inde conijcere eſt, pręcedentem naturæ conatum, quem oppugnant Patres, non eſſe qualemcumque, ſed eum, qui aliquo ſui, vel gratię ordine tranſcendenti gratiæ poſteriori continuò annectitur, prout requiritur ad rationem diſpoſitionis, aut meriti, vt ex anterioribus perſpicuum eſt. Quare meritò eos, qui contrariam opinionem erroris Pellagiani damnant, rigidos cenſores appellant P. Leſſius, Pennotus, & Lorca.

Piè datur non improbabilis.

DISPVTATIO DECIMANONA.

AN SVPERNATVRALIA SINT SVPRA impetrationem naturæ?

Explicatur controuerſia.

1. IMPETRATIO trifariam ſumitur, vt definiuimus diſput. 15. ſect. 1. Primò late, vt eſt communis omni operi meritorio, tam de cõgruo, quàm de condigno. Secundò preſſius, vt ſoli merito congruo adſtringitur. Tertiò ſtrictiſſime, vt ſolius orationis propria eſt. De impetratione in prima, & ſecunda acceptione facile colligitur ex dictis. Tota itaque diſputatio eſt de propria, ac ſtrictiſſima impetratione, quam ſola ſibi vendicat vis orationis, ſecundum peculiarem deprecationis differentiam, qua à reliquis bonis operibus diſtinguitur. Igitur diſſeritur, An oratio ſolis viribus naturæ facta, mouere poſſit Deum ad largiendum dona ſupernaturalia, itaut intuitu votorum, ac præcum naturalium, dona ſupernaturalia largiatur.

SECTIONES.

1. *Nonnulla præmitto.*
2. *Iuxta præſentem prouidentiam ſunt dona gratiæ ſupra impetrationem Naturæ.*
3. *Alio prouidentiæ genere poſſunt dona gratiæ precibus naturalibus impetrari.*

SECTIO PRIMA.

Nonnulla præmitto.

1. PRæmitto, poſſe naturam rationalem ſuis viribus orare Deum, vt ſibi dona ſupernaturalia concedat. Nam vt oſtendimus diſput. 14. ſect. 4. & 5. poteſt natura ſuis viribus deſiderare, & expetere ſupernaturalia dona. Vlterius poterit hæc deſideria ſuo Autori tanquam egena manifeſtare, vt poteſt deſideria bonorum naturalium. Ergo poterit natura ra-

Poteſt natura ſuis viribus orare Deũ, vt dona ſupernaturalia largiatur.

tionalis ſuis viribus orare Deum pro ſupernaturalibus donis; Nam oratio non eſt aliud, quàm humilis quædam manifeſtatio propriæ neceſſitatis, ac deſiderij, facta ſuperiori. Vel vt ait D. Thomas 2. 2. q. 83. art. 1. ad 1. Eſt quodammodo deſiderij noſtri interpres apud Deũ. Supponit Arauſicanum infra, definiens, deſiderantibus, ac orantibus ſine ſpiritu gratiæ gratiam non dari; ac per conſequens poſſe orari, ſicut deſiderari, gratiam viribus naturæ, quamuis non eo modo, vt tali deſiderio, ac orationi miſericordia gratiæ ſubiungatur. Vnde controuerſia eſt; An oratio viribus ſuſa naturæ valeat ad impetrandum à Deo aliquam gratiam ſupernaturalem.

Oratio bifariam poteſt mouere Deũ.

3. Præmitto ſecundò id, quod ex diſp. 15. ſect. 1. ſatis conſtat, orationem dupliciter mouere poſſe Deum ad retribuendum gratiam. Tum ſpectata vt eſt obſequium, & cultus Dei, qua ratione conſideratur meritoria; Tum ſpectata ſeorſim ab obſequio & cultu Dei, ſecundum quod eſt humilis quædam propriæ miſeriæ profeſſio, ac ſubiectio, & alta quædam diuinæ poteſtatis deprædicatio; qua ratione vis impetratoria orationis propria, ac à merito diſtincta cogitatur; V. g. qualis competit precibus, quas inter homines, egeni potentibus fundunt, & amicis amici. Itaque priori conſideratione relegamus ex dictis ab oratione naturali omnem vim motiuam Dei ad conferendum gratiam; ſolumque in poſteriori conſideratione aliquam mouendi vim examinamus. Petitiones enim pauperum diuitibus factæ, quæ titulo obſequij, & cultus non mouent, mouent ipſos titulo deprecationis, ac orationis. Qui titulus apud Deum plurimi momenti eſt. Tum quia altior, faciliorque eſt ipſius miſericordia, quam humana, ad quam flectendam oratio dirigitur: tum quia orationi adſtringit omnia ferè dona noſtræ ſalutis, ideoque paſſim homines hortatur, vt orent, *petite, & accipietis, pulſate, & aperietur vobis*. De impetratione ſic accepta ſeorſim à merito, & diſpoſitione nullus diſſeruit. Duxi tamen diſſerendum, & quia re vera ſpecialem continet difficultatem, & quia Maſſilienſes in hunc impetrationis titulum confugiebant ex illo Matth. 7. *petite, & accipietis, &c.* Vt conſtat ex epiſtola Proſperi, & Hilarij ad Auguſtinum. Porrò autem hæc difficultas explicanda eſt, tum iuxta præſentem prouidentiam, tum ex natura rei ſeorſim à prouidentia præſenti.

Qui affirmant, & qui negant.

4. In partem affirmantem adduci poſſunt quotquot pro merito, & diſpoſitione congrua ſuperioribus adducti ſunt. Specialiter Sotus lib. 2. de natura & gratia cap. 3. Vbi planè operibus naturalibus, quibus omne meritum etiam congruum negat, impetrationem concedit. In partem negantem adduci poteſt Suarez 2. de prædeſtinat. cap. 6. num. 40. diſertè impetrationem à merito congruo reijciens. Et qui vniuerſim omnem motionem Dei ad largiendum gratiam ſupernaturalem ab actibus naturæ remouent.

SECTIO SECVNDA.

Iuxta præſentem prouidentiam ſunt dona gratiæ ſupra impetrationem naturæ.

Aſſertio prima.

5. Aſſero primò. Iuxta prouidentiam præſentem Dei non mouetur Deus ad gratiæ donum conferendum ex oratione, quæ auxilio gratiæ non fiat. Id prædicat Paulus Rom. 8. *Quid oremus, ſicut oportet neſcimus, ſed ſpiritus poſtulat pro nobis.* (vel vt Auguſtinus legit cum alijs.) *interpellat gemitibus inenarrabilibus.* Quem locum expendens Auguſtinus contra Pellagianos epiſt. 105. ante medium: *Dictum eſt interpellat, quia interpellare nos facit, nobiſque interpellandi, & gemendi inſpirat affectum.* Ergo non à nobis, ſed ab ſpiritu Dei accipimus affectum ſalubriter orandi. Idem exprimit Ioann. 15. *Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcumque petieritis, fiet vobis.* Quod exponens Chryſoſtomus hom. 75. noſtram confirmat doctrinam. Secundò idem probatur ex Concilio Arauſicano canone 3 *Si quis innocationem humanam gratia Dei dicit conferri, non autem ipſam gratiam facere, vt inuocetur à nobis, contradicit Propheta, vel Apoſtolo &c.* Item can. 6. *Si quis ſine gratia Dei volentibus, deſiderantibus, petentibus, quærentibus, pulſantibus nobis miſericordiam dicit conferri, non autem diuinitus, vt hæc omnia, ſicut oportet, agere valeamus per infuſionem, & inſpirationem ſancti Spiritus in nobis fieri confitetur, aut humilitati humanæ ſubiungi gratiæ adiutorium, reſiſtit Apoſtolo &c.* Quid autem aliud eſt inuocare, quærere, petere, pulſare, quam orare, & humiliter deprecari. Ergo ſi hæc ſine gratia non poſſunt ſalutariter fieri, nulla erit ſalutaris oratio, & deprecatio, quæ fiat ſine auxilio gratiæ.

Rom. 8. — Auguſtinus — Ioann. 15. — Chryſoſtomus — Con. Arauſ.

6. Eadem veritas apud Eccleſiæ Patres pluribus expreſſa cernitur. Ambroſius in commentario ſuper Eſaiam adductus ab Auguſtino lib. 2. de dono perſeuerantiæ cap. 23. *Orare Deum gratiæ ſpiritualis eſt, ſicut ſcriptum eſt; nemo dicit Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto.* Auguſtinus ſupra: *Intelligimus, & hoc ipſum eſſe donum Dei, vt veraci corde, & ſpiritaliter clamemus ad Deum. Attendant ergo quomodo falluntur, qui putant, eſſe à nobis, & non dari nobis, vt petamus, quæramus, pulſemus: nèque volunt intelligere, etiam hoc diuini muneris eſſe, vt oremus; accepimus enim Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.* Quid expreſſius pro noſtra ſententia? Diuus Proſper contra Collatorem cap. 4. *Quod in petentibus, quærentibus, pulſantibuſque miraris, cur non eidem gratia, quæ deſideratur, adſcribis?* lib. epigr. 27.

Ambroſius — Auguſtinus — Proſper

Nam cur non cupidè mens quærat, quæ Deus offert,
Cui, danda vt rectè poſceret, ipſe dedit?

Solum igitur Deo dante poſſumus rectè poſcere, quærere, & petere cæleſtia dona. In quo confirmando frequens eſt Proſper, iudicans aliter

aliter non poſſe omnino euerti Semipellagianorum errorem. Quare lib. de ingratis cap. 25. agens de officijs gratiæ Dei habet.

Hæc vt cuiuſquam ſtudio, affectuque petatur
Ipſa agit, & cunctis dux eſt venientibus ad ſe.

Cap. vlt. finit dirigens in Deum ſermonem.

Si quid enim recti gerimus, Domine, auxiliante
Te gerimus, tu corda moues, tu vota petentis
Quæ dare vis, tribuis.

Pſalm. 118. Item in pſalmum 118. ad illud, *& meditabar in mandatis &c.* ibi: *Spiritus Dei acceptus hoc agit, vt largius accipiendus petendo, quærendo, pulſando, quæratur*; lib. 1. de vocatione gent. cap. 8. ibi; *& ſi quærit, non dubitet quærendi affectum ab illo ſe accepiſſe, quem quærit.* Certè Spiritus, & affectus quærendi Deum, eiuſque dona petendo, & pulſando, Spiritus, & affectus orandi eſt. Ergo ſi ille Spiritus, & affectus à Deo accipitur, & de arbitrij poteſtate non habetur, procul dubio, & orandi Spiritus, & affectus ſola facultate naturæ ſine dono Dei non acquiritur. Hæc leuiter preſſa manifeſtè conuincunt, Eccleſiæ Patres ſibi perſuaſum habuiſſe, non poſſe aduerſarios gratiæ penitus debellari, niſi orationis impetratio, & motio Spiritui cæleſti, & dono Dei præuenienti arbitrium tribuatur.

Euaſio præcluditur. 7. Dices, in his locis Eccleſiæ Patres orationem impetrantem à naturæ facultate ablegare, quia impetrationem non vt à merito diſtinctam, ſed ab illo indiſcretam accipiunt; ſiquidem ex oratione præuenienti gratiam, colligunt illam non gratis, ſed ex merito dari, vt ex Auguſtino, & Proſpero palam poſſet oſtendi. Sed id tranſeat. Inde ego duo educo, quæ noſtram aſſertionem confirmant. Alterum, nullam à Deo orationem acceptam haberi, quæ ſimul meritoria non ſit; atque adeò cum ratio meriti operibus ſolius naturæ repugnet, vt vidimus diſputationibus præteritis, pariter iuxta leges prouidentiæ præſentis nullam eſſe impetratoriam orationem, quæ vi ſolius arbitrij fundatur. Alterum, Eccleſiæ Patres meritum deſtruens rationem perfectiſſimam gratiæ, quam ſupernaturalibus auxilijs contendunt tribuere, ea generalitate accepiſſe, vt etiam impetrationem orationis ſtrictius à merito condiſtinctam complectatur; quia volũt auxilia gratiæ adeò gratuita voluntate prouideri, vt nullus affectus voluntatis expectetur, nullum pulſandi, & petendi deſiderium præcurrat, vt aiunt Patres Arauſicani, & alij nuper adducti.

Vrgetur obiectio. 8. Sed inſtabis. In humanis orationes pauperum diuitibus factæ non detrahunt rationem gratiæ eleemoſynis, quas eorum precibus pulſi largiuntur, quamuis enim intuitu clamorum pauperis fiant, ſemper miſericordiæ opera relinquuntur, & in miſericordiam commouendam, non in iuſtitiam pauperis clamores diriguntur. Ergo dona ſupernaturalia poſſunt retinere perfectam rationem gratiæ, quamuis ea intuitu humanarum precum diuina miſericordia largiatur. Pater Vaſquez 1. p. diſp. 91. cap. 15. num. 124. à quo ſumpſit Magiſter Cornejo 1. p. tract. 2. quæſt. 23. artic. 5. diſput. 1. dub. 4. reſpondet, longe diuerſam eſſe rationem inter homines, qui pauperum deprecantium miſerentur, & Deum. Nam homines non merito operis retribuunt, ſed miſeria poſtulantis, quæ oratione, & precibus innoteſcit: nullum enim ex oratione obſequium recipiunt, aut ad illud non attendunt, ſed oratione ſolum pauperis miſeriam agnoſcunt. At verò Deus cum orationibus non egeat, vt noſtram miſeriam agnoſcat, ideo noſtras orationes acceptas habet, quia aliquod ipſius obſequium ſunt, eaque ratione quia apud ipſum merentur. Atque adeò apud Deum oratio humana, conditione meriti, obeſſe poteſt rationi gratiæ, cui non obeſt apud homines. Hæc reſponſio debilis eſt. Nam oratio non ſolum manifeſtatione miſeriæ, ſed etiam ipſa actuali miſeriæ propriæ profeſſione, & poteſtatis alienæ reuerentiâ ſeorſim ab obſequio, & commodo potentis mouet eius miſericordiam ad ſubueniendum pauperi. Id conſtat, quia licet alias ſibi nota ſit miſeria, non ſubuenit, cui poſtea oranti, & pulſanti miſericordiam largitur. Item quia ex ſe ſupra miſeriæ manifeſtationem, ſeorſimque à merito ipſa actualis miſeriæ profeſſio, & veneratio poteſtatis alienæ, voluntariaque ab illa dependentia, ac ſubiectio motiua eſt voluntatis ſuperioris ad ſubueniendum alienæ miſeriæ, reque ipſa in actu exercito mouet. Quod confirmo ex precibus, quas amicis, ac Angelis noſcentibus noſtram, & aliorum miſeriam fundimus, quæ ſecluſo merito, & obſequio illorum impetratoriæ ſunt. Ergo eadem ratione Deus, quamuis nouerit noſtram miſeriam, neque attendat ad aliquod ipſius obſequium, quod opus noſtrum meritorium efficiat, ſola vi orationis propria, quæ in hac humili propriæ miſeriæ profeſſione, & veneratione, ac dependentia poteſtatis alienæ conſiſtit, commoueri poteſt ad hominum miſerendum. Confirmatur iterum; quia licet virtutum Theologicarum actus perfectiores ſint, ac in ratione meriti præſtantiores oratione, nihilominus ad obtinendum à Deo aliquod beneficium nullum prædicatur efficacius medium oratione, quia ratione peculiari ſuæ differentiæ propriâ, ſeorſim à merito impetratoria eſt, quod alijs virtutum actibus eſt alienum; quare communis modus loquendi Theologorum ferre ſolet inter virtutum actus orationem eſſe magis impetratoriam apud Deum, & actum charitatis magis meritorium. Qua ratione S. Thomas 2. 2. quæſt. 83. artic. 15. & 16. diſtinguit in oratione efficaciam merendi omnibus bonis operibus communem ab efficacia impetrandi orationis propria; & 1. 2. quæſt. 114. artic. 9. ad 1. docet, iuſtos per orationem impetrare poſſe perſeuerantiam in

P. Vaſquez. Cornejo. Infirma reſponſio P. Vaſquez. Confirmatur. Aliter confirmatur. S. Thomas.

Digitized by Google

gratia, mereri autem non poſſe. Item plurium Theologorum ſententia eſt, quam ex profeſſo tuetur S. Thomas 2. 2. q. 83. art. 11. *S. Thomas* Beatos in patria non eſſe in ſtatu merendi, tamen eſſe in ſtatu impetrandi, quia ſuis precibus, qua preces ſunt, licet non qua ſunt obſequia meritoria, flectere poſſunt voluntatem diuinam ad benefaciendum viatoribus. Ineſt igitur orationi apud Deum vis impetrandi ſeorſim à merito, qua mouere poteſt voluntatem diuinam, quin deroget rationi gratiæ. Ac tandem quamquam operibus arbitrij concedamus apud Deum impetrationem illam, quæ non ſit meritoria, non detrahet quidquam rationi gratiæ, quam ſolam integram tueri contendunt Eccleſiæ Patres.

Euertitur inſtantia facta.

9. Igitur inſtantiæ factæ reſpondeo primo. Deus non acceptat de facto iuxta legem ſuæ prouidentiæ orationem, quæ non ſit aliqua ratione apud ipſum meritoria, quia Eccleſiæ Patres ex oratione naturæ, antecedenti dona ſupernaturalia colligunt illis detrahi rationem gratiæ; propterea que orationem impetrantem quidpiam ſupernaturale, ac gratioſum anteire neceſſario auxilium gratiæ. Cæterum homines acceptas habent orationes, quæ ſibi nullum obſequium, aut obligationem meritoriam pariunt. Reſpondeo ſecundo. Quamuis abſolutè poſſit integra, & perfecta ratio gratiæ ſaluari cum impetratione orationis, minime tamen poteſt conſiſtere ea ſpecialis perfectio gratiæ, quam apud ſactos ſcriptores contineri contendunt Eccleſiæ Patres, nimirum illa, quæ omnino ex diuina miſericordia abſque vlla motione creaturæ proueniat, excludatque non ſolum condignitatem, & congruitatem meriti, verum etiam impetrationem, quin vllus affectus, occaſione noſtræ voluntatis exſpectetur à Deo. Negari enim non poteſt, hanc gratiæ perfectionem in ratione gratiæ puriorem, & altiorem eſſe, vt de ratione gratiæ excludente meritum congruum antecedens dicebamus diſp. 17. ſect. 6. Igitur cum Eccleſiæ Patres ad tuendum rationem gratiæ pertinaciter remoueant omnem orationem, ac petitionem, quæ à Deo impetret gratiam, eam ſanè gratiæ perfectionem contendere putandum eſt, quæ omnem omnino arbitrij motionem abijciat, in ſolamque meram voluntatem Dei antecedentem omne opus naturæ reuocetur.

Variæ probationes aſſerti.

10. Nunc accedunt contra impetrationem naturæ probationes, quas contra meritum, ac diſpoſitionem expendimus diſputat. 17. Prima, quia omne opus ſalutare perficitur auxilio gratiæ; de quo ſect. 2. Oratio autem impetrans gratiam ſalutaris eſt. Secunda; Nequit natura ſuis viribus initiare ſalutem; de quo ſect. 3. Initiaret autem ſalutem, ſi obſecrationes humanæ impetrarent gratiam. Tertia, omne deſiderium ſupernaturalium conducens in ſalutem ſupra naturam eſt; de quo diſput. 14. ſect. 1. Orationes autem rerum ſupernaturalium, acceptæ Deo, deſideria ſunt, conducentia in ſalutem. Quarta; nullus ſit actus honeſtus, quem Deus lege ſuæ prouidentiæ auxilio gratiæ non præueniat; de quo diſput. 20. At oratio exaudita à Deo honeſtus actus eſt. Nulla igitur exauditur à Deo oratio poſcens ſupernaturalia, quam Deus iuxta leges ſuæ prouidentiæ auxilio gratiæ non præcedat. Quæ contra præcedentem aſſertionem opponi poſſunt, ex prætetitis facilem explicationem habent.

S. Thomas obijcitur.

11. S. Thomas explicatione indiget 2. 2. quæſt. 83. artic. 16. in corpore. Nam diſſerens; An Deus orationes peccatorum exaudiat, diſtinguit in peccatore naturam, quam Deus diligit, & culpam, quam odit, aſſeritque deſiderium culpæ non exaudire, niſi ad vindictam; tamen exaudire deſiderium naturæ, quæ dona neceſſaria ad ſalutem quærit, ſed ex miſericordia. *Orationem peccatoris* (ait) *ex bono naturæ deſiderio procedentem Deus audit; non quaſi ex iuſtitia, quia peccator hoc non meretur, ſed ex pura miſericordia, ſi pro ſe petat, neceſſaria ad ſalutem.* En diſertè admittit bonum naturæ deſiderium eſſe poſſe eorum, quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria, illudque exaudiri à Deo. Bonum autem naturæ deſiderium, præſertim à deſiderio culpæ condiſtinctum, ſolum videtur eſſe, quod ſolis naturæ viribus abſque auxilio gratiæ concipitur. Ergo deſiderium omnino naturale exauditur à Deo ad impetrandum ſalutaria, ac ſupernaturalia dona. Abſit hæc mens à S. Thoma. Minime credam *orationem ex bono naturæ deſiderio procedentem*, quam Deus exaudit, intelligi à S. Thoma votum naturæ, quod excludit gratiam, ſed ſolum, quod excludit culpam, quam ſolam ibi ab impetratione miſericordiæ remouere contendit. Nam artic. 15. præcedenti ad 1. poſuerat, orationem impetrantem aliquam gratiam procedere ex præuenienti dono gratiæ; *etiam oratio, qua impetrat gratiam, procedit ex aliqua gratia, quaſi ex gratuito dono; quia ipſum orare eſt quoddam donum Dei, vt Auguſtinus dicit in lib. de perſeuerantia.* Item in hoc artic. 16. poſt obiectum teſtimonium addit, orationem peccatoris, quam Deus miſericorditer acceptat, fieri debere, *pie, ac perſeueranter*; quæ conditiones regulariter, & iuxta prouidentiam præſentem auxilium gratiæ ſupponunt. Igitur bonum naturæ deſiderium, quod oratio peccatoris Deo accepta proponit, non à natura nuda, ſed adiuta auxilio gratiæ procedit etiam in ſententia Angelici Doctoris.

SECTIO TERTIA.

Alio prouidentiæ genere poſſunt dona gratiæ precibus naturalibus impetrari.

Aſſertio ſecunda.

12. Aſſero ſecundo. Diuinitus ſecluſis legibus voluntarijs prouidentiæ præſentis, poteſt oratio merè humana, & naturalis

Digitized by Google

ſeorſim à merito impetrare dona ſupernaturalia gratiæ. Itaquè ponamus hominem in pura natura noſcentem probabiliter poſſibilia, beatitudinem ſupernaturalem, & auxilia ſupernaturalia gratiæ promouentia ad illam; poteſt hic homo ſuis viribus talia auxilia, & media ardenter expetere, & gemitibus, ac lachrimis à Deo poſtulare, Deuſque miſertus gemituum, miſertus lachrimarum, ac miſeriæ huius hominis commoueri ad donandum illa. Vnde nolo petitionem humanam intrinſecè, ac infallibiliter connecti cum donis diuinis, ſed ſolum ex miſericordia Dei commota vocibus miſerrimæ naturæ, poſſe moueri ad largitatem illorum. Contra hoc aſſertum nullus Theologorum decreuit, nam de impetratione ſeiunctim à merito, & legibus prouidentiæ præſentis nullus diſputationem inſtituit. Illi à fortiori ſuffragatur Sotus & alij, qui etiam iuxta leges præſentes in impetrationem naturalem conceſſerunt.

Prima ratio

13. Probatur primo concluſio. Pono ex viribus naturæ poſſibiles affectus deſideri, ac petitiones ſupernaturalium, vt præmiſimus num. 2. Nunc probo motionem illarum apud miſericordiam Dei. Poteſt Deus miſeria naturali hominis ſine vlla oratione commoueri ad eleuandum illam per dona ſupernaturalia, vt reipſa ex miſericordia commotus fuit ad incarnandum, & ſubueniendum miſeriæ hominum contractæ per peccatum. Ergo etiam potuit commoueri ex clamoribus, ac gemitibus naturalibus talis miſeriæ. Nam clamores, ac gemitus hominis miſeri maius momentum habent ad commouendum viſcera miſericordiæ diuinæ, quam ſola miſeria ſecundum ſe. Ergo ſi ſola miſeria ſecundum ſe propoſita Deo, flectere poteſt diuinam miſericordiam ad miſerendum hominis, potius ipſam mouebit lachrymis, ac precibus importunis ipſius miſeri propoſita. Quid enim magis alienum eſt à miſericordia largiente ſupernaturalia moueri obiectiue, & extrinſecè ex ipſa miſeria naturali ſecundum ſe, quam ex dolore, ac mærore naturali, quam miſero infert ſua miſeria cognita? Confirmatio. Confirmatur: Poteſt Deus ſubuenire homini præexiſtenti in pura natura per auxilia ſupernaturalia, quia vt ea largiatur, ſummis precibus Deum homo pulſauit, ita vt ratio obiectiua largiendi non ſolum ſit indigentia, ſed etiam pertinacitas pulſandi. Nam vt ea voluntas ſupernaturalium admittit motiuum naturale ipſius indigentiæ humanæ, rectè poteſt admittere motiuum naturale deprecationis humanæ, quod ipſi liberum eſt. Ergo.

Secunda ratio.

14. Probatur ſecundo. Homo exiſtens in pura natura poteſt ſuis precibus impetrare ab alio homine eleuato in finem ſupernaturalem viatore, aut beato, vt oratione ſupernaturali flectat Deum ad donandum ipſi auxilia ſupernaturalia, quibus ad eius fælicitatem perueniat. Ergo eadem auxilia poteſt immediatè impetrare à Deo. Nam Dei miſericordia pronior eſt ad miſerendum, quàm creata. Ergo ſi creata precibus merè humanis exoratur ad aliquid ſupernaturale largiendum, facilius poterit diuina, Antecedens facilè concedet Sforcia, cum lib. 4. ſuæ ſummæ Theolog. n. 19. admittat, etiam (Sforcia) de facto poſſe hominem infidelem mereri per actum naturalem, quod homo fidelis, & iuſtus poſcat à Deo per orationem ſupernaturalem, vt fides diuina ſibi donetur. Quod ego de facto non concedã, quia omnes actus honeſtos præſertim certò conducentes in ſalutem, qualis ſine dubio eſſet talis oratio hominis infidelis, opinor, præueniri auxilio gratiæ. Cæterum alio genere prouidentiæ id mihi conſtantiſſimum eſt. Nam miſericordia facile exorabilis eſt, & fuſis à miſero precibus integrum ſibi eſt, miſeriæ ſubuenire, & non ſubuenire, ſiquidem iam ſibi motiuum formale proponitur, ex quo ſuos actus exerceat. Quin ad miſericordiæ perfectionem attinet, vt facilè quauis miſeriæ propoſitione commoueatur, nam eò eſt miſericordia perfectior, quò facilius qualicumque leui pulſatione miſeriæ tangitur. Igitur cum miſericordia Dei infinita ſit, ad eius perfectionem ſpectat, qualicumque miſeri clamore quamquã naturali commoueri; quandoquidem ſemper præſentaneum miſericordiæ offertur motiuum ſuorum actuum, ſcilicet egenorum leuamen, etiamſi egenorum voces naturales ſint.

Tertia ratio à priori.

15. Tertiò probatur à priori ex diſcrimine, quo meritum, & impetratio mouent Deum ad retributionem donorum. Primùm meritum mouet ex iuſtitia ſtricta, aut poteſtatiua reſpiciente aliquam æqualitatem, aut proportionem inter meritum, & præmium; meritum enim refertur ſemper in remunerationem, quæ debet eſſe iuxta proportionem obſequij exhibiti ſuperiori; oratio verò mouet ex mera miſericordia, quæ ſolùm reſpicit proportionem diuinæ poteſtatis cum miſeria aliena, & nulla ratione orationis humanæ cum dono, quod impetrat. Dirigitur enim vt Deus noſtri miſereatur, miſereri autem non eſt, ſicut remunerari, nam remuneratio fit facta comparatione muneris cum obſequio, miſeratio verò comparationem doni impetrati cum oratione non vendicat, ſed ſolum cum aliena miſeria. Ita S.Thomas, 2. 2. q. 83. art. 15. & art. 16. in corpore, & ad 2. & q. (S.Thomas.) 178. art. 2. ad 1. & in 4. d. 15. q. 4. art. 7. q. 3. in corpore; & dict. 45. q. 2. art. primo: q. 1. Vnde ſecundo; Vis meritoria orationis ſuos limites habet; impetratoria verò illimitata eſt, ad omniaquè extenditur ſine termino, ad quæ diuina omnipotentia porrigitur. Ita S. Thomas in 4. diſt. 45. q. 2. art. 1. quæſt. 1. in corpore. Idemtidem oratio nobis ſolis mereri; impetrare verò, & alijs, eiſquè infinitis poteſt. Item in ſtatu beatitudinis, in quo nullus datur locus merito, datur locus impetrationi precum. Longe igitur alia eſt meriti, & impetrationis ratio. Quare tertiò oratio, quò entitate perfectior eſt, eò eſt virtute meritoria ſuperior, nam vota charitatis altioris meriti ſunt, quàm pænitentiæ, aut religionis vota; oratio verò entitate inferior poteſt eſſe impetratione ſuperior; nam oratio v. g. quæ ex charitate in Deum intenſa vt octo, ſolùm ſibi ſupplicat auxilium ad vincendam leuem tentationem, formaliter eſt impetratoria ſolius auxilij, quod petat; oratio verò quæ ex

Digitized by Google

charitate in proximum intenſa vt quatuor poſtulat auxilia ad ſuperandas graues tentationes, & conſequendam gratiam iuſtificantem, impetratoria eſt formaliter omnium donorum, quæ à Deo petit. Plura autem, & maiora impetrat oratio, quæ obtinet alijs auxilia ad debellandas graues tentationes, & conſequendam gratiam iuſtificantem, quam oratio, quæ ſolum obtinet ſibi auxilium ad ſuperandum tentationem leuem. Verum quidem eſt, poſſe Deum ex miſericordia intuitu prioris orationis non ſolum auxilium ad leues, ſed etiam ad graues tentationes fugandas conferre; cæterum id non erit ex vi impetrationis ſtrictæ, orationis propria, de qua nunc agimus, ſed ex vi alterius impetrationis latæ omni merito communis, & ab impetratione orationis diſtinctæ, de qua egimus d. 15. num. 7. Quare hoc pacto ſæpè minus amici plus impetrant à potentibus, quàm magis amici, quia minus amici ſæpè pluribus ægent, pluraque petunt, quàm amiciores. Item Chriſtus Dominus plus impetrauit orans Patrem pro hominum prædeſtinatione, ac perſeuerantia, quàm orans pro ſalute corporali infirmi; quamuis vtraque oratio æqualis meriti fuerit, æqualiſque perfectionis entitatiuæ eſſe potuerit; imo nobilioris virtutis, ac intenſionis, quæ minoris, quàm quę maioris impetrationis fuit. Itaque ad orationis impetrationem non attenditur proportio doni cum entitate orationis, ſicut ad remunerationem meriti attenditur proportio muneris cum excellentia, ac qualitate obſequij, ſed ſolum proportio doni cum miſericordia donantis, ex qua ſola, vt ait S. Thomas ſupra, tota vis impetrandi adeſſe poteſt orationi. Dixi adeſſe poteſt, nam etiam poteſt oratio ad impetrandum iuuari ex dignitate perſonæ, & excellentia operis; quamuis abſolutè neceſſariæ non ſint; quia miſericordia pronius, ac facilius commouetur in eos, qui ratione ſui, aut ſuorum operum gratiorem habent voluntatem miſerentis.

16. Igitur ſecluſo ordine, & connexione tranſcendenti orationis cum donis ſupernaturalibus (quę proportionem meriti cum præmio conſtituit,) poterit votis naturalibus vis impetrationis adeſſe ex ſola miſericordia Dei. Nam vt ex præcedentibus ſatis manifeſtum eſt, latum eſt inter meritum, & impetrationem diſcrimen, nullaque ad impetrationem proportio orationis cum dono impetrato, ſed cum Dei miſericordia expenditur, vt ad meriti remunerationem opus eſt. Ac tandem poterit deprecatio ſolis naturæ vocibus facta aliquam in dona ſupernaturalia ex diuina miſericordia impetrationem conferre. Nec refert etiam meritum congruum diuinæ miſericordiæ inniti, vt aliquo munere compenſetur. Nam ita miſericordiæ innititur meritum congruum, vt locus iuſtitiæ poteſtatiuæ non negetur, nam ſemper aliqua proportio, & connexio tranſcendens inter meritum, & præmium attenditur, vt licet valor æqualis præmio non inſit, tamen aliquis, qui cum illo poſſit conferri, & ſaltem inæqualis ſit, deſideretur; quare & meritorium opus qualecumque ſit, vt obſequium in Dei honorem, aut vtilitatem cædens penſari debet; de quo vide dicta diſp. 15. ſect. 1. Hæc omnia ab impetratione orationis aliena ſunt, quæ ſeorſim ab obſequio cedenti in aliquod vtile Dei impetrationem habet, nullamque cum impetrato bono proportionem requirit. Igitur meritum congruum mouet miſericordiam ad munus ſaltem inadæquatè æquale, & proportionatum opere, ac dependenter ab ea proportione concedendum; impetratio verò independenter ab ea collatione, ac proportione ſuum effectum ſortiri poteſt. Quo præoccupantur plura, quę in aſſertionem iſtam poſſent contendi.

DISPVTATIO VIGESIMA.

FACIENTI QVOD IN SE EST, DEVS NON DENEGAT GRATIAM, qua ratione ſit accipiendum.

HOC prouerbium antiquorum Scholaſticorum videtur deſtruere omnia, quæ in excellentiam donorum ſupernaturalium ſupra omne naturæ meritum, diſpoſitionem, ac impetrationem dicta ſunt, quo priſci Theologi aduerſantia nobis communiter referuntur tueri. Ideo ex profeſſo illud axioma declarandum ſuſcipio, vt ipſius expoſitione clariora, firmioraque omnia præcedentia relinquantur, primorumque Theologorum iudicia noſtris aſſertis, quæ noua alicui videbuntur, conſentiant.

SECTIONES.

1. *Varij dicendi modi deferuntur.*
2. *Noſtra ſententia; pro eaque expenditur P. Molina.*
3. *Explicatur plene noſtra ſententia.*
4. *Ex ſacris teſtimonijs probatur noſtra ſententia.*
5. *Probatur noſtra ſententia ex genera-*

Digitized by Google

litate gratiæ auxiliantis.

6. *Idem probatur ex poteſtate Naturæ gratia deſtitutæ.*

7. *Arguitur pro eadē ſententia ex frequēti & continua aſſiſtētia gratiæ auxiliātis.*

8. *Confirmantur præterita ex ſuaſionibus proficiēdi continuo, ac bene agendi.*

9. *Idem illuſtratur ex vocatione ſupernaturali interna annexa lege Dei miniſterio externo creaturarum.*

10. *Explicatur præcedens argumentum ex vocatione ſupernaturali interna adiuncta ex decreto Dei prædicationi & inſtructioni vocali hominum.*

11. *Idem argumentum confirmatur ex vocatione connexa pijs ſcriptis, miraculis, & exemplis.*

12. *Sextum argumentum ex gratia auxiliante Gentilium.*

13. *Idem argumentum ex doctrina Auguſtini firmatur.*

14. *Diſcipuli Auguſtini eidem ſubſcribunt doctrinæ.*

15. *Aliorum Patrum teſtimonia pro gratia auxiliante Gentilium.*

16. *Rationes Theologicæ pro gratia auxiliante Gentilium.*

17. *Expediuntur argumenta contra gratiam auxiliantem Gentilium.*

18. *Concluditur probatio noſtræ ſententiæ de facienti quod in ſe eſt.*

19. *Expenditur auctoritas antiquorum Scholaſticorum pro noſtra ſententia.*

20. *Plura Scholaſticorum teſtimonia pro noſtra ſententia.*

21. *Argumēta cōtra præcedētē doctrinā.*

22. *Corollarium de auxilio ſufficienti ad ſalutem.*

23. *Illuſtratur præcedens doctrina de auxilio ſufficienti.*

SECTIO PRIMA.

Varij dicendi modi deſeruntur.

Reijcitur prima intelligentia proloquij.

1. PRimus modus exponendi hoc axioma eſt, Deum facienti, quod in ſe eſt ex viribus naturæ tribuere gratiam iuſtificantem, & auxiliantem tanquam merenti illam de congruo, Ita relati diſp.17. ſect.1. Sed quàm periculoſe hoc meritum congruum naturę adſtruatur, vidimus ſatis fusè tota diſputatione 17. Secundus modus, facienti, quod in ſe eſt, viribus naturæ, alligat gratiam tanquam pręparanti ſe operibus naturalibus ad illam. Verum & hāc opinionem ſine ſcrupulo defendi nō poſſe, alienamq; eſſe omnino à veritate, illuſtrauimus diſp.18. Tertius dicendi modus annectit infallibiliter gratiā auxiliantē operibus factis facultate naturæ, non tanquam merito, aut diſpoſitioni, ſed tanquam conditioni ex lege Dei coniunctę cum dono auxiliantis gratiæ. At hoc etiā iudicium reiecimus diſput.18. ſect.3. Quartus expediendi modus tuetur, Deum conferre gratiam auxiliantem ad fidem, & iuſtificationem neceſſariam facienti, quod in ſe eſt, ex viribus gratiæ naturalis. Ita P. Vaſquez 1.p.d.91.c.14. Tamen opera elicita ſolo auxilio gratię naturalis, nullius impetrationis aut diſpoſitionis eſſe ad auxilium gratiæ, aliuduè donum intrinſecè ſupernaturale, conficiemus diſput.44. & fuſiùs lib. 5. Quintus opinandi modus explicat hoc proloquium de faciente quod eſt in ſe, ex viribus gratiæ intrinſecè ſupernaturalis, cui & gratia iuſtificans, & vberior gratia auxilians diſpenſari ſolet à Deo. Verumtamen non crediderim, hanc fuiſſe mētem eorū, qui primū hoc axioma condiderunt. Quamquam enim verum ſit, bene vtenti auxilijs ſupernaturalibus gratiæ prouideri à Deo vlteriora gratię auxilia, & plerumq; gratiā iuſtificantem; tamen illud axioma vſurpare ſolitum fuit ad ſaluandū auxilium ſufficiēs ad ſalutē in eis euentibus, in quibus ſolus vſus, & conatus poſſibilis virtutum naturalium arguerent adeſſe gratiam ſupernaturalem ſufficientem ad ſalutem, vt in puero perueniente ad vſum rationis, & in barbaro remoto ab inſtructione fidei; his enim auxilium ſufficiens ad ſalutem reuocari conſueuit, in vſum, & conatus honeſtos viriū naturalium, quibus Deus pręſto adeſt auxilio ſupernaturali. Ad ſaluandum verò ſufficiētiam auxilij ſupernaturalis neceſſarij ad ſalutem in eo, qui ſupponitur inſtructus auxilijs ſupernaturalibus gratiæ, quid opus eſſet in hæc prouerbia, & poteſtatem exercendi virtutes naturales recurrere? Igitur hoc prouerbium non ſignificat gratiam ſupernaturalem eſſe ſubſequentem actus elicitos ex gratia ſupernaturali, de quo nunquam dubitatū fuit, ſed eam gratiā eſſe coniunctā antecedenter, aut conſequenter actibus elicitis, ex viribus naturę; de quo meritò dubitari poteſt. Quod etiam indicat cautio illa, qua non dicitur facienti, quod in ſe eſt gratiam conferri, ſed non negari. Agenti autem ex viribus gratiæ ſupernaturalis non ſolum non negari, ſed etiam abſolutè conferri, dici poſſet.

Secunda. Tertia. Quarta. P. Vaſquez. Quinta.

2. Rurſus ſextus tuendi modus eſt aliorum, qui volunt, axioma intelligendum eſſe, de agente, quod in ſe eſt viribus naturæ, non quia opera honeſta naturæ poſitiuè conferant quidpiam ad ſuſcipiēdum ſupernaturalem gratiam, ſed tantum negatiuè, hoc eſt, quia non impediunt peccatis gratiam à Deo paratam. Ita P. Suarez 3. de aux. c.2. n.3. & lib.2. de prædeſt. cap. 6. 7. & 18. Maſcarenas d.1. de aux. p. 5. Iulius Sirenius lib.1. de pręd. c.20. & ſeq. Lorca

Sexta expoſitio. P. Suarez. Maſcarenas. Iulius Sirenius. Lorca.

Digitized by Google

Zumel. Granadus.

d. 11. & 26. de gratia. Zumel 1. 2. quæſt. 109. art. 3. diſp. 1. con. 3. Granadus controu. 8. de Gratia tract. 6. d. 1. nu. 58. & communiter recentiores. Hæc expoſitio mihi non probatur. Quia ſupponit poſſe hominem ante gratiam Dei etiam iuxta præſentem prouidentiam conari in opera virtutum naturalium; quantum ſuis viribus naturalibus datum eſt; quod à vero abeſſe, oſtendemus progreſſu noſtræ diſputationis. Item quia prouerbiali propoſitione, quam exponimus, gratia datur facienti, quod in ſe eſt, non qualiacumque opera, ſed honeſta. Si autem conatus naturæ ſolum negatiuè conferrent ad ſuſcipiendum gratiam, quatenus tollunt obicem peccati, non ſolum facienti opera honeſta, ſed etiam indifferentia, quæ repugnant peccato, eo prouerbio prædicaretur data gratia Dei, ſiquidem etiam indifferentia tollunt obicem peccati. Nec ſatisfiet, ſi dicatur, operibus indifferentibus non tolli peccata; quæ violant præcepta affirmatiua. Nam præcepta affirmatiua, quæ ſolum præſcribunt actiones externas, poſſunt adimpleri actibus indifferentibus internis. Ea vero, quæ præſcribunt actus internos rara ſunt, & ignorantiæ inuincibili ſubiecta, pluriumque iudicio ſolum obligant in poſtremo vitæ diſcrimine, vt præceptum diligendi Deum, & pænitendi de peccatis. Extra vitæ diſcrimen autem, & obligationem notam eliciendi eos actus internos verum eſt, ei qui facit, quod eſt in ſe, Deum non ſubtrahere gratiam. Præterea de quocumque homine quantumuis ſcelerato verum eſt, facienti quod eſt in ſe Deum non denegare gratiam, vt ſe conuertat in Deum. Ergo non eſt diſcrimen inter facientem, & non facientem, quod eſt in ſe, hoc eſt, inter ponentem, & non ponentem obicem peccati. Dices diſcrimen eſſe, quod peccatori facienti quod eſt in ſe, vberiora, & frequentiora adſunt diuinæ illuſtrationis auxilia. Sed contra; nam contingit plerumque ex duobus peccatoribus eum, qui licentius peccat, pluribus, vehementioribuſque vocationibus pulſari à Deo, quam eum, qui non adeò laxat habenas. Imo eumdem hominem ratione noui peccati acrioribus ſtimulis tangi, vt reſipiſcat, nouiſque illuſtrationibus ſuaderi. Quam miſera, & inquieta eſt peccatoris conditio, quam dulcior, & pacatior iuſtorum ſors; quare tractatu de Prædeſtinatione cum pluribus docui, permiſſionem peccati eſſe poſſe effectum prædeſtinationis. Ergo ad gratiam auxiliantem neceſſariam ad iuſtificationem non eſt diſcrimen inter facientem quod eſt in ſe, & non facientem. Denique quia ab his Theologis non exponitur, neque exponi facile eſt, facienti, quod eſt in ſe, quænam gratia auxilians, quoue tempore diſponatur: An ſufficiens? An efficax? An ad fidem? An ad dilectionem? An eodem momento, quo agit ex viribus naturæ? An deinceps? Quæ omnia vt expediantur ſanè diuinanda ſunt.

Poſtremus ſenſus axiomatis excogitatus à P. Erice.

3. Poſtremum ſenſum huius propoſitionis excogitauit P. Erice 1. p. d. 27. c. vltimo. Notat itaque aliud eſſe dari gratiam facienti quod in ſe eſt, aliud dari quia facit, quod in ſe eſt. Nam primum tantum ſignificat concomitantiam gratiæ Dei, & operis naturalis honeſti. Secundum vero præter hanc comitantem coniunctionem ſignificat ordinem aliquem cauſalitatis & naturæ, inter gratiam Dei, & opus naturale. Ex quo fit illud primum nihil derogare puritati, & perfectioni gratiæ. Secundum verò aliquid neceſſario illi detrahere; ad quod cauendum contra Maſſilienſes intenta eſt tota meditatio Theologorum. Nihilominus autem tuetur, aliquid conferre facientem quod in ſe eſt præ non facienti, vt illi conferatur gratia; non moraliter, ſed tantum Phiſicè. Sicut aliquid confert natura rationalis ſecundum ſuam natiuam capacitatem, vt ſibi diſpēſetur potius gratia quam naturæ brutorum; quia Phiſice natura rationalis ſecundum ſuam natiuam virtutem eſt capax, vt eleuetur à Deo per gratiam, qua capacitate deſtituitur natura brutorum. Simili igitur ratione faciens quod in ſe eſt Phiſice quidem capacior eſt, vt illi donetur gratia, quam non facienti, quia Phiſicè coniunctior eſt vltimo fini, & honeſtati, in quem gratia ſupernaturalis dirigitur. Quærens autem an hæc gratia eodem momento prouideatur, quo opus naturale elicitur? an immediate poſt illud? an ea gratia ſit ſufficiens? an efficax? incertum eſſe pronuntiat. Ac tandem hanc gratiam comitātem, ſolum coniungi conuerſioni naturali in Deum, & dilectioni eiuſdem, in quam totus conatus naturæ, & nobilior confertur, tota diſputatione ſupponit.

Improbatur.

4. Hæc meditatio plura continet mihi improbanda. Primum, gratiam ſolum comitari, & non antecedere conatum honeſtum naturæ. Nam vt decurſu probationis noſtræ ſententiæ conſtabit, auxilium gratiæ adſtrui debet antecedens generoſos conatus naturæ. Neque aſſequor qua alia ratione poſſit gratia auxilians conferre ſupernaturalitatem extrinſecam conſtituentem opus naturale in vitam æternam ſalutare, quam contendit P. Erice. Etenim auxilium, quod nullum confert concurſum in opus naturale, comparatione illius operis eſt, ac ſi non eſſet; nam ſi naturam non mouet, nec auxiliatur ad illud, quid prodeſt adeſſe? Libertas quidem voluntatis (quo exemplo munitur P. Erice) poteſt extrinſecè actum reddere liberum, quia moraliter vnitur cum illo, tanquam actus primus cum ſecundo. Cæterum ſi auxilium ſupernaturale antecedenter non conſtituit poteſtatem voluntatis ad actum naturalem, nulla moralis vnio fieri poteſt auxilij cum actu, qua actus intrinſecè naturalis, quoad extrinſecum modum ſupernaturalis reddatur; vt auxilium ſupernaturale ad actum religionis non reddet extrinſecè ſupernaturalem actum miſericordiæ, aut pœnitentiæ naturalem, in quem nullam motionem, aut cauſalitatem præbet. Credo, cauiſſe Patrem Erice aliam conſequentiam, quæ ex gratia auxiliante antecedente naturalem actum in ruinam ſuorum principiorum fieri poterat. Mordicus enim ſemper inhæſit opinioni, quæ actum liberum intrinſecè liberum conſtituit, eſſentialiterque alligatum illuſtrationibus, ac affectionibus, ex quibus

bus ſemel proceſſit. Vnde actum procedentem ex illuſtrationibus, & affectionibus ſupernaturalibus fateri tenebatur, eſſentialiter ab illis pendere, ac per conſequens, non intrinſecè naturalem, ſed ſupernaturalem eſſe; ſiquidem actus eſſentialiter pendens à principijs ſupernaturalibus, eſſentialiter ſupernaturalis eſt, nam actus intrinſecè naturalis ſolis naturæ viribus, ac principijs fieri poteſt.

Vlterior improbatio.

5. Deinde improbo in hoc dicendi modo, ſolos actus efficaces, qui Deum reſpiciunt, & non omnes honeſtos coniungi gratię auxilianti Dei; nam vt inferioribus monſtrabimus, nullus fit virtutis naturalis actus, quem auxilium gratiæ non præcurrat. Rurſus non probo, actum naturalem phyſicè conferre, vt facienti, quod in ſe eſt, gratia ſupernaturalis tribuatur; & eum actum non præcedere infuſionem gratiæ, præſertim, ſi vt probabile putat P. Erice, immediatè poſt eum actum gratia præbeatur, ſicut re vera confert prioritate phyſica natura rationalis, vt ei potius, quàm irrationali gratia ſupernaturalis donetur. Nam eius actus exiſtentia conferre non poteſt, niſi vt præuiſa; vt præuiſa autem conferre non poteſt, niſi aliqua ratione, aut ex natura rei, aut ex lege Dei præuiſio moueat ad collationem gratię. Quod præcedentibus diſputationibus meritò deſertum eſt. Inſuper recedo à P. Erice, quia gratiam auxiliantem facienti, quod in ſe eſt, collatam à Deo non ponit efficacem, ſed ſufficientem. Nam ſufficientem æquè habet, qui non agit, quod in ſe eſt, ac qui agit, & plerumque frequentiorem, & maiorem, vt nuper dicebamus.

SECTIO SECVNDA.

Noſtra ſententia; pro eaque expenditur Pater Molina.

Explicatur noſtra ſententia.

6. VErus igitur, & germanus, planiſſimuſque eius proloquij ſenſus eſt, quotieſcumque homo agit, quod ſibi datum eſt, vt actum virtutis naturalem efficiat, iam adeſſe antecedenter Deum auxilio intrinſecè ſupernaturali gratię, vt vel eum actum intrinſecè naturalem, extrinſecè ſupernaturalem, ac ſubinde ſalutarem edat, vel ſimul cum actu intrinſecè naturali, alium eiuſdem virtutis intrinſecè ſupernaturalem eliciat circa idem obiectum formale, quod vtrique actui naturali, ac ſupernaturali commune eſt; Atque ita nullus fit conatus moraliter bonus naturæ, quem aliqua gratia ſupernaturalis non præueniat. Paucis his vocibus tota res poſita; ſed non ſatis expoſita. Propius accedamus, & quæ ſunt implicita, reuelemus. Pro quo duo nunc ponenda ſunt ex futuris diſputationibus, & vnum probandum. Ponendum quidem primo, auxilia Theologica gratiæ conferentia in ſalutem, pro quibus Concilia, & Eccleſiæ Patres aduerſus oppugnatores gratiæ pugnarunt, eſſe illuſtrationes intellectus, & affectiones voluntatis intrinſecè ſupernaturales; quia naturales illuſtrationes, & affectiones ſufficientes, & congruæ, nec ſalutares ſunt; nec à Pellagio, & eius diſcipulis negatę. De quo fuſe lib. 5. Ponendum ſecundò, illuſtrationes, & affectiones intrinſecè ſupernaturales habere poſſe idem obiectum formale cum illuſtrationibus, & affectionibus honeſtis naturalibus; idemidemque actus deliberatos ſupernaturales cum actibus virtutum intrinſecè naturaliũ. Quod ex profeſſo confirmabimus lib. 3. diſ. 45. Nunc igitur ſolum intereſt probare, illuſtrationes, & affectiones intrinſecè ſupernaturales ex lege infallibili Dei, pro eodem priori naturæ iniici illuſtrationibus, & affectionibus naturalibus, præuenientes deliberatos virtutum naturalium motus, vt ea ratione ſemper, ac voluntas liberè mouetur in obiectum honeſtum alicuius virtutis, is motus peragatur ſalutaris in vitam æternam. Quod ita eueniet, aut quia ex motione præuia auxiliorum ſupernaturalium actus intrinſecè naturalis, redditur extrinſecè ſupernaturalis, & ſalutaris; aut quia is motus naturalis moraliter eſt indiuiduus, & idem cum motu libero intrinſecè ſupernaturali, quod voluntas eliciens actum naturalem non poſſit non circa idem obiectum actus naturalis, ſimul elicere ſupernaturalem, quia independenter à ſua libertate conſtituitur ſimul, & æquè potens ad vtrumque actum; nullaque in eo priori naturę competit arbitrio diſcretio, & libertas ad diuidendum ſuo concurſu actum naturalem à ſupernaturali. Quę explicabimus ſectione ſequenti. Vnde diſcrepat hæc ſententia ab omnibus præcedentibus in eo, quod gratiam auxiliantem conſtituit ex lege prouidentiæ ſupernaturalis, tum antecedentem conatus honeſtos naturæ, tum vniuerſalem omnibus actibus virtutum naturalium, quin in aliquem actum natura conetur, in quem præſto non adſit auxilium gratiæ, quod eum ſalutarem efficiat.

7. Hoc iudicium debitum volo Patri Molinæ, qui adeò apertus eſt pro hac ſententia, vt iraſci fas ſit in eos, qui gratię ſubſequentis ex lege Dei honeſtos conatus naturæ, Patrem Molinam, Principem aſſertorem fingunt; de quorum impoſturis obſerua dicta diſput. 18. num. 16. Etenim in concordia, d. 10. ſic ſuam aggreditur ſententiam. *Illud etiam præcedentibus addendum eſt, quotieſcumque liberum arbitrium ex ſuis viribus naturalibus conatur, præſtòne eſt ad conandum totum id, quod ex ſeſe poteſt, tam circa ea, quæ fides habet, addiſcenda, & amplectenda, quam circa dolorem de peccatis, ac iuſtificationem; à Deo conferri gratiam præuenientem, auxiliante, quibus id faciat, vt oportet ad ſalutem.* En *quotieſcumque liberum arbitrium præſto eſt ad conandum*, hoc eſt, pro eo naturæ priori, quo paratum eſt, inſerit Deus *gratiam præuenientem, auxiliante, quibus id faciat prout oportet ad ſalutem.* Si gratiam præuenientem; ergo non ſubſequentem. Si auxilia, quibus *id* (nempe aſſenſus credendorum, & dolor de peccatis, quorum immediatè antè meminerat, & in quos actus erat arbitrio conandum) *faciat prout oportet ad ſalutem*, (quia alias ſine auxilio gratię irritus, & vacuus eſſet in ſalute omnis conatus arbitrij, quantumuis honeſtus.) Igitur ex lege Dei nõ coiungit P. Molina affectui naturali credendi, & dolori de peccatis

P. Molina à nobis eſt.

gratiam auxiliantem, qua deinceps agat arbitrium, ſed gratiam præuenientem, qua eos actus edat ſalutares, & vtiles in vitam æternam. Quod mox ſic explicat appoſitiſſimo exemplo. *Quare ſicut Deus ſemper præſto eſt per concurſum generalem libero arbitrio, vt naturaliter velit, aut nolit, prout placuerit: ita præſto illi eſt per auxilium gratiæ ſufficiens, vt quoties ex ſuis viribus naturalibus aggredi voluerit opus aliquod ex ijs, quæ ad iuſtificationem ſpectant, illud exequatur prout oportet ad ſalutem.* Itaque ſicut concurſus generalis ante omnem conſenſum voluntatis ſemper paratus eſt, ita ante omne opus honeſtum, quod auxilio gratiæ factum prodeſſet ad ſalutem, adeſt ſemper auxilium gratiæ, vt per Deum non ſtet, quod irritum in ſalutem factum ſit. Vt autem appareat non differere de auxilio gratiæ extrinſeco, ſed intrinſeco, addit, licet tale auxilium gratiæ ſemper inſeratur auxilijs naturæ communi cauſarum ſeriè concurrentibus, *ſæpe tamen etiam liberum arbitrium quaſi ſopitum, ac torpens excitare, ac pulſare, longeque maioribus auxilijs adiuuare*, quam ſunt ea, quæ cauſæ naturales ſubminiſtrant. Qui ſanè cumulus auxiliorum, & effectus excitandi, ac pulſandi arbitrium, ſolius gratiæ internæ proprij ſunt. Quare primam probationem ex teſtimonijs ſacræ paginæ ſic concludit. *Plane ſine vlla intermiſſione ad oſtium cordis ſtat, paratus ſemper conatus noſtros adiuuare, deſideranſque ingreſſum; non tamen ſine intermiſſione pulſat ſpecialibus auxilijs, ſed ſæpe, non ſolum quando ſe apta occaſio offert, ſed etiam quando torpens, ac pigrum liberum noſtrum proſpicit arbitrium.* Si autem gratia ſubſequeretur conatus naturæ, quid opus eſſet, Deum proponere continuo paratum, & pro data occaſione pulſantem, & excitantem noſtra corda? Sed exſpectantem noſtros motus liberos, vt illis ſubiungeret ſuam gratiam? Manifeſtè ergo perſuadere contendit, Deum non expectare, ſed potius omnes noſtros conatus præuenire, anxiè deſiderando, continuoque excitando.

Mens P. Molinæ apertior.

8. Ideo totam illam diſputationem intendit, ad euincendum, nullum eſſe hominem, quantumuis ſceleratum, ac excæcatum, cui gratiæ auxilia ad ſalutem ſufficientia deſint, parataquè illa eſſe vt ſi voluerit, in Deum poſſit conuerti, argumentaquè conficit ex principijs, quæ Deum non ſubſequentem, ſed præoccupantem humanos conatus concludunt. Quod extra omnem dubitationem ſtatuit diſputatione ſequenti. Vbi agens de facultate credendi infidelium, quibus noſtræ fidei myſteria proponuntur, ſic habet. *Quod ſi ea ſincero animo expendere vellent, vt tenentur, vtique gratia diuina interim dum docerentur, illaque expenderent, præuenirentur, etiam antequam ex ſuis naturalibus eo modo, quo poſſunt, conarentur elicere aſſenſum.* Potuit clarius exprimi anteceſſio diuinæ gratiæ ante conatum arbitrij ex viribus naturalibus? Idque claudit. *Sane vt à peccato non excuſentur, qui aſſenſum fidei ſupernaturalem non elicuerint, ſatis eſt, Deum ſuo auxilio, & gratia præſto eſſe ad præueniendum in eodem inſtanti quoſcumque præuiderit ex ſuis naturalibus ad aſſenſum conaturos, vt ita, non quidem tempore, ſed natura præuenti, talem eliciant fidei aſſenſum, qualis neceſſarius eſt ad ſalutem.* En quoſcumque præuidet ex ſuis naturalibus conaturos in aſſenſum, in eodem inſtanti temporis pro naturæ priori præuenit auxilijs gratiæ, quibus præuenti eos conatus, qui alioqui frugi non eſſent, ſalutares eliciant. Quis vberior ſermo meus clarius noſtram ſententiam expreſſerit? Otioſum eſt iam alijs perſuadere mentem Molinæ.

Euidens confirmatio.

9. Diſſimulanda tamen non eſt ipſiuſmet Patris Molinæ interpretatio, quam in Epiſtola quadam familiari ab ipſo conſcripta anno Domini 1594. ſexto die Nouembris ad P. Antonium de Padilla è noſtra ſocietate ſuperioribus præbuit.

P.Padilla.

Nam cum P. Antonius de Padilla propter tragedias in Molinam excitatas (inter alia quidem occaſione explicationis, quam diſp. 10. concordiæ adhibuit proloquio de faciente, quod eſt in ſe) quæſiuiſſet ab illo; An conatus naturæ, quibus ex lege Dei gratiam adiungit, admiſerit præuios ad illam? ſic reſpondet. *A lo que V. R. pregunta, y manda, que declare, quando homo dicatur facere, totum, quod in ſe eſt, paraque ſea infallible, ex lege Chriſti, & Patris acudirſele, o, no faltalle la gracia preueniente? Digo, que no buſque V. R. præuio facere, que eſſa es doctrina de Pellagianos, o Semipellagianos. Y no ſe collige tal de mis obras, ni de mis papeles, antes todo lo cõtrario.* Quod mox exponit exemplo concurſus generalis. *Mas digo, que aſſi como Dios præſto eſt ex lege ſua ordinaria, & regulariter infallibili con el concurſo general al libre aluedrio, vt quoties illud pro ſua innata libertate aggredi voluerit aliquid velle naturaliter, Deus cum illo cooperetur, cum tamen aggredi noſtrum, non antecedat concurſum Dei generalem ad id velle; ita Deus præſto eſt gratia præueniente cuicumque homini, qui pro ſua innata libertate aggredi voluerit facere totum, quod in ſe eſt, vt id, quod in ſe eſt efficiat, vt oportet ad ſalutem, non quidem quaſi prius hic faciat, aut aggrediatur facere, & poſtea ſaltem natura Deus illi conferat præuenientem gratiam, ſed ſimul, vt nunquam per Deum, & ſemper ſtet per arbitrium liberum id aggredi, & facere.* Falluntur igitur quotquot Molinam facienti, quod in ſe eſt gratiam pediſſequam aſſerere, ſcribunt; Cum ex ipſius ſcriptis, ac interpretatione oppoſitum luce meridiana clarius deprehendatur.

9. Neque verè opus erat interprete, ſed fideli relatore, vt Molina relegaretur ab eorum opinione, qui putant, opera naturalia parare ſubiectum ad receptionem auxiliorum ſupernaturalium gratiæ. De quo præter dicta, accipe quę habet in concordia ad quæſt, 14. art. 13. d. 9. *Quidquid ex ſolis ſuis naturalibus homo efficiat, ſiue vt actu mere naturali reuelatis aſſentiatur, ſiue vt optet aſſenſu ſupernaturali credere, aut etiam conetur ex dono, & auxilio Dei ſupernaturali aſſentiri, ſiue denique auxilium illud ſibi donari petat, aut ad illud recipiendum ſatagat ſe diſponere, ſane id totum nullius eſt meriti, aut vigoris, vt ei gratia præueniens propter eiuſmodi diſpoſitiones impendatur.* Quis nunc diſpoſitionem naturalem ad gratiam auxiliantem abſque aperta impoſtura Molinæ adſcribat? Quàm abominetur illam, conijce ex ijs quę contra Iauelli ſentẽtiam

bbijcit in eadem concordia quæſt. 23. art. 5. diſp. 1. memb. 4. E quibus illud promo. *Alterum, quod longe magis diſplicet eſt, quia aſſerit, diſpoſitiones, quæ in adulto antecedũt primam gratiam, eſſe mere naturales, nec auxilio Dei ſupernaturali adiuuari, vel tranſcẽdere limites actuum mere naturalium.* Ex quibus cæcus eſt, qui non videat, quam longe abfuerit Pater Molina à ſententia, quam illi communiter imponunt Thomiſtæ, quos retulimus diſp. 18. num. 16. Nec aliquid dici potuiſſe, quod magis ſententiæ Semipellagianorum repugnaret. Quandoquidem illi gratiam auxiliantem ad fidem, & iuſtificationem ſubiungebant pediſſequam præuijs conatibus ſolius arbitrij. Pater Molina verò gratiam auxiliantem manifeſte docet præuenire conatus naturæ, nullamque ante illam præcedere actionem arbitrij, cui tanquam merito, aut diſpoſitioni priori diuina gratia iungatur.

Aliquod diſcrimen noſtræ ſententiæ à ſententia P. Molinæ.

10. Obſeruatum tamen velim, licet Patri Molinæ conſentiamus in præcipuo puncto huius controuerſiæ, quod facienti quod in ſe eſt, viribus naturæ, non adſtruimus auxilium Dei ſubſequi, ſed antecedere conatus naturæ; tamen ſeorſim ab illo aliqua nos ſentire. Primò, quia Molina prouidentiam Dei præuenientis auxilio ſuæ gratiæ conatus naturæ ſolum indicat adeſſe ad actus fidei, & alios, qui ad iuſtificationem neceſſarij ſunt, vt arguere eſt ex præteritis, & ijs, quibus exorditur in concordia, q. 14. diſputationem 36. & manifeſte ſupponit Molina in epiſtola, cuius ſuperius meminimus. Nos vero eum prouidentiæ ordinem ſeruari contendimus comparatione omnium actuum virtutum naturalium; itaut nullus exerceatur, in quem naturæ conatus ſupernaturali auxilio gratiæ præuentus non ſit. Secundo, quia Molina hæc auxilia ſupernaturalia, licet ſemper à Deo parata doceat, re ipſa tamen ſolis exhiberi credit, ijs, quos per ſcientiam conditionatam præuidit Deus conaturos in aſſenſum. Nos verò etiam non operaturis, ea auxilia impendi putamus, vt ſolum ex parte liberi arbitrij ſteterit, quod efficacia non fuerint, illiſque etiam quando homo, quod eſt in ſe, facturus non eſt, conſtituatur reipſa potens facere actus honeſtos, & in vitam æternam ſalutares. Tertio, quia iudicat Pater Molina, arbitrium aggrediens efficere cum gratia præueniente aſſenſum reuelationis, aut dilectionem Dei, nunquam elicere eos actus naturales intrinſecè, ſed tantum ſupernaturales. Nos verò ſimul cum auxilio gratiæ, & actu intrinſecè ſupernaturali actum etiam intrinſecè naturalem coniungimus. Molinæ mens conſtat ex epiſtola ſuperiori ibi. *Ac proinde* digo *nunquam iſtius modi actus de lege ordinaria poſſe elici, niſi ſupernaturales propter illam aſſiſtentiam Dei infallibilem ad ita ſupernaturaliter nobis opitulandum.* Y aſſi digo que *faciens totum, quod in ſe eſt ad ſuam ſalutem, aut illud aggrediens facere, ſemper elicit actum ſupernaturalem, & nunquam elicit naturalem.* Noſtrum vero iudicium his repugnans, ſectione ſequenti, & progreſſu diſputationis explicabitur, & confirmabitur. Demum Pater Molina præcipuum huius diſputationis ſubiectum paucis illuſtrat, & quaſi conſtans ſupponit. Nos verò illud, & autoritate, & rationibus Theologicis ſtudioſè duximus confirmandum, quia huic explicationi nexa cenſemus plurima, eaquè grauiſſima diuinæ prouidentiæ, & gratiæ, aliaquè non pauca, noſtræ fidei, ac Theologiæ ſacramenta. Quod fauente, ac ducente numine lubens illuſtrandum aggredior.

SECTIO TERTIA.

Explicatur plenè noſtra ſententia.

11. VT autem appareat, quid hac diſputatione contendamus, noto, arbitrium præuentum cogitationibus naturalibus excitantibus amorem liberum obiecti honeſti tripliciter poſſe iuuari cogitationibus ſupernaturalibus, quæ lege Dei naturalibus inſerantur. Primò ad eliciendum ſolum actum intrinſecè naturalem. Nam cum auxilia ſupernaturalia altioris generis ſint, rectè poſſunt actus inferioris conditionis continere; ſuaque motione voluntatem ad illos allicere, eoquè concurſu extrinſecè cõſtituere ſupernaturales, ac ſubinde ſalutares. Etenim poſſe actũ intrinſecè naturalem tum liberum, tum ſupernaturalem conſtitui libertate, & poteſtate ſupernaturali voluntatis, modo, quo ſufficiat ad ſalutem, explicabimus diſput. 70. cum ex profeſſo illuſtremus, puram omiſſionem actus prohibiti poſſe eſſe meritoriam vitæ æternæ. Qua ratione auxilia ſupernaturalia gratiæ ad benè moraliter agendum, requirunt plures antiquorum Theologorum, qui ſolum quoad modum extrinſecum meriti, & ſupernaturalitatis actuum, & non quoad ſubſtantiam illorum gratiam deſiderant. Secundo poſſunt auxilia ſupernaturalia conuenire cum naturalibus in vnicum actum intrinſecè ſupernaturalem, & non naturalem, quia ſupernaturalibus naturalia eleuantur, vt amorem obiecti, quem ſine ſupernaturalibus elicerent intrinſecè naturalem, cum ſupernaturalibus intrinſecè ſupernaturalem efficiunt, deſinendo naturalem. Ita ſentire videtur Pater Molina ſectione præcedenti num. 10. Vbi aſſerit, voluntatem agentem, quod eſt in ſe, præuentam auxilio intrinſecè ſupernatu[...] non agere actum intrinſecè naturalem, ſed intrinſecè ſupernaturalem. Tertiò poteſt arbitrium inſtructum auxilijs naturalibus, & ſupernaturalibus, agenſque totum, quod eſt in ſe, circa obiectum vtriſque cogitationibus commune, non ſolum naturalem, ſed etiam ſupernaturalem actum efficere, quin ſuo conatu poſſit aggredi amorem obiecti, valens amorem naturalem à ſupernaturali, aut è contra diuidere. Quod nos probabilius cenſemus. Nam arbitrium præuentum cogitationibus, & affectionibus indeliberatis vtriuſque generis, eſt potẽs edere vtrumque actum, non ſolum ſupernaturalem, ſed etiam naturalem; actum enim, quem poteſt arbitrium efficere cogitationibus natu-

Triplex modus, quo auxilia ſupernaturalia poſſunt iuuare voluntatem.

Primus.

Secundus.

Tertius.

Nobis probabilior.

Digitized by Google

ralibus ſine ſupernaturalibus, poteſt etiam ſimul eum illis; ſiquidem ſupernaturales cogitationes non adimunt poteſtatem naturalem, ſed illam augent, & complent ad idem obiectum amandum alio affectu intrinſece ſupernaturali. Arbitrium autem ſimul potens efficere actum intrinſecè naturalem, & intrinſecè ſupernaturalem circa idem obiectum, non poteſt vnum elicere ſine alio. Nam ei non adeſt libertas ad ſeiungendum vnum actum ab alio; nam neque cognitione, neque obiecto formali, aut materiali, neque concurſu, aut conatu vnum ab alio diſcernit. Igitur agens, quod eſt in ſe, ad amandum obiectum honeſtum, arbitrium inſtructum auxilijs naturalibus, & ſupernaturalibus, non poteſt non amorem naturalem,& ſimul ſupernaturalem elicere. Idemtidem iudico non eſſe voluntatem liberam, vt amans obiectum honeſtum moueatur ex cognitione naturali, & non ſupernaturali, quando vtraque in actu primo proponit bonum,& in eius amorem voluntatem inuitat, atque adeò in eorum ſententia, qui volunt, auxilijs ſupernaturalibus fieri à voluntate actum intrinſecè naturalem, & non ſupernaturalem intrinſecè, non eſſe in poteſtate voluntatis actum naturalem non elicere extrinſecè ſupernaturalem, & ſalutarem. De quo alibi vberius. Hinc comparatione arbitrij præcincti ad agendum amorem Dei, aut iuſtitiæ actum cogitationibus vtriuſque generis, amor naturalis, ac ſupernaturalis eiuſdem obiecti, quamquam Phiſicè quidem realiter diſtinguatur, moraliter tamen quaſi vnus, & idem computandi ſunt. Quandoquidem vnus ab alio, neque cognitione, neque concurſu diuidi poteſt, ſed aggrediens voluntas obiectum honeſtum amare, illud amore naturali, & ſupernaturali ſimul proſequi, neceſſe eſt. Itaque arbitrio liberum non eſt, vt pulſantibus animum in actu primo cogitationibus naturalibus, cogitationes etiam ſupernaturales non pulſent, neque vt amante voluntate honeſtum in actu ſecundo amor naturalis fiat ſeorſim à ſupernaturali, aut è contra; ſed tota libertas eſt ad amandum, & non amandum obiectum, non vero ad amandum hoc amore naturali, & non illo ſupernaturali, vt non eſt libertas ad amandum hoc amore indiuiduo, potius quam illo, quia ex ſuppoſitione, quod ſe determinet ad amandum, non eſt illi electio huius indiuidui amoris, potius quam illius. Erit igitur moraliter indiuiſus, ac vnus comparatione arbitrij vterque amor tam naturalis, quam ſupernaturalis.

Notatio ſecunda.

12. Noto ſecundo, poſſibiles eſſe nunc arbitrio eleuato in finem ſupernaturalem affectus virtutum moralium intrinſecè ſupernaturales, & affectus Theologicos, hoc eſt, reſpicientes obiecta formalia virtutum Theologicarum, intrinſecè naturales; itaut omnia virtutum moralium, ac Theologalium obiecta,& actibus naturalibus,& ſupernaturalibus poſſint amari, & mala eis oppoſita odio haberi. Quod vberi explicatione conſtabit lib. 3. & 4. Nunc igitur aſſerimus, ex decreto Dei actus omnes naturales honeſtos non fieri à voluntate ſolitarios, ſed conſortes, ac coniunctos actibus intrinſecè ſupernaturalibus, qui circa obiecta naturalium actuum ſunt abſolutè poſſibiles, atque adeò aſſiſtentia prouidentiæ ſupernaturalis Dei, numquam voluntatem compleri ad amorem honeſti, quin ſimul compleatur ad amorem illius ſupernaturalem, inſertis in actu primo à prouidentia ſupernaturali auxilijs ſupernaturalibus neceſſarijs ad illum, quando prouidentia naturalis Dei, aut per ſe immediate, aut miniſterio creaturarum præuenit arbitrium cogitationibus honeſtis naturalibus neceſſarijs ad amorem honeſtum naturalem. Eo quidem fine, vt aggrediente arbitrio amorem honeſti, quantum ſibi datum eſt, conatus ille generoſus arbitrij, qui poteſt eſſe ſalutaris, ſi auxilia ſupernaturalia præcurrant, & faueant, reipſa ſalutaris edatur, per Deumque non ſtet, vt irritus, & vacuus exhibeatur, ſicut re vera ſtaret per Deum, ſi præuia illi defuiſſent auxilia gratiæ; quandoquidem quantum eſt ex parte arbitrij vt ſalutariter amet tale obiectum, non aliter ad amorem naturalem, quam ad ſupernaturalem conetur.

Hinc naturæ eleuatæ neceſſariū eſt auxiliū ſupernaturale ad quodlibet bonū opus morale.

13. Hinc in noſtra ſententia abſolute verum eſt, ad quodlibet bonum opus morale, ſiue ad quemlibet virtutis moralis actum neceſſarium eſſe per ſe naturæ rationali eleuatæ auxilium Theologicum gratiæ, de quo Concilia, ac Patres Eccleſiæ aduerſus gratiæ hoſtes diſſeruerunt; ac per conſequens arbitrio agenti, quod eſt in ſe, vt aliquod obiectum honeſte proſequatur, conferre præuiè Deum auxilium gratiæ. Nam iuxta ordinem prouidentiæ ſupernaturalis eleuantis naturam ſupra ſe, actus moraliter bonus ſupponit pro actu ſalutari, à quo iam cócurſus naturalis indiuiſus eſt. Ad actum autem ſalutarem abſolute ex natura rei neceſſarium eſt auxilium gratiæ, quod vel actum intrinſecè ſupernaturalem ab actu naturali indiuiſum efficiat, vel actum intrinſecè naturalem ſupernaturalem extrinſecè reddat, ſicut oportet, vt arbitrij actio ſalutaris nobis ſit. Ita accepiſſe credo bonum opus abſolutè Eccleſiæ Patres, eum ſine diſcrimine definiunt, nihil boni poſſe arbitrium ſine ope diuinæ gratiæ. Diſſerunt enim de bonis operibus naturæ eleuatæ, ſupponentes ea à ſalutaribus indiuiſa, ad quæ gratiam Theologicam requiri, Catholicè negari non poteſt. Vnde quamuis opera bona naturalia ſine auxilio gratiæ fieri queant, bonum opus abſolutè ſine eo effici non poteſt, cum abſolute bonum opus à ſupernaturali, ac ſalutari indiuiduum ſit, ad quod concurſus gratiæ ſemper requiritur. Sicut modo abſolute nefas eſt aſſerere poſſe hominem ſuis viribus diſponi ad remiſſionem culpæ, quamuis verum ſit, in natura pura poſſe hominem per actus naturales aptari ad condonationem extrinſecam illius, quia modo remiſſio culpæ coniuncta eſt cum infuſione gratiæ ſanctificantis, ad quam natura ſuis viribus præparari non poteſt. Simili igitur ratione, quia opus bonum abſolutè idem eſt, quod ſalutare, ac ſupernaturale ſaltem moraliter; ad quod vires gratiæ ex natura rei requiſitæ ſunt, ideò ad quidquam boni abſolute

Digitized by Google

agendum in noſtra ſententia requiſitum erit ex natura rei auxilium diuinæ gratiæ.

Nõ eſt per ſe neceſſarium ad opus naturale, ſed ex lege Dei.

14. Verumtamen ad opus moraliter bonum, non abſolutè, ſed cum addito ad *opus naturale* gratiam auxiliantem Theologicam ex natura rei neceſſariam non cenſeo. Quia mea opinione, quam pluribus muniam lib. 5. gratia Theologica comprehenſa diſputationibus Patrum contra Pellagianos eſt intrinſecè ſupernaturalis. Ad opera autem intrinſecè naturalia auxilia intrinſecè ſupernaturalia ex natura rei neceſſaria non ſunt. Tamen ſunt ad illa neceſſaria ex lege prouidentiæ ſupernaturalis Dei. Nam ex lege prouidentiæ ſupernaturalis Dei non poteſt natura ſuum concurſum conferre in amorem naturalem alicuius honeſtatis, quin eo concurſu in ſalutem promoueatur, aut quia ſanxit Deus inſeparabilem fieri cum illo amorem intrinſecè ſupernaturalem, aut quia amorem intrinſecè naturalem decreuit fieri extrinſecè ſupernaturalem, ac ſalutarem. Vt autem actus naturalis fiat inſeparabilis ab actu intrinſecè ſupernaturali, aut in ſe extrinſecè ſupernaturalis, ac ſalutaris, opus eſt gratia aliqua Theologica intrinſecè ſupernaturalis. Ergo ex lege Dei fieri nequit amor naturalis alicuius honeſtatis; quem non antecedat gratia Theologica intrinſecè ſupernaturalis.

Gratia ſupernaturalis dupliciter poteſt conferre in actum naturalem.

Porro hæc gratia duplicem concurſum exhibere poteſt in amorem honeſtum naturalem, videlicet, aut indirectum, quatenus iuuat voluntatem ad actum ſupernaturalem, ſine quo ex lege Dei naturalis non editur, aut directum, quatenus ſupernaturalia auxilia directè mouent voluntatem ad amorem honeſtum naturalem, ex eorumque motione, vt ex motione naturalium voluntas confert concurſum in eum amorem. De quo conſtantia non ſunt Theologorum iudicia: quid autem mihi probabilius ſit, aperiam diſp. 48. & 49 Igitur arbitrio aggredienti facere quod in ſe eſt viribus naturæ, præuium eſt ſemper ex lege Dei auxilium gratiæ intrinſecè ſupernaturale, vt ea præuentione gratiæ conatus naturæ, in amorem honeſti directè, aut indirectè quidquam conferat in ſalutem. Hæc ſunt, quæ ſententia noſtra complectitur, & in quæ illuſtranda, ac probanda tota noſtra diſputatio dirigitur.

Diſcrimen inter auxilia ſupernaturalia, & naturalia.

15. Ad quorum omnium exactam explicationem obſerua diſcrimen, quod intereſſe putamus inter auxilia ſupernaturalia, ac naturalia, nempe auxilijs naturalibus ſemper annecti ſupernaturalia, non vero ſupernaturalibus naturalia. Hoc eſt, quoties ſeries naturalis rerum creatarum, inſtructione hominum, aut lectione librorum, aut vario objectorum occurſu, aut etiam nonnunquam immediata aſſiſtentia prouidentiæ naturalis Dei, excitat in humana mente cogitationes honeſtas pellentes voluntatem in amorem honeſtorum, & odium turpium, continuò prouidentiam ſupernaturalem Dei inferere cogitationes ſupernaturales eorumdem objectorum, quas poſuimus poſſibiles, vt cooperante voluntate naturalibus auxilijs, eodem conatu quantum eſt in ſe, cooperetur etiam ſupernaturalibus, actuſque virtutum ſiue Theologicarum, ſiue moralium non naturales ſolum, ſed etiam ſupernaturales, ac proinde in ſalutem conferentes procedant, quandoquidem ſolum naturales in ſalutem conferre non poſſunt. Cæterum interdum Deum vt auctorem ſupernaturalem ſingulari prouidentia per ſe immediatè illuſtrationes ſupernaturales immittere, mouentes voluntatem ad amorem ſupernorum, & contemptum temporalium, cum in ea obiecta cauſæ naturales, ac creatæ nullam cogitationem proponunt; tunc autem illuſtrationes ſupernaturales ſolitarias exiſtere abſque conſortio naturalium. Nam vt illuſtrationes ſupernaturales ſupra exigentiam cauſarum naturalium naturalibus iungantur, ratio eſt promotio voluntatis in ſalutem, quæ ſine auxilio ſupernaturali non poteſt inueniri. At vero illuſtrationes ſupernaturales ſine naturalibus, poſſunt hominem in ſalutem promouere per actus ſupernaturales, qui etiam voluntatẽ habilitant ad actus virtutum naturalium productis virtutibus acquiſitis, quos eminenter continent, vt videbimus lib. 3. diſput. 53. Igitur non eſt mutua connexio auxiliorum naturalium, & ſupernaturalium, ſed tantum ſupernaturalium cum naturalibus. Atque adeò facienti quod eſt in ſe viribus naturæ ad amorem alicuius obiecti honeſti, aut odium turpis, ſemper aſſiſtit præuiè auxilium ſupernaturale gratiæ; quamuis agenti, quod eſt in ſe viribus gratiæ, non ſemper aſſiſtat præuiè auxilium actuale naturæ. Ad quod etiam ſemper ante oculos duo habenda ſunt, quæ futuris noſtris diſputationibus erunt comprobanda. Alterum, obiectum formale virtutis moralis acquiſitæ non eſſe differens ab obiecto formali virtutis infuſæ; neque illuſtrationum, & affectionum ſupernaturalium obiectũ ab obiecto formali naturalium. Alterum ad exercitium virtutis infuſæ ſemper opus non eſſe regulas fidei ſtrictæ conſulere, ſed alijs cogitationibus intrinſecè ſupernaturalibus, quæ ad fidem ſtrictam non pertinent excitari, ac dirigi poſſe affectus ſupernaturales. Quæ modo declarare expediens non eſt; ſed eis aliunde poſitis noſtram conſentientem doctrinam in ſuſcepta diſputatione ſtabilire.

SECTIO QVARTA.

Ex ſacris teſtimonijs probatur noſtra ſententia.

16. PRimam noſtræ ſententiæ probationem ſumo ex canonicis monumentis. Primũ argumentum. Obſeruo prouidentiam Dei præoccupantem deſideria, & conamina naturæ Sap. 6. vbi Deus Sap. 6. proponitur anteuertens ſuo auxilio gratiæ omnem vigiliam, & conatum naturæ: *Præoccupat, qui ſe concupiſcunt, vt illis ſe prior oſtendat.* En ſapientia, & gratia præuenit noſtrum arbitrium, vt nullus ſit bonus Dei, aut gratiæ affectus, nullum deſiderium honeſtum, quod iam gratia non expectauerit, nullæ antelucanæ vigiliæ

Digitized by Google

naturæ; quibus gratia ante oſtium voluntatis prior non aſſederit. Quare ſubditur: *Qui de luce vigilauerit ad illam, non laborabit: aſſidentem enim illam foribus ſuis inueniet.* Qui iam credi poteſt, poſteriorem eſſe gratiam vigilijs, ac ſtudijs naturæ: Eo reſpexit Chryſoſtomus hom. 9. in Geneſim initio: *Gratia parata eſt quærens, qui ſe cum largitate ſuſcipiant.* Qui quærit eos, qui ſe ſuſcipiant, non exſpectat inuitari. Eum ſenſum complexus eſt Cyrillus Hyeroſolymitanus Cathec. 16. poſt medium de Spiritu ſancto; *Magnum igitur Commilitonem, & auxiliatorem apud Deum habemus, magnum Doctorem, magnum protectorem noſtrum. Non metuamus ergo Dæmonem. Maior eſt enim, qui certat pro nobis, modo illi oſtia aperiamus, obambulat enim ille quærens, quibus dona conferat.* Magnum auxiliatorẽ vocat Deum, non ſolum poteſtate, ſed etiam inſeparabili ſocietate noſtrarum honeſtarum actionum; quare, & commilitonem magnum, & ante oſtia expectantem greſſus noſtræ voluntatis, vt ei per ſuum auxilium digne ſua dona conferat, proponit.

Chryſoſtomus. Cyrillus.

Secundum argumentũ Apoc. 3.

17. Cum Deum ante oſtium audio, recolo illud Apoc. 3. *Ecce ego ſto ad oſtium, & pulſo; ſi quis aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum;* & mihi perſuadeo, numquam per Deum ſtare, vt concurſus naturæ in affectum virtutis ſalutaris non ſit, ac ſubinde auxilia gratiæ pulſantia, & excitantia voluntatem, quibus talis concurſus edendus erat ſalutaris, nulli conatui naturæ in bonum defuiſſe, aut deeſſe. Alias aperiente voluntate quantum ex ſe eſt, neque Deus, neque ſalus hominis appropinquaret; ſiquidem ex defectu gratiæ ſupernaturalis homo per eum concurſum, qui potuit eſſe ſalutaris, non promoueretur in ſalutem. Quod notauit Concilium Sennonenſe Prouinciale canone 15. poſt medium: *Neque tamen tanta gratia neceſſitas libero præiudicat arbitrio; cum tamen illa ſemper ſit in promptu, neque momentum quidem prætereat, in quo Deus non ſtet ad oſtium, & pulſet, cui ſi quis aperuerit ianuam, intrabit ad illum.* Tam prompta, tam frequens, ac quolibet momento continua gratia deſereret ne arbitrium in aliquo virtutis opere, quod agente homine quantum in ſe eſt, ſolo defectu gratiæ irritum, ac vacuum perficiatur? Conſonat Concilium Prouinciale Colonienſe primum p. 7. c. 32. tom. 3. Conciliorum pag. 81. *Nemo hic excuſationem prætereat, quod non trahatur, cum Deus ſemper ſtet ante oſtium pulſans, nimirum per internum, & externum verbum commouens, vt conuertatur à via noſtra peſſima: & inclinans, quoniam ira, in omnem animam hominis operantis malũ: gloria autem omni operanti bonum.* Hinc noluit Ambroſius in Pſal. 118. ſerm. 19. ad illa verba *præuenerunt oculi mei ad te diluculo*, alicubi admoneri hominem, vt Deum bonis operibus præueniat, quin Deus prius auxiliator exſpectet. *Vult ſe præueniri ſol iuſtitiæ, & vt præueniatur, exſpectat. Audi quomodo expectet, & cupiat præueniri; dicit Angelo Pergami Eccleſiæ; Age pœnitentiam, cæterum venio tibi. Ecce ego ſto ad oſtium, & pulſo, &c.*

Concilium Senon.

Colonienſe.

Ambroſius Pſal. 118.

Tertium. Ioan. 1.

18. Accedit tertio Ioannis cap. 1. aſſeri de verbo Dei eſſe verum lumen, *quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Quippe, quia omnes homines illuſtrati ad ſequendum honeſtum perfunduntur lumine ſupernaturali verbi. Ita videtur expoſuiſſe Auguſtinus de peccatorum meritis, & remiſſione lib. 1. cap. 25. *Illud, quod in Euangelio poſitum eſt, erat lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; ideo dictum eſt, quia nullus hominum illuminatur, niſi illo lumine veritatis, quod Deus eſt; ne quiſquam putaret ab eo ſe illuminari, à quo aliquid audit, vt diſcat; non dico ſi quemquam magnum hominem, ſed nec ſi Angelum ei contingat habere doctorem. Adhibetur enim ſermo veritatis extrinſecus vocis miniſterio corporalis. Veruntamen neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Audit quippe homo dicentem, vel hominem, vel Angelum, ſed vt ſentiat, & cognoſcat, verum eſſe, quod dicitur, illo lumine intus mens eius aſpergitur, quod in æternum manet, quod etiam in tenebris lucet.* Quibus indicat nullum hominem illuſtrari cogitationibus boni, qui lucem non debeat vero, ac ſupernaturali lumini veritatis, quamuis creaturarum miniſterio generentur notiones boni, quia earum diſciplinæ, & inſtructioni naturali inſeritur illuſtratio ſupernaturalis Dei, ad perficiendum opus, quod ſine tali lumine inutile, & vacuum fieret. Quare licet Angeli excitent in nobis bonas, & honeſtas notiones, credendum eſt, adiungi intrinſecus ſupernaturales cogitationes immiſſas immediatè à Deo, quæ conferant actibus voluntatis. Quod non ſufficiunt cogitationes naturales, vocibus humanis, aut Angelicis, aliarumue creaturarum, opera nobis ingenitæ.

Auguſtinus.

19. Denique id confirmo ijs teſtimonijs, quibus abſolutè ſignificatur, nihil boni fieri à nobis poſſe ſine auxilio præuenienti Dei, vt Ioannis 15. *Sine me nihil poteſtis facere*, ad Philippenſes 2. *Deus eſt, qui operatur in vobis velle, & perficere pro bona voluntate.* 1. Corint. 12. *Operatur omnia in omnibus.* Hebræor. 13. *Deus pacis aptet vos in omni bono*, & alijs huiuſmodi. His enim, ac ſimilibus propoſitionibus, credo, non ſolum contineri bona, quæ ſalutaria ſunt, peragi non poſſe ſine ope diuinæ gratiæ, ſed etiam nullum exerceri conatum voluntatis in bonum, qui nunc in natura eleuata ex prouidentia ſupernaturali Dei, ſalutaris non ſit, ideoque ſpeciali auxilio gratiæ indigeat. Indicant Eccleſiæ Patres ex ſuperioribus locis colligentes, omne ſine diſcrimine bonum ex gratia eſſe, quia ſalutare eſt. Hyeronimus in cap. 26. Ieremiæ ad illa verba, *& dices ad eos*, vbi ait: *Quidquid boni operis volumus, appetimus, explemus, ad Dei gratiam referamus, qui iuxta Apoſtolum nobis dedit velle & perficere.* Nihil excludit operis, ac deſiderij boni. Auguſtinus ſer. 94. de tempore inter principium, & medium: *Sed voluntas (inquis) mea bona eſt. Fateor tua. Sed ipſa, à quo data, à quo excitata? Apoſtolum interroga: Deus eſt, inquit, qui operatur in vobis, & velle, & operari pro bona voluntate. Quid eſt ergo, quod tibi arrogas? Quid eſt, quod ſuperbus ibas, & peribas?* En nihil boni, quod in nobis cernamus (quod ſupernaturale eſſe non poteſt, cum

Quartum.

Ioan. 15.

Ad Phil. 2.

Hyeronimus. Ierem. 26.

Auguſtinus

Digitized by Google

inter bona naturalia,& ſupernaturalia diſcernere datũ non ſit) ſine gratiæ adiutorio agnoſcir. Leo Papa ſer.8.de Epiphan.cap.2. *Dicente Domino diſcipulis ſuis, ſine me nihil poteſtis facere, dubium non eſt, hominem bona agentem, a Deo habere, & effectum operis & initium bonæ voluntatis.* Quoties igitur hominem videmus bona agentem, reuocanda ſunt in Deum præuenientem initia voluntatis,& opera; ideoque credenda omnia ſemper ſalutaria.

Leo Papa.

Illuſtratur argumentũ præcedens.

20. Præterea hanc fidem mihi conciliant plures coniecturæ. Prima, quia hæ propoſitiones ſunt indefinitæ, ac vniuerſales, quæ in ſenſu proprio, ac germano comprehendunt omnia opera honeſta, quæcumque illa ſint, eiſque adſcribunt conditionem, qua ſalutaria ſint, neceſſariam ad cauſalitatem gratiæ. Secunda, quia iſtæ propoſitiones ſunt doctrinales, & ea obiecta, ſeu opera, intelligendæ ſunt ſignificare, quæ notione eorum, ad quos ſermo dirigebatur, nota erant. At ijs, ad quos ſermo dirigebatur, non erant nota virtutum opera ſupernaturalia, prout à naturalibus diſcreta; quin ea nobis inſtructis altiori rerum ſupernaturalium notitia ignota ſunt. Ergo virtutum opera ſine diſcrimine aſſerenda ſunt fieri auxilio gratiæ, quia omnia ſiunt ſalutaria. Confirmatur. Hæc ſacrorum canonum doctrina eo referebatur, vt homines bene moraliter agentes non arrogarent ſibi gloriam bene agendi, ſed auxilio Dei gratis, & ſupra naturæ exigentiam conceſſo, vt conſtat ex Hieronymo, & Auguſtino ſupra. Si autem ea, quæ ſua notione aſſequebantur opera (quæ non poſſunt eſſe ſupernaturalia, vt à naturalibus diuiſa, ſed tantum naturalia, aut ſaltem ad vtrumque genus indifferentia,) fierent modo abſque præuenienti auxilio gratiæ ſupra naturæ exigentiam conceſſo, hortarentur illa plerumque referre falſo in principium, quod in ea non influit, quandoquidem homines diſcernere nequimus actus virtutum naturalium ab actibus virtutum ſupernaturalium (præſertim in mea opinione confundente obiectum formale actuum vtriuſque generis,) & per te frequens eſt, virtutum naturalium actus, abſque præuenienti auxilio gratiæ, aut comitanti actu ſupernaturali fieri. Ergo ea doctrina perſuaderi tenemur, ſemper, ac credimus aliquod opus virtuoſum noſtra voluntate factum, quamquam diſtinguere non poſſimus, an naturale, an ſupernaturale ſit, illud fieri auxilio gratiæ. Ac per conſequens re ipſa tali auxilio, qualecumque ſit, perficitur. Cum omnis perſuaſio, quam ſacris teſtimonijs docemur, non poſſit non eſſe vera. Tertia, quia Concilia, ac Patres Eccleſiæ his teſtimonijs arguunt Pellagianos. At Pellagiani ſuam pertinaciam negandi neceſſitatem gratiæ ad fidem, & moralium virtutum opera tuebantur hac vnica ſuppoſitione, aut argumentatione. *Natura ſuis viribus poteſt aſſentiri reuelatis à Deo, & plura moralia bona appetere, ac perficere, vt his temporibus Theologi frequentiores, ac grauiores tuentur. Quicumque autem aſſenſus intellectualis reuelationis Dei, & conſenſus liber voluntatis in bonum alicuius virtutis ſalutares ſunt.* Cui argumentationi non occurrebant Patres negando minorem, ſcilicet ſemper, ac intellectus aſſentitur reuelatis à Deo, & voluntas obiectis præſcriptis à ratione, aut lege, promoueri hominem aliqua ratione in ſalutem; ſed tantum negando abſolute maiorem, ſcilicet poſſe hominem viribus naturæ aſſenſum intellectualem veri, & voluntarium boni præſtare ſine auxilio gratiæ. Ergo ſupponebant verum omnes conatus naturæ in bonum honeſtum ab homine iam eleuato in finem ſupernaturalem nunquam edi, niſi ſalutares. Nam alias in promptu erat reſponſio, poſſe equidem hominem abſolutè aſſentiri reuelatis, & adhærere bonis ſola facultate naturæ, ſed non prout conferunt in ſalutem. Ergo cum id omittunt, & abſolute reſpondent, etiam eos actus, quos Pellagiani proponebant, vtique naturales quoad ſubſtantiam, non fieri abſque præuenienti auxilio gratiæ, implicite ſupponebant, eos nunc honeſtos non fieri, quin ſalutares ſint; proindeque ad eos omnes gratiam requiri.

SECTIO QVINTA.

Probatur noſtra ſententia ex generalitate gratiæ auxiliantis.

21. Secundo probatur prouidentia miſcendi continuò auxilia ſupernaturalia gratiæ, auxilijs naturæ ex generali diſpoſitione Dei, qua gratia ad omnes, & ſingulos actus bonos ſine diſcrimine aſſiſtit arbitrio. Id conſtat ex teſtimonijs, quæ adduximus diſput.17. ſect.2. Vbi Concilium Paleſtinum decernit; *Gratiam Dei ad ſingulos actus dari.* Concilium Africanum; *Nos per actus ſingulos adiuuare.* Concilium Arauſicanum; *Quoties bona agimus, Deum in nobis, atque nobiſcum, vt operemur, operari.* Item, *nulla fieri ab homine bona, quæ Deus non præſtet, vt faciat homo.* Innocentius: *Voluntati liberæ in omnibus adiutorium Dei eſſe nectendum; eamque nihil poſſe cæleſtibus auxilijs deſtitutã.* Zoſimus, *in omnibus actibus, cognitionibus, & motibus, adiutorem orandũ Deum; ſuperbumque eſſe, vt quidquam ſibi humana natura præſumat.* Cæleſtinus, *in bonis quibuſque, & ſingulis motibus arbitrij magis Dei, quam arbitrij auxilium valere.*

Concilium Paleſt.

Arauſicanum.

Zoſimus.

Cæleſtinus.

22. Ambroſius, *vbique virtutem Domini ſtudijs cooperari humanis.* Hieronymus: *Deum gratia ſua in ſingulis operibus iuuare.* Auguſtinus, *neminem bene vti poſſe arbitrio, niſi per gratiam.* Item *illam ad omne bonum actionis, ſermonis, & cogitationis adiuuare, nihilque boni velle, aut agere poſſe voluntatem ſine illa.* Proſper *Dei eſſe, quidquid in bonis, & rectis actibus vitæ laudabilis geritur.* Item; *nihil eſſe boni, ſine gratia Dei.* Fulgentius; *Dei eſſe omne bonum, quod operamur. Nihilque boni eſſe quod tanquam noſtrum vendicemus.* Anſelmus; *nullum hominem habere à ſe bonam voluntatem, ſed à Deo.* Quę teſtimonia licet rectè intelligantur de operibus bonis, quę hominem promouẽt in ſalutẽ, tamen denotãt, nihil boni moralis fieri à voluntate, quin ſuis conatibus bonis in ſalutẽ

Ambroſius.

Hieronymus.

Auguſtinus.

Proſper.

Fulgentius.

Anſelmus.

Q

Digitized by Google

promoueatur, ideoque auxilio gratiæ in omnibus adiuuetur. Nam vniuerſales Conciliorum ac Patrum definitiones, vniuerſaliter, ac ſine diſcrimine accipiendę ſunt, vbi ſine incommodo Theologico, aut Philoſophico intelligi poſſunt. Nullum autem incommodum Philoſophicum, aut Theologicum noſtram intelligentiam prohibet, quin pluribus finibus à Deo intentis prouidentia iſta conſentanea eſt, vt ſequentibus proponemus. Ergo.

Confirmatio totius probationis.

13. Confirmatur. Ad eos actus intelligendi ſunt Eccleſiæ Patres deſiderare gratiam, ad quos continuo Pellagius illam negabat. At Pellagius illam negabat ad actus virtutum naturalium, quos ſolos agnoſcebat, & idcirco ſine auxilio gratiæ ſemper fieri contendebat. Imo docente Hieronymo Epiſt. ad Cteſiphontem, ad curbandum digitum, ad mouendum calamum, & alia id genus, quæ communi hominum conceptione opera naturalia ſonāt, Eccleſiæ Patres contra Pellagium auxilium gratiæ fatebantur. Igitur etiam ad opera naturalia honeſta gratiam præexigebant. Non quia ex natura rei illa ſecundum ſubſtantiam ſine gratia fieri non poſſent, certum enim exiſtimo, opera bona naturalia contineri intra vires naturæ. Ergo, quia ex prouidentia Dei conatus honeſti naturæ eleuantur in ſalutem auxilio præuenienti gratiæ. Confirmatur ſecundo: Poſſibilis eſt is prouidentiæ modus, qui ſimul cum auxilijs honeſtis naturæ coniungat auxilia gratiæ, vt natura agens, quod in ſe eſt, ad actus virtutum, quos continet, eos edat ſalutares in vitam æternam. At in eo euentu non alio modo prædicaretur generalis neceſſitas gratiæ, quam nunc ſuperioribus teſtimonijs prædicatur, cum nullæ ſint propoſitiones vniuerſaliores, quam illæ. Ergo. Confirmatur tertio; eis teſtimonijs non ſolum in genere aſſeritur, omnes, & ſingulos actus virtutum, iuuari auxilio gratiæ, ſed etiam excluditur ſine gratia aliquid, quod boni, aut honeſti rationem ſortiatur. At ſi fierent virtutum moralium actus ſine auxilio gratiæ, plures, & ij excellentes actus perficeret natura ſine auxilio gratiæ. Ergo hi actus admittendi non ſunt facti ſine auxilio gratiæ.

Illuſtratio eiuſdem.

14. Denique confirmatur, quia vt ſectione pręcedenti expendebam; contendunt Eccleſiæ Patres auocare hominem ab arrogantia, & præſumptione bonarum voluntatum, & actionum, quas ſibi credit ineſſe, eaſque referre in auxilium gratuitum, & indebitum Dei. At hæ voluntates, & actiones, quas ſibi ineſſe credit, non ſunt notæ ſupernaturales, ſed indifferentes ad genus ſupernaturale, & naturale. Ergo eas, quæcumque ſint, volunt Patres referri in auxilium Dei, ac proinde perſuaderi hominē, quidquid boni ſibi credit ineſſe, non à ſe, ſed à Deo gratuito habere. Ergo reuera, quidquid boni ſibi credit ineſſe, non viribus arbitrij; ſed gratiæ comparatum eſt. Alias vellent Concilia, ac Patres Eccleſiæ, hominem ſæpiſſimè decipi, ac falſo principio humanas actiones adſcribi. Aut ſaltem nihil eſſet boni, quod homo abſolute poſſet in Dei gratiam reuocare; ſiquidem nihil ab ipſo diſcernitur ſupernaturale, Nihil autem niſi ſupernaturale in Dei gratiam reuocatur. In noſtra vero ſententia, omnia bona licet ſupernaturalia non innoteſcant, in auxilium gratuitum referenda ſunt, quia omnia naturalia, & ſupernaturalia coniuncta ſunt, auxilioque gratiæ à Deo fouentur. Quare communi hominum credulitate, ac pietate, quotieſcumque fatemur aliquem pium affectum nobis ineſſe, illico ab omnibus perſuademur, nulla facta diſcretione, illum Deo gratis auxilianti tribuere, aliud ſuperbum, & impium iudicantibus. Ergo quicumque pius, & honeſtus affectus credēdus eſt ſalutaris, & à Deo gratis auxiliante prouiſus. Alioqui abſque ſuperbia poſſet quis ſuis viribus naturalibus arrogare omnes bonos affectus, ac virtutum actus, quos ſibi credit ineſſe; cum notum ſibi non ſit, eos eſſe ſupernaturales, ac ſalutares. Nam ſi poſſunt eſſe omnino naturales, quid prohibet credere naturales eſſe, & non ſupernaturales? Ergo dum prohibetur quidquam boni noſtris viribus arrogare, ideo eſt, quia iubemur credere ſemper adeſſe quidquā ſalutare, quod auxilium gratiæ requirat. Quare quia ſupponebat Pellagius, hominem omnibus actibus moraliter bonis in iuſtitiam, ac vitam moueri; credebat autem aliquos fieri viribus ſolius arbitrij, ideò ad ſalutem conſequendam, & ſalutariter agendum negabat, neceſſariam gratiam. Pattes vero cum eo confligentes nolebant concedere Pellagio poſſibiles aliquos bonos actus viribus ſolius arbitrij, negantes eos eſſe ſalutares, ſed ſupponentes ſalutares fore abſolute actus bonos, ſine gratia fieri omnino negabant. Ergo ſupponebant, actus moraliter bonos numquam ſteriles exerceri. Superioribus lucem demus. Proſper Epiſt. ad Demetriadē pag. 16. hortatur, vt aulam ſuæ mētis ingreſſa in ſecretario puriſſimæ conſcientiæ ſuæ, qualia ſibi ſint repoſita ornamenta, circumſpiciat; & *quidquid ibi ſplendidum* (ait) *quidquid pulchrū, pretioſumque reperreris, diuini operis, & muneris eſſe, ne dubites.* At quidquid propria perſcrutatione inueſtigare poterat Virgo Demetrias, ſola erant opera bona præſcindētia ab eſſe naturali, & ſupernaturali, cum diſcrimen facere inter opera naturalia, & ſupernaturalia datū illi non eſſet. Ergo quæcumque illa eſſent, diuinæ gratiæ deputanda, ac proinde ſupernaturalia cēſenda admonebat Proſper. Alias demus reperiſſe virginem actum miſericordiæ in proximum, pietatis in Patrem, dilectionis in Deum, quos actus viribus ſolis naturæ fieri poſſe, probabilius iudico. Si hi auxilio gratiæ præuenti non ſunt, quare in tale auxilium erant reuocandi? Tenendum igitur eſt, omnia ſine diſcrimine bona ab auxilio præuenienti gratiæ originem trahere.

SECTIO SEXTA.

Idem probatur ex imbecillitate naturæ gratia deſtitutæ.

Tertia probatio.

25. TErtio idem oſtenditur, & ſuperiora confirmantur ex ijs, quæ natura poteſt deſtituta auxilio gratiæ. Nam iuxta Concilia, ac Patres Eccleſiæ voluntas ſuis viti-

Digitized by Google

bus relicta, nihil poteſt niſi ſuperbiam, & peccatum. Si autem poſſet fieri opus virtutis moralis ſeorſim à gratia, poſſet ſanè voluntas auxilio cælesti deſtituta aliud, quam ſuperbiam, & peccatum, nempe opera excellentia virtutum moralium, quæ mea opinione non agnoſcente gratiam Theologicam auxiliantem, niſi intrinſecè ſupernaturalem, ex natura rei fieri poſſunt abſque auxilio gratiæ. Igitur quia opera bona naturalia nunc à ſupernaturalibus indiuiſa ſunt, rectè dicitur, voluntatem in hoc ordine prouidentiæ deſtitutam auxilio gratiæ, ſuiſque viribus relictam ſolum poſſe ſuperbiam, & peccatum. Quandoquidem ad agendum quidpiam moraliter bonum, non relinquitur ſuis viribus, ſed præmunitur ſemper viribus gratiæ, ſuiſque viribus ſolitarijs ſolum ad peccandum completur. Aſſumptum frequens eſt in ſcriptis eorum, qui Pellagianos, & Semipellagianos contriuerunt. Concilium Arauſicanum 2. can. 22. ſtatuit. *Nemo habet de ſuo niſi mendacium, & peccatum.* Auguſtinus de Spiritu, & littera cap. 3. *Nam neque liberum arbitrium quicquam niſi ad peccandum valet.* Contra duas Epiſtolas Pellagianorum libr. 3. cap. 8. *Liberum arbitrium captiuatum non niſi ad peccatum valet.* Epiſt. 89. qu. 2. contra Pellagium: *Liberum arbitrium deſertum à diuino adiutorio quamlibet ſcientia legis excellat, nullo modo habet iuſtitiæ ſoliditatem, ſed inflationem impiæ ſuperbiæ.* Similiter de verbis Apoſtoli ſerm. 10. *noſtrum nihil niſi peccatum eſt, quid enim habes, quod non accepiſti.* Eadem ſerm. 13. & lib. 1. retractat. cap. 15. & tract. 5. in Ioan. lib. 2. de peccatorum meritis cap. 28. lib. 4. contra Iulianum cap. 3. & alibi ſæpe. Quam ſententiam vſque adeo vrget Auguſtinus Epiſt. 106. vt oppoſitum errori Pellagij connumeret, dicens de ipſo Pellagio, quod interdum ita paribus momentis poteſtatem voluntatis æqua lance perpendat, vt aliquantulum etiam ad non peccandum valere definiat. *Quod ſi ita eſt,* inquit Auguſtinus, *nullus locus adiutorio gratiæ reſeruatur, ſine qua nos dicimus ad non peccandum nihil voluntatis arbitrium valere.* En igitur, Pellagianorum vox eſt, poteſtatem voluntatis aliquantulum ad non peccandum valere; quod fateri videntur, qui bona opera moralia licet ſterilia in ſalutem illi tribuunt. Chriſtianorum ergo profeſſio ſit, ſine adiutorio gratiæ ad non peccandum, ſeu rectè, ac bene moraliter agendum, nihil valere voluntatis arbitrium, nullaſque ſteriles virtutes viribus arbitrij haberi, ſed omnia virtutis officia auxilio gratiæ ſemper nobis aſſiſtenti fieri ſalutaria. Proſper de libero arbitrio circa finem: *vtique liberum arbitrium cum ſolum eſſet, ſibique permiſſum, non niſi in ſuam perniciem mouebatur.* Ad cap. Gallor. 6. *Ante illuminationem fidei in tenebris arbitrium, & in vmbra mortis agere, non rectè negatur.* Item fine: *In bonis voluntas eſt intelligenda de gratia; in malis autem voluntas intelligenda ſine gratia.* Ad Demetriadem pag. 7. *cum in peccatis agitur propria diliguntur, cum autem in bonis, & rectis actibus laudabilis vita ducitur, Dei eſt, quod geritur, Dei eſt, quod amatur.* Etiam Cyrillus Alexandrinus de lapſu hominis pag. 92. *Contrahente Deo manum ſuam, neque auxilium ſuppeditante, neceſſe omnino eſt, vt in mala prouoluamur, & ab omni virtute excidamus.* Item Iſidorus de ſummo bono lib. 2. cap. 5. *Hominis meritum ſuperna gratia non vt veniat, inuenit, ſed poſtquam venerit, facit in ea meritum, quod remuneret, quæ ſolum inuenerat, quod puniret.*

Concilium Arauſ.

Auguſtinus

Proſper.

Cyrillus.

Iſidorus.

26. Vnde hoc argumentum confirmo. Inquirentes Eccleſiæ Patres, quid exiſteret in libero arbitrio independenter à gratia, vt intuitu illius antecedentis poſſet gratia diſpenſari, aſſerunt contra Maſſilienſes, nihil præcedere, niſi peccatum. At ſi opera virtutum moralium fierent à libero arbitrio abſque gratia Theologica, facile poſſent Eccleſiæ Patres falſitatis redargui à Maſſilienſibus, opponentibus exiſtere ante gratiam eximios naturæ conatus, & actus virtutum moralium, quos nunc Catholici ante gratiam, hoc eſt, independentes à gratia ingenue fatentur. Reuera igitur putabant Patres, nullum eſſe naturæ conatum, aut actum virtutum moralium, qui gratia Theologica præuentus non ederetur. Minor, & conſequentia probatione non egent, ſiquidem obſeruantia moraliter bona præceptorum naturalium, & plurium excellentium virtutum opera naturalia inter peccata referri non debent. Maior eſt Iſidori ſupra, & Auguſtini Epiſt. 106. poſt initium. *Nam ſi quærere voluerit, ante gratiam, quid habuerit, vt acciperet eam, mala ſua poterit homo inuenire, non bona.* Quæ repetit ad Paulinum, & alibi frequenter. Ante gratiam igitur nullum bonum opus, etiam virtutum moralium agnoſcebant Eccleſiæ Patres. Explicatura volebant Maſſilienſes fieri à libero arbitrio viribus naturæ, ante gratiam Dei, virtutum moralium actus; deindeque eorum actuum intuitu à Deo gratiam præberi. Patres autem Eccleſiæ ad eos repellendos nolebant admittere eos actus viribus naturæ fieri ante gratiam, ſed gratiam ſemper præceſſiſſe, qua illos perficerent, nihilque ante gratiam arbitrium poſſe, niſi ſuperbire, & peccare. At ſi Patres agnouiſſent virtutum moralium opera, quæ ſine gratia abſque merito congruo, aut impetratione ſupernaturali fierent à libero arbitrio, poſſent facile ea opera viribus naturæ elicita Maſſilienſibus admittere; eis tamen omne meritum, & impetrationem ſalutarem negare, vt Catholici nunc opinantur. Igitur cum nullibi ita reſponderint Eccleſiæ Patres, ſed abſolute negauerint, virtutum naturalium opera, quæ Maſſilienſes opponebant, viribus naturæ fieri abſque auxilio gratiæ, argumentum efficaciſſimum eſt, nulla eos virtutum moralium opera agnouiſſe, quæ ſolis naturæ viribus abſque conſortio gratiæ præuenientis fiant.

Confirmatio probationis.

Auguſtinus

27. Dices; Eccleſiæ Patres non meminiſſe actuum naturalium, ſed tantum ſupernaturalium, quia ſupponebant, ſteriles eſſe in vitam æternam, atque adeò, quaſi nihil computabant in ordine ad finem ſuarum diſputationum. Sed contra. Diſputabant Patres Eccleſiæ aduerſus Pellagianos, & Semipellagianos, qui actus naturales viribus ſolius naturæ elicitos tanti faciebant, vt eos in vitam æternam conſequendam, & initiandam ſalutem conſe-

Occurritur primæ ſolutioni.

Digitized by Google

rentes profitebantur. Ergo inermiter dimicaſſent contra illos, ſi de ſubiecto diſputationis Pellagianorum, & Maſſilienſium non affirmarent, aut negarent aliquid eis contradicens. Ergo cum ſubiectum diſputationis Pellagianorum, & Maſſilienſium eſſent actus naturales ſolius arbitrij viribus eliciti, putandum eſt Eccleſiæ Patres negantes, ante illos actus exiſtere naturam deſtitutam gratia, & affirmantes, ante gratiam ſolum exiſtere peccatum, de illis quidem actibus ac vniuerſim de omnibus moraliter bonis affirmaſſe, & negaſſe contradicentia aduerſarijs, quos oppugnabant. Ergo credendum non eſt, omnino præteriſſe eos actus; atque adeo aſſerentes, ſolum peccatum præcedere auxilium gratiæ, non excludere præcedentes omnes actus virtutum moralium. Alias nulla eſſet argumentatio Patrum, cum poſſent aduerſarij opponere, præter peccatum antecedens gratiam, præcedentes eſſe virtutum moralium actus, quos ſemper ſalutares fieri ſupponebant. Igitur cum Eccleſiæ Patres hanc ſuppoſitionem indemnem reliquerint, imo potius veram illam ponentes, contra hoſtes gratiæ ſolum contenderint ante gratiam nihil boni nobis ineſſe, perſuadendum nobis eſt, ſemper crediciſſe ante hos actus præueniri arbitrium auxilio gratiæ, ſoloſque naturæ conatus in peccatum, ſpeciali Dei auxilio, deſtitui.

Occurritur ſecundæ. Gregorius XIII. Pius V.

28. Dices ſecundo; damnatam eſſe in Michaele Baio à Gregorio XIII. & Pio V. hanc ipſius vigeſimam octauam propoſitionem. *Liberum arbitrium ſine gratiæ adiutorio, non niſi ad peccandum valet*; Atque adeo ex principio à nobis poſito nihil veritati Catholicæ conſonum deprehendi. Fateor difficilem eſſe conciliationem huius propoſitionis damnatæ cum ijs, quæ nos ex Concilio Arauſicano, & Auguſtino protulimus. Plura dicta ſunt à Theologis, quæ modo impugnare non licet. Ego iuxta meam doctrinam planam exhibeo interpretationem. Quippe Arauſicanum, & Auguſtinus cum alijs Eccleſiæ Patribus congredientibus, cum Pellagio, & eius diſcipulis agebant de libero arbitrio iuxta prouidentiam præſentem, propriam naturæ rationalis iam eleuatæ ad finem ſupernaturalem; Baius vero differebat de arbitrio libero iuxta propriam ipſius naturam, & vires ex natura rei ipſi competentes. Igitur Arauſſicanum, & Auguſtinus volunt, naturam de ſuo non habere, niſi peccatum, & mendacium, quia ſuis viribus arbitrium iam eleuatum non relinquitur, niſi ad peccandum, quoniam ad quidquam bene moraliter agendum ſemper præmunitur ſubſidijs ſupernaturalibus gratiæ. Cum hoc autem recte componitur poſſe ex natura rei elicere ſuis viribus ſine gratia Theologica actus naturales virtutum moralium ſolitariè, ac ſeorſim ab actibus ſupernaturalibus, & conditione meriti, & impetrationis, quæ iuxta præſentem prouidentiam ab eorum actuum exercitio minimè diuiduntur. Potuit itaque damnari Louanienſis, quod ita depreſſerit vires naturales arbitrij, vt poſt peccatum ex natura rei, ſolas illi reliquerit ad peccandum. Quam interpretationem pluribus elucidabimus tractatu ſpeciali, quem edemus de propoſitionibus Michaelis Baij.

SECTIO SEPTIMA.

Arguitur pro eadem ſententia ex frequenti, & continua aſſiſtentia gratiæ auxiliantis.

29. QVarto arguitur pro noſtra ſententia in hunc modum. Nullum eſt tempus, nullumque momentum, in quo homini animum aduertenti in bonum honeſtum, gratia ſupernaturalis non aſſiſtat, vt honeſti amorem ſalutarem, & non ſterilem edat. Ergo nullum eſt tempus, nullumque momentum, in quo voluntas circa bonum honeſtum liberè exerceatur, quin gratia ſupernaturalis præueniat. At gratia ſupernaturalis adeò frequens, & continua prouidetur homini animum aduertenti in bonum honeſtum, vt eo auxilio iuuetur ad amorem honeſti. Ergo ex lege, & prouidentia ſupernaturali Dei ſemper aſſiſtit gratia præueniens ſupernaturalis homini agenti, quod in ſe eſt in amorē honeſti. alioqui fruſtranea eſſet tanta frequentia illuſtrationum ſupernaturalium, & gratiæ. Hoc argumentum duco efficaciſſimum. Ideo antecedens paulo fuſius illuſtrandum eſt. Illud inprimis docet Concilium Senonenſe canone 15. ibi: *Neque tamen tanta gratiæ neceſſitas libero præiudicat arbitrio; cum illa ſemper ſit in promptu, neque momentum quidem prætereat, in quo Deus non ſtet ad oſtium, & pulſet, cui ſi quis aperuerit ianuam, intrabit ad illum.* Si ergo gratia continuo pulſat animum ad varia pietatis opera, quæ ſingulis momentis occurrunt, & voluntas gratiæ cedens ſe determinat ad illa agenda, proculdubio iuuabit voluntatem gratia præueniens, ac pulſans, cum ex ſe iam voluntas aperuerit ianuam, per quam intret ad illam. Item Cæleſtinus Papa Epiſt. 1. ad Epiſcopos Gall. c. 9. de Zoſimo Prædeceſſore referens: *Quod ergo tempus interuenit, quo diuinæ gratiæ non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, cauſis, cogitationibus, motibus, adiutor, & protector Deus orandus eſt.* En quia continua eſt gratiæ auxiliantis neceſſitas, & aſſiſtentia, colligit, omnes actus, cogitationes, & motus arbitrij Deo auxiliatore indigere, ac iuuari. Quibus concinit Innocentius I. Epiſt. 25. ad Concilium Carthaginenſe probans eamdem gratiæ præuentionem ad ſingula opera, definienſque poſt medium Epiſtolæ: *Dum quotidiana præſtare remedia, quibus niſi freti, confiſique nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores.* Quotidiana vocat remedia, quia continua, ac frequentia ſunt. Quo etiam ſpectant Concilia, & Patres decernentes, *gratiam ad ſingula opera noſtra dari.* Quorum meminimus ſectione 5.

Quarta probatio.

Concilium Senon.

Cæleſtinus.

Innocentius.

30. Idem antecedens confirmant Eccleſiæ

Digitized by Google

Patres. Ambroſius Epiſt. 84. vel potius Proſper in Epiſtola ad Demetriadem ante medium. *Extra gratiam efficitur, qui aliquid de plenitudine eius diffitetur, quaſi homo auxilio Dei, in quadam actionum ſuarum parte egeat, in quadam autem parte non egeat; ſitque vllum tempus, vllumue momentũ, quo pernicioſum illi eſſe non poſſit, ſi ab eo Spiritus ſanctus defuerit.* Vbi gratiam ad omnes actiones generalem ſubintulit ex frequentia, qua omni tempore, omnique momento ſubminiſtratur.

Hyeronimus.

Hieronymus in epiſtola ad Cteſiphontem, prope medium. *Semper largitor, ſemperque donator eſt. Non mihi ſufficit, quod ſemel donauit, niſi ſemper donauerit. Peto, vt accipiam, & cum accepero, rurſus peto. Auarus ſum ad accipienda beneficia Dei. Neque ille deficit in dando, neque ego ſatior in accipiendo.* Quibus tradit quolibet tempore diuinam gratiam nobis neceſſariam eſſe, & paratam aſſiſtere. Quod idem deprehenditur ex tribus Dialogis aduerſus Pellagianos, in quibus Critobolus perſonam Catholici gerens tuetur, præſertim in primo Dialogo colu. 2. *Dei gratia eſſe, quod tales conditi ſumus, vt per ſingula opera illius adminiculo fulciamur.*

Paulus Oroſius.

Paulus Oroſius Auguſtino coætaneus, & illius doctrinæ addictiſſimus in Apologia pro arbitrij libertate, longè ante medium. *Mea ſemper hæc eſt fidelis, atque indubitata ſententia, Deum adiutorium ſuum non ſolum in corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, verum etiam vniuerſis in hoc mundo gentibus, propterea longanimem ſui æternamque clementiam ſubminiſtrare, & non vt tu aſſeris, in ſolo naturali bono, & in libero arbitrio generaliter vniuerſis, vnam gratiam contributam, ſed ſpeciatim quotidie per tempora, per dies, per momenta, per athomos, & cunctis, & ſingulis miniſtrare.* Quid manifeſtins pro aſſumptio propoſito? Eademque inferius repetit.

Fulgentius

Fulgentius Epiſtola 7. ad venantium cap. 8. *Nec in aliquo vulnere, nec in aliquo tempore cæleſtis poteſt deficere medicina.* Item de incarnatione, & gratia cap. 24. *Intereſt autem vt caro noſtra quantum viuificatur ab anima non ſolum bene, ſed etiam male operandi accipiat facultatem. Cum autem nos gratia viuificat, non niſi ad bene volendum, nec niſi ad male operandum nobis adiutorium ſubminiſtrat.* Facultas itaque bene volendi, & agendi per gratiam cõpetit nobis, quamdiu viuificamur ab anima, & quoties male poſſumus operari per naturam.

Marcus Eremita.

Marcus Eremita lib. de lege ſpirituali in capitulis de *his, qui putant ex operibus ſe iuſtificari* nu. 57. *Occulte nobis gratia auxiliari non deſinit.*

Dioniſius.

Dioniſius de cæleſti Hierarchia cap. 9. *Immenſum, & infinitum diuini luminis pelagus ſemper paratum eſt, & patet omnibus ad participandum.*

Ephrem.

Ephrem Syrus ſerm. in mulierem peccatricem; *diuina gratia omnibus expoſita eſt, ac patet ſemper ea frui volentibus, & vnicuique quantum voluerit.* Et ſerm. 1. de compunctione cordis: *diuinam prouidentiam, & in nos munificentiam, quantaque nobis dona, quotidie largiatur conſideremus vniuerſi. Semper eius gratia corda noſtra viſitat.*

Proſper.

Proſper lib. de ingratis cap 15.

At vero omnipotens hominem cum gratia ſaluat
Ipſa ſuum conſumat opus, cui tempus agendi,
Semper adeſt, quæ geſta velit non moribus illi
Fit mora, non cauſis anceps ſuſpenditur vllis.

Quibus conſonant, quæ habet lib. 1. de vocat. gentium cap. 5. lib. 2. cap 4. & 13. lib. 2. c. 29. & alibi ſæpe docens, nunquam hominibus ſubtrahi aut negari auxiliatricem gratiam.

Macharius.

Macharius Senior hom. 8. prope initium: *Gratia continenter adeſt radicata, & permixta ab ineunte ætate.*

31. En gratia ſupernaturalis ſemper omni tempore, ac momento adeſt, & pulſat iuxta Sanctorum doctrinam. Non planè, quia non plura negotia temporalia animum pleiumque præoccupent, diuertantque à cogitatione honeſti; ſed quia quoties rationis aduertentis, & vigilãtis vſus bonum honeſtum proponit, ſemper gratia ſupernaturalis in promptu eſt, & parata, vt ſemper, & continuo arbitrio quantum in ſe eſt agenti, auxilietur, actiones illi ſalutares faciens. Itaque animus non eſt perſuadere, gratiam auxiliantem adeò continentem, & perpetuam adeſſe, vt abſque intermiſſione vlla omnibus inſtantibus pulſet. Certiſſimum namque eſt, animum interdum in negotia, in lites, in bella, lucra, epulas, voluptates, ſpectacula, ludos, concertationes, ſeu diſputationes, & in forenſem ſtrepitum adeo intentum occupari, vt nullus cogitandi honeſta detur locus.

Driedo.

Quod optime notarunt Driedo de captiuit. tract. 5. cap. 3. concluſ. 4. & cap. 4. ad 4. & corolar. 3. tract. 4. cap. 2. p. 5. & 8. membro 1.

Bellarminus.

Bellarminus tom. 3. lib. 2. de Gratia, & libero arbitrio cap. 6.

P. Valentia

Valentia 1. 2. d. 8. quæſt. 3. punct. 4. ad 5. argumentum.

P. Vaſquez.

Vaſquez 1. p. diſput. 97. cap. 5.

P. Suares.

P. Suares 1 p. lib. 9. de reprobat. cap. 3. nu. 9. & de auxilijs lib. 3. cap. 3. num. 6. & alij plures. Hoc tamen noſtræ ſententiæ non aduerſatur, cum hanc interruptionem etiam concedamus cogitationibus, & affectionibus honeſtis naturalibus. Solum igitur contendimus, gratiam continuo, & ſingulis momentis aſſiſtere arbitrio, cum cogitationes, & affectiones naturales honeſti opportunitatem illi faciunt agendi quod in ſe eſt, in amorem alicuius honeſti: tanta enim frequentia, & tam continua aſſiſtentia gratiæ prædicata à Patribus, id ſaltem videtur manifeſte concludere.

Auguſtinus obijcitur.

32. Nihilominus vir quidam erudiſſimus ſuffragium ferens in ſententiam negãtem, nobis opponit Auguſtini teſtimonium lib. 2. de peccatorum meritis cap. 17. *Ideo quiſque noſtrum bonum opus ſuſcipere, agere, implere nunc ſcit, nunc neſcit, nunc delectatur, nunc non delectatur, vt nouerit non ſuæ facultatis, ſed diuini muneris eſſe, vel quod ſcit, vel quod delectatur.* & cap. 19. *Intelligamus Deum ideo etiam ſanctis ſuis alicuius operis iuſtitiam aliquando non tribuere, vel certam ſcientiam, vel victricem delectationem, vt cognoſcant non à ſeipſis, ſed ab illo ſibi eſſe lucem.* Et poſt pauca, *Hoc ab illo eſſe deprecandum, eius gratia didicimus, dum antea lateret, eius gratia dileximus, dum antea non delectaret.* Agnoſcit igitur Auguſtinus interualla temporum, in quibus illuſtratio, & affectio ſupernaturalis, in quibus gratia auxilians ſita eſt, Sanctorum animis abſit. Idem etiam intelligi poteſt voluiſſe Auguſtinum lib. contra Epiſt. fundam. cap. 37. cum ita naturam humanam alloquitur. *Neque tamen ſine mi-*

ſericordia derelicta es, quæ certis rerum, temporumque menſuris vagaris, vt redeas. Deſeritur ergo homo certis aliquibus temporibus vocatione Dei. Similia refert ex lib. de bono perſeueran. cap. 13. Adiungit Baſilium in reg. breuior. interrogat. 16. fatentem, *quod animus interdum adeo languidus eſt, vt cum maxime conetur, compungi non poſſit.* Supponit ergo interdum non præberi gratiam auxiliantem, quæ ad pœnitentiam ſufficiat.

Item Baſilius.

Explicantur.

33. Reſpondeo. Hæc teſtimonia non probant deficere nobis aliquando gratiam auxiliantem abſolutè ſufficientem, quæ tribuat ſimpliciter poſſe; ſed ſolum efficacem, quæ tribuat actualiter agere, quæ ſolum Auguſtini teſtimonia concludunt, aut ſufficientem moraliter, quæ tribuat prompte, ac facile operari, quod ſolum Baſilius ſignificat. Neque iuuat aſſerere, Auguſtinum experientiam propriæ imbecillitatis dirigere ad comperiendum nobis eſſe ſimpliciter neceſſarium gratiæ præuenientis auxilium, quod compertum nobis non eſſet, niſi experimentum teſtaretur aliquando nobis eſſe ſimpliciter impoſſibiles actiones ſupernaturales, ad quas optamus, atque conamur aſſurgere. Tum quia Auguſtinus eo experientiam refert, vt diſcamus, nos à Deo ſemper pendere, non ſolum vt ſimpliciter poſſimus rectè operari, ſed vt ipſo opere efficaciter, & vt prompte, ac facile poſſimus velle, eiuſque auxilio ſpeciali deſtitutos, non niſi lapſum in peccatum, & ingentem reluctantiam in bonum experiri. Quod ſubſtractio abũdantioris auxilij, conceſſo abſolute ſufficienti, ſatis teſtatur. Tum quia experimentum lapſus humani, & impoſſibilitatis moralis ad bonum, dirigi poteſt ad colligendum gratiam ad ſimpliciter poſſe neceſſariam eſſe; non vt putemus, tunc omnia neceſſaria nobis defuiſſe, ſed vt homo ſuam imbecillitatem expertus, & quid de ſuo ferat perſuaſus, in humilem memoriam dependentiæ continuę ab auxilio Dei opportunè excitetur. Secundo reſpondeo. Nunc ſolum tuemur illuſtrationes, & affectiones ſupernaturales infundi animo, cum illuſtrationes, & affectiones naturales excitantur aut à Deo immediatè, aut à creaturis mediate. In euentibus autem, quos Auguſtinus, & Baſilius proponunt, aut æquè vocationes naturales abſunt, aut cum illis ſupernaturales adſunt. Nam præſentibus naturalibus nullo experimento noſci poteſt, ſupernaturales abeſſe, ſi, vt ego reor, & non ſemel poſui, in eadem obiecta materialia, ac formalia naturales, & ſupernaturales intendunt.

Opponitur ratio.

34. Ratione arguit; quia præueniens auxilium conſiſtit in cogitationibus, illuſtrationibus, delectationibus, ac deſiderijs nobis infuſis à Deo. At non ſentimus, omnibus momentis aſſiduè nos à Deo illuminari, & excitari rerum ſupernaturalium notionibus, & delectationibus. Ergo experientia teſtatur non ſemper omnibus momentis concedi ſufficiens auxilium ad ſupernaturaliter agendum. Confirmatur, quia non ſolum, quando ignorant, aut obliuiſcuntur peccatores bonorum æternorum, ſed etiam quando de illis cogitant humana ratione, diſponit prouidentia diuina, vt ſuarum virium imbecillitatem, & indigentiam auxilij ſupernaturalis aliquibus temporibus experiantur; ſiquidem interdum videntes ſuorum actuum turpitudinem, cogitantes, Deum eſſe iudicem, ac vindicem eorum, optant à peccato recedere, neque poſſunt à ſeipſis obtinere, vt ſibi ſatis diſpliceat ante acta vita, & obſeruantia diuinæ legis grata ſit. Quod etiam experimento ſentiunt ſpirituales viri circa diuturnam emendationem quorumdam venialium peccatorum, & quarumdam virtutum operationes. Ergo aliquando ſubtrahitur gratia ſupernaturalis homini etiam cogitanti obiecta honeſta humana ac naturali ratione. Reſpondeo primo. Soluitur.
Noſtra ſententia non eſt ſingulis momentis adeſſe illuſtrationes, & affectiones ſupernaturales obiectorum ſupernaturalium, quia poſſunt eſſe illuſtrationes, & affectiones ſupernaturales circa obiecta honeſta ſolum naturalia. Neque etiam circa obiecta naturalia ſemper, niſi cum naturales cogitationes, & affectiones honeſta naturalia proponunt. Cum autem non ſentimus experimento cogitationes, & illuſtrationes ſupernaturales, neque naturales ſentimus, nam experimento ſupernaturales à naturalibus diſcernere non valemus. Secundo abſolutè opus non eſt experimento ſentire auxilia gratiæ, vt eis poſſimus ſupernaturaliter operari. Plures enim cogitationes, & affectiones mouent voluntatem ad amorem obiecti, quin experimento noſcantur: ad experientiam enim requiritur reflexa earum vocationum cognitio, quod ad directum obiecti amorem non exigitur, vt lib. de anima docui. Ad confirmationem reſpondeo adeſſe illuſtrationem ſupernaturalem coniunctam cogitationi naturali, quãuis non adſit victrix illa delectatio, qua voluntas ſuauiter, & delectabiliter pelliciatur in amorem honeſti. Nihilominus aliqua licet remiſſa complacentia ſemper coniungitur vt lib. 5. oſtendam. Quod indicat ſimplex, & inefficax illud deſiderium, quo peccatores optant à peccato recedere. Quia tamẽ adeò intenſa non eſt, vt ſuperior multò non ſit delectatio ſenſibilis peccati, fit, emendationem ſentiri difficilem, non tamen omnino impoſſibilem. Quod ad hominem retorqueo; quia aduerſarij docent adeſſe gratiam auxiliantem, quotieſcumque adeſt obligatio alicuius præcepti affirmantis, aut negantis. At experientia, qua ipſi arguunt, etiam habetur, quando vrget obligatio implendi aliquod præceptum; præſertim negatiuum, v. g. cum grauis aliqua tentatio mouet ad conſenſum turpem. Ergo experientia obiecta nullius momenti eſt.

35. Maioris momenti cenſeo teſtimonium Proſperi lib. 2. de vocat. Gent. cap. 3. quod ipſi non adducunt. *Incognoſcibiles illuminationum dilationes, inter quas vtique multi in infidelitate deficiunt, non ſolum in populis remotioribus impiorum, ſed etiam in Ciuitatibus fidelium per plurimas domos, ac familias nouimus fieri, dum Chriſtianæ fidei etiam, qui Chriſtiani futuri ſunt, aduerſantur.* Vbi Proſper manifeſtè videtur ſupponere, fieri inter fideles illuminationum ſu- Obijcitur Proſper.

Digitized by Google

pernaturalium dilationes: atquè adeò non ſem- Exponitur. per promptas, & aſſiduas offerri. Reſpondeo. Proſper ibi agit de illuminatione efficaci, non autem ſufficienti, ſiquidem gratiam dilatam præberi cenſet, cum ij, qui prius fidei Chriſtianæ aduerſantur, poſtea Chriſtiani fiunt. Non dixit, *poſſunt fieri Chriſtiani*, quia dum fidei Chriſtianæ aduerſantur, cenſet, poſſe auxilio ſufficienti fieri Chriſtianos. Quare ſubdit: *Multi enim, quod oderunt, amabunt, quod non recipiunt prædicabunt*. Hoc eſt fidei ſacramenta, quæ oderunt, quia ſolùm ſufficienter propoſita ſunt, tam pleno conſenſu amplectentur, cum efficaciter proponentur, vt fidei prædicatores, & præcones exiſtant. Vnde reſpondeo ſecundo. Illuminationes dilatæ de quibus diſſerit Proſper tantùm ſunt, quæ pertinent ad fidem proximè complectendam mediâ prædicatione euangelij; nam totus illius capitis ſermo eſt de vocatione proxima ad fidem, quæ pluribus gentibus differtur, quibus noſtra religio prædicata non eſt. Nos tamen fatemur ad ſingulares aliquarum virtutum actiones vocationes aſſiduas non eſſe, quia nullam ad illarum frequentiam opportunitatem cauſæ naturales ac creatæ faciunt, vt in Chriſtianis ad fortitudinis actum, qua Tyrannis reſiſtant, & in gentibus ad actus fidei ſtrictæ, quæ illis propoſita non eſt. Nequè enim ad ſingulos omnium virtutum actus continua auxilia gratiæ cenſemus; Sed ad varia virtutum officia, quæ omnibus ratione vtentibus frequenter occurrunt, nunc miſericordiæ, nunc iuſtitiæ, nunc temperantiæ, & ſimilium iuxta rerum obiectarum propoſitionem, & occurſum. Etenim vbicumquè ratio vigilat, & voluntas delinquit, ſemper intellectus proponit malitiam obiecti delectabilis cum bonitate obiecti oppoſiti honeſti, vt voluntas peccato reſiſtere queat per actum virtutis oppoſitum. Tunc igitur gratiam adeſſe, vt voluntas agens quod eſt in ſe, ſalutariter, ac ſupernaturaliter conetur, aſſerimus. Vnde, quia hi virtutum moralium actus ſaltem remotè diſponunt ad fidem, ſemper etiam infidelibus præſto eſſe gratiam, qua in fidem promoueantur, tuemur; vt inferius explicabimus.

SECTIO OCTAVA.

Confirmantur præterita ex ſuaſionibus proficiendi continuo, ac benè agendi.

Probatio quinta. 36. Robur antecedentia ſumunt ex ſuaſionibus ſacræ ſcripturæ, & Patrum, quibus hortamur, vt quamdiù viuimus, inceſſanter operemur bonum, & abſquè intermiſſione proficiamus in bono; ſi peccatis implicamur, illico abſquè dilatione conuertamur in Deum; ſi verò iuſti, continuis incrementis augeamus iuſtitiam. Quæ manifeſtè ſupponunt, gratiam ad continuam, & inceſſantem virtutum actionem adeſſe nobis præſentiſſimam, ac proinde numquam occurrere bonum honeſtum, (in quod, vt poſuimus, amor ſupernaturalis ſimul cum naturali negotiari poteſt) quin gratia ſupernaturalis arbitrio paratiſſima ſit ad ad eum amorem. Alioqui vanæ eſſent tot adhortationes ad opera nobis impoſſibilia; certum namque eſt, admonitiones ſacras ad opera nobis ſalutaria, ac proinde ſupernaturalia referri. Ergo cum ponamus verum, in quodcumque obiectum virtutis naturalis occupari poſſe affectum virtutis infuſæ, credendum proculdubio eſt, quotieſcumque proponitur diligendum obiectum virtutis naturalis, præparari à Deo gratiam ad amorem virtutis infuſæ, qua arbitrium his admonitionibus obtemperet. Antecedens conſtat ex illo Eccleſiaſt. 9. *Quodcumque poteſt agere manus tua, inſtanter operare, quia neque opus, neque ratio, neque ſapientia eſt apud inferos, quo tu properas.* Eccleſ. 9. Inſtans præterire nō ſinit abſquè bono opere, quia mors imminet, quæ bonis, & honeſtis actionibus terminum præſcribit. Prouerbiorum 4. *Iuſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens procedit & creſcit vſque ad perfectum diem.* Prou. 4. Quaſi lux cæleſtis matutina quæ Pſal. 83. proceſſu continuo in diem perfectum concreſcit. Pſal. 83. *Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te; aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lacbrymarum, in loco, quem poſuit. Etenim benedictionem dabit legiſlator; ibunt de virtute in virtutem.* Expende aſcenſiones per auxilium Dei, & benedictionem, qua continuo ibunt de virtute in virtutem. Vnicuique quadrat illud Chriſti Ioan. Ioan. 9. 9. *Me oportet operari opera eius, qui miſit me, quia dies eſt: Venit nox, quando nemo poteſt operari.* Quia poſt vitæ terminum nemini datur bonis operibus in ſalutem moueri, conſequens cenſet, vt breues hi dies continua honeſtate tranſigantur. Vnde Apoſtoli collectio eſt Galat. 6. Galat. 6. *Ergo dum tempus habemus operemur bonum ad omnes.* Ergo ſupponit prius defuturum tempus opportunum ad bene operandum, quàm auxilium Dei præſens ad illud.

37. Ad hoc dogma multa ſunt Eccleſiæ Nyſſenus. Patrum iudicia. Gregorius Nyſſenus oratione 5. in Cantica ad illa verba. *Surge, & veni*, ait. *Nec ille, qui hoc modo ſurgit, vnquam ſurgere deſinet, neque accurrente ad Dominum ampliſſimum illud diuino curſui deſtinatum ſpatium conficietur. Semper nimirum excitari nos oportet, nec vnquam eſt quieſcendum, etiamſi curſu propius ad ſcopum perueniamus. Quoties Deus tùm verbum hoc, ſurge, tum alterum illud, veni, profert, toties facultatem aſcendendi ad potiora largitur.* En Deus ſemper prouocat mētem ad potiora, facultatemquè ad illa aſcendendi per auxilia gratiæ largitur. Diuus Proſper epiſt. ad Demetridem columna 8. Proſper. ſupponit auxilium gratiæ ex ſe ſemper nos ad continuum profectum prouehere; ſolumquè reſtare, vt nos eius ductum ſequamur. *Cooperatores nos eſſe oportet gratia Dei, vt illam excitantem, iuuantem, locupletantem, & quotidie prouehentem, vigilanter, & ſobriè ſubſequamur, non ceſſantes ab actione gratiarum.* Quod cecinit Epigrām. 27.

Virtutem virtus pariat, de lumine lumen
Procedat, atquè is palma gradum faciat.
Nam cur non cupide mēs quærat, quæ Deus offert,
Cui danda, vt recte poſceret, ipſe dedit?

Propterea non ex defectu auxiliorum gratiæ, ſed ex negligentia arbitrij prouenire, quod maiores, & frequentiores in gratia progreſſus non Chryſoſtomus 1.Cor.12. faciamus, docet Chryſoſtomus 1.Cor.12. vltima illa verba: *æmulamini chariſmata meliora; & adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro*; ſic expendens: *Innuit Paulus, quod minores ſint, per ipſos ſtare; poſſe, ſi velint, altiora conſequi. Cum enim, imitemini, dicit, ſedulitatem illorum deſiderat, ac ſtudium circa ſpiritualia.* Eodem modo exponunt Theophylactus, & Ecumenius. Quare Ignatius Ignatius epiſt. 7. ad Philadelphienſes circa finem, ſuos ad perfectionem hortatur, admonens gratiam ipſorum conatibus promptam adeſſe: *Perfecta cogitate, ſentite, ſapite. Volentibus enim vobis bene agere, etiam Deus paratus eſt vobis præſtare.* Dionyſius Item Dionyſius lib. de Eccleſiaſtica hierarchia cap. 3. *Debemus nunquam à ſacro veritatis amore deſeri; ſed dare operam quam maximam poſſumus, vt ad eam continenter, ac ſemper nitamur, quærentes ſemper, quod nos ad maiora diuinitatis munera perducat.* Nota operam quam maximam continenter, ac ſemper nitentem ad maiora diuinitatis munera, ad quæ nos Deus ſemper perducit. Caſſianus Quo opportunè venit ſententia Caſſiani collatione 6. Abbatis Theodori cap. 14. *Debemus ad virtutum ſtudia irremiſſa cura, ac ſolicitudine noſmetipſos extendere; ipſiſque nos iugiter exercitijs occupare.* Quare minantur Eccleſiæ Patres magnam ruinam ijs, qui continuis progreſſibus in Gregorius via ſpirituali deficiunt. Lege Gregorium paſtoralis curæ p.3.c.1. admonitione 35. *Ad ima relabitur, niſi ad ſumma conetur. Si ergo inchoata bona fortis operantis manus ad perfectionem non ſublenat, ipſa operandi remiſſio, contra hoc, quod operatum eſt,* Bernardus *pugnat.* Qua de re vberius Bernardus epiſt. 253. Bonauentura 341. 91. & ſermone 2. de purificatione. Bonauentura in pharetra diuini amoris lib. 3. cap. 11. S. Thomas Claudamus cum Sancto Thoma monente, virum ſpiritualem non debere promoueri in perfectionem per ſaltum, ſed per gradus continuos virtutum. Ita 2.2.q.130.art.1.ad 1. *Vitioſum eſſet, & præſumptuoſum, quod aliquis in actu imperfectæ virtutis exiſtens attentaret, ſtatim aſſequi ea, quæ ſunt perfectæ virtutis, ſed ſi quis ad hoc tendat, vt proficiat in virtutem perfectam, hoc non eſt præſumptuoſum, nec vitioſum. Et hoc modo Apoſtolus in anteriora ſe extēdebat, ſcilicet per continuum profectum.* Nota, continuum profectum quem auxilio gratiæ fieri, ſic docet ad 3. *Quia cogitare, & facere bonum poſſumus cum auxilio diuino, non totaliter hoc excedit noſtram facultatem, & ideo non eſt præſumptuoſum, ſi aliquis ad aliquod opus virtuoſum agendum intendat.* Igitur abſque præſumptione poſſumus præſumere nobis aſſiſtere paratum auxilium gratiæ ad continuos profectus perfectionis moralis Euangelicę. Quin eo freti, nobis poſſumus ſperare culmina perfectionis Apoſtolicæ, quia per diuinam gratiam non ſtat, quod ad Pauli, & Petri ſanctitatem non perue- Chryſoſtomus niamus. Notat Chryſoſtomus de cōpunctione cordis lib. 1 colum. antepenultima. *Poſſibile eſt vt ſit aliquis ſicut Paulus, & vita ratione, & conuerſationis diligentia. Præſto eſt volenti imitari illum. Quod quia non fit, voluntas in culpa eſt.* Rurſus homil. 4. de laudibus Pauli: *Studeamus & nos eius ſimiles inueniri. Neque vero iſtud impoſſibile putemus.* Et ſubdit: *Nemo igitur diffidat, nemo deſperet; ſi intendas animam, & prapares, nihil eſt, quod te ab eiuſdem gratia poſſit prohibere muneribus.* Nulli itaque deſperandum, præſentiſſima ſibi fore diuina auxilia ad quoſcumque altiſſimos progreſſus virtutum. Et quotieſcumque, licet frequentiſſimè, occurrant occaſiones occupandi animum in aliquo exercitio virtutum, ſimul cum cogitationibus, & affectionibus honeſtis, quas variæ rerum opportunitates, & occupationes naturales animi nobis offerunt, inſeparabiliter coniungi illuſtrationes, & affectiones ſupernaturales, quibus in virtutis via progreſſus ſalutares faciat, quin per Deum ſtet, in aliqua temporis opportunitate hominem ſupernaturaliter non moueri, & ſi ſibi placuerit, culmina perfectionis Apoſtolicæ attingere.

38. Dices, Hæc conſilia, & monitiones Præcluditur euaſio. Patrum ſolum dirigi ad viros religioſos, & ſtudio virtutis deditos; ideoque non probare legem & prouidentiam vniuerſalem, quam noſtra ſentētia ſtabiliuit. Sed contra. Primò, quia licet aliqui Patrum in viros religioſos, & perfectioni vacantes ſermonem dirigant, tamen plerique eorum ad omnes animo verſos in obiecta virtutum moralium ſine diſcrimine intendunt. Præterea, quia ea ratione, viri religioſi, & ſtudio pietatis, & perfectionis addicti frequentiora præſumuntur habere diuinę gratiæ auxilia, quia frequentiores illis occurrunt occaſiones, in quibus miniſterium creaturarum excitet cogitationem, memoriam, & admonitionem naturalem ad bene moraliter agendum. V.g. colloquia ſpiritualia, lectiones ſacrę, inſtructiones ſuperiorum, quotidianæ prædicationes verbi diuini, exempla virtutum, ſanctarum imaginum reuerentia, loca, ac templa ſancta, aliaque innumera, quæ neceſſario, & naturaliter excitant menti apprehenſiones, & iudicia plurium virtutum, affectioneſque pietatis. Negari enim nō licet, hęc obiecta naturaliter, & ſecluſa prouidentia ſupernaturali ex[illegible]are; offe notionem, & memoriam naturalem rerum ſupernarum, & honeſtarum, in quas omnis honeſtus amor afficitur. Ergo pro aſſiduitate occaſionum, in quibus cogitationes, & affectiones naturales honeſtę occurrunt, aſſiduæ ſunt illuſtrationes, & affectiones ſupernaturales auxiliantes. Ac tandem ea ſemper diuina prouidentia eſt, vt arbitrio naturalibus principijs præcincto ad amorem honeſti, ſupernaturalia principia iungantur, quibus bonum propoſitum, prout oportet ad ſalutem, dirigatur.

39. Deinde reſtaurantur ſuperiora. Quia Superiorũ inſtauratio. non ſolum iuſti, vt continuos progreſſus faciāt, ſed etiam peccatores, vt nec momentum differant conuerti in Dominum, boniſque actionibus placent iratum Deum, frequentibus vocibus admonentur Eccleſ. 5. *Non tardes conuerti* Eccleſ. 5. *ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Ideo expetens quolibet inſtanti ſalutem peccatoris, & quaſi moræ impatiens cæleſtis Medicus clamat Ierem. 8. *Numquid qui cadit, non reſurget?* Ierem. 8. *aut qui auerſus eſt, non reuertetur?* Et Fulgentius Fulgentius ſupra id expendens: *Nec in aliquo vulnere, nec in*

Digitized by Google

aliquo tempore cæleſtis poteſt deficere medicina. Ideo ipſe Medicus ſemper ſe poſſe conuerſo ſalutem donare teſtatur: numquid qui cadit &c. Vt autem appareat quàm feſtinam à nobis pænitentiam requirat Deus, eodem ipſo momento, quo in eum delinquimus, vocari ad pænitentiam, docet Ambroſius lib. 10. in Lucam cap. 96. alias 23. *Eodem momento, eodem tempore reſpicit te Deus, ſi in aliquo laberis, quia ſecretorum tuorum teſtis aſſiſtit; reſpicit, vt recorderis, & fatearis errorem.* Qui inſtante peccato excitat ad pænitendum, credibile eſt, nullam deſerere occaſionem opportunam, qua excitet. Nemeſius Epiſcopus Emiſenus de natura hominis cap. 2. poſt medium. Hoc adeò vrget, vt poteſtatem pænitendi per auxilia gratiæ proprietatem hominis vſurpet, omni, & ſemper competentem: *vt proprium eius naturæ ridere eſt, nam & ſoli adeſt, & ſemper, ita in rebus nō natura lege, ſed Dei erga nos beneficio conſtitutis, proprium eſt hominis, vt per pænitentiam omni culpa liberetur. Nam ſoli homini, & omni, & ſemper quoad interius viuit, hoc datum eſt.* Obſerua homini, & omni, & ſemper, quoad interius viuit, dari facultatem pænitendi. Vt autem ſcires non agere de facultate remota, ſed proxima per auxila gratiæ, id dixit eſſe nobis beneficio Dei conſtitutum, & ſolùm quoad interius viuimus. Iſidorus lib. 2. ſentent. cap. 13. propè medium. *Feſtinare debet ad Deum pænitendo vnuſquiſque dum poteſt, nè, ſi dum poteſt noluerit, cum tarde voluerit, omnino non poſſit: proinde Propheta ait, quærite Dominum dum inueniri poteſt.* Supponit poſſe abſolutè per gratiam, quamdiù in hoc mundo degit, & ſola morte adimi homini poteſtatem.

Ambroſius. — Nemeſius. — Iſidorus.

40. Ideo Theophilactus Luc. 13. expendens illud Lucæ 17. *regnum Dei intra vos eſt*, tradit in noſtra ſitum eſſe poteſtate, vitam quolibet tempore renouare. *Non enim habet præfinitū tempus, ſed ſemper volenti adeſt regnum. Omnino enim regnum Dei eſt Angelorum more viuere. Hanc autem vitam intra nos habemus, hoc eſt, quando voluerimus. Non enim longo tempore, neque longa peregrinatione opus, ſed propè nos eſt.* Quare Gregorius hom. 34. in Euangel. colum. penultima, Deum proponit inceſſanter vocātem peccatores, qui ab ipſo recedunt, & faciem auertunt. *Cum præcepta contempſit, quaſi conditori ſuo dorſum mentis in faciem dedit. Sed ecce adhuc poſt tergum ſequitur, & monet: Quia iam & à nobis contemptus eſt, & tamen nos adhuc vocare non ceſſat.* Quod alijs expreſſit Auguſtinus in pſalmum 102. ad illa verba, *longanimis, & multum miſericors*, expendens longanimitatem Dei exſpectatione pænitentiæ per momenta vitæ. *Quid tam longanimum? Quid tam multum in miſericordia? Peccatur, & viuitur, accedunt peccata, & augetur vita, blaſphematur quotidie, & facit ſolem ſuum oriri ſuper bonos, & malos. Vocat vndique ad correctionē. Vocat vndiquè ad pænitentiā.* Totū, quod poſt peccata viuitur, Dei longanimitatis eſt, quia vndique vocat peccatorem ad correctionem, exſpectans conuerſionem, ad quam ſemper poteſtatem facit. Nequè in aliud Deus vſuram aliquam vitæ concedit, niſi in emendationem morum, vt optime monuit Gregorius in Ezech. hom. 11. propè finem: *Miſericors Deus tempus nobis ad pænitentiam relaxat, ſed cum eius gratiæ patientiam nos ad augmentum vertimus culpæ, hoc ipſum tempus, quod ad parcendum piè diſpoſuit, diſtrictius ad feriendum vertit, vt quia reuerti quis, etiam ſpatia temporis accepto, noluerit; per hoc mala ſua ad reatum augeat, per quod ea diluere potuit, ſi conuerti voluiſſet.* Tempora delinquentibus Deus diſponit, vt quandocumque voluerint, pænitentiam agant; patientiaquè Deo opus eſt, quoties momentis differtur. Claudamus graui teſtimonio Laurentij Nauarrienſis Epiſcopi vetuſtiſſimi Patris hom. 1. de pænitentia circa medium: *Quis me eruet ab hac nequitia mole? Homo noli diffidere, in promptu eſt, vita in manu eſt, virtus in voluntate eſt, victoria in arbitrio eſt. Si voluiſti, viciſti, ſi nolueris victus relinqueris.* En ſalus in promptu, in manu eſt, virtus in voluntate, victoria in arbitrio, ſoloquè defectu mei, non gratiæ ſuperabor; ideo ſemper diuino auxilio nitendum quod nunquam deficiet. His omnibus (iterum moneo) concludere nolo, eo rigore continuum eſſe auxilium Dei peccatori conceſſum ad emendationem morum, vt nullum ſit inſtans temporis, in quo non adſint actuales illuſtrationes, & affectiones neceſſariæ ad illam, ſed ſolum ex parte Dei adeò paratum eſſe, vt nunquam animum conuertat ad cogitandum de illa, nunquam proponantur obiecta honeſta ſuis vitijs oppoſita, ſacientiaque facultatem ad conandum in amorem naturalem, quin tunc ſimul illuſtrationes ſupernaturales poteſtatem conferant in amorem ſupernaturalem, quo ſe proximè, aut remotè ad iuſtificationem præparent.

Theophilactus. — Gregorius. — Pſal. 102. Auguſtinus — Laurentius

SECTIO NONA.

Idem illuſtratur ex vocatione ſupernaturali interna annexa lege Dei, miniſterio externo creaturarum.

Quinta probatio.

41. QVintum, & omnium efficaciſſimum argumentum fit ex connexione, qua vocationes ſupernaturales internæ iunguntur infallibiliter vocationibus externis, quæ per ſe ſolùm naturales excitant cogitationes, & motus. V. g. prædicationi verbi Dei, inſtructioni amicorum, & ſuperiorum, librorum lectioni, contemplationi creaturarum, varijſque alijs cauſarum creatarum occurſibus, qui opportunitatem parant, vt inferatur gratia Dei, mouens voluntatem ad amorem obiectorum, quæ illa proponunt. Quod abſque lege Dei contingere non poſſet, cum induſtria, & opera omnium creaturarum nulla ratione valeat tales ſupernaturales motus ſuis viribus excitare, & inferre; quare in ſolam Dei voluntatem, gratuitamque legem tales internæ, ac ſupernaturales inſpirationes in eis euentibus referendæ ſunt. Igitur validiſſimum ſic argumentum efformo. Ex lege Dei miniſterio omnium creaturarum proponentium obiecta honeſta adiungitur infallibiliter gratia ſupernaturalis interna. Ergo

Digitized by Google

cogitationibus, & affectionibus naturalibus honeſtis continuò miſcentur ex lege Dei cogitationes, & affectiones ſupernaturales. Conſequentia probatione non eget. Probatur antecedens. Media, quæ ordinariè proponunt nobis honeſtatem virtutis ſunt prædicatio, & inſtructio aliorum hominum, lectio ſcripturarũ, & ſpiritualium librorum, miracula, & teſtimonia noſtræ religionis & fidei, ſanctorum exempla, ac denique varij rerum inanimatarum occurſus. At his omnibus ex lege Dei adiungitur gratia, & motio intrinſece ſupernaturalis. Ergo ex lege Dei media ordinariè excitantia cogitationes, & affectiones honeſtas naturæ adiunctã ſibi habent motionem, & gratiam intrinſecè ſupernaturalem. Maior & conſequentia conſtant. Minor probanda eſt. Primò in genere; deinde diſcurrendo per ſingula media propoſita. In genere probant voces illæ ſapientiæ

Prou. 1.

Prou. 1. vbi introducitur ſic alloquens: *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba ſua dicens, vſquequo paruuli diligitis infantiam.* Vt autem hæ voces non intelligantur omnino vacuæ, ſed ſpiritu, & motione gratiæ plenæ, ſubdit: *Conuertimini ad correctionem meam; en proferam vobis Spiritum meum.* Vbi placet aduertere, quod vbi Interpres latinus dixit. *Sapientia foris prædicat*; in Hebræo legitur: *Sapientiæ foris prædicabunt*; Vt nouerimus omnes creaturas conſtitui à diuina ſapientia Magiſtros hominem inſtruentes ad ſalutem, & vndique hominem multifariam, multiſque modis à Deo ſapientiſſimè vocari. Vnde Polychr. in catena

Polychr.

Græcorum Patrum ad eum locum ait. *Hæc ſummatim indicant ſapientiam vbique proſtare, vbique vim ſuam exercere, nec non omne hominum genus ad ſui communionem, & ſocietatem inuitare.* Vide vbique ſapientiam per omnem creaturam vim ſuam exerere, & cuilibet hominum occurrere, omnes ad ſui communionem inuitando. Magis

Bernardus

ad rem Bernardus ſermone de conuerſione ad Clericos cap. 2. *Neque ſane laborandum eſt, vt ad vocis huius perueniatur auditum: labor eſt potius aures obturare ne audias. Nimirum vox ipſa ſe offert, ipſa ſe ingerit, neque pulſare interim ceſſat ad oſtia ſingulorum, adhuc nobis proximus eſt, adhuc loquitur, adhuc ſapientia clamitat in plateis.* Adeo altę, adeo frequentes ſunt in omnibus creaturis ſapientiæ voces, vt vel nobis inuitis audiantur, & ſeſe auribus ingerant, cordaque hominum inceſſanter pulſent.

Auguſtinus

42. Ideo Auguſtinus lib. 3. de libero arbitrio cap. 19. *Cum vbique ſit præſens, qui multis modis per creaturam ſibi Domino ſeruientem auerſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, diligentem exhortetur conantem adiuuet, exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam, quod inuitus ignoras, ſed quod negligis quærere, quod ignoras: nec illud, quod vulnerata membra non colligis, ſed quod volentem ſanare, contemnis.* Expende, Deum vbique, & per omnem creaturam ſibi ſeruientẽ multis modis hominem vocare, docere, exhortari, & inſtruere. Quia nullam ſinit præterire opportunitatem, in qua ſuam vocationem non inſerat; vt ipſe Auguſtinus docet lib. 83. quęſt. 68. prope finem: *Hæc vocatio, quæ ſiue in ſingulis hominibus, ſiue in populis, atque in ipſo genere humano per temporum opportunitates operatur, altæ, & profundæ ordinationis eſt.* Ergo nulla præterit opportunitas, in qua alta, & profunda ordinatione Dei in omnibus hominibus vocatio diuina non operetur. Quibus annecte, quæ exponit in pſalmo 102. ad illa verba. *Longanimis, & multum miſericors.* Videlicet ibi: *Vocat vndique ad correctionem, vocat vndique ad pœnitentiam, vocat beneficijs creaturæ, vocat impertiendo tempus viuendi, vocat per lectorem, vocat per tractatorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correctionis, vocat per miſericordiam conſolationis.* Quid prouidentiæ diuinæ non ſeruit ad vocandum homines? Item lib. 10. confeſſ. cap. 8. *Ecce dicunt mihi* (ſcilicet omnes creaturæ.) *vt te amem, nec ceſſant dicere omnibus, vt ſint inexcuſabiles, altius autem tu miſereberis, cuius miſertus eris, & miſericordiam præſtabis, cui miſericors fueris. Alioquin cœlum, & terra ſurdis loquuntur laudes tuas.* Quamuis omnes creaturæ homines ſui officij admoneant, opus eſt, miſericordia diuina, quæ vocatione interna aures cordis aperiat.

Proſper.

43. Subſcribit ſuo Magiſtro Proſper ad Demetriadem pag. 6. fine: vbi grauiſſimè: *In pulchritudine cœli, & terræ quædam ſunt paginæ ad omnium oculos ſemper patentes, & autorem ſuum nunquam tacentes, quarum proteſtatio doctrinam imitatur Magiſtrorum, & eloquia ſcripturarum. Sed quid illud eſt, quo corporeorum ſenſuum exteriora pulſantur in agro cordis, cui impenditur iſta cultura, nec radicem poteſt figere, nec germen emittere, niſi ille ſummus Agricola potentiam ſui operis adhibuerit? Siue enim contemplatio creaturarum, ſiue ſacrorum ſeries voluminum, ſiue ſcientia differentium ſincero, & aſſiduo teſtimonio prædicet veritatem: neque qui plantat eſt aliquid &c.* Complectitur omnia ferè media, quibus Deus vocat voluntatem humanam, inſtructionem hominum, lectionem ſcripturarum, creaturarum omnium etiam inanimatarum voces; eiſque docet annecti operationem diuinam. Eadem confirmat lib. 2. de vocatione Gent. cap. 4. *Cœlum quippe ac terra, & mare, omniſque creatura, quæ videri, ac intelligi poteſt, ad hanc præcipue diſpoſita eſt humani generis vtilitatem, vt natura rationalis de contemplatione tot ſpecierum, de experimentis tot bonorum, de perceptione tot munerum, ad cultum, & dilectionem ſui imbueretur Autoris, implente omnia Spiritu Dei, in quo viuimus, mouemur, & ſumus.* En nulla excipitur creatura, quæ à Deo diſpoſita non ſit in hominis directionem ſalutarem per Spiritum gratiæ, quo Deus cuncta implet, vt in homines vbique deriuetur. Ne autem aliqui excuſationem ſumerent pro negata aut dilata ſibi prædicatione Euangelij, & inſtitutione Prophetarum, & legis, gratiam eamdem internam teſtimonijs creaturarum, illuminationique rationis naturalis vinculauit. Sic præmiſerat Proſper lib. 1. de vocatione Gentium cap. 5. *Secundum ſcripturam credimus, & pijſſime confitemur, quod nunquam vniuerſitati hominum diuinæ prouidentiæ cura defuerit. Quæ licet exceptum ſibi populum ſpecialibus ad pietatem direxerit inſtitutis, nulli tamen nationi hominum bonitatis ſuæ dona ſubſtraxit, vt

propheticas voces, & præcepta legalia conuincerentur in elementorum obſequijs, ac teſtimonijs accepiſſe. Vnde, & inexcuſabiles facti ſunt, qui Deo ſibi dona fecerunt, & quæ creata erant ad vtendum, venerati ſunt ad colendum. Curat itaque diuina prouidentia, vt nulli ſupernaturales illuſtrationes deſint in ſalutem. Quamuis alijs præſtantiores, quam alijs diſponat, tamen nullis negat, quas teſtimonia generalia, communes omnium creaturarum voces, ducente rationis naturalis luce, opportunè ferunt. Hinc varium ac differentem gratiæ vocantis modum prædicauit Proſper lib. 2. de Vocat. Gentium cap. 8. *Ad conſiderationem reuertamur differentiarum, quibus diuinæ gratiæ opera, ac dona variata ſunt. Cur ſecretiſſima voluntate voluerit in omnibus temporibus ſuper omnes generationes, aut ſuper omnes homines inæquales donorum ſuorum eſſe menſuras. Siquidem aliter eos iuuerit, quos ad cognoſcendum ſe cæli, & terræ teſtimonijs conueniebat: aliter illos, quibus non ſolum elementorum famulatu, ſed etiam doctrina legis, Prophetarum oraculis, miraculorum ſignis, & Angelorum cooperationibus conſulebat: & multo magis aliter miſericordiam ſuam vniuerſis hominibus declarauerit, quando filius Dei factus eſt filius hominis.* Non vno Deus ſed vario, ac multiplici genere vocationum, varia hominum genera ad ſui obedientiam inſtruit, alios contemplatione cælorum, & elementorum, alios doctrina legis, alios Prophetarum prædicatione, & oraculis, alios miraculorum ſignis, alios Angelorum miniſterio, alios Chriſti Domini inſtitutione, & exemplis conueniens. Alia quidem non ſunt, quæ ad naturalem honeſtatem morum hominem commoueant. Igitur eiſdem, quibus honeſtas naturalis fouetur medijs, etiam ſupernaturalis comparatur, inſeparabileſque ſunt vocationes ad vtramque. Quare repetit cap. 11. *multis modis, & innumerabilibus differentijs gratiæ opera, & dona variantur. Inque ipſis ſingulis generibus munerum diſſimiles ſunt gradus, & impares quantitates.* Sanè hæc varietas iuxta varios excitandæ cogitationis naturalis modos prædicatur. Nullus eſt Proſpero finis in hoc dogmate ſuadendo. Finiamus nos eleganti teſtimonio ex lib. contra Collat. cap. 14. vbi exponens illud Ioannis 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater traxerit eum*: in quo iuxta Auguſtinum, & alios, Patribus ſermo eſt de tractione per gratiam, hæc notat: *Si ergo nemo venit, niſi attractus, homines quocumque modo veniunt, attrahuntur. Trahit igitur ad Deum contemplatio elementorum; omnium, quæ in eis ſunt ordinatiſſima, pulchritudo; inuiſibilia enim eius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Trahit rerum geſtarum cognitio, & diuinorum operum cælatura animum audientis inflammant narrantes laudes Domini, & virtutem eius. &c.* Quibus Deus ſuam trahentem vocationem in contemplatione naturali elementorum, in rerum geſtarum notitia, in proſpectu quotidiano creaturarum, miſericordi & crebra prouidentia inſeruit, quando ſubtrahet illam honeſta virtutum officia conſiderantibus?

Proſper

Ioann. 6.

44. Præterea gratiam auxiliarem infallibili lege comitantem cogitationes natura les honeſtas, quas in animum inducunt varia media, ſeu auxilia externa, quæ propoſuimus in aſſumpto huius argumenti, ſuadent plures, ac frequentes promiſſiones, & exprobrationes, quæ continentur in ſacris litteris. Deus enim pollicetur ſuo populo grandia munera ſe daturum, Prophetiam, prędicationem, doctrinam, miracula, exempla, aliaque exteriora auxilia in ſalutem ſuorum conferentia; eique tanquam ingrato exprobrat, quod tantis auxilijs non reſipuerint, & in meliorem frugem ſe receperint. Contemptibiles autem eſſent promiſſiones, & exprobrationes diuinæ, ſi illis auxilijs adiuncta non eſſent auxilia ſupernaturalia interna, quibus reipſa diuinis votis reſponderent; ſupponunt enim poſſibilitatem cum illis conferri, qua diuina exequantur mandata. Ergo reipſa his exterioribus auxilijs prophetiæ, prædicationis, doctrinę, miraculorum, exemplorum, aliarumque vniuerſim creaturarum excitantium cogitationes honeſti coniuncta ſunt auxilia ſupernaturalia interna. Id confirmat communis conceptio fidelium, qua ſibi perſuadent, eò aptiorem, & faciliorem reddi viam ſalutis abũdantioribus auxilijs donatis à Deo, quò frequentiora ſunt hæc media propoſita; quarè conditio religionis abundantior auxiliorum gratiæ cenſetur, quia quotidiana, & aſſidua ſunt exteriora iſta auxilia, quę animum excitant ad cogitandum honeſtati, & pietati conſentanea. Ergo verum eſt, his medijs externis, quæ per ſe ſolum mouent cogitationes, & affectiones naturales, ex lege Dei inducere in animum cogitationes, & affectiones ſupernaturales.

SECTIO DECIMA.

Explicatur præcedens argumentum ex vocatione ſupernaturali interna, adiuncta decreto Dei, prædicationi & inſtructioni vocali hominum.

Prima confirmatio.

45. HAEc, quæ in genere probauimus, ſeorſim per ſingula capita explicanda ſunt. Incipiam à prædicatione verbi diuini, & inſtructione hominum; cui infallibiliter adiungi vocationem, & inſtructionem ſupernaturalem internam, teſtatiſſimum eſt ſacris, & Eccleſiaſticis Scriptoribus. Id ſuadet Paulus ad Epheſ. 4. dona à Chriſto Domino hominibus collata referẽs: *Quoſdam quidem dedit Apoſtolos, quoſdam Prophetas; alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, vt veritatem facientes, in charitate creſcamus in illo per omnia.* Vbi iuxta Apoſtolum Prophetas, Paſtores, & Doctores Eccleſiæ ſuo miniſterio, & doctrina operantur conſummationẽ ſanctorum, & in charitate Dei ædificant corpus Chriſti ex congregatione fidelium. Id autem qua ratione firmum eſſet, ſi hominum inſtructioni, prædicationi, & labori ad permouendos aliorum animos non iungeretur perpetuo abundans auxilium gratiæ internæ? Quod clarius expreſſiſſe videtur 1. Cor. 3. *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui*

Epheſ. 4.

1. Cor. 3.

Digitized by Google

rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Supponit Paulus prædicationi hominum adiudicari illuſtrationes, & affectiones, quibus homines ferãt fructus in vitam æternam ſalutares. Diſſuadet autẽ eas illuſtrationes & affectiones eſſe, quas externum miniſterium colit, quia ſunt merè naturales, & ſteriles, ſed quas aſſiſtentia ſupremi agricolæ, hominum miniſterio ſupra omnẽ exigentiam inſerit, quæ ſunt ſupernaturales, & promouentes in ſalutem. Cuius interpretationis valida ſunt apud Auguſtinum & Proſperũ, Auguſtinus aliosque Patres teſtimonia. Auguſtinus de peccatorum meritis, & remiſſione lib. 1. cap. 25. *Adhibetur ſermo veritatis extrinſecus vocis miniſterio corporalis. Veruntamen neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Audit quippe homo dicentem hominẽ, vel Angelum, ſed vt ſentiat, & cognoſcat, verum eſſe quod dicitur, illo lumine intus mens eius aſpergitur, quod in æternum manet, quod etiam in tenebris lucet.* Hoc eſt, interdum etiam cum exterius non illuminamur. Proſper Proſper de vocatione Gentium lib. 1. c. 9. *Leges ſuas Deus in cordibus hominum digito ſuo ſcribit, vt agnitionem Dei, non doctrina humana opere, ſed magiſterio ſummi eruditoris accipiant; quia neque qui plantat eſt aliquid. &c.* Igitur eruditionis naturalis humanæ conſors ſemper eſt eruditio ſupernaturalis diuina; ſemperque ac homo aliquid plantat, aut rigat, cæleſtis Agricola ad iuſtitiæ incrementum rorem cæleſtem adiungit.

Concilium Mogunt. 46. Præter Paulum firmat hanc doctrinam Concilium Moguntinum cap. 7. *Hanc vero præuenientem gratiam, cum per alia media, tum potiſſimum in prædicatione verbi ad conuerſionem hominis operari, dum homo peccatorum ſuorum admonitus, & à Deo iuſto iudice conſtituta peccatis ſupplicia metuens, mox excitatus, & adiutus Dei gratia, a timore peccati ad Dei miſericordiam cogitationem deflectit.* Obſerua tum per alia media, tum potiſſimum prędicatione verbi gratiam pręuenientem ſalutem hominis operari. Auguſtinus Auguſtinus lib. 1. confeſſionum cap. 1. *Inuocat te Domine, fides mea, quam dediſti mihi, quam inſpiraſti mihi per humanitatem filij tui, per miniſterium Prædicatoris tui.* Nota, fidem per miniſterium Prædicatoris inſpiratam propter merita Chriſti. Accedit Hieronymus Hieronymus expendens ingreſſum filij Prodigi in domũ ſui Patris epiſt. ad Damaſum col. 3. *Quam benignus, & clemẽs Pater rogat filiũ, vt lætitia domus particeps fiat. Rogat autem per Apoſtolos, rogat per Euangelij Prædicatores; de quibus Paulus ait, precamur pro Chriſto, reconciliamini Deo.* Deus rogas per Euangelij Prædicatores, & alios miniſtros Eccleſiæ, proculdubio largitur auxilia gratiæ, quæ ad ingreſſum conuiuij neceſſaria ſunt. Fulgentius Fulgentius de incarnat. & gratia c. 31. fine: *Pro quibus, ſcilicet Pellagianis peccatoribus, nec oratio fidelium debet deſiſtere, vt Deus eis gratiam ſuæ illuminationis donet, per quam in eis ſemen diuini ſermonis fructificet, qui fruſtra exterioribus auribus ſonat, niſi Deus ſpirituali munere auditum hominis interioris aperiat.* Munere igitur Dei exterior ſermo fructificat immiſſo lumine in auditum hominis interioris.

Proſper 47. Proſper elegantiſſimus eſt in hoc dogmate ſtatuendo, lib. 1. de vocat. Gent. cap. 8. ad illa verba; *Dabo leges meas in ſenſu ipſorum, & in corde ipſorum ſcribam eas.* Sic pulchrè fatur: *Quod vtique quotidie facit, dum cordibus vocatorum ſuam inſerit voluntatem, & ſtylo Spiritus ſancti, quidquid in animæ paginis diabolus inuidendo falſauit, veritas miſerando reſcribit. Cum igitur verbum Dei per miniſterium prædicantium auribus carnis infertur, miſcetur operatio potentiæ diuinæ cum ſono vocis humanæ, & qui incitauit Euangelizantis officium, audientis quoque firmauit affectum.* Nota, quotidie Deum cordibus vocatorum ſuam inſerere voluntatem, & miniſterio prædicantium miſceri operationem diuinam, & Euangelizantis officio firmare Deum audientis affectum. Quę apertam probationem noſtræ ſententiæ conficiunt. Lib. 2. de vocat Gent. c. 6. *Quamuis per miniſtros verbi, & gratia Dei eadem cunctis veritas prædicetur, eadem cohortatio adhibeatur, Dei tamen agricultura eſt, Dei ædificatio, cuius virtus inuiſibiliter agit, vt incremento perficiat, quod ædificatur & colitur. Sicut atteſtatur Paulus 1. Cor. 3.* Non indigent hęc ponderatione. At c. 27. *Conſenſum non ſolum cohortatio prædicantium, & incitamenta doctrinæ, ſed & metus gignit, qui quantiſlibet terroribus inferatur non aliud agit, quam vt quem fecerit timentem, faciat & volentem.* Docet modũ, quo inſtructio & prædicatio humana conſenſum operatur, nimirum excitando affectus, & illuſtrationes ſupernaturales naturalibus coniunctas, quæ ad illum inducant. Claudamus Proſperi teſtimonia ex pag. 13. epiſt. ad Demetriadem: *Voces docentium, & litteræ paginarum, quæ ad eruditionem audientium, vel legentium Deo ſeruiunt, non carent eius virtute, cui ſeruiunt; & quando id, quod iubetur, ab obediente perficitur, tunc effectus diuini operis declaratur.* Non ergo inanimes ſunt voces Miniſtrorũ Eccleſiæ; ſed virtute diuina animatę, qua illuſtrationibus, & affectionibus ſupernaturalibus excitatis in cordibus hominum effectum ſalutarẽ agunt in obſequium Dei, cui ſeruiunt. Quare his pręmiſerat Proſper: *In omnibus monitis Dei, atque mandatis vna, eademque ratio eſt, & diuina gratia, & humana obedientia.* Quaſi diceret ſimul confertur diuina gratia, & exigitur humana obedientia. Proſper Ita Greg. hom. 4. in Euang. prope initium ſupponit prædicationem humanam ſecum ferre gratiam diuinam ibi: *Subtili ergo, occultoque iudicio à quorumdam auribus prædicatio ſancta ſubtrahitur, quia ſuſcitari per gratiam non meremur.* Ergo gratia ſuſcitans, ſeu excitans ex lege Dei miniſterium prędicationis comitatur. Gregorius

48. Ad hæc. Ex ſacris litteris, ſanctorum Patrum monumentis, exempliſque quotidianis nouimus, plures hominum ad fidem, ad pœnitentiam, ad charitatis feruorem, omniſque pietatis augmentum, aliorum prædicationibus, & exhortationibus accenſos; in quem finem quotidie Eccleſia idoneos miniſtros prouidet, qui ſuaſionibus, eruditione, atque doctrina, alios ad fidem, alios ad correctionem morum, alios ad augmentũ virtutum promoueãt. Quis id neget? Quorſum autem humanæ voces noſtras aures verberarent, ſi earum miniſterio illuſtrationes, & inſpirationes diuinæ in corda hominum non inſinuarentur? Igitur ad mouẽda auxilio gratiæ humana corda, induſtria humana plurimũ confert. At non conferret, niſi ei adiungeretur be-

neficio

Digitized by Google

neſcio Dei perpetuum auxilium gratiæ, cum humanus labor ſuo merito eos motus intrinſecè ſupernaturales vẽdicare nõ valeat. Ergo quãuis humano labore per ſe ſolum excitentur cogitationes, & affectiones indeliberatæ naturales, eis tamen lege ſupernaturali Dei ſeſe inſinuãt ſemper circa eadem obiecta, ſimiles motus ſupernaturales. Ad quam ſanè prouidẽtiam altiſſimæ Deo rationes non deſunt. Potiſſima eſt, vt in hominum ſalute promouenda ſuus conatibus, ac regimini Eccleſię locus daretur. Etenim licet Deus auxilia gratię prout vult gratis diſtribuat, ea tamen iuxta leges ordinarias labori, & moderamini Eccleſiæ accomodauit, vt Eccleſiæ miniſtros in hominum ſalute procuranda coadiutores aduocaret, ſicut eos vocat 1. Cor. 2. Nec alio tota Eccleſię induſtria religioſa, ac pia dirigitur, quam vt in pietatem ſalutarem fidelium animi moueantur. Vnde experimento comperimus in meſſe Domini ijs conatibus Eccleſiæ regulariter fructus gratiæ reſpondere; ideoque communi fidelium conceptione in miniſtrorum operam motiones cæleſtes animorum referuntur; quibus fideles parturire, filioſque in Domino procreare, ſacris litteris prædicatur. Conſtantiſſimum igitur ſit, eum prędicatione & inſtructione humana, quæ ex ſe ſola naturales mentis apprehenſiones, & affectiones voluntatis parit, ex lege Dei coniunctam eſſe gratiam ſupernaturalem internam.

SECTIO VNDECIMA.

Idem argumentum confirmatur ex vocatione connexa pijs ſcriptis, miraculis & exemplis.

Secunda confirmatio ex pijs ſcriptis. Lucæ. 16.

49. ETiam ſpiritualium lectioni librorum, qui nos ad omnium virtutum officia prouocant, admonitiones, & affectiones ſupernaturales interius inſeri, oſtendo ex Luc. 16. vbi diues auarus in inferno ſepultus, ſic inducitur precans Abrahamum. *Rogo ergo te Pater, vt mittas eum* (Lazarum) *in domum Patris mei, habeo enim quinque fratres, vt teſtetur illis, ne ipſi veniant in hunc locum tormentorum; & ait illi Abraham; habent Moyſem, & Prophetas; audiant illos. At ille dixit. Non, Pater Abraham, ſed ſi quis ex mortuis ierit ad eos, penitentiam agent. Ait autem illi; ſi Moyſem, & Prophetas non audiunt, neque, ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.* Pono Moyſem, & Prophetas, in quos auxilia ſalutis reijcit Abrahamus fratribus iſtius diuitis, eſſe Moſaycos libros, & prophetias, in quibus omnis doctrina, atque inſtructio ad ſalutem Hebræorum neceſſaria continebatur. Ita Euthymius: *Habent Moyſem, & Prophetas, Moſaycos libros, & Prophetias; nec enim ita tibi curæ ſunt fratres, vt Deo, qui fecit illos, & ſexcentos adhibuit præceptores.* Nunc ſic arguo. Auarus diues ſimulata intentione cupiens ſuam culpam in diuinam prouidentiam conferre, quod ſibi, & alijs præſcitis minus de remedio ſalutis conſuluiſſet, proponit Abrahamo, vt redeunte è mortuis concionatore, viuentes ipſius fratres in ſalutem excitentur. At Abrahamus diuitis prouidentiam incuſans eos ad lectionem, & inſtructionem ſcripturarum & ſacrorum librorum reijcit, aſſerens maiora eis ineſſe remedia quam ea, quæ ex prædicatione, & inſtructione vocali redeuntis è mortuis poſſent accipere: ideoque ſi eis auxilijs non ſanantur, irremediabilem fore eorum ſalutem. Ergo negari non poteſt prouidiſſe Deum, vt lectione, & inſtructione ſcripta ſacrorum librorum infunderentur menti auxilia interna ſupernaturalia ſufficientia ad ſalutem, adimpletionemque eorum, quæ in eis nobis proponuntur.

Euthymi'.

50. Ideo Theophylactus ex Abrahami reſponſo colligit. *Nunc nihil tam vtile eſt, vt diligens ſcripturarum ſcrutatio.* Gregorius Nyſſenus diſp. de anima, & reſurrectione hanc hiſtoriam deſcribens obſeruat: *Abraham negauit eorum, quæ in carne viuerent, vitam prouiſionis expertem eſſe; ſed abunde eis propoſitam eſſe doctrinam, atque inſtitutionem legis, ac Prophetarum.* Abunde nobis propoſita eſt doctrina, & inſtitutio in eis libris. Ergo incredibile eſt eorum inſtructioni externæ, ac per conſequens naturali internæ cuius per ſe autores ſunt, abeſſe ſupernaturalem, ſine qua reliqua non ſunt alicuius momenti. Chryſoſtomus homil. 9. in Lucam: *Habent*, inquit, (ſcilicet Abraham) *Moyſem, & Prophetam. Non æquè tu curas fratres tuos, atque Deus; qui illos condidit, innumeros illi adhibuit Magiſtros, admonitores, conſultores, adhortatores. Quid igitur ille reſpondit? Non: ſed ſi quis ex mortuis redeat ad illos, credent.* Hæc ſane ſunt vulgi verba. Non poſſunt enim docti dubitare, ſufficientiſſimum in admonitionibus, conſilijs, adhortationibus, ſacrorum, & ſpiritualium librorum conſtitutum auxilium. Quin excellens ſit momento, Dei illud, quod ex mortuis reſurgentium concionibus adeſſet, vt grauiter idem notat Chryſoſtomus ibi: *Si nouiſſet Deus, quod mortui excitati viuentibus eſſent profuturi; nequaquam omiſiſſet, neque tantum lucrum præteriiſſet, qui cuncta nobis vtilia procurat.* Cenſet igitur, Deum cuncta nobis ad ſalutem vtilia procurantem ideo omittere admonitiones reſurgentium, quia cuncta nobis prouiſa ſunt in Prophetarum, & ſanctorum Eccleſiæ copioſis, & eruditis ſcriptis. Quare Auguſt. lib. 83. quęſtio. quæſt. 68. fine docet, Pharaonem vocatum fuiſſe, vt non eſſet ingratus in populum Iſrael ex cognitione hiſtorica eorum, quæ in eo regno à Ioſeph geſta ſunt, quam ex libris AEgiptiorum accepit. *Ad miſericordiam Dei pertinet vocatio: Numquid ergo latebat Pharaonem, quid boni conſequuta fuerant terra illa per aduentum Ioſeph? illius ergo rei geſta cognitio vocatio eius fuit, vt populum Iſrael miſericorditer tractans non eſſet ingratus.* Miſcetur itaquè inſtructioni naturali, quam ex libris requirimus, Illuſtratio ſupernaturalis, qua ad virtutis officia commouemur. Ideo mox ſubdit Auguſtinus: *Hæc autem vocatio, quæ per temporum opportunitates operatur, alta, & profunda ordinationis eſt:* cuius n. 42. meminimus. Quia nimirum alta, & profunda ordinatione, ac prouidentia Dei temporibus opportunis infunditur. Opportuna autem tempora ſunt, quando rerum geſtarum naturali cognitione ad gratitudinem, iuſtitiam, miſericordiam, aut aliam virtutem

Theophilactus.

Chryſoſtomus.

Auguſtinus

Digitized by Google

moralē prouocamur. Neque incredibile eſt, inſtructioni naturali piorū ſcriptorum adiunxiſſe Deum vocationes ſupernaturales neceſſarias ad actus ſalutares, ſi verum ponatur quod ſect. 10. probabamus vocali prędicatorū propoſitioni, ex lege Dei ſupernaturales vocationes miſceri. Quid enim differens eſt inſtitutio ſcripta ab inſtitutione vocali? quam vna opportunitatem facit gratiæ internæ Dei, quam alia non facit? Quis eadem, & ſæpè meliora in ſalutem non ſperet admonens hominem ſcripto, quæ voce? vtroquè medio æquè Deus in ſalutem ſuorum vſus eſt, Magiſtros, & Prophætas diſponēs, qui tū vocibus, tum ſcriptis eos officij admonerēt.

Tertia cõfirmatio ex miraculis. 51. Inſtructioni ſcriptæ miniſtrorum eccleſię ad opportunam vocationem Dei, accedunt miracula, quæ in teſtimonium fidei, ac pietatis, aut ſanctitatis iuſtorum eduntur. Ideo & Ioann. cap. 12. exprobrantur Iudæi, quod increduli exiſterent actis à Chriſto tot ſignis, ac miraculis: *cum autem tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eū.* Quin in miracula ab Apoſtolis poſt Domini paſſionem, & reſurrectionem facta reuocat Auguſtinus tract. 40. in Ioann. conuerſionem plurium Iudæorū, qui adſtiterunt paſſioni Chriſti: *Miſſo enim deſuper Spiritu ſancto, cum miracula fierent, in eius nomine, quem tanquam mortuum perſequentes Iudæi contempſerunt, compuncti ſunt corde, & qui ſæuientes acciderunt, mutati crediderunt, & quem ſanguinem ſæuiendo fuderunt, credendo biberunt illa tria millia, & illa quinque millia Iudæorum.* Sola miracula refert, fuiſſe media, quibus Spiritus ſanctus tantā Iudæorum multitudinem in Chriſti fidem conuertit. Quare meritò exprobrat Dominus Corozainitis, & Bethſaiditis Matth. 11. & Lucæ 10. quod viſis tot miraculis à ſe factis penitentiam non egiſſent. *Tunc cæpit exprobrare ciuitatibus, in quibus facta ſunt plurima virtutes eius: quia non egiſſent pænitentiam. Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida: quoniam ſi in Tyro, & Sydone facta fuiſſent virtutes, quæ facta ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pænitentiam egiſſent.* Vnde ad agendum pænitentiam, & corrigendos pœſtilentes mores Corozaim, & Bethſaidæ, facta ſunt à Chriſto Domino miracula, quibus validæ illuſtrationes ſupernaturales pulſarent cæcam ipſorum mentem, & fidem ſaluatoris extorquerent; eiſdemque proculdubio virtutibus in Tyro, & Sydone eædem cogitationes excitatę reipſa pænitentiam ſalutarem obtinerent, quia eiſdem cogitationibus naturalibus eædem etiam iungerentur ſupernaturales: his vero ſalutares Tyriorum, & Sydoniorum cōſenſus; ideoque merito exprobrantur Corozainitę, & Bethſaiditæ.

Auguſt. (beside "uocat Auguſtinus tract. 40.")

Matt. 11. Lucæ 10.

52. Nunc intelliges, quare Auguſtinus ſæpè fidem, & conuerſionem hominum in ſigna viſibilia externa reuocare ſoleat: nimirum, quia eis annexas ſupponit motiones ſupernaturales

Auguſt. internas. Ita lib. 83. quæſt. 68. *Quoniam nec velle quiſquam poteſt niſi admonitus, & vocatus, ſiuè intrinſecus, vbi nullus hominum videt, ſiue extrinſecus per ſermonem ſonantem, aut per aliqua ſigna viſibilia efficitur, vt etiā ipſum velle Deus operetur in nobis.* Itaque interdum Deus per ſigna viſibilia extrinſecus, interdum per ſe ipſum immediatè aſque creaturi s intrinſecùs ingerit menti admonitiones, & vocationes ſupernaturales internas. Eadem habet lib. de ſpiritu & Lit. cap. 34. *Viſorum ſuaſionibus agit Deus, vt velimus, & vt credamus.* Teſtantur enim practicè miracula, & viſibilia ſigna veritatem eorum, in quorum ſuaſionem fiunt, illuſtrationibus, & affectionibus interioribus infuſis à Deo; nam ſine interiori gratia prodeſſe quidquam exteriora auxilia, & ſigna inter Pellagij errores numerat Auguſtinus.

53. Miraculis proxima ſunt aliorum exempla quæ naturali apprehenſioni propoſita interioribus vocationibus gratiæ mouere animum ad ſui imitationē, & omnem pietatem, promptiſſimè probatur. Grauiſſimè Iſidorus lib. 2. ſent. cap. 11. ante medium: *Propterea virtutes ſanctorum exemplum noſtrum Deus propoſuit, vt quantò de imitatione eorum conferri poſſunt nobis iuſtitia præmia, tantò de perſeuerantia mali ſint grauiora tormenta.* Poſt pauca: *Dum & nos Deus præceptis ſuis admoneat, & vita ſanctorum boni operis nobis exempla proponat. Nulla etiam de reatu excuſatio, quia lex Dei aures noſtras quotidie pulſat, & ſanctorum documenta bonorum, cordis noſtri intima prouocant.* Prouocare autem ad virtutem, itaut nobis accuſationem faciant, minima poſſunt exempla, niſi eis propoſitis vocationes internæ ſupernaturales ad imitationem adſint. Sic Lucæ 25. ait, *continget vobis in teſtimonium*, quod vos excuſet, alios autem accuſet, quia (vt exponit Gregorius apud Diuum Thomam in catena.) *Vos videndo inde peruerſi ſine excuſatione peccant, vnde electi exemplum capiunt, vt videant.* Ideo rectè, quorumdam fidem teſtimonium eſſe conuincens, potuiſſe infideles credere, ſi voluiſſent, notauit Paulinus in epiſt. 1. ad Aprum: alias epiſt. 27. colum 4. *Hinc in omni loco plura quotidiè mirabilia ſolito ſig na crebreſcunt, vt omnem, quantum in ipſo Deo eſt, hominem ſaluum faciat. Oſtendit in raris, quod omnibus ſi velint, proſit, ſufficit enim vniuerſorum inſtitutioni, forma paucorum, quæ in vtrumquè proponitur; vt credentibus exemplo ſit, indurantibus teſtimonio.* At non oſtenderet in raris, quod omnibus, ſi velint, profit, niſi eorum exemplo obiecto, omnibus donarentur auxilia, quibus fieret poſſibilis imitatio: neque eſſet teſtimonium conuincens culpam induratorum, ſi illis denegaretur gratia interior ad fidem neceſſaria, quæ credentibus eſſet conceſſa. Ideo Iobus. 10. bonorū exempla teſtes appellat productos in eos, qui negligunt imitari. *Inſtauras teſtes tuos contra me, & multiplicaſti iram tuam.* Super quæ Gregorius cap. 35. alias. 43. *Teſtes ſuos contra nos Dominus inſtaurat, quia bona, quæ facere ipſi negligimus, hoc ad correptionem noſtram fieri ab alijs demonſtrat; vt qui præceptis non accendimur, ſaltem exemplis excitemur, atquè in appetitu rectitudinis nihil ſibi mens difficile æſtimet, quod perfectè peragi ab alijs videt.* En exempla bonorum nobis proponit Deus; vt qui pręceptis ad virtutem non accenduntur, aliorum exemplis excitentur. Certiſsimum igitur eſt, quæ gratiæ interioris auxilio alij agunt poſſibilia, imo & facilia eodem auxilio nobis fieri, ſi imitari velimus; atque adeò ab alijs nunquam rectè acta

Quarta cõfirmatio ab exemplis.

Iſidorus.

Lucæ 25.

Gregorius

Paulinus.

Iob. 10.

Gregorius.

Digitized by Google

naturaliter obijci, quin ſupernaturalibus auxilijs nobis agenda proponantur.

Duę notationes. 54. Tamen ad complendam huius argumenti doctrinam notanda ſunt duo. Alterum, gratiam adiunctam ex lege Dei miniſterio creaturarum, quam præteritis docuimus longe diuerſam eſſe à gratia cõiuncta ex lege Dei conatibus naturæ, quam profitebãtur Semipellagiani. Nam Semipellagiani volebant gratiam coniungi ſolis conatibus ipſius recipientis gratiam; eiſquè tanquam diſpoſitionibus moralibus, ad illam. Nos verò gratiã aſſerimus annexam etiã operę, & miniſterio aliorum, qui gratiam non recipiunt; eiquè annexam tanquam cauſæ ſolum phiſicè excitanti cogitationem honeſtam, quę opportunitatem facit gratiæ ſupernaturali; non tanquã moraliter illam impetrãti; quandoquidem etiam hoc miniſterium exercent creaturæ libero arbitrio deſtitutæ. Quo ruit tota argumentorum machina, quibus Aluarez de auxilijs diſp. 77. hanc doctrinam contra P. Molinam diruere molitur. Alterum, internam gratiam præberi hominibus iuxta proportionem auxiliorum externorũ, quę internam miniſtrãt. Vt elementa, & inanimata omnia minimã omnium gratiam contineant; lex, & Prophetæ magnam; prædicatio Euangelij, exempla, & miracula Chriſti omniũ maximam. Quare promiſit Chriſtus Ioann. 8. hanc vbertatẽ gratię, poſt ſui paſſionem. Et Proſper paſſim hanc inæqualitatem gratiæ proponit. Videantur teſtimonia adducta num. 43. Item Clemens Alexandrinus num. 58.

SECTIO DVODECIMA.

Sextum argumentum ex gratia auxilianti Gentium.

Probatio ſexta. 55. SExto meam exiſtimationẽ probam eſſe ſuadeo ex gratia auxilianti barbarorũ Gẽtilium. Ex quibus, alij ſunt ad quos reuelatorum propoſitio facta eſt; alij ad quos eorũ notitia nunquam peruenit. Expeditum eſt, infidelibus, quibus myſteria ſupernaturalia propõũtur credenda, auxilia dari intrinſecè ſupernaturalia, quibus eorum aſſenſum eliciant, noſtramquè religionẽ profiteantur. Nam dum inſtruuntur notitia rerum ſupernaturalium, fiunt à Deo proximè potentes obiecta propoſita credere fide ſupernaturali ad baptiſmum, & iuſtificationem ſufficienti; ipſorumquè culpæ imputatur, quod non credant. Ergo re vera auxilia donantur quibus aſſenſum fidei ſupernaturalem exhibeant. August. Supponit Auguſtinus lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. ante medium: *Nouerit ſibi Deum præſtitiſſe, vt crederet, qui miſeretur inſpirando fidem, cuius miſertus eſt, vt adhuc infideli vocationem impertiret.* Igitur homini adhuc infideli vocationem gratiæ impertit Deus ad fidem; dum Exponitur aſſumptũ. noſtræ religionis ſacramentis eruditur. Quare noſtrum argumentum non aſſumit probandũ, gratiam eorum infideliũ, qui inſtructi ſunt notitia noſtræ religionis, ſed eorum dumtaxat, qui ab illa omnino remoti ſunt. Porrò de his non contendimus, gratiam præberi proximè auxiliantem ad fidem ſupernaturalium obiectorũ, quæ noſtra religio profitetur. Certum enim eſt ex Apoſtolo, fidem iſtam eſſe non poſſe ſine auditu, neque auditum ſine prædicante; quibus igitur hæc obiecta, quę naturalis ratio non aſſequitur, prædicata non ſunt, impoſſibile eſt proximè illis aſſenſum præbere. Itaquè tota argumentatio præſens eo dirigitur, vt probet etiam his Gentilibus à notione chriſtianæ religionis remotis, infundi vocationes ſupernaturales gratiæ circa obiecta virtutũ moralium, quę naturali cognitione ſibi nota ſunt, vt ipſorum arbitrium agens quod in ſe eſt, amorem ſalutarem, ac ſupernaturalem eliciat.

56. Pono autem duo mihi ſemper conſtantia. Præmittũtur duo. Primum, Barbaros Gentiles tum poſſe, tum etiam interdum amplecti honeſtatem virtutum moralium. Poſſe quidem indubitatum eſt, & quia Ethnici lege naturali tenentur ad plura honeſtatis opera, & quia ratione naturali aſſequuntur honeſtatem plurium actuum, ad illamque excitantur. Amplecti vero reipſa ſæpe honeſtatem, teſtantur Hieronymus, & Auguſt. P. Suarez. referendi ſequentibus, & probat Suarez lib. 1. de gratia cap. 7. & 8. Neque verè quidquam eſt, quare faciles ſaltem moralium virtutum actus eis hominibus denegemus. Secundò pono, obiecta formalia virtutum ſupernaturalium eſſe poſſe eadem cum obiectis formalibus virtutum naturalium. Ita fuſe diſp. 45. Igitur nunc euincendum ſuſcipimus, infideles deſtitutos cognitione noſtræ fidei, cũ amplectuntur quidquam honeſtum, præueniri à Deo cogitationibus, & affectionibus intrinſecè ſupernaturalibus, vt amore honeſti, intrinſecè ſupernaturali ad fidẽ, & iuſtificationem, ac tandem ſalutem æternam conſequendam diſponantur. Conficitur argumentum. Nam ſi arbitrium horum barbarorũ non deſeritur à Deo in amore honeſti; ſed vt agat, quod in ſe eſt, pręuenitur auxilio gratiæ: liquido deprehẽditur, nullos naturæ conatus in amorem honeſti auxilio præuenienti gratiæ deſtitui. Nam ſi qui eſſent deſtituendi, procul dubio eſſent, qui ſoli lumini naturalis rationis relinquuntur, & à ſingulari Dei prouidentia remoti ſunt. Igitur ſi hi motus arbitrij præueniuntur à Deo auxilio gratiæ, notiſſimum fit, lege infallibili prouidentiæ ſupernaturalis ante omnem naturæ conatũ in amorem honeſti prouideri à Deo auxilia gratiæ, quibus arbitrium agens, quod in ſe eſt, non ſteriliter, ſed fructuoſe, & ſalutariter laboret.

57. Aſſumptum argumenti probatur. Primò Rom. 1. ex Apoſtolo Rom. 1. *Reuelatur enim ira Dei de cælo, ſuper omnem impietatem hominum eorum, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent, quia quod notũ eſt Dei, manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis manifeſtauit; inuiſibilia enim ipſius à creatura mũdi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus, & Diuinitas, ita ut ſint inexcuſabiles.* Hic Philoſophi, & Gentiles inexcuſabiles dicuntur in ſua iniuſtitia, non ſolum quia ductu rationis naturalis, ſed etiam, quia reuelatione, & illuſtratione infuſa Dei diuinitas, & virtus ipſius manifeſtata eſt. Ergo illuſtratio ſupernaturalis Gentilibus communis eſt. Paulũ diſſerere de Philoſophis Gentilibus, approbat

Digitized by Google

Athanaſius in diſp. contra Arium habita in cõcilio Niceno col. 5. omniſque interpretum conſenſus, teſte Patre Iuſtiniano & Patre Cornelio in hunc locum. Perſuadebat enim Paulus doctrinam Euangelij Græcis, & Barbaris, ſapientibus, & inſipientibus debitam eſſe; eamque alijs miniſterio hominum, alijs miniſterio creaturarum, omnibus tamen aſſiſtente illuſtratione diuina, fieri manifeſtam. Inſuper hunc locum, licet à pluribus de manifeſtatione naturali exponatur, exponi etiam poſſe de ſupernaturali,

Anſelmus.

interpretes ſunt Anſelmus dicens: *Dominus manifeſtauit, id eſt, non ſolum naturalis ratio profuit, ſed Deus quotidie adiuuit, ne ſola natura ſufficere videretur, & quia Deus eorum cordibus notitiã ſui dignatur infundere.*

Hugo Vict.

Hugo Victor in Summa lib. 1. ſent. tract. 1. cap. 3. *Cum ſubiungit, Deus illis reuelauit, oſtendit, quod ratio humana per ſe inſufficiens eſſet, niſi reuelatio diuina illi in adiutoriũ adeſſet.*

S. Thomas.

Et S. Thomas ſectione 6. *manifeſtauit, vel interius infundẽdo lumen, vel exterius proponendo viſibiles creaturas, in quibus, ſicut in quodã libro, Dei cognitio legeretur.*

P. Iuſtinianus.

Quibus accedit Pater Iuſtinianus, fauetque cõtextus, qui proxime diſſerebat *de virtute Dei, quæ eſt in ſalutem omni credenti, & de iuſtitia, quæ omnibus reuelatur ex fide in fidem*: Quibus ſubiungit rationem; *reuelatur enim ira Dei* &c. Quam expoſitionem apertiſſime confirmat Enchirid.

Enchiridiõ Colon.

Colon. Chriſtianæ eruditionis de ſacramento penitentiæ fol. 92. p. 1. *Quod autem Actor. 14. legimus, Deum in præteritis generationibus dimiſiſſe omnes gentes ingredi vias ſuas, non ſic intelligendum, quaſi Deus gentibus ſua gratia defuerit. Cum gentes id, quod de Deo cognoſci poteſt, manifeſtum habuerint, quod Deus illis per gratiam præuenientem manifeſtauerit, factum eſt, vt gentes Dei gratiam contemnentes dimiſſæ ſunt ingredi vias ſuas. Atque eadem omnino ratione fit, vt non omnes illos motus gratiæ ſpecialis, omnibus peccatoribus Deus impertiat.* En Deus notitiæ Diuinitatis, humano lumine acquiſitæ, ingerit illuſtrationes ſupernaturales gratiæ, quæ Deum ſalubriter manifeſtant, viaſque gentium inexcuſabiles reddunt.

Auguſtinus.

58. Conſequenter Auguſtinus lib. 2. de ſerm. Domini in monte 15. *Si hominis anima rationalis, etiam cupiditate cæcata, tamen cum cogitat & ratiocinatur; quidquid in ea ratiocinatione verum eſt, non ei tribuendum eſt, ſed ipſi lumini veritatis, à quo licet tenuiter pro ſui capacitate illuſtratur, vt verum aliquid in ratiocinando ſentiat.* Ecce illuſtratur à Deo, vt aliquid veri practice ſentiat, quiſquis ratiocinatur, & cogitat bona rationis, & Dei, quæ ſtudium aſſequitur humanum.

Clemens Alex.

Similiter Clemens Alexandrinus lib. 6. ſtromat. fol. penult. oſtendens Phyloſophiam, & rerum naturalium notitiam à Deo ante Chriſti aduentũ, eo fine hominibus prouiſam, vt Deus opportunam in ſalutem vocationem infunderet. *Prouidentia vnicuique diſtribuit pro meritis ea quæ conueniunt. Merito ergo Iudæis quidem lex, Græcis autẽ data eſt Phyloſophia vſque ad aduentũ Chriſti. Hinc autem eſt vniuerſa, ac generalis vocatio ad peculiarẽ populum iuſtitiæ per eam quæ eſt ex fide, doctrinam, per vnum cogente Dominũ eo, qui eſt vnus ſolus Deus amborum, Græcorum ſcilicet, & Barbarorum, vel potius totius humani generis.* Igitur Græci, atque Barbari, quin & totum humanum genus vocatione generali ducuntur ad iuſtificationem, & fidem per eam notitiam, quã res naturales intellectui miniſtrãt. Quod verum eſſe minimè poteſt, niſi Barbaris infidelibus ſimul cum cognitione naturali tribuantur notiones ſupernaturales gratiæ, quæ ad ſalutem hominibus neceſſariæ ſunt. Propterea ad finem eiuſdem libri oſtendit, notitiam Dei ex creaturis accipi non potuiſſe humana facultate ſine auxilio gratiæ, ibi. *Qui Deũ ſibi adſcribunt Magiſtrum, vix perueniunt ad Dei notitiam, opem eis ferente gratia ad quamtulamcumque cognitionẽ, vtpote voluntate voluntatem, & ſancto Spiritu, ſanctum Spiritum contẽplari aſſuefacientes, quoniã ſpiritus ſcrutatur Dei profunda; animalis autem homo non capit ea, quæ ſunt ſpiritus.* Itaque quantulacumque cognitio Dei ducit hominem in iuſtitiam, & fidem; atque idcirco indiget ſpiritu Sãcto, & gratia. Igitur merito Gẽtiles barbari inexcuſabiles prædicantur, quod adorãtes ſuperſtitiosè creaturas, vnicum, & inuiſibilem Deum non coluerũt; vel quia ex creaturis non inueſtigarunt creatorem; vel quia creatorem ex veſtigijs aſſequentes, non ſicut creatorem glorificauerunt, cum facillimé poſſent, illuſtrante Deo ſupernaturaliter mentem ipſorum. In quã doctrinã plura dedimus ex D. Proſpero ſec. 10.

59. Confirmatur hac Theologica ratione. Ethnici Philoſophi dicuntur à Paulo inexcuſabiles, & æterno ſupplicio digni, quod neglecta ſuperſtitione idolorum, vnicum & inuiſibilem Deum non adorant. At hęc accuſatio Pauli cõtemptibilis eſſet, niſi cognitionem naturalem ex creaturis acquiſitam, comitaretur ſupernaturalis illuſtratio neceſſaria ad impletionem talis præcepti. Ergo reuera præſens illis erat cum cognitione naturali illuſtratio ſupernaturalis neceſſaria ad obſeruantiam talis præcepti. Maior, & conſequẽtia planę ſunt. Probatur minor, ex communi Theologorum conſenſu aſſerentium, vires naturæ ſine auxilio gratiæ Theologicæ non ſufficere ad conſtantem, & diuturnam dilectionem Dei, & impletionẽ ſalutarem pręceptorum, quæ abſque ſuperatis ingẽtibus difficultatibus mandari executioni non poteſt. Hæc autem omnia cõcurrunt ad obſeruantiam ſalutarem præcepti naturalis, quam Paulus ab Ethnicis exigebat, vitandumque crimen, cuius ab eo accuſantur. Ergo ſine auxilio gratiæ comitanti cognitionem naturalem comparatam ex creaturis nulla eſſet accuſatio, & exprobratio Pauli. Probatur minor. Nam ad contemnẽdam ſuperſtitionem idolorum opus erat repugnare totius nationis iudicio & propẽſioni, quę impetu ferebatur in idola, contradicere Parentum, ac ſeniorum traditionibus, & exemplis, imperatorum edictis, terroribus, ſupplicijs, & contumelijs, ac deteſtationibus vniuerſi populi, imbutam ab infantia conſuetudinem exuere, & quaſi mutare naturam, continere ſe à delectationibus, honoribus, & moribus, ſuperſtitioſa idolorum adoratione permiſſis: demum obſequi iudicio rationis naturalis. At hæc omnia, quis neget ingentem difficultatem continere? Ergo vbi Ethnici Philoſophi arguuntur, quod non deſeruerint, rationis naturalis ductum ſe-

Digitized by Google

quentes, manifeſte ſupponitur, eos inſtructos fuiſſe auxilijs gratiæ Theologicæ ad hæc omnia communi Theologorũ iudicio requiſitis. Alioqui damnarentur à Paulo ratione delicti, quod impoſſibile illis erat omnino cauere. Statuendũ igitur eſt, cum cognitione naturali præberi Ethnicis & Barbaris Philoſophis auxilia gratiæ, quibus præcepta naturalia honeſtè exequantur.

Rom. 2.

60. Secundo id probatur ex Roman. 2. *Factores legis iuſtificabuntur. Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt, eiuſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum.* Paulus hic apertè loquitur de obſeruatione legis conferente in iuſtificationem. Ait enim *factores legis iuſtificabuntur.* Et verſ. præced. *ſolos auditores legis non eſſe iuſtos apud Deum*; ergo agit de obedientia legis, quæ iuſtificat. Vnde conſequenter illud *naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt,* non eſt accipiendum, Gentes facere opera legis per ſolas vires naturæ, ſed eleuatas, & ſanatas per auxilia gratiæ ad iuſtificationem neceſſaria, quamuis deſtitutas adiutorio legis ſcriptæ, & prædicationis Euangelicæ. Sic chariſſimè exponunt Auguſtinus lib. 4. contra Iulianum c. 3. & de ſpiritu, & littera cap. 26. & 27. Fulgẽtius de Incarnatione, & gratia Chriſti cap. 25. Proſper contra Collator. cap. 22. Beda, Anſelmus, & S. Thomas in eum locum: necnon 1.2.q.109.art. 4 ad 1. Rurſus hoc teſtimonium intelligendum eſſe de Gentibus etiam infidelibus euidentiſſimè oſtendit P. Suares lib. 1. de Gratia cap. 8. num. 20. adductis verbatim Eccleſiæ magnis Patribus Origene, Chryſoſtomo, Theophilacto, Ambroſio, Hieronymo, Ecumenio, Tertuliano, Cypriano, Auguſtino: illuſtribuſque interpretibus, Stapletonio, Pererio, Caietano, Soto, & Catherino. Quibus adiungi poſſunt Cyrillus Alexandrinus lib. 3. contra Iulianum poſt medium, Lyranus in hunc locum, & Iuſtinianus. Vnde merito colligit P. Suarez, exceſſiſſe eruditum modernum, qui aſſeruit, præter vnũ Caſſianum, Semipellagianorum Principem, neminem hũc locum de Gentibus infidelibus, ſed iam fidelibus intellexiſſe. Quidquid reclamet P. Torres opuſ. 2. dub. 3. acerbe ferens hoc dictum Patris Suarez: tamen eius argumentis nullatenus ſatisfaciens. Confirmatur tota expoſitio ex ſuperiori verſu eiuſdem cap. *Gloria, honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primum, & Gentili.* Gentiles intelligit Paulus eos, *qui* (vt ipſe ait) *nunquam gehennæ, aut reſurrectionis nomen audierunt.* His autem Gentilibus gloriam, & pacem ſupernaturalem, & ſempiternã pollicetur; quippe Iudæis communem, & eam, quæ in alijs ſuis Epiſtolis continetur. Igitur Gentiles opera eliciunt ſupernaturalia ex ſe in æternã gloriam promouentia. Audi Chryſoſtomum in Matth. hom. 37. colum. penult. *Qui ante Chriſtum obierunt, atque ideo ipſum non cognouerunt, ſi ab idolorum cultu receſſerunt, ac Deum ſolum adorarunt, ſi præterea honeſtè vitam peregerunt, æterna bona, & beatitudinem adipiſcentur.* Paulum audi, *gloria, inquit, & pax omni operanti bonum, Iudæo, & Gentili.* En opera agentibus elicita ſine notitia, & prædicatione Chriſti conferunt in ſalutem æternã, ſi Deum verum adorantes ab idolorum cultu receſſerint, honeſtatemque coluerint.

Auguſtinus. Fulgentius. Proſper. Beda. Anſelmus. S. Thomas. P. Suarez.

P. Suarez.

P. Torres.

Chriſoſtomus.

Auguſtinus.

61. Eamdem mẽtem inſinuat Auguſtinus lib. 2. de ſermone Domini in mõte cap. 15. docens, *nullam eſſe animam, quamuis peruerſam, quæ tamen vllo modo ratiocinari poteſt, in cuius conſcientia non loquatur Deus. Quis enim ſcribit in cordibus hominum naturalem legem, niſi Deus?* de qua lege Apoſtolus ait: *cum enim gentes, quæ legem nõ habẽt, &c.* Ergo Gentibus quę ducuntur ſola naturali lege, ſimul cum ratiocinatione naturali infundit Deus excitationes, & illuſtrationes, cum eis hominibus intra conſcientiam loquens. Ita rectè Cyrillus Alexandrinus lib. 3. contra Iulianum præſenti teſtimonio ad Rom. 2. probat: in nullo ſæculo defeciſſe Gentibus auxilia gratiæ, quibus in ſalutem poſſent moueri. *Gentium quippe Deus eſt, & per inſitas leges bene commonſtratur, quas omnium cordibus inſculpſit Opifex.* Et ſubdit: *Iam ſi quid eſt, Iudæorũ dumtaxat, & non etiam gentium fuit Deus, & conditor, quomodo legem non habentes ſibi ipſis ſunt lex? Inſitis ad hoc inſtructionibus peruenientes; natura enim per ſe ipſam diſcendo, factore annuente, recipit omnis boni ſcientiam.* Ait *per ſeipſam diſcendo*, quia natura abſque inſtructione legis, aut Magiſtri docentis exterius, ſolo beneficio Dei, ſimul cum cogitationibus ſua facultate acquiſitis mouetur à Deo per inſitas Inſtructiones internas ad opera honeſtatis; ne Deus ſolius Iudaiſmi, & Chriſtianiſmi dicatur, ſed etiam Gentiliſmi; aſſiſtente quidem diuina ad omne genus hominum prouidentia, diſtribuente ad honeſtatem morum media, quibus perducantur in finem ſupernaturalem, in quem omnes creati ſunt.

SECTIO DECIMATERTIA.

Idem argumentum ex doctrina Auguſtini firmatur.

Auguſtinus. Eſther.

62. GRatiam communem Gentilibus, quam validæ probationis ad præſens inſtitutũ iudico, paulo vberius ſtatuamus. Et quidem illam aſſertam à Patribus, mihi ſcitiſſimum eſt. Primus obſignet Auguſtinus libr. 1. de gratia Chriſti cap. 24. vbi verba illa Eſther 15. *Conuertitque Deus cor Regis in manſuetudinem,* de Aſſuero Gentili, & idolatra in omnem furorẽ effuſo dicta adducit ad probandum virtutẽ gratiæ auxiliantis. *Vellē ergo diceret iſte* (Pellagius) *nobis, vtrum Rex ille ad Deum iam cucurrerat; vtrumſe totum Deo tradiderat? &c. Puto non deſipere, ſed inſanire hominem, quiſquis de illo Rege, qualis tunc erat, hoc ſenſerit; & tamen conuertit Deus, & tranſtulit indignationem eius in lenitatem. Quis autem non videat multo maius eſſe indignationem à contrario in lenitatem conuertere, atque transferre, quam cor neutra affectione præoccupatum, ſed inter vtramque medium in aliquod declinare?* Ex quibus mox ſubinfert. *Legant ergo, & intelligant; intueantur, atque fateantur, non lege, atque doctrina inſonante forinſecus, ſed interna, atque occulta, mirabili, ac ineffabili poteſtate operari Deum in cordibus hominum, non ſolum veras reuelationes, ſed etiam bonas volũtates. Deſinat itaq; iam Pellagius,*

Digitized by Google

& ſeipſum, & alios fallere, contra Dei gratiam diſputando. Aut Auguſtinus nullam contra Pellagium gratiam Theologicam aſſeruit, aut illam planè in Aſſuero gentili agnouit. Rurſus Epiſt. 130. de Polemone Gentili prius ebrio, deinde temperato Cirtēſibus ſic ſcribit. *Xenocrates Polemonem de fruge temperantia diſputando, non ſolum ebrioſum, verum etiam tunc ebrium ad mores alios repente conuertit. Quamquam ergo ille veraciter non Deo fuerit acquiſitus, ſed tantum à dominatu luxuria liberatus; tamen ne id ipſum quidem, quod melius in eo factum eſt, humano operi tribuerim, ſed diuino.* Quamuis gentilis Polemo in ſua impietate permāſerit, nihilominus actus temperātię, quos in eo agnoſcit, non viribus humanis, ſed diuinis adſcribit. Quare rectè colligit, eos continentiæ actus fore ipſi ſalutares, ſi ſuperſtitione gentili reiecta verum Deum religioſe coleret. *Polemo ergo ſi ex luxurioſo continens factus ita ſciret, cuius eſſet hoc donum, vt eum, abiectis ſuperſtitionibus gentium, piè coleret, non ſolum continens, ſed etiam veraciter ſapiens, & ſalubriter religioſus exiſteret; quod ei non tantum ad praſentis vita honeſtatem, verum & ad futura immortalitatem valeret.* At actus ex ſe ſalubres, & valentes in vitæ futuræ immortalitatem non ſunt opera naturę, ſed gratiæ. Ergo actus moralis temperātię eliciti ab homine gentili non ſunt opera ſolius naturæ, ſed gratię.

Auguſtinus

63. Inſuper lib. de Spiritu & littera, c. 27. exponens illud hom. 2. *Gentes, qua legem non habent, naturaliter qua legis ſunt faciunt.* Naturam intelligit ſanatam per gratiam; gentes vero licet eas probet, quæ poſt Euangelij prędicationem credentes ſunt, cæterum non reprobat omnino eas, quæ à doctrina fidei ſunt remotæ. Ideo de his gentibus pręmittens aliqua bona, & laudabilia agere; *in numero earum etiam impiorum, nec Deum verum veraciter, iuſteque colentium, quadam tamen facta, vel legimus, vel nouimus, vel audiuimus, qua ſecundum iuſtitia regulam non ſolum vituperare non poſſumus, verum etiam merito, rectèque laudamus.* Et poſt pauca: *Verumtamen quia non vſque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita eſt, vt nulla in ea velut lineamenta extrema remanſerint: vnde merito dici poſſit, etiam in ipſa impietate vita ſua facere aliqua legis, vel ſapere, ſi hoc eſt, quod dictum eſt, quia gentes qua legem non habent, hoc eſt legem Dei, naturaliter, qua legis ſunt, faciunt: & quia huiuſmodi homines ipſi ſibi ſunt lex, & ſcriptum opus legis habent in cordibus ſuis, id eſt, non omnino deletum eſt, quod ibi per imaginem Dei cum crearentur, impreſſum eſt.* Tandem ſubdit: *Nam ſicut ipſa imago Dei renouatur in mente credentium per teſtamentum nouum, quam non penitus impietas aboleuerat; nam remanſerat vtique id, quod anima hominis niſi rationalis eſſe non poteſt, ibi* (id eſt in mente non credentium.) *lex Dei non ex omni parte deleta per iniuſtitiam, profecto ſcribitur renouata per gratiam.* Manifeſtè admittit Dei imaginem, quæ omnino in gentibus infidelibus detrita non eſt, renouari per gratiam eis operibus iuſtitię, quæ agere ſuperioribus præmiſerat. Quamuis ſubiungat ea nullius fructus eſſe in vitam æternam ibi: *Sicut enim non impediunt à vita æterna iuſtum quadam peccata venialia ſine quibus hac vita non ducitur; ſic ad ſalutem æternam nihil proſunt impio aliqua bona opera, ſine quibus difficillimè vita cuiuſlibet peſſimi hominis inuenitur.* Non quia ex ſe talia opera prodeſſe non poſſent, vt teſtimonio precedenti ipſe Auguſtinus de Polemone monuerat, ſiquidem facta per gratiam: ſed quia ipſorum impietate impeditur omnis fructus, quem ea opera ferre poſſent. Denique hanc doctrinam illuſtrat Auguſtinus lib. 3. de lib. arbitrio cap. 22. vbi differens de infideli nondum cognoſcente miſteria ſupernaturalia fidei propter ignorantiam: nec bene agente propter difficultatem naturæ ſentientis, ſubdit: *Quod ergo ignorat, quid ſibi agendum ſit, ex eo eſt, quod nondum accepit, ſed hoc quoque accipiet, ſi hoc, quod accepit, bene vſus fuerit. Accepit autem, vt piè, & diligenter quarat ſi valet.* Igitur infidelis remotus à notitia Chriſtianæ religionis omnino non eſt deſtitutus donis auxiliantibus gratiæ, ſed illa accipit, quibus piè quærere poſſit, & ad illa, quæ non accepit, peruenire.

SECTIO DECIMAQVARTA.

Diſcipuli Auguſtini eidem ſubſcribunt doctrinæ.

64. CLarius, & conſtantius hanc noſtram firmant opinionem Auguſtini diſcipuli. Ferat primus ſuffragium Proſper lib. 2. Proſper de vocat. gent. cap. 4. *Sed ne praeteritis quidem ſaculis hac eadem gratia, qua poſt Domini noſtri Ieſu Chriſti reſurrectionem vbique diffuſa eſt, defuit mundo. Quamuis enim ſpeciali cura, atque indulgentia Dei populum Iſraeliticum conſtet electum, non ita ſe tamen aterna Creatoris bonitas ab alijs hominibus auertit, vt eos ad cognoſcendum ſe, atque metuendum nullis ſignificationibus admoneret.* Quamuis Iſraelitas olim, & modo Chriſtianos ſpecialibus auxilijs præmuniat Deus, reliquas tamen gentes, quamtumuis remotas, ſuis gratiæ ſubſidijs non deſtituit; imo eiſdem gratiæ donis, quæ poſt Chriſti reſurrectionem vbique gentium per Apoſtolos fidelibus diſperſa eſt, ad ſe cognoſcendum, atque metuendum admonet. Addit in medio capitis: *Sicut illa gratia largitas, qua in omnes nouiſſimè effluxit, non euacuat eam, qua ſuper vnum Iſrael ſub lege rorauit, nec praſentes diuitia fidem praterita abrogant parcitati; ita nec de illa cura Dei, qua Patriarcharum filijs praſidebat, reijciendum eſt, gubernacula diuina miſericordia cateris hominibus fuiſſe ſubtracta.* Itaque non ſoli populo Iſrael in prioribus ſæculis, nec ſoli populo Chriſtiano nouiſſimis diebus, ſed reliquis etiam hominibus vniuerſis, nempe gentibus à fidelium cætu diuiſis, cæleſtis gratia prouidetur. Quam gratiam diſpenſari à Deo, ſubdit; *in Iſrael quidem per conſtitutionem legis, & prophetica eloquia, in vniuerſis nationibus, per teſtimonia creaturarum, & bonitatis Dei miracula.* Conſentienter cap. 5. ſic orditur. *Sed cum in illo populo (cui vtraque eruditio praſuit) nemo niſi gratia iuſtificatus ſit per Spiritum fidei, quis ambigat eos, qui de quibuſcumque nationibus, quibuſlibet temporibus Deo placere potuerint, Spiritu gratia Dei fuiſſe directos. Qua & ſi parcior, atque occultior*

Digitized by Google

fuit, nullis tamen ſeculis ſe negauit, virtute vna, quantitate diuerſa, conſilio incommutabili, opere multiformi. Supponit manifeſtè, gentes à populo Iſrael, locis, temporibus, ac legibus diuiſas, ſpiritu gratiæ, vt Deo placerent, fuiſſe directas; neque vnquam gratiā Dei eis hominibus fuiſſe negatam, quamuis ipſis occultam, & non ea quantitate abundantem, qua Iſraëlitis olim, & Catholicis modo conceſſa eſt.

Proſper.

65. Quare cap. 31. eiuſdem libri ſic incipit. *Elaboratum eſt, quantum Dominus adiuuit, vt non ſolum in nouiſſimis diebus, ſed etiam in cunctis retroſeculis probaretur, gratiam Dei omnibus hominibus adfuiſſe, prouidentia quidem pari, & bonitate generali, ſed multimodo opere, diuerſaque menſura, quoniam ſiue occulte, ſiue manifeſte ipſe eſt; vt Apoſtolus ait. 1. Thimoth. 4. ſaluator omnium hominum, maxime fidelium.* Totus Proſperi labor contenditur in probandum gratiam ſemper, ac cunctis ſæculis non ſolum in lege Euangelica, & ſcripta, ſed etiam in lege naturali, omnibus hominibus tam fidelibus, quam infidelibus adfuiſſe, vt eo prouidentię genere poſſet verè prędicari Deus ſaluator omnium hominum, licet maximè fidelium propter ſpecialia auxilia gratiæ, quæ præ infidelibus illis diſpoſuit. Quare expendens ſuperius Apoſtoli teſtimonium: *Saluator omnium hominum maxime fidelium,* ſubiungit. *Dicendo enim, qui eſt ſaluator omnium hominum, confirmauit bonitatem Dei ſuper vniuerſos homines eſſe generalem. Adijciendo autem, maxime fidelium, oſtendit eſſe partem generis humani, qua merito fidei diuinitus inſpirata ad ſummam, atque æternam ſalutem ſpecialibus beneficijs prouehatur.*

Diſſerit Proſper de gratia ſupernaturali

66. Vnde dubitari non poteſt, gratiam, de qua diſſerit Proſper, fuiſſe ſupernaturalem, quæ ad aſſequendam æternam ſalutem neceſſaria eſt, cum à Deo vt ſaluatore noſtro omnibus hominibus, maximè verò fidelibus diſpoſita ſignificetur. Præterea, quia ea gratia ſuperioribus teſtimonijs ex lib. 2. de vocatione gentium cap. 4. aſſeritur eadem cum gratia poſt Domini noſtri Ieſu Chriſti reſurrectionem diffuſa; cap. 5. collata ad placendum Deo, & ex eadem prouidentia, qua fidelibus donatur. Item cap. 29. ante medium de talis gratiæ dono aſſeritur, *à Deo, quod & nemini negatur, & nulli debetur, in ijs, quos promiſit, efficitur.* Quæ omnia perſpicua ſunt pro gratia pertinenti ad ordinem ſupernaturalem. Ad hæc; Diuus Proſper proculdubio agit de gratia Theologica, quam contra Pellagium, eiuſque diſcipulos requirebat. At hæc gratia eſt intrinſecè ſupernaturalis. Ergo agit

Proſper.

Proſper de gratia intrinſece ſupernaturali. Maior, & conſequentia negari non poſſunt. Minor pluribus ex profeſſo explicanda eſt lib. 5. Innumera ſunt, quibus Proſper gratiam Gentilium illuſtrat. Videatur lib. 1. de vocat. Gent. cap. 19. 20. & 21. & lib. 2. cap. 10. 13. 23. 25. vſque ad 31. Necnō lib. de ingratis cap. 24. ibi:

Quotquot enim ſummo iuſtos numeratis ab æuo
Hac ope ſaluatos non dubium eſt, quā modo toto
Latius Omnipotens exercet gratia mundo.

Denique ad cap. Gallorum 8. illa expende: *Omnium hominum cura eſt Deo, nemo eſt quem non aut Euangelica prædicatio, aut legis teſtificatio, aut ipſa etiam natura conueniat. Sed infidelitatem hominum ipſis adſcribamus hominibus. Fidem autem hominis, donum Dei eſſe fateamur, ſine cuius gratia nemo currit ad gratiam.*

Paulus Oroſius.

67. Eamdem doctrinam manifeſtius tradidit Paulus Oroſius Auguſtino coæuus, & ipſius defenſor acerrimus in Apolog. de libertate longe ante medium. *Mea ſemper hæc eſt fidelis, atque indubitata ſententia, Deum adiutorium ſuum non ſolum in corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, cui ſpecialia, ob credentium fidem gratiæ ſuæ dona largitur, verum etiam vniuerſis in mundo gentibus propter longanimem ſui, æternamque clementiam ſubminiſtrare, non vt tu aſſeris cum diſcipulo tuo Celeſtio, cui iam apud Africanam Synodum occulta illa impiorum dogmatum natura contuſa eſt, in ſolo naturali bono, & in libero arbitrio generaliter vniuerſis vnam gratiam contributam, ſed ſpeciatim quotidie per tempora, per dies, per momenta, per atomos cunctis, & ſingulis miniſtrare.* Et paulo inferius: *Itaque cum videas hominibus ignaris tantam Diaboli incubuiſſe nequitiam in diſperdendum, nullam hinc credis Dei in cuſtodiendo gratiam præfuiſſe?* En manifeſtum adiutorium gratiæ contra Pellagium requiſitum, non ſolis credentibus, Deus in corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, verum etiam vniuerſis gentibus infidelibus extra illam propter longanimem ſui clementiam quotidiè largitur; neque minor eſt diuina bonitas in protegendo ſuis auxilijs Paganos, quam diabolica nequitia, quæ Infideles barbaros miſere oppugnat, ſolet eſſe in diſperdendo. Neque diſſentit Fulgentius de Incarnatione, & gratia cap. 17. *Ergo, & gentibus Deus pœnitentiam ad vitam dedit.* Actor. 11. *Nempe cum ipſe Saluator noſter propria vocis imperio humanam conuertit voluntatem, dicens, pœnitemini, & credite Euangelio. Claret tamen, quia vt homo in Deum credere incipiat, à Deo accipit pœnitentiam ad vitam; itaut omnino credere non poſſit, niſi pœnitentiam dono Dei miſerantis acceperit.* En pœnitentia gratiæ dono accepta à Deo prouidetur gentibus medium ad ſuſcipiendum fidem, quæ eatenus in poteſtate gentium conſtituta eſt, quatenus ſuorum ſcelerum auxilio diuino pœnitentes, in iuſtificationem, & fidem habitualem perueniant. Item cap. 27. expendens teſtimonium ſuperius Roman. 2. *Nemo ergo naturali lege conetur aſſignare legem, quam Deus non condendo naturam, ſed donando gratiam in corde gentium ſcribit.* Vbi præter legem naturalem ſcribere dicitur Deus in corde gentium legem gratiæ, quæ ad fidem pertinet, quia virtute illius lex naturalis ducit hominem infidelem ad fidem. En Auguſtini Diſcipuli manifeſto ſuffragio ſubſcribentes gratiæ Gentilium.

Fulgentius.

SECTIO DECIMAQVINTA.

Aliorum Patrum teſtimonia pro gratia auxiliante Gentilium.

Hieronymus.

68. EIuſdem mentis videtur eſſe Hieronymus ad Galat. 1. in ea verba; *Cum autem placuerit ei, qui me ſegregauit, &c.* Vbi ait: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ex quo perſpicuum fuit*

naturâ omnibus Dei ineſſe notitiam, nec quemquam ſine Chriſto naſci, & habere in ſe ſemina ſapientiæ, & iuſtitiæ, reliquarumque virtutum. Unde multi abſque fide, & Euangelio Chriſti, vel ſapienter faciunt aliqua, vel ſanctè, vt Parentibus obſequantur, vt inopi manum porrigant; magiſque iudicio Dei obnoxij fiunt, quod habentes in ſe principia virtutum, & Dei ſemina, non credunt in eo, ſine quo eſſe non poſſunt. Omnes igitur etiam quibus Euangelium prædicatum non eſt, plura ſanctè, ac prudenter operantur, inſertis ſimul cum principijs naturæ illuſtrationibus Chriſtianis, Dei, ac virtutum ſeminibus, vt eis cooperantes tandem ſalutariter credere, aut culpabiliter non credere queant. Nec refert dici à Hieronymo hæc ſemina *naturâ ineſſe.* Eo enim minime voluit naturalia eſſe, ſiue ineſſe ex conditione intrinſeca naturæ; ſed nobis inſeri ſimul cum cogitationibus, & principijs naturalibus honeſtatis naturæ. Ita Paulus vocat nos, *naturâ filios iræ:* non quia peccatum originale ex conditione intrinſeca naturæ nos inficiat, ſed quia ſecundum prouidentiam præſentem, omnium hominum natiuitati coniunctum eſt.

Cyrillus Alex.

69. Accedit Cyrillus Alexandrinus aduerſus Antropom. cap. 5. *Quod enim infuſa ſit hominis natura ex prima creatione omnis boni appetentia, & propenſio, atque notitia, declarat ſapientiſſimus Paulus dicens; quando enim gentes legem non habentes naturaliter ea, quæ legis ſunt faciunt? Si verò etiam gentibus extra legem naturaliter conſtitutis, ineſt notitia legis, hoc eſt, ſi mentem legiſlatoris intelligunt, manifeſtum cuius fuerit, quod iuſta, & bona in principio fuerit hominis natura, & bonitatis Dei imaginem præ ſe ferens. Sancta enim erant prima humanæ vitæ tempora.* Plane gentibus extra legem ſcriptam, & Euangelicam conſtitutis eam tribuit mentis legiſlatoris intelligentiam, qua hominis natura bona, & ſancta ſit, bonitatiſque Dei imaginem præ ſe ferat; atque adeò ad ſalutem, & ordinem ſupernaturalem ſpectar, adeoque infuſa meriro declaratur. Neque longe abeſt

Clemens Rom.

Clemens Romanus lib. 7. conſtit. Apoſtolic. cap. 34. dicens, Abrahamum ante fidem ſtrictam, qua Deo ſibi loquenti aſſenſum, & obedientiam præberet, directum fuiſſe in ſalutem ab aſſiſtenti prouidentia diuina abſque miniſterio legis, & inſtructionis externæ alterius hominis, ex ſola cognitione acquiſita rationis. Quod cum interpretari non liceat de cognitione naturæ ſeiuncta à cognitione, & illuſtratione gratiæ, ne erroris Pellagiani inſimulemus Clementem, dicendum eſt, illuſtrationem ſupernaturalem gratiæ Abrahamo ante fidem ſtrictam comitem fuiſſe omnium cogitationum naturalium, quæ mentem in Deum, honeſtaque obiecta deducebant. Verba Clementis ſunt: *Abraham enim progenitorem noſtrum viam veritatis ex ipſa natura facultate capeſſentem, cum ei appareres tanquam dux deduxiſti, eumque quid tandem eſſet hoc ſeculum docuiſti, ac fidem eius antegreſſa eſt cognitio, cognitioni vero conſequens fuit fides; fidem autem inſequuta pactio.* Satis declarat quomodo Gentiles, quibus eloquia ſacra propoſita non ſunt, poſſint ex occulta ope, & directione prouidentiæ ſupernaturalis, ducente quidem naturali cognitione, viam veritatis capeſſere. Id etiam perſpicuè confirmant Clemens Alexandrinus adductus nu. 58. & Chryſoſtomus num. 60. item ad Roman. cap. 2. explicans, quomodo Græci, & quotquot ſub lege naturæ degebant, nullam poterant impietatis excuſationem habere. *Numquid non audiſtis vocem cælorum, qui narrant gloriam Dei, per oculos nobis immiſſam, concentumque rerum omnium pulcherrimum, vndique tuba clarius intonantem?* Idem Gregorius, & Hieronymus ibi.

Clement Alex. Chryſoſtomus.

Ambroſius Rom. 1.

70. Eôdem reſpicit Ambroſius expendens ſuperius teſtimonium Pauli Rom. 1. *Sicut enim in illo qui credit, iuſtitia Dei reuelatur, ita in eo, qui non credit, impietas, & iniuſtitia reuelatur. Ex ipſa enim cæli fabrica ſtatus illi videtur Deus. Idcirco enim tam pulchra aſtra condidit, vt ex ijs quantus, & quam admirabilis creator eorum eſt, poſſit agnoſci, & ſolus adorari. Per naturalem ergo legem reum facit genus humanum. Potuerunt enim id per legem naturæ apprehendere, fabrica mundi teſtificante, auctorem ſolum Deum diligendum, quod Moyſes litteris tradidit; ſed impij facti ſunt non colendo creatorem, & iniuſtitia in eis apparet, dum videntes diſſimulant à veritate, non fatentes vnum Deum; quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis.* Eodem lumine, quo Hebræi ex literis Moyſis, & Prophetarum illuſtrati ſunt, pariter omnes Gentiles ex teſtimonijs creaturarum ſunt inſtructi; nempe ducente hominem in ſalutem, ac per conſequens ſupernaturali. De quo vide ſect. 9. Auguſtinum, & Proſperum. Quod gratiæ ſupernaturalis auxilium neceſſarium eſt, vt poſſit reus fieri Gentilis, ex eo quod abiecta ſuperſtitione idolorum vnum Deum non adorat, vt expendebamus num. 59. neque ab operibus, quæ duce natura fiunt, excludit Ambroſius occultam gratiam ea opera ſalutaria facientem: cum in eadem Epiſt. ad Rom. cap. 2. illud *naturaliter, quæ legis ſunt faciunt; hi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex;* intelligat de fidelibus, qui natura duce in ſalutem credunt; *dum natura duce credunt, opus legis oſtendunt, non per litteram, ſed per conſcientiam. Opus autem legis eſt fides.* Claudat Gregorius Niſſen. orat. Cateche. cap. 30. Gentilium obiectionem ita proponens, & ſoluens. Si *ergo aliquod bonum eſt fides, cur, inquiunt, non ad omnes venit gratia? Atque ſi hæc quidem in his quæ dicimus, à nobis adſtrueretur, quod à diuina voluntate hominibus abdicaretur fides, vtpote quod alij quidem vocarentur; cæteri autem eſſent expertes vocationis, opportune huiuſmodi reprehenſio obijceretur myſterio. Si autem pariter ad omnes procedit vocatio, nec authoritatem, nec ætatem, nec gentium diſcernens differentiam, &c.* Nullam admittit gentium differentiam, quæ ad fidem opportune non vocetur, itaut nulla regio excuſari poſſit, quod ad illam gratia Dei non peruenerit.

Rom. c. 2.

Gregorius Niſſen.

Digitized by Google

SECTIO DECIMASEXTA.

Rationes Theologicæ pro gratia auxiliante Gentilium.

71. Etiam Theologicæ rationes ſtabiliunt gratiam auxiliantem gentium remotarum à fide. Prima ſit. Vbi infidelibus proponitur ſufficienter ex parte obiecti, ab aliquo miniſtro Euangelij, aut alio homine ratio motiua fidei ſupernaturalis, infunditur ſimul à Deo illuſtratio, & inſpiratio ſupernaturalis, quibus actum fidei ſupernaturalem eliciant. Ergo etiam vbi proponitur ſufficienter ex parte obiecti ratio motiua virtutum moralium ſupernaturalium, infunduntur à Deo auxilia ſupernaturalia, quibus illarum virtutum actus ſupernaturales eliciant. Atqui poteſt infidelibus ante notitiam fidei ſufficienter ex parte obiecti proponi ratio motiua virtutum moralium ſupernaturalium. Ergo ante notitiam fidei infunduntur Gentilibus auxilia intrinſecè ſupernaturalia ad actus ſupernaturales virtutum moralium. Vltima conſequentia optima eſt. Antecedens admittitur à Theologis communiter. Prima conſequentia videtur bona, tum à paritate fidei ſupernaturalis, tum à paritate virtutum moralium, quas fideles exercent; quibus præbentur vocationes ſupernaturales, vbi ex parte obiecti ſufficienter proponuntur obiecta formalia virtutum moralium ſupernaturalium, earumque actibus diſponuntur ad iuſtificationem. Minor in noſtra doctrina videtur certa. Nam vt poſuimus num. *6.* & *56.* ratio motiua ex parte obiecti virtutum ſupernaturalium non eſt alia à ratione motiua virtutum naturalium. Inſuper vt oſtendemus agentes de habitibus ſupernaturalibus & diſp. *63.* cognitio ſupernaturalis proponens rationem motiuam vtriſque communem, non debet eſſe elicita à fide infuſa ſtricta, Ergo vt ante notitiam fidei proponitur ſufficienter ratio motiua virtutum naturalium, etiam proponitur ſufficienter obiecti ratio motiua virtutum ſupernaturalium, vt illarum actibus diſponantur Gentiles ad fidem, ſicut fideles ad iuſtificationem. *Prima ratio.*

72. Confirmatur. Si miniſter Euangelicus præſentiens Chriſtianam religionem difficilem fore incontinenti Gentili, niſi prius ad continentiam traducatur, velit ante notitiam fidei, ſuaſionibus Gentilem ad continentiam inducere, vt eo diſponatur ad fidem: ſanè ſuaſionibus Euangelicis inſerentur vocationes ſupernaturales ad ſuperandam incontinentiam, & præparandum animum ad fidem. Quis enim neget, quæ Paulus, & Auguſtinus cum alijs Patribus prædicant de vocationibus Dei occultè ſubminiſtratis ab Spiritu ſancto, medio hominum miniſterio, quarum meminimus ſectione 10. locum habere in exhortatione gentium Euangelica ad virtutes Chriſtianas? Ergo etiam cum abſque miniſtro Euangelico eadem motiua proponuntur, ab alio Gentili, aut ratione naturali, lectione libri, meditatione creaturarum, aut alio quouis modo, inſeruntur plane cogitationes ſupernaturales ad eoſdem actus continentiæ. Quid namque refert prouidentiæ Dei, eas rationes motiuas hoc, vel illo inſtrumento proponi, vt gratia ſupernaturalis opportunitatem habeat? *Diuina enim prouidentia*, ait Proſper de vocat. Gentium lib. 1. cap. 5. *licet exceptum ſibi populum ſpecialibus ad pietatem direxerit inſtitutis, nulli tamen nationi hominum, bonitatis ſuæ dona ſubtraxit, vt Propheticas voces, & præcepta Euangelica in elementorum obſequijs, ac teſtimonys non acceperint.* Vel vt lib. 2. cap. 14. ait, *Quod in Iſrael per conſtitutionem legis, & Prophetica eloquia gerebatur; hoc in vniuerſis nationibus totius creaturæ teſtimonia, & bonitatis Dei miracula ſemper egerunt.* Subſtituit igitur Deus in exterioribus creaturis, & miniſterio naturæ inſtitutionem Euangelicam; vel, vt ſubdit Proſper ſupra cap. 5. *Teſtimonium Dei, & æternæ legis tabulas, vt in paginis elementorum, ac voluminibus temporum communis; & publica diuinæ inſtitutionis doctrina legeretur.* Aut ergo nuſquam Deus prædicationi Euangelicæ vocationes ſupernaturales inſerit, aut eaſdem etiam iungit inſtitutioni elementorum, & aliarum creaturarum. *Confirmatio.* *Proſper.*

73. Secunda ratio. Singulis gentibus præfecti ſunt Angeli cuſtodes, quibus cura ſalutis ipſorum demandata eſt. Ita communis ſententia Patrum, & Scholaſticorum apud expoſitores S. Thomæ 1. p. qu. 113. At niſi poſſent Angeli illuſtrationes internas in ſalutem conferentes vltra naturæ exigentiam paganis excitare, inutilis prorſus eſſet Angelorum ſolicitudo. Ergo. Vnde Dyoniſius de cæleſti Hierarch. cap. 9. ait, *Errorem, quo barbaræ nationes in eos, qui Dij non ſunt, deflexerint, rectis Angelorum præfecturis non eſſe tribuendum, ſed illis ipſis, qui proclinitate ſua, de recta ad Deum ferente via deflexerint amore ſui; contumacia, &c.* Ad quam rectam viam, quæ fert ad Deum illuſtrationes ſupernas procurati, mox ſtatuit dicens; *Neque eorum, quæ prouidentur libertate, diuini radij illuſtratione, quæ à prouidentia manant, vel obruuntur, vel obſcurantur; ſed oculorum mentis diſſimilitudo facit, vt effluens paternæ benignitatis largitio, vel omnino communicari, capique non poſſit.* Ecquis hic non agnoſcat ſupernaturalem Dei prouidentiam, Angelorum miniſterio, vltra naturæ ordinem barbaras mentes illuminantem? *Ratio ſecunda.* *Dyoniſius.*

74. Tertia ratio. Theologicum eſt, eam Deo prouidentiæ rationem adſcribere, quæ ipſius miſericordiam, iuſtitiam, ſapientiam, deſiderium ſaluandi homines, redemptionem Chriſti, & conditionem eleuatæ naturæ magis commendat. At eiuſmodi eſt prouidentiæ ratio, quæ vocationes ſupernaturales Gentilibus diſtribuit. Ergo. Miſericordiam quidem hæc prouidentia magis prædicat; nam diuina bonitas maior eſt, quò pluribus profuſior, iuxta illud Eccleſiaſtici 18. *Miſeratio hominis circa proximum ſuum, miſericordia autem Dei ſuper omnem carnem.* Præſertim in eis bonis elargiendis, quæ & negari, & donari in ſola diuina voluntate conſtitutum eſt. Iuſtitiam verò; quia ea ratione maior inter omnes homines ſub eadem prouidentia ſupernaturali æqualitas ſeruatur, ſen- *Tertia.* *Eccleſiaſtici.*

Digitized by Google

tertia iudicis tantā hominum multitudinem detrudentis ad inferos iuſtior conuincitur, & promiſſis ac vocationibus Dei omnes generaliter inuitantibus ad ſalutem nihil detrahitur. Item ſapientiam diuinam; quæ ſola poterat viam inuenire, qua tot nationibus barbaris tanta morum oppoſitione, rerum ignorantia, ſpatijſque locorum diſtantibus, abſq; hominū miniſterio, contra violentam hominum fraudem ſubueniretur. Etiam deſiderium ſalutis; quippe hoc ardentius exprimitur, quo auxilia neceſſaria minus parce largitur: tum copioſam redemptionem Chriſti; ſi enim Gentibus auxilia ſupernaturalia negantur, quid illis confert copioſa Saluatoris redemptio? Denique conditionem naturæ eleuatæ; quæ his auxilijs inſtructa ab ſtatu puræ naturæ apertius, & excellentius diſcernitur; & abſque beneficio horum auxiliorum ſpecialis erga idolatras barbaros, ſupernaturalis prouidētiæ ratio obſcure cernitur. Quid enim egregiū, ac peculiare damus barbaris hominibus prouidentię ſupernaturali ſubiectis, & in finem ſupernaturalem eleuatis, quod eiſdem ſub naturali prouidentia non ineſſet? Igitur vt illis ſub prouidentia naturali, cogitationes naturales ad fidem naturalem conſequendum neceſſariæ negari non poſſunt; ſimiliter nunc illuſtrationes ſupernaturales in eodem ordine cum fine ſupernaturali, ad quem diriguntur, negandæ non ſunt.

Poſtrema ratio. 75. Poſtrema ratio. Quibuſcumque largitur Deus gratiam præuenientem ſupernaturalem, largitur illam independenter ab eo, quod ipſe per ſolas naturæ vires facere poteſt; nudæ enim naturæ vires ad meritum, diſpoſitionem, aut impetrationem gratiæ ſupernaturalis quidquam conferre non poſſunt. Quid igitur excipit barbaros à gratia ſupernaturali accipienda? Demeritum non poteſt. Nam obduratorum ſcelera nequiora ſunt: quibus tamen gratiam iſtam diſtribui probauimus tractatu de gratia, & probabimus lib. 5. Item hæreticorum perfidia inſignior eſt, quibus nihilominus gratiam ſupernaturalem omnino non ſubtrahi diximus cum Auguſtino eodem tractatu, & dicemus eodem libro. Nec item detrahit defectus excitationis opportunæ. Nam præter Euangelicam prædicationem poſſunt gratiam iſtam excitare, præſertim circa obiecta formalia virtutum moralium alij Gentiles moralibus diſciplinis dediti, librorum lectio, elementorum contemplatio, euentus naturæ, Angelorum cuſtodia, & immediata Dei aſſiſtentia. Nec ignorantia barbarorum; nam de honeſtate virtutum moralium, de vnitate, ac bonitate Dei, de bonorum operum præmio, de pœna malorum, ipſo naturæ lumine, ſufficienter inſtruuntur, vt abſque vllo miraculo, quibuſdam cogitationibus naturæ ſupernaturales cogitationes infidelibus, ſicut fidelibus miſceantur. Nec denique obſtat excellentia obiectorū formalium. Nam vt poſuimus num. 6. & 56. obiecta formalia virtutum ſupernaturalium eadem ſunt cum obiectis formalibus naturalium virtutum. Sola igitur voluntas Dei poteſt infidelibus gratias iſtas ſupernaturales denegare. De qua id piè credendum non eſt ſuppoſitis legibus, & promiſſionibus, ac inuitationibus generalibus prouidentiæ ſupernaturalis. Aut ergo omnino neganda ſunt auxilia intrinſeca ſupernaturalia, aut ea etiam infidelibus, ſaltem circa actus virtutum moralium concedenda. Omnia præterita confirmantur; Confirmatur. quia nullæ ſunt barbaræ nationes, quibus Deus auxilia gratiæ ad ſalutem ſufficientia non prouiderit. At ſufficientiam auxiliorum gratiæ ad ſalutem eorum, qui omnino remoti ſunt à prędicatione Euangelij, in aliorum Theologorum ſententia difficillimè, in hac verò noſtra facillimè tuemur. Ergo noſtra ſententia, quæ auxilia gratiæ communia, & aſſidua facit omnium gentium nationibus, præferenda eſt. Theologorum enim eſt, plana reddere ea, quæ in noſtra religione dura, & obſcura ſunt.

SECTIO DECIMASEPTIMA.

Expediuntur argumenta contra gratiam auxiliantem Gentilium.

76. PRimo obijci poteſt ſacer textus Actorum 14. *Deus in præteritis generationibus dimiſit gentes ingredi vias ſuas.* Prima obiectio. Actor. 14. Vbi deſertæ videntur gentes auxilio gratiæ, & ſolis ſuis vijs, viribuſque relictæ. Similiter cap. 17. *Tempora quidem huius ignorantiæ deſpiciens Deus.* cap. 17. Item Matth. 11. Matth. 11. teſtatur Chriſtus, Tyrios, & Sydonios non agere pœnitentiam, quia virtutibus, & auxilijs deſtituti ſunt, quæ Iudæis fuerunt exhibita. Ergo gentes derelinquuntur à Deo, quin eis auxilia ſupernaturalia gratiæ prouideat. His teſtimonijs vnica ſolutione ſatisfacio. Solutio. Nempè ſolum probant, Deum ſubtraxiſſe gentibus auxilia efficacia ad ſalutem; non verò ſufficientia. Inſuper ex ſufficientibus ea ſpecialia auxilia, externa, & interna, quæ fidelibus præſertim ad actus fidei, & aliarum virtutum Theologalium proxime neceſſaria diſpoſita ſunt, & in promulgatione, & inſtructione Euangelij, miraculorum virtute, miniſtrorum induſtria, frequentibus ſanctorum exemplis, ac potiſſimum vberibus gratiarum fontibus ſacramentis nouæ legis conſtituta. Ita expendit Proſper lib. 2. de vocat. Gentium cap. Proſper. 4. teſtimonium act. 14. *Legimus enim in actibus Apoſtolorum 14. Paulum, & Barnabam Lycaoniis dicere de Deo, qui in præteritis generationibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas. Equidem non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit, benefaciens, de cælo dans pluuias & tempora fructifera.* Quod teſtimonium ſui, gentibus à Deo diſpoſitum explicans concludit: *Cælum ergo cum & aquæ cæleſtia, mare, & terra, omniaque, quæ in eis ſunt, conſono ſpeciei ſuæ ordinationiſque concentu proteſtabantur gloriam Dei, & prædicatione perpetua maieſtatem ſui loquebantur auditoris. Et tamen maximus numerus hominum, qui vias voluntatis ſuæ ambulare permiſſus eſt, non intellexit, nec ſequutus hanc legem eſt, & odor vitæ, qui ſpirabat ad vitam, factus*

Digitized by Google

eſt ei odor mortis ad mortem, *vt etiam in illis viſibilibus teſtimonijs diceretur*, *quod littera occideret*, *ſpiritus autem viuificaret*. Quare manifeſtum eſt, gentes vijs ſuæ voluntatis permiſſas non fuiſſe relictas ſine teſtimonio, ac lumine, quod eis eſſet odor vitæ ſpirans in vitam; atque adeò illuſtrationem creaturarum eis ſubſtituiſſe inſtitutionem legis, & Prophetarum, qua Deus Hebræos internis, & ſupernaturalibus auxilijs inſtruebat. *Quod ergo in Iſrael* (addit Proſper) *per conſtitutionem legis*, *& Prophetica eloquia gerebatur*, *hoc in vniuerſis nationibus totius creaturæ teſtimonia*, *& bonitatis Dei miracula ſemper egerunt*. Omnino itaque nunquam Gentes auxilijs gratiæ deſertæ ſunt, quandoquidem ea, quæ teſtimonijs creaturarum affinia ſunt, ſemper eis conceſſerit. Quo pertinet eiuſdem loci explicatio, quam num. 57. retulimus ex Enchyrid. Colonienſi.

Secundò obiectio. Obijci poteſt ſecundo ex Concilijs, & Pontificibus Eccleſiæ; fidem eſſe initium iuſtificationis, omniſque operis ſalutaris. Ergo ante fidem non datur infidelibus gratia auxilians, qua ſalubriter quidquam boni operentur. Ita Arauſic. 2. canon. vltimo aſſerens; *In omni opere bono not incipimus*, *ſed ipſe nullis noſtris præcedentibus meritis prius fidem inſpirat*. Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 8. *Fides eſt humanæ ſalutis initium*, *fundamentum*, *& radix omnis iuſtificationis*. Item Celeſtinus Epiſt. 1. ad Epiſcopos Galliæ cap. 12. *Omnium bonorum operum*, *omniumque virtutum*, *quibus ab initio fidei ad Deum tenditur*, *Deum profiteamur auctorem*. Etiam Leo Magnus ſerm. 7. Quadrageſimæ cap. 2. vbi de operibus miſericordiæ inquit: *Non ſunt fraudanda ſua laude*, *ſi ob naturæ communicationem fiant*, *ſed quia non ex fidei fonte procedunt*, *ad præmia æterna non perueniunt*; *alia enim eſt conditio operum cæleſtium*, *alia terreſtrium*. Quibus accedit Auguſtinus Epiſt. 105. *Reſtat igitur*, *vt ipſam fidem*, *vnde omnis iuſtitia ſumit initium*, *non humano tribuamus arbitrio*, *neque illis præcedentibus meritis*, *quoniam inde incipiunt omnia*, *quæcumque ſunt merita*, 1. de Prædeſt. Sanctorum cap. 7. *Ex fide dicitur iuſtificari homo*, *non ex operibus*, *quia ipſa prima datur*, *ex qua impetrentur cætera quæ propriè vocantur opera*. Alijſque innumeris in locis. Igitur ante fidem nulla ſunt opera ſalutaria, quæ auxilio gratiæ fiant. Neque ſatisfacit, quod ait P. Vaſquez 1. 2. diſp. 189. num. 137. omne opus ſalutare in fidem reuocari. Primo, quia inter opera neceſſaria ad noſtram iuſtificationem initium eſt fides; quamuis alia, quæ ad iuſtificationem neceſſaria non ſunt, poſſint fieri ſine fide. Secundò, quia in homine infideli raro bonum aliquod opus reperitur. Prima quidem ratio non ſatisfacit, quia vt ex præcedentibus conſtat, non iuſtificationis ſolum, ſed cuiuſcumque, etiam alterius boni operis ſine vllo diſcrimine, principium neceſſarium fides aſſeritur. Neque item ſecunda, quia vt conſtat ex Auguſtino, & Hieronymo adductis ſect. 13. & 15. aliqua ſunt bona infidelium opera. Quibus adde ex Diuo Hieronymo hæc ad Demetriadem: *Multos Phyloſophorum audiuimus & legimus*, *& vidimus*, *ipſos caſtos*, *patientes*, *benignos*, *modeſtos*, *liberales*, *abſtinentes*, *iuſtitiæ amatores*, *non minus*, *quam ſapientiæ*.

Concilium Arauſic. Tridentinum.

P. Vaſquez.

78. Huic argumento ſuccumbunt huius ætatis Theologi omnino negantes, poſſe Gentiles aliquod bonum opus moraliter agere, quod ex auxilio gratiæ ſalutare ſit. Tamen argumentum facile explicatur, ſi diſtinguas fidem in lata, & ſtricta acceptione. Fidem in ſtricta acceptione voco eam, quæ exaudita eſt, & in reuelationem diuinam ab Eccleſia propoſitam aſſenſum confert. Fides verò in acceptione lata eſt quæuis cognitio, & illuſtratio ſupernaturalis, qua vel ad fidem ſtrictam tendimus, vel opera iam fidelium propria efficimus. Fides igitur, quæ à ſanctis Patribus, & Concilijs prædicatur initium omnium operum conducentium in vitam æternam, non eſt fides ſtricta ſola, ſed lata, quæ infidelibus communis eſſe poteſt. Infideles enim non dicuntur, quia omnis illuſtrationis ſupernaturalis incapaces ſunt, ſed quia eam notitiam obiectorum ſupernaturalium, quæ Eccleſia credenda proponit, non capiunt ex reuelatione diuina ſibi extrinſecus propoſita. Hoc mihi perſuadeo, quia communi Auguſtini, Proſperi, Arauſicani, & Tridentini, omniumque Theologorum iudicio affectus piæ affectionis, quo volumus credere procedit ex auxilio gratiæ. Hic autem affectus neceſſario antecedit actum credendi per ſtrictam fidem, quare ab illa manare non poteſt. Igitur non omnis actus ſalutaris, & factus auxilio gratiæ à fide ſtricta originem habet. Quin in homine iuſto plures actus virtutum moralium puto fieri meritorios, ad quos opus non eſt conſulere regulam fidei. Similiter ergo poſſunt alij actus ſupernaturales ad fidem pertinere, etiamſi ab illa non procedant, quia ſaltem ad illam impetrandam aliqua ratione diſponunt, quales ſunt actus ſupernaturales virtutum moralium, quibus adimplemus præcepta, & conſilia naturalia, quos non gentibus infidelibus communes eſſe tuemur. Id alienum non eſt à Fulgentio adducto numero 67. qui ſatis aperte ait, pœnitentiam gentibus prædicari anteriorem fide. Nec alij Patres refragantur, qui infidelibus tribuunt ſpiritum gratiæ, & fidei ad bene moraliter agendum, quos ſuperioribus propoſuimus. Preſertim Clemens Alexandrinus nu. 58. & Proſper num. 64. Item plures Patres, & Theologi, quos producemus ſect. vltima explicantes gratiam ſine fide ſtricta ſufficientem ad ſalutem. Recte enim ad fidem pertinere dicuntur ea, quæ intentione, aut exequutione ex fide procedunt. Intentione quidem actus eliciti ante fidem, quibus Deus largitur auxilia gratiæ deſiderio diſponendi animam ad fidem. Exequutione verò, actus ſupernaturales, qui poſt fidem, quamuis non ex actu elicito fidei ſtrictę fiunt. Item omnis illuſtratio ſupernaturalis in fidem refertur, quia omnis cognitio infuſa ad ea tandem illuſtranda deſtinatur, in quæ occupatur noſtra fides. Rurſus quia inter cogitationes ſupernaturales vitæ potior ac nobilior fides eſt. Ita gratia affectionis refertur in charitatem, & opera bona, ac ſalutaria ex charitate proceſſionem habere docet

Explicatur obiectio.

Auguſtinus Proſper Arauſicanum. Tridentinum.

Clemens Alex. Proſper.

Digitized by Google

Auguſtinus.

Auguſtinus lib. de gratia Chriſti cap. 13. & Epiſt. 106. vocans gratiam auxiliantem *charitatem*, & lib. de gratia Chriſti cap. 35. *Inſpirationem flagrantiſſimæ, & luminoſiſſimæ charitatis.* Item lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 18. aſſerens, *quod non ſit ex charitate, non beneſit.* Et 1. retract. cap. 15. & 4. contra Iulianum cap. 3. Et lib. de patientia paſſim, & alibi ſæpe. Non quia omnis actus ſalutaris, ac prius ex charitate Theologica manare debeat, cũ plures actus peccatoris diſponentes ad iuſtificationem charitatis non ſint, neque ex charitate procedant. Sed quia omnis affectio ſupernaturalis ad charitatem ſpectat intentione, aut exequutione, tanquam diſpoſitio, aut effectus, tanquam pars ignobilior ad nobiliorem, & præcipuam voluntatis Chriſtianæ. Similiter igitur fides dicitur principium omnis operis ſalutaris, quia quæuis illuſtratio ſupernaturalis, quæ affectus ſalutaris principium eſt, lata ſignificatione fides dicitur, in fidemque ſtrictam refertur.

Tertia obiectio. Auguſtinus.

79. Tertio obijcitur Diuus Auguſtinus pluribus propoſitionibus, quæ videntur repugnantes gratiæ, ſalutarique impetrationi Gentilium. Prima eſt, ſalutem noſtræ religionis defuiſſe Gentilibus ex ſola volũtate Diuina. Ita lib. de prædeſt. Sanct. cap. 10. recolens quæ dixerat lib. 6. quæſt. contra Paganos quęſt. 2. Propoſitio ſecunda, gratiam auxiliantem eſſe Chriſtianorum propriam & pertinentem ad fidem. Ita Epiſt. 95. & lib. de Gratia, & libero arb. cap. 13. Tertia propoſitio, infidelibus non ineſſe veras virtutes, neque eorum opera eſſe ſimpliciter bona, ſed peccata. Ita fuſe lib. 4. contra Iulianum cap. 3. lib. 5. de Ciuitate cap. 12. & lib. 19. cap. 25. lib. 13. de Trinitate cap. vltimo, lib. de Continentia cap. 13. lib. 1. de Nuptijs cap. 3. lib. 1. de Gratia Chriſti cap. 26. & latius præfatione in Pſal. 31. Vbi inter alia docet, infidelium opera, quæ bona dicuntur, inania eſſe, & quaſi celerrimum curſum præter viam, nempe quia in æternam fœlicitatem non perducunt. In quo Auguſtino ſuffragantur Proſper lib. 1 de Vocat. Gent. cap. 7. alias, 3. & lib. contra Collatorem cap. 26. & 28. & lib. 3. de vita contemplatiua cap. 1. & 18. & Fulgent. lib. de Incarnat. & Gratia cap. 25. Igitur nulla infidelium opera auxilio gratiæ fiunt, quod ſolum in opera ſalutaria confertur.

Proſper.

Fulgentius

Reſponſio. Auguſtinus.

80. Reſpondeo. Auguſtinus à nobis eſt, vt ſuperioribus oſtendimus. Prima verò propoſitione diſſerit Auguſtinus de auxilijs efficacibus ad fidem, non de ſufficientibus ad ſalutem, de quibus noſtra diſputatio eſt, & cum quibus poſſunt componi plura auxilia efficacia ad plures virtutum moralium actus. Secundâ propoſitione docet, gratiam ſupernaturalem eſſe Chriſtianorum propriam, & pertinentem ad fidem, non quia ſolis Chriſtianis, ac fidelibus diſpenſetur, cum etiam infidelibus ſe præparantibus ad fidem, omnium approbatione donetur: ſed quia intentione, aut exequutione ſemper confertur intuitu Chriſtianæ Religionis, ac fidei, vel quia fideles iam ſumus, vel vt ſimus; vt nuper dicebamus. Accedit, gratiam Chriſtianorum propriam apud Auguſtinum intelligi gratiam, qua rebus fidei aſſentimus; quia de actu credendi per fidem erat illi diſputatio cum Pellagianis, quando gratiam Dei, propriam Chriſtianorum vocat. Tertia propoſitione negat Auguſtinus infidelibus veras virtutes, & opera ſimpliciter bona. Primò, quia licet infideles aliqua opera agant intrinſecè honeſta, eôquè gratia intrinſecè ſupernaturali elicita, tamen ſemper, aut ferè ſemper extrinſeca aliqua ſaltem virtuali prauæ intentionis nequitia deturpant, qua ea opera, vel in idolorum cultum, vel in gloriam vanam, vel in aliud delectabile bonum referunt; ideoque abſolute mala, & non ſimpliciter bona ab Auguſtino dicuntur. Ita Auguſtinus contra Iulianum ſupra, & lib. 1. de nuptijs cap. 12. Secundo, quia non ea intenſione, & frequentia officijs virtutum incumbunt, vt habitus acquirant, qui virtutum nomen mereantur, ipſoſque abſolutè continentes, iuſtos, & virtuoſos reddant. Denique quia illorum opera ex profeſſione religionis, quam colunt, & numinis, quod adorant, ſterilia, & inſalubria ſunt in vitam æternam. Licet enim etiam peccatum fidelium opera in ſtatu peccati nullum poſſint ferre ſalutis fructum, tamen ex profeſſione religionis, quam ſequuntur, & numinis, quod venerantur, poſſunt, & debent ab eo ſtatu dimoueri, in eoque conſtitui, in quo fructus vitæ æternæ conſequatur. Gentilibus autem ipſa religio, quam profitentur, & numen, quod adorant, prohibet ſtatum ſalutarem, & fructus ſalutis æternæ. Ideoque Gentilium opera potius, quàm fidelium, peccatorum merito, non cenſet Auguſtinus abſolutè ſalutaria, & bona. Ita contra Iulianum ſupra, & Proſper de vocatione Gentilium ſupra.

Obiectio quarta. Proſper.

81. Quarto obijcitur D. Proſper lib. 1. de vocat. Gentium cap. 13. & ad cap. Gallorum obiectione 4. aiens, Gentiles præteriri à gratia Dei, & non vocari. Item lib. 2. cap. 3. ante medium; Gentibus, quibus prædicatur Euangelium, non negatam eſſe gratiam, & vocationem Dei, ſed dilatam; ſignificans eis, quibus nunquam prædicatur non differri, ſed negari. Reſpondeo. D. Proſper loquitur primò de vocatione, & gratia abundanti Euangelica, & externa, quæ fidelibus miniſterio Eccleſiæ diſpenſatur. Secundo, de Gratia, & Vocat. efficaci ad ſalutem. Tertio de gratia, & vocatione proxima ad actus fidei ſtrictæ. Omitto ea, quæ poſſunt opponi ex Proſpero negãte infidelibus veras virtutes, & opera abſolute bona. Quia eadem Proſpero, quæ nuper dicebamus Auguſtino, dicenda ſunt.

Occurritur

Obiectio quinta.

82. Quinto obijci poteſt D. Thomas 2. 2. quæſt. 2. art. ad 1. dicens, infidelibus negari auxilium ad credendum, & diligendum Deum in pœnam originalis peccati iuxta doctrinam Auguſtini lib. de Correctione, & Gratia cap. 11. Reſpondeo. Agit D. Thomas de auxilio gratiæ reddente homini facultatem proximam credendi per actum fidei ſtrictæ propter reuelationem Dei ab Eccleſia propoſitam, non vero de alijs auxilijs ad opera virtutum moralium, quæ ad hanc facultatem impetrandam diſponant,

Exponitur.

diſponunt, de quibus à nobis diſſeritur. Secundo loquitur D. Thomas de omni auxilio gratiæ proximo, & remoto ad credendum neceſſario, quod à Deo negari docet, non omnino, ſed pro quibuſdam temporis interuallis, eis videlicet in quibus Deus ſe ſolo abſque miniſterio, & excitatione creaturarum illud conferret, vt fidelibus conferre ſolet. Interruptionem enim auxilij ſupernaturalis pœnam eſſe originalis peccati non ſolum infidelibus, verumetiam plerumque fidelibus, plures Theologi volunt; in eoque ſenſu interpretantur Auguſtinum adductum à D. Thoma.

Sexta obiectio.

83. Sexto hac ratione arguitur. Gentes non aſſequuntur quidpiam ſupernaturale, vt ab obiecto naturali diſtinctum. At vocationes, & actus ſupernaturales mouentur ex obiecto formali ſupernaturali, vt à naturali diſtincto. Ergo gentibus alienæ ſunt vocationes, & actiones ſupernaturales. Pater Granadus controuerſ. 8. de Gratia tract. 6. diſp. 1. num. 38. & P. Didacus Ruiz de Prædeſt. diſp. 46. ſect. 5. reſpondent, Paganos non aſſequi quidpiam ſupernaturale expreſſe, & formaliter: aſſequi tamen implicite, & virtualiter; quod ſufficit, vt agant actus intrinſecè ſupernaturales. Sed contra primo. Vt bonitas moralis conferat ſpeciem actibus virtutum non ſufficit virtualiter, & implicite tantum bonitatem attingi, ſicut ad malitiam ſatis eſt; ſed opus eſt amorem explicite, & formaliter in illam ferri, vt communiter definiunt Theologi. Ergo vt actus virtutis ſit ſupernaturalis ex obiecto formali, non ſufficiet ſolum virtualiter, & implicite bonitatem ſupernaturalem attingi. Secundò. Nulla ratio obiectiua cognoſcitur virtualiter, & implicite, niſi in alia explicite, & formaliter cognita. At nulla ratio obiectiua cognoſcitur à Paganis formaliter, & explicite, in qua motiuum ſupernaturale implicite, & virtualiter cognoſcatur. Ergo. Maior probatione non eget. Minor probatur. Ratio explicite cognita à Pagano, in qua motiuum ſupernaturale implicite cognoſcatur, verbi gratia, in materia iuſtitiæ, aut eſt honeſtas iuſtitiæ communis iuſtitiæ naturali, & ſupernaturali, aut differentia particularis honeſtatis naturalis, aut differentia honeſtatis ſupernaturalis. Differentia honeſtatis ſupernaturalis non poteſt eſſe eiuſmodi ratio obiectiua explicite cognita, alias ſupernaturalitas obiecti non implicite, ſed explicitè diſtingueretur. Neque eſt differentia honeſtatis naturalis, nam in differentia honeſtatis naturalis à ſupernaturali diſtinctæ non continetur honeſtas ſupernaturalis ſufficiens efficere actum, qui ex illa mouetur, ſupernaturalem; alioqui actus ſupernaturalis haberet obiectum formale commune cum actu ſupernaturali; imo omnis actus virtutis ex obiecto formali eſſet ſupernaturalis. Nec item eſt ratio communis iuſtitiæ naturali & ſupernaturali, nam ſub ea ratione æquè continetur iuſtitia naturalis, ac ſupernaturalis; atque adeo ex illa ratione obiectiua actus non erit potius ſupernaturalis, quam naturalis.

P. Granadus & P. Ruiz non ſatisfaciūt.

84. Dices ex Patris Granadi, & P. Ruiz doctrina, notione quidem naturali non aſſequi Gentiles differentias obiectorum ſupernaturalium, cogitationibus tamen ſupernaturalibus infuſis à Deo illas aſſequi, quamuis non certo, & euidenter, ſed ſub dubio, & obſcure: vt beatitudinem eſſe, nulli miſeriæ obnoxiam, virtutem eſſe viribus naturæ ſuperiorem, Deum bonorum remuneratorem, & malorum vindicem, & alia huiuſmodi. Sed contra primo, quia cogitatio ſupernaturalis dubia, & incerta eſſe non poteſt, vtpote falſitati ſubiecta, præſertim ſi enunciatiua ſit, qualem indicant hi Theologi. Secundò, quia ſub hac dubitatione etiam naturale lumen poteſt ea obiecta percipere, & voluntas lumine naturæ directa eadem obiecta amore proſequi, ac proinde amor naturalis directus ex ratione naturali ferri poterit in obiectum formale commune amori ſuſupernaturali, qui dirigitur ex ſupernaturali illuſtratione. Præterea planius, & ſecurius reſpondetur ex diſp. 45. poſſe actum naturalem, & ſupernaturalem ex eodem obiecto formali moueri, & actum naturalem in motiuum ſupernaturale, & ſupernaturalem in motiuum naturale ferri. Quare poſſe vocationes, & actus honeſtos Paganorum eſſe intrinſecè ſupernaturales, quamuis obiectum eorum ſupernaturale non ſit, ſed naturale. Ac per conſequens poſſe eos in ſalutem, & fidem aſſequendam diſponere ac promouere.

Vlterior explicatio P. Granadi & P. Ruiz.

Redarguitur.

Manifeſtma ſolutio.

85. Septima obiectio. Gratia intrinſecè ſupernaturalis non præbetur Gentilibus, quando Gentiles reipſa virtutis officio non incumbunt, eſſet enim nimis profuſa, & otioſa ea gratiæ ſupernaturalis largitio. Ergo nec præbetur, cum reipſa virtuti incumbunt. Nam gratia non tantum præbetur, vt arbitrium actu operetur, verumetiam vt operari poſſit. Pater Molina in concordia diſp. 11. docet Deum præſto eſſe gratiam præuenientem conferre infidelibus, quos præuidet operaturos: illam tamen eis ſubtrahere, quos non operaturos prænoſcit. At non acquieſco. Tum quia argumenta noſtra non ſolum internam præparationem Dei, verum etiam exequutionem, & largitionem externam gratiæ manifeſto conuincunt. Tum quia etiam illi, qui reipſa non operantur, potuerunt proxime operari, itaut per Deum non ſteterit, ſed per ipſos, quod actus ſalutaris factus non ſit. Ergo reipſa præueniuntur auxilio gratiæ, quo proximè eum actum eliciant. Itaque aſſerendum eſt, eam gratiam ſufficientem, nec ocioſam, nec nimis profuſam eſſe, vt gratia ſufficiens fidelibus præſtita talis non eſt, quia altiſſimi fines Deo ſunt, vt his, quos in finem ſupernaturalem direxit, media ſufficientia, & non efficacia prouideat, vt prouidet pluribus fidelibus. At non ſingulis temporum momentis, ſed cum proxime in honeſtatem, ac officia virtutis animum aduertunt, quod Gentilibus tot vitiorum vinculis præpeditis, & ignorantiæ tenebris obſcuratis, nimis frequens non eſt.

Poſtrema obiectio.

P. Molina.

Diluitur.

S

Digitized by Google

SECTIO DECIMAOCTAVA.

Concluditur probatio noſtræ ſententiæ de facienti quod in ſe eſt.

Collectio ex gratia Gentium.

86. Certe ſi Deus auxilijs ſuæ gratiæ Paganos viſitat, eorumque conatus honeſtos, vt ſalutares fiant, anteuertit, quando arbitrium aggredietur facere, quod in ſe eſt, non præuentum auxilio gratiæ? Nunquam ſanè crediderim, cum nullos homines adeò ſupernaturalis prouidentia deſeruerit, ac barbaros Gentiles, apud quos, nec nomen veri Dei auditum eſt. In cuius probationem vberius forſan quam alicui videbitur, argumentum protraximus. Ideo alia argumenta, quæ idem iudicium confirmant, contrahamus.

Septima probatio noſtræ ſententiæ.

Septimò igitur ſic arguo. Natura rationalis eleuata in finem ſupernaturalem, & in opera virtutum infuſarum, quæ ſunt media neceſſaria ad illum, nunquam operatur quantum poteſt in actum ſalutarem, & ſupernaturalem alicuius virtutis, quin eum actum ſalutarem, & ſupernaturalem eliciat. Nam lege eleuationis conſtituitur homo potens ad actus ſalutares, quoties ipſe voluerit eos elicere; itaut per Deum non ſtet, ſed per hominem otium, & intermiſſio illorum. At ſemper ac efficit actum virtutis moralis, operatur quantum ex ſe poteſt in actum ſalutarem, & ſupernaturalem talis virtutis. Nam ex ſe non poteſt homo amplius agere in actum ſupernaturalem talis virtutis: quam in naturalem, nec ſuo conatu vnum ab alio valet diſcernere, præſertim mea opinione non diſtinguente obiectum formale actus ſupernaturalis ab obiecto formali actus naturalis. Ergo ſemper ac efficit homo actum virtutis moralis, v. g. miſericordiæ, elicit actum ſalutarem, & ſupernaturalem talis virtutis. Actum autem ſalutarem ac ſupernaturalem elicere non poteſt abſque gratia ſupernaturali. Ergo ex prouidentia Dei ſemper ac homo agit opus virtutis moralis præparatur voluntas auxilio gratiæ ſupernaturali.

Confirmatur.

Confirmatur. Cum voluntas agit actum virtutis moralis, vel poteſt in actu primo proximo elicere actum ſalutarem, vel non poteſt? Si non poteſt. Ergo per Deum non prouidentem gratiam ſupernaturalem ſtat talem actum non elicere, quod nec cum eleuatione ſupernaturali naturæ, nec cum deſiderio ſalutis hominum, nec cum promiſſis aſſiduis Dei conuenire poteſt. Si verò poteſt homo actum ſalutarem elicere. Ergo vel nunquam, vel ſemper cum opere bono morali elicit actum ſalutarem virtutis moralis, ac per conſequens ſemper agit voluntas opus virtutis moralis præuenta auxilio ſupernaturali. Probatur conſequentia, quia voluntas agens opus virtutis moralis ſemper agit quantum ex ſe eſt, vt circa illud obiectum ſalutarem eliciat, nempe ex ſe aliter in eum actum conari poteſt, nec re vera in alijs euentibus aliter conatur. Voluntas autem potens elicere actum ſalutarem, & agens quantum eſt ex ſe, vt illum ſalutarem eliciat, non poteſt non ex prouidentia Dei ſalutarem non elicere. Ergo voluntas agens opus virtutis moralis, vel ſemper, vel nunquam actum elicit ſalutarem. Neque plane fundamentum eſſe poteſt aſſerendi interdum à Deo ad actum ſalutarem præueniri, cum efficitur opus virtutis moralis, & interdum non præueniri.

Octaua probatio.

87. Octauo. Ante legem Euangelicam, & ſcriptam, qui degebant in lege naturali, præueniebantur auxilijs gratiæ ad illam obſeruandam, vt actibus ſalutaribus, & ſupernaturalibus in ſalutem æternam promouerentur. At illa auxilia gratiæ non infundebantur à Deo miniſterio alicuius creaturæ excitantis mentem in obiecta ſupernaturalia, ſed naturalia dumtaxat, quæ ratio naturalis aſſequebatur, cum nulla tunc eſſent Prophetarum eloquia, neque Euangelica prædicatio. Ergo inſerebatur gratia cogitationibus naturalibus honeſti.

Tertullianus.

Quo opportunum venit teſtimonium Tertulliani lib. contra Iudæos: *Legem Moyſi ſcriptam in tabulis lapideis, legem contẽdo fuiſſe non ſcriptam, quæ naturaliter intelligebatur; & à Patribus cuſtodiebatur. Nam vnde Noe iuſtus inuentus, ſi non illum naturalis legis iuſtitia præcedebat? Vnde Abraham amicus Dei reputatus, ſi non de æquitate, & iuſtitia legis naturalis? Vnde Melchiadec, Sacerdos ſummi Dei nuncupatus, ſi non ante Leuitica legis Sacerdotium fuerunt, qui ſacrificia Deo offerebant?* Adde; Vnde Iobus, & eius amici de iuſtitia coram Deo contendebant? Igitur cum ſola inſtructione legis naturalis miſcebatur illuſtratio ſupernaturalis ad illam adimplendam. Neque enim credendum eſt ſola gratia, & iuſtitia naturali eos Patres, & alios, quorum ſacer textus non meminit, in ſtatu legis naturalis amicos fuiſſe Deo, & in ſalutem promotos.

Proſper.

Verum enim eſt illud Proſperi ad cap. Gallor. 8. *Nec alia gratia, aut alia fide quemquam hominum ſiue ante legem, ſiue legis tempore iuſtificatum eſſe credendum eſt, quam hac eadem, per quam Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſecundum conſilium voluntatis ſuæ in fine ſæculorum venit quærere, & ſaluare, quod perierat.* Ergo amici Dei, & reliqui ante legem Moyſi in ſalutem directi eodem prorſus auxilio gratiæ, quo olim Hebræi, & nunc Chriſtiani, iuuabantur, etiamſi ſola illis eſſet inſtructio legis, & honeſtatis naturalis. Quare mox adiungit illud *omnium hominum cura eſt Deo*, quod adduximus num. *66*.

Chryſoſtomus.

Quo etiam attinet teſtimonium Chryſoſtomi, quod habes num. 60. vbi teſtatur eos, qui ante Chriſtum, & legem obierunt, ſi ab idolorum cultu recedentes, & naturali rationi obſequentes, Deum ſolum adorarunt, æternam beatitudinem adeptos fuiſſe.

Clemens Alex.

Item Clemens Alexandrinus propoſitus num. 58. ſcribens, Græcis ante aduentum Chriſti, datam eſſe Philoſophiam qua vocarentur ad eam, quæ eſt ex fide iuſtitiam. Igitur ſimul cum lumine naturali coniunctum eſt ſupernaturale, vt arbitrium agens quod in ſe eſt, moueatur lumine ſupernaturali in vitam æternam, in quam deſtinatum eſt.

Probatio nona.

88. Nono. Eximij conatus naturæ in bonum honeſtum virtutum moralium lege Dei præueniuntur auxilio gratiæ. Ergo vniuerſim

omnes conatus in bonum honeſtum auxilio gratiæ præuenti ſunt. Antecedens approbat communis conſenſus Theologorum, qui renuunt admittere dilectionem efficacem Dei, victoriam grauis tentationis, integram obſeruantiam legis naturalis haberi poſſe abſque gratia Theologica. Quæ gratia ex natura rei, neque ad eos præſtantes actus neceſſaria eſt. Nam vt probabo vberi diſputatione lib. 5. gratia Theologica eſt intrinsecè ſupernaturalis. Gratia autem intrinsecè ſupernaturalis non eſt per ſe neceſſaria ad actus intrinsecè naturales, quales poſſunt eſſe eximij illi conatus naturæ, quos in antecedenti propoſuimus. Ereenim auctis numero, intentione, & delectatione, illuſtrationibus Intellectus, & affectionibus voluntatis nulli ſunt actus, qui non ſolum ſimpliciter, ſed etiam facilè fieri nequeant. Conſequentia probatur, quia non eſt ratio ad ſtatuendam legem Dei de auxilio gratiæ comitante aliquos conatus naturæ, & non omnes. Nam ea lex colligenda eſt ex ſacris ſcriptoribus, & Eccleſiæ Patribus. Hi autem ſuis teſtimonijs ſine diſcrimine gratiam ad omnes requirunt, cum docent, ſine auxilio diuino non poſſe hominem reſiſtere tentationi, nec legem implere, nec ſuorum ſcelerum pænitere. Nam diſcrimen non faciunt inter grauem, & leuem tentationem; præcepta operum nobilium, & ignobilium; ſed nullo facto diſcrimine aiunt, neque præcepta ſeruari; neque tentationem ſuperari poſſe ſine gratia Dei. Imo hæc auxilia quotidiana, & crebra exiguntur, cum heroica victoria tentationis, & legis obedientia in ſignis rara ſit; vt optimè expendit Pater Vaſquez 1.2. diſp. 109. Ergo aut ad omnem, aut ad nullum amorem honeſti præcurrit lege Dei auxilium gratiæ. Item aut ad omne opus morale admittenda eſt diſtinctio operis conducentis in vitam æternam, & non conducentis, aut ad nullum. Quare cum abſolutè ſupponatur; omnem victoriam honeſtam grauis tentationis eſſe ſalutarem, & ex auxilio gratiæ profectam, omnem miſericordiam heroïcam, omnem deteſtationem vniuerſalem peccatorum etiam ex motiuo virtutis moralis, omnem dilectionem efficacem Dei, nulluſque detur locus actui egregio virtutis moralis ſuperanti grauem tentationem, diſtribuenti in pauperes omnes facultates, aut quidpiam heroïcum agenti, qui à barbaro procedat ſine præuentione gratiæ, & fructu ſaluris; conſequenter etiam quiuis alius actus virtutis moralis admitti non debet factus ſine auxilio gratiæ, & fructu ſalutis. Alias eodem modo poſſet admitti heroïcus actus virtutis moralis factus ſine auxilio gratiæ, qui ſalutaris non ſit. Teſtimonia Conciliorum, & Patrum videatur apud Vaſquez ſupra. Quibus plurima addere promptum erat, ſi iam nimis prolixa diſputatio ferre poſſet. Notare tamen non prætermittam, ſi ad integram obedientiam legis naturalis; ſi ad non peccandum, & tentationi ſuccumbendum gratia neceſſaria eſt, & omnibus datur, etiam ad ſingulas leges, ſingulaſque tentationes gratiam dari: nam poteſtas ad omnia ſeruanda præcepta, & vincendam omnem tentationem ex gratia prouenire non poteſt, niſi ad ſingulos actus poteſtas compleatur ex gratia; nam poteſtas ad omnes actus complectitur poteſtatem ad ſingulos. Neque aſſequor quomodo ad omnes, quin ad ſingulos gratia poteſtatem conferre poſſit.

P. Vaſquez

89. Denique probatur noſtra ſententia ex communi fidelium conceptione qua credunt, quodlibet opus bonum morale cuiuſcumque virtutis ſit factum à iuſto, eſſe meritorium gratiæ, & gloriæ, & à peccatore factum eſſe impetratorium, & præparatiuum animæ ad gratiam, & remiſſionem peccati, quamquam nullum cernant diſcrimen, quo tale opus à merè naturali diſtinguant. Eo vt hominem venerentur ſanctum, & iuſtum; imo vt Eccleſia in Sanctorum numerum referat, ſufficit agnouiſſe toto vitæ decurſu temperantiæ, miſericordiæ, humilitati, pænitentiæ, religioni, & aliarum virtutum officijs deditum fuiſſe, etiamſi illa indifferentia ſint ad virtutes naturales, & ſupernaturales. Hęc autem communis fidelium conceptio vera eſſe non poteſt, niſi verum ſit, ad quodlibet vocationis exercitium, præire adiutorium gratiæ, quod illud ſalutare, & ſupernaturale reddat. Igitur certum eſt, nullam amori à voluntate honeſtatem, quin antecedat auxilium gratiæ. Ac tandem vt arbitrium agat, quod in ſe eſt in amorem alicuius obiecti honeſti ſibi propoſiti ſemper præueniri auxilio gratiæ? En quot & quantæ rationes theologicæ conferant gratiam præuenientem omnes conatus naturæ agentis, quod eſt in ſe in amorem honeſti, latius forſan, quàm alijs placiturum auguror, probationem produximus. Verum grauitas, & nouitas rei omnia iſta argumenta vendicabant. Neque aliter ſuaderi poterat conſtitutio aliqua voluntatis diuinæ, cui effectus illam à poſteriori indicantes deficiebant, quam ex teſtimonijs ſacris, & Eccleſiaſticis monumentis. Et quidem ſi aliquid conijciendum eſt ex Patrum ſcriptis & Theologicis rationibus, videtur ſatis euidenter demonſtratum, legem iſtam præueniendi auxilio gratiæ naturam agentem quod eſt in ſe, coniecturabilem, & probabilem eſſe. Quippe quam ſuadent ſacra teſtimonia, & argumenta Theologica deſumpta; tum ex generalitate gratię auxiliantis, tum ex naturæ vilitate ſolis ſuis viribus relictæ, tum ex frequentia vocationis diuinæ, tum ex gratia auxiliante Gentilium, tum ex eleuatione naturæ in finem ſupernaturalem, & accurata, ac vigili prouidentia ſupernaturali Dei, tum ex ſubſidio gratiæ ad eximios conatus naturæ; tum denique ex regimine ſupernaturali, quo Deus homines degentes in lege naturæ in ſalutem dirigebat. Quis enim neget has omnes conjecturas fidem ſufficientem conciliare ad credendum, lege vniuerſali Dei præcurrere gratiam ante naturam agentem quod eſt in ſe in amorem cuiuſcumque honeſti?

Poſtrema probatio.

Digitized by Google

SECTIO DECIMANONA.

Expenditur auctoritas Antiquorum Scholaſticorum pro noſtra ſententia.

90. IN hanc ſententiam expreſſa, noſtræque menti omnino adæquata Theologorum iudicia non habeo, vt nec contra illam momẽti aliqua inuenio. Tamen illi fauent plurima, & non contemnenda teſtimonia, ex quibus ſine vi ſententia colligitur. Nam licet proloquium de facienti, quod in ſe eſt, non explicent omnes eo ſenſu, quo nos expoſuimus, tamen doctrinam, & principia, quibus talis ſenſus continetur, meliores, & frequentiores tradunt. Ducem aduoco, & ſpecto Theologorum Principem
S.Thomas S.Thom. qui 1.2. q. 109. art. 6. ad 2. ſic habet. *Nihil homo poteſt facere, niſi à Deo moueatur, ſecundum illud* Ioan. 15. *ſine me nihil poteſtis facere: & ideo cum dicitur homo facere, quod in ſe eſt, dicitur hoc eſſe in poteſtate hominis, ſecundum quod eſt motus à Deo.* Igitur nullum excludit bonum opus morale, quod ſalutare, & ex gratiæ diuinę motione antecedenti non fiat; indeque lucem ſuam tribuit communi propoſitioni, quod facienti, quod in ſe eſt, Deus non denegat gra-
Ad Rom. 10 tiam. Similiter ad Rom. 10. lect. 3. prope medium agens de barbaris hominibus, qui nutriuntur in ſyluis, & ignorantia inuincibili excuſantur ab infidelitatis peccato. *Si qui tamen eorum feciſſent quod in ſe eſt, Dominus eis ſecundum ſuam miſericordiam prouidiſſet. Sed tamen hoc ipſum, quod aliqui faciunt quod eſt in ſe, conuertendo ſe ſcilicet ad Deum, ex Deo eſt, mouente corda ipſorum ad bonum.* En loquutionem de facienti, quod eſt in ſe, accipit de eo, qui agit motus auxilio gratiæ diuinæ in bonum. Fauet etiam in 4. ſent. diſt. 20. q. vnic. art. 1. quæſt. 1. corpore. *Deus, qui dat omnibus abundanter, nulli gratiam denegat, qui, quod in ſe eſt facit, vt ſe ad gratiam præparet.* Hoc eſt, vt ſe ad gratiam præparet, nulli, quod in ſe eſt facienti denegat gratiam auxiliantem. Si ergo finis impertiendi gratiam auxiliantem eſt diſpoſitio ad gratiam, nulla diſpoſitio ad illam antecedit auxiliantem gratiam, ſed tanquam medium prouidetur ante illam; cuius argumento eſt abundantia mediorum, quæ Deus omnibus diſponit ad conſequutionem ſuorum finium. Identidem 1. 2. q. 109. art 4. ad 2. manifeſtè docens, integram totius legis obedientiam quibuſlibet hominibus eſſe poſſibilem, non per vires naturales arbitrij, ſed per auxilia gratiæ diuinæ; vbi perſpicuè ſupponit, auxilia diuinæ gratiæ à Deo impendi ad non furandum; non concupiſcendum, honorandum Parentes, aliaque opera nobis frequentia, & lege naturali præcepta, quæ licet abſolutè adimpleri poterant auxilijs naturalibus; cæterum, vt eorum obſeruantia ſalutaris ſit, auxilio gratię, vtique ſupernaturalia, hominibus in finem ſupernaturalem eleuatis impendi: quibus operibus non abſona ſit conſequentia ad reliqua naturalia, ad quæ præuenienda auxilio gratiæ in natura eleuata eadem exiſtit diuinæ prouidentię ratio. Eodem ſpectant, quæ ſcribit lib. 1. ſententiarum, diſt. 40. q. 4. art. 2. in
ſed contra & in Ioan. cap. 6. lect. 5. ad illa verba: S. Thomas.
Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum; & alibi ſæpè in defectum cooperationis arbitrij, non in defectum auxilij gratię quod præſto adeſt ad omnes conatus voluntatis creatæ, recuſans defectum operum ſalutarium; & ſalutis. Vnde merito credideris, cum in 2. d. 28. q. 1. art. 4. in corpore, & ad 4. & q. 14. de veritate art. 11. ad 1. adductus verbatim diſput. 17. num. 58. tradit, hominem, qui ductus lumine naturali rationis ſequitur amorem boni, & fugam mali, poſſe peruenire ad ſalutem, ſanè ductu luminis naturalis non excludere illuſtrationes ſupernaturales, quæ eadem naturalia bona cum illuſtrationibus naturalibus referunt: ſed eas tantum, quæ ex obiecto etiam ſupernaturales ſunt, & alia motiua proponunt extra communem ordinationem cauſarum naturalium. Nam vt ponebam n. 6. inſerit ſe Deus cogitationibus ſupernaturalibus in eadem obiecta, quæ naturalibus occurrunt. Quare in 2. d. 28. ſupra, *gratiam eſſe, ait, quodcumque excitatiuum voluntatis exhibitum homini à diuina prouidentia, ſine eoque hominem non poſſe ſe præparare ad habendam gratiam gratum facientem.* Quippe quia cuicumque excitatiuo voluntatis in bonum miſcetur diuina prouidentia ſupernaturalis circa eadem obiecta cogitationibus ordinis ſupernaturalis efficiens ſalutares conatus voluntatis. Conijcio; quia ea excitatiua ponit exhiberi à diuina prouidentia, non à cauſis naturalibus, quæ in bonum honeſtum ſemper aſſiſtit homini ſupernaturalis. Item quia Carthuſia-
Carthuſianus in eamdem diſt. q. 2. teſtatur; nus.
ſi ritè D. Thomas intelligatur, nulla ratione à D.
Bonauentura diſcrepare. At D. Bonauentura ma- D. Bona-
nifeſtè noſtræ ſuffragatur opinioni, vt mox uentura.
videbis.

91. Ergo D. Bonauenturam audiamus in 2. d. 28. art. 2. q. 1. corpore: *Vix aut nunquam libertas arbitrij deſtituitur omni gratia gratis data, per quam ſic intelligitur omne quod ſuperadditur naturalibus adiuuans aliquo modo, ac præparans voluntatem ad habitum, vſumue gratiæ, ſiue ſit habitus, ſiue inſtinctus diuinus, aut alloquutio interior excitans animum hominis ad conuerſionem, & vix aliquis ſine his inuenitur, nec ſine huiuſmodi gratia aliquis ſe diſponit.* Vt igitur vix arbitrium deſtituitur cogitationibus naturalibus honeſtis, quæ ad lumen rationis naturalis ſpectant, ſic vix Deo ita prouidente deſeritur ab illuſtrationibus, & vocationibus ſupernaturalibus, quibus ad bonum excitetur, indiuiduoque nexu naturalium, ac ſupernaturalium illuſtrationum voluntas humana foueatur. Quo ſic elucidat Seraphicus Doctor prouerbium præſenti diſputatione ſuſceptum; *Nunquam aſſurgit liberum arbitrium ad gratiam gratum facientem cognoſcendam, appetendam, aut petendam, niſi deſuper excitetur per gratiam gratis datam. Quæ cum omnibus præſto ſit, Dominus in ſcripturis ſic loquitur, quaſi in nobis ſit conuerti ad ipſum, videlicet præſuppoſito huiuſmodi gratis dono; & ideo, qui agit, quod in ſe eſt, habet in promptu hoc donum, & per illud gratiam gratum*

facientem ſortitur. Quia ergo gratia auxilians ſupernaturalis præſto eſt, & præuenit omnem conatum voluntatis, ideo in noſtro conatu, & arbitrio poſitum eſt, gratiam iuſtificantem adipiſci. Ex natura rei quidem poſſumus ex viribus naturæ cognitione, appetitu elicito, & petitione in gratiam iuſtificantem moueri, vt reliquimus diſp. 14. ſect. 3. & diſp. 19. ſect. 1. modo tamen id nunquam poſſumus ſine auxilio gratiæ, quia vt omnia bona nobis ſalutaria ſint, lege Dei ſtabilitum eſt, vt deſuper auxilio gratiæ præueniamur. Quare cum in 3. diſt. 25. art. 1. q. 2. in penultimo argumento obiecisſet, in lege naturę eos, qui opere implebant, quæ erant dictaminis naturalis, peruenire ad ſalutem, reſpondet, id verum eſſe; quia lex naturæ adiuta per gratiam internam ſatis dictabat, ac fouebat facultatem naturæ, vt poſſent homines ſalutem obtinere. Item vltimo argumento opponens defuiſſe Gentilibus notitiam eorum, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, ſatisfacienſque argumento ait: *diuina gratia omnibus præſto erat, & natura ad hoc manuducere poterat ex conſideratione ſua miſeria, & curuitatis, & ex eruditione quadam generali, quam accipere poterant à viris, qui erant in cultu Dei famoſi.* Et poſt pauca: *Indubitanter verum eſt, quod eis præſto erat notitia neceſſaria, quanta opportuna erat ſecundum exigentiam temporis; tum ex dictamine natura, tum ex aliena inſtructione, tum etiam ex Dei inſpiratione, qui ſe offert omnibus &c.* Eo itaque vinculo auxilia gratiæ auxilijs naturæ iuncta ſunt, vt illa iſtis continuò inſerantur, certiuſque ſit, naturalia defutura ad virtutum naturalium actus, quàm ſupernaturalia iuxta opportuna naturæ ſubſidia ad nobiles conatus naturæ ſalutares efficiendos. Et quidem ſi aliqui conatus hac prouidentia deferendi erant, maxime Gentilium, qui à prouidentia ſupernaturali omnium remotiſſimi ſunt. Ergo ſi his etiam præſto adeſt gratia Dei, & tum naturali conſiderationi rationis, tum aliorum inſtructioni inſeritur, qui credi poteſt, omnibus cogitationibus naturalibus honeſti non miſceri? De quo à ſect. 12.

Albertus Magnus. 92. Albertus Magnus in 2. d. 28. art. 1. ad 4. ait facienti, quod in ſe eſt, Deum dare gratiam; *quia hoc eſt facere, quod in nobis eſt; quia ſi hoc feceremus, Deus ineuitabiliter dat gratiam, quia ipſe vno modo ſe habet ſemper ad nos, ſcilicet gratiam porrigendo.* Quod clarius expreſſerat 2. p. q. 100. memb. 1. aiens; *profanum eſſe dicere, niſi quod gratia ſemper præuenit voluntatem, & eligit eam, vt*

Alexander. *velit bonum.* Similiter Alexander 1. p. q. 28. memb. 2. art. 2. Deum quod ex ſe eſt, ſe gerere æqualiter ad omnes inſtar ſolis illuminantis, quamuis nos non hos geramus æqualiter ad illum. Vnde nulli vnquam deficit illuminatio Dei ad ſequendum bonum. Quod poſuit 3. p. q. 69 fine his verbis: *Deus ſemper porrigit omnibus gratiam ſuam, non tamen omnes extendunt manus: id eſt voluntatem, vt recipiant eam.* Si porrigit ſemper, vt quantum eſt ex parte Dei non deficiat, quis credet voluntati conanti, quan-

Guilliel-mus Alt. tum eſt ex ſe, illam deeſſe? Guillielmus Altiſiodorenſis lib. 3. tract. 2. q. 5. oſtendens fieri neceſſariam argumentationem à conatibus naturę ad gratiam, obijcit. *Fortè dices, quod hæc coniunctio, ſi aliquis facit, quod in ſe eſt, Deus dat ei gratiam, non tenet conſecutiuè, ſed adiectiuè. Contra. Deus pulſat ad oſtium, vt intret. Iſte aperit, qui facit, quod in ſe eſt. Ergo aut Deus intrat, aut non intrat. Si non intrat. Ergo pro nihilo pulſat. Sed hoc eſt impoſſibile. Ergo neceſſarium eſt, quod Deus dat ei gratiam, & ita argumentatio eſt neceſſaria.* Pulſare autem prius eſt, quàm aperire. Ergo gratia pulſans prius eſt, quam natura aperiens agendo quod eſt in ſe. AEgidius in 2. d. 5. q. 2. art. 1. corpore, AEgidius.
& ad 1. docet: *cogitationes, impetus, loquutiones, pulſationes, motiones, continuè, vel quaſi continuè, ſemper, aut quaſi ſemper facit Deus in anima noſtra, quas ſequendo poſſumus ſuſcipere gratiam.* Expende gratiam auxiliantem, quæ à cogitationibus, pulſationibus, & motionibus diuinis indiſtincta eſt, continuè, & ſemper impendi. Item animam ſuſcipere gratiam, illas ſequendo. Ergo gratia auxilians continuè & ſemper adeſt noſtris conatibus, qui ſequentes motionem priorem gratię auxiliantis ad gratiam iuſtificantem perducunt. Eadem docet AEgidius d. 7. q. 1. art. 2. & d. 28. q. 1. art. 3. fine: *Adulti ſi ſemper feciſſent, quod in ſe eſt, & non reſtitiſſent diuinæ motioni, & vocationi, habuiſſent diuinam gratiam. Quam, niſi volentes nunquam perdidiſſent.* Vndè ſupponit duo; alterum, facere quod in ſe eſt, & non reſiſtere, ſed obtemperare diuinæ motioni præuenienti, idem eſſe. Alterum eam vocationem ſemper, & omnibus promptam eſſe. Item q. 2. art. 2. in fine dubij lateralis: *Per liberum arbitrium poſſumus ſequi Deum vocantem, & mouentem nos ad gratiam, quod faciendo, dabitur nobis gratia. Si enim facimus totum, quod in nobis eſt, Deus facit, quod in ſe eſt. Eſt ergo culpa noſtra, ſi totum, quod in nobis eſt agere nolumus, & diuinæ vocationi obicem voluntarie præbemus.* Quibus manifeſtè tradit, hominem facere quod in ſe eſt ſequendo vocationem antecedentem Dei.
Ferrara 3. contra Gent. cap. 159. §. *ad huius euidentiam,* ſic habet. *Cum duplex ſit auxilium, ſcilicet habitualis gratia, & diuina motio, qua ad bonum dirigimur, & ad gratiæ præparationem excitamur; primum auxilium Deus non omnibus dat abſolutè loquendo, poſtquam peccauerunt; ſed benè omnibus ſe ad ipſum præparantibus; ex diuina motione concedit. Secundum autem auxilium omnibus impendit, & nulli, quantum ad hoc eſt abſens Deus, cum nullus ſit, qui ab eo non moueatur ad bonum, & ad gratiæ præparationem.* Igitur ſolum ad gratiam habitualem antecedit conatus naturæ factus ex gratia actuali; hanc autem gratiam nullus præcedit, ſed potius illa omnibus impenditur, & præuenit conatum naturæ in bonum. Ferrara.

93. Enricus Quodlibeto 8. q. 3. poſt medium: *de proceſſu gratiæ in adulto ante baptiſmum licet poſt baptiſmum in ſtatu peccati mortalis, tenendum eſt, quod Deus peccatorem gratia gratis data præuenit ſtatim, cum venit ad vſum liberi arbitrij, vt per deliberationem aliquid agere poſſit, qui ſi per liberum arbitrium bene ſe erga eam habeat de congruo diſponitur, vt Deus ei gratiam iuſtificantem tribuat.* Et poſtquam ſtatuit gratiam præuenientem eſſe admonitionem, & impulſum, quo mouetur homo, vt non velit delinquere, ſubdit. Enricus.

Offertur iſta admonitio æqualiter omnibus, vt dictum eſt; ſicque credendum eſt, quod etiam poſt peccatum prima gratia plures viſitat: En prius præuenit gratia, vt liberum arbitrium benè deliberet de bono; quæ etiam obduratos pluries viſitat, nempè cum tanguntur admonitionibus naturalibus boni. Scotus. Scotus in 2. diſt. 28. q. vnica §. *Ad argumenta*, docet Gentiles præueniri auxilio gratiæ diuinæ ad ſeruandam legem naturæ, ſicut Iudæi ad ſeruandam legem Moyſi præuenti ſunt. Gregorius. Gregorius in 2. diſt. 28. q. 1. art. 3. ad 11. fine totius quæſtionis: *Conſtat quod non plus eſt in poteſtate creaturæ, vt eam Deus iuuet adiutorio generali, quam ſit in eius poteſtate vt eam iuuet adiutorio ſpeciali, quo iuuat ad bene agendum. Sicut ergo ex indigentia adiutorij generalis non poteſt inferri, quod actus voluntarius non ſit in poteſtate hominis, ſic nec ex indigentia adiutoris ſpecialis*. Quæ paritas momenti non eſſet, niſi ſupponeret auxilium ſpeciale ad bonum æquè promptum, & frequens omnibus parari, ac paratur generale ad omnes actus tam bonos, quam malos, & indifferentes. Item art. 1. conc. 1. & 3. requirens auxilium gratię ad omne opus virtutis moralis, *pro hoc ſtatu*, vt ſæpius loquitur, Capreolus. quam hac in re omnino ſequitur Capreolus ibidem art.

SECTIO VIGESIMA.

Plura Scholaſticorum teſtimonia pro noſtra ſententia.

94. SVperioribus conſonant plures alij. Carthuſianus. Carthuſianus in 2. d. 28. q. 2. probat ea, quæ ex D. Bonauentura adduximus num. 91. Bonauentura. Eadem refert, ac probat Gabriel in eadem diſt. colum. penult. Gabriel. Argentinas. Argentinas in 2. d. 27. q. vnica art. 3. poſt medium: *Per gratiam præuenientem ipſe Deus admonet per impetus ſpirituales; talibus enim admonitionibus Deus ſtat ad oſtium, & pulſat, ac petit à nobis noſtram conuerſionem.* Anteuertit igitur impetus gratiæ conatus naturæ. Marſilius. Marſilius in 1. q. 20. fine: *Poteſt homo interioribus Dei motionibus, vel etiam excitamentis exterioribus facere quod in ſe eſt: quod ſi faciat, Deus dat illi charitatem.* Vt detur homini charitas, opus eſt facere quod in ſe eſt; ad hoc autem præcurrunt interiores motiones gratiæ. Quare art. 3. propoſitione 5. ſtatuit, gratiam auxiliantem præuenire honeſtos omnes Gentilium conatus. Gerſon. Gerſon 1. p. ad pſal. 24. in reg. moral. litt. M. *Nulli facienti, quod in ſe eſt, hoc eſt, bene vtenti donis iam habitis, deeſt Deus in neceſſarijs ad ſalutem, ſiue illa ſint credenda, ſiue operanda.* Abulenſis. Abulenſis omnium clariſſimè, & frequentiſſimè in Ioſue cap. 11. q. 80. ad finem: *Gratia pulſatrix, vel præueniens ſemper aſſiſtit omnibus hominibus, pulſando eos, vt moueantur ad bonum; & ſi aſſentiant huic motui, bonum operantur, atque recipiunt gratiam gratum facientem, & iſta gratia pulſatiua omni tempore aſſiſtit cuilibet homini pungens ad bonum, vt patet Apocalyp. 3. Ecce ego ſto ad oſtium. Cum ergo ſit gratia iſta ſemper pulſans, in noſtra poteſtate eſt, quocumque tempore acquieſcere illi.* Melius in Matth. cap. 21. q. 211. de omnibus non ponentibus obicem etiam Gentilibus. *Deus eſt præſto omni hora, & inſtanti infundere gratiam nobis, facientibus, quod eſt in nobis; & ipſe quoque ſemper pulſat præueniendo, vt faciamus, quod in nobis eſt.* Quibus conſentiunt, quæ præmiſerat cap. 9. q. 181. ad 3. & 4. Accipe ad 3. *Ideo dicimus, quod in poteſtate hominis eſt facere quod in ſe eſt; quia præſupponimus eum moneri à Deo, quia tamen iſte modus eſt communis, quia omnes monet, & ſemper eſt quaſi in nobis &c.* Nulla poterant eſſe menti noſtrę conſonantiora, & aptiora.

95. Attexamus aliorum ſuffragia, qui noſtro ſæculo viciniores ſunt. Enchiridion Colonienſe inſtitutionis ad Parochos tit. de Sacramento Pœnitentiæ fol. 91. præmittens gratiam eſſe bonum motum, bonamque cogitationem, ſubdit: *Iam conſtat Deum nulli homini gratiâ illâ deeſſe, adeo vt nullus ſit peccator tam ſceleſtus, cui Deus, quoad in hac vita ſuperſtes fuerit, hanc gratiam penitus ſubtrahat. Nam per hanc ſtans ad oſtium ſedulo pulſat; initium noſtræ ſalutis in nobis operari deſiderans. Et quis tandem eſt hominum, qui non ſentiat, ſe hac gratia præueniri, quod & gentes oſtendant opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium illis reddente conſcientia ipſorum?* Si nulli hominum quamuis ſceleſto, ſi gentibus benè moraliter agentibus datur ſemper, & continuò gratia, cui, rogo, ad rectè agendum quod eſt in ſe, denegatur à Deo? Roffenſis art. 36. contra Lutherum propius ad principium, quam ad medium; Roffenſis. *vt influentia generalis ſemper adeſt voluntati; ita & auxilium diuinæ gratiæ cunctis ad manus eſt præſens. Peccatoribus quantumuis ingentibus poteſtas vt fiant filij Dei oblata eſt, vt ſi faciant quantum in ſe fuerit ad hanc gratiam conſequendam præſto aderit auxilium Dei.* Driedo de captiuitate tract. 5. cap. 3. concluſ. 8. docet; Driedò. *Impias gentes nondum Chriſto annulo fidei deſponſatas præter naturalis ſynderesis inſtinctus, quibus naturaliter oderunt furtum &c. etiam quaſdam diuinarum excitationum viciſſitudines, ſed non tales, quales ſunt inter ſponſum, & ſponſam.* Item *omni homini iam adulto ſecundum viciſſitudines temporum diuinitus communicari auxilia quædam ſpecialia, vt excitationes, ſuaſiones, inſpirationes, & inſtinctus, quibus valeat ad quærendam gratiam Dei promoueri in viam ſalutis.* Dominicus Soto lib. 1. de natura, & gratia cap. 18. ad 2. Soto. *Ita Deus eſt omnibus præſentiſſimus ad oſtium pulſans, vt à ſe nihil omnino deſit officij, quin perditiſſimo etiam cuique opem ferat.* Item in 4 diſt. 5. q. vnica. §. *Hic primum omnium; vbi quis conatum naturalem apponit, Deus ſupernè illi affulget, & opitulatur.* Quare D. Thomam aſſerentem, eum, qui peruenit ad vſum rationis poſſe, & debere in Deum conuerti, intelligit de viribus gratię, quæ conatibus naturalibus ſupernè coniunguntur. Corduba. Corduba l. 2. q. 5. ad quartum argumĕtum decernit, *præſto eſſe Dei auxilium illuſtrantis hominem, & mouentis*, omnibus, qui vtuntur ratione, & faciunt, quod in ſe eſt. Viguerius inſtit. cap. 10. §. 4. initio. *Auxilium ſpeciale ſemper eſt paratum homini facienti, quod in ſe eſt.* Delphinus lib. 5. de iuſtit. pag. 226. diſſerens de ijs, qui nun-

Digitized by Google

quam Euangelium audierunt; *Deum adultum neminem reliquiſſe in natura ipſius ſolis viribus, at talentis, ſed aliquo ſemper auxilio peculiari ſuccurrere omnibus, & omnes adiuuare.*

Horantius.

96. Horantius lib. 1. loc. Cathol. cap. 45. prope finem. *Manſit poſſibilitas ad naturalia: atque hæc præterea libertas in ſupernaturalibus ad vtrumlibet, vt ſcilicet quoties cooperari velimus Deo, præſto ſit ad opitulandum nobis; quod ſi nolimus, neminem vi ſua permoneat.* Contarenus Cardinalis in Epiſt. de prædeſtinatione inter medium, & finem tradit, *Deum cordis ianuam perpetuo pulſare, eiuſque duritiem perfringere.*

Sonnius.

Franciſcus Sonnius in demonſtrat. tract. 12. de conſilijs cap. 8. ex profeſſo oſtendit; Deum non ſolum ad præcepta, ſed etiam ad conſilia ſuum auxilium omnibus præbere.

Camerarius.

Eadem habet Camerarius lib. 1. de gratia & lib. arb. cap. 8. & lib. 7. per totum præſertim cap. 8.

Medina.

Bartholomæus Medina 1. 2. qu. 109. art. 10. in qu. incidente conc. 1. & 3. & ad 4. aſſerit omnibus promptam eſſe gratiam ad ſalutem conſequendam, & ijs etiam, qui nunquam audierunt Euangelium diuinarum inſpirationum viciſſitudines concedit; quibus excitari, ſi facerent, quod in ſe eſt, à Deo illuminarentur de fidei veritate. Quibus conſona ſunt, quæ de infidelibus docet, q. 76. art. 2. ad vlt. & q. 89. art. 6. ad 2. Capreoli. Similia tradunt plerique alij huius ætatis Theologi.

Zumel.

Zumel to. 1. opuſc. diſp. 5. ſect. 2. conc. 5. & 8. to. 3. diſcurſu 5. conc. 3. & 6. 1. p. q. 23. art. 3. ſua q. 3. & 5. & 1. 2. q. 109. art. 10. diſp. 2. conc. 4. & q. 113. art. 4. diſp. 2.

Aragon. Stapletonius. Curiel.

Aragon. 2. 2. q. 2. art. 5 verſus finem. Stapletonus antydoto in epiſt. ad Rom. cap. 9. & antydoto in Ioan. cap. 6. Curiel. lib. 2. controu. 4. num. 134. pag. 252. & ſequentibus. Necnon Vega lib. 13. in Trident. cap. 12. col. vlt. auxilium gratiæ docens adeſſe continuum, & omnibus commune, ſicut concurſum generalem.

Bellarminus. Valentia. Toletus. Salmeron. Lorinus. Serarius. Leſſius. Cornelius. P. Suarez. Enriques.

Ex Societate Ieſu Bellarminus lib. 2. de gratia & lib. arb. cap. 8. ad 2. & 3. arg. & in recognitionibus ad prædictum librum 2. cap. 6. Valentia 1. p. diſp. 8. q. 3. punct. 4. tom. 1. de gratia ſufficienti conc. 2. ad 6. & 22. diſp. 1. qu. 2. punct. 2. Toletus in Ioann. cap. 12. annot. 22. Salmeron Roman. 1. diſp. 13. fine. Lorinus in Acta Apoſtolorum cap. 14. verſu 15. & 16. Serarius tom. 3. opuſc. Theologicorum opuſc. 1. lib. 1. contra Filidinum cap. 12. Leonardus Leſſius de prædeſt. ſect. 6. aſſert. 1. 2. Cornelius Cornelij 1. Corinth. 7. num. 143. & Hebræorum 3. num. 178. P. Franc. Suarez 1. p. lib. 4. de prouidentia circa reprobos cap. 3. num. 19. & 20. & lib. 3. de auxilijs cap. 6. Vaſquez 1. p. diſp. 97. præſertim cap. 5. Enriquez to. 2. de vltimo fine cap. 14. n. 6. & quodlibeto. 8. q. 5.

Quomodo nobis ſentiant ſuperiores Theologi.

97. Ingenue fateor, hos Theologos non exprimere iſtas motiones gratiæ omnibus etiã Gentilibus continuas, eſſe intrinſece ſupernaturales. Enimvero docent hæc auxilia eſſe gratiam Theologicam viribus naturæ ſuperadditam ex meritis Chriſti collatam, à Patribus contra Pellagianos requiſitam, eiuſdem conditionis cum eis, quæ præbentur fidelibus ad opera poſitiue conferentia in ſalutem. Vbi autem ſemel ponimus, dari auxilia intrinſece ſupernaturalia, & gratiam diſputatione Patrum contentam non eſſe aliam, quam intrinſece ſupernaturalem, vt fuſe explicabimus libro quinto. Probabilius, & conſequentius eſt, ſupernaturalia aſſerere ea auxilia, quæ ex communi Theologorum doctrina ſuperioribus conditionibus homini prouidentur. Igitur ad probabilitatem ſuperioris noſtræ ſententiæ non adducitur abs re propoſita Scholaſticorum auctoritas. Nec ſane ſcio quare grauetur Theologus admittere præberi omnibus hominibus etiam Gentilibus auxilia intrinſece ſupernaturalia, vbi vltra omnem exigentiam naturæ, & ex prouidentia ſupernaturali in fœlicitatem ſupernaturalem ea auxilia gratiæ Deus contulerit? Addo à me nunc ſolum contendi auxilia gratiæ Theologicæ perpetuo impendi omnibus hominibus etiam Gentilibus, vt agant, quod eſt in ſe in amorem honeſti. Ea autem eſſe intrinſece ſupernaturalia, euincemus, cum probemus diuiti diſputatione, non eſſe alterius entitatis, & conditionis gratiam, quam aduerſus oppugnatores gratiæ diſputatio totius Eccleſiæ probandam ſuſcepit. De quo lib. 5.

SECTIO VIGESIMA PRIMA.

Argumenta contra præcedentem doctrinam.

Argumenta duo prætereunda.

98. Contra legem præueniendi auxilio gratiæ omnem honeſtum conatum naturæ duo argumenta maximi momenti prætermitto. Alterum, quod à ſect. 12. ad 17. explicatum eſt, ſcilicet Gentium à fide remotarum conatus non præueniri auxilio gratiæ. Alterum, quod lib. 3. diſput. 45. diluendum eſt, ſcilicet obiectũ formale illuſtrationum & actuum intrinſece ſupernaturalium debere eſſe intrinſece ſupernaturale, ac differens ab obiecto formali cognitionum, & actuum intrinſece naturalium. Quibus prætermiſſis

Primũ argumentum Pius V. Gregorius XIII.

99. Sit primum argumentum hæc propoſitio 38. Michaelis Baij damnata à Pio V. & Gregorio XIII. *Cum Pellagio ſentit, qui boni aliquid naturalis, hoc eſt, quod ex naturæ ſolis viribus ortum ducit, agnoſcit.* Ergo eius contradicens vera eſt; ſcilicet poteſt agnoſci boni aliquid naturalis, quod ex naturæ ſolis viribus ortum ducat, ac proinde abſque conſortio gratiæ datur conatus naturalis moraliter bonus.

P. Vaſquez.

P. Vaſquez admittens nullum opus bonum morale fieri poſſe per ſe, & ex natura rei ſine auxilio gratiæ premitur hoc argumento. Eique reſpondet 1. 2. d. 190 cap. 18. hanc propoſitionem non ratione doctrinæ, ſed ratione cẽſuræ damnari, videlicet, quia Pellagianum, facit cum, qui ſentit poſſe ſine auxilio gratiẹ fieri boni aliquid naturalis. Hanc explicationem non probo. Tum quia plures propoſitiones, quæ cenſuram continent, damnant Pontifices in Michaele Baio ratione doctrinæ, vt 18. *Cum Pellagio ſentiunt, qui dicunt, eſſe neceſſarium ad ratio-*

uem meriti, vt homo per gratiam adoptionis ſublimetur ad ſtatum Deificum. Item 25. *A vanis, & otioſis hominibus ſecundum inſipientiam Philoſophorum excogitata eſt ſententia, hominem ab initio ſic conſtitutum, vt per dona naturæ ſuperaddita fuerit largitate conditoris, & in Dei filium adoptatus.* Similiter 26. 35. & aliæ plures, quæ continentes cenſuram, ratione doctrinæ reprobantur à Pontificibus. Ergo idem iudicari poteſt de propoſitione 38. de qua diſſerimus. Tum quia in re præſenti idem iudicium eſt faciendum de doctrina, ac de cenſura. Nam qui omne opus bonum etiam naturale cenſent fieri auxilio gratiæ, eo mouentur, quod oppoſita videatur Pellagij ſententia à Patribus, & Concilijs damnata; quare eiuſdem probabilitatis eſt, non poſſe fieri bonum opus ſine auxilio gratiæ, ac oppoſitum conſentire Pellagio. Ergo qui liberat ſententiam oppoſitam à Pellagiani ſenſu, nullam illi probationem, & veritatem relinquit.

Diluitur. 100. Argumentum ego facilius diluam. Primo. Michael Baius poſt peccatum Adæ ad eo vires humanas debilitauit, vt nihil boni intrinſece naturale eis poſſibile agnouerit, ſed quidquid boni illi conuenit, eſſe intrinſece ſupernaturale. Quod namque hic Autor naturam humanam ante peccatum extulit, eam poſt peccatum depreſſit. Nam ante peccatum dona gratiæ iuſtificantis, & virtutum quæcumque à Deo collata ſunt, hominis conſtitutioni eſſe naturalia, ac debita affirmauit, vt conſtat ex propoſitione 4. ad 13. Bullæ, & ijs, quæ nos expendimus diſp. 22. num. 4. At vero poſt peccatum à Deo libertatem naturalem extinctam fuiſſe voluit, vt niſi ſupernaturalis ſola ex dono auxiliorum gratiæ ad quidpiam boni non remanſerit, atque adeo Pellagianum cenſuit, quidpiam boni naturalis lapſæ naturæ tribuere. Quapropter propoſitio 39. ſequens hæc eſt: *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitioſa eſt cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Ioanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffuſa Deus amatur.* Non agnoſcit amorem medium inter vitioſum, & infuſum. Conſequenter propoſitio 37. antecedens eſt: *Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex ſola Philoſophia Prelationem præſumptionis humanæ cum iniuria crucis Chriſti defenditur à nonnullis Doctoribus.* Relegat omnino ex viribus naturæ amorem quidditate naturalem. Vnde ſecundo Michael Baius adiutorium gratiæ per ſe, & ex natura rei ad bonum agendum requirit, & non ſolum ex lege Dei. At nos tum amorem honeſtum intrinſece naturalem, ad quem ſolæ vires naturæ ſufficiunt, agnoſcimus; tum auxilium gratiæ ad quidquam boni naturalis agendum ex ſola Dei lege, non vero ex natura rei deſideramus. Vnde ſatis longo diſcrimine à Michaele Baio diſtamus.

Argumentum ſecundum. 101. Secundum argumentum fieri poteſt ex aliquot teſtimonijs Patrum Eccleſiæ, qui viribus naturæ tribuunt opera virtutum moralium, nulla facta mentione auxiliantis gratiæ. Baſilius. Ita Baſilius homil. 9. de opere ſex dierum, Damaſcenus lib. 3. de fide cap. 14. Gregorius Magnus hom. 24. in Euang. ad illud Chriſti, *Hoc eſt præceptum meum.* Proſper contra Collatorem cap. 22. lib. de ingraiis cap. 41. Leo Magnus ſer. 7. Quadrageſimæ cap. 2. Auguſtinus, aut qui autor eſt Hypognoſticon cap. 3. Hieronymus adductus num. 68. & 77. & alij? Omnes ſic explico. Agunt de viribus, quæ naturæ conueniunt ex inſtitutione ſibi naturali, operibus, quæ ſecluſo auxilio gratiæ agere poſſunt. Non de viribus ex lege, & prouidentia diuina illi adiunctis, vt in ſalutem ſupernaturalem prouehatur. Itaque vnum ſtatuunt, quod & nos fatemur, poſſe arbitrium ex ſe plura agere bona ſola facultate naturæ. Non negant aliud, quod hac diſputatione contendimus; conatibus naturalibus in amorem honeſti adiungi ex lege Dei auxilium gratiæ, quod honeſtum obiectum ſalubriter, & prout oportet ad ſalutem ametur. Vnde quamuis aliqui Patrum docerent, aliqua opera honeſta fieri, quæ ſolum in vitam temporalem, & non æternam conferrent, non repugnarent noſtræ doctrinæ; quæ ingenue fatetur talia opera fieri, videlicet naturalia ſola facultate naturæ; eis tamen ſemper indiſcriminatim miſcet opera ſalutaria, ſcilicet ſupernaturalia, quæ gratiæ viribus perficiuntur.

Damaſcenus. Gregorids Magnus. Proſper. Auguſtinus Hyeronymus. Explicatur

102. Tertio argues. Si, infallibili prouidentia Dei, ab operibus naturalibus ſunt indiuiſa ſupernaturalia. Ergo cum poſſimus eſſe certi de operibus naturalibus, erimus etiã certi de ſupernaturalibus, quæ infallibiliter naturalibus iunguntur; atque adeo poterit nobis certo conſtare attritio, & contritio ſupernaturalis, cui certiſſime in ſacramento, aut extra ſacramentum gratia iuſtificans annexa eſt. Nego conſequentiam; quia indiuiſio operum naturalium, & ſupernaturalium, quam nunc tuemur, non eſt certa, ſed tantum probabilis, & incerta. Vt autem certo innoteſceret exiſtentia actus ſupernaturalis ex notitia actus naturalis, opus erat, vt non probabiliter ſolum, ſed euidenter, aut certo actus naturales, & ſupernaturales eſſent indiuidui. Addo, mihi non eſſe manifeſtum, quando voluntas ex honeſtate etiam naturali moueatur, prout oportet vt actus naturalis certo ſit honeſtus, ac moraliter bonus. Licet enim certum mihi ſit, plerumque honeſta amare, tamen ea certitudine non conſtat, ad illa amanda ex pura honeſtate moueri, vt illa dubietas, ſcrupuluſue euidentiam non turbet.

Argumentum tertium. Eleuitur.

103. Quarto. Plures virtutum moralium actus excitantur cognitionibus probabilibus, & falſis, vt actus miſericordiæ erogans eleemoſynam pauperi fingenti miſeriam, & alij ſimiles. At cogitationes ſupernaturales non poſſunt eſſe probabiles, & falſæ. Ergo plerumque virtutum moralium actus non excitantur cogitationibus ſupernaturalibus. Dices, in eis euentibus duplex cogitationis genus præcedere virtutum moralium actus; Alterum cogitationis ſpeculatiuæ, quæ proponit obiectum externum amandum; alterum cogitationis practicæ, quæ dictat internum voluntatis

Quartum. Aliorum ſolutio.

Digitized by Google

amorem. At eſto, poſſit eſſe incerta; & falſa prior cogitatio ſpeculatiua obiecti amandi, tamen cogitationem poſteriorem practicam ipſius amoris ſemper ac neceſſario eſſe euidentem, aut certam. Sed contra. Ad amorem ſupernaturalem non ſolum requiritur per ſe cognitio ſupernaturalis practica dictans ipſum amorem, ſed etiam cognitio ſpeculatiua ipſius obiecti amandi; imo hæc magis neceſſaria eſt, quam illa; ſiquidem neque diuinitus poteſt voluntas quidquam amare ſine cognitione obiecti amandi; poteſt autem diuinitus ſine cognitione reflexa ipſius amoris. Igitur non poteſt eſſe amor ſupernaturalis, qui dirigitur ex cognitione falſa ipſius obiecti amandi.

Redarguitur.

Inſtatur argumentum.

104. Hoc argumentum inprimis inſtantiam habet in communi ſententia Theologorum. Qui licet non coniungant neceſſario amorem virtutis ſupernaturalis, cum amore virtutis naturalis, tamen poſſibilem eſſe amorem ſupernaturalem; vbi poſſibilis eſt amor naturalis, nullus eſt, qui neget. Quare communiter ſupponunt poſſe voluntatem dolore ſupernaturali pænitere peccatorum, quę revera non commiſit, ſcrupuloſe tamen ſibi perſuaſit commiſiſſe. Quis enim neget poſſe Deum ſalutis fructum percipere ab homine dolente, & humiliante ſe ex iudicio probabili peccati commiſſi? Quod vero ad euentum poſſibilem dici poteſt, ad euentum neceſſarium dicendum eſt. Deinde duas breuiter explicationes argumento dabo, quas fuſiùs expendam lib. 3. agens de cognitione requiſita ad affectum ſupernaturalem. Prima eſt. Ad amorem efficacem obiecti ſufficit apprehenſio; & non requiritur iudicium, quamuis iudicium iam exiſtens poſſit ad affectum mouere. Apprehenſio autem non eſt capax falſitatis, vt libris de anima docui. Atque ita poteſt ex apprehenſione ſupernaturali obiecti ſolum apparentis, & non veri, amor ſupernaturalis procedere. Eſto adſit iudicium falſum mouens ad amorem obiecti, ad quem per ſe neceſſarium non eſt. Secunda ſolutio. Amor boni, aut odium mali ſolum apparentis, & non veri poteſt concipi ex iudicio apparentiæ, aut probabilitatis obiecti; quod verum eſt, quamuis obiectum ſit re vera falſum. Nam obiectum re vera falſum poteſt apparere, & probari prudenter verum. Vnde prouidente Deo, in eis euentibus præcedet iudicium, quo intelligamus, obiectum apparere, & probabile eſſe tale, quod iudicium verum eſt; quamuis ſit falſum, re vera exiſtere tale; quod per ſe non eſt ad amorem neceſſarium. Hæc amplius vrgebimus, & exponemus vbi ſupra. Vbi etiam diſcutiemus an poſſibilis ſit circa obiecta naturaliter probabilia aſſenſus ſupernaturalis, qui ſimul cum obſcuritate certus ſit; eliciaturque ex imperio ſupernaturali voluntatis, cum obiectum re vera exiſtit; naturalis verò, cum obiectum exiſtens non eſt? Vt datur circa obiecta credibilia aſſenſus obſcurus, & certus, & plerumque ex affectu ſupernaturali imperatus in obiectū, quod euidenter eſt credibile, ſed re vera non exiſtens, ſicut creditur exiſtere. A quo omnino non diſſentio.

Dupliciter ſoluitur.

Quintum argumentum.

105. Argues quinto. Plerumque voluntas mouetur ad amandum honeſte obiectum ex euidentia exiſtentiæ, & bonitatis obiecti. At hęc cognitio non poteſt eſſe ſupernaturalis, ſed naturalis, quia nulla datur viatori ſcientia infuſa, qua euidenter prænoſcat obiecta creata. Ergo amor honeſtus procedens ex euidentia obiecti non coniungitur neceſſario cum amore ſupernaturali eiuſdem. Reſpondeo. Plures ſunt in viatore cognitiones ſupernaturales euidentes. Nam plura dictamina prudentiæ ſupernaturalis euidentia ſunt, vt Deum eſſe amandum, Parentem colendum, & alia huiuſmodi. Et conſtat, quia prudentia viæ non eſt diſtincta à prudentia patriæ: vt charitas viatoris eſt eadē cum charitate Beati. Item prudentia hominis puri eſt eiuſdem rationis, cum prudentia hominis Dei. At prudentia Beatorum, & Chriſti nō eſt obſcura, ſed euidens. Ergò in viatoribus exiſtunt plura iudicia ſupernaturalia euidentia. Identidem poſſunt dari aliæ cognitiones euidentes, quæ referant honeſtatem obiectiuam actionum externarum; quę vel ad peculiares prudentias, vel ad habitus ſupernaturales, intellectum, ſcientiam, conſilium, aut aliud lumen ſupernaturale reuocari poſſunt, vt exponemus lib. 4. Vnde licet non conueniat viatoribus ſcientia infuſa vniuerſalis, & communis ad omnia cognoſcibilia creata, tam exiſtentia, quam præterita, & futura, tam libera, quam neceſſaria; tamen poteſt concedi viatori ſcientia infuſa ſingularis eorum obiectorum, in quę virtutes ſupernaturales poſſunt occupari, quæ, vt argumentum proponit, plerumque euidenter ſunt manifeſta.

Reſponſio.

Vrgetur.

106. Vrgebis. Hæ cognitiones euidentes ſupernaturales neque ſunt immediatæ, neque mediatæ. Ergo nullæ ſunt. Non ſunt immediatæ, quia propoſitio immediata dicitur, quæ lumine naturæ abſque diſcurſu innoteſcit. Mediata verò, quæ diſcurſu comparatur. At propoſitioni ſupernaturali repugnat lumine naturæ conſtare, & per diſcurſum comparari. Ergo. Reſpondeo. Poſſunt eſſe cognitiones ſupernaturales immediatæ, non quia lumine naturæ habeantur, ſed quia abſque vllo medio in ſeipſis lumini ſupernaturali manifeſta ſunt. Nam ſicut dantur habitus naturales ſyndereſis, & intellectus, qui circa prima principia practica, & ſpeculatiua cognoſcenda laborant, ita poſſunt dari ſyndereſis, & intellectus ſupernaturalis circa eadem obiecta moralia pertinentia ad prouidentiam dirigentem hominis in ſalutem. Item poteſt dari cognitio ſupernaturalis mediata; non quia acquiratur per diſcurſum formalem, ſicut cognitio naturalis, ſed quia ipſa eſt diſcurſus quidam virtualis aſſentiens obiecto non immediatè propter ſe, ſed propter medium, cui cognitio ſupernaturalis indiuiſibilem aſſenſum præbet. Vt actus fidei non eſt immediata, ſed mediata cognitio obiecti reuelati; quia virtuali quodam diſcurſu aſſentitur reuelatis propter reuelationem ſibi propoſitam; item cognitio naturalis Angelica, quæ in creaturis deprehendit exiſtentiam Creatoris, non eſt immediata, ſed mediata, quamuis fort-

Occurritur

Digitized by Google

maliter non ſit diſcurſiua, ſed æquiualenter. Igitur ſimili modo honeſtas obiectiua, quæ cognitione naturali per formalem diſcurſum innoteſcit, poteſt per virtualem cognitione ſupernaturali conſtare; itaut intellectus aſſentiens concluſioni propter præmiſſas ſimul cognitionem ſupernaturalem eliciat, qua obiectum concluſionis, & præmiſſarum ſimul complectatur, alterum tanquam motiuum, & formale intrinſecum, alterum tanquam intrinſecum materiale. Neque propterea recuſo poſſibilem diſcurſum formalem ſupernaturalem; nam vt videbimus l. 3. diſp. 55. poteſt cognitio ſupernaturalis per formalē diſcurſum acquiri. Quamuis non ſemper neceſſarius ſit, neque expediat ad facilem infuſionem cogitationum, quæ ad bene moraliter agendum alliciant. Denique poteſt voluntas moueri ex cognitione euidenti ſolum apprehenſiua, quæ à Deo poteſt infundi, quando voluerit; præcedat, aut non pręcedat medium naturale, quod ſolum ad iudicium requiritur.

Poſtremò arguitur.

107. Demum argues: Variæ, ac innumeræ ſunt cogitationes, & rationes, quæ voluntatem excitant ad virtutum moralium actus, & plures quàm habitus ſupernaturales intellectus, à quibus poſſunt prodire. Ergo cum cogitationibus naturalibus non infunduntur perpetuæ cogitationes ſupernaturales. Reſpondeo. Rationes obiectiuę mouentes voluntatem ad honeſtè agendum alię ſunt intrinſecę, aliæ extrinſecæ. Solum intrinſecæ, quæ per actus ſupernaturales attinguntur, debent proponi per cogitationes ſupernaturales; non verò extrinſecę. Porro intrinſecæ rationes mouentes, voluntatis ad virtutum moralium actus nō ſunt plures, quam ſunt obiecta formalia, & habitus ſupernaturales virtutum moralium reſidentium in voluntate. At nullum eſt inconueniens dari intellectui tot habitus ſupernaturales dirigentes virtutum infuſarum actus, quot ſunt in voluntate habitus elicientes tales actus. Quinam autem hi habitus ſint, diſcutiendum eſt lib. 4. cum agamus in genere de habitibus ſupernaturalibus intellectus dirigentibus amorem ſupernaturalem voluntatis; vbi plenius exponentur ſuperiora, quæ ideo nunc breuiter ſtatuimus. Quin abſque incommodo poteſt aſſeri infundi à Deo plures cogitationes ſupernaturales, quæ fiant ab auxilio extrinſeco etiam in homine iuſto, quia raræ illæ ſunt, & habitus ſolum ad frequentes operationes tribuuntur. Præſertim ſi hæ cogitationes ſolum apprehenſiuæ, & non enuntiatiuæ ſint, ad quas vtpotè minus præcipuas non expedit habitus ſine numero multiplicare.

Eneruatur.

SECTIO VIGESIMASECVNDA.

Corollarium de auxilio ſufficienti ad ſalutem.

Nulli adulto deeſt gratia ſufficiens ad ſalutem.

108. Hinc deduces gratiam auxiliantem Dei neceſſariam ad ſalutem nulli adulto deeſſe. Nam ſi hæc gratia proximè, aut remotè ſufficiens alicui deeſſet, planè ex fidelibus deeſſet obſtinatis, & ex infidelibus deeſſet barbaris, qui notitia noſtræ religionis deſtituti ſunt. At his omnibus gratia ſalutaris neceſſaria ſemper adeſt, cum à Deo frequenti auxilio pręueniantur, vt eos actus ſalutares eliciant, quibus fides, gratia iuſtificans, & ſalus æterna annexa eſt, vt tota diſputatione oſtendimus. Ergo nulli adultorum gratia ſufficiens ad ſalutem ſubtrahitur.

Obiectio.

109. Huic tamen aſſerto ſic obijcio. Si infideles adulti poſſent auxilio gratię peruenire ad fidem, excuſari non poſſent à peccato infidelitatis ante notitiam credibilium, cum potuerint abſolutè credere, & non crediderint. At à peccato infidelitatis ante notitiam fidei excuſabiles ſunt. Ergo. Reſpondeo. Excuſari poſſunt, quia non habent auxilium proximum ad credendum, ſed tantum remotum cum ignorantia inuincibili præcepti, & obligationis adhibendi media remota, per quæ proximè ad fidem perueniant.

Explicatio.

Vrgetur.

110. Sed vrgebis. Ex natura rei, & ſecundum prouidentiam ordinariam non adeſt auxilium remotum ſufficiens ad fidem, cum auxilium proximum ex natura rei, & ſecundum prouidentiam ordinariam impoſſibile eſt. At auxilium proximum ad fidem ex natura rei, & ſecundum prouidentiam ordinariam pluribus Gentilibus impoſſibile eſt. Ergo. Probatur minor. Fides ex natura rei, & ſecundum prouidentiam ordinariam impoſſibilis eſt ſine inſtructione, & pędicatione credendorum. At pluribus Gentilibus ſecundum prouidentiam ordinariam, & ſine miraculo Dei inſtructio credendorum impoſſibilis eſt. Nam Pędicator Euangelicus ad plures mundi plagas ſine miraculo accedere non poteſt, cum Gentilis vocationibus ſupernaturalibus integrè reſponderet. Ergo auxilium proximum ad fidem ex natura rei, & ſecundum prouidentiam ordinariam pluribus Gentilibus impoſſibile eſt.

Sotus reſpondet.

111. Propterea Sotus 2. de natura, & gratia cap. 11. docuit Gentiles potuiſſe iuſtificari ex cognitione Dei elicita viribus naturæ; quandoquidem Paulus ſolam eam Dei notitiam deſiderat, qua cognoſcant quod Deus eſt, & quod obſequentibus ſibi remunerator eſt. Hoc autem poſſunt Gentiles abſque inſtructione Eccleſiæ ſolo naturæ lumine adipiſci. Verum re poſtea conſultius conſiderata retractauit Sotus hanc ſententiam, tum in alijs eiuſdem libri editionibus, tum in 4. d. 1. q. 2. art. 3. & d. 5. q. 1. art. 2. & ad Roman. c. 1. & 2. quam plures Theologorum cenſuerunt erroneam. Merito quidem hæc ſententia deſerta eſt, cum Concilium Arauſicanum, Auguſtinus, & Patres Eccleſiæ notitiam iuſtificantem doceant eſſe donum Spiritus ſancti, & ſicut actum fidei ex illuſtratione, & inſpiratione diuina nobis infuſam. Quod tract. de fide fuſius expendendum eſt, & ſatis conijci poteſt ex ijs, quæ diximus diſput. 17. Vbi ex profeſſo oſtendimus, non poſſe noſtram iuſtificationem, neque initium ſalutis in vires, & cogitationes naturales referri.

Sed malè.

Digitized by Google

Cõmunis reſponſio.

112. Ideo communis ſolutio eſt. Si infideles prioribus illuſtrationibus, & inſpirationibus plene reſponderent, legem naturalem integre implendo, Deus certò illos myſterijs fidei ad iuſtificationem, neceſſarijs, vel per ſe immediate, vel per Angelum, vel per hominẽ ſecũdùm prouidentiam ordinariam ſine miraculo inſtrueret. Nam miraculum non eſt, quod exigunt leges ordinariæ prouidentiæ Dei; nimirum illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum, eiſque auxilia ſufficientia ad ſalutem, quod per ipſos non ſteterit, prouidere. Ita Suarez lib. 4. de prouidentia reproborum cap. 3. num. 19. & lib. de fide diſp. 12. ſect. 2. num. 15. Valencia 2. 2. diſp. 1. q. 2. punc. 2. ad 5. Aragon. 2. 2. q. 2. art. 5. ad 1. Ruiz de prædeſt. diſp. 46. ſect. 8. num. 22. necnon Vaſquez 1. p. diſp. 97. cap. 5. num. 32. Quamuis talis prouidentia appareret miraculoſa, eo quod eſſet rara, cum ab eius frequentia excuſetur Deus culpabili Barbarorum reſiſtentia, qui prioribus illuſtrationibus non cedunt. Quin ab apparientia miraculi liberari poſſet; quod ad miraculum requiritur effectus aliquis manifeſtus, prædicta vero reuelatio potuit eſſe occulta.

P. Valentia. Aragon. P. Ruiz. P. Vaſquez

Difficultatibus plena

113. Hæc doctrina contemnenda non eſt. Cæterum aliquas mihi difficultates ingerit. Nã vel lex iſta reuelandi Barbaris myſteria fidei requirit ex parte eorum integram adimpletionem legis naturalis, vel partem ſolum? Si partem tantum; cuilibet infideli non furanti, non occidenti, colenti Parentes; & grauem aliquam tentationem intemperantiæ ſuperanti, fiet iſta myſteriorum reuelatio. Aut definiatur, quæ pars legis naturalis adimplenda eſt, vt fiat? Si integra requiritur. Ergo præcedat neceſſe eſt dilectio efficax Dei ſuper omnia; quæ lege naturali præcepta eſt. Tunc autem inquiro. Dilectio iſta Dei præuia neceſſario ad inſtructionem fidei, aut eſt intrinſece ſupernaturalis, aut naturalis intrinſece? Si ſupernaturalis intrinſece, vt volunt graues Theologi negantes poſſibilem in natura eleuata dilectionem efficacẽ Dei intrinſece naturalem. Ergo Barbarus ante inſtructionem fidei iuſtitiam ſupernaturalem conſequetur; nam diligenti ſupernaturaliter Deum remiſſio peccatorum, & amicitia Dei promiſſa eſt. Si intrinſece naturalis; objicient plures Theologi; quæ ipſis perſuadent, dilectionem Dei ſuper omnia in natura eleuata neceſſario eſſe ſupernaturalem. Ego in primis objicio, dilectionem Dei ſuper omnia naturalem non eſſe in natura eleuata abſque dilectione ſupernaturali; præſertim in mea ſententia, quæ vtramque dilectionem æque ex parte obiecti vniuerſalem agnoſcit. Etenim ſi Deus voluntatem Barbari operaturam actum miſericordiæ, præuenit gratia intrinſece ſupernaturali, vt conatus naturæ in actum miſericordiæ naturalem, fructum ferat intrinſece ſupernaturalem, & ſalutarem, qui credibile eſt, omnium excellentiſſimum conatum in dilectionem Dei ſuper omnia deſeri à Deo, quin gratia intrinſece ſupernaturali iuuetur, vt ſimul cum dilectione naturali ſupernaturalẽ etiam eliciat.

114. Inſuper, ponamus hunc hominem de peccatis dolere, & Deum ſuper omnia diligere in extremo articulo vitæ, in quo ſolum iuxta graues Theologos peccatorum dolor, & dilectio Dei hominibus incumbit. Quando hic homo ex natura rei de rebus fidei inſtruendus eſt? cum ex natura rei eorum inſtructio, præſertim in homine barbaro moram aliquam deſideret? Rurſus: eliciat dilectionem iſtam extra mortis articulum, inſtructio fidei facienda non eſt in eodem inſtanti, quo dilectio naturalis, cum barbarus in vnico inſtanti ex natura rei de rebus tam altis edoceri non poſſit; ſi vero interponatur mora, poteſt contingere in ea aliquod graue peccatum, quo graui tentationi ſuccumbat; quod enim fidelibus frequenter contigit, quid infidelibus negandum eſt? Tunc autem quid de hoc homine faciendum eſt? Quantum temporis ſperandum, vt reſipiſcat? En omnia diuinationi poſita ſunt. Accedit, quod dilectio naturalis ſuper omnia in natura eleuatà non contingit ſine gratià per Chriſtum. Dilectio autem ſupra omnia elicita ex gratia per Chriſtum cenſetur ſufficiens ad impetrandum veniam peccatorum, tum in eorum Theologorum ſententia, qui actus intrinſece ſupernaturales diffitentur, tum in eorum, qui actus intrinſece naturales ex gratia per Chriſtũ elicitos, poſitiue ſalutares, & impetratorios agnoſcunt. Igitur ante inſtructionem fidei per dilectionem Dei antecedentem & iuſtitiam habitualem, & peccatorum veniam barbarus conſequetur.

Alia obiectionis declinatio.

115. Ad hæc; quod barbarorum ſalus in has anguſtias reducenda eſt, cum facilis aliunde poſſit illis ſalutis via parari. Nam vt barbari adipiſci poſſint ſalutem; ſufficit illis facultas proxima diligendi Deum ſuper omnia, dilectione intrinſecè ſupernaturali. At abſque inſtructione aduentitia fidei poteſt eis adeſſe facultas proxima diligendi Deum ſuper omnia dilectione intrinſece ſupernaturali. Ergo hac aduentitia Inſtructione opus non eſt ad barbarorum ſalutem. Conſequentia eſt bona. Maior certiſſima: nam dilectioni efficaci, ac ſupernaturali Dei nunquam iuſtitia negatur. Probatur minor. Abſque peregrina inſtructione fidei adeſſe poteſt cognitio intrinſece ſupernaturalis proponens diligendam bonitatem, & excellentiam Dei. Ergo abſque eruditione fidei poteſt adeſſe facultas proxima diligendi ſupernaturaliter Deum. Nam ſola cognitio intrinſece ſupernaturalis bonitatis diuinæ poteſt in barbaro ad dilectionem ſupernaturalem Dei deſiderari. Probatur antecedens. Bonitas, & excellentia Dei non ſolum conſtat per actus fidei qui mouentur ex relatione facta per verbum Dei, ſed etiam per cognitiones ſupernaturales pertinentes ad habitus intellectuales ſupernaturales ſapientiæ, ſcientiæ, intellectus, & alios, quæ attributa Dei in creaturis proponunt. Id quod tractatu de habitibus ſupernaturalibus oſtendemus ex ſententia plurium Theologorum, qui cognitiones ſupernaturales adſtruunt cum obiecto formali naturali, item ex aliorum ſententia, quæ hos habitus ſupernaturales in-

Digitized by Google

dilectionem. Adiunge Chryſoſtomum ibidem adductum, & Ambroſium num. 70 aſſerentes, Gentiles ſine fide duci ad diligendum Deum inſtructione, & manifeſtatione bonitatis diuinæ, quam exhibent omnes creaturæ. Confir-

D. Bonauentura.

mat D. Bonauentura ſupra num. 91. deſiniens in lege naturæ ſine vlla propoſitione externa Eccleſiæ *Praſto eſſe Gentilibus notitiam Dei neceſſariam ad ſalutem, tum ex dictamine natura, tum ex aliena hominum inſtructione, tum etiam ex Dei inſpiratione.* Ergo ſine aſſenſu reuelationis diuinæ ab Eccleſia propoſitę poteſt adeſſe notitia Dei ſufficiens ad ſalutem. Denique id teſtatiſſimum

Proſper.

habet Proſper lib. 2. de vocat. Gent. cap 4. ibi. *Calum quippe, ac terra, & mare, omniſque creatura, qua videri, atque intelligi poteſt, ad hanc pracipue diſpoſita eſt humani generis vtilitatem, vt natura rationalis de contemplatione tot ſpecierum, de experimentis tot bonorum, de perceptione tot munerum ad cultum, & dilectionem ſui imbueretur autoris, implente omnia ſpiritu Dei.* En ad dilectionem creatoris ſufficit cognitio Dei, quę per Spiritũ Sanctum cum creaturarum contemplatione nobis infunditur. Similiter ad Demetriadem pag. 6. *Nobis obijci pulchritudinem cali, & terra quaſdam paginas ſemper patentes, & autorem ſuum numquam tacentes, quarum proteſtatio doctrinã imitatur Magiſtrorum, & eloquia ſcripturarum.* Itaque cælum, & terra ſuis vocibus manifeſtãt autorem ſuum. Cum qua manifeſtatione adiungi internam gratiam, qua cognitio ſupernaturalis Dei miſcetur, oſtendit, ſubdens. *Sed quid illud eſt, quo corporeorũ ſenſuum exteriora pulſantur in organo cordis, cui impenditur iſta cultura, nec radicem poteſt figere, nec germen emittere, niſi ille ſummus Agricola potẽtiam ſui operis adhibuerit. Siue enim contemplatio creaturarum, ſiue ſacrorum ſeries voluminum ſyncero, & aſſiduo teſtimonio predicet veritatem, neque qui plantat eſt aliquid, &c.* Igitur poſsũt homines ſola meditatione creaturarum notitiam ſupernaturalem acquirere per auxilium ſupernaturale gratiæ.

119. Rurſus ſuffragatur communis Theologorum approbatio. Quia frequens eſt Theologorum ſententia, priuatas reuelationes Gentilibus obſeruantibus legem naturalem à Deo fieri, aut internam illuſtrationem Spiritus ſancti infundi, qua ad iuſtificationem perueniant. At pluribus Theologis probabile eſt, aſſenſum præſtitum reuelationi priuatæ non fieri ab habitu fidei Theologicæ omnibus fidelibus communi, ſed ab alio ſpecie diſtincto, inter quos

Caietanus. Valentia. Bannes. Sotus. Carus. Zumel. P. Suarez. P. Coninck

ſunt Caietanus, Valentia, Bãnes, Sotus, Canus, Zumel, & alij, quos referunt P. Suarez de fide diſp. 3. ſect. 10. nu. 1. P. Coninck diſp 9 nu. 83. Probabile igitur eſt, ſine actu fidei ſtrictæ pertinente ad habitum Theologorum omnibus fidelibus communem ſalutem adipiſci poſſe. Atque adeo vbi Gentilibus tribuamus cognitionem ſupernaturalem Dei pertinẽtem ad habitum ſupernaturalem ſapientiæ, aut intellectus à fide ſtricta diſtinctum, haud quaquam doctri-

S. Thomas.

nam improbandam adſtruemus. Ita ait S. Thomas de veritate q. 14. art. 11. ad 1. *Si aliquis nutritus in ſyluis ductum naturalis rationis ſequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certiſſime tenendum eſt, quod ei Deus, vel per internam inſpirationem reuelaret ea, qua ſunt credenda, vel aliquem fidei Pradicatorem ad eum dirigeret.* Sufficit igitur ad iuſtificationem aſſenſus ſupernaturalis, qui vel per ſolam internam inſpirationem, vel per externam propoſitionem exhibetur. Ita communiter intelligunt Thomiſtæ doctrinam S. Thomæ de homine perueniente ad vſum rationis, qui nihil de fide audiuit, & ſecundum dictamen rectæ rationis in Deum ſe conuertit: de quo aiunt, præueniri à Deo auxilio gratiæ, quo poſſit diligere Deum, & iuſtificationem obtinere, vt videre eſt apud Medinam 1. 2. qu. 89. art. 6. Medina.
Aluarez de auxilijs diſp. 56. n. 22. & Sotum in Aluarez.
4. diſt. 5. qu. vnica §. *Hic primum*. At talis dile- Sotus.
ctio non ex aſſenſu fidei ſtrictæ, quo credimus Deo nobis quidquam reuelanti, aut loquenti ortum habet. Ergo iuxta plurium Theologorum opinionem poteſt haberi ſalus ſine actu ſtrictæ fidei, per aliud genus cognitionis ſupernaturalis, quæ ſequitur ductum, & motiua luminis naturalis. Præterea ſi ponamus probabilem Theologorum ſententiam de obiecto formali communi actibus naturalibus, & ſupernaturalibus, nulla apparet ratio, quare poſſint eſſe illuſtrationes, & affectiones ſupernaturales circa obiecta formalia virtutum moralium naturalium: & non poſſint pari modo eſſe illuſtrationes, & affectiones ſupernaturales circa Deum, prout ex parte obiecti innoteſcit, & attingitur cognitionibus, & affectionibus naturæ? Atque ita non detur in intellectu habitus ſupernaturalis, quo Deum cognoſcamus prout eſt manifeſtus in creaturis, ſicut reſidet habitus ſupernaturalis, quo honeſtatẽ obiectiuam virtutum moralium diſtinguimus iuxta motiua naturalis rationis? Hæc cõfirmantur, quia Theologus cõſiderans aliquas perfectiones diuinas, quæ ex fide diuina non conſtant, vt iuſtitiam ſtrictam, gratitudinem, & alias ſimiles nobilitates diſputationi Theologorum ſubiectas, poteſt Deum efficaciter diligere, in eiuſque obſequiũ accendi, modo ſibi ſalutari, & prout oportet vt finem ſupernaturalem conſequatur; atque adeo poteſt dari in eas perfectiones cognitio ſupernaturalis, quæ non ſit fidei ſtrictæ. Ergo ad omnem dilectionem ſupernaturalem, ac ſalutarem Dei fides ſtricta neceſſaria non eſt.

12. Cæterum videtur neceſſaria aliqua fides ab ſtricta, & lata præſcindens, quæ cum cognitione ſupernaturali, & infuſa confundatur; ad quam ſcilicet non requiratur audire prædicantẽ, ſed ſufficiat audire voces creaturarũ manifeſtantium excellentiam diuinam, obiectis menti rationibus formalibus naturalibus, in quas ferri poſſunt ſupernaturales cognitiones. Quod probant Theologi, qui ita exponũt illud Pauli Rom. 10. *Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum*, vt intelligunt omnes Rom. 10.
homines ante prædicationem Euangelij ſola inſtructione naturæ, & laudibus creaturarum enarrantium gloriam Dei, audiuiſſe quantum ſatis erat exterius, aut interius, vt per ſupernaturalem gratiam excitarentur ad cognitionem ſupernaturalem veri Dei, qua pateret aditus ad

P. Granadus. P. Ruiz. P. Iuſtinianus. Hebr. 11.

ſalutem. Quod tuetur P. Granadus controuer. 8. de gratia tract. 6. diſp. 1. nu. 43. & P. Didacus Ruiz de prædeſt. ſect. 8. n. 7. Item alij Theologi apud P. Iuſtinianum ad Rom. 1. verſu 19. n. 2. illud Pauli ad Heb. 11. *Sine fide impoſsibile eſt placere Deo;* interpretantur fidem, cognitionem ſupernaturalem infuſam à Deo excitatione naturæ, eamque Gentilibus ſufficientem ad ſalutem tribuunt. Quod P. Iuſtinianus non reſpuit. Fauet S. Thomas 2. 2. q. 10. art. 4. ad 3. docens, Cornelium ante inſtructionem fidei non inuocaſſe Deum ſine aliqua fide, intelligens per fidem aliquam illuſtrationē ſupernaturalem infuſam à Deo. *De Cornelio autem ſciendum eſt, quod infidelis non erat, alioquin eius operatio accepta non fuiſſet Deo, cui ſine fide nullus poteſt placere. Habebat autem fidem implicitam nondum manifeſtata Euangelij veritate. Vnde vt eum in fide plenius inſtrueret miſſus eſt ad eum Petrus.* A quo accepit Ioannes Driedo de concord. lib. arb. p. 2. cap. 3. §. *Verum hic ſciendum*, dicens. *Si dixeris homo nondum fidem habens ſua oratione poteſt fidem impetrare, ſicuti Cornelius Centurio Actor. 10. Reſpondeo. Abſque omni fide homo orare non poteſt. Neque abſque omni fide erat Cornelij Centurio quādo orabat, & dabat eleemoſinas.* Ad fidem igitur neceſſariam ad ſalutē reuocantur plures cognitiones ſupernaturales, quæ fiunt ante propoſitionem Eccleſiæ, & aſſenſum intellectus præſtitum propter reuelationem externam Dei. Quo videtur reſpicere Auguſtinus epiſt. 105. ad Sixtum docens, opera bona in homine fieri aliter quam fidem. *Opera bona*, inquit, *fiunt ab homine, fides tamen fit in homine, ſine qua illa non fiunt ab homine.* Inſinuans fidem intelligit quamcumque illuſtrationem ſupernaturalem nobis ſine nobis infuſam, vt bene moraliter operemur.

S. Thomas. Driedo. Auguſtin.

121. Neque deſunt plura Patrum teſtimonia, quæ hanc exiſtimationem confirmant. Ambroſius ſupra num. 70. vocans fidem credētem, eam cognitionem, qua fideles natura duce diuinis aſſentiuntur. *Dum natura duce credunt; opus legis oſtendunt, non per litteram, ſed per conſcientiam. Opus autem legis eſt fides.* Itaque fidem, qua per inſtructionem ſacræ ſcripturæ fideles credunt, poſſunt habere per inſtructionem naturæ adiūcto lumine ſupernaturali ad ſalutem. Idemtidem Hieronymus ſupra num. 68. deprehendens notitiam Dei, quæ omnibus natura ineſt, eſſe fidem ad ſalutem requiſitam, ibi: *Vnde multi abſque fide, & Euangelio Chriſti magis iudicio Dei obnoxij fiunt, quod habentes in ſe principia virtutum, & Dei ſemina, non credunt in eo ſine quo eſſe non poſſunt.* Expende illud *non credunt*, quod plane fidei ſolius eſt. Accedit Clemēs Alexand. ſupra num. 56. aiens, vocationem generalem, quæ Græcis erat per Philoſophiam naturalem, pertinere ad eam, *quæ eſt ex fide doctrinam.* Item Proſper ad capita Gallorum 8. vbi poſtquam aſſeruit, *omnium hominum curam eſſe Deo, & neminem eſſe, quem non aut Euangelica prædicatio, aut legis teſtificatio, aut ipſa etiam natura cōueniat*, ſubiungit. *Sed infidelitatem hominum ipſis adſcribamus hominibus. Fidem autem hominum donum Dei eſſe fateamur, ſine cuius gratia nemo currit ad gratiam:* colligens hominum infidelitatem, ex eo quod teſtimonijs naturæ non ducantur, vt Deum ſolum adorent, vocanſque fidem ex gratia Dei eam cognitionem, qua relictis idolis infideles ſoli vero, & vni Deo obſequuntur. Denique Chryſoſtomus ſupra num. 69. iudicans Græcos, infideles, quod non audierint vocem cælorum narrantes gloriam Dei. Neque aliud credo contendere Theologos, qui ad iuſtificationem fidem requirunt. Solum enim ſuis probationibus excludunt cognitionem mere naturalem. Ergo vbi eis concedatur cognitio ſupernaturalis ex motiuo naturali, non eſt, quid ad iuſtificationem deſiderent. De quo plura dabimus diſp. 63.

Ambroſius. Hyeronymus. Clemens Alex. Proſper.

122. Duo nunc poſſunt inquiri. Alterum, ad quem habitum pertineat cognitio Dei ſupernaturalis ex manifeſtatione creaturarum? Alterum, cur Gentiles cum his illuſtrationibus ſupernaturalibus proximè ſufficientibus ad ſalutem non conſequantur iuſtificationē? Ad primum reſpondeo. Id à me explicādum lib. 4. vbi agendum de cognitionibus, & habitibus ſupernaturalibus intellectus, probandumque nobis ineſſe habitum ſupernaturalem ad cognoſcendum Deum, prout in creaturis continetur, ſiue is habitus ſit idem cum habitu fidei ſtrictæ, ſiue ab illo diſtinctus, & indiuiſus à ſapientia, & intellectu ſupernaturali, quē inter dona Spiritus Sancti Paulus enumerat. Quare nunc id ponēdum eſt, & eo poſito adſtruendū, auxilium proxime ſufficiens ad ſalutem etiam ijs hominibus dari, qui Euangelium non audierunt. Ad ſecundum reſpondeo, in ſacra ſcriptura haberi, Iobū & eius amicos ante legem Moyſis in media gētilitate poſitos cognouiſſe Deum, & illi placuiſſe. Quibus alios ſimiles inter Gentiles ſemper extitiſſe, & exiſtere credibile putat Dioniſius cap. 9. de cæleſti Hierarch. Bonauentura ſup. n. 91. Roa lib. 1. de prouidentia q. 7. nu. 50. P. Didacus Ruiz de prædeſtinatione ſupra ſect. 8. Necnon Alexander 3. p. q. 69. memb. 5. art. 3. §. *Sequitur ſecunda pars*, aſſerens; *de bonis Philoſophis ſic credo, quod eis facta fuerit reuelatio, vel per ſcripturam, quæ apud Iudeos erat, vel per Prophetiam, vel per internam inſpirationem, ſicut fuit de Iob, & amicis eius; ſimiliter, & de alijs ſimplicibus Gentilibus intelligendum eſt.* Vbi ſupponit plures fuiſſe Philoſophos non Chriſtianos, & gentes non audientes Euangelium ſimplices, & bonos, quos Deus internis illuſtrationibus illuminauit, & in ſalutē promouit. Verum tamen eſt, hos raros inueniri inter Paganos, quia illuſtrationes, & affectiones honeſtæ, neque frequentes ſunt, neque intenſę; impetus autem naturæ in vitia, ac turpia præcipites, & vehementes quotidie. At fidelibus frequentiores ſunt vocationes, & occaſiones honeſte agendi, tū intenſiores, & vehemētiores: tum Deus ſeipſo immediate ratione fidei, & religionis, quam colūt, ſpecialibus fauet auxilijs, & efficacioribus inſtruit pręſidijs. Quo fidelibus facilior eſt ſalus, ac felicior ſors obtinendi & augendi hæreditatem æternam. Totam huius corollarij doctrinam illuſtrabimus amplius, & ab argumentis vindicabimus, diſp. 63.

Præoccupantur duæ difficultates aduerſus ſuperiora. Dioniſius. Bonauentura. Roa. P. Ruiz. Alexander. Superioribus plenū ſuffragium non damus.

123. Forte non deerunt, qui ſuperiori doctrinæ libere audeant aſſentiri. Nihilominus

Digitized by Google

ego in re tam graui omnino non audeo. Puto equidem ſi legem, & libitum Dei ſecludamus, ex natura rei in præſenti etiam ordine prouidētię potuiſſe gētiles ex cognitione ſupernaturali quæ non ſit ex fide ſtrictâ, Deum ſuper omnia diligere, & iuſtificationem obtinere. Cæterum quia communis Theologorum aſſenſus videtur intelligere teſtimonia Pauli, & Tridentini adducta nu. 116. de neceſſitate ſtrictæ fidei in re exhibitæ ad conſequendam iuſtificationem, dicendum eſt, ex lege voluntaria Dei nunquā dari auxilium, ſaltem efficax, ad dilectionem, & conuerſionem ſupernaturalem in Deum abſq; præuia inſtructione fidei ſtrictę. Hoc autem auxilium à Deo prouideri ijs, qui obediunt, quātum in ſe eſt, alijs auxilijs gratiæ, modo, quo per Deum nunquam ſtet, hominem adipiſci ſalutē. Qui modus, & opportunitas auxilia diſtribuendi relinquendus eſt arbitrio, & prouidentiæ diuinæ, vbi nobis omnino non conſtat. Quare omnia, quæ de auxilio ſufficienti ad ſalutem ſine aſſenſu fidei ſtrictæ huc vſque adduximus, non aſſentiendo, ſed dubitando propoſuimus, vt doctores ea, vel ſuffragio confirment, vel iudicio corrigant, & diſputatione ſua ſuperiora expediant.

DISPVTATIO VIGESIMAPRIMA.

AN SVPERNATVRALIA SINT ſupra perfectionem naturæ?

Explicatur quæſtio. 1. AGIMVS de perfectione ſecundum entitatem Phyſicam, non ſecundum æſtimationem moralem; plura enim ſecundum moralem æſtimationem ignobiliora, ſunt perfectione entitatiua nobiliora: vt formica eſt entitatiue nobilior, quam aurum, licet prætio morali ab auro ſuperetur. Item non differimus de perfectione reſpectiua in ordine ad aliud, ſed de perfectione abſoluta in ordine ad ſe, nam plura ſunt in ordine ad aliud meliora, quæ abſolute, & in ordine ad ſe inferiora ſunt: vt animo rationali melior eſt actus charitatis, quam ſolus habitus abſque actu, quamuis habitus in ſe abſolute perfectior ſit, etiam animo eſt cōuenientior exiſtentia proprij intellectus, quam exiſtentia ſubſtantiæ Angelicæ, quæ intellectu humano abſolute pręſtantior eſt. Hæc diſputatio ad integram donorum ſupernaturalium notitiam neceſſaria eſt, & omnino præteriri non expedit.

SECTIONES.

1. *Placita Theologorum.*
2. *Dirimitur controuerſia.*

SECTIO PRIMA.

Placita Theologorum.

Vlterior explicatio quæſtionis. 2. CErtum eſt primo, nullum eſſe ens ſupernaturale, quod ſecundum aliquod non vincat perfectione nobiliſſima entia ordinis naturalis: & contra, ens naturale eſt, quod vincat ſecundum quid dona perfectiſſima ordinis ſupernaturalis. Nam omne ens ſupernaturale excedit entia naturalia connexione cum gratia iuſtificante, & alijs perfectionibus, quæ entibus naturalibus repugnant. Entia naturalia vero excellunt ſupernaturalia duratione, virtute agendi, aut patiendi plura, quæ virtuti agenti, & patienti ſupernaturalium repugnant. Ita gratia habitualis illuſtrior eſt, quam animus conſortio naturali virtutum infuſarum, animus vero ſuperior, quam gratia virtute intelligendi, & agendi plura, quæ in gratiæ virtute non continentur. Quare diſputatio præſens non confert ſupernaturalia, & naturalia in perfectione ſecundum quid, ſed abſolute, & ſimpliciter. Certum ſecundo eſt, naturam cum accidente ſupernaturali, qualecumque illud ſit, altiorem eſſe, quam cum ſuo eſſe mere naturali, atq; adeo à quocumque accidenti ſupernaturali eleuari ad eſſe perfectius, quam eſſe mere naturale. Etenim natura cum accidente ſupernaturali comprehendit nobilitatem propriam

naturalem, & alienam ſupernaturalem in vnitate per ſe, natura vero nude ſumpta ſolum cōplectitur perfectionem naturalem. At maior perfectio eſt, quæ coaleſcit ex entitate naturali, & ſupernaturali ſimul, quam ea, quæ ſolum ex naturali conſtat. Ideo comparatio facienda eſt inter naturalia, & ſupernaturalia ſeorſim accepta.

Prima ſententia affirmans.

3. Prima ſententia eſt quorumdam Recentiorum abſolute ſtatuentium omnia, quæ continentur ſub ordine naturæ inferiora eſſe omnibus, quæ ſub ordine ſupernaturali contenta ſunt. Primo ex illo 1. Petri 1. (1. Pet. 1.) *Magna & pratioſa nobis promiſſa donauit, vt diuinæ efficiamur conſortes naturæ.* Vbi agit Petrus de donis ſupernaturalibus, quæ adeo nobilitate effert, vt antonomaſtice *magna*, & *pratioſa* vſurpet; rationem reddens, quia ad conſortium diuinitatis ſpectant, donáque diuina ſunt. Secundo, quia totus ordo naturæ deſtinatur, & eleuatur ad ordinem ſupernaturalem, eaque, quæ ſub illo clauduntur. Ergo omnia ſupernaturalia ſuperiora ſunt ordine naturali. Tertio, quia nullum ens quantumuis perfectiſſimum ordinis naturalis poteſt exigere, agere, aut pati propria, & intrinſeca virtute aliquod vel minimum accidens ſupernaturale. Quod abſque exceſſu perfectionis conſtare non poteſt. Ergo.

Secunda ſententia negans.

4. Secunda ſententia non omnia ſupernaturalia euehit ſupra totum ordinem naturæ, ſed dona perfectiſſima ordinis ſupernaturalis, vt gratiam iuſtificantem, charitatem, lumen gloriæ, & actus horum habituum, quæ altiora collocat, quam ſubſtantiam humanam, & Angelicam, & omnem aliam ſubſtantiam naturalem. Ita P. Valentia (P. Valentia) to. 2. diſp. 8. q. 4. punct. 1. & to. 3. diſp. 3. qu. 1. §. 3. verſiculo *nec valde probo.* P. Granadus (P. Granadus.) controu. 8. de gratia tract. 4. diſp. 5. n. 3. Aragō (Aragon.) 2. 2. q. 23. art. 3. dub. vltimo: quibus accedit P. Molina (P Molin.) 1. p. q. 12. art. 5. diſp. 2. ad 2. argumentum. Nituntur primo, quia Prouerb. 8. (Prouer. 8.) dicitur de gratia, & ſapientia ſupernaturali, *Melior eſt cunctis opibus pratioſiſſimis, & omne deſiderabile ei non poteſt comparari.* Secundo auctoritate Auguſtini (Auguſtin.), & aliorum Patrum. Nam Auguſtinus lib. 2. ad Bonifacium cap. 6. ait, *Gratia Dei non ſolum omnia ſydera, & omnes calos, verumetiam omnes Angelos ſupergreditur.* Item to. 3. lib. 15. de Trinitate cap. 14. agens de Charitate: *Nullum eſt iſto Dei dono excellentius.* Et tom. 10. hom. 50. de verbis Domini; *quale bonum eſt charitas iſta fratres? Quid pratioſius? quid luminoſius? quid firmius? quid vtilius? quid ſecurius?* Et ſer. 15. de verbis Apoſtoli col. 10. *Melius eſt, iuſtum eſſe, quam hominem eſſe.* Item Gregorius Nazianzenus (Gregorius Nazian.) oratione 4. quæ eſt in ſanctum baptiſma colum. 6. *Quemadmodum nos creauit Dominus, ita creatos inſtaurauit, ac refinxit, & quidem figmento diuiniori, primumque figmentum ſuperante.* Et S. Bernardus (Bernardus.) ſer. 29. in Cantica col. 2. *Chariſma peroptimum charitas eſt, plane incomparabile.* Et infra; *quidnam huic comparandum putemus.* In quam ſententiam adducunt S. Thomam (S. Thomas.) 1. 2. q. 113. art. 9. ad 2. vbi ait; *Bonum gratia eſſe maius, quam bonum natura totius vniuerſi.* Et 2. 2. qu. 23. art. 3. vbi ait; *Charitatem ſecundum ſuam ſpeciem eſſe praſtantiorem anima.* Item S. Bonauenturam (S. Bonauētura.) in 2. diſt. 27. art. 1. q. 2. ad 2. aſſerentem, *gratiam eſſe primum, & excellentiſſimum inter dona creata.*

5. Mouentur ratione. Ordo ſupernaturalis ſuperat ordinem naturalem. Ad exceſſum autem vnius ordinis ſupernaturalium opus eſt, vt inferiora nobiliſſima vnius ordinis ſuperent perfectione inferiora nobiliſſima alterius. Ergo gratia iuſtificans, charitas, & lumen gloriæ, quæ ſunt inferiora nobiliſſima ordinis ſupernaturalis, ſuperabunt perfectione ſubſtantiam humanam, & Angelicam, quæ ſunt nobiliſſima inferiora ordinis naturalis. Secundo, quò res creatæ magis accedunt ad Deum, eo nobiliores, & perfectiores cenſentur. At per iſta dona magis accedunt ad Deum ſubſtantiæ naturales, quam per ſuas proprias naturales, & ſubſtantiales perfectiones. Ergo. Confirmatur, quia per gratiā fit homo amicus, & filius adoptiuus Dei, hæres vitæ æternæ, conſors diuinitatis, particeps beatitudinis ſupernaturalis, origo omnium donorum, quæ ſumme perficiunt naturam, & explent appetitum illius. Hæc attributa perfectiones ſunt longe ſuperantes omnem perfectionem naturæ. Ergo. Tertio denique homo, & Angelus debent eligere potius non eſſe, quam gratiam, aut lumen gloriæ deperdere. Ergo præſtantius quid eſt donum gratiæ, & luminis gloriæ, quam ſubſtantia Angelica, & humana.

Tertia ſententia media.

6. Tertia ſententia tuetur, animam, & quamuis aliam ſubſtantiam intellectualem ſuperare perfectione gratiam habitualem, & reliqua dona ſupernaturalia. Ita Scotus (Scotus.) in 4. d. 10. q. 8. conclu. 2. Ricardus (Ricardus.) in 2. d. 26. art. 2. qu. 2. Caiet. 22. q. 23. art. 3. & 1. p. qu. 12. ad art. 5. P. Suarez (P. Suarez.) to 2. Metaphiſicæ diſp. 32. ſect 2. num. 32. P. Fonſeca (P. Fonſeca.) 7. Metaph. cap. 1. qu. 2. ſect. 4. concluſ. 2. P. Vaſquez (P. Vaſquez) 1. p. to 2. diſp. 224. & p. 3. fine. P. Salas (P. Salas.) 1. 2. to. 1. tract. 2. diſp. 3. ſect. 2. ad 3. Zumel. (Zumel.) 1. 2. q. 110. art. 2. dub. 1. Philipp. Faber (Faber.) in 3. diſp. 42. c. 2. num. 8. Cui aperte fauet S. Thomas (S. Thomas) in 1. d. 17. q. 1. art. 2. ad 3. *Dicendum eſt igitur, quod ſimpliciter anima eſt melior charitate, & quodlibet ſubiectum ſuo accidente: ſed ſecundum quid eſt è conuerſo. Cuius ratio eſt, quia eſſe, ſecundum Dyoniſium 5. cap. de diuinis nominibus, eſt nobilius omnibus alijs, qua conſequuntur eſſe. Unde quod excedit in eſſe ſimpliciter, nobilius eſt omni eo, quod excedit in aliquo de conſequentibus eſſe, quamuis ſecundum aliud poſſit eſſe minus nobile. Et quia anima, & qualibet ſubſtantia habet nobilius eſſe, quam accidens, ideo ſimpliciter nobilior eſt, ſed quantum ad aliquid eſſe, vel ſecundum aliquid poteſt accidens eſſe nobilius.* Eadem habet in 2. d. 26. q. 1. art. 2. ad 3. Quibus conſonat 1. 2. q. 110. art. 2. ibi, *Ipſa participatio diuina bonitatis, qua eſt gratia, imperfectiori modo habet eſſe in anima, quam anima in ſeipſa ſubſiſtat; eſt tamen nobilior, quam natura anima, in quantum eſt expreſſiua, vel participatio diuina bonitatis, non vero quantum ad modum eſſendi.* Vbi ſolam excellentiam ſecundum quid videtur tribuere gratiæ iuſtificanti compoſitæ cum animo rationali.

Digitized by Google

7. Variæ ſunt rationes exceſſus ſubſtantiarum intellectualium ſupra dona ſupernaturalia gratiæ. Alij enim id probant cum S. Thoma ex modo eſſendi, & ſubſiſtendi perfectiori. Alij ex independentia ſubſtantiæ ab accidenti, & dependentia accidentis à ſubſtantia. Alij, quia dona ſupernaturalia deſtinātur ſuapté natura ad perfectionem ſubſtantiæ naturalis. Alij quia genus ſubſtantiæ nobilius eſt genere accidentis, atque adeo nobiliſſimum generis inferioris non poteſt perfectione ſuperare nobiliſſimum generis ſuperioris.

SECTIO SECVNDA.

Dirimitur tota controuerſia.

Difficultas rei

8. RES iſta ſolis coniecturis, & arbitraria æſtimatione poteſt decerni. Neque enim certa momenta habemus, quibus poſſimus expendere æqualitatem, aut præſtantiam entium ſupernaturalium compoſitorum cum natura, aut aliorum entium inter ſe. Quare ſemper mihi difficile eſt ferre ſententiam de exceſſu vnius entis ſupra aliud ex defectu menſuræ, qua metiri poſſimus nobilitatem cuiuſque. Nam ſi illam metiri velis ex numero perfectionum, obſtat, poſſe vnicam dumtaxat perfectionem pluribus æquiualere, & anteferri. Nam virtus intellectiua excellit perfectione vim illuminatiuam, & calefactiuam ſimul. Si arguas cum nonnullis Theologis ex maiori complacentia Dei, occurritur, maiorem Dei complacentiam deprehendi non poſſe, niſi ex maiori bonitate, & perfectione obiecti, cum ex parte ſubiecti in Deo omnes affectus æquales ſint; ac proinde tandem deueniendum eſt ad aliud veſtigium iſtius excellentiæ, ex qua maior Dei complacentia deprehendatur. Si cum alijs illam metiaris ex maiori coniunctione cum Deo, explicare prius oportet, quænam perfectiones ſint, quæ res creatas Deo propinquiores reddunt? Præterquam quod ſeorſim à propinquitate cum Deo perfectio rerum explicanda eſt. Siquidem vt aliquod attributum adſcribamus Deo, prius ſecundum rationem communem præſcindentem à Deo perfectio ſine imperfectione apprehendenda eſt, & inde ad prædicandum illam de Deo deſcendendum. Igitur ſeorſim à propinquitate cum Deo aliquid debet nobile, ac perfectum cenſeri. Si denique ex valore prædicatorum æſtimes iſtam præſtantiam, deficiunt principia, quibus taxare poſſimus perfectionem vniuſcuiuſque rei; exceptis aliquibus perfectionibus, quæ ex ſola apprehenſione terminorum conſtant ſuperiores eſſe, vt intellectiuum ſuperius ſenſitiuo, & ſenſitiuum vegetatiuo. Igitur incerta ſunt principia, quibus poſſimus metiri æqualitatem, aut exceſſum perfectionum. Atque ita facta comparatione inter naturalia, & ſupernaturalia entia plerumque hærere neceſſe eſt, niſi ad arbitrium noſtrum, primaque principia naturæ, & rationis, ſententiam reuocemus.

Aſſertio prima contra primā ſententiam

9. Nihilominus aſſero primo contra primam ſententiam plura eſſe ordinis naturalis, quæ perfectione ſuperiora ſunt pluribus ordinis ſupernaturalis. Hoc mihi certum eſt. Nam ſola apprehenſione terminorum mihi perſuaſum eſt, maius quid eſſe Angelum, & animum, quam vbicationem ſupernaturalem corporis, proceſſionem ſupernaturalem frigoris à calore, aut dotem aliquam corporis glorioſi. Etenim his ſupernaturalibus accidentibus ſola competit ſupernaturalitas, quæ poſſit de nobilitate contendere cum ſubſtantia angelica, aut humana. At ſupernaturalitas iſta manifeſte compenſatur innumeris perfectionibus hominis, & Angeli, quas cæcus intuetur, & referre otioſum eſt.

Ad primū argumentū primæ ſententiæ.

10. Quare ad primum argumentū primæ ſententiæ reſpondeo. Dona ſupernaturalia magna, & prætioſa dicuntur, tum quia complectūtur gratiam iuſtificantem, charitatem, & lumen gloriæ; non vero quia omnia ſeorſim accidentia eius excellentiæ ſint, tum quia comparatio fit à D. Petro cum donis naturalibus, & alijs, quæ naturam intellectualem poſſunt perficere; & vltra naturalem, & ſubſtantialem ſui conſtitutionem efferre. Inter quæ certū eſt, gratiam, & reliqua accidentia ſuprema ordinis ſupernaturalis longe præſtare alijs accidentibus, quæ naturam rationalem nobilitare poſſunt. Vnde alia inferiora accidētia ordinis ſupernaturalis, præſertim compoſita cum ſubſtantijs naturalibus tuto aſſeri poſſunt ignobiliora ſubſtantijs naturalibus. Quin, & pluribus illarū proprietatibus v.g. intellectu, & voluntate diſtinctis. Ad ſecundum reſpondeo. Neque eleuatio, neque deſtinatio naturæ in dona ſupernaturalia arguit ignobiliorem naturę conditionem. Non eleuatio, quia poteſt res eleuari ad effectus ſeipſa ignobiliores, vt homo ad producendam lucem, & gratia ad efficiendum calorem. Ad eleuationem enim ſufficit rem non continere in ſua natiua poteſtate effectum. Poteſt autem res plures effectus ſeipſa imperfectiores non continere natiua ſua virtute. Neque id arguit deſtinatio naturæ in dona ſupernaturalia. Tum quia hæc deſtinatio nō eſt intrinſeca, & naturalis, ſed extrinſeca, & præternaturalis. At extrinſeca directione Dei poſſūt nobiliora ad ignobiliora deſtinari. Tum quia natura rationalis dirigitur ad ſupernaturalia tanquā ad finem *qui*, & ad ſeipſā tanquam ad finem *cui*. Poteſt autem dirigi res ad alia ſeipſa ignobiliora tanquam ad finē *qui*, cum ipſa ſit finis *cui* illa concedenda ſunt. Sic animus deſtinatur ex natura ſua ad intelligendum, & amandum, quamuis actus intelligendi, & amandi non æquent perfectione ſubſtātiam animæ, quia ſubiectum, cui tales actus natura deſtinauit, eſt ipſa ſubſtantia animæ. Similiter ſubiectū, quod accidētia ſupernaturalia ſuapte natura nobilitant, & perficiunt, eſt natura rationalis. Tum deniq; quia natura nō deſtinatur ad omnia ſupernaturalia tanquā ad finē, ſed plura ſunt media, & plures affectiones comitātes donorum ſupernaturalium, cum quibus poteſt natura de perfectione contendere. Ad 3. conſtat

Ad ſecundum.

Ad tertium

T 3

Digitized by Google

ex proxime dictis. Nam poteſt res ſuperioris perfectionis indigere eleuatione ad agendum aut patiendum aliquid inferius; quia cum virtus cuiuſque rei limitata ſit, plura inferioris perfectionis poſſunt extra ſpæram ſuæ natiuæ virtutis exiſtere; neque enim omnia agentia poſſunt agere omnia ſeipſis ignobiliora. Alias Angelus poſſet agere hominem, & reliqua, quæ in rerum vniuerſitate continentur.

Aſſertio ſecunda contra ſecundã ſententiam

11. Aſſero ſecundo contra ſecundam ſententiam. Probabilius mihi eſt, ſubſtantiam rationalem ſuperioris perfectionis eſſe, quam gratiam, charitatem, & lumen gloriæ, aliaque eius generis accidentia. Hoc adeo certum non eſt. Verum ſi arbitrandum eſt, videtur ſubſtantia intellectualis præferenda. Nam perfectiones ſubſtantiæ, viuentis, intellectiuæ, volitiuæ, liberæ, & capacis videndi, & amandi Deum, & aliæ huiuſmodi, quæ ſunt alienæ, & repugnantes accidentibus ſupernaturalibus, compenſare ſufficienter poſſunt omnem perfectionem, quæ reperitur in gratia, & reliquis donis ſupernaturalibus, quæ abſque conſortio naturæ intellectualis nihil egregium, & celſum conferre poſſunt. Etenim eſſe iuſtum, & amicum Dei, participemque diuinitatis non competit gratiæ ſeorſim à natura, ſed ſimul cum illa. At naturæ intellectuali competit eſſe ſubſtantiam, viuentem, intelligentem, volentem, liberam, capacem remote videndi Deum, & ineundi amicitiam cum Deo ſeorſim à gratia habituali, & donis ſupernaturalibus. Accedit, S. Thomam aperte huic ſententiæ ſuffragari, neque argumenta ſecundæ ſententiæ quicquam contra iſtud aſſertum euincere, vt eorum ſolutione iam monſtro.

Ad primũ argumentũ ſecũdę ſententiæ.

12. Ad primum ex teſtimonijs deſumptũ reſpondeo. Excellentia gratiæ, & charitatis altiſſima prædicatur. Primo, quia illa penſantur ſecũdùm ęſtimationem moralem, non vero ſecundùm perfectiõnẽ Phyſicam. Secundò, quia comparatur gratia cum donis, & accidentibus, quæ naturam perficere poſſunt, non vero comparatur cum ipſa natura. Fatemur autẽ gratiam inter omnia dona, & accidentia perficientia naturam excellentiſſimam eſſe, & nihil cum illa compoſitum altius nobilitare ſubſtantiam intellectualem. Tertio, quia gratia, & reliqua dona ſupernaturalia ſumũtur non in abſtracto, ſed in cõcreto, quod efficiunt cum ipſa natura: qua ratione eſſe naturæ illuſtratæ accidentibus ſupernaturalibus ſublimius eſt, quam eſſe nudum naturæ ſolis perfectionibus naturalibus relictę. Nam hac ratione complectitur natura vtramque perfectionem naturalem & ſupernaturalẽ, quę ſuperior eſt, quam nuda pefectio naturalis, vt dicebamus nu. 2.

Obiectio.

Dices, eſſe album non eſſe perfectius, quam eſſe hominem, quamuis eſſe album in homine etiam comprehendat ſubiectum. Ergo ſi eſſe iuſtũ perfectius eſt, quam eſſe hominem, ideo eſt, quia perfectio iuſtitiæ ſuperat perfectionem naturalem hominis.

Diluiio.

Reſpondeo. Eſſe album non complectitur eſſentialiter ſubſtantiam hominis, vt homo eſt, quia etiam lapis, imo, & quantitas ſola poteſt eſſe alba, atque adeo eſſe album ſecundum ſe non importat perfectionem æqualem perfectioni ſubſtantiali humanæ. At vero eſſe iuſtum, & amicum Dei, & participem adoptionis, & beatitudinis ſupernaturalis importat naturam intellectualem, vt intellectualis eſt, quin alteri ſubiecto poſſit talis effectus formalis conuenire. Ergo eſſe iuſtum poteſt ratione naturæ intellectualis ſimul comprehendere ſubliniorem perfectionem, quàm ſolum eſſe naturæ intellectualis ſecundum ſe. Neque enim gratia ſeiuncta à natura intellectuali, aut coniuncta alteri inferiori ſubiecto poteſt eam ſublimitatem, & effectum formalem præ ſe ferre. Igitur recte poſſunt Patres, hos effectus efferre ſupra naturam ſecundum ſe, quamuis ipſa natura ſecundum ſe perfectior ſit, quam gratia ſeiuncta à natura. Quarto denique Patres euehunt accidentia iſta ſupra naturam, ſolum quia ſuperant eius exigentiam, & virtutem. Poſſunt autem eius exigentiam, & virtutem ſuperare, quamuis perfectio naturæ nobilior ſimpliciter ſit, quam perfectio accidentium, vt nuper dicebamus. Sic ſubſtantia animæ eſt nobilior, quam intellectus Angelicus à ſubſtantia Angelica diſtinctus, ſolum quia Angelicus intellectus ab Angelo diſtinctus accidens eſt, quamuis ſubſtantia animæ, neque exigentiam, neque virtutem habeat, qua talem intellectum contineat. Similiter poteſt ſubſtantia animæ, & cuiuſuis alterius intellectiuæ ſubſtantiæ ſuperioris perfectionis exiſtere, quam accidentia ſupernaturalia, quamuis ſupra exigentiam, & virtutem animæ accidentia ſupernaturalia exiſtant.

13. Ad ſecundum ex prima ratione propoſitum reſpondeo. Ordo ſupernaturalis ſuperat ordinem naturalem, quia mea opinione inter ordinem ſupernaturalem datur ſubſtantia ſupernaturalis, quæ longe excedit omnem ſubſtantiam naturalem. Vnde verum eſt, nobiliſſimum ordinis ſupernaturalis exiſtere ſuperius nobiliſſimo ordinis naturalis. Si verò ab ordine ſupernaturali ſecludamus ſubſtantiam ſupernaturalem, & in eo ordine ſola accidentia collocemus, dicendum eſt, ordinem ſupernaturalem ſuperiorem eſſe ordine naturali accidentium, quia omnia accidentia naturalia non attingunt perfectionem accidentium ſupernaturalium. Qua ratione comparatur communiter ordo ſupernaturalis, & naturalis. Si vero in ordine naturali compoſito cum ordine ſupernaturali accidentium conſtituantur ſubſtantiæ, recte poteſt iuxta noſtram, & aliorum ſententiam ordo naturalis efferri entitatiuè ſupra ordinem ſupernaturalem accidentium. Inſtaturque argumentum contra aduerſarios. Nam etiam ordo ſubſtantiæ eſt ſuperior, quam ordo accidentium. Ergo nobiliſſima infeſiora ordinis ſubſtantialis ſunt ſuperiora nobiliſſimis inferioribus ordinis accidentalis. Ad ſecundum.

14. Ad ſecundam rationem reſpondeo I. Subſtantiæ naturales magis accedunt ad Deum per accidentia ſupernaturalia, quã per ſuas proprias perfectiones naturales: quia coniunctio ſubſtãtiæ intellectualis cum Deo cõprehendit Ad tertium

Digitized by Google

perfectionem vtriuſque ordinis, quæ maior eſt, quam perfectio ordinis ſolius naturæ. Secundo: Maior acceſſio, & coniunctio naturæ cum Deo per accidentia ſupernaturalia ſolum eſt intentionalis quoad affectum, & cognitionem, quæ perfectiores ſunt per gratiam, quã per naturam; non vero phyſica, & entitatiua quoad æmulationem, & ſimilitudinem perfectionum; cum ea accidentia ſeorſim à ſubſtantia non ſint viuentia, intellectiua, libera, & eorum operum actiua, quorum eſt ſubſtantia intellectualis. Vnde etiam conſtat ad confirmationem, quæ ſolum concludit, conſortium naturæ, & gratiæ perfectius quid conſtituere, quam nudam naturam. Ad tertiam denique rationem reſpondeo. Dona ſupernaturalia æſtimatione morali maiora, & pretioſiora ſunt, quam perfectiones naturales; non verò entitate phyſica. Quoniam etiam eligibilius eſt omnino perire, quã vnum peccatum veniale committere. Nihilominus carentia peccati venialis non eſt phyſicè, & entitatiuè perfectior, quam ſubſtantia humana, & Angelica. Id quod vrgeri poteſt etiam facta comparatione cum vnione hypoſtatica, & gratia. Nam eligibilius eſt deperdere gratiam, & vnionem hypoſtaticam, quàm offendere Deum etiam venialiter. Quamuis omiſſio peccati venialis longè inferior ſit, quam gratia, & vnio hypoſtatica.

Ad poſtremum.

14. At rogabit quis; an idem, quod ſtatuimus de animo rationali, & ſubſtantia Angelica comparatis cum gratia, & reliquis donis, ſtatuendum ſit de qualibet alia ſubſtantia naturali v.g. lapide, aut ligno? Reſpondeo. Id adeò non conſtare, neque ad trutinam exactam reduci poſſe, & abſque diuinatione decerni, & quod liberè decernatur nulla poſſe ratione veritatis, aut falſitatis conuinci. Ideo cuiuſque arbitrio, & æſtimationi relinquendum.

DISPVTATIO VIGESIMASECVNDA.

AN SVPERNATVRALIA SINT SVPRA primam inſtitutionem naturæ antecedentem peccatum?

HVC vſque compoſuimus dona ſupernaturalia cum natura lapſa poſt peccatum. Nunc conferimus illa cum natura primum condita ante peccatum. An primæ ipſius conditioni ſine peccato naturalia ſint? Sunt enim, qui aliter cum natura ante peccatum, & poſt peccatum dona ſupernaturalia componant.

SECTIONES.

1. *Sententia Hæreticorum.*
2. *Catholicorum ſententia.*
3. *Catholica ſententia auctoritate fundatur.*
4. *Rationes Theologicæ pro Catholica ſententia.*
5. *Explicantur Michaelis Baij argumenta.*

SECTIO PRIMA.

Hæreticorum ſententia.

Natura prima ſui conditione non fuit creata, qualis nunc naſcitur poſt peccatum. Gen. 1.

1. DVo breuiter præmittenda ſunt. Alterum, naturam in prima ſua conditione non fuiſſe creatam, qualis nunc naſcitur, pronam ad malum, infirmam ad bonum, & ignorantem; ſed rectam, in bonumque robuſtam, ſapientem, abſque difficultate, & propenſione in turpia, quam modò aſſiduè experimur. Ita communis Patrum conſenſus cap. 1. Geneſis præcipuè ad illud *creauit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam.* Vbi *ad imaginem Dei* ſecundum dona naturalia, videlicet mentem, voluntatem, memoriam, ac liberum arbitrium; *ad ſimilitudinem* verò factum eſſe hominem ſecundum dona gratuita ſanctitatis, iuſtitiæ, ac omnis rectitudinis, arbitrantur Origenes, Baſilius, Ambroſius, Nyſſenus, Eucherius, Victorinus, Theodoretus, & Rupertus, relati à noſtro Pererio lib. 4. in Geneſ. ad verba ſuperiora §. *Multorum eſt.* Item commune Theologorum ſuffragium cum S. Thoma 1. p. q. 63. & Magiſtro in 2. diſt. 16. Supponitque Arauſicanum 2. canon. 19. ibi. *Natura humana etiamſi in illa integritate, in qua condita eſt, permaneret, nullo modo ſeipſam creatore non adiuuante ſeruaret: vnde cum ſine gratia Dei ſalutem non poſſit cuſtodire, quam accepit, quomodo ſine Dei gratia poterit reparare, quod perdidit?* Audis naturam integram, & iuſtam à Deo conditam; & ſine gratia Dei neque tunc ſeruari, neque modo reparari poſſe. Rurſus habet Auguſtinus lib. 14. de ciuitate Dei cap. 17. *Sicut ſcriptum eſt, nudi erant, & non confundebantur; non quod eis ſua nuditas eſſet incognita, ſed turpis nuditas nondum erat; quia nondum libido membra illa præter arbitrium commouebat: nondum ad hominis inobedientiam redarguendam*

Origenes
Baſilius
Ambroſius
Nyſſenus
Eucherius
Victorinus
Theodoretus
Rupertus
P. Pererius
S. Thomas
Magiſter.
Concilium Arauſic.
Auguſtinus

Digitized by Google

ua inobedientia caro quodammodo teſtimonium perhibebat. Itaque primi noſtri parentes ſolum poſt peccatum rebellionem carnis experti ſunt. Identidem cap. 19. *Motus appetitus ante peccatum in Paradiſo vitioſi non erant. Non enim contra rectam voluntatem ad aliquid mouebantur vnde neceſſe eſſet, eos ratione tanquam frænis regentibus abſtinere.* Quippe ſolo rationis imperio frænari

Auguſtinus

poterant, facileque parebant; vt ipſemet Auguſtinus tradit lib. de correct. & gratia c. 10. & 11. Lege copioſam illorum fælicitatis deſcriptionem apud Proſperum lib. 2. de vita contemplatiua cap. 18. inter alia; *Quis ſufficienter enumeret quæ, & quanta bona illi abſtinentia contemptus ademerit? Quod intellectualis mentis dignitate donatus imaginem ſui creatoris accepit: quod ſoli Deo ſubiectus omnia viſibilia ſibi ſubiecta conſpexit. Non inquietabat moleſta ſolicitudo quietum, non fatigabat labor anxius otioſum, non ſomnus opprimebat inuitum, non amittendæ vitæ timor angebat de immortalitate ſecurum. Habebat facilem victum, corpus ex omni parte ſanum, tranquillum motum, cor mundum, ignarus pœnalis mali, expers peccati, capax Dei. Quid eo fœlicius, cui erat orbis ſubiectus, nullus infeſtus, liber animus, & viſibilis Deus?* Quis iam dicat, hominem creatum, qualis nunc naſcitur, infelix, & miſer, ſtimulis carnis agitatus, & acri pugnæ partis ſentientis cum rationali ſubiectus?

Prima ſui conditione in finem ſupernaturalem creatus fuit, doniſque in eum promouentibus inſtructus homo.

2. Alterum præmitto, rectitudinem, & iuſtitiam, in qua homo primum creatus eſt, non ſolum fuiſſe eam, quę in finem naturalem conduceret, ſed etiam quæ in æternam fælicitatem promoueret, nimirum gratiam ſanctificantem, & adoptantem hominis in filium Dei, & hæreditatem æternam. Id manifeſtè indicant diuinæ litteræ, cum prędicant, nos per Chriſtum renouari ad eam iuſtitiam, in qua initio conditi ſumus.

Ad Epheſ.

Apoſtolus ad Epheſ. 4. *Renouamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis.* Etenim, qui renouari videtur, ſupponitur aliquando nouus; quod ſi renouatio conſiſtit in eo, vt induamus hominem Chriſto ſimilem, creatum ſecundum Deum in iuſtitia, & ſanctitate veritatis; fuit igitur aliquando homo, ſcilicet in prima creatione editus ſecundum Deum in iuſtitia, & ſanctitate veritatis.

Ad Coloſ. 3 2 ad Cor. 4. Trident.

Similia habet Paulus ad Coloſ. 3. & ad Cor. 4. Supponit apertè illud dogma Trident. ſeſſ. 6. in decreto de peccato originali, ibi: *Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiſo fuiſſet tranſgreſſus, ſtatim ſanctitatem, & iuſtitiam, in qua conſtitutus fuerat, amiſiſſe, anathema ſit.* Et poſt pauca: *Si quis Adæ præuaricationem ſibi ſoli, & nō eius propagini aſſerit nocuiſſe, & acceptam à Deo ſanctitatem, & iuſtitiam quam perdidit, ſibi ſoli, & non nobis etiam eum perdidiſſe, anathema ſit.* Igitur Adam initio fuit ante peccatum iuſtus, ac ſanctus; eâ quidem iuſtitiâ, ac ſanctitate, quam Tridentinum ſupponit nobis per Chriſtum conferri, vt in æternam fælicitatem perducamur. Innumera confirmant teſti-

Auguſtinus

monia Patrum. Auguſt. lib. de correctione, & gratia cap. 11. *Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? Imo verò habuit magnam.* Et poſt alia; *Neque ipſum Deus eſſe voluit ſine ſua gratia, quem reliquit in eius libero arbitrio.* Cirillus aduerſus Antropomorphitas cap. 1. differens de prima hominis conditione: *Cum verò non tantum ratione præditum eſſe oporteret, ſed etiam ſancti Spiritus participem, vt illuſtriores in ſe haberet diuinæ naturæ characteres, inſufflauit ipſi ſpiritum vitæ. Hic autem eſt ſpiritus, qui per filium rationali creaturæ eſt ſuppeditatus; qui quidem ipſam transformat in formam, hoc eſt, diuinam.* Quod argumentum vberi, & eleganti calamo proſequitur cap. 3. & 4. Item lib. 2. in Ioan. cap. 3.

Irenæus

Irenæus lib. 3. contra Hæreſes, cap. 37. ſic inducens loquentem Adamum; *quoniam eam, quam habui à ſpiritu ſanctitatis ſtolam amiſi per inobedientiam, &c.*

Cyprianus

Cyprianus ſerm. 3. de bono patientiæ: *Adam contra præceptum cæleſte cibi lathalis impatiēs in mortem cecidit, nec acceptam diuinitus gratiam patientia cuſtode ſeruauit.*

Ambroſius Baſilius Leo Papa Gregorius Chryſoſtomus Nazianzenus

Eadem tradunt Ambroſius lib. 6. exameron cap. 7. & lib. 7. in Lucam cap. 48. Baſilius hom. in pſalm. 48. ad illud. *Homo cum in honore eſſet, &c.* Leo Papa ſerm. 1. de ieiunio decimi menſis, Gregorius lib. 5. epiſt. 4. & lib. 6. epiſt. 31. Chryſoſtomus homil. 16. in Geneſim; Nazianzenus in oratione de Paſcha.

Hæreticorum iudicium.

3. Igitur dona homini in prima creatione conceſſa, tam ea, quę obedientiam partis concupiſcentis ad rationis arbitrium conferebant, quàm ea, quæ ſanctitatem, & facultatem credendi, ſperandi, diligendique, prout in fælicitatem æternam conduceret, hominis naturæ, & conditioni naturalia, atque debita eſſe, qualiter ſalus corporea, & viſus ſanus, & alia id genus debita, & naturalia ſunt, arbitrantur plures noſtræ tempeſtatis hæretici. Ac conſequenter docent, eadem dona per peccatum amiſſa, & poſt Chriſtum reparata taliter ſupernaturalia eſſe, atque dici, qualiter viſus deperditus, & recuperatus eſt, & dicitur ſupernaturalis.

Lutherus

Ita Martinus Lutherus in commentario ad cap. 3. Geneſ. Agens enim de originali iuſtitia ita claudit; *quare ſtatuamus iuſtitiam non fuiſſe quoddam donum, quod ab extra accederet, ſeparatum à natura hominis, ſed fuiſſe verè naturalem, vt natura Adæ eſſet diligere Deum, credere Deo, agnoſcere Deum. Hæc tam naturalia fuere in Adamo, quàm naturale eſt, quod oculi lumen recipiunt.* Et infra: *Porrò hæc probant, originalem iuſtitiam eſſe de natura hominis. Ea autem per peccatum amiſſa, non manſiſſe integra naturalia, vt ſcholaſtici delirant.*

Caluinus

Cuius mentis fuit etiam Caluinus in lib. 1. inſtit. cap. 15. §. 8. deſcribens primi hominis conditionem abſque vlla memoria ſupernaturalium donorum, totamque peccati iacturam referens in naturalem hominis facultatem, vt eum poſt peccatum ſine libero arbitrio relinqueret.

Michael Baius Pius V. Gregorius XIII.

4. Sed multo apertius rem eamdem aſſeruit Michael Baius Doctor Louanienſis, cuius varias propoſitiones damnarunt Pius V. & Gregorius XIII. bulla edita anno 1570. & 1579. Is enim lib. 1. de prima hominis iuſtitia cap 4. cui titulus eſt; *Quod prima creationis integritas non fuerit indebita naturæ humanæ exaltatio, ſed naturalis eius conditio*; initio ſic habet: *Forſitam plerique non difficulter adducentur, vt veteres in*

Digitized by Google

teſtimonijs adhærentes à communi recentiorum opinione diſcedant, fatentes hominem ſic initio conditum eſſe rectum, vt iuſtitia, pietate, & cæteris Spiritus ſancti chariſmatibus repletus fuerit. Cæterum quod hæc fuerit naturalis eius conditio, cuius ſemper neceſſario ſit abſentia malum, & non potius indebita quædam humana naturæ exaltatio. Vnde cap. 6. cui eſt titulus, *Quod vera iuſtitia fuerit primo homini naturalis,* ſic aggreditur. *Cum itaque conſtet iuſtitiam, ſic primo homini in ſua creatione fuiſſe collatam, vt & in illo eſſet, & in omnes eius poſteros generatione tranſiret, cum cæteris animi eius, corporiſque dotibus eo modo, quo peccatum originis cum ſuis effectibus tranſit; mirum eſt, quomodo quiſque dubitare queat; An ſit homini naturale, quod tam euidenti ratione comprobatur, ad primam eius natiuitatem debere pertinere.* Et in medio capitis poſtquam præmiſit illud Auguſtini de ſpiritu, & littera c. 27.

Auguſtinus

Hoc agit ſpiritus gratiæ, vt imaginem Dei, in qua naturaliter facti ſumus, inſtauret in nobis, ſic expendit. *Audi, quod ait, nos in imagine Dei, quæ ſpiritu Dei inſtauratur, non ſupernaturaliter, ſed naturaliter eſſe factos, & facilè intelliges; primæ creationis imaginem non ſupernaturalem, & indebitam fuiſſe humanæ naturæ dignitatem, ſed potius naturalem hominis ſanitatem, ad integritatem eius pertinentem. Nam quemadmodum ſanitas corporis primarum eſt proportio qualitatum, quæ quando contra naturam vitiatur, ſtatim naſcitur infirmitas, ſic naturalis animæ ſanitas legitima eſt omnium partium eius obedientia.* Itaque animæ ſanitas, ac ſanctitas, per quam ſpiritu gratiæ in Dei imaginem transformamur, naturalis nobis eſt, ſicut ſanitas corporis; & contra naturam humanam, quod aliquo peccato corrumpatur. Atque adeò cap. 10. deprehendit, ſanitatem animæ, quæ ex collectione iuſtitiæ, charitatis, fidei, ac aliarum virtutum ſalutarium coaleſcit, iam per peccatum amiſſam indigere gratiâ Dei, vt reparetur; ſicut eâ indiget ſalus corporea; reſtitutionemque eſſe ſolum ſupernaturalem quoad modum, ſicut eſt corporeæ ſalutis reſtitutio. *Tamen habere fidem, habere charitatem, & ad priſtinam iuſtitiam eſſe reparatum eſt gratia fidelium, eo modo, quo ſanitas corporis gratia eſt, cum neque viribus naturæ, neque operâ medici reparari poteſt, ſed ſola creatoris beneficentiâ redditur; non quod res ſit ſupernaturalis, aut naturali hominis integritati ſuperaddita; ſed quod ipſe efficiendi modus, atque ratio ſecundum natiuam operandi virtutem in rebus creatis non inueniatur.* En nullo diſcriminat iuſtitiam primi hominis ab ipſius ſanitate corporea, vt ea naturalis, aut ſupernaturalis habeatur. Conſequenter voluit lib. 1. de meritis operum cap. 2. *Angelis in ſua creatione lege naturali à Deo conſtitutum fuiſſe, vt ſi per liberum arbitrium, quod acceperunt rectum, in data ſibi iuſtitia perſiſterent, huius perſeuerantiæ merito tam a beatitudinis plenitudinem acciperent, vt & deinceps cadere non poſſent.* Et infra; *promiſſionem æternæ felicitatis homini, & Angelo factam ad legem nat ræ pertinere, ideoque beatitudinem æternam, non gratiam, ſed mercedem illis perſeuerantibus fore; quin & ad illam conſequendam opera ex lege naturæ per ſe ſufficere.* Quamquam modo amiſſa poſt peccatum, iure quidem gratiæ nomen, & rationem ſortiatur, operaque ad illam adipiſcendam auxilio gratiæ indigeant; quia per peccatum omni dono factus eſt homo indignus.

SECTIO SECVNDA.

Catholicorum ſententia.

Explicatur.

5. SEd Catholicorum ſententia eſt, dona primo homini in ſua creatione conceſſa, per quæ iuſtitiam, & rectitudinem ſalutarem obtinuit, non fuiſſe natiuitati naturalia, & debita, ſed indebita, & ſupernaturalia. Ita S. Thomas 1. p. q. 95. art. 1. diſſerens de rectitudine cum qua conditus fuit Adam: *Manifeſtum eſt quod illa ſubiectio corporis ad animam, & inferiorum virium ad rationem non erat naturalis, alioqui poſt peccatum manſiſſet, cum etiam in dæmonibus data naturalia poſt peccatum permanſerint.* Et infra; *ex quo datur intelligi, ſi deſerente gratia ſoluta eſt obedientia carnis ad animam, quod per gratiam in anima exiſtentem inferiora ei ſubdebantur.* Ex quo loco apertè diſcimus hominem ſuæ conditioni relictum habiturum fuiſſe rebellionem carnis ad ſpiritum, eiuſque obedientiam in primo homine non ad debitam, & naturalem ipſius conſtitutionem, ſed ad gratiam, & donum ſupernaturale pertinuiſſe. Identidem S. Thomas q. 4. de malo art. 1. *Eſt autem conſiderandum,* inquit, *quod primo homini in ſua inſtitutione datum fuerat diuinitus quoddam ſupernaturale donum, ſcilicet originalis iuſtitia, per quam ratio ſubdebatur Deo, & inferiores vires rationi, & corpus animæ.* Item in 2. diſt. 31. q. 1. art. 1. *Deus humanæ naturæ in ſui principio ſupra conditionem ſuorum principiorum contulerat, vt eſſet in ratione rectitudo quædam originalis iuſtitiæ, quam ſine aliqua reſiſtentia imprimere poſſet inferioribus viribus, quia hoc gratis collatum fuerat, ideo iuſtè per ingratitudinem inobedientiæ ſubtractum eſt. Vnde factum eſt, vt primo homine peccante natura humana, quæ in ipſo erat, ſibi ipſi relinqueretur, vt conſiſteret ſecundum conditionem ſuorum principiorum.*

S. Thomas.

S. Thomas.

6. Sanctum Thomam ſequuntur Capreolus in 2. diſt. 30. q. 1. art. 1. Caietanus 1. 2. q. 85. art. 3. ad ſecundum dubium, & q. 109. art. 2. Ferrarienſis in commentarijs lib. 4. contra Gentes cap. 52. Conradus, & Barthol. Medina 1. 2. q. 85. art. 3. & 6. Quorum poſtremus addit, hanc eſſe communem omnium Theologorum ſententiam. Accedit Scotus in 2. diſt. 29. q. vnica, vbi de iuſtitia originali ait; *Cum hoc non habuerit potentia facta in puris naturalibus, neceſſe eſt, ipſam ponere donum ſupernaturale, quo ſit illa tranquillitas perfecta in anima.* Similiter Durandus in 2. diſt. 20. q. 5. & diſt. 30. q. 1. Gabriel in 2. diſt. 30. q. 1. Marſilius in 2. q. 18. & 19. Porro veteribus ſubſcribunt noſtri ſæculi Theologi. Driedo lib. 1. de gratia, & lib. arb. cap. 3. parte 4. fine. Ruardus Iapper in definitione art. 2. Vega lib. 2. in Trident. cap. 11. Sotus lib. 1. de natura, & gratia cap. 13. Albertus Pighius controu. 1. Binsfeldius ſect. 1. de ſtatu innocentiæ memb. 6. con. 5. Peltanus tractatu 2. de peccato originali, Pererius 5. in Geneſim. diſput. de iuſtitia originali, qu. 1.

Capreolus. Caietanus. Conradus. Medina. Scotus. Durandus. Gabriel. Marſilius. Driedo. Ruardus Iapper. Vega. Sotus. Albertus Pighius. Binsfeldius. Peltanus. Pererius.

Digitized by Google

P. Molina. P. Valentia. P. Salas. P. Becanus. P. Suarez.

Pater Molina de opere ſex dierum diſput. 27. & in concordia diſput. 3. & 4. Pater Torres tractatu contra errores Baij cap. 1. §. 2. num. 6. Pater Valentia 1. 2. diſput. 6. q. 15. p. 1. P. Salas 1. 2. tom. 2. tractatu 13. diſput. 13. ſect. 1. Pater Becanus 1. p. de opere ſex dierum cap. 3. P. Suarez. prolog. 4. de gratia c. 5. & lib. 3. de opere ſex dierum c. 20. n. 43.

7. Vbi nota licet Theologi directè diſſerant de iuſtitia originali, quatenus partem inferiorem ſubdebat ſuperiori, & non explicitè quatenus hominem reddebat iuſtum, ac filium Dei, hæredem Beatitudinis æternæ, ac inſtructum habitibus charitatis, & fidei, ſalutaribus in vitam æternam, quę hæretici ſuo aſſerto comprehendunt; tamen manifeſtum ſupponere, hęc dona eſſe ſupernaturalia primę hominis conditioni, cum prior illa obedientia ſupernaturalis aſſeritur. Nam iuſtitiam, & ſanctitatem, & omnia dona promouentia hominem in ſalutem æternam, gratioſa & ſuperaddita eſſe natiuitati hominis, indubitatum ſemper Catholicis fuit; quidquid de dono ſubijciente concupiſcentiam arbitrio rationis in ordine ad actus honeſtos naturæ dicatur. Quare ſi & donum iſtud indebitum, & ſupernaturale adſtruitur, à fortiori illa dona, quæ homines perducebant in Dei conſortium, ac fælicitatem æternam, conſenſu Theologorum ſupernaturalia dicenda ſunt. Ideò merito ſententiam ſect. 1. relatam, erroneam, aut hæreticam pronuntiat P. Torres ſupra, & hæreticorum propriam refert Bellarminus.

SECTIO TERTIA.

Catholica ſententia auctoritate probatur.

Primum argumentum. Pſal. 8.

8. PRimum argumentum exhibent ſacræ litterę. Pſal. 8. ſic prima hominis creatio deſcribitur. *Quid eſt homo, quia memor es eius, aut filius hominis, quia viſitas eum? minuiſti eum paulo minus ab Angelis, gloria, & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.* Quaſi diceret Dauid; quæ eſt hominis præſtantia, vt tam larga miſericordia, & locupleti donatione viſitares eum, euehendo illum per tuam gratiam ad æqualitatem cum Angelis, quibus per naturam inæqualis erat. Ideo dona illa, quibus homo ſic elatus eſt, gloriam, & honorem vocat, quia gloria, & honor bona ſunt extrinſecus, ac de foris aduenientia. Igitur ſupra omne meritum, & conditionem naturæ hominis dona, quibus initio creatus fuit, conceſſit Deus, ac per conſequens non illi naturalia, ac debita, ſed indebita, ac ſupernaturalia fuerunt. Item Eccleſiaſtici 17. *Deus creauit hominem de terra, & ſecundum ſe veſtiuit illum virtute.* Creatio de terra refertur ad vilitatem naturæ, indumentum virtutis ſecundum Deum ad ſuperpoſita dona gratiæ, quę facile detrahi poterant, vt poſt peccatum detracta ſunt. De quo lege Bedam, Hugonem, & noſtrum Octauianum ad hunc locum. Quo etiam ſpectat parabola de eo, qui incidit in latrones Lucæ 10. Primum enim deſpoliauerunt eum, deinde plagis impoſitis abierunt ſemiuiuo relicto. Vbi iacturam donorum ſupernaturalium, quam homo peccando ſibi, & nobis fecit, intelligunt communi conſenſu Patres, Ambroſius, Baſilius, Theophilactus, Beda apud catenam S. Thomæ; Item Auguſtinus lib. 1. quæſt. Euang. q. 19. & Bernardus ſerm. 1. de annuntiat. Vnde etiam ortum eſt commune Theologorum proloquium, hominem per peccatum ſpoliatum gratuitis, & naturalibus vulneratum, quia gratuita, & indebita dona per peccatum amiſit. Ita Theologi cum Magiſtro in 2. diſt. 33. litt. M. & S. Thoma 1. 2. q. 85. artic. 1. vt expendimus diſput. 5. num. 12.

Eccleſiaſtici 17. Beda. Hugo. Ambroſius. Theophilactus. Beda. S. Thomas. Auguſtinus. Bernardus. Magiſter.

Secundum argumentum. Michael Baius.

9. Secundum argumentum fit ex Pio V. & Gregorio XIII. qui damnarunt in Bulla ſuperiori plures propoſitiones Michaelis Baij continentes doctrinam oppoſitam. Ac in primis propoſitionem 21. *Humanæ naturæ ſublimatio, & exaltatio in conſortium diuinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, ac proinde naturalis dicenda eſt, non ſupernaturalis.* Quæ decerpta eſt ex lib. 1. de prima hominis iuſtitia cap. 4. & 5. Item propoſitionem 24. *abſurda eſt eorum ſententia qui dicunt, hominem ab initio quodam ſupernaturali, & gratuito dono ſuper naturæ ſuæ conditionem fuiſſe exaltatum, vt fide, ſpe, & charitate Deum ſupernaturaliter coleret.* Quæ ex cap. 7. eiuſdem libri deprompta eſt; & ſenſum non habet, quem Pater Torres tractatu contra errores Baij cap. 1. §. 2. tribuit, nempe Autorem negare, hominem in primo ſuæ creationis inſtanti fuiſſe iuſtum, & ſanctum; ſed eius ſenſus eſt, iuſtitiam, & ſanctitatem, facultatemque credendi, operandi, & diligendi ſalutariter Deum, non per dona ſupernaturalia, ac ſuperaddita, ſed per naturam homini conuenire. Conſequenter improbarunt Pontificis propoſitionem 25. *A vanis, & otioſis hominibus ſecundum inſipientiam Philoſophorum excogitata eſt ſententia, hominem ab initio ſic conſtitutum, vt per dona naturæ ſuperaddita fuerit largitate conditoris ſublimatus, & in Dei filium adeptatus eſt.* Quæ deſumpta eſt ex eodem libro de prima hominis iuſtitia cap. 7. & 8. Rurſus propoſitionem 27. *Integritas primæ conditionis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, ſed naturalis eius conditio.* Ex eodem libro cap. 4. Quibus conſentiunt propoſitiones 56 79. & 60. quas etiam Pontifices notarunt. Igitur iam dubitare non licet, integritatem primæ conditionis, iuſtitiam, ac ſanctitatem primi hominis, conſortium diuinitatis, fidem, ſpem, & charitatem ipſis ſalutares, dona fuiſſe primæ hominis conſtitutioni gratuita, indebita, & ſupernaturalia.

P. Torres.

Tertium argumentum.

10. Tertium argumentum colligo ex varijs Eccleſiæ Patrum teſtimonijs. Primo ex ijs, quæ iuſtitiæ dona Angelis ante lapſum naturalia, ac debita negant. Quæque enim Angelorum natiuitati indebita ac ſupernaturalia ſunt, pari, & fortiori iure erunt primæ hominis natiuitati ſupernaturalia. Ita Dionyſius Areopagita de diuinis nominibus c. 4. p. 4. de dæmonibus agens:

Dionyſius Areopag.

Digitized by Google

Nec Angelica munera his tributa aliquando per mutata, ſed integra ſunt, penituſque conſpicua. Quæ verba ediſſerens Marſilius Ficenus in commẽt. ait: *Sicut nocturnus aer dicitur tenebroſus, non quia vel rem nouam ſubeat, vel naturam amittat ſuam; ſed quia deeſt ei ſolis lumen; ſic animus, ac dæmon malus cognominatur, non propterea quod vel naturale quidquam perdat, vel ſuſcipiat alienum: ſed quia deficit à beneficio Dei munere*: Vnde ſolemne ſcholaſticis Theologis eſt, naturalia in dæmonibus, Dionyſio docente, manſiſſe integra. Quod idem proculdubio de homine quoque perſuaderi debet. Igitur ſi naturalia in Angelo, & homine poſt lapſum integra ſuperfuerunt, liquidoq; conſtat, iuſtitiam in qua creati ſunt, eis poſt lapſum non fuiſſe ſuperſtitem, manifeſtè colligitur, talem iuſtitiam eis non fuiſſe naturalem, ſed ſupernaturalem. Cui tamen non repugnat, quod communiter Theologi docent, naturam humanam per Adæ peccatum vulneratam, & corruptam eſſe. Nam eadem humana, & Angelica natura, ſi referatur ad eum ſtatum, in quo puris naturalibus relicta crearetur, integra dici debet, & in hoc ſenſu integra dicitur à Dionyſio, & Theologis: Si verò ſtatum illum conſideremus, in quem reipſa beneficio conditoris euecta fuit, verè vulnerata, & corrupta dicenda eſt, quia per peccatum detracta fuit illi integritas, & ſalus in ordine ad naturalia opera, qua prius gaudebat. Similiter Baſilius in lib. de Spiritu ſancto cap. 16. *Sanctificatio*, inquit, *non eſt abſque Spiritu: non enim natura ſancta ſunt cælorum virtutes; ſed iuxta proportionem eminentia inter ipſas ſanctificationis menſuras à Spiritu ſancto habent.* Non igitur à natura, ſed ex dono gratuito Spiritus ſancti ſanctificatio ineſt Angelis, ac proinde etiam hominibus. Item Hieronymus in cap. 3. Oſeæ. *Dæmones*, ait, *qui lapſi ſunt à propria dignitate, & nihil antiquæ gratiæ poſſidentes aridi ſunt.* Igitur antiqua, & prima ſanctitatis dona, non naturalia, ſed pretioſa erant dæmonibus. Quare Auguſtinus l. 12. de ciuitate Dei, cap. 9. ita de Angelis loquitur: *Si condens naturam, & largiens gratiam.* Vbi apertiſſimè diſcernit naturam à gratia, donaque agnoſcit ex largitate conditoris abſque debito conceſſa.

Marſilius

Baſilius

Hieronymus

Auguſtinus

11. Secundo promo teſtimonia, quæ iuſtitiæ munera initio primis hominibus donata, gratioſa, & ſupra naturæ exigentiam, prædicãt. Chryſoſtomus hom. 15. in Geneſ. de primis parentibus ſic habet: *Gloria, quæ ſupernè venerat, veſtiti erant.* En non ex naturæ principijs, ſed ex cælo, ac ſupra naturæ conditionem iuſtitia primis parentibus acceſſit. Cyrillus lib. 1. in Ioan. cap. 9. de Adamo diſſerens; *participatione luminis ſplendet ſuper naturam ſuam glorificantis Dei gratia, & varijs donorum ornamentis aſcendens.* Et poſt alia: *miſericors enim verè Dominus eſt, qui creaturam paruam, atque abiectam ſecundum naturam, magnam atque mirabilem ſua efficit bonitate:* Et cap. 19. *Creatura cum ſerua ſit, nutu ſolum, & voluntate Patris ad ſupernaturalia vocatur.* Ex quibus perſpicuè docemur, ſanctitatem, & gratiam primi hominis ſupra eius conſtitutionem fuiſſe. Ambroſius lib. de Paradiſo cap. 14. *Quid eſt Adam, vbi es? Non interrogatio eſt, ſed increpatio; de quibus (inquit) bonis, de qua beatitudine, de qua gratia, in quam miſeriam receſſiſti?* En effert fælicitatem Adami, & eam in gratiam, non in naturam reuocat. Anſelmus lib. de peccato originali cap. 12. de Adamo ſic fatur: *quoniam in tanta gratia altitudine poſitus, quæ bona ſibi, & alijs ſeruanda acceperat, ſponte deſeruit, idcirco &c.* Bernardus ſerm. 1. de annuntiat. ſcribit, Adamum peccando amiſiſſe ornamenta virtutum, & ſimilitudinem cum Deo, non autem imaginem Dei, *quia illa non erat aſſuta, ſed inſita, atque ipſi impreſſa natura.* Ergo reliqua virtutum, ac ſanctitatis dona non erant inſita, atque impreſſa naturæ, ſed aſſuta extrinſecus, ac ſuperaddita naturalibus, vt ſupernaturalia eſſe ſolent. Quo ſenſu declarat Rupertus, imaginem Dei in primo homine ad dona naturalia inamiſſibilia, ſimilitudinem verò ad dona gratuita amiſſibilia pertinere. Ita lib. 2. de Trinitate cap. 3. *Duplici honore precellit hominis conditio dum dicitur; ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Ad imaginem videlicet, vt ſit rationalis: ad ſimilitudinem noſtram, vt rectus ſit ſectando iuſtitiam. Horum altero, ſcilicet rationalitate carere non poteſt; alterum, id eſt diuinæ rectitudinis, vel iuſtitiæ ſimilitudinem, niſi per gratiam aſſequi non poteſt.*

Chryſoſtomus

Cyrillus

Ambroſius

Bernardus

Rupertus

12. Denique Auguſtinus frequenter meminit gratiæ, quæ primo homini facta eſt per iuſtitiam originalem, & dona ſanctitatem ſectantia lib. 13. de ciuitate cap. 13. *Poſteaquam præcepti tranſgreſſio facta eſt gratia deſerente diuina, de corporum ſuorum nuditate confuſi ſunt.* Similiter lib. 11. de Gen. cap. 31. *Mox vt præceptum tranſgreſſi ſunt intrinſecus gratia deſerente, omnino nudati in ſua membra oculos iniecerunt.* Et lib. 4. in Iulianum cap. vlt. *Quid eſt guſtato cibo prohibito nuditas indicta, niſi peccato nudatum, quod gratia contegebat? Gratia quippe Dei magna ibi erat, vbi terrenum, & animale corpus beſtialem libidinem non habebat. Qui ergo veſtitus gratia, non habebat in ſuo corpore quod puderet, ſpoliatus gratia ſenſit, quod operire deberet.* Audis quoties repetit gratiam Adamo factam. At modo loquendi Auguſtini, & Patrum dona ſupernaturalia ſignificantur per gratiam, ſiue per gratuita, atque indebita munera, vt dicebamus diſp. 5. ſect. 2. Neque enim alio modo arguimus ex Auguſtino, & Patribus munera ſupernaturalia poſt lapſum, niſi ex beneficio gratiæ, quod naturæ neceſſarium eſt: quare & Michael Baius conſequenter negat gratiam factam primo homini, vt cernere eſt propoſitione 1. 3. & 9. Ergo eadem ratione ante lapſum ſunt aſſerenda ſupernaturalia. Rurſus lib. de correctione, & gratia cap. 11. *Iſtam gratiam non habuit homo primus, qua nunquam vellet eſſe malus: ſed ſanè habuit in qua ſi permanere vellet, numquam malus eſſet, & ſine qua etiam cum libero arbitrio bonus eſſe non poſſet. Neque ipſum ergo Deus eſſe voluit ſine ſua gratia, quam reliquit in eius libero arbitrio; quoniam liberum arbitrium ad malum ſufficit, ad bonum autem nihil eſt, niſi adiuuetur ab omnipotenti bono.* Expende gratiam conceſſam Adamo, qua bonus permanere poſſet: Ergo non per vires naturę ſed ſupernaturales erat ad id operis potens. Item arbitrium Adami non eſſe ſufficiens ad bonum abſque

Auguſtinus

Michael Baius

Digitized by Google

auxilio gratiæ. Non quidem naturale, cum ex inſtitutione naturæ libertas ad ſectandum bonum naturale debita ſit. Ergo ad bonum intrinſecè ſupernaturale virtus ſufficiens per auxilia ſupernaturalia collata eſt. Neque enim alio modo colligimus, auxilia, & opera intrinſecè ſupernaturalia poſt peccatum, quàm ex impotentia naturæ ad ſectandum bonum,& neceſſitate gratiæ ad poſſe ſectari illud. Quin Fulgentius Auguſtini diſcipulus lib. de incarnatione, & gratia c. 16. deprehendit opera nobis lapſis ſupernaturalia, quia homini ſano ante lapſum ſupernaturalia fuerunt. *Quomodo de poſſibilitate ſolius liberi arbitrij, ſi non præueniatur adiutorio gratiæ Dei, quantulumcumque ſibi bonæ voluntatis, & operis exordium repromittit, quæ nec ſana potuit Dei ſeruare mandatum?* Igitur etiam ante lapſum ad opera ſalutaria dona gratioſa, & ſupernaturalia concedenda ſunt.

Fulgentius

SECTIO QVARTA.

Rationes Theologicæ pro Catholicorum ſententia.

Prima ratio.

13. PRima. Si dona ſanctificantia, ſanctitatemque ſequentia eſſent homini debita, & naturalia non eſſent ratione peccati Adæ, ipſi, & poſteris ablata. At ablata ſunt. Ergo non ſunt hominis conſtitutioni debita, & naturalia. Probatur maior. Propter peccata perſonalia, quæ nunc ab hominibus committuntur, quamuis plurima, & grauiſſima, nihil naturæ debitum, ac naturale amittitur, ſed ſola gratia habitualis, & dona, quæ ex natura rei illam comitantur; delinquens enim neque viſu, neque auditu, neque artibus, aut ſcientijs naturalibus priuatur. At ſi ea dona eſſent hominis conſtitutioni annexa, ſicut eſt viſus, & alia naturę munera, æqualis eſſet homini, ratione peccati, donorum naturalium iactura; præſertim cum peccatis perſonalibus maior pœna, quam originali debeatur, ideoque non pæna damni ſolum, ſed etiam ſenſus punitur. Ergo non ſunt æquè debita, ac naturalia homini. Secunda; Primi parentes per ſanctitatem, ac iuſtitiam originalem ad eam dignitatem euecti ſunt, vt eſſent filij Dei, & conſortes diuinitatis in terra, in ipſamque diuinam transformati formam, vt ex Cyrillo, & alijs dicebamus num. 2. & diſp. 4. ſect. 3. dicemuſque vberius agentes de excellentia gratiæ iuſtificantis. At Theologicè aſſeri non poteſt tantam dignitatem eſſe homini naturalem, ac debitam; quid enim efferretur homo per id, quod ſuæ conditioni naturale, ac debitum eſt? Ergo. Quocirca Auguſtinus 3. contra Maximinum ait; *ideo homo fit gratia filius, quia non eſt natura.* Et Cyrillus in Ioannem cap. 8. *Alia naturæ ratio, alia adoptionis, alia veri filij, alia adoptati.* Illa igitur filiatio, ac deificatio non erat naturalis, ſed ſupernaturalis.

Secunda.

Auguſtinus

Tertia.

14. Tertia; integritas naturæ, qua homo ad rationis nutum compeſcebat concupiſcentię motus, & qua obedientia partis ſentientis in arbitrio intelligentis erat conſtituta, ſuperabat exigentiam, ac naturalem hominis conſtitutionem; ſiue id donum eſſet intrinſecum, ſiue extrinſecum. Ergo à fortiori dona intrinſeca ſanctificantia animam, & promouentia ſuis actibus in fælicitatem æternam, eiuſque augmentum, excellebant natiuitatem hominis. Nam hæc dona altiora ſunt, quam illud; quippe donum illud ſolum rectitudinem, ac promptitudinem conferebat motibus, qui modo poſt peccatum ad vires acquiſitas, & naturales ſpectant: hæc verò dona motibus, qui modo poſt peccatum pertinent ad virtutes ſupernaturales, & infuſas. Antecedens probatur. Homini in puris naturalibus deficeret talis integritas; naturâ enim pars ſentiens fertur in bonum delectabile, quod frequenter turpe, ac rationi diſſentaneum eſt. Ergo ipſa hominis conſtitutio ferret rebellionem partis ſentientis cum intelligenti.

Occurritur ſolutioni.

15. Dices, fore quidem in puris naturalibus rebellionem iſtam, ſed victoriam partis intelligentis fore quoque ipſius arbitrio ſubiectam, vt quoties vellet, frænaret pro nutu inordinatos concupiſcentię motus: Indecens enim eſſet, Deum naturam creare neceſſitate in peccatum præcipitem. Sed contra; quia licet rebellio motuum ſentientium eſſet omnino neceſſaria naturæ, & inſuperabilis ab arbitrio voluntatis, non eſſet propterea ad peccandum neceſſitata, neque Deus creans naturam, author, & cauſa peccati. Ergo imbecillitas naturæ poſſet ferre ex natura rei hanc rebellionem, & Deus ordinariâ prouidentiâ illam naturæ conferre. Antecedens multis probari poteſt. Primo, quia adhuc poſt eos concupiſcentiæ motus liberum eſt voluntati conſentire, aut diſſentire illis; peccatum autem non ſenſus, ſed conſenſus facit. Secundo, quia modo poſt Adæ peccatum conſentire eis motibus peccatum eſt diſtinctum à peccato Adæ, quare & pæna ſenſus caſtigantur delinquentes; item Deus creans naturam ſic rebellem non eſt cauſa eius peculiaris iniquitatis, qua delinquit hominis voluntas. Ergo ſimili ratione poſſet contingere pugna iſta ante peccatum, quin voluntas neceſſario adigeretur ad peccandum, & Deus eſſet peccatorum autor. Tertio, quia Deus ſuſcitauit plures mortuorum, liberos à peccato originali, eidem rebellioni ſubiectos. Si autem conditio propria naturæ immunis à peccato originali ferret integritatem iſtam, alienum à Deo eſſet, miraculis vti poſt deletum peccatum, ad naturam ſic peccatricem delendam. Vt eſſet alienū ante peccatum in tua ſententia. Ergo decentiſſime poſſet Deus homini puro, eamdem quam homini lapſo rebellionē permittere. Neque enim Author naturæ tenetur rebus creatis præſtantiora conferre, quàm fert limitata ipſius natura: quare potuit purum hominem educere morbo, & fami, ſiti, morti, errori, & alijs innumeris miſerijs obnoxium, quia altior non eſt naturalis eius conditio, vt has imperfectiones prohibeat. Ergo ſimiliter potuit purum hominem creare in delectabilia pronum, & in honeſta difficilem.

Quarta

Digitized by Google

Quarta ratio. Quarta ratio. Sunt poſſibilia dona, quæ excellunt naturalem hominis conditionem ſeorſim à peccato. Neque enim alligāda eſt manus Domini, vt non poſſit perficere naturam rationalem vltra naturalem, ac debitam ipſius conſtitutionem. At ſi quæ ſunt poſſibilia, non eſt; quare negemus talia eſſe dona ſanctificantia, quæ hominem reddunt amicum & Filium Dei, hęredem fœlicitatis æternæ, diuinitatis participem, potētem credere, ſperare, & diligere Deū, prout oportet ad æternam ſalutem, actionesq; obire altiſſima conditione dignas. Nam hæc omnia præterquam quod ſeipſis apparent naturali hominis ingenio ſuperiora, miris efferuntur laudibus à Patribus Eccleſiæ, & in vnicam Dei largitatem, ac gratiam referuntur. Ergo abſque obſtinatione non poteſt non credi, eiuſmodi dona eſſe ſupernaturalia, ac homini ſecundum ſua naturalia prorſus indebita.

SECTIO QVINTA.

Explicantur Michaelis Baij argumenta.

P. Suarez. PAter Suarez prolog. 4. de gratia cap. 5. ait, ſe neſcire, quo fundamento Michael Baius in ſuperiorem ſuam ſententiam adductus ſit, quia eius opera non vidit, neque aſſerti argumenta apud aliquem relata inuenit. At ego Michaelis Baij opera vidi, ſuperiorisque ſuæ doctrinæ ſequentia argumenta inueni. Primo ſic arguit Baius lib. 1. de prima hominis iuſtitia
Rom. 2. cap. 6. *Apoſtolus ad Roman. 2. docet, quod gentes, quæ ad Chriſti fidem conuerſæ per veram iuſtitiam ad prima ſuæ creationis imaginem reformantur, non ſupernaturaliter, ſed naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt.* Quam expoſitionem latè proſequutus
Auguſtinus *Auguſtinus, de ſpiritu, & littera cap. 26. tandem initio cap. 27. Nec moueat, inquit, quod naturaliter dixit, eos, quæ legis ſunt, facere, non ſpiritu Dei, non fide: hoc enim agit ſpiritus gratiæ, vt imaginem Dei, in qua naturaliter facti ſumus, inſtauret in nobis.* Vnde ſic colligit Baius. *Ergo cum nos in imagine Dei, quæ ſpiritu Dei inſtauratur, non ſupernaturaliter, ſed naturaliter ſimus facti, prima creationis imago non ſupernaturalis, & indebita fuit humanæ naturæ dignitas.*

Satisfit. 18. Reſpondeo primo. Illud teſtimonium Pauli Roman. 2. non ſolum de gentibus ad fidem conuerſis, ſed etiam de ijs, qui à fide remoti ſunt, & nondum per veram iuſtitiam primæ creationis imaginem reformarunt, intelligi ſolet à Patribus Eccleſiæ, vt probauimus diſput. 20. ſect. 12. Neque obeſt, Auguſtinum probabiliorem habere expoſitionem de gentibus iam fidelibus, quia priorem de gentibus nondum fidelibus non improbam, ſed probam fatetur ipſe, vt ibidem notauimus, & vidimus ſectione 13. Præterea illud *naturaliter* apud Paulum, & Auguſtinum poſitum ſiniſtrè explicatur à Baio, prout *dono ſupernaturali* opponitur, vt idem ſit apud Paulum, quod gentes, quæ legem non habent, non ſupernaturaliter quæ legis ſunt, facere, & apud Auguſtinum hos *non ſupernaturaliter* factos eſſe in imagine Dei. Etenim dices, alias explicationes admittit, quę dona ſupernaturalia non excludunt. Prior, *vt naturaliter idem ſit, quod ſine lege, & inſtructione ſcripta*; de qua tunc diſſerebat Paulus, & accepimus nos diſput. 20. ſect. 12. Poſterior, vt idem ſit, quod non contranaturaliter, ſed conformiter ad naturam, quippe dona, & opera ſupernaturalia naturam in ſuo eſſe perficiunt, luminique naturali conſentanea ſunt: in quam acceptionem Paulum, & Auguſtinum in eis locis adduximus nos diſput. 1. ſect. 2. At ea, quæ ſine lege, & inſtructione ſcripta fiunt, & naturali rationis lumini conformia ſunt, rectè poſſunt fieri ex gratia; & dono ſupernaturali.
Quare Auguſtinus poſt verba in argumento Auguſtinus
obiecta immediatè ſubiungit. *Vitium quippe contra naturam eſt; quod vtique ſanat gratia. Proinde naturaliter homines, quæ legis ſunt, faciunt. Qui enim hoc non faciunt, vitioſe faciunt. Quo vitio lex Dei eſt deleta de cordibus: ac per hoc vitio ſanata, cum illic ſcribitur fiunt, quæ legis ſunt naturaliter: non quòd per naturam negata ſit gratia, ſed potius per gratiam reparata natura.* Itaque rectè cohæret fieri legis opera naturaliter, & ſimul per auxilium ſupernaturale gratiæ, quia gratia opera edit conformia naturæ intelligenti, illiuſque lumini naturali, cui vitium aduerſatur. Vnde addo tertio, imaginem Dei, in qua homines naturaliter, & non ſupernaturaliter conditos, docuit Auguſtinus, non eſſe imaginem, quam homo refert ſecundum dona ſanctificantia, ſed ſecundum dona naturalia facultatis rationalis, quæ verè per peccatum vitiantur, cum peccatum ipſi naturæ rationali etiam ſecundum ſe ſecluſis donis gratiæ repugnet: gratia autem per ſua opera intelligenti hominis facultati conſentanea talem imaginem naturalem reformet. Ducor: tum quia vt dicebamus num. 1. & 11. *imago Dei*, ad quam homo primum conditus eſt, ſolum refert Deum quoad dona naturalia, mentem ſcilicet, voluntatem, ac liberum arbitrium: *ſimilitudo* verò quoad dona ſupernaturalia, & gratuita, tum quia ipſe Auguſtinus ibidem docet, talem imaginem non eſſe omnino deletam in gentibus etiam infidelibus, & auerſis à Deo per peccatum: quia aliqua operis boni, & legis naturalis peragunt conformia rationi. Igitur non rectè deprehendit Michael Baius ex Pauli teſtimonio, & interpretatione Auguſtini dona ſanctificantia eſſe primæ hominis creationi naturalia.

19. Obijcit ſecundo Baius lib. 1. de Baius arguit ſecundo.
prima hominis iuſtitia cap. 4. plura Auguſtini teſtimonia. Ac primum ex libris de ciuitate Dei. Nam conſiderans ex lib. enchirid. cap. 11. *quod nihil aliud eſſet malum, quam naturalium priuatio bonorum*: lib. 11. cap. 9. de ciuitate ait: *mali enim nulla natura eſt, ſed amiſſio boni: mali nomen accepit*: ideo lib. 22. cap. 1. *Nam ſicut cæcitas oculi vitium eſt, & idem ipſum indicat ad lumen videndum oculum eſſe creatum, ac per hoc ipſo vitio ſuo excellentius oſtenditur cæteris membris, membrum capax lumi-*

Digitized by Google

nis (non enim alia cauſa eſſet vitium eius carere lumine.) Ita etiam natura, qua fruebatur Deo, optimam ſe inſtitutam docet, etiam ipſo vitio, qua ideo miſera eſt, quia non fruitur Deo. Non enim vitium eſſet recedere à Deo, inquit lib. 11. cap. 17. *niſi naturæ cuius id vitium eſt potius competeret eſſe cum Deo. Cuius enim rectè vituperatur vitium, & procul dubio natura laudatur*: ait lib. 12. cap. 1. *Nam recta vitij vituperatio eſt, quod illo dehoneſtatur natura laudabilis.* Vnde ſic arguit Baius; *Sicut ergo cum vitium oculorum dicitur cæcitas, id oſtenditur, quod ad naturam oculorum pertinet viſus, ita cum vitium creatura Angelicæ & rationalis dicitur, quod non adheret Deo; hinc apertiſſimè declaratur eius natura vt Deo adhæreat conuenire.* Itaque quia naturæ intellectualis vitium, ac malum fuit, bonis ſanctificantibus, quę potiebatur, deſtitui, optime colligitur, ea bona homini ſecundum ſuam naturam conuenire, ſicut ideo eſt vitium oculorum cæcitas, quia ipſorum naturæ eſt ad videndum expediri. Secundo arguit lib. 1. de meritis operum cap. 3. ex Auguſtino de correptione cap. 11. aſſerente: *Quid erit liberius libero arbitrio, quando non poterit ſeruire peccato? quæ futura erat, & homini, ſicut facta eſt Angelis merces meriti. Nunc autem per peccatum perdito bono merito in his, qui liberantur, factum eſt donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.* Quod idem ſcribit in Enchiridion cap. 106. Nam ſi æterna beatitudo iuſtitiæ originali adiuncta non eſſet Angelis, nec primis hominibus donum gratię, ſed merces meriti, & ratione peccati munus gratiæ factum eſt, quod ſola merces in ſtatu innocentiæ futura erat. Igitur iuſtitia originalis ante peccatum non pertinebat ad dona gratiæ, ſed debitam conditionem naturę. Tertio ex eodem Auguſtino lib. 3. de libero arbitrio cap. 18. ſic ſtatuente; *Approbare falſa pro veris, vt erret inuitus, & reſiſtente, atque torquente dolore carnalis vinculi non poſſe à libidinoſis operibus temperare, non eſt natura inſtituti hominis, ſed pœna damnati:* Ergo naturalis hominis inſtitutio exigebat rectitudinem, qua ante peccatum potiebatur.

Repellitur. 20. Hæc teſtimonia explicationem deſiderãt. Ad ea, quæ ex libris de ciuitate Dei adducta ſunt, reſpondeo primo. Priuatio iuſtitiæ originalis, & reliquorum donorum gratiæ dicitur vitium naturæ, vitiumque eſſe naturalis priuatio donorum; quia ea dona quamquam ſupernaturalia, bona naturalia dici poſſunt dupliciter. Tum prout naturale opponitur contranaturali, quia ea dona perficiunt in ſuo eſſe naturã, non deſtruunt, ſicut vitium è contra corrumpere dicitur naturam, non perficere: quam acceptionem confirmauimus diſp. 1. ſect. 2. Tum prout naturale opponitur omnino extraneo, cuius natura capax non eſt etiam per vires indebitas; aliter enim eſt ſupra naturam hominis videre Deum, aliter ſupra naturam lapidis, cum naturæ lapidis etiam per vires ſupernaturales videre repugnet, quod naturæ hominis non repugnat. Igitur id, cuius natura capax eſt, prout ab eo diſtinguitur, cuius eſt, etiam per eleuationem omnino incapax, recte dicitur aliquando naturale. Qua quidem ratione idem Auguſtinus de prædeſt. ſanct. cap. 5. dixit, poſſe habere

Adprimum teſtimoniũ Auguſtini.

fidem, & charitatem naturæ eſſe hominũm, quia ea poteſtas naturæ brutorum non eſt, vt explicuimus diſp. 8. ſect. 5. quod adiuſte de natura lapſa docuiſſe Auguſtinum, cui noſtri aduerſarij iam fatentur talia munera dona eſſe ſupernaturalia, & indebita. Et quidem in prima creatione non potuiſſe ab Auguſtino accipi naturalia, ſeu naturę conuenientia ea vſurpatione, quæ ſupernaturalia, & gratuita excludat, diſertis verbis docet Auguſtinus in ſuperiori lib. 12. c. 9. cum ſic de Angelis loquitur: *& iſtam* (bonam voluntatem) *quis fecerat niſi ille, qui eos cum bona voluntate, id eſt, cum caſto amore, quo illi adhærent, creauit: ſimul in eis condens naturam, & largiens gratiam?* Et poſt alia: *confitendum eſt igitur cum debita laude creatoris non ad ſolos ſanctos homines pertinere, verum etiam de ſanctis Angelis poſſe dici, quod charitas Dei diffuſa ſit in eis per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Quibus manifeſtiſſimè diſtinguit in Angelis naturam à charitate, quam gratiam appellat, & non per creationem, ſed per infuſionẽ Spiritus ſancti diffuſam, qualiter hominibus lapſis diffundi ſcribitur, proptereaque ſupernaturalis colligitur. Ad hæc; iuſtitia originalis, & reliqua dona gratiæ poſſunt dici ea ratione naturalia, ſiue naturæ rationali conuenientia, quia opera edunt dictamini naturali cõformia, & munia obeunt regulis naturalibus conſentanea; vt ad 1. argumentum dicebamus. Auguſtinus

21. Ad 2. teſtimonium Auguſtini ex lib. de correct. & gratia, & Enchir. reſpondeo. Etiam in natura lapſa docet Auguſtinus, vitam æternã eſſe ſtipendium, & mercedem. Ita in epiſt. 105. ad Sixtum: *Sicut merito peccati tamquam ſtipendiũ redditur mors; ita merito iuſtitiæ tamquam ſtipendiũ vita æterna.* Tamen non negauit propterea gratiam poſt lapſum naturæ, vt aduerſarijs in confeſſo eſt. Et ſimiliter non negauit vitam æternam fore gratiam ante lapſum naturę, quod aſſeruerit mercedem. Et quidẽ gratiam ante Adæ peccatum apertiſſimè fatetur Auguſtinus eiſdẽ in locis. lib. de correct. & grat. c. 11. Ibi: *neque ipſum Deus eſſe voluit ſine gratia ſua, quia liberum arbitrium ad malum ſufficit, ad bonum autem parum eſt, niſi adiuuetur ab omnipotenti bono.* Item Enchir. c. 106. Ibi: *ſine gratia nec tunc vllum meritum eſſe potuiſſet.* Igitur Auguſtinus non excludit gratiã ante Adę peccatum. Itaque beatitudinem æternam poſt Adæ peccatum ait factam eſſe donũ gratiæ, quę futura erat merces meriti, duplici ex cauſa. Prima, quia modo conſequentibus vitam æternã maior moraliter gratia exhibetur, quam Adamo exhibita fuit. Tum quia Adamo ſolum fuit donata gratia ſufficiens, & non efficax; conſequentibus autem vitam æternam efficax donatur, qua re ipſa fælicitate æterna potiantur. Moraliter autem maior gratia eſt efficax, quam mere ſufficiens. Ita explicat Auguſtinus lib. de correct. & grat. ibidem: *Totam gratiã non habuit homo primus, qua numquã vellet eſſe malus, ſed ſane habuit, in qua ſi permanere vellet, numquã malus eſſet &c. Talo quippe erat adiutorium quod deſereret, cum vellet, & in quo permaneret, ſi vellet, non quo fieret, vt vellet. Hæc prima eſt gratia, quæ data eſt primo Adam, ſed hæc potentior eſt in ſecundo Adam. Prima eſt enim, qua fit vt habeat homo iuſtitiam, ſi velit:*

Ad ſecundam.

Auguſtinus

Auguſtinus

Digitized by Google

ſecunda ergo plus poteſt, quæ etiam fit vt velit. Tum etiam quia poſt Adæ peccatũ homo factus eſt poſitiue indignus quocũque dono gratiæ, quo non erat poſitiue indignus in ſtatu innocentiæ. Maior autem benignitas & gratia eſt donum indebitum conferri indigno, quam non digno. Sic maiorẽ iſtam gratiã explicat Auguſtinus in Enchir.ſup.cum ait. *Sed poſt illã ruinam maior eſt miſericordia Dei, quãdo & ipſum liberum arbitrium liberũ eſt à ſeruitute, cui dominatur cũ morte peccatum.* Secunda cauſa, quare maior nunc ſit gratia, ea eſt, quia etiam phyſicè maiores vires neceſſariæ ſunt ad conſequutionem vitæ æternę poſt peccatum, quã ante peccatum. Tum quia poſt peccatum vincẽda eſt concupiſcentia repugnãs honeſtati morum, quæ ante peccatum nõ erat. Ad vincendam autem iſtam repugnantiam maiores phyſicè vires neceſſariæ ſunt. Sic explicat Auguſt. de correct. & grat. ſup. conferens cum primo homine lapſos poſt peccatũ: *ille non opus habet eo adiutorio, quod implorant iſti, cum dicunt, video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, quoniam in eis caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnẽ: atque in tali certamine laborantes, ac periclitantes dari ſibi pugnandi, vincendique virtutem per Chriſt. gratiã, poſcunt. Ille vero nulla tali rixa à ſe ipſo aduerſus ſe ipſum tentatus, atque turbatus in illo beatitudinis loco, ſua ſecum pace fruebatur.* Tum quia poſt peccatũ ad adipiſcendum beatitudinem æternam opus eſt homini redemptione à peccato; quæ redẽptio, abſque virtute hominis Dei, generi humano repugnat. Virtus autẽ redemptiua, hominis Dei propria, maior eſt phyſicè, quã ea, quæ Adamo ad obtinẽdam fœlicitatem æternam erat neceſſaria. Ita exponit Auguſtinus de correct. & grat. cap. 11. ibi: *Nunc potentiore gratia indigent iſti. Et quæ potentior, quam Dei vnigenitus filius æqualis Patri pro eis homo factus, & ſine vllo vel originali, vel proprio peccato ab hominibus peccatoribus crucifixus?* En quare poſt Adæ peccatum peculiari ratione vita æterna dicatur facta donũ gratiæ, quæ ante peccatum primis hominibus futura erat merces meriti. Addo, id vere aſſertum fuiſſe ab Auguſtino, quia beatitudinem æternam conferebat cum primis hominibus prout iam conſtitutis in ſtatu ſupernaturali innocentiæ, & cum poſteris eorum in ſtatu culpæ. Hominibus autẽ in ſtatu innocentiæ conſtitutis naturalis erat facultas adipiſcendi beatitudinẽ, quæ poſteris iam priuatis ea cõditione, & in miſeriam, ac in ruinam peccati delapſis, erat prorſus indebita & ſupernaturalis. Ergo nihil ex Auguſtino depromitur, quo oſtẽdatur, dona, quæ primi hominis fęlicitatem, & conditionem conſtituebant, eſſe ipſius natiuitati, & exigentiæ ſeorſim ab omni eleuatione, ac dono gratiæ debita, & naturalia, vt argumento contenditur.

Ad tertium. Auguſtinus. 22. Vnde ad tertium teſtimonium ex lib. de lib. arb. prompta ſolutio eſt. Comparabat Auguſtinus naturam, qualis de facto creata eſt, & largitate ſui conditoris euecta, non qualis iuxta ipſius naturalem conditionẽ eſſe potuit. Nam in eodem lib. cap. 20. 22. & 24. ſtatuit, potuiſſe hominem creari, qualis nunc naſcitur, etiam ſi nullum peccatũ præceſſiſſet. Item ſi ignorantia & difficultas recte agendi eſſent hominis primordia naturalia, non potuiſſe repræhendi, ſed laudari creatorem. Ex quibus lucẽ accipiẽt alia Auguſt. teſtimonia, quæ nobis poſſunt opponi.

Tertia obiectio. 23. Iam tertium argumentum Baij ex aliorũ Patrum mente producamus. Illud cõficit dicto lib. 1. de prima hominis iuſtitia cap. 6. Etenim Proſper contra Caſſianum ait, *primum hominem tale accepiſſe liberum arbitrium, vt ſi auxiliantem dominum non deſereret, poſſent in nobis, quæ naturaliter acceperat, perſeuerare.* Et Leo primus ſerm. 1. de ieiunio: *ſi fideliter creationis noſtræ intelligamus exordium*, inquit, *inueniemus hominem ad imaginem Dei conditum, & hanc eſſe naturalem noſtri generis dignitatem, ſi in nobis, quaſi in quodã ſpeculo diuinæ benignitatis forma reſplendeat.* Adde illud eiuſdẽ ex ſer. 13. de Paſſione Domini: *libertatem itaque innocentiæ naturalis, quam primorum parentum præuaricatione perdidimus, nulla per ſe ſanctorum præcedentium merita receperunt.* Similiter Fulgentius de incarn. & grat. c. 13. *Poteſt igitur Deo donante, homo in Deum naturaliter credere. Contra naturam quippe hominis eſt, quod in Deum nõ credit.* Id quod repetit cap. 24. & 25. Igitur ſanctorum Patrum doctrinæ conſonat aſſerere ſanctitatẽ, & iuſtitiam, fidem, & charitatem, aliaque dona in ſtatu innocentiæ primis hominibus diſpoſita, fuiſſe eiſdem naturalia. Reſpondeo. Eccleſiæ Patres primum hominis ſanctitatem, innocentiam, ac dignitatem *naturalem* vocant: non quia non ſit gratuita, & ſupernaturalis, vt ex ipſorũ teſtimonijs adductis ſec. 3. manifeſtum eſt. Sed primo; quia ad initio conditionis ſit cum ipſa natura tributa, & per modum naturæ cum poſterorum natiuitate propaganda, vt explicuimus diſp. 1. ſect. 1. & 2. Rurſus, quia contranaturalis nõ eſt, ſicut eſt malitia peccati, ſed perficiens naturã, actioneſque edens ipſi naturæ conſentaneas, vt notabamus ad primũ argumentum. Inſuper, quia non eſt adeo extranea naturæ rationali, vt prę alijs, quæ rationales non ſunt, non ferat ipſa aliquã capacitatẽ tãti doni; vt dicebamus n. 20.

Prosper. Leo. Fulgentius. Dilutio.

Quarta obiectio. 24. Quartum argumentum cogitur ex duplici ratione Theologica. Prima à priori, quam affert c. 8. Quia homo naturaliter ad hoc cõditus eſt, vt ſoli Deo ſeruiẽs, poſtea beatitudinẽ æternam poſſideat. Ergo dona conferentia in eum finem hominis, conditioni ſunt naturalia. Antecedens probatur. Quia beatitudo æterna eſt finis homini naturalis, cũ in eum homo naturali deſiderio feratur, & extra eum nullibi quieſcat. Item quia nulla eſt ratio in ſcripturis ſacris alterius beatitudinis naturalis, in quam homo poſſit eſſe naturaliter conditus, vt teſtatur Auguſtinus lib. 1. de peccatorum meritis cap. 26. dicens, *nullum eſſe locum medium, vt non poſſit eſſe niſi cum diabolo qui non eſt cum Chriſto. Nam* (ſicut ſæpe repetit contra Iulianum) *quomodo Deus iuſtus nulli obnoxiam peccato imaginem ſuam priuare vita poſſit æterna? Vnde Chriſtus volens auferre de cordibus male credentium iſtam neſcio quam medietatem, definitiuam protulit ſententiam, vbi ait: qui nõ eſt mecũ, contra me eſt.* Igitur extra viſionem æternam Dei nõ eſt locus naturali hominis beatitudini, in quam à ſuo conditore naturaliter dirigatur. Secunda à poſteriori, quam profert c. 7.

Auguſtinus.

V 2.

Digitized by Google

Quia retributio pænarum, quas Gen. 3. prima transgreſſio luit, complectitur priuationem bonorum naturalium, non ablationem ſupernaturalium, videlicet quod ſerpens ſuper pectus ſuū graditur, & mulier in doloribus parit, & terra in opere viri maledicitur, vt tribulos pariat, & vir in ſudore vultus ſui veſcatur pane ſuo; quę pęnę in priuatione bonorum naturalium conſiſtunt. Ergo reliqua bona, quorum priuatione homo caſtigatus fuit, erant eidem naturalia.

Eleuatur. 25. Abſque negotio reſpondeo. Ad primam rationem nego antecedens; de quo differui, primāque eius probationē explicui d. 9. ſect. 1. Nimirum poſſe deſiderium naturale affici in id, quod ſupra vires, & conſequutionē naturæ exiſtit, ideoque ſupernaturale ſit, vt fuſe oſtendi d. 14. ſect. 2. & 3. Ad ſecundam probationem; mala collectio eſt ex ſilentio ſacrorū ſcriptorū non eſſe aliam naturalem hominis fælicitatem, quam æternam fruitionem Dei. Nam ſacri ſcriptores eius ſolum fælicitatis meminerunt, in quam de facto natura rationalis deſtinata eſt; non vero eius, quæ alias ſecluſa eleuatione, & prouidentia ſupernaturali nunc exiſtenti naturę rationali conueniret. De facto autem non eſt præſcripta alia fælicitas, niſi quæ in Dei poſſeſſione conſiſtit; quam tamen homini ſupernaturalem eſſe, iidem ſacri ſcriptores ſignificant, vt indicauimus d. 5. ſect. 2. & ex profeſſo videbimus agentes de ſupernaturalitate viſionis beatę d. 44. ſect. 5. Ad rationē ſecundā; omnia bona, quibus homo ratione culpæ deſtitutus fuit, non recenſentur Gen. 3. atque adeo licet illa naturalia fuerint, poſſunt alia eſſe ſupernaturalia, videlicet ea, quæ ad hominis ſanctitatem, ac fælicitatem ſupernaturalem pertinebāt, quorū ibi mentio non eſt, & de quibus noſtra diſputatio concluſit, eſſe g[illegible]ita, & ſupernaturalia. Neque bene collig[illegible]ominē ſolis fuiſſe ſpoliatū naturalibus, quod aliqua naturalia in pęnā peccati detracta ſint; quoniā potuit ſimul bonis naturalibus ac ſupernaturalibus in ſuppliciū priuari. Quin plura eorum, quæ in argumento referuntur, nō videntur naturalia, ac debita, ſed indebita, ac ſupernaturalia; vt parere mulierem ſine dolore, ſerpentē erectis manibus incedere, terram ſine cultura fructificare, & alia id genus, quæ diuina maledictio homini peccanti interdixit. Porro *hæc indebita, & ſupernaturalia* dixi; non quoad ſubſtantiā, ſed ſaltem quoad modū, quia effectus ſunt qui entitate ſua in virtute cauſarum naturalium continentur, quamuis nō quoad eum modū, quo ſuperius proponuntur. Vt hinc ſupernaturalia quoad ſubſtantiā colligantur illa dona, videlicet ſanctificantia, quæ effectus habent quidditatiue promouentes in fælicitatem æternam, & gratiæ iuſtificanti connexos ſupra omnia auxilia, quæ agentia naturalia cōferre poſſunt; vt ex alibi dicēdis nunc ponimus. Quippe ea ſola aſſerimus fuiſſe primo homini ante peccatum entitate ſupernaturalia, quæ ſentimus eſſe hominibus lapſis ſupernaturalia quoad ſubſtātiam. At poſt hominem lapſum ſola ſanctificantia, non ea, quæ nuper ex Geneſ. 3. referebamus, iudicamus quoad ſubſtantiam ſupernaturalia.

DISPVTATIO VIGESIMATERTIA.

An ſupernaturalia ſint ſupra omnem ſubſtantiam creabilem?

HOC eſt, an creari poſſit poteſtate abſoluta Dei aliqua ſubſtantia, cui accidentia ſupernaturalia connaturalia ſint? propterea que ſubſtantia creata in ordine rerum entitate ſupernaturalium collocetur? Grauiſſima diſ-

P. Molina. putatio; quam primus ex profeſſo diſcuſſit P. Molina 1. p. q. 12. art. 5. d. 2. & poſt Molinam iam omnes ferè Theologi ibidem, & 1. 2. q. 112. art. 1. & 2. magnis argumentis, ac eruditis elucubrationibus locupletarunt.

SECTIONES.

1. *Theologorum iudicia.*
2. *Quid ſentiendum de poſſibilitate ſubſtantiæ ſupernaturalis ſtando authoritati.*
3. *Quid ſtatuendum ſtando rationi?*
4. *Arguitur repugnans ſubſtantia ſupernaturalis ex repugnātia ſubſtantiæ naturā beatæ.*
5. *Occurritur argumēto præcedenti, explicādo poſſibilē ſubſtantiā ex ſe nō beatā ſupernaturalē.*
6. *Diluitur ſecundo ſuperius argumentū, tuēdo poſſibilem ſubſtantiam ex ſe beatam.*
7. *Arguitur repugnantia ſubſtantiæ ſupernaturalis ex repugnantia creaturæ rationalis naturā impeccabilis.*
8. *Expeditur argumentū præcedēs negādo ſubſtantiā ſupernaturalē eſſe neceſſario impeccabilē.*
9. *Idem argumentum eneruatur, diſſolutis rationibus, quæ fiunt contra ſubſtantiam rationalem naturā impeccabilem.*
10. *Vrgetur ſubſtantia impeccabilis ex repugnātia ſubſtantiæ determinatæ ad amandum turpe.*
11. *Expenditur auctoritas ſententiæ negantis creaturam rationalem naturā impeccabilem.*
12. *Vindicatur ſententia affirmans à cenſura Theologica, concluditurque probabilis.*
13. *Obijcitur impoſſibilitas ſubſtantiæ, quæ ſit cauſa principalis gratiæ iuſtificantis ad impoſſibilitatem ſubſtantiæ ſupernaturalis.*
14. *Explicatur implicantia præcedens.*
15. *Vrgetur à priori ſubſtantia ſupernaturalis ex conceptu ſupernaturalitatis relatiuæ.*
16. *Iterum à priori ex conceptu ſupernaturalitatis abſolutæ.*
17. *Opponuntur, & diſcutiuntur abſurda deducta ex ſubſtantia ſupernaturali.*
18. *Opponitur, ſubſtantiam ſupernaturalem fore filium naturalem Dei, & explicatur.*

Digitized by Google

SECTIO PRIMA.

Theologorum Iudicia.

Sententiæ negantis Autores. P. Fonſeca. P.Suarez. P. Vaſquez. P. Valentia. P. Salas. P Albertinus. P. Arrubal. P. Connink P.Faſolus. P. Iannerus P. Moncęus P. Torres. P. Granadus Aluarez. Nazarius. Albelda. Ripa. Zumel. Cabrera. Antonius Perez. Machin. Nazarius. Cabrera. P. Salas. Zumel.

1\. PRiſci Theologi ſubſtantię ſupernaturalis non meminerunt. Soli recentiores in examen vocarunt. Negarunt poſſibilem ſubſtantiam ſupernaturalem fere omnes ſcriptores. Ex noſtra ſocietate P. Fonſeca tom.3. Met. lib.7. cap. 1. quæſt. 2. ſectione 3. & 4. Pater Suarez 1. part. lib. 2. de attrib. neg. cap.9. & tom. 1. in 3. part. d. 31. ſect. 6. & lib. 8. de gratia cap. 3. P. Vaſquez 1. part. diſput. 45. cap. 1. P. Valentia 1. part. qu. 12. puncto 3. P. Salas tom. 1. in 1. 2. quæſt. 3. num. 2. diſput. 3. ſect. 2. & tom. 2. num. 11. diſput. 6. ſect. 10. Pater Albertinus 1. prin. ph. Coroll. 2. q. 3. P. Arrubal p. 1. diſput. 22. Pater AEgidius Conninck 2. 2. diſp. 4. dub. 1. P. Faſolus p. 1. quæſt. 12. art. 4. à dub. 1. ad 6. Pater Iannerus tom. 1. diſput. 2. quæſt. 6. num. 5 & tom. 2. diſput. 6. quæſt. 4. num. 6. Pater Moncæus diſp. 8. cap. 2. §. *Secundum eſt.* Pater Torres 22. diſput. 67. dub. 2. & opuſ. 3. diſput. 1. dub. 11. Pater Granadus 1. 2. cont. de gra. num. 4. diſput. 8. ex Thomiſtarum ſchola Aluarez de aux. diſput. 69. Nazarius 1. part. quęſt. 12. artic. 5. controu. 2. Albelda 1. part. diſp. 26. Ripa ibidem. Quibus adiunge Curiel 1. 2. quæſt. 112. artic. 1. dub. 2. Zumel ibidem diſput 4. & 1. part. quæſt. 12. art. 5. diſp. vnic. in append. & 1. 2. quæſt. 110. art. 4. diſp. 5. art. 1. §. *Sed quoniam.* & art. 2. propoſitione 1. & ad primum, Cabreram 3. part. quæſt. 2. artic. 12. diſput. 2. Antonium Perez in laur. Salmant. cert. 4. Scholaſt. Machin 1. part. diſput. 16. ſect. 8. Egidium de præſentat. tom. 2. de beatitud. lib. 10. qu. 11. art. 11. §. 3. num. 14. Quoniam alij contrariam ſententiam temerariam, vt Nazarius, & Cabrera; alij periculoſam, vt P. Salas; alij omnino falſam, & reijciendam, vt Zumel. Cæteri vero à cenſuris abſtinentes ſententiam ſolum probabiliorem pronuntiant.

Affirmantis ſententiæ Autores. P. Molina. P. Erice. P. Valentia. P. Becanus. P. Cõninck. P. Albertinus. P. Hurtado. P. Pimentel

2\. At vero poſſibilem eſſe ſubſtantiam ſupernaturalem ſentiunt, quamuis diſſimulant P. Molina 1. part. quęſt. 12. artic. 5. diſput. 2. P. Erice 1. part. diſput. 48. num. 63. P. Valentia 1. part. diſput. 1. quæſt. 12. punct. 3. §. *hæc autem doctrina*, P. Becanus 1. part. cap. 9. de viſione Dei, quæſt. 5. num. 4. nec longe abeſt P. AEgidius Conninck 3. part. quæſt. 76. artic. 7. num. 118. aſſerens, nunquam ſatis oſtenſum, talem ſubſtantiam repugnare. Probabilem eſſe eius poſſibilitatem ſcribit P. Albertinus princ. 2. phyloſ. q. 1. Theol. dub. 8. ad 3. Palam tuentur in manuſcriptis & publicis diſputationibus plures Salmanticenſes Magiſtri. Inter quos duos illuſtres aduoco huius ſententiæ Patronos, alterum meum ſemper Magiſtrum, ac nunc commagiſtrum P. Petrum Hurtado de Mendoza tract. de viſione Dei. diſp. 6. alterum P. Petrum Pimentel illuſtre noſtræ ſocietatis ornamẽtum, à tyrocinio religionis ac litterarum comitem mihi ſemper aſſiduum, cuius nobilitas Benauentana proprio tantum non maior ingenio, cuius ſcripta non ſemel fælicia præla ſudabunt, ſi publica negotia, quibus natura eum finxit, otium reliquerint. Apertiſſimè conſentiunt ex antiquioribus, qui ſentiunt, poſſibilem eſſe ſubſtantiam intellectualem, cui ſit connaturalis viſio intuitiua Deitatis, vt Maior. in 4. diſt. 49. q. 4. & Durandus ibidem q. 2. quamquam hi autores excеſſerint in eis, quę de ſubſtantijs intellectiuis nunc exiſtentibus docuerunt. Item qui volunt, non repugnare ſubſtantiam rationalem, ac liberam ſuapte natura impeccabilem, vt Ochamus, & Gabriel, Bachonius, & alij nominales referendi n. 65. quandoquidem ſententiæ repugnantis fautores idem faciunt iudicium de ſubſtantia ſupernaturali, ac de ſubſtantia rationali ſuapte natura impeccabili. Quamquam & in mea, & in nominalium ſententia, alia ſententia ferenda ſit; quippe mea opinione poteſt eſſe ſubſtantia ſupernaturalis, quæ non ſit ſuapte natura impeccabilis; & nominalium exiſtimatione poteſt eſſe ſuapte natura impeccabilis, quę non ſit ſupernaturalis, ſed naturalis. Quę diſcurſu diſputationis examinanda ſunt.

Durandus. Ochamus. Gabriel Bachonius

SECTIO SECVNDA.

Quid ſentiendum de poſſibilitate ſubſtantiæ ſupernaturalis ſtando authoritati?

Res decernitur.

3\. DVabus propoſitionibus rem decerno. Prima eſt; ſtando authoritati abſolutè eſt tuenda ſententia, quæ negat poſſibilem ſubſtantiam ſupernaturalem, ac proinde affirmat ſupernaturalia eſſe ſupra omnem ſubſtantiam creabilem. Secunda; Authoritas talis ſententię negantis tanta non eſt, vt abſque nota temeritatis non poſſit defendi libere affirmans. Prior propoſitio ex ſectione præcedenti manifeſta eſt. Nam ex ſcriptoribus qui ſubſtantiam ſupernaturalem in diſputationem adduxerunt, plures, & grauiores in eam ſententiam negantem incubuerunt, imo vix vnus ſententiæ affirmanti auſus eſt pleno, & aperto iudicio ſuffragari; vt eos legenti, quos n. 1. & 2. retulimus, exploratum erit. Ergo.

Prior aſſertio.

Aſſertio poſterior.

4\. Poſterior propoſitio eſt contra Nazarium temeritatis arguentem Patrem Molinam, quod in ſententiam affirmantem inclinarit; nec non contra P. Salam aſſertoribus ſubſtantię ſupernaturalis pericula obijcientem. Sed probatur. Sententiæ affirmanti ſubſtantiam ſupernaturalem ſola refragatur aperte authoritas Recentiorum. At ſola authoritas Recentiorum non ſufficit notare temeritatis aliquam ſententiam. Ergo ſententia affirmans non poteſt temeritatis notari. Minor, & conſequentia ſunt apertæ. Probatur maior, quia ſubſtantia ſupernaturalis non opponitur Eccleſiæ Patribus, & antiquioribus Theologis; quoniam illi ſubſtantiæ ſupernaturalis diuinitus poſſibilis nullibi meminerunt. Eſto enim, gratiam iuſtificantem, & viſionem beantem

Digitized by Google

conſtituerint, diuinitus ſupra omnem ſubſtantiam, planè illam ſubſtantiam intelligunt, quæ ad ordinem naturalem pertineat, & omni prorſus gratiæ, ac ſanctitatis dono deſtituta ſit, nullaque ratione ſententiæ affirmanti ſubſtantiæ ſupernaturalis repugnet, vt ſectione ſequenti exponemus. Igitur ſubſtantia ſupernaturalis ſolis opponitur Recentioribus. Addo ex recentioribus, nec paucos, nec ignobiles in ſubſtantiam ſupernaturalem procedere, Patrem Molinam, Patrem Valentiam, Patrem Ericem, P. Hurtado, P. Conninch, P. Albertinum, & Magiſtros Salmanticenſes, qui abſque vllo ſcandalo publicè ſententiam affirmantem tuentur; vt num. 2. dicebamus; Quos certè Theologos non ſufficere ad tribuendum probabilitatem alicui ſententiæ, præſertim mere ſpeculatiuæ, ac metaphyſicæ quæ ſolis neotericis apertè refragatur, (eſto antiquioribus obſcurè) temere ibis aſſertum. Ad hæc; ex vetuſtioribus ei opinioni complures accedunt; ex nouioribus aduerſantibus ſapientiores, ac prudentiores nullam ei notam inurunt: vt ſect. antecedenti notabamus. Impunè igitur poteſt in ſcholis Catholicorum tanquam probabilis defendi.

P. Molina. P. Valentia. P. Erice. P. Hurtado. P. Conninck. P. Albertinus.

Obiectio.

5. Sed aduerſus ſecundum aſſertum vrget hoc efficax argumentum. Temere aſſeritur quidquid repugnat Patribus Eccleſiæ receptis communi antiquorum, ac recentiorum Theologorum ſuffragio. Subſtantia ſupernaturalis repugnat Patribus Eccleſiæ receptis, antiquorum, ac recentiorum ſcholaſticorum ſuffragio. Ergo temerè aſſeritur poſſibilis ſubſtantia ſupernaturalis. Maior, & conſequentia probatione non egent. Probatur minor. Subſtantia ſupernaturalis eſt neceſſario ſubſtantia ſuaptè natura impeccabilis, ac beata. Subſtantia ſuaptè natura impeccabilis, ac beata repugnat Patribus Eccleſię frequenti Theologorum ſuffragio receptis. Ergo ſubſtantia ſupernaturalis eiuſcemodi autoritati repugnat. Conſequentia eſt legitima. Maior ſupponitur ab aduerſarijs clara. Minor videtur ipſis manifeſta; quia Eccleſiæ Patres, ac Theologi frequenter aſſerunt ſolum Deum eſſe natura beatum, ac impeccabilem, & ſanctum; creaturam eo ipſo quod ex nihilo eſt, eſſe peccato, ac miſeriæ ſubiectam, ac proinde non eſſe ſuaptè ſubſtantia, ſed per donum gratię beatam, & impeccabilem, ſeu ſanctam. At his aſſertis repugnat ſubſtantia poſſibilis, ſuaptè natura beata, ac impeccabilis. Ergo. Maior videri poteſt apud teſtimonia, quæ refert Pater Salas, ſup. tr. 2. diſp. 3. an. 10. & proponemus noſ ſectione 4. & c. 7. Minor ex eo conſtat, quia ſi poſſibilis eſt ſubſtantia creata ſuaptè natura impeccabilis, ac beata, iam verum non eſt, ſolum Deum eſſe natura impeccabilem ac beatum: item hominem, & Angelum non eſſe natura beatum, ac ſanctum, quia creaturę ſunt, & ex nihilo productæ, quandoquidem iam aliquid præter Deum, quod eſt creatũ ex nihilo, eſt natura impeccabile ac beatum.

6. Hoc eſt contra ſententiam affirmantem omnium validiſſimum argumentum, & quod vnicè deterruit Theologos ab aſſerendo poſſibilem ſubſtantiam aliquam ſupernaturalem: me tamen non terret. 1. Quia factum eſt, non poſſe eſſe ſubſtantiam aliquam ſupernaturalem, quæ non ſit ſuaptè natura impeccabilis, ac beata. Quod explicabimus, ſectione 5. & 8. Secundo: quia, eſto id ſit verum, tamen ſubſtantia poſſibilis ſuaptè conditione impeccabilis ac beata non repugnat iudicio Patrum. Tum quia Patres ſolum diſſerunt de creaturis exiſtentibus, non de poſſibilibus poteſtate abſoluta Dei, quarum ipſi non meminerunt. Deus autem comparatus cum omnibus creaturis rationalibus poteſtate ordinaria exiſtentibus, & poſſibilibus, rectè prædicatur ſolitariè impeccabilis, ac beatus per naturam; quia omnes aliæ ſupponuntur impeccabiles, ac beatæ per gratiam: Vnde etiam homo, & Angelus verè dicuntur natura ſua peccatis, ac miſeriæ obnoxij, quia creaturæ ſunt, & ex nihilo producti, ſiquidem de facto ſolus Deus increatus, & à ſe exiſtens poteſt eſſe per naturam à miſeria & à peccato immunis. Tum quia Patres, & Theologi antiquiores aientes, omnem creaturam (etiam comprehendendo poſſibiles) eſſe obnoxiam peccato, ac miſeriæ: per naturam, plane intelligunt ſubſtantiam condiſtinctam à gratia ſanctificante, & donis ſupernaturalibus participantibus Deitatem. Etenim creaturam rationalem fieri poſſe impeccabilem, & beatam per gratiam & dona ſupernaturalia, docent expreſſe Athanaſius, Auguſtinus, Gregorius, Ambroſius & alij, apud Patrem Salas ſup. teſtanturque in patria omnes homines, & Angeli de facto impeccabiles, & beati. At ſubſtantia ſupernaturalis non eſſet impeccabilis, & beata per naturam, vt condiſtinctam à gratia ſanctificante, & donis ſupernaturalibus; quoniam vt progreſſu ſtatuimus, ipſa ſubſtantia ſupernaturalis eſſet gratia ſanctificans formaliter, aut virtualiter conſtituta, quæ in eodem perfectionis ordine, in quo ſunt dona ſupernaturalia, quæ modo reddunt creaturam rationalem impeccabilem, ac beatam. Ergo impeccabilitas, ac beatitudo ſubſtantiæ ſupernaturalis non aduerſatur Patribus Eccleſiæ. Sic intelligunt Eccleſiæ Patres, Magiſter 1. ad Tim. 6. ad illud; *qui ſolus habitat immortalitatem*, Scotus in 2. d. 23. q. v. 5. *dico igitur* ibi, *Teneo propter authoritates, quod Deus non poteſt facere voluntatem impeccabilem per naturam, ſed per donum ſupernaturale.* Vbi negans poſſe voluntatem eſſe impeccabilem per naturam, admittit eſſe impeccabilem per donum gratiæ. Etiam Suarez lib. 3. de Angelis cap. 7. numero 15. & lib. 7. cap. 3. num. 14. Beccanus de peccato Angelorum capite 4. & 1. num. 9. & alij plures.

Solutio. 1. ad Tim. 6. Scotus. P. Suarez. P. Beccanus.

7. Item quia Patres Eccleſiæ poſſunt ita intelligi, vt ſolum Deum prædicent natura beatum & impotentem peccare, creaturam vero; quia ex nihilo eſt, miſeriæ, & peccato ſubiectam; quoniam ſolus Deus habet à ſe impeccabilitatem, & beatitudinem, creatura ve-

Alia ſolutio.

Digitized by Google

ſo quantumuis ex ſe impeccabilis, & beata, non eſt beata, & impeccabilis à ſe, ſed ab alio. Sic Sotus, Deus dicitur natura bonus, & exiſtens, quamuis plures creaturæ prædita ſint naturali bonitate, & exiſtentia, quia eſſe natura bonum ſonat in Deo idem, quod eſſe bonum à ſe, & tale bonum, à quo alia ſint bona, vt explicat Dioniſius de diuinis nominibus cap.4.p.1. item ſanctus Iuſtinus in corruptibilitatem Dei, quæſtione vlt. ad gent. Fine. *Etſi incorruptibile cælum dicimus, non eodem modo dicimus id incorruptibile, quo Deum: Deus enim increate ex ſua ipſius ſubſtantia, & æterne incorruptibilitatem habet; at mundus create ex Dei voluntate habet incorruptibilitatem.* Vide alia teſtimonia n.59. Qua quidem ratione ſubſtātia ſupernaturalis non eſſet ſancta, & beata per naturam, quia non haberet à ſe, ſed à Deo beatitudinem, & ſanctitatem, neque eſſet per idemtitatem beatitudo, & ſanctitas in abſtracto, à qua reliqua eſſent beata, ac ſancta. Sed eſſet ſubſtantia cui naturaliter competeret beatitudo, ac ſanctitas dependens à Deo, ſicut homini, & Angelo competunt plures proprietates dependentes à Deo ex conſtitutione ſuæ naturæ. Denique talis ſubſtantia non eſſet contra iudicium Patrum, & Scholaſticorum antiquiorum, quia Patres Eccleſię & Scholaſtici Doctores negant ſubſtantiam intellectualem ſuapte conditione impeccabilem, & beatam, ſupponendo ſubſtantiam intellectualem eſſe liberam, & ab intrinſeco operantem. At mea opinione quam docui lib. de anima cum P. Zuniga de Trinitate diſp.1.dub.7.num.4. & dub.8.num.2. poſſibilis eſt ſubſtantia intelligens, quæ non ſit libera, neque ab intrinſeco agens; ſed intelligens, ac volens per actus productos in ipſa à ſolo Deo. Poſſibilis igitur eſt ſubſtantia impeccabilis, ac beata, quæ Patribus non repugnat. Conſequentia eſt legitima. Minor nunc ponenda. Maior etiam ab ipſis aduerſarijs recentioribus ſupponitur. Hæc ſimul in genere ad Patrum teſtimonia dixiſſe ſufficiat. Confirmanda ſeorſim cum ſingula proponamus, quod præſtabimus ſequentibus.

Dyoniſius. Iuſtinus. P. Zuniga.

SECTIO TERTIA.

Quid ſtatuendum ſtando rationi?

Aſſertio affirmans.

8. HOc difficilius iudicium eſt. Nihilominus ſtando rationi non Inuenio repugnare ſubſtantiam ſupernaturalem. Sentiunt aperte P. Molina, P. Valentia, P. Erice, P. Hurtado, P. Connick, & alij, quos retulimus num. 2. Necnon Scotus num. 6. adductus, aſſerens, propter ſolam authoritatem adſtruere repugnantem ſubſtantiam ſuapte natura impeccabilem, ac ſanctam. Aſſertum facile probo. Nullum ſit argumentum, quo ſatis oſtendatur repugnantia ſubſtantiæ ſupernaturalis. Ergo nulla ratione inuenitur talis ſubſtantia repugnans. Conſequentia eſt bona antecedens conſtabit vberi explicatione argumenorū, qui bus ſubſtantia ſupernaturalis oppugnatur, quæ meo iudicio ideo Theologis incōſtantia ſunt, & quotidie multiplicantur, quia nullum extat, in quo iure intellectus de fæcatus conquieſcat. Nota à me non aſſertum talem ſubſtantiam eſſe abſolute poſſibilem, ſed ſolum non oſtendi aliqua ratione repugnantem; quæ duo, vt docui diſputatione 11. num. 11. valde diuerſa ſunt, quia poteſt aliquid reipſa repugnare, quamuis humanus diſcurſus non aſſequatur rationem, quare repugnans ſit; neque enim omnia, quæ intellectus humanus poteſt dubitare, poteſt iuſta ratione decernere: nam poteſt dubitare, an ſtellæ pares ſint, & an Turca dormiat, eaque omnia, quæ negantem partem ſuadere contendant, facili negotio diluere, tamen non poteſt affirmantem partem certa aliqua probatione definire.

P. Molina. P. Valentia P. Herice. I. Hurtado P. Cōninck

Vlterior aſſertio.

9. Cæterum, & poſſibilem eſſe talem ſubſtantiam, ſi ſolo rationis lumine ducamur, (modeſte ſit aſſertum propter aliquorum ſcandalum) improbabile non ſit. Etenim non repugnat ſubſtantia habens connexionem cum gratia iuſtificante, aut alio dono ſupernaturali, vt habitu fidei, & ſimilibus. Sed ſubſtantia ferens connexionem cum gratia iuſtificante, aut alio dono ſupernaturali, vt habitu fidei, & ſimilibus eſt intrinſece ſupernaturalis. Ergo non repugnat abſolute ſubſtantia ſupernaturalis. Conſequentia eſt aperta. Minor conſtat ex diſputatione 4. vbi ſtatuimus, ſupernaturalitem conſiſtere in connexione rei cum gratia iuſtificante, aut alio bono cum tali gratia connexo. Et quidem hæc diſputatio nihil aliud mea exiſtimatione, continet de re, quam connexionem ſubſtantiæ cum gratia iuſtificante, aut alio bono intrinſece ſupernaturali. Nam vbi admittatur ſubſtantia cōnexa ordine tranſcendenti cum gratia iuſtificanti, aut alio bono ſupernaturali, totum aſſeritur, quod de re in hac diſputatione contenditur, nihilque prętereа ſupereſt, quod ad vocalem quæſtionem non pertineat, vt notabimus num. 11. & 77. contra eos, qui ex naturę vſurpatione arguunt ſubſtantiam ſupernaturalem impoſſibilem. Maior itaque probationem vendicat. Quam ſic diſpono. Subſtantia ordine tranſcendenti, aut idemtitate reali connexa cum gratia ſanctificante, aliōue dono intrinſece ſupernaturali non continet ſuo conceptu quidditatiuo perfectionem infinitam, ſed finitam. Ergo non continet perfectionem repugnantem creaturę. Conſequentia videtur bona, quia ex ſumma perfectione ſubſtantia ſupernaturalis aſſeritur communiter creaturæ repugnans. Antecedens probatur; connexio cum gratia ſanctificante, aut alio bono intrinſece ſupernaturali, ſiue per idemtitatem, ſiue per ordinem tranſcendentem cauſalitatis, aut vnionis, non deſiderat infinitatem ratione termini qui finitæ, & limitatæ perfectionis eſt; neque ratione modi, qui accidentibus creatis conuenire poteſt: quippe accidentia creata poſſunt tum idemtificare, tamen per eductionem producere, tum ſibi Phiſice vnire bona aliqua intrinſece ſupernaturalia. Ergo non eſt vnde ad aliquam connexionem cum gratia ſanctificante, aut alio dono ſu-

Probatio.

pernaturali exigatur infinita perfectio. Etenim ſi perfectio accidentalis limitata, & finita poteſt continere aliquo genere cõnexionis quidpiam ſupernaturale, limitatum, & finitum; quare eadem ratione ſubſtantialis perfectio quantumuis finita, & limitata idem continere non poterit.

Euaſio. 10. Dices plura eſſe perfectionis finitæ, quæ ſubſtantiæ repugnant; vt eſſe actionem, eſſe cognitionem, & amorem. Ergo quamuis eſſe ſupernaturale perfectionis finitæ ſit, poterit ſubſtantiæ repugnare. Sed contra; licet plura perfectionis finitæ repugnent ſubſtantiæ identificari; cæterum non repugnant in ſubſtantia contineri, aut aliquam ſubſtantiæ connexionem, & relationem tranſcendentem terminare, quod argumento noſtro contendimus. Etenim quamuis à ſubſtantia aliena ſit ratio cognitionis, aut actionis, tamen aliena non eſt virtus, in qua cognitio, aut actio contineatur, aliaue perfectio, quæ cum cognitione, & actione actuali ſit cõnexa. Nos autem ex perfectione limitata gratiæ ſanctificantis, aut alterius ſupernaturalis doni non deprehendimus determinate identitatẽ cum ſubſtantia, ſed aut idẽtitatem, aut continentiam, aut tranſcendentem connexionem. Præterea; alia repugnant ſubſtantiæ ratione contradictionis immediatę, quam cum ſubſtantia inuoluunt, vt eſſe accidens, eſſe motum, & ſimilia; alia repugnant ratione ſummæ, ac infinitæ perfectionis, quam arguunt, vt eſſe æternũ, eſſe à ſe, & ſimilia. Quãdo repugnantia alicuius perfectionis cum ſubſtantia creata reuocatur immediate in oppoſitionem contradicentem talis perfectionis cum ſubſtantia, non recte colligitur, poſſe ſubſtantiæ conuenire, ex eo quod talis perfectio finita ſit; cum vero repugnantia in ſummam, ac infinitam perfectionem à creatura alienam refertur, optime arguitur, ſubſtantiæ creatæ, competere poſſe, ex eo quod ſub pefectione finita poteſt contineri. At maior pars aduerſariorum repugnantiam ſubſtantiæ ſupernaturalis colligit ex ſumma, ac infinita perfectione, quam arguit. Ergo recte nos eius non repugnantiam concludimus, ex eo quod ſub limitata perfectione poteſt comprehendi.

præcluditur.

Alia euaſio 11. Dices vlterius, repugnantiam ſubſtantiæ ſupernaturalis etiam deprehendi immediate ex oppoſitione cõtradicente ſubſtantiæ cum ſupernaturalitate; ſcilicet quia ſubſtantia creata natura eſt, & implicat naturam eſſe ſupra naturam. Verum hæc ratio, vt notabimus ſectione 15. vocibus ludit. Relinquamus voces; & pugnemus de re. Non contendo ſubſtantiam, quæ vocetur ſupernaturalis; ſed ſubſtantiam quæ gratiæ ſanctificanti, habitui fidei alterius ſimili dono annexa ſit. Rogo nunc; quare talis ſubſtantia repugnat, cum poſſit ſub finita perfectione eam capere connexionem? Teneris recurrere ad altiſſimam gratiæ ſanctificantis, & donorum ipſam comitantium perfectionem. Nam ſi reſpondeas, ideo repugnare, quia eſſet ſupernaturalis, quod ſubſtantiæ repugnat, cum ſit neceſſario natura. Sic redarguo; ea quidem ratione ſolum concludis, repugnare ſubſtan-

Reuincitur

tiam, quæ ſit ſupra omnem ſubſtantiam ac proinde quæ ea vſurpatione ſupernaturalis ſit, qua ſupernaturale ſumitur pro ente ſuperſubſtantiali; in quo ego libenter conuenio, & nullus ſanæ mentis diſſentire poteſt; at non conuincis, repugnare ſubſtantiam, quæ cum gratia ſanctificante, alioue ſimili dono connexa ſit, eaque ſignificatione ſupernaturalis, qua ſupernaturale ſonat, ens, quod eſt ſupra omnem ſubſtantiam cum gratia ſanctificante non connexam, ſiue ſupra omnem ſubſtantiam nunc exiſtentem, & omnem illam poſſibilem, quæ connexione aliqua quidditatiua, ſiue intentionali, ſiue Phyſica exiſtentibus annexa ſit, prout expediuimus diſputatione 3. ſectione 2. pro quo ſolum tota contentione pugnamus; quare vbi mihi admittas poſſibilem eam ſubſtantiam, quæ identitate, aut alio genere connexionis quidditatiuæ, ſeu tranſcendentis, gratiæ ſanctificanti affinis ſit, aut altero dono eorum quæ inter ſupernaturalia recenſentur. Eſto repugnet ſubſtantia ſupernaturalis, eo ſenſu, quo ſuperſubſtantialis ſit, vt tu contendis, actum eſt mecum de tota re, quam iſta diſputatione curamus, omniſque alius cordatus Theologus aliud curare non poteſt. Igitur cum eiuſmodi ſubſtantia ſolum ex altitudine perfectionis gratiæ ſanctificantis, non ex oppoſitione ſupernaturalitatis cum ipſa communiter aſſeratur impoſſibilis, optime à nobis adſtruitur poſſibilis, oſtendentibus compoſſibilem ſublimitatem eius perfectionis cum ſubſtantia creata.

12. Iam eam rationem confirmemus. Exiſtit de facto vnio ſubſtantialis hypoſtaticæ ſupernaturalis, ac connexa, cum donis intrinſece ſupernaturalibus. Similiter poteſt diuinitus exiſtere aliqua ſubſiſtentia, & forma ſubſtantialis ſaltem ſpiritualis, quæ cum eiuſmodi donis affinitatem connaturalem ferat, proinde quæ ſupernaturalis ſit. Ergo etiam erit poſſibilis ſubſtantia intelligens completa, ſimiliter affinis gratiæ, ac donis ſupernaturalibus; atque adeo ſupernaturalis. Nam ſi poteſt dari animus, ſeu forma ſubſtantialis intelligens ſupernaturalis, & connexa cum gratia ſanctificante, nullum extat argumentum, quod leuiter diſſuadeat poſſibilem ſubſtantiam intelligentem completam eiuſdem conditionis. At eiuſmodi formam eſſe poſſibilem, ſuadet; tum à poſteriori eſſe poſſibilem modum ſubſtantialem ſupernaturalem; qui eo aſſeritur poſſibilis, quia ſuo conceptu eſt reſpectiuus ſubiecti, quod ſuperare valet; eſſe autem reſpectiuum ſubiecti commune etiam eſt formæ ſubſtantiali non modali. Tum à priori, quia non apparet repugnare formam ſubſtantialem tantæ perfectionis, quæ exigens natura ſua ſubiectum, in quo agat, non exigatur ab ipſo ſicut eſt poſſibilis forma accidentalis, exigens ſubiectum, & ab ipſo ſubiecto non exacta. Nam forma ſubſtantialis ab accidentali eo ſolum differt, quod illa ad primam compoſiti perfectionem tanquam radix cæterorum pertineat; hæc vero ad perfectionem ſecundam, tanquam appendix alterius, vt in Metaphiſica explicui; ſicut autem

Confirmatio.

Digitized by Google

poteſt eſſe perfectio poſterioris generis, ſupra exigentiam ſubiecti, etiam poterit eſſe prioris: præſertim cum aduerſarij tueantur poſſibilem, ſaltem vnionem ſubſtantialem materiæ ſublunaris, v. g. cum forma cæleſti, ad quam materia ſuapte natura indifferens non ſit. At formam ſubſtantialem eſſe ſupernaturalem, manifeſte arguitur, ex eo quod ipſa exigat ſubiectum naturale, ſubiectum tamen ipſam non exigat; nam forma, quæ exiſtit ſupra exigentiam ſubiecti, quod exigitur ab ipſa, plene exiſtit ſupra cuiuſque entis naturalis exigentiam, vt arguebamus diſp. 5. ſect. 4.

Alia euaſio 13. Dices iterum, formam ſubſtantialem eſſe naturam, cui repugnat eſſe ſupra naturam; vnionem ſubſtantialem vero, & formam realem accidentalem non eſſe naturam. Iam redis ad voces, quæ in graui controuerſia de re ſemper mihi moleſtæ ſunt. Retunditur. De his nuper egimus, rurſuſque agemus ſectione 15. Do tamen voces; cur eodem modo non negas impoſſibilem vnionem ſubſtantialem ſupernaturalem, quia vnio ſubſtantialis, licet natura non ſit, pertinet tamen ad conſtitutionem naturæ, diciturque natura, *vt quo*, quatenus eſt ratio complens, & conſtituens naturam in vltima ratione principij motus, & quietis? Supernaturale autem eſt quod eſt ſupra naturam, & omne illud, quod eſt conſtitutiuum naturæ, & *vt quo* natura dicitur? Sane qui hac ratione vnionem ſubſtantialem ſupernaturalem negaret, eiſdem quibus tu principijs, ac vocibus niteretur. Aut ſi vnionem iſtam ſupernaturalem concedis, ſicut etiam hypoſtaticam, quia vſurpatione Ariſtotelica talis vnio natura non eſt, quamuis ad vltimam naturę Ariſtotelicæ rationem pertineat, ſaltem *vt quo*, cur eadem ratione non aſſeris poſſibilem ſubſiſtentiam ſupernaturalem; quæ eadem ſignificatione non eſt natura *vt quod*, ſed ſolum *vt quo*? Porro autem ſi ſubſiſtentia admittatur ſupernaturalis, facile poteſt admitti forma ſubſtantialis rationalis; nam ſuppoſitum ratione ſubſiſtentiæ poteſt obtinere ſanctificationem, ac dona ſupernaturalia, quæ ipſum impeccabile, ac beatum efficiant, vt ex natura humana hypoſtatice vnita Verbo perſpicuum eſt. Nullam igitur conſequentiam tuæ mere vocali rationi ſeruas.

Alia fuga. 14. Dices, ſubſiſtentiam ſuapte conditione eſſe paſſionem naturæ, ac proinde eſſe non poſſe ſupernaturalem. Sed contra. Etiam vnio ſubſtantialis eſt complementum naturale materiæ, & formæ. Occupatur Nihilominus poteſt eſſe vnio, quæ non ſit naturalis, ſed ſupernaturalis. Ergo ſimiliter erit poſſibilis ſubſiſtentia, quæ non ſit proprietas, & naturalis, ſed ſubſtituens proprietatem, & ſupernaturalis. Etenim de ratione ſubſiſtentiæ, vt ſic, non eſt eſſe proprietatem naturæ; id enim ſolum eſt de ratione ſubſiſtentiæ naturalis; nam ad ſubſiſtentiæ rationem ſufficit naturam conſtituere per ſe exiſtentem, complendo illam in ratione principij agendi; quod conuenire poteſt ſubſiſtentiæ ſupernaturali, ſubſtituenti per ſe defectum ſubſiſtentiæ naturalis, vt creationi ſupernaturali quantitatis, competit per ſe ſubrogari in defectũ actionis eductiuæ, quam connaturaliter depoſcit. Conſtatque in Chriſto Domino noſtro, cuius humanitas per ſe ſubſiſtens eſt, per ſubſiſtentiam ſibi omnino extraneam, vnionemque hypoſtaticam nulla ratione effluentem ex principijs natiuis ipſius. Igitur poſſibilis erit ſubſiſtẽtia, quæ tanquam proprietas non fluat à natura, ac proinde ſupernaturalis ſit ex connexione cum gratia ſanctificante, aut alio dono intrinſece ſupernaturali, nihil obſtante ipſi tua entis ſupernaturalis vſurpatione, mereque vocali ratione, cum ſubſiſtentia natura non ſit magis, quam eſt vnio ſubſtantialis natura.

SECTIO QVARTA.

Arguitur repugnans ſubſtantia ſupernaturalis ex repugnantia ſubſtantiæ natura beatæ.

15. Contra præcedentem doctrinam plura conficiuntur argumenta. Argumentum conficitur. Arguitur primo in hunc modum. Repugnat ſubſtantia ſuapte natura beata. Ergo etiam ſupernaturalis. Conſequentia vix ab aduerſarijs probatur, quia bona ſupponitur. Etenim ſubſtantia intelligens ſuapte natura ſupernaturalis, eſſet natiua facultate videns Deum, ac proinde neceſſario beata. Nam ideo ſolum intellectus humanus, & Angelicus nequeunt natiua facultate videre Deum, quia ſunt entitate naturales. Intellectus ſubſtantiæ ſupernaturalis eſſet ſupernaturalis. Ergo natiua ſua facultate poſſet videre Deum, atque adeo eſſe beata. Confirmatur: Intellectus ſupernaturalis ſuapte virtute contineret eminenter omnes formalitates viſionis beatæ, ſcilicet vitalitatem, quia eſſet principium vitale, ſupernaturalitatem, quia eſſet principium intrinſece ſupernaturale: quẽadmodum continet illas intellectus humanus illuſtratus lumine ſupernaturali gloriæ, cui complexo æquiualeret perfectione intellectus ſupernaturalis eius ſubſtantiæ. Ergo ſuis viribus efficeret viſionem Dei, qua eſſet naturaliter beatus.

16. Antecedens igitur probandum eſt in- Aſſumptũ ex ſacris literis oſtenditur. primis autoritate Sacrarum literarum, vbi Deus prædicatur inuiſibilis 1. Thim. 1. *Regi ſæculorum immortali, & inuiſibili.* cap. 6. *Quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt.* Ioan. 1. *Deum nemo vidit vnquam.* Pſ. 17. *Poſuit tenebras latibulum ſuum.* Quæ loca, & alia ſimilia exponuntur à Patribus, vt nulla creatura ſua naturali facultate Deum videre queat. 1. Thim. 1. cap. 6. Ioan 1. Pſ 17. Explicant AEgidius in 2. d. 23. qu. 1. art. 1. Caietanus Matth. 8. Epiphanus hæreſi 70. Ambroſius Luc. 1. Auguſtinus Epiſtol. 112. Gregorius 18. Moral. c. 36. Beatitudo autem in viſione Dei conſtituta eſt. Ergo. AEgidius. Caietanus. Epiphanus. Ambroſius Auguſtinus

17. Deinde ex ſanctis Patribus. Auguſtinus lib. 12. de Ciuit. ca. 1. late docet, nullam creaturam eſſe poſſe ex ſe beatam, ſed ex Deo. Rationemque reddit omnibus poſſibilibus communem. *Dicimus itaque immutabile bonum* Item ex Patribus. Auguſtinus

Digitized by Google

non eſſe niſi vnum verum Deum beatum : ea vero, quæ fecit, bona quidem eſſe, quod ab illo, verumtamen mutabilia, quod non de illo, ſed de nihilo facta ſunt. Quæ ratio etiam omnes creaturas poſſibiles comprehendit. Item lib. 13. confeſſionum c. 3. explicans de natura Angelica id *Fiat lux*, ait, *quod beatè viuit, non deberet niſi gratiæ tuæ, conuerſa per commutationem meliorem ad id, quod neque in melius, neq; in deterius cōmutari poteſt. Quod tu ſolus es, quia ſolus ſimpliciter es: cui non eſt aliud viuere, aliud beatè viuere, quia tua beatitudo tu es.* En ſolius Dei aſſerit habere beatitudinē per naturam. Sumpſiſſe videtur ab Ambroſio, qui lib. meditationum orat. 7. ſimiliter dixit, *Creatura tua, cui eſt aliud viuere, & aliud beate viuere, omne quod viuit, & quod beate viuit, non debet, niſi gratiæ tua.* Proſper lib. ſent. 143. *Creatura rationalis, vel intellectuali, bonum, quo beata ſit, non eſt, niſi Deus, quod ei non ex ſe ipſa eſt, quia ex nihilo creata eſt, ſed ex illo, à quo creata eſt.* Vbi ex eo, quod creatura eſt, & ex nihilo producta, ſtatuit, creaturam rationalem non eſſe per ſe beatam, ſed per Deum, quæ ratio etiam vrget contra omnes creaturas rationales diuinitus poſſibiles.

Proſper.

Proſper.

Ratione.

Thomiſtæ.

18. Præterea ratione oſtenditur repugnantia ſubſtantiæ ex ſe beatæ. A Thomiſtis ſic probatur. Natura diuina prout eſt in ſe nequit eſſe obiectum proportionatum virtuti naturaliter intuitiuæ ſubſtantiæ creatæ. Ergo. Probatur antecedens à priori. Proportio obiecti, & virtutis intuitiuæ intellectus ſumitur ex immaterialitate, & ſimplicitate obiecti comparati cum ſuppoſito intelligenti. At quamuis creſcat perfectio ſubſtantiæ intelligentis creatæ, non poteſt peruenire ad immaterialitatem, & ſimplicitatem Dei. Ergo natura diuina nequit eſſe proportionata virtuti naturaliter intuitiuæ intellectus creati. Minor, & conſequentia ſunt certiſſimæ. Maior probatur illo communi principio, quod modus cognoſcendi ſequitur modum eſſendi, vt inductione facta per omnes ſubſtantias cognoſcentes creatas ſuadere ſolet. A poſteriori vero, quia fidei proximum eſt, non poſſe vllam ſubſtantiam creatam nunc exiſtentium virtute naturali videre Deum, vt definitur contra Begardos in Concilio Viennenſi, Clementina *ad noſtrum* de Hæreticis. At id nequit aliunde prouenire, quam ex improportione Dei, vt obiecti intelligibilis cum ſubſtantia creata intelligenti, quæ conſtituta eſt in diſtantia infinita vtriuſque. Igitur cum à quauis ſubſtantia poſſibili etiam diſtet infinite Deus, de quauis iudicandum eſt, eſſe natura ſua improportionatam ad Deum videndum.

Ab Scotiſtis.

19. Secundo probatur idem antecedens à Scotiſtis. Nulli creaturæ poteſt eſſe connaturale habere Deum ſibi præſentem, tanquam principium particulare, & obiectiuum mouens & actuans intellectum creatum; id enim dedecere videtur ſummam independentiam, ac libertatem Dei. At viſio intuitiua Deum ea ratione præſentem deſiderat. Ergo nulli ſubſtantiæ creatæ poteſt eſſe connaturalis viſio intuitiua Dei. Ruſſus probatur ab alijs. Nulla ſunt

Ab alijs.

merita, quæ Deus non poſſit, præmio aliquo remunerari, ſi velit. At ſi creatura rationalis eſſet, ſuapte natura beata, nullum eſſet præmium, quo poſſet Deus illius creaturæ obſequia remunerare; ſiquidem bona, quæ ipſi operanti ſeorſim ab operatione neceſſario connexa ſunt, nequeunt eſſe præmium remunerans obſequia libera ipſius: vt trac. de merito docuimus. Beatitudo autem, quam de condigno poſſent illius creaturæ obſequia mereri, eſſet ſeorſim ab operatione libera ipſius, connexa neceſſario, ac naturaliter operanti, vt modo intellectui inſtructo lumine gloriæ coniuncta eſt. Ergo nequit beatitudo creaturæ rationali ex ſua conſtitutione naturali conuenire. Quarto. Quarto. Nulla ſubſtantia poteſt Deum videre naturaliter medio lumine gloriæ à ſe diſtincto, nec immediate per ſe abſque lumine diſtincto. Ergo nullo pacto poteſt ſubſtantia creata naturaliter videre Deum. Quandoquidem non eſt medium inter videre naturaliter per lumen diſtinctum, aut indiſtinctum ab intellectu videntis. Prior pars antecedentis probatur Lumen gloriæ diſtinctum natura ſua eſt eleuatiuum intellectus naturalis, ac inſufficientis propria virtute videre Deum: nam deſtinatum eſt natura ſui ad munus, quod de facto exercet, quod eſt intellectum inſufficientem eleuare, & complere; at intellectus ſubſtantiæ ſupernaturalis, eſſet ſupernaturalis, ac ſeipſo ſufficiens videre Deum, vt probabamus num. 15. Ergo ſubſtantia ſupernaturalis non poteſt videre Deum lumine gloriæ diſtincto. Poſterior pars antecedentis oſtenditur, beatitudo Chriſti Domini excedit perfectione beatitudinem, quæ cuiuis puræ creaturæ connaturaliter poteſt adeſſe. At ſi ea ſubſtantia ſupernaturalis ſeipſa immediate abque lumine ſuperaddito intueretur Deum, eius beatitudo excederet perfectione beatitudinem Chriſti Domini: ſiquidem connaturaliter flueret à principio perfectiori ſibi connaturali, quippe ſubſtantia, & intellectu ſupernaturali. Ergo beatitudo ſubſtantiæ creatæ haberi non poteſt abſque lumine ſuperaddito. Quinto idem ſuadetur. Quæuis ſubſtantia creata elicit infra viſionem Dei plures cognitiones ſibi proportionatas, & ſuæ virtuti adæquatas, vt ſuimet, aliorumque complurium ſuperiorum quidditatiuam notionem; neque enim tanta eſt perfectio ſubſtantiæ limitatæ, ac creatæ, cui facto gradu per obiecta creata perfectiora, & perfectiora ſine ſine definiri nō poſſit cognitio proportionata, ac ſuæ perfectioni adæquata. Ergo viſio intuitiua naturæ diuinæ erit improportionata, & excedens perfectionem, ac virtutem rationalem cuiuſcumque ſubſtantiæ creatæ. Denique, repugnat ſubſtantia rationalis creata impeccabilis. Ergo etiam ſe ipſa beata. Nam ſubſtantia beata impeccabilis eſt.

Quinto.

Poſtremo.

Digitized by Google

SECTIO QVINTA.

Occurritur argumento præcedenti, explicando poſſibilem ſubſtantiam ſupernaturalem ex ſe non beatam.

Aſſumptū explicatur.

20. PRima ſuperioris argumenti ſolutio eſt negando conſequentiam; quia poteſt eſſe ſubſtantia ſuper naturalis, quæ ſuapte natura non ſit beata. Etenim vt aliqua ſubſtantia ſit intrinſece ſupernaturalis, ſufficit aliqua connexio intrinſeca cum gratia ſanctificante, alioue dono intrinſece ſupernaturali. Poteſt autem eſſe aliqua connexio intrinſeca cum gratia ſanctificante, alioue dono intrinſece ſupernaturali ſubſtantiæ impotenti ſuis viribus videre Deum, ac per conſequens ad formalem ſuam beatitudinem inſufficienti. Ergo poteſt eſſe ſubſtantia ſupernaturalis ad ſuam beatitudinem inſufficiens. Atque adeo non bene arguitur repugnantia ſubſtantiæ ſupernaturaliter in genere ex repugnantia ſubſtantiæ rationalis ex ſua conſtitutione beatæ. Maior conſtat ex diſputatione 4 ſectione 3. & diſputatione 3. ſectione 4. Minor probatur. Subſtantia continens virtutem ſolam habitus fidei, aut ſcientiæ infuſæ, æquiualenſque perfectione complexo, quod nunc coaleſcit ex ſubſtantia rationali, & habitu ſupernaturali fidei, & ſcientiæ infuſæ tantummodo, eſſet intrinſece ſupernaturalis, & aliquali ordine connexa cum gratia ſanctificante,& alijs donis intrinſece ſupernaturalibus. Tamen non eſſet ſuis viribus potens videre Deum. Ergo poteſt eſſe ſubſtantia impotens ſuis viribus videre Deum, intrinſece ſupernaturalis, ac connexa aliqua ratione cum gratia ſanctificante, alioue dono intrinſece ſupernaturali. Conſequentia negari non poteſt. Maior probatur. Quia habitus fidei diuinæ, & ſcientiæ infuſæ ſunt intrinſece ſupernaturales, & connexi cum gratia ſanctificante. Ergo ſubſtantia eis æquiualens eſſet quoque intrinſece ſupernaturalis, & ſimiliter connexa cum gratia ſanctificante. Minor vero; quia habitus fidei, & ſcientiæ infuſæ, quamquam ſupernaturales, & cognitione abſtractiua reſpicientes Deum, nequeunt ſuis viribus elicere cognitionem intuitiuam naturę diuinæ. Ergo ſimiliter ſubſtantia eis habitibus æquiualens, quamquam ſupernaturalis, & cognitione ſupernaturali abſtractiua diuinitatem contemplans, non eſſet ſuis viribus, abſque ſpeciali eleuatione ſufficiens ad cognitionem Dei immediatam, ac quidditatiuam. En igitur qua ratione meditari poſſumus ſubſtantiam intrinſece ſupernaturalem, & aliunde in ſuam beatitudinem, ac viſionem diuinitatis intuitiuam inſufficientem. Vt enim inter ſubſtantias naturales, aliæ alijs nobiliores, & ignobiliores ſunt, quid prohibet eadem inæqualitate apprehendere ſubſtantias ſupernaturales, alias alijs ſuperiores, & inferiores, atque adeo aliquam ea limitata perfectione cognoſcentem, vt quamquam vires noſtræ ſubſtantiæ inſtructæ habitibus ſupernaturalibus viatoris contineat, ad virtutem tamen luminis comprehenſoris propriam non accedat, atque idcirco ad eliciendum viſionem beatam, eleuantis luminis egena ſit?

21. Vnde ad conſequentiæ probationem factam num. 15. reſpondeo. Sufficit defectus ſupernaturalitatis in intellectu humano, & Angelico nunc exiſtentibus ad negandum ipſis connaturalem viſionem intuentem Dei, quia aliqua ſupernaturalitas neceſſaria ſemper eſt principio connaturali ipſius. Cæterum non ſufficit quęcumque ſupernaturalitas intellectus ad affirmandum viſionem beatam eſſe ipſi connaturalem; nam ſupernaturalitas fidei diuinæ, & ſcientiæ infuſæ non eſt ad illam ſufficiens, cum hi habitus, quamquam ſupernaturales, & elicitiui notionis abſtractiuæ Dei, ad viſionem intuitiuam non ſufficiant; ſubſtantia autem ſupernaturalis eſſe poterat, quæ ſolum contineret ſupernaturalitatem horum habituum; qua nimirum poſſet cognoſcere omnia obiecta creata, & increata obſcure propter teſtimonium Dei; & etiam clare, ac quidditatiue omnia creata, abſtractiue vero diuina eo genere perfectionis, quo ab intellectu illuſtrata per habitus fidei, ac ſcientiæ infuſę cognoſcuntur. Sic ad negandum ignem exiſtere ſufficit defectus caloris vt quatuor; quamuis ad affirmandum præter calorem vt quatuor plura neceſſaria ſunt; plura enim ſemper ad rei exiſtentiam requiruntur, quam ad eius deſtructionem ſufficiant, quandoquidem bonum ſemper exiſtit ex integra cauſa, malum vero ex quocumque ſingularum cauſarum defectu. — Ad probationem cōſequentiæ.

22. Similiter ad confirmationem reſpondeo. Sicut intellectus humanus inſtructus lumine ſupernaturali fidei diuinæ, ac ſcientiæ infuſæ non ſufficit in viſionem intuitiuam Dei, quamuis his habitibus contineat intellectus vitalitatem, & ſupernaturalitatem cognitionis, quia viſio Dei intuitiua exigit altiores cauſas ſupernaturalitatis, propter altiorem, & ſpecialem ſui perfectionem ſupernaturalem. Ita poſſet intellectus intrinſece ſupernaturalis non ſufficere in viſionem beatam; quia eius ſupernaturalitas ſolum contineret perfectionem ſupernaturalem habitus fidei diuinæ, ac ſcientiæ infuſæ, non vero perfectionem ſupernaturalem nobiliorem luminis gloriæ, quæ ad viſionem Dei neceſſaria eſt, propter argumenta, quæ probant, impoſſibilem intellectum ſua facultate videntem Dei. Conſequenter is intellectus ſubſtantiæ ſupernaturalis non æquiualeret perfectione, ac virtute agendi complexo conſtituto ex intellectu humano, & lumine gloriæ, ſed complexo conſtituto ex intellectu humano, & habitu ſupernaturali fidei, ac ſcientiæ infuſæ, quia potens elicere plures cognitiones ſupernaturales, etiam referentes Deum, nunquam poſſet ſua virtute abſque eleuanti lumine gloriæ elicere viſionem beatam. — Ad confirmationem.

23. Obijcies. Is intellectus ſupernaturalis eſſet perfectior etiam ſupernaturalitate, quam lumen gloriæ. Ergo poſſet edere ſua vir- — Obiectio.

Digitized by Google

tute viſionem intuitiuam Dei, quam poſſet lumen gloriæ. Siquidem totus defectus virtutis ad viſionem Dei reuocatur in defectum perfectionis ſupernaturalis æquantis ſupernaturalitatem luminis gloriæ. Antecedens probatur, quia is intellectus contineret plures perfectiones, quam lumen gloriæ. At omnes perfectiones eius intellectus ſupernaturalis, eſſent intrinſece ſupernaturales. Ergo etiam ſupernaturalitate perfectionum ſuperaret lumen gloriæ.

Reſponſio. Reſpondeo. Is intellectus intrinſece ſupernaturalis, eſſet perfectior lumine gloriæ ſupernaturalitate extenſiua, non vero intenſiua, quia licet plures, pluriumque obiectorum cognitiones ſupernaturales poſſet efficere, quam lumen gloriæ, nullam tamen poſſet, quæ pertingeret perfectionem viſionis beatæ, quam poſſet efficere lumen gloriæ. Poſſet quidem ille intellectus intenſiua perfectione vincere perfectionem luminis, quia omnes perfectiones intellectus efficiunt intenſionem perfectionis inter ſe: cum eo tamen recte componitur, vnam, vel alteram perfectionem in lumine gloriæ celſiorem reperiri, nempe ſupernaturalitatem intenſiuam, qua altiſſimam Dei viſionem poſſit efficere, quod frequentibus exemplis explicatur à Theologis.

SECTIO SEXTA.

Diluitur ſecundo ſuperius argumentum, tuendo poſſibilem ſubſtantiam ex ſe beatam.

Ad teſtimonia ſacra. 24. Secunda ſolutio eſt negando antecedens, nempe repugnare ſubſtantiam ſuapte natura beatam. Teſtimonia ſacri textus facile expediuntur. Eis manifeſte ſermo eſt de ſubſtantijs intellectualibus nunc exiſtentibus, videlicet hominibus, & Angelis, ab eis nempe inuiſibilem eſſe Deum, ſi ſuis ſolum viribus relinquantur; nullus eſt Patrum, qui de poſſibilibus expoſuerit. Addo, à pluribus eorum ea teſtimonia accipi de viſione corporea, vt Auguſtino frequens eſt ea Epiſtola 112. & alijs. Quin plures de viſione intellectuali in via, & extra patriam accipiunt. Vide dicta diſputatione 10. ſectione 6. necnon præmiſſa num. 6. & 7.

Ad Patres. 25. Patrum teſtimonia non ſunt maioris momenti, quibus miror tantum fidiſſe viros doctos. Præterea explicationes, quas præbuimus numero 6. & 7. quæ apertiſſimæ ſunt. Manifeſta eſt obiectorum expoſitio, ſi dicas, repugnantem aſſeri creaturam rationalem per ſe beatam, non quidem per ſe, tanquam per principium beatitudinis formalis, ſed per ſe tanquam per obiectum, beatitudine formali poſſeſſum. Itaque creatura, quia creatura eſt, & ex nihilo producta, non aſſeritur impotens ſuapte natura, & virtute elicere beatitudinem, & poſſeſſionem formalem ſummi boni, quod eſt Deus, ſed ſolum impotens ſua bonitate poſſeſſa beare ſeipſam, ſuique omnem appetitum ſatiare: nam creatura non poteſt eſſe ſummum bonum, quod ſolum ſuapte perfectione, ſeu bonitate ſatiare, ac beare poteſt. Igitur non excluditur creatura rationalis, quæ ſuis viribus poſſit beari poſſeſſione Dei, quod eſt noſtræ diſputationis ſubiectum, ſed quæ ſuimet poſſeſſione beata ſit, quamquam diuina poteſtate ad efficiendam talem poſſeſſionem eleuetur, quod extra controuerſiam nobis eſt. Plana cõſtabit ſolutio, ſi ſingula teſtimonia percurramus. Ante verba adducta ex lib. 12. de Ciuit. c. 1. Auguſtinus ſic habet, *Non eſt creatura rationalis, vel intellectualis bonum, quo beata ſit, niſi Deus. Itaque quamuis non omnis beata eſſe poſſit creatura (neque enim hoc munus adipiſcuntur, & capiunt feræ, ſaxa, ligna, & ſi quid eſt huiuſmodi) & tamen quia poteſt, non ex ſeipſa poteſt, quia ex nihilo creata eſt, ſed ex illo à quo creata eſt. Hoc enim adepto beata eſt, quo amiſſo miſera eſt.* Ad Auguſtinum. Expende primam, & poſtremam propoſitionem huius teſtimonij. Primam, *non eſt creatura rationalis bonum, quo beata ſit, niſi Deus.* En ipſam beatam, & aliam quamuis creaturam excludit, vt beantem obiectiue bonitate ſua poſſeſſa, non vt beantem effectiue ſua virtute efficiente poſſeſſionem alterius boni. Poſtremam, *Hoc enim adepto beata eſt, quo amiſſo miſera eſt.* Igitur manifeſte differit Auguſtinus de bono, quod beat hominem adeptione, non virtute: tanquam obiectum poſſeſſum, non tanquam principium efficiens. Quibus ſubiungit immediate: *dicimus itaque immutabile bonum non eſſe, &c.* quæ argumento opponuntur. Poſteaque ſubdit: *Quamquam ergo ſumma non ſint, quibus eſt Deus maius bonum; magna ſunt tamen ea mutabilia bona, quæ adhærere poſſunt, vt beata ſint immutabili bono, quod vſque adeo bonũ eſt eorum; vt ſine illo miſera eſſe neceſſe ſit.* Effert quidem creata bona, quæ beata eſſe poſſunt, nempe intelligentia, ac rationalia, ſed ea deprimit, vt beata eſſe non poſſint adeptione ſui, ſed ſummi, ac immutabilis boni, quod eſt Deus. At nos ſolum efferimus creaturam, quoad facultatem, capacitatemue efficientem ſuæ beatitudinis, quod ſufficit, vt ſubſtantia ſit, ſupernaturalis, non vero quoad bonitatem obiectiuam, quæ ſui poſſeſſione beare poſſit: neque enim volumus, ſubſtantiam rationalem efficientem ſua facultate beatitudinem, alterius boni, poſſeſſione eſſe beatam, quam Dei, ſine quo omnis creatura rationalis miſera eſt, quod ſolum Auguſtino in animo eſt. Nihil ergo promimus nunc Auguſtino aduerſum.

26. Eadem inuenies in teſtimonio ex lib. 13. confeſſionum c. 3. vbi expreſſe loquitur de Angelis nunc exiſtentibus, eoſque beatos docet per bonum, *quod neque in melius neque in deterius commutari poteſt, quod ſolus Deus eſt*, ideoque ſolus, *ſua beatitudo eſt.* Auguſtinus. Nempe obiectiua, quæ ſui adeptione beare poſſit. Quæ omnia & nos extra ſubſtantiam creatam quamuis ſupernaturalem docemus. Verum eſt, gratiæ diuinæ deputare, quod creatura beate viuat, ſed eadem ratione, etiam in gratiam refert, quod & viuat: ait enim, *quod vtcumque viuit, & quod beate viuit, non deberet, niſi gratiæ tuæ.* Itaque gratiam

gratiam ſumpſit Philoſophice larga acceptione, qua ipſam creationem gratiam dicimus. Ea autem ratione etiam ſubſtantiæ ſupernaturali, ſeipſa beatæ, eſſet gratia viuere, & beate viuere, quippe de illa vera eſſet ratio Auguſtini in præſenti, *quia non te promeruerat, vt eſſet talis vita, quæ illuminari poſſet*. Idemtidem explicatur Ambroſius, è quo ſuperiora didiſcit Auguſtinus. Etiam, Proſper, qui eam ab Auguſtino ſententiam deprompſit. Cui addendum, quod demptum eſt ab aduerſarijs; *hoc enim adepto fit beata, quo amiſſo miſera*. Quo redditur ſententia omnino eadem cum ea, quam ex Auguſtino 12. de ciuit. c. 1. in confirmationem noſtræ explicationis num. præcedenti expendimus. Quid igitur Patres Eccleſiæ obijciunt contra ſubſtantiam creatam ſeipſa beatam, qui tam manifeſta interpretatione nec leuiter illam verſantur?

Ad Ambroſium. Ad Proſperum.

Ad Thomiſtas.

27. Rationes repugnantiæ nullum negotium faceſſunt. Ac inprimis Thomiſtarum probationi nego, non poſſe obiectum quidditatiue cognoſci, niſi à principio cognoſcenti æqualis immaterialitatis, ac ſimplicitatis cum ipſo. Nam de facto animus ſeparatus deſtinatus ad componendum hominem, ac proinde compoſitus *vt quo* quidditatiue cognoſcit Angelum ipſo ſimpliciorem, omnis compoſitionis expertem. Item quis neget, poſſibilem eſſe Angelum cuius ſubſiſtentia ſit realiter eadem cum natura, eumque ſic ſimplicem cognitum iri ab Angelis nunc exiſtentibus, ex natura, & ſubſiſtentia compoſitis? Quid, ſi vt plerique docent, poſſibilis ſit ſubſtantia materialis ſpiritualia percipiens, & ſpiritualis ſola percipiens materialia? Rurſus ſi cum alijs aſſeratur poſſibilis ſubſtantia completa ſpiritualis, aut ex partibus integrantibus, aut ex partibus eſſentialibus, ſubiecto ſcilicet, & forma ſpiritualibus compoſita, quæ facultate naturali Angelum, & animum nunc exiſtentem, ſimilis compoſitionis oſſores intueretur? Neque mirum, cum numquam ſatis oſtenſa ſit neceſſaria æqualitas ſimplicitatis, & immaterialitatis inter principium cognoſcens, & obiectum cognitum. Etenim ratio à priori facta ex proportione eſſendi cum operandi imbecillis eſt. Nam etiam requiritur proportio inter principium cognoſcens abſtractiue, & eius obiectum; improportionatum enim obiectum à nullo cognoſcenti percipitur. Tamen percipitur abſtractiue Deus à creatura rationali, & obiectum ſupernaturale cognitione naturali. Inſuper intellectus creatus illuſtratus lumine gloriæ eſt proportionatus ad videndum Deum. Tamen poſito lumine manet intellectus æque compoſitus, & æque diſtans à Deo, ac prius erat. Ratioque eſt, quia proportio inter principium cognoſcens, & obiectum cognitum non eſt immediata, ſed tantum mediata, media ſcilicet cognitione. Cognitio autem obiecti ſimplicioris principio cognoſcenti poteſt eſſe proportionata principio cognoſcẽti; nam cognitio non debet eſſe æqualis perfectionis cum obiecto, vt cernere eſt in viſione intuitiua Dei producta lumine gloriæ, alijſque innumeris naturalibus; atque adeo nihil vetat contineri cognitionem in virtute principij longe ignobilioris, ac materialioris obiecto. Neque inductio ſubſtantiarum exiſtentium quicquam valet. Deficit enim in animo rationali compoſito vt *quo*; & cognoſcente quidditatiue Angelos, nulla ratione compoſitos. Item in potentia naturali, & creata cognoſcente obiectum ſpirituale, & increatum. Rurſus plura ſunt poſſibilia quam nunc exiſtentia. Igitur non eſt efficax argumentum à negatione facti ad negationem potentiæ. Ad rationem à poſteriori reſpondeo. Intellectus humanus non indiget principio eleuante ad eliciendum viſionem beatam præciſe, quia eſt diſtans infinite à Deo; quoniam etiam vt illuſtratus lumine gloriæ eſt infinite diſtans, ſed quia eſt diſtans perfectione naturali, & non ſupernaturali. Intellectus autem ſubſtantiæ ſupernaturalis non diſtaret perfectione naturali, ſed ſupernaturali, ad modum quo nũc diſtat intellectus humanus, vt illuſtratus lumine gloriæ. Plura diximus diſputatione 10. ſect. 4.

28. Ad ſecundam probationem Scoti nego, non poſſe creaturam rationalem poſtulare Deum agentem, tanquam principium particulare mouens obiectiue intellectum ipſius, tum quia ſic poſtulat Deum intellectus humanus, illuſtratus lumine gloriæ; tum quia calor vt octo in abſentia ignis poſtulat Deum vt igne facientem, munuſque cauſæ particularis ſubeuntem: ſimiliter Angelus, & animus Deum exigunt actione cauſæ particularis conſeruantem. Quid igitur prohibebit, ſubſtantiam quoque intellectualem ſuapte natura complectentem perfectionem limitatam luminis gloriæ, Deum ſibi adſtringere præſentem, ac per modum obiecti efficientem viſionis beatæ? Etenim mouere Deum concurſu obiectiuo intellectum creatum, nullam arguit imperfectionem in Deo; ſiquidem id munus obit Deus cum lumine ſolum in genere cauſæ efficientis, quod non dedecet Deum. Nec poſtulare Deum ſic mouentem arguit infinitatem in creatura, ſiquidem intellectus humanus inſtructus lumine gloriæ exigit concurſum Dei eo pacto mouentis abſque infinita perfectione, omniaque agentia creata Deum deſiderant cooperatorem ſuarum actionum.

Ad Scotiſtas.

29. Ad tertiam probationem pono, ſtatum beatitudinis non excludere ex natura rei virtutem merendi, ſed ex lege extrinſeca Dei dumtaxat, vt oſtendi tract. de merito, & argumentum neceſſario ſupponit, nam alias momenti non eſt. Eo autem poſito merita ſubſtantiæ ſupernaturalis poſſent remunerari viſione Dei, tum ſecundum perfectionem eſſentialem, tum etiam ſecundum intenſionem perfectiorẽ, quam eſſet illa, quæ ipſi ſubſtantiæ naturaliter deberetur. Plures enim viſiones ſunt poſſibiles etiam ſecundum ſpeciem perfectiores ſine fine; plures intra eandem ſpeciem intenſione ſuperiores. Ergo quamuis aliqua viſio conſtitutioni connaturali ipſius ſubſtantiæ debeatur, eſſe poterit alia, aut ſecundum ſpeciem, aut ſecundum intenſionem ſuperior, quæ ſolis ipſius meritis debita ſit. Præſertim ſi ea

Ad tertiam rationem aliorum.

Digitized by Google

ſubſtantia cogitetur, ſicut à pleriſque natura luminis gloriæ nunc exiſtentis, quæ licet ad aliquam viſionem Dei determinata ſit, indifferens tamen aſſeritur ad viſionem harum creaturarum, vel illarum, huius intenſionis, vel illius, determinabiliſque ex concurſu libero Dei iuxta exigentiam meritorum beati, & beneplacitum voluntatis diuinæ. Si autem velis, beatitudinem efficere per ſe ſubſtantiam rationalem meritorum expertem; dicamus, beatitudinem non eſſe debitam ſubſtantiæ ſupernaturali ab inſtanti creationis, quamuis virtus ad illam efficiendam ſufficiens connaturalis ſit, ſed aliquo tempore determinato dumtaxat, vt ſpecies quidditatiuæ totius vniuerſi non ſunt connaturales animo vnito corpori, ſed ſeparato. Ac proinde poſſe interea eam ſubſtantiam merita cumulare, quæ viſione Dei, tantæ, vel tantæ perfectionis coronentur. Quemadmodum fœlicitas naturalis continetur intra vires connaturales naturæ rationalis, quamuis ea debita non ſit, cumprimum homo creatur, vel Angelus, ſed poſtquam operibus rectæ rationi conſentaneis illam promereantur. Sin autem dicatur, eam ſubſtantiam natura beatam non poſſe ex natura rei quidquam mereri, præſertim beatitudinis eſſẽtialis, vt modo non poteſt quidquam mereri homo, vel Angelus beatus, quamquam pluribus Deum obſequijs colant: in quo certe plura quam modo non apparent abſurda.

Ad quart. 30. Ad quartam. Poſſet eſſe ſubſtantia videns Deum cum lumine diſtincto; quia eſto conſtaret, lumen gloriæ nunc exiſtens eſſe ſuapte natura determinatum ad naturam intellectualem nunc exiſtentem, quam eleuet (de quo merito à pleriſque dubitatur, cum etiam ſit indifferens, vt debeatur vnioni hypoſtaticæ) cæterũ non videtur repugnare aliud lumẽ alterius conditionis, quod alteri ſubſtãtiæ intellectuali cõnaturale ſit. Etenim etiã modo à pluribus aduerſantiũ admittuntur poſſibilia plura lumina ſpecie differẽtia ſine fine. Inter illa autem quid prohibebit aliquod cogitare, quod tanquam accidens proprium, & principium connaturale ſubſtantiam intellectualem compleat? Quod quidem lumen poteſt conſtitui à ſubſtantia intelligẽti diſtinctũ, & indiſtinctum ab intellectu ſupernaturali talis ſubſtantiæ, ſicut intellectus naturalis à ſubſtantia naturali diſtinguibilis eſt. Quin & diſtinctum etiam ab ipſo intellectu diſtincto, quia poteſt ſubſtantia ita videre Deum facultate propria, vt ex natura rei poſſit tali viſione deſtitui, quemadmodum aqua deſtituitur frigiditate, quamuis eius naturæ connaturalis ſit: & homo, & Angelus, à pluribus viſionibus vacant, quæ ipſorum facultati naturali poſſibiles ſunt. At natura luminis gloriæ eſt, ita intellectum ad viſionem complere, vt neceſſario trahat intellectum in efficiendum illam, vt arguere eſt ex lumine, quod agnoſcimus. Rurſus ſubſtantia videns Deum ſine lumine diſtincto poſſibilis eſt, quia indemtificati poteſt ſubſtantiæ intellectiuæ perfectio luminis gloriæ, quæ limitata eſt, & minime ſubſtantiæ repugnans. Nec quidquam obeſt maxima perfectio viſionis Chriſti. Tum quia exploratum non eſt eam eſſe omnium poſſibilium perfectiſſimam, quinimo probabilius eſt oppoſitum. Tum quia viſio ſubſtantiæ ſupernaturalis ſuperaret viſionem Chriſti ſola perfectione deſumpta ex reſpectu eſſentiali principij; tamen ſuperari poſſet à viſione Chriſti perfectione deſumpta ex modo reſpiciendi obiectum, quia & claritas, qua Chriſtus intuetur naturam diuinam, poſſet eſſe maior, & numerus creaturarum in ea diſcretus ſuperior. Hoc autem eſt ſuperari viſionem talis ſubſtantiæ à viſione Chriſti in ratione beatitudinis, quæ ex reſpectu in obiectum, non ex reſpectu in principium decreſcit, aut creſcit, quippe quam reſpectus viſionis in obiectum, non in principium eſſentialiter conſtituit. Sed obijcies, perfectio deſumpta ex principio eſt eſſentialis, & ſpecifica, deſumpta vero ex obiecto materiali indiuidualis tantum, & numerica. Viſio ſubſtantiæ ſupernaturalis eſt perfectior ex principio perfectiori. Ergo quamuis viſio Chriſti perfectior ſit ex obiectis materialibus, quæ in Deo diſcernit, non erit abſolute, ac eſſentialiter ſuperior. Reſpondeo. Argumentum ad ſummum probat, exceſſum perfectionis Phyſicæ, non vero pefectionis appræiatiuæ, ac moralis in ordine ad remunerationem, & beatitudinem. Nam vt dabimus diſputatione 37. ſectione 4. poteſt viſio ex principio perfectior minus beatum, ac remuneratum animum relinquere, quam alia, quæ ex principio ignobilior eſt. Rurſus viſio Chriſti poteſt excedere viſionem talis ſubſtantiæ exceſſu ſpecifico, & eſſentiali deſumpto ex modo reſpiciendi obiectum, qui viſioni ſpecificus, & eſſentialis eſt. Quare etiam plures aduerſariorum agnoſcunt poſſibiles plures viſiones beatas ſpecie differentes, ſine fine præſtantiores, ſolum ex vario modo, ac præſtantiori, quo idem obiectum formale poteſt diſtingui, præſertim infinitum, ac diuinum. Inſuper, poteſt eſſe principium perfectius, quin in omnes illius actus maior perfectio deriuetur, quã in actus principij imperfectioris, vt elucidabimus, diſp. 37. ſec. 4. Ergo licet ſubſtantia ſupenaturalis ſit principium nobilius, quam lumen gloriæ, poterit lumen gloriæ aliquam cognitionum ſpeciem, videlicet viſionum Dei elicere præſtantiorem, quam ſubſtantia ſupernaturalis, quæ nihilominus præſtantior relinquatur, quam lumen gloriæ, quia vltra viſionem Dei poteſt efficere plures cognitiones immediatas, & quidditatiuas entium creatorum tam ſupernaturalium, quam naturalium, in quas lumen gloriæ Chriſti Domini omnino inſufficiens eſt. Prætereo quod plures Theologorum ſentiunt, viſiones ex obiectis materialibus, non ſolum ſecundum perfectionem indiuiduam, verumetiam eſſentialem, ac ſpecificam diſtingui. Item quod aliqui Neotericorum volũt, omnes actiones Chriſti prodeuntes à natura humana ſubſiſtenti per ſubſiſtentiam verbi eſſentialiter exigere ſubſiſtentiam verbi tanquam complementum ſui principij, ac proinde viſiones Chriſti, quæ in mea opinione,

Digitized by Google

quam docui libro de anima, actiones ſunt eſſentialiter alligatæ vnioni hypoſtaticæ humanitatis cum Verbo. Ex quo eſſentiali reſpectu, quis dubitet, viſionem beatam Chriſti contendere poſſe de nobilitate cum viſione ſubſtantiæ ſupernaturalis; cum longe ſuperius ſit complementum ſubſiſtentiæ diuinæ, quam principium ſupernaturale ſubſtantiale? Sed opus non eſt principijs peregrinis hanc ſententiam tueri.

Ad quintã. 31. Ad quintam probationem. Poſſunt eidem ſubſtantiæ intellectiuæ proportionari variæ cognitiones, perfectione inæquales; vt eidem habitui ſcientiæ infuſæ cognitio quidditatiua entis naturalis, & cognitio quidditatiua entis ſupernaturalis; eidem Angelo cognitio comprehenſiua hominis, & cognitio comprehenſiua Angeli. Ergo ſimiliter eidem ſubſtantiæ ſupernaturali poſſunt proportionari viſio Dei, & plures aliæ cognitiones quidditatiuæ creaturarum infra viſionem Dei. Neque quælibet cognitio proportionata intellectui eſt eiuſdem virtuti cognoſcenti adæquata; nam poteſt virtus cognoſcens intellectus continere plures cognitiones, nobilitate impares, inter eaſque determinate continere viſionem Dei: etenim quod ſua virtute continet accidens, cur non poterit eadem proportione continere ſubſtantia? Cognitio autem virtuti intellectus adæquata cenſetur illa, vltra quam nullam poteſt exprimere ſubſtantia. Ad poſtremam nego antecedens ex ſectione nona, vbi videbimus non repugnare ſubſtantiam ex ſe impeccabilem. Item nego conſequentiam ex numero vigeſimo nono, vbi vidimus, ſubſtantiam ſuis viribus beatam poſſe ex natura rei conſiſtere ſine viſione beata. At ſubſtantiam ſupernaturalem ſine viſione beata obnoxiam eſſe peccato, ſtatuemus ſect.8.

Ad vltimã.

32. Adde, ſi placet pro explicatione ſuperioris argumenti, & fere omnium probationũ; quæ contra ſubſtantiam natura beatam obiectę ſunt, quod nu.7. dicebamus, nimirum fere omnia vrgere contra ſubſtantiam, quæ ſua propria virtute efficiat viſionem Dei, non contra ſubſtantiam, quæ ſuapte conſtitutione illam recipiat; nam vt diſcurrenti conſtabit, omnia oppugnant virtutem efficientem beatitudinis connaturalem ſubſtantiæ. At diuinitus non repugnare ſubſtantiam intelligentem, ac beatam, quæ viſione à ſolo Deo connaturaliter producta Deum intueatur; quod de viſione beata nunc exiſtenti plerique Nominalium docuerunt.

SECTIO SEPTIMA.

Arguitur repugnatia ſubſtantiæ ſupernaturalis, ex repugnantia creaturæ rationalis natura impeccabilis.

Secundum argumentũ 33. SEcundum argumentum ſic contenditur. Implicat creatura rationalis natura impeccabilis. Ergo implicat ſubſtantia ſupernaturalis. Conſequentia videtur bona, & breuiter probatur. Primo; ſubſtantia ſupernaturalis non poteſt non eſſe ſancta, & grata Deo; quoniam vel ipſa eſſet per ſeipſam formaliter ſuimet ſanctitas, & iuſtitia, vel eſſet, cui formalis ſanctitas, & iuſtitia connaturaliter deberetur. Creatura autem ſancta, & grata Deo non poteſt cum peccato componi. 2. Peccatum non poteſt eſſe intrinſece ſupernaturale; nam cuiuſcumque operis intrinſece ſupernaturalis Deus eſt principium, & autor, qui peccati principium, & autor non eſt. Eſſet autem peccatum intrinſece ſupernaturale, ſi ſubſtantia ſupernaturalis peccaret: nam omnes actus ſubſtantiæ ſupernaturalis eſſent intrinſece ſupernaturales, quippe omnes exigerent per ſe concurſum efficientem ipſius, ac proinde excederent omnem exigentiam, ac virtutem naturæ. Tertio: ſubſtantia ſupernaturalis eſſet neceſſario beata. Cum beatitudine autem non eſt potentia ad peccandum. Ergo ſubſtantiæ ſupernaturali repugnaret potentia ad peccandum.

34. Itaque antecedens ſtabiliendum eſt. Varia in eius probationem excogitata ſunt. Thomiſtæ cum Alexandro ſic probant. Voluntas creata non poteſt eſſe regula honeſtarum actionum; nam ſoli voluntati diuinæ competit eſſe omnis honeſtatis normam; quippe quæ ſola omnino inuariabilis eſt, & omnis ſanctitatis exemplar. Eſſet autem voluntas creata regula honeſtarum actionum, ſi eſſet impeccabilis. Ergo voluntas creata eſſe non poteſt impeccabilis. Probatur minor. Tum quia Deus ideo poteſt eſſe regula honeſtatis, quia natura ſua nequit deflectere ab honeſto. Tum quia reuera regula moralis eſt, inuariabiliter honeſtati adhærere, & numquam poſſe à recto tramite deuiare; eo enim ipſo omnes actiones, quæ tali voluntati conformantur non poſſunt non eſſe honeſtæ, ac rectæ. At id competeret voluntati ex ſe impeccabili. Ergo eſſet voluntas creata regula honeſtatis, ſi eſſet impeccabilis. Secundo idem probatur à Patre Vaſquez, & Patre Arrubal infra. Nulla eſt poſſibilis creatura rationalis, quæ non poſſit apprehendere obiectum turpe efficacius ac viuidius, quam honeſtum. At eo ipſo poteſt peccare præferendo honeſto turpe. Ergo. Tertio à Patre Suarez infra. Nulla creatura poteſt eſſe naturaliter impotens peccare, niſi vel quia connaturalis, & neceſſaria eſt ipſi viſio beata; vel quia eſt connaturalis dilectio efficax Dei, vel quia ſuapte natura eſt determinata ad ſequendum honeſtum. At ex nullo horum capitum poteſt naturaliter reddi impotẽs peccare ergo. maior videtur certa, quia ſi ex aliquo accidente voluntati ſuperaddito redditur impeccabilis, nequit eſſe aliud, quam viſio beata, aut dilectio efficax Dei; ſi vero ex aliqua perfectione ſibi identificata, illa maxime erit determinatio naturalis ad amplectendũ ſemper honeſtũ. Ergo aut viſione beata, aut dilectione

Aſſumptũ probatur.

Ab Alexãdro & Thomiſtis.

A P. Vaſquez & P. Arrubal.

A P. Suarez

Digitized by Google

efficaci Dei, aut determinatione naturali ad ſequendum honeſtum redditur natura rationalis impeccabilis. Probatur igitur minor. Impeccabilitatem naturalem non prouenire ex viſione beata, oſtendit Pater Suares ſupponendo viſionem beatam non eſſe vlli creaturæ connaturalem. Non prouenire ex dilectione efficaci neceſſaria voluntati; quia ſecluſa viſione connaturali Dei, nulla eſt cognitio, quæ neceſſitet talem amorem. Rurſus, neque ex determinatione naturali ad amorem honeſti proficiſci poſſe; quia obiectum voluntatis rationalis eſt bonum vniuerſale, & commune, complectens tam honeſtum, quam delectabile, ſicut obiectum intellectus eſt commune verum; voluntas enim ſapit conditionem intellectus, ſequiturque continuo ductum illius, cum eoque in omnia cognita amore fertur aut odio. Igitur ex nullo capite poteſt afferi impeccabilis natura creaturæ rationalis.

Confirmatur.

Confirmatur à Patre Suarez; nondum eſt creata à Deo ſubſtantia rationalis impeccabilis. Ergo repugnat. Nam teſte

Caietanus.

Caietano p. 1. quæſtione 50. art. 1. creati ſunt actu omnes gradus poſſibiles entis. Quæ ar-

S.Thomas.

gumento probat Sanctus Thomas ibi, creatas eſſe actu ſubſtantias Angelicas, quia credibile non eſt, Deum ſumme bonum non effudiſſe ſe in omnes gradus poſſibiles entis. Quar-

A P. Granado.

to à Patre Granado ſic probatur. Creatura rationalis eo ipſo, quod creatura eſt, ſubiacet pluribus mutationibus Phyſicis, quia ratione ſuæ imperfectionis non alligatur eidem loco, neque eiſdem accidentibus. Ergo etiam propter ſuam imperfectionem ſubiacebit mutationi morali; cum multo excellentius ſit, fixam eſſe ſemper in bono honeſto, & ad illud amplectendum determinatam.

A Zumel cum Durando.

Quinto à Zumel cum Durando. Cui eſt poſſibilis error intellectus, & inaduertentia rationis, poſſibilis eſt defectus voluntatis, & peccatum; quoniam tota radix defectuum voluntatis eſt defectus intellectus. At nulla eſt creatura, cui non ſit poſſibilis aliquis error, & inaduertentia rationis, cum nulla ſit, quæ omnia obiecta poſſibilia comprehendat. Ergo nulla eſt creatura cui non poſſit contingere peccatum. Sexto fere ab omni-

Ab omnibus.

bus. Obiectum voluntatis creatæ non ſolum eſt bonum verum, ſed etiam apparens; quia eius obiectum eſt bonum apprehenſum, non reipſa exiſtens à parte rei. At voluntas amans bonum, tantum apparens peccare poteſt, apparens præferendo vero. Ergo, omnis voluntas creata péccare poteſt. Denique

Ab Scotiſtis.

ab Scotiſtis. Nulla creatura poteſt ſeipſa, aut alio bono creato ſatiari, ac beari. Ergo indifferens eſt ad deferendum quodcumque bonum creatum licet honeſtum; ac proinde ad peccandum.

Ex ſacris literis.

35. Accedit alia probatio ex ſacris litteris, quæ ſolum Deum immunem peccati pronunciant. Paulus 1. Thim. 6. *Qui ſolus habet immortalitatem.* Quod teſtimonium non ſolum de immortalitate repugnante deſtructioni naturali, ſed etiam de illa, quæ opponitur morti peccati, intelligunt Patres, aſſeruntque immortalitatem expertem peccati eſſe propriam Dei. Ex quo Ambroſius libro ſecundo de fide c. 3. ſic colligit: *Ergo corruptionis, & mortis, etiam ſi non moriatur, aut peccet, capax eſt omnis creatura.* Docens quidem mortem, à qua Deus per immortalitatem immunis eſt, non ſolum eſſe corruptionem, ſed etiam peccatum, eiuſque mortis omnem creaturam rationalem eſſe capacem. Auguſtinus libro tertio, contra Maximinum c. 12. *Cuicumque naturæ rationali præſtatur, vt peccare non poſſit, non eſt hoc naturæ propria, ſed gratia, & per hoc ſolus Deus habet immortalitatem, qui non cuiuſquam gratia, ſed natura ſua nec potuit, nec poterit aliqua mutatione peccare.* Vides, Deo ſoli immortalitatem adſcribi, quia alia quæuis ſubſtantia intellectualis non per naturam, ſed per gratiam impeccabilis eſt. Hieronimus Epiſtol. 146. ad Damaſ. de filio prodigo in fine. *Solus Deus eſt, in quem peccatum non cadit; cætera cum ſint liberi arbitrij, in vtramque partem ſuam poſſunt flectere voluntatem.* Quod poſtquam breui diſcurſu Iuſtorum hominum, & Angelorum peccantium expoſuit, ſic deprehendit; *Unde & ab Apoſtolo* 1. Thim. 6. *ſolus Deus iuſtus, ſolus dicitur immortalis: non quod Angeli ſint iniuſti, & mortales; ſed quod ipſe ſit immortalis, & iuſtus, cui collata vniuerſa iuſtitia, inuenitur.* En immortalitas ſolius Dei ab Apoſtolo comprehenſa iuſtitiam omni iniquitati repugnantem ſignificat. Idem confirmat teſtimonium Math. 19. & Luc. 18. *Nemo bonus, niſi ſolus Deus.* Vtique natura bonus, qui nequitiæ vniuerſæ contradicat, quia omnis creatura deprauabilis eſt. Quod expendemus ſectione 13.

1 Thim. 6. — Ambroſius — Auguſtinus. — Hieronimus. — 1. Thim. 6. — Matth. 19. Lucæ 18.

36. Rurſus eodem ſpectant teſtimonia, quæ ſolum Deum immutabilem, creaturas vero obnoxias mutationi prædicant: quippe non de mutatione Phyſica ſolum, ſed etiam de morali Patres ediſſerunt. Ita illud Pſ. 101. *Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* Athanaſius in compendio de Spiritu ſancto eo teſtimonio probat Chriſtum eſſe Deum, quia eſt immutabilis per peccatum. *In creatis nihil eſt immutabile natura. Quippe cum Angeli quidam non ſeruauerunt ſuum ordinem, & ſtellæ non habeantur mundæ coram eo, & diabolus ceciderit de cælo, Adam autem præuaricatus ſit, omniaque alterentur, Filius contra inalterabilis, & immutabilis, vt Pater. Et hoc Paulus ſubindicauit, verba Dauid in hoc ipſum mutuatus; omnes quaſi veſtimentum veteraſcent, & ſicut amictum conuolues eos, & mutabuntur, tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. Ieſus Chriſtus ab heri, & hodie idem, & in ſæcula*, confirmat illud Iob. 4. *Ecce qui ſeruiunt ei, non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit prauitatem.* Quod expendens Hieronimus libro ſecundo contra Iouinia. non longe à principio ait: *omnem creaturam peccare poſſe commemorat.* Item Gregorius 5. Moral. cap. 27. ſic exponit. *Natura Angelica, etiamſi contemplationi autoris ſui inhærendo, in ſtatu ſuo immu-*

Pſal. 101. — Athanaſius — Iob 4. — Hieronimus. — Gregori-

tabiliter permaneat, eo tamen ipſo quo creatura eſt, in ſemetipſa viciſſitudinem mutabilitatis habet. Ecce eo ipſo quo natura Angelica creatura eſt, ſubiacet mutationi peccati, cuius expers eſt per gratiam qua, viſione beata, ſuo inhæret autori.

Idē ex Patribus.

37. Extra ſacra teſtimonia eamdem doctrinam tradere videntur Eccleſiæ Patres alijs in locis, vbi omnem creaturam rationalem, eo ipſo quod ex nihilo facta eſt, defectibilem, & peccatis expoſitam promunt. Auguſtinus libro de vera Religione cap. 19. *Bona ſunt ergo, quæ vitiantur; ſed ideo vitiantur, quia non ſumma bona ſunt.* Aliiſq; interpoſitis: *Bonum ergo, quod vitiari non poteſt; Deus eſt; cætera autem omnia bona ex ipſo ſunt, quæ ſpecie ipſa poſſunt vitiari, quia per ſe ipſa nihil ſunt; per ipſum autem partim non vitiantur, partim vitiata ſanantur.* Quia ſumma bona non ſunt, & per ſe ipſa nihil ſunt; creata omnia vitiari poſſe, affirmat; quod plane omnibus poſſibilibus commune eſt. Fulgentius de fide ad Petrum cap. 3. ait: *Ideo creaturas à Deo factas deficere poſſe peccando, quia ex nihilo conditæ ſunt.* Damaſcenus libro 2. de fide cap. 3. cum præmiſiſſet, Angelos ex bono in malum eſſe mutabiles, rationem ſubdit. *Quod enim creatum eſt mutationi quoque ſubſit, neceſſe eſt.* Gregor. 25. moral. cap. 5. *ex eo itaque quod creatura eſt, deorſum ire habet*, videlicet per peccatum. Celebris eſt Anſelmi ſententia libro 2. *cur Deus homo* cap. 10. vbi cuidam quærenti, cur Deus Angelos, & homines non condidiſſet impeccabiles? ita reſpondet: *quia non potuit neque debuit fieri, vt vnuſquiſque eorum eſſet idem ipſe, qui Deus.* Quibus conſtare videtur Eccleſiæ Patres comprehendere omnem creaturam poſſibilem, cum peccandi poteſtatem aſſerant creaturis conuenire, eo quod creatuæ ſint, & non idem, quod Deus. Quod etiam docent alij Patres.

(Margin: Auguſtinus. Fulgentius. Damaſcenus. Anſelmus.)

Idem ex Theologis Magiſter.

39. Quibus vnanimi conſenſu videntur acceſſiſſe omnium Theologorum ſuffragia. Magiſter in 2. diſtinct. 7. art. 2. adducens Hieronimum Epiſtola ad Damaſum de filio prodigo ſupra, & ſubdens; *Hic videtur dicere, quod omnis creatura in libero arbitrio conſtituta flecti poteſt ad bonum & malum.* Sanctus Thomas in 3. diſt. 23. quæſt. 1. art. 1. & quæſt. 24. de verit. art. 7. & lib. 3. contra Gent. cap. 109. & 1. p. quæſt. 63. art. 1. Abulenſis 2. p. quæſt. 91. memb. 1. art. 2. §. 3. & alij Scholaſtici in 2. diſt. 23. Præſertim Scotus quæſt. vnica §. *Dico igitur.* his verbis. *Dico igitur ad quæſtionem, quod non poteſt fieri talis natura, ſiue voluntas, quæ ſit impeccabilis per naturam, quia authoritates ſanctorum ſunt expreſſæ de hoc.* Et ſubditis quibuſdam rationibus, quas cenſet ſolum probabiles, concludit. *Teneo igitur propter authoritates magis, quod Deus non poteſt facere voluntatem impeccabilem per naturam, ſed per donum ſupernaturale.* En talem iudicat authoritatem ſententiæ negantis, creaturam ex ſe impeccabilem, vt ei refragari nefas ſit. Bonauentura ibidem art. 1. quæſt. 1. rat. 1. Durandus quæſt. 1. Richardus art. 1. quæſt. 1. Baſſolis quæſt. vnica. AEgidius quæſt. 1. art. 1. Argent. quæſt. 1. art. 8. & diſt. 6. quæſt. 1. art. 4. Carthuſianus quæſt. 1. adducens in eamdem ſententiam Altiſiodorenſem, Albertum, Vbalricum, & alios. Antonius Andreas, & Palatios ibidem, quæſt. 1. Capreolus quæſt. vnica art. 1. con. 2. Heruæus 2. d. 5. & 7. quæſt. 1. Quibus etiam dederunt manus omnes noſtræ ætatis ſcriptores. Pater Molina p. 1. quæſt. 11. art. 5. diſput. 2. vbi licet probabile tueatur, poſſe creari ſubſtantiam, cui ſit connaturalis viſio Dei, ac proinde impeccabilem ex ſuppoſitione, quod talis viſio perſeueret: expreſſe tamen affirmat, talem ſubſtantiam ſecluſa viſione fore peccatricem. Pater Vaſquez 1. p. diſput. 231. cap. 3. Pater Suarez libr. 3. de Angelis c. 7. & lib. 7. c. 3. Pater Valentia 1. p. diſp. 4. quæſt. 14. puncto 1. Pater Arrubal. 1. p. d. 177. c. 1. Pater Salas tom. in 1. 2. quæſt. 3. tr. 2. diſput. 3. Pater Granadus 1. 2. controu. 2. tr. 1. diſputat. 2. ſect. 2. Bannes 1. p. quæſt. 63 art. 1. con. 1. aſſerens, *oppoſitum temerarium, ſi forte non eſt erroneum.* Zumel ibidem quæſt. ſua 1. con. 7. iudicans certiſſimam, & de qua dubitari nefas eſt. Nazarius controuer. vnica, referens Montagnolium, quem non vidi; Ripa dubit. vnica. Puteanus dubit. 1. Pater Torres dub. 2. Pater Iannerus 1. p. d. 5. quæſt. 6. dub. 3. n. 3. Rada 2. p. contr. 11. art. 1. Pater Raynaudus in ſuâ moral. diſcipl. diſtinct. 2. numero 151. Pater Albertinus 1. principio quæſtione tertia, numero primo.

(Margin: S. Thomas. Abulenſis. Scotus. Bonauentura. Durandus. Richardus. Baſſolis. AEgidius. Argentinas. Carthuſianus. Altiſidorēſis. Albertus. Vbalricus. Andreas. Palatios. Capreolus. Heruæus. P. Vaſquez. P. Suarez. P. Valentia. Arrubal. P. Salas. Granadus. Bannes. Nazarius. Ripa. Puteanus. P. Torres. P. Iannerus. Rada. P. Raynaudus. P. Albertinus.)

SECTIO OCTAVA.

Expeditur argumentum præcedens negando ſubſtantiam ſupernaturalem eſſe neceſſario impeccabilem.

Prima ſolutio præteriti argumenti.

39. TAnta eſt in fronte authoritas ſententiæ, quæ negat etiam diuinitus poſſibilem creaturam rationalem impeccabilem, vt ſatius nobis ſit, conceſſo antecedenti negare ſuperiori argumento conſequentiam. Quia nimirum admiſſa poſſibili ſubſtantia ſupernaturali poteſt, & debet negari ſuapte natura impeccabilis; cuius iudicij, videtur Pater Molina, ſupra, planeque ſunt Pater Suarez libro 7. de gratia c. 20. num. 21. Pater Salas tom. 2. in 1. 2. quæſt. 63. tr. 11. diſp. 6. num. 106. ad rationem, Pater Torres, & Pater Albertinus, ſupra; eſſeque proculdubio debent quotquot admittunt, de facto actus intrinſece ſupernaturales deprauari; quos dabimus diſp. 50. ſectione 1. Vnde ergo ſic arguo. Natura rationalis agens viribus ſupernaturalibus poteſt de facto peccare. Ergo quamuis admittatur poſſibilis ſubſtantia ſupernaturalis, poteſt admitti capax peccandi. Antecedens manifeſtum faciemus diſput. 50. Conſequentia bona eſt. Etenim ſubſtantiæ ſupernaturali, æquiualet perfectione virtutis natura rationalis nunc exiſtens, vt eleuata per habitus

(Margin: P. Molina. P. Suarez. P. Salas. P. Torres. P. Albertinus.)

Digitized by Google

ſupernaturales gratiæ. Ergo ſi plurium Theologorum iudicio, actus intrinſece ſupernaturales naturæ rationalis agentis nunc per habitus infuſos poſſunt eſſe peccata, admitti Theologice poteſt, actus etiam ſubſtantiæ ſupernaturalis peccata eſſe poſſe. Deinde à priori. Vt ſubſtantia aliqua ſit intrinſece ſupernaturalis, ſufficit connexio naturalis, & reſpectus intrinſecus ad aliquod donum gratiæ intrinſece ſupernaturale, vt poſuimus diſt. 4. ſect. 3. At hæc connexio naturalis, & reſpectus tranſcendens in donum gratiæ intrinſece ſupernaturale poteſt conuenire naturæ compoti peccandi. Ergo natura compos peccandi poteſt eſſe intrinſece ſupernaturalis. Probatur minor. Plures habitus intrinſece ſupernaturales ſunt compoſſibiles cum peccato, vt habitus fidei, & ſcientiæ infuſæ, habitus ſpei, & charitatis, omneſque virtutes morales ſecluſa gratia habituali. Ergo ſubſtantia eis tantum æquiualens erit ſupernaturalis, & cum peccato compoſſibilis. Addo, eſto ſubſtantia ſupernaturalis contineat neceſſario perfectiones gratiæ iuſtificantis, ſeque ipſa neceſſario ſancta, ac Deo grata ſit, poteſt admittere peccata venialia, quæ gratia iuſtificans admittit. At vt nulla ſubſtantia creata admittatur rationalis, & impeccabilis, ſoliuſque Dei aſſeratur propria ſanctitas omnis expers peccati iuxta Patrum, ac Theologorum mentem; ſufficit aſſerere omnem creaturam rationalem eſſe neceſſario defectibilem ſaltem defectu veniali. Ergo componi poteſt, ſubſtantiam creatam eſſe ſupernaturalem, & iuxta placitum Theologorum, ac Patrum defectibilem. Nam eo ipſo quod creatura delinquat culpis venialibus, occurritur ſatis omnibus argumentis Theologorum, & teſtimoniis Patrum, quæ eo ſolum tendunt, vt non tribuatur creaturæ ea immunitas peccandi, quæ Deo tribuitur. Quare interdum arguunt ex culpis, & defectibus iuſtorum, quæ veniales ſunt. Sufficiet igitur capacitas delinquendi venialiter, quæ iuſtitiæ habituali, & ſubſtantiæ ſupernaturali non repugnat. Plura dabunt ſolutiones ſequentes probationum, quas confecimus nu. 33. ad oſtendendum ſubſtantiam ſupernaturalem eſſe neceſſario impeccabilem.

Ad primam probationē prima reſponſio. 40. Primæ probationi tribus ſolutionibus occurro. Prior eſt. Quamuis ſubſtantia ſupernaturalis ſit eſſentialiter, ac neceſſario ſancta, & grata Deo, poteſt admittere peccata venialia, quæ cum iuſtitia, & ſanctitate non pugnant. Vt autem ſolus Deus, & non creatura aſſeratur abſolute impeccabilis eo genere impeccabilitatis, quæ eſt propria Dei, & à Theologis, & à Patribus Eccleſiæ creaturæ negatur, ſufficit poſſe creaturam venialibus delinquere.

Secunda. Poſterior: Subſtantia ſupernaturalis conceptu ſupernaturalitatis non exigit neceſſario eſſe ſancta, & grata Deo, ac proinde neque peccato repugnans. Etenim vt ſancta, & grata Deo ſit gratitudine amicitiæ, requiritur vt connaturalis illi ſit virtus identificata, aut diſtincta ſufficiens ad actus perfectiſſimos charitatis, & viſionem Dei. Poteſt autem ſubſtantia creata eſſe ſupernaturalis ſola virtute connaturali eliciendi actus fidei, & ſcientiæ infuſæ, virtutumque moralium, quin ſua perfectione exigat connaturalem virtutem eliciendi actus charitatis, & viſionem Dei, ſed ad eos actus eleuatione opus ſit. De quo iterum ſect. 5. Poſtremà: Subſtantiæ ſupernaturali ſufficit eſſe ſanctam, & gratam Deo connaturaliter, non requiritur eſſe eſſentialiter: hoc eſt, ad ſupernaturalitatem ſubſtantiæ ſufficit ſanctitas, & gratia connaturalis, non requiritur eſſentialis, nulli enim ſubſtantiæ naturali poteſt eſſe connaturalis ſanctitas, & gratia iuſtificans, vt conſtat ex diſp. 4. ſect. 3. At ſubſtantia ſolum connaturaliter ſancta, & grata Deo poteſt admittere peccatum, quo iuſtitiam, & ſanctitatem connaturalem deperdat. Nam aqua eſt connaturaliter frigida: nihilominus poteſt eſſe calida, & non frigida, per introductionem caloris ſibi contrarij. Ergo ſimiliter ſubſtantia connaturaliter ſancta, & iuſta poteſt fieri iniqua, & non ſancta per introductionem peccati. Tertia ſolutio.

41. Dices; aqua poteſt eſſe non frigida, quia frigus eſt accidens, diſtinctum ac ſeparabile à ſubſtantia aquæ. At vero gratia, & ſanctitas formalis non eſt diſtincta, ac ſeparabilis à ſubſtantia ſupernaturali. Ergo quamuis aqua ſit frigida ſolum connaturaliter, poſſitque realiter eſſe non frigida per introductionem caloris; ſubſtantia ſupernaturalis erit eſſentialiter ſancta, ac iuſta, omninoque incapax, vt iniuſta ſit per introductionem peccati. Probatur minor. Gratia iuſtificans, per quam obtinemus conſortium Deitatis eſt prima radix omnium accidentium ſupernaturalium, ideoque naturam diuinam in ratione naturæ participat, quia prima origo eſt, quam ſequuntur omnes actus, & habitus ſupernaturales. At ſubſtantia ſupernaturalis ſecundum ſe eſt prima radix, & origo omnium, actuum, & habituum ſupernaturalium. Ergo ipſa ſecundum ſe, vt condiſtincta à quocumque alio, eſt ſanctitas, & gratia iuſtificans. Vrgetur.

Explicatur primo. Hæc difficultas explicatione indiget. Bifariam dilui poteſt. Primo, negando gratiam, & ſanctitatem formalem eſſe identificatam ſubſtantiæ ſupernaturali. Secundo aſſerendo, eſſe ab ipſa indiſtinctam. Poteſt negari iuſtitia identificata ſubſtantiæ ſupernaturali; quia iuſtitia ſimpliciter eſt prima radix accidentium ſupernaturalium, non qualiſcumque, ſed repugnans peccato. Ita communis ſententia aſſerens iuſtitiam ſuapte natura opponi cum peccato. At ſubſtantia ſupernaturalis non eſt ſuapte natura repugnans peccato. Ita ſuadent aduerſarij, & quæ oppoſuimus contra ſubſtantiam rationalem impeccabilem. Ergo præter ſubſtantiam aſſerenda eſt gratia iuſtificans aliqua qualitas diſtincta, cum peccato repugnans; in qua quidem reperiatur ratio primæ, ac proximæ radicis ſupernaturalium repugnantis peccato, itaut ante ipſam nihil exiſtat peccato repugnans, quod ſupernaturalium principium ſit. Si autem neges, qualitatem

Digitized by Google

amiſſibilem per peccatum non poſſe eſſe radicem omnium accidentium ſupernaturalium; quandoquidem amiſſa per peccatum ea qualitate remaneret inſubſtantia virtus agendi actus ſupernaturalis, quæ prius erat. Reſpondeo. Ad rationem gratiæ iuſtificantis ſufficit qualitas repugnans peccato, quæ in aliqua natura rationali accidentium ſupernaturalium origo ſit; nam eo ipſo excellentem perfectionem continet, qua more naturę, totius ordinis ſupernaturalis primus fons, atque origo eſſe poſſit: ſic gratia habitualis ſanctificat, ac iuſtificat humanitatem Chriſti, quamuis in illa peccatum depellere nequeat, neque prima ſit radix omnium accidentium ſupernaturalium, cum ſupponat vnionem hypoſtaticam, cui debetur omnis condonatio peccati, totaque donorum ſupernaturalium ſeries; quia gratia habitualis Chriſti Domini ſecundum ſe eſt indifferens exiſtere in natura puri hominis, in qua & peccata depellere, & dona ſupernaturalia more naturæ principium exigere queat. At non repugnat eamdem qualitatem exiſtere indifferentem ad ſubſtantiam ſupernaturalem, & naturalem, ſicut modo ſunt plura accidentia ſupernaturalia communia homini, & Angelo, puro homini, & Chriſto. Ergo non repugnat qualitatem ineſſe ſubſtantiæ ſupernaturali amiſſibilem per peccatum, quæ tamen rationem gratiæ ſanctificantis contineat. Rurſus; poteſt qualitas diſtincta eſſe radix accidentium ſupernaturalium; habituum ſcilicet, & actuum. Tum quia eſto, ſubſtantia ſupernaturalis ſit ſeipſa immediatè, ac ſimpliciter potens efficere actus ſupernaturales, tamen non eſt ſeipſa facile potens, ac proinde per habitus diſtinctos procedentes ab ea qualitate poteſt exigere facilitatem ad illos. Qui poſſunt eſſe habitus ijdem, quibus modo natura rationalis conſtituitur ſimpliciter potens. Nam ijdem habitus poſſunt conſtituere potentem ſimpliciter naturam rationalem ſecundum ſe impotentem, facilem vero naturam ſecundum ſe potentem, quatenus diminuere, & eleuare poteſt concurſum, quem ſine eo habitu in actus conferret; qua ratione explicuimus facilitatem habitus lib. de anima. Tum quia ſubſtantia ſupernaturalis poteſt compleri ſimpliciter ad agendum per habitus ſupernaturales diſtinctos, vt completur animus per potentias diſtinctas, eiſque abſentibus per peccatum, exigere vt per auxilia extrinſeca, aut per tranſeuntes qualitates compleatur. Niſi meditari velis abſente gratia eos habitus conſeruari poſſe, vt habitus fidei, ac ſpei modo conſeruantur. Si vero obijcias gratiam iuſtificantem connaturalem ſubſtantiæ ſupernaturali fore, veluti proprietatem eiuſdem; proprietatem autem non deperdi per peccatum, quia homo peccans cum proprietatibus naturalibus integer perſeuerat. Reſpondeo; modo proprietates connaturales hominis non ſunt incompoſſibiles peccato, ſicut eſſet proprietas illa gratiæ iuſtificantis in ſubſtantia ſupernaturali. Proprietates autem amiſſibiles ſunt in eo ſubiecto, quod admittit natura ſua qualitates ipſis repugnantes; nam aqua deſtituitur frigiditate, cum admittit calorem, & animus viſu atque auditu, cum eas qualitates colligit, quæ earum potentiarum conſeruationi nociuæ ſunt.

42. Etiam poteſt aſſeri gratia iuſtificans indiſtincta à ſubſtantia peccatrice ſupernaturali. Quoniam ex natura rei poteſt eſſe gratia ſecundum entitatem, abſque effectu formali iuſtificandi, qui eſſentialiter præter entitatem gratiæ defectum peccati deſiderat. Gratia autem ex natura rei non deturbat peccatum; ſed nouo fauore Dei, diuinaque lege opus eſt, vt de facto introductione gratiæ depellatur peccatum. Quod cum Scotiſtis ac nominalibus P. Salas, P. Egidio, Conninch, P. Leſſio, Ioanne Puteano, Ioanne Medina, Victoria, & Cano, & grauiſſimis Salmanticenſibus Magiſtris oſtendi fuſe tr. de iuſtificatione. Ad hæc: quamuis gratia iuſtificans nunc exiſtens depellat natura ſua peccatum, quia teſtimonia Conciliorum, ac Patrum iudicant naturalem repugnātiam qualitatis ſanctificantis cum peccato: tamen non repugnat gratia iuſtificans alterius conditionis, quæ ſuapte natura permittat in anima peccatum. Etenim eo ipſo, quod exiſtat qualitas ſupernaturalis, quæ ſit prima radix habituum ſupernaturalium, terminetque abſente peccato complacentiam amicabilem Dei, & fundet dignitatem ad gloriam, re quidem vera erit gratia iuſtificans, quamuis natura ſua componatur cum peccato: quia erit donum ſupernaturale, gerens munus naturæ, omninoque diſtinctum à reliquis habitibus, qui iuſtificantes non ſunt. At in qualitate eius conditionis, atque naturæ nulla apparet repugnantia. Ergo non repugnat gratia iuſtificans natura ſua compoſſibilis cum peccato. Ergo ſubſtantia ſupernaturalis ſecundum ſe, ſecluſa qualitate diſtincta poteſt eſſe gratia iuſtificans per æquiualentiam talis qualitatis, quamuis ſecum peccatum ferat. Explicatur per gratiam, & amicitiam naturalem. Natura rationalis bonitate naturali conſtituitur gratus, & amicus Deo habituali amicitiâ naturali, quamuis talis bonitas habitualis admittat conſortium peccati: identidem humanæ dotes ferunt, ac fouent amicitiam humanam, quæ compoſſibiles ſunt cum graui iniuria amici. Ergo ſimiliter ſubſtantia ſupernaturalis abſente peccato poteſt ferre, ac terminare amicitiam, & gratiam diuinam ratione bonitatis ſubſtantialis, quæ cum peccato compoſſibilis ſit, cum eoque incapax eoſdem amicabiles affectus terminare. Vnde gratia iuſtificans nunc exiſtens non eſt aſſerenda naturaliter peccato repugnans ex conceptu communi, & eſſentiali gratię iuſtificantis, ſed ex ſpeciali differentia, quam indicant teſtimonia, & argumenta quę naturalem eius oppoſitionem cum peccato confirmant. Eſſet itaque ſanctitas habitualis ſubſtantiæ ſupernaturalis quoad perfectionem excludendi peccatum inferior, quam ſanctitas nunc exiſtens: quamuis abſolute, ac ſimpliciter eſſet ſubſtantialis ſuperior propter alias innumeras perfectiones, quæ ſubſtantiam illam præ iſta qualitate gratiæ nobilitarent. Quemadmodum natura rationalis ſecundum ſe præſtantior eſt, quam dilectio efficax naturalis Dei, quam-

Explicatur ſecundo.

P. Salas. P. Egidius. P. Leſſius. Medina. Victoria. Cano.

Digitized by Google

uis dilectio naturalis peccatorum, actuali aduerſetur, quod natura interdum amore complectitur. Maneat igitur ſubſtantię ſupernaturali non repugnare peccatum ratione ſanctitatis, quæ neceſſario illi debet adſcribi.

Ad ſecundam probationem prima ſolutio.

43. Ad ſecundam probationem reſpondeo. Primo; poteſt ſubſtantia ſupernaturalis peccare, quin detur peccatum intrinſecè ſupernaturale. Nempe ſi peccet peccato puræ omiſſionis, quam arbitramur poſſibilem. Nam omiſſio, & carentia actus ſupernaturalis non eſt intrinſecè ſupernaturalis; tum quia reipſa nihil eſt, tum quia continetur intra affectum, & virtutem naturæ, quæ poteſt ſuis viribus, & affectibus naturalibus prohibere, ne exiſtat actus liber ſupernaturalis qui à Deo præceptus eſt. Secundo reſpondeo. Poteſt peccare peccato commiſſionis, quia actus intrinſecè ſupernaturalis poteſt eſſe vitioſus, & malus. Nam etiam de facto fieri prauos actus virtutum infuſarum contra prohibitionem diuinam, tuebimur cum pluribus, ac illuſtribus Theologis diſput. 50. ſect. 1. Quid igitur obeſt prauos edi actus intrinſecè ſupernaturales à ſubſtantia ſupernaturali? Neque enim propterea Deus eſſet autor peccati, ſicut modo autor non eſt, quando actus ſupernaturales fiunt contra præceptum Dei. Quia Deus ſuum exhiberet concurſum omnino indifferentem, eoque animo, vt creatura ſuis libere obediret pręceptis, abuſuque talis concurſus diuini actus fierent à creatura repugnantes diuinæ legi. Quod diſputatione 50. explicandum eſt; vbi etiam videndum, an donis gratiæ repugnet concurſum conferre in actum à Deo prohibitum? ſtatuendumque poſſe abuſu voluntatis creatæ, in cuius poteſtate concurſus donorum gratiæ ipſi inhęrentium conſtitutus eſt. Nunc addo; licet donis gratiæ, quæ præſenti prouidentia nobis largitur Deus, impoſſibilis ſit concurſus in peccatum, ſpeciali ratione poſſet ſubſtantię ſupernaturali vis, & concurſus in peccatum conuenire. Quippe ſubſtantia rationalis capax eſt libertatis, cuius incapax eſt gratia nunc ad agẽdum prouiſa. Subſtantia rationalis eſt principium generale, & indifferens; auxilia gratiæ ſunt principia particularia ac determinata ad rectè agendum dumtaxat, eoque à Deo directa, vt voluntatem natura pronam in peccatum à crimine arceant, & in officia virtutum, vel inuitam perducant. Igitur natura ſubſtantiæ ſupernaturalis ferre poteſt concurſum Dei indifferentem ad peccatum, quamquam auxiliorum gratiæ conditio eum concurſum non ferat. Prætermitto quod iamdiu dicebam, poſſe affectus peccandi ſubſtantiæ ſupernaturalis eſſe intrinſecè naturales; ſcilicet quia ſunt qualitates ſecundum ſe indifferentes, vt à ſubſtantia mere naturali, & intrinſecè ſupernaturali efficiantur; ſicut viſiones beatę Angelicæ, & humanæ à pluribus cenſentur indifferentes, vt ab intellectu Angelico, & humano procedant; atque adeo affectus illi peccandi abſolutè continentur intra vires naturæ & naturales ſunt. Prætermitto tamen, tum quia mihi probabilior ſententia eſt, quæ affectum & cogitationem conſtituit qualitates ſeipſis pendentes, & affixas potentijs, à quibus fiunt, vt docuimus lib. de anima. Tum quia eſto qualitates ſint indifferentes pluribus potentijs, actio tamen, qua affectus manat à ſubſtantia ſupernaturali, indifferens non eſt, ſed ſubſtantię ſupernaturali ligata: formalis autẽ nequitia ineſt tali actioni, quippe qua ſola immediatè exercet totam libertatem voluntas. Ergo ea, philoſophia recuſare non poteſt actiones iniquas intrinſecè ſupernaturales, vtpote in ſola virtute principij ſupernaturalis contentas.

Secunda.

Ad tertiam probationem.

44. Demum tertia probatio ex præcedentibus eleuatur. Primo, quia poteſt eſſe ſubſtantia ſupernaturalis, quin ſit propria facultate beata; vt vidimus ſect. 5. Secundo, quia licet propria facultate eſſe poſſet beata: tamen poſſet beatitudo abſque vlla vi differri, donec illã meritis conſequeretur. Sicut in pura natura differretur beatitudo naturalis, quæ contineretur in virtute ſufficienti naturæ rationalis, vt dicebamus ſect. 6. num. 29. At dum beatitudo in mora eſſet, poſſet illa ſubſtantia deficere, quin à deficiendo beatitudo cohiberet.

SECTIO NONA.

Idem argumentum expeditur diſſolutis rationibus, quæ fiunt contra ſubſtantiam rationalem natura impeccabilem.

Secunda explicatio præcedẽtis repugnãtię.

45. Alia ſolutione idem argumentum eneruo negãdo antecedens & ſtãdo rationi, videlicet impoſſibilem eſſe ſubſtantiam rationalem omnis peccati expertem. Nam in ordine ſentientium exiſtit potentia determinata ad ſonum, alia ad ſolum calorem, alia ad ſaporem ſolum, quamuis detur ſenſus communis ad omnia obiecta reliquarum potentiarum indifferens. Non inuenio, quare repugnet in ordine intelligentium potentia apprehenſiua honeſti, & turpis, & appetitiua determinata ad amandum honeſtum, & odio proſequendum turpe: ita vt obiectum formale amoris ſit ſola honeſtas, odij vero ſola turpitudo. Nihilominus tamen libera ſit libertate contradictionis, qua Chriſtus & beatus liber eſt: vel quia poteſt cohibere omnem actum honeſtum, quem elicit, dum ſuſpenſio non proponitur turpis: vel quia inter plura obiecta amare poteſt vnum honeſtum præ alio, aliudque turpe præ alio odio habere. Hæc enim perfectio adeo ſuprema non eſt, vt non poſſit componi, cum dependentia talis ſubſtantiæ à Deo, finita perfectione ſuorum actuum, mutatione phyſica voluntatis, alijſque innumeris imperfectionibus, quæ creaturę ſunt propriæ. Quin eam perfectionem modo continet communi Theologorum iudicio complexum conſtitutum ex voluntate rationali, & habitibus infuſis. Quippe quod ſola honeſta amare, ſolaque turpia odiſſe poteſt, cũ nullũ aliud ſit virtutum infuſarũ motiuum, cõmunique ſententia actũ turpẽ elicere nequeat. Videamus nunc momenta ſententiæ negantis.

Digitized by Google

Ad Thomiſtas.

46. Thomiſtarum ratio non conuincit. Nego voluntatem creatam impeccabilem fore primam regulam honeſtarum actionum; quia reuera eſſet pendens, & participans à diuina, non ſolum in eſſendo, ſed etiam in regulando, quoniam ipſa non eſſet neceſſario honeſta, & indefectibilis, quia ſibi conformis, ſed quia eſſet neceſſario conformis voluntati diuinæ. Itaque à neceſſitate edendi ſuas actiones conformes diuinæ regulę eſſet talis ſubſtantia impeccabilis, atque adeo ſuæ honeſtatis exemplar ſemper diuinam reſpiciens. Quod alienum eſt à prima regula, quæ neque in eſſe ab alia cauſa efficienti, neque in regulari ab alia exemplari dependet. Vnde licet voluntas talis ſubſtantiæ eſſet indefectibilis, omneſque actiones ſibi conformes honeſtas redderet, eaque propter aliquam regulæ rationem obtineret; tamen perfectio primæ regulæ minime conueniret, cum in aliam regulam priorem ipſa ſemper, ac neceſſario intenderet. Neque verum eſt, voluntatem, quæ non eſt prima regula ſuorum affectuum neceſſario eſſe defectibilem, quādoquidem vt indefectibilis ſit, ſufficit, eſſe natura ſua intentam in primam regulam diuinām, per quam neceſſario ſuas actiones regulet. Hac ratione voluntas humana Chriſti Domini, voluntas etiam Beati, rationis naturalis dictamen, non ſunt prima regula bonitatis moralis, quamquam à vero, & honeſto nunquam deflectere queant, quoniam ſuæ honeſtatis exemplar ſemper diuinam reſpiciunt, & neceſſitate conformandi ſe diuinæ voluntati. Namque cuiuis alteri pręferendi, ſunt neceſſario impeccabiles, & honeſtæ.

P. Vaſquez. & Pater Arrubal.

Secunda ratio P. Vaſquez, & P. Arrubal maioris roboris non eſt. Nam vt lib. de anima probatum reliquimus, poteſt voluntas creata amare obiectum honeſtum præ turpi, etiamſi leuius, & remiſſius propoſitum. Deinde dato quod non poſſet, caſuſque eueniret, in quo honeſtum proponeretur remiſſius, poſſet voluntas non peccare, cohibendo amorem neceſſario tam circa honeſtum, quam circa turpe. Circa honeſtum quidem, quia non eſſet ſufficienter propoſitum, quandoquidem ex doctrina horū Theologorum ponitur neceſſaria intenſior, & inuidior cognitio. Circa turpe vero, quia non proponeretur bonitas neceſſaria formaliter mouens amorem talis voluntatis, quę ſola eſt honeſtas, & non alia. Id quod ipſis dicendum eſſet caſu quo aut Chriſto, aut Beato obiectum turpe efficacius, ac diſtinctius proponeretur, quam honeſtum, quod non repugnat. Demum quare non poteſt ea cogitari natura talis ſubſtantiæ, vt ſemper attenta ſit ad præferendum honeſtatem turpitudini, proponendumque obiecta modo ſufficienti ad amorem, & odium honeſtum, qualis modo cogitatur voluntas Beati, & eorum, qui beneficio Dei confirmantur in gratia.

Vrgetur.

48. Vrgeri poteſt hæc ratio. Nulla eſt voluntas rationalis, quam Deus non poſſit præuenire vocatione, tum ſufficienti, tum congrua, & retinendo congruam præſtare ſolum ſufficientem. At voluntas rationalis, cui ad actum præceptum præberi poteſt vocatio pure ſufficiens, & non congrua, poteſt peccare. Ergo nulla eſt voluntas rationalis creata, quæ non poſſit peccare. Conſequentia optima eſt. Minor eſt aperta; nam voluntas, quæ inſtructa eſt auxilio ſufficienti, & non efficaci ad actum pręceptum, potens implere præceptum, non implet; nam poteſt ratione auxilij ſufficientis; non implet ex defectu efficacis. Voluntas autem, quæ potens implere præceptum non implet; peccati rea eſt. Maior probationem deſiderat. Probatur primo; nulla eſt voluntas rationalis, quam Deus non poſſit præuenire auxilio gratiæ. Nullum autem eſſet poſſibile auxilium gratiæ voluntati, cui debita eſſet ſemper vocatio efficax; nam gratia auxilij conſiſtit in eo, quod Deus potens ſatisfacere voluntati auxilio mere ſufficienti, tribuit congruum, & efficax. Probatur ſecundo; vocatio congrua eſt cogitatio intellectus, & affectio ſimplex voluntatis nobis, ſine nobis infuſa à Deo, ſecundum ſe indifferens ad conſenſum, & defectum conſenſus. At nulla eſt voluntas rationalis creata, cui Deus non poſſit præbere adeo remiſſam cogitationem honeſtatis, adeoque debilem affectionem, vt in aliquo euentu poſſibili non præuideatur illi diſſentire; præſertim, quod poſſet adeo difficilis conſenſus reddi, vt fiat moraliter impoſſibilis, ac proinde auxilijs ipſi debitis aliquando defectibilis. Poteſt enim vel intenſio operationis, vel multitudo actuum tanta pręcipi, vt viribus debitis voluntatis difficillima ſit. Ergo nulla eſt voluntas rationalis, quæ ex defectu cogitationis, & affectionis congruę non poſſit peccare.

49. Hęc difficultas male torqueret, niſi eādem vi vrgeret impeccabilitatem beati, & Chriſti; Quibus Deus poteſt diſpenſare pro libito auxilia gratię & opera præcepta difficillima relinquere. Admitto equidem poſſe Deum prouidere ſubſtantiæ ſupernaturali auxilia ſufficientia relictis efficacibus ad actus honeſtos non præceptos; nego tamen, id poſſe ad actus eoſdem præceptos. Quinimo eędem cogitationes, & affectiones, quæ eſſent inefficaces, cum actus non eſſent præcepti, efficaces eſſent, cum præciperentur. Sicut Beati, & Chriſtus plures omittunt virtutum actus, quos poſſent, ſi vellent, elicere, v. g. poſſent orare pro plurimis hominibus, pro quibus non orant, ac proinde cogitationes ad eos actus conferentes relinquunt inefficaces: quos tamen, ſi iuberentur à Deo, cohibere omnino non poſſent, cogitationeſque nunc inefficaces redderent efficaces. Ratio eſt, quia ideo nunc relinquuntur cogitationes inefficaces, cum non præcipiuntur actus, quia in omiſſione eorum, quá formaliter conſtituuntur inefficaces, non proponitur turpitudo, ac violatio præcepti, cum nulla bonitate moueri poſſit neque ad conſenſum, neque ad diſſenſum, quæ aliqua turpitudine infecta eſt. Cum pręciperentur autem, proponeretur omiſſio actuum præceptorum turpis, ac repugnans præcepto diuino. Ergo eædem cogitationes, quæ nunc omiſſione actuum permiſſorum fiunt inefficaces, efficaces fierent exequutione,

Diluitur.

Digitized by Google

ſi præciperentur. Quod non ſolum eſt verum, cum diſſenſus auxiliorum contingit per actum poſitiuum, ad quem indubitatum eſt, requiri motiuum intrinſecum ipſum alliciens; verum etiam cum diſſenſus contingeret per puram omiſſionem, ad quam etiam libere exercendam opus eſſe cogitatione, & affectione neceſſaria, ac ſimplici alicuius boni retardãtis conſenſum, mouentiſque diſſenſum, ſtatuimus tractatu de merito, docentes idcirco poſſe puræ omiſſioni bonitatem moralem conuenire. Ergo ſi bonitas vnicè mouens voluntatem eſt honeſtas, & hæc nunc adeſt, nunc non adeſt diſſenſui, mirum non erit, ſi voluntas nunc conſentiat, nunc diſſentiat cogitationibus, quæ illam adeſſe, aut abeſſe proponunt Itaque poſſet Deus voluntatem ſubſtantiæ ſupernaturalis præuenire auxilijs inefficacibus, ad actus non præceptos; ſecus vero ad eos, qui præciperentur.

Ad primam probationē obiectionis

50. Ad primam probationem reſpondeo. Poſſibilia eſſent auxilia gratiæ ad actus ſubſtantiæ ſupernaturalis; tum quia ad actus non præceptos poſſet negare ſæpe efficacia, quæ gratis largiretur: tum quia ad actus præceptos præbere poſſet auxilia, quæ intenſionem actuum, aut durationem, aut ſpeciem, aut omnes ſimul perfectiones educerent ſuperiores obligatione præcepti, debitoque naturæ.

Ad ſecundam.

Ad ſecundam probationem. Ad actus præceptos nulla prouideri poſſet adeo debilis cogitatio, quę in omni euentu poſſibili cum propoſitione præcepti non ſortiretur effectum, quandoquidem in partem oppoſitam diſſenſus adeſſe non poſſet cogitatio alicuius boni morantis, aut retardantis conſenſum, cum nullum bonum poſſit eam voluntatem mouere, quod turpitudine vacuum ſit. Atque adeo nullum opus poteſt præcipi quod moraliter impoſſibile ſit; nam illud opus cenſetur moraliter impoſſibile, quod potens facile præteriri, difficillimæ exequutionis eſt; nam ſi nulla poteſtate, aut maxima difficultate præteriri poteſt, quomodo exequutio eſt moraliter impoſſibilis? quantalibet autem intenſione, ac multitudine actuum opus præcipiatur, ab ea voluntate, quæ ſola honeſtate mouetur, præteriri non poteſt. Ergo moraliter impoſſibile non eſt. Poteſt nihilominus eſſe difficile; non difficultate retardante voluntatem ab effectu: ſed difficultate exhauriente conatum, & impetum potentiæ, aut ſaltem remittente concurſum ad efficiendos alios actus, qui ſimul ea intenſione, & multitudine actuum præceptorum, remiſſe ſolum auxilijs ordinarijs fieri poſſunt. Quod genus difficultatis expoſuimus lib. de anima, eleuarique, per concurſum habituum acquiſitorum docuimus.

Ad Patrem Suarez.

51. Iam tertiam rationem obiectam à P. Suarez contra ſubſtantiam rationalem impeccabilem expendamus. In primis falſum eſt in ſententia eorum, qui gratiam iuſtificantem adſtruunt repugnantem ex natura rei peccato, non poſſe impeccabilitatem prouenire aliunde, quam ex viſione, aut amore efficaci Dei, aut determinatione naturali ſequendi honeſtũ. Poteſt enim etiam contingere ex gratia iuſtificanti inamiſſibili, hoc eſt, poſſeſſa veluti proprietate connaturali, aut decreta à Deo independenter ab omni libertate creata conſeruari. Nam vbi eſt neceſſitas naturalis conſeruandi aliquod repugnans peccato, neceſſitas naturalis eſt exiſtendi ſine peccato. Ergo ſi gratia eſt repugnans peccato, & neceſſitas naturalis datur conſeruandi gratiam, neceſſitas naturalis erit exiſtendi ſine peccato. Deinde ſubſtantiæ ſupernaturali competere poteſt, impotentia peccandi extrinſeca conſtitutione ipſius ſubſtantię determinatæ ad amandum ſolum honeſtum, & non aliud, & odio habendum ſolum turpe, vt ſentiunt nominales referendi ſec. ventura. Quo etiam poteſt voluntas ſphæram æquè vniuerſalem cum intellectu complecti. Cum nihil ab intellectu proponi poſſit, in quod voluntas, aut amore, aut odio ferri nequeat: quia aut honeſtum eſt, aut turpe, aut in quidpiam honeſtum, aut turpe conducens, quandoquidem ſaltem in diuinam gloriam referibile, aut deteſtabile ſit. Neque enim opus eſt, vt in omnia, quę ab intellectu proponuntur, omnes voluntatis affectus ferri queant: nam circa bonum in communi nō poteſt voluntas exercere odium, nec circa malum in communi amorem. Item voluntas Dei & Chriſti diriguntur cognitione intellectus, ſicut quæuis alia voluntas. Tamen ſola honeſtate ad amorem, & ſola turpitudine ad odium moueri poſſunt. Ergo ſphæra voluntatis reſpōdens intellectui non exigit, vt in omnia obiecta ab intellectu propoſita omnes voluntatis affectus exerceantur. Vnde ſubſtantiæ ſupernaturali non poſſet proponi obiectum delectabile, quin honeſtum. Nam obiectum delectabile eſt, quod ferre poteſt delectationem, ac gaudium voluntatis. Voluntas autem, quæ ſolum honeſtum poteſt, non poteſt delectari, ac gaudere de alio bono, quam honeſto. Ergo nullũ obiectũ, niſi honeſtum poteſt proponi delectabile ſubſtantię ſupernaturali, quam ſupponimus natura determinatam ad amandum ſolum honeſtum. Quo præoccupantur nonnulla, quæ obijci poſſent. Ad confirmationem Patris Suarez reſpondeo. Etiam de facto productus eſt gradus entis ſupernaturalis, ſub quo continetur ſubſtantia ſupernaturalis, cum producta ſint accidentia ſupernaturalia, & vnio hypoſtatica ſupernaturalis pertinẽtia ad eum gradum. Rurſus: quamquam ſubſtantia ſupernaturalis gradum conſtitueret diuerſum à reliquis; cæterum non adæquatè, ſed inadæquatè ſolum, cum neceſſario contineatur ſub aliquo eorũ, qui nunc exiſtunt; ſiquidem talis ſubſtantia non poteſt non eſſe viuens, intellectualis, ſpiritualis, aut corporea, compoſita, aut ſimplex. Quod ſolum voluiſſe videntur Theologi aſſerentes, productos iam eſſe omnes gradus poſſibiles entis. Cum quo tamen ſtat, eos gradus iam productos contra hi poſſe per varias differentias inferiores, quę non ſunt productæ, ſufficientes conſtituere alios inferiores gradus; etenim gradus entis conſtituuntur per genera complectentia ſub ſe differentias entis valde diſſimiles. Poſſibiles autem ſunt ſub generibus iam productis aliæ differentiæ valde diſſimiles. Ergo poſſibilis ſunt alij gradus pro-

Ad confirmationem.

Digitized by Google

ductis diſſimiles. Quare crediderim,non fuiſſe conuictum D.Thomam ad aſſerendum exiſtentiam Angelorum ex poſſibilitate ſpiritus completi, ſed ſuppoſita ex ſacris litteris, & teſtimonio Patrum exiſtentiâ eorum, expoſuiſſe eâ ratione congruentiam exiſtentiæ; vt volunt, P. Valent.1.p.d.4.q.1.pu.1.&P.Vaſq.d.168.n.10.

Ad P. Granados.

52. Quarta ratio P. Granados ſic inſtatur. Creatura rationalis, quâ creatura eſt, ſubiacet pluribus mutationibus phyſicis, vt mutationi ſecundum locum,& alijs,quibus accidentia variare poteſt. Ergo creatura rationalis nequit eſſe affixa eidem ſubſiſtentiæ,neque naturaliter vero;quod excellentius eſt.At hęc conſequutio eſt neganda; poteſt enim eſſe ſubſtantia rationalis tum inuariabilis ſubſiſtentiæ, tum cognitionis naturalis ſemper veræ: imo eius naturæ eſſe Angelos verius eſt.Ergo reſpuēda etiam eſt cōſequutio quarti argumēti, quæ eſt eiuſmodi. Deinde ſic explicatur.Creatura rationalis,quia rationalis eſt,vnicæ tantum ſubiacet mutationi, videlicet ei,quâ de nō eſſe poteſt trāſire ad eſſe, & ſimul de eſſe ad nō eſſe pro beneplacito Dei. Quia enim creatura eſt,contingenter exiſtit dependenter à dominio Dei, ac proinde ſubiecta mutationi eſſendi. Quam mutationem credo comprehendiſſe ſacros ſcriptores, & Eccleſiæ Patres,cum Deum immutabilem,creaturas vero mutabiles prædicarunt.Reliquæ mutationes ex ſpecialibus creaturarum differentijs deprehenduntur. Neque omnes ex imperfectione, ſed plures ex perfectione proueniunt. Etenim perfectius eſt homini poſſe variare loca,ac tempora; quam ſemper eidem durationi, ac loco pręſentem adeſſe, & non alijs; item excellentius eſt, nunc hoc, nunc illud obiectum, nunc hominem,nunc Angelum,nunc Deum cognoſcere poſſe, quam in vnius tantum obiecti cognitione ſemper,ac neceſſario hærere. Plures igitur mutationes non ſolam imperfectionem, ſed etiam perfectionem arguunt ſuperiorem immutatione contraria. Ergo quia mutationes creaturæ conueniunt ratione imperfectionis, non bene colligitur etiam ratione imperfectionis neceſſario conuenire mutationem moralem peccati, cum hæc non poſſit in perfectionem ſicut phyſicè mutationes reuocari. Ad quintam Zumelis, & Durandi probationem reſpondeo.

Ad Zumel & Durandum.

Sicut poteſt eſſe intellectus qui non erret circa obiecta naturalia, vt intellectus Angelicus; ita poteſt eſſe qui non erret circa ſupernaturalia, vt intellectus inſtructus ſcientia infuſâ, cui æquiualeret intellectus ſubſtātiæ ſupernaturalis. Deinde eſto erraret errore inculpabili, poſſet non peccare,vt plures iuſti errantes cognitione rerum,non peccant,quia ducuntur notione eorum, quæ ſuis viribus aſſequuntur meliora; quod ſufficit ad non peccandum.Vnde reſpondeo ad ſextam probationem. Peccatum non eſt in eo,quod voluntas præferat bonum apparens bono vero,quando bonum apparens proponitur verum, quia non delinquit voluntas, quæ appetit id, quod ſibi honeſtum proponitur, licet reuera honeſtum non ſit. Igitur voluntas ſubſtantiæ ſupernaturalis non delinqueret; quia ſemper præferret electione id, quod ſibi verum bonū, & honeſtū proponitur; eſto in ea propoſitione deuiaret à vero. Ad poſtremam: Nullum creatum bonum, cū finitum ſit, poteſt neceſſitare amorem voluntatis, ideoque à voluntate quodcumque illud ſit, deſeri poteſt,vel cohibendo amorem, vel aliud bonum amplectendo, quod honeſtum ſit, & non turpe. Si vero tale honeſtum determinate præcipiatur, adhuc poterit voluntas libero amore proſequi; modo quo voluntas Chriſti Domini, & beatorum poteſt libero amore proſequi creata bona, quæ appetitum non ſatiant,& finita ſunt.In qua voluntate patitur inſtantiam Scotiſtarum argumentum.

Ad ſextam probationē

Ad poſtremam Scotiſtarum.

SECTIO DECIMA.

Vrgetur ſubſtantia impeccabilis ex repugnantia ſubſtantiæ determinatæ ad amandum turpe.

53. SEd objiciet quiſpiam in hunc modum. Repugnat ſubſtantia rationalis, adeo imperfecta, vt determinata ſit ad ſolum amandum turpe. Ergo etiam adeo perfecta,vt determinata ſit ad ſolum amandum honeſtum,ac inde impeccabilis.Hoc argumētum ſingulare depoſcit examen; ſed non huius loci.Nunc tranſeat antecedens, quod repugnet, ſubſtantia rationalis incapax amare honeſtum, & determinata ad ſolum turpe.Sed nego conſequentiam; quia determinatio naturæ ad ſolum honeſtum poteſt prouenire ex perfectione naturæ,quæ in bonum honeſtum, quâ honeſtum tum inclinatione innata,tum elicita moueri poteſt.At vero determinatio in turpe nō eſt vnde naturæ poſſit contingere: quandoquidem turpitudo, qua turpitudo eſt,non poteſt mouere inclinationē, ſiue elicitam, ſiue innatam naturæ. Ergo à natura determinatè amante honeſtum non eſt conſequentia ad naturam determinatè amantem turpe. Explicatur; demus, illi ſubſtantiæ præcipi moueri ſecundum locum: non poterit, quia honeſtum eſt. Demus prohiberi motum: poterit moueri: quia turpe eſt. Tunc quis neget, turpitudinem honeſtati contrariam fuiſſe rationem amandi eum motum? At repugnat naturæ ex malo, ac turpi, quia turpe, ac malum eſt, moueri formaliter. Ergo eidem repugnat, determinatam eſſe ad amandum turpe.

Obijcitur argumentum.

Soluitur.

54. Forſan addes à poſteriori rationem: quia ſi eſſet natura determinata ad amandum turpe, Deus creans naturam eſſet cauſa peccati, quia eſſet cauſa determinationis ad amorem obiecti turpis. Quod vero eſt cauſa cauſæ determinatæ ad producendum aliquem effectum, eſt cauſa talis effectus. Qua ratione vtitur P. Granados ſupra ad negandum poſſibilem talem ſubſtantiam expertem operationis moraliter bonæ. Adiungitque aliam: Quia illa voluntas libere ferretur in amorem ſui obiecti, ac proinde poſſet omittere illum. At omiſſio obiecti turpis bona, & honeſta eſt. Ergo eſſet indifferens ad exercitium libertatis honeſtum, ac bonum:atque adeo non eſſet determinata ad inhoneſtum, ac turpe. Verum ego inefficacem

Aliæ rationes P.Granados.

Inefficaces ſunt.

Digitized by Google

puto. Quia non eſt peccatū qualiſcunque amor obiecti turpis, ſed qui elicitur cum indifferentia ad extrema inæqualia, vt vberi, ac plena diſputatione expediui tract. de merito. Aut igitur ſubſtantia amans obiectum turpe eſt indifferens ad amorem alterius obiecti turpioris, aut ad amorem obiecti æqualis. Si ſolum eſt indifferens ad amorem æqualem, non erit libertas neceſſaria ad peccandum. Si fuerit indifferens ad amandum obiecta turpitudine inæqualia, peccabit amans magis turpe, non vero amans minus turpe. v. g. Peccauit, ſi ex furto, & intemperantia eligat furtum, non vero ſi eligat intemperantiam relicto furto. Ergo natura determinata ad amandum obiectum turpe non erit determinata ad peccandum, atque adeo Deus condens talem naturam non erit autor peccati. Quandoquidem poſt naturam conditam in libera electione voluntatis, eſt præferre minus turpe obiecto turpiori, in quo ſolum erit peccatum ſubſtantiæ ſic determinatę ad amorem obiecti turpis. Similiter ſecunda ratio parum vrget. Tum quia licet modo ſit poſſibilis pura omiſſio, poſſibilis eſt etiam ſubſtantia, quæ abſque actu poſitiuo nequeat libertatem exercere; cuius conditionis aſſeri poteſt ſubſtantia determinata ad turpe. Talis igitur ſubſtantia omittens actum turpem omitteret ex amore poſitiuo obiecti turpis; ac proinde non poſſet libertatem exercere, niſi turpem. Tum quia licet illi ſubſtantię liceret pura omiſſio actus turpis, poſſet omiſſio illa eſſe turpis; nam vt fusè expoſuimus. tr. de merito, pura omiſſio poteſt eſſe honeſta, & turpis ex obiecto, quod mouet voluntatem ad illam; moueri enim voluntatem ex obiecto ad puram omiſſionem, explicuimus, & probauimus manifeſtè ibidem. Obiectum autem, quod eam voluntatem alliceret ad cohibendum amorem turpem, non eſſet honeſtas purgandi animam à peccato, ſed alius finis inhoneſtus, quem poſſet, ſi vellet, affectu poſitiuo proſequi. Igitur poſſet omiſſio actus turpis eſſe inhoneſta, ac turpis. Tum quia dici poſſet omiſſionem actus turpis fore quidem bonam materialiter, non formaliter, quia ex obiecto formali bona non eſt, quamuis materia ſit, in qua actus bonus exerceri poteſt, niſi deturpetur ex fine extrinſece turpi. Cum autem dicitur, illam ſubſtantiam fore determinatam ad inhoneſtum ac turpe, intelligendum eſſe de ipſa quidquam verè, ac realiter amante. Nec obeſt, quod P. Granadus redarguit; nimirum quod poteſt ſubſtantia rationalis libere omittere, ac interpretatiue velle, poſſe quoque actu poſitiuo eligere; ac proinde ſi poteſt ea ſubſtantia velle interpretatiue omiſſionem bonam, poſſe quoque eamdem per actum poſitiuum bonum. Quoniam aliud eſt velle omiſſionem bonam, aliud quia bona eſt. Prius poſſet illa ſubſtantia, non poſterius; ſed neceſſario vellet illam, quia conferret in opus non bonum. Igitur ægre colligitur, talem ſubſtantiam omittentem libere amorem inhoneſtum fore indifferentem ad amorem & obiectum formale honeſtum. Relinquitur ergo, eam ſubſtantiam reſpuendam eſſe ſolum, quia obiectum, quâ turpe, nequit ferre inclinationem ſubſtantiæ rationalis.

P. Granadus.

55. Sed huic rationi dices, poſſe ſubſtantiam rationalem eſſe determinatam ad amandum turpia, quin turpitudo ſit ratio motiua amoris; quoniam ex limitatione ſuæ perfectionis oriri poteſt non moueri honeſtate obiectorum, ſed ſolum bonitate ſibi delectabili, ac conuenienti. Secluſa autem honeſtate, obiecta delectabilia manent inhoneſta, ac turpia. Itaque talis ſubſtantia moueri debet ex bono delectabili turpi, non quia turpitudo ſit motiua, ſed quia motiua eſt delectatio ita adæquate, vt honeſtate moueri repugnet. Sed contra; ſi turpitudo motiua non eſt, poterit voluntas affici circa obiectum delectabile non turpe, ac proinde non erit ea voluntas determinata ad amandum turpe. Nam plura obiecta ſunt delectabilia, ac conuenientia naturæ, quæ honeſta ſunt, vt ea quę in ipſius naturæ conſeruationem, ac moderatam delectationem faciunt. Aut ſaltem ab honeſtate, & turpitudine pręſcindunt; nam ſicut bonum non eo eſt honeſtum, quò naturæ delectabile, ita nec turpe, quia delectabile eſt; plura enim ſunt delectabilia honeſta; neque enim delectatio, quia delectatio, eſt intrinſecè mala. Ergo in plura delectabilia afficietur ea voluntas, quæ turpia, & inhoneſta non ſunt; atque adeo determinata non erit ad ſola turpia. Dices, nullum affectum liberum voluntatis eſſe poſſe indifferentem in indiuiduo, ideoque omnem affectum, & obiectum non honeſtum eſſe in indiuiduo inhoneſtum, ac turpe. Sed in primis exploratum mihi non eſt, quod nunc ſupponitur. Mihi enim proba ſemper viſa eſt ſententia, quæ affectus quoad indiuiduum indifferentes tuetur. Præterea eſto nunc affectus ſic indifferentes inueniri nequeant, plane in ea voluntate impotente amare honeſtum, eſſent omnino admittendi. Nam ea ratione nunc affectus ſecundum indiuiduum indifferentes repugnant, quia nunc tenetur natura rationalis in finem honeſtum ſuas actiones referre. At ea voluntas impotens amare honeſtum non tenetur; quandoquidem natura ad impoſſibile obligari non poteſt. Ergo ea voluntas poſſet amare obiectum delectabile affectu non turpi. Quâ enim ratione delinqueret voluntas defectu eius, quod ſibi impoſſibile eſt? At illi eſt impoſſibile referre quidquam in finem honeſtum. Ergo defectu talis relationis non inficeret ſuas actiones, ſicut modo inficit ſuas noſtra voluntas, quę poteſt, & tenetur illas referre.

Euaſio noſtræ rationis.

Præcluditur.

Alia fuga.

Occurritur.

56. Dices propterea; repugnare quidem voluntatem neceſſario affixam turpi, ſed bono tantum delectabili. At non repugnare voluntatem incapacem affectus moraliter boni, ac honeſti, quæ nimirum ex limitatione ſuæ perfectionis nequeat amare honeſtum, quia honeſtum eſt, prout requiritur ad affectum moraliter honeſtum, ac bonum; ſed ſolum quia delectabile eſt, quod interdum realiter, interdum cogitatione poteſt à turpitudine præſcindi. Fateor ingenue; ſuperiori quidem ratione non oſtendi repugnantem ſubſtantiam

Alia ſolutio.

Redarguitur.

expertem

expertem boni, ſed ſubſtantiam ſolius participem mali; quod ſolum hucuſque propoſuimus probandum. Nunc vero in rem noſtra diſputatione ſuſceptam tráſeat, poſſibilem eſſe ſubſtantiam rationalem determinatam bono delectabili, & non honeſto. Inde arguimus nos poſſibilem à fortiori fore ſubſtantiam rationalem adſtructam ſolo honeſto, & non delectabili turpi. Nihilominus tamen quia poteſt argumentari quiſpiam in hunc modum; repugnat ſubſtantia rationalis determinata ad amādum ſolum delectabile, incapaxque moueri ab honeſto; ergo repugnat ſubſtantia rationalis determinata ad amandum bonum honeſtum, incapaxque moueri à ſolo delectabili, quamuis turpi. Ideo decernendum, quid de antecedenti, aut conſequentia huius argumenti ſentiendum eſt.

Obijcitur nobis vlterius.

57. Nunc omitto antecedens, & nego conſequentiam. Diſcrimen eſto. Impotentia amandi honeſtum, quia honeſtum eſt, ac conforme regulis rationalis eſt contra conceptum voluntatis rationalis: impotentia vero amandi delectabile turpe, non eſt contra conceptum voluntatis rationalis. Nam voluntas rationalis ex ſuo quidditatiuo conceptu eſt dirigibilis per rationem, nāque per rationem dirigi repugnat, quo pacto rationalis eſt? voluntas autem dirigibilis per rationem neceſſario eſt capax affectus honeſti; affectus enim rationi conformis honeſtus eſt. Aut igitur affectus voluntatis poſſunt eſſe rationi conformes; & ea ratione erunt honeſti. Aut rationi conformari non poſſunt? & ea ratione voluntas quoad ſuos affectus per rationem dirigibilis non eſt. Voluntas autem rationalis per rationem dirigibilis eſt. Ergo implicat voluntas rationalis incapax amoris honeſti. Inſuper autem voluntas rationalis, quà rationalis eſt, non eſt capax amare delectabile turpe, quia tale obiectum ab ipſa ratione proponitur odibile, ac proinde eſt declinatio rationalitatis capacitas amandi turpe; vereque delectabilia turpia amare, non hominum, ſed beſtiarum eſt. Ergo ex conceptu rationalitatis repugnare poteſt voluntas impos affectus honeſti, quamuis non repugnet impos affectus turpis. Confirmatur; repugnat ſubſtantiæ ſentienti impotentia appetendi bonum naturæ ſentienti conueniens; nam omne cognoſcitiuum appetitiuum eſt, nullius autē boni appetitiuum eſſe poteſt ſubſtantia ſentiens, niſi naturæ ſentienti conuenientis. Ergo etiam repugnat ſubſtantiæ rationalis impotentia amandi bonum naturæ rationali conueniens. At bonum naturæ rationali conueniens prout à ſentienti diſtinguitur, honeſtū eſt. Ergo repugnat ſubſtātiæ rationali incapacitas amandi honeſtū qua honeſtum eſt. Explicatur; Docuimus tr.de voluntate Dei, diſput. 1. cum S. Thoma & pluribus Eccleſiæ Patribus repugnare ſubſtantiam intellectiuam non volitiuam boni, quod ſibi proponitur amabile. At ſubſtantiæ rationali proponitur amabile honeſtum, qua honeſtum eſt; non vero delectabile turpe. Ergo repugnat ſubſtantia intellectiuā honeſti, & non volitiua ipſius, qua honeſtum eſt, licet

Reſpondetur.

Confirmatur reſponſio.

Declaratur

poſſibilis ſit ſubſtantia volitiua ſolius honeſti, & non delectabilis turpis. Conſequentia eſt legitima. Minor ex terminis clara. Maior ex dictis tr.de voluntate Dei, & communi Theologorum conſenſu petenda eſt.

SECTIO VNDECIMA.

Expenditur authoritas ſententiæ negantis creaturam rationalem naturà impeccabilem.

58. Magna ſunt, fateor, teſtimonia, quæ fauent ſententiæ neganti; ideoque merito ſtando authoritati affirmans ſententia abſolute poſthabenda. Nihilominus tamen vſque adeo manifeſta non ſunt, vt ſententia affirmans iure erroneæ, aut periculoſæ, aut temerariæ, aut improbabilis ſententiæ notam, ab aliquibus Neotericis iniuſtam mereatur. Etenim non ſine maxima probabilitate explicantur omnia expoſitionibus, quas in genere perſtrinximus ſectione ſecunda, quarum aliqua, nullum eſt teſtimonium, cui optime non quadret. Primo, vt ſolus Deus dicatur impeccabilis compoſitus cum creaturis rationalibus poteſtate ordinaria exiſtentibus, ac poſſibilibus. Secundo, vt creaturæ rationales, etiam poſſibiles, peccato ſubiectæ ſint, prout naturam, & ſubſtantiam complectuntur diſcretam ab ordine gratiæ, quandoquidem creaturam impeccabilem per gratiam Patres ingenue fatentur. Creatura autem intrinſece ſupernaturalis in ordine gratiæ, imo identificata gratiæ à nobis conſtituitur. Tertio vt ſolus Deus impeccabilis ſit natura, quia à ſe, & non ab alio impeccabilis eſt, creaturæ vero à Deo; ac proinde ſanctitas creaturarum compoſita cum Deo quaſi nequitia reputetur. Quamuis hæc in genere ſufficiebant, percurremus ſingula teſtimonia, quæ obiecimus ſect. 7. an. 35. vt plenius confirmentur.

Exponuntur in genere.

59. Et quidem teſtimonium 1. Thim. 6. quanquam de immortalitate per peccatum explanetur, optime exponitur de immortalitate à ſe, vt ſolus Deus immortalis prædicetur, quia ſolus à ſe immortalitatem obtinet, creatura vero dependenter à Deo. Ita manifeſte Ambroſius tom. 3. 1. ad Thimot. 1. illa verba; *Regi ſæculorum immortali, ſoli Deo, &c.* ſic ediſcerens, *hæc ad Dei Patris perſonam pertinent, quem immortalem ideo ſolum appellat, quia omnis immortalitas ab ipſo eſt, vt ipſi ſoli magis competat in veritate: quia quiſquis immortalis eſt, non à ſe hanc habet, ſed ab illo.* Item c.6. teſtimonium argumento obiectum exponens; *Deum ſolum beatum, & immortalem, & potentem, & Regem Regum, & Dominum pronuntiat. Solus eſt enim ipſe, qui propriam, & à nullo habet acceptam beatitudinem, atque potentiam, dominatum, & regnum, necnon immortalitatem.* Quid apertius ad oſtendendum, ſoli Deo immortalitatem adſcribi, quia ſolus à ſe & non ab alio accepta potitur. Eadem

1. Thim 6. Prima expoſitio.

Ambroſius

Digitized by Google

Auguſtin. ratione Auguſtin. libro 3. contra Maximinum c. 13. illud Rom. 16. *Soli ſapienti Deo*, ſic exponit: *Deus itaque propterea ſolus ſapiens rectè dicitur, quia ſolus ſecundum ſubſtantiam ſuam ſapiens eſt, non ſecundum accedentem, vel accidentem participationem ſapientiæ, ſicut ſapiens eſt rationalis quæcumque creatura.* Egregium eſt in

Iuſtinus. rem teſtimonium Iuſtini, quod produximus de incorruptibilitate Dei, collata cum incorruptibilitate cæli numero ſeptimo. Adde aliud eiuſdem in eamdem rem ex quæſtione 61. ad orthodox. *Solus habere immortalitatem dicitur Deus, quoniam non habet eam ex voluntate alterius, ſicut reliqui omnes immortales, ſed*

Secunda. *ex propria ſubſtantia.* Accedit eo loco immortalitatem accipi poſſe incapacitatem moriendi, pereundiue quacunque poteſtate, quæ ſolius Dei propria eſt, cum nulla ſit creatura, quæ diuina virtute in nihilum abire repu-

Auguſtin. gnet. Ita Auguſtinus libro tertio, contra Maximinum ep. 12. *Immortalitatem Deus habere dicitur ſolus, quia eſt immutabilis ſolus. In omni enim mutabili natura nonnulla mors eſt ipſa mutatio, quia facit aliquid in ea eſſe, quod erat.* Neque Patres, qui in expoſitionem teſtimonij adducuntur numero trigeſimo quinto, aduer-

Ambroſius ſum docent. Ambroſij teſtimonium non extat, vbi refertur. Neque ſeuera aliud continet; quam creaturam eſſe deſtructionis, ac mortis capacem, ſiue peccet, ſiue non; quod & nos fatemur. Auguſtinus expreſſe confert immortalitatem per naturam, qua Deus peccare non poteſt, cum immortalitate per gratiam creaturarum exiſtentium, & poteſtate ordinaria poſſibilium. Nam eam ſententiam intulit ex immortalitate per gratiam, quæ modo homini, & Angelo detur: *Anima humana habet pro ſuo modo quamdam mortem ſuam: quia ſi iuſte viuebat, & peccat, moritur iuſtitiæ; ſi peccatrix erat, & iuſtificatur, moritur peccato. Et creaturarum natura cæleſtium mori potuit, quia peccare potuit. Nam & Angeli peccauerunt, & qui non peccauerunt, peccare potuerunt.* Vnde colligit, cum his creaturis præſtatur, vt peccare non poſſint, id non per naturam ipſarum, ſed per Dei gratiam præberi; ac per hoc ſolum Deum eſſe immortalem, ac impotem peccare per naturam: quod continet oppoſi-

Hieronim. tum nobis teſtimonium Auguſtini. Hieronimus eamdem collationem cum creaturis poteſtate ordinaria poſſibilibus facit, vt eius diſcurſus confirmat. Idque ſolum concludit, Dei iuſtitiam, ac immortalitatem per peccatum eam eſſe, quia eſt à ſe, & fons omnis iuſtitiæ creaturarum, cui collata vniuerſa iuſtitia iniquitas inuenitur, quemadmodum omnes creaturæ comparatæ Deo quaſi nihil reputantur. Recole concluſionem Hieronimi à te obiectam. *Vnde & ab Apoſtolo ſolus Deus iuſtus, ſolus dicitur immortalis: non quod Angeli ſint iniuſti, & mortales, ſed quod ipſe ſit immortalis, & iuſtus, cui collata vniuerſa iuſtitia iniquitas inuenitur.* Teſtimonium confirmans ex Math. 19. & Luc. 18. eamdem de bonitate ſuſcipit explicationem, quam de immortalitate dedimus. Nempe, quod ſolus Deus, & vnus Deus bonus dicitur, quia ſolus eſt bonus à ſe, & totius bonitatis origo. Ita Ambroſius ſupra 1. ad Thimot. 1. vbi poſtquam poſuit, Deum ideo ſolum dici immortalem, *quia quiſquis immortalis eſt, non à ſe immortalitatem habet, ſed ab illo*, immediate ſubdit: *Simili modo & in Euangelio legitur dicente Domino, quia nemo eſt bonus, niſi vnus Deus. Nemo tamen niſi vnus Deus bonus eſt. Quia ipſe fons bonitatis eſt, ex quo cæteri potantur, vt boni ſint.* Itaque ſimili modo Deus ſolus bonus, quo ſolus immortalis prædicatur, quia ſolus à ſe, & reliqui ab illo bonitate gaudent. Plura ad hoc teſtimonium dicemus ſectione decima octaua. (Ambroſius)

60. Eodem prorſus modo teſtimonia, quæ numero trigeſimo ſexto, Deum ſolum immutabilem promunt, creaturas vero mutabiles, interpretare poſſunt, etiamſi de ſola mutatione morali peccati intelligantur. (Vlterior explicatio Patrum.) Nam eodem prorſus modo ſolus immutabilis, quo ſolus immortalis, ſolus bonus, ſolus ſapiens profertur. Quamquam verius accipiantur de immutabilitate præſcindente à Phyſica, & morali, cuius omnis creatura etiam poſſibilis incapax eſt, cum omnia creata mutationi Phyſicæ, aut morali neceſſario ſubiaceant: quare huius immutabilitatis expers eſſet quoque ſubſtantia rationalis impeccabilis, quandoquidem ab eſſe in non eſſe, & à non eſſe in eſſe poſſet diuina virtute, ac voluntate tranſire; varioſque affectus, nunc hos, nunc illos pro arbitrio, & neceſſitate eſſendi ſubire. Neque alia mens Athanaſio fuit, ſi recte excutiatur. (Athanaſius) Probat enim Filium non eſſe creaturam, ſed Deum ſicut Patrem, quia eſt immutabilis omni genere ſicut Pater. *In creatis autem nihil eſt immutabile natura*, quæ eſt prima propoſitio teſtimonij ſuperioris, plane complectens omnia creata, quæ & mutationis Phyſicæ, & mutationis moralis capacia ſunt. Quare verbis obiectis pro immutabilitate Filij immediate ſubnectit. *E diuerſo omnia creata, cum non eſſent, creata ſunt. Terra cum nulla eſſet, condita eſt, & ea quæ non ſunt, tamquam ea, quæ ſunt, vocantur, & quia ſunt creaturæ, ideo initium exiſtendi ſortiuntur.* Quid planius? Neque obeſt aſſumptum oſtendiſſe prius per mutationem moralem creaturarum rationalium; nam recta probatio eſt mutatio moralis in creaturis exiſtens ad excludendum à creaturis exiſtentibus, (quarum vnam volebant Ariani eſſe filium) immutabilitatem à morali, & Phyſica præſcindentem. Et eſto, Athanaſio ſolus eſſet ſermo de mutatione peccati, manifeſte illius collatio ſolum cum creaturis exiſtentibus, non cum poſſibilibus facta eſt, cum inductionem ſolam fecerit per homines, & Angelos, qui natura in peccatum flexibiles ipſo facto probantur. Neque aliud ei opus erat ad euincendũ Filium nõ exiſtere creaturam, quod ſolum oſtendere propoſuerat. Idem interpretamentum habet teſtimonium Iob. 4. cuius ſane nõ meminit Hieron. lib. 2. contra Iouinianum, vt referunt aduer-

Digitized by Google

ſarij. Vbi ſolum contendit contra Iouinianum, hominem poſt baptiſma non eſſe impeccabilem, ſed diaboli tentatione in peccatum adduci poſſe: quin aliquid de alijs creaturis poſſibilibus diſſeruerit. Gregorius. Gregorius male relatus c. 2. ſed c. 27. agit de immobilitate præſcindentia Phyſica, & morali; nam poſtquam dixit de natura Angelica: *Eo ipſo, quo creatura eſt, in ſemetipſa viciſſitudinem mutabilitatis habet*; illico ſubiungit. *Mutari autem, ex alio in aliud ire eſt, in ſemetipſo ſtabilem non eſſe. Vnaquaque enim res, quaſi tot paſſibus ad aliud tendit, quot mutabilitatis ſua motibus ſubiacet. Sola autem natura incomprehenſibilis à ſtatu ſuo neſcit moueri, qua ab eo quod ſemper idem eſt neſcit immutari.* Quę de mutabilitate in genere dicta puto, & vera.

61. Aliæ Patrum ſententiæ numero 37. propoſitæ, eadem luce extænebrantur. Auguſtinus. Auguſtinus enim de vitio loquitur, quod à Phyſico, & morali abſtractum eſt; cui plane ſubiacet omnis creatura, etiam ſupernaturalis, quæ in nihilum abire poteſt quoad ſuum eſſe, vel quoad aliquid ſui eſſe. Ideo præmiſerat immediate ante; *Omnia qua vitiantur & moriuntur, bona ſunt, quamquam ipſum vitium, & ipſa mors malum ſit.* Sumens indiſcriminatim vitium, & mortem, quæ malum Phyſicum eſt, & non morale. Idem indicat vniuerſalis illa propoſitio, *Catera autem omnia bona* (præter Deum) *ex ipſo ſunt*, certe comprehendens omnia bona creata, tam vitij naturalis, quam moralis capacia. Etiam ideo concluſit; *per ipſum autem partim non vitiantur, partim vitiata ſanantur*; quia pars vitiorum à Deo eſſe poteſt, pars non poteſt; nempe vitia naturalia eſſe poſſunt, moralia non poſſunt. Abſtracte igitur diſſeruit de omni bono creato, vitioque cui ſubiacet tale bonum. A quo vitio ſic abſtracto immunem ſubſtantiam ſupernaturalem non prodimus. Fulgentius. Fulgentius etiam manifeſte diſſerit de defectu Phyſico, aut ſaltem præſcindente à Phyſico, & morali. Nam inſtituit ſermonem de omni natura creata abſtrahente à rationali, & irrationali, cui defectus moralis, qui proprius eſt naturæ rationalis, impoſſibilis eſt. Ita exorditur caput illud tertium; *Tene omnem naturam, qua non eſt Trinitas Deus, ab ipſa ſancta Trinitate, creatam ex nihilo. Ac ſic vniuerſa in cœlis & in terra, opus atque creaturam eſſe ſancta Trinitatis.* Vnde mox colligit, *Ideo quippe natura à Deo facta proficere poſſunt, quia eſſe ceperunt, ideo deficere quia ex nihilo facta ſunt. Ad defectum eas conditio ducit originis, ad profectum vero prouehit operatio Creatoris.* Vides manifeſtò diſſerere de profectu, atque defectu Phyſico creaturarum omnium. Damaſcenus. Damaſcenus item de mutatione Phyſica quoad exiſtentiam contingentem agebat. Dixerat enim prius: *immortalis Angelus eſt, non natura, ſed gratia.* Et poſterius, *Solus enim Deus ſemper ens, magis autem, & ſupra ſemper.* Cæterum ibi difficilia hæc ſcribit. *Omne creatum vertibile; ſolum autem increatum inuertibile. Intellectualis igitur natura, vt rationalis poteſtate libera eſt: vt creata vero, vertibilis, poteſtatem habens proficiendi in bono, & in deterius prolabendi.* Vbi plane de vertibilitate peccati ſermo eſt. At reſpondeo. Damaſcenus. Damaſcenus de natura, non de ſubſtantia intellectuali inſtituit ſermonem, de natura inquam, ſupra quam ſupernaturalia collocantur, ac proinde ab ordine gratiæ omnino diſcreta, quæ ſola tunc Theologorum, ac Patrum cogitatione verſabatur, nec alia, de qua modo diſſerimus, in eorum cogitationem inciderat. Nos autem non naturam intellectualem, ſupra quam ſupernaturalia euehuntur, ſed ſubſtantiam natura ſuperiorem, & in ordine gratiæ conſtitutam inuertibilem aſſerimus. Neque Damaſceni inſtituto ediſſerentis proprietates naturæ Angelicæ nunc exiſtentis aliud erat neceſſarium. Quid quod naturam intellectualem, quia creata eſt, definijt vertibilem, non abſolute, ſed comparatam cum diuina ſicut immediate ante, *Omne ad Deum collatum*, dixit de operibus Angelicis diſſerens, (*qui ſolus incorporalis eſt*) *craſſum, & materiale comperitur, ſola enim vere immaterialis, & incorporea diuinitas.* Poſt quæ colligit. *Eſt ergo natura rationabilis vertibilis, &c.* Igitur vt omne creatum, quamuis immateriale, & incorporeum, compoſitum Deo materiale, & corporeum eſt, ſicut ſtella in ſe lucida Soli collata obſcura iudicatur: ita omnis natura intellectualis, quamuis in ſe inuertibilis ſit, tamen quia creata eſt, comparata Deo vertibilis cenſeri poteſt, ſolaque diuina vere, & abſolute inuertibilis, quæ non ab alio ſicut creata, ſed à ſe permanentem ſtabilitatem nanciſcitur.

62. Anſelmus minoris ſubſidij eſt, quamquam ſolemnis, & frequens teſtis ſolet eſſe negantibus. Anſelmus. Si Boſus ille quæſiuiſſet, cur Deus aliquas creaturas non ediderit impeccabiles? reſpondiſſetque Anſelmus, quia non potuit, nec debuit facere illas idem, quod ipſe Deus, aliqua ſpecie, negantibus faueret. Verum cum ſolum rogauerit Boſus, *cur non tales fecit Angelos, & duos primos homines, vt & peccare non poſſent, & de iuſtitia ſua laudandi eſſent?* Eis non fauet ſic reſpondens. Quoniam iam conſtabat, Angelos, & duos primos homines nunc creatos eſſe natura peccabiles; Angelos autem & homines nunc peccabiles certiſſimum eſt, non potuiſſe aliter creatione, ac conſtitutione ſua educi impeccabiles, niſi ſubſiſtentes hypoſtaſi diuina, qua eſſent idem, quod Deus. Nam aliam impeccabilitatem per gratiam, & beatitudinem ipſe Anſelmus ſupponit Angelis, & hominibus beatis, non eiſdem cum Deo, de facto conuenire. Quærebat igitur de impeccabilitate debita ſuppoſito, eidemque identificata; quam in natura ex ſe obnoxia peccato, nullus eſt, qui inficietur, aliter competere non poſſe, quam vnione naturæ cum ſuppoſito diuino. Rurſus licet. Quæſitum eſſet de aliqua creatura in genere, non eſſet momenti Anſelmi reſponſio. Nam quæſtio non erat de quacumque impeccabilitate & iuſtitia, ſed eâ, qualis re-

ipſa Deo ac Chriſto Dominó conueniebat; videlicet de iniuſtitia, ac impeccabilitate à ſe, & non ab alio, de qua ſola laudis meritum eſt apud Anſelmum. Accipe paucis totum contextum. *Statuit Anſelmus hominem Deum Chriſtum non potuiſſe peccare, & non eſſe iuſtum.* Obiecit Boſus. *Qua igitur laus, & gratia illi pro iuſtitia ſua debebitur? Solemus namque dicere Deum idcirco feciſſe Angelum, & hominem, tales, qui peccare poſſent, quatenus cum poſſent deſerere iuſtitiam, & ex libertate arbitrij ſeruarent gratiam, & laudem mererentur, qua illis, ſi ex neceſſitate iuſti eſſent, non deberetur.* Vt componeret dignitatem laudis cum impotentia peccandi, amittendique iuſtitiam, ponit eum qui à ſe iuſtitiam habet, laudandum eſſe, quamuis iniuſtus eſſe non poſſit, vt Deus de ſua iuſtitia laudatur. Porro hominem Deum à ſe iuſtum eſſe, quia ſua eſt natura diuina, à qua humana iuſtificatur. Atque adeo poſſe de ſua iuſtitia laudari, quamuis peccare, & iniuſtus eſſe, repugnet. *Quoniam Deus perfectus habet à ſe quidquid habet; ille maxime laudandus eſt de bonis qua habet, & ſeruat propria, & aterna immutabilitate. Sic ergo, homo ille* (ſcilicet Chriſtus) *qui idem ipſe Deus erit, quoniam omne bonum, quod ipſe habebit; à ſe habebit, à ſeipſo iuſtus, idcirco laudandus erit. Quamuis enim humana natura à diuina habeat, quod habebit, idem tum ipſe à ſeipſo, (quoniam dua natura vna perſona erunt) habebit.* Boſus nunc, *ſatisfeciſti mihi*, inquit, *& apte video, quia & peccare non poterit, & tamen laudandus erit de iuſtitia ſua.* Cæterum Boſus recolens, quæ prius obiecerat, ideo homines, & Angelos iuſtitiæ deſertores creatos, vt ea libertate, gratiam & laudem mererentur, addit; *Sed nunc quærendum æſtimo, cum Deus talem facere poſſet hominem*, (ſcilicet impotem peccare & de iuſtitia ſua laudabilem, quippe à ſeipſo iuſtum ſicut Chriſtum) *cur non tales fecit Angelos, & duos primos homines, vt ſimiliter & peccare non poſſent, & de iuſtitia ſua laudandi eſſent?* En eam impeccabilitatem, quærit Boſus, quæ à ſe ipſa ſit, & ideo creaturæ rationali ſicut Chriſto laudi eſſe poſſit. Cui quæſtioni rectiſſime reſpondet Anſelmus, ideo non feciſſe, quia non debuit creare eos idem, quod ipſe Deus. Etenim niſi Deus eſſent, non poſſent eius generis impeccabilitatem adipiſci, quæ eſſet à ſe. Quam nos & ſubſtantiæ ſupernaturali negamus. Gregorius agit de anima, & creatura rationali, quæ diuinæ naturæ particeps non eſt, eo genere participationis, quo eſt per gratiam iuſtificantem; de qua vere ait, ex ſe deorſum labi per peccatum: cum Deo namque ſolos compoſuerat Angelos, & homines nunc creatos. At nos de creatura rationali loquimur, quæ ſuapte conditione diuinam naturam participat, eo participationis genere, quo per gratiam iuſtificantem, & dona ſupernaturalia ſtabilitatem diuinam æmulatur. Alij Patres eodem modo explicantur.

SECTIO DVODECIMA.

Vindicatur ſententia affirmans à cenſura Theologica; concluditurque probabilis.

63. VNde conſtat manifeſte, quam præceps, liberaque fuerit cenſura Bannes ſupra, aliorumque Neotericorum, qui ſuperioribus ducti teſtimonijs ſententiam affirmantem erroris, ac temeritatis nota ferierunt; cum exploratum iam ſit, Patrum mentem non aduerſari ſententiæ affirmanti, explicatiſſimeque oſtenſum, ſaltem probabiliter exponi. Confirmatur contra Thomiſtas, qui omnium acerrime Theologos affirmantes mordent. Principes Scholæ Thomiſticæ tuentur, poſſibilem eſſe, quin, & actu exiſtentem Angelum, qui circa honeſtum, ac dictamen naturale delinquere repugnet, omniaque honeſta naturalia amore proſequi, omnia dictamina naturalia conſenſu ſequi, determinatus ſit. Caietanus 1. p. quæſt. 63. art. 1. §. *circa conſequentiam.* Capreolus in 2. diſt. 2. art. 3. ad argumenta Durandi, Ferrara 3. contra Gent. c. 109. parum à principio. Durandus in 2. diſt. 5. q. 1. nũ. 16. & diſt. 23. q. 1. num. 7. & 8. quos nunc ſequuntur Ripa 1. p. quæſt. 63. art. 1. dub. vnic. Zumel ibidem quæſt. ſua 1. con. 2. Montagnolius relatus à Nazario ibidem controuerſia vnica & alij. In quam ſententiam inclinat Sanctus Thomas ab ipſis adductus 1. p. quæſt. 63. art. 1. ad tertium argumentum, & quæſt. 16. de veritate art. 2. At Eccleſiæ Patres, ſi quidquam euincunt, eodem modo expugnant creaturam rationalem impeccabilem quoad bona, & dictamina ſibi naturalia, quo eam expugnant impeccabilem quoad bona, & dictamina ſupernaturalia; cum ſine diſcrimine creaturam rationalem in lapſum peccati naturâ præcipitem tradant, ac plane circa ea bona intelligendi ſunt, quæ naturâ amare, aut declinare valet; nam circa ea, quæ libere, & vitioſe deſerere nequit, niſi viribus ſupernaturalibus inſtruatur, naturâ delinquere rationalis creatura non poteſt, cum in ea, aut amplectenda, aut refugienda libertas ei naturâ non competat. Igitur cum rationalem creaturam natura delinquentem produnt, in ea bona, ac præcepta violanda intelligendi ſunt, in quæ natura liberam facultatem dedit, vt reliqui Theologi vere intelligunt. Atque adeo ſi abſque diſpendio autoritatis Patrum ſuſtineri poteſt natura rationalis ſibi relicta omnino impeccabilis, abſolute poterit ſuſtineri abſque diſpendio religionis Patribus debitæ, natura rationalis impeccabilis.

Collectio. Confirmatio. Caietanus. Capreolus. Ferrara. Durandus. Ripa. Zumel. Mõtagnolius. Nazarius. S. Thomas.

64. Inſuper creatura rationalis conditione naturali affixa bono naturali honeſto, ac naturæ rationali conſentaneo, à quo deuiare non poteſt intendens aliud bonum ſibi commodum, ac delectabile contra leges naturæ. Certe quamuis in finem ſupernaturalem, viribus ſupernaturalibus inſtruatur, neutiquam poterit peccare amando turpe. At per te Theologice, ac religioſe aſſeritur creatura

Rurſus probatur.

Digitized by Google

rationalis priori modo impeccabilis. Ergo poſteriori quoque modo poteſt aſſeri impeccabilis. Probatur maior, in quam reuocatur difficultas. Creatura, quæ viribus naturalibus non poteſt intendere aliud bonum, quam honeſtum, nec formaliter moueri à bono delectabili, quod honeſto repugnet, non poteſt viribus ſupernaturalibus eleuari ad obiectum formale ſupernaturale, quod honeſtum non ſit, ſed ſemper etiam vt eleuata debet ab honeſto, qua honeſtum eſt, formaliter moueri. At creatura, quæ ſemper mouetur formaliter à bono honeſto, qua honeſtum eſt, tàm ſuis viribus naturalibus relicta, quam ſupernaturalibus eleuata, non poteſt peccare amando quidpiam turpe. Ergo creatura rationalis, quæ viribus naturalibus relicta non poteſt peccare deſerendo honeſtum, nec viribus ſupernaturalibus eleuata poterit peccare amando turpe. Conſequentia eſt legitima, minor probatur facilius. Quoniam ſub ratione honeſti amari repugnat turpe; honeſtum enim integratur ex omnibus circonſtantibus honeſtis, & excludentibus turpe. Probatur maior. Nulla potentia poteſt eleuari ad aliquod obiectum ſupernaturale, quod non contineatur ſub obiecto formali proprio illius potentiæ, itaut eleuatione extrahatur ad aliud obiectum formale, quod ſuapte natura non mouebat potentiam. Quare viſus non poteſt euchi ad actus, qui non moueantur ex ratione coloris, voluntas ad actus, qui ex ratione boni, intellectus ad actus, qui ex ratione veri, appetitus denique ad actus, qui ex ratione boni delectabilis non appetant quidpiam, ſed ex ratione honeſti. Ergo neque voluntas natura ſua appetens omnia ſub ratione honeſti, poteſt euehi ad appetendum quidquam ſub ratione commodi, & delectabilis, aut alterius boni, quod honeſtum non ſit. Confirmatur; ea quæ ſunt contra leges ſupernaturales, etiam ſunt contra leges naturales; nam omnia, quæ leges ſupernaturales præſcribunt, rationi naturali conformia ſunt, ratioque naturalis dictat illa ſeruanda. Ergo ſubſtantia determinata ad non contraueniendum rationi naturali, determinata eſt ad non violandam legem aliquam ſupernaturalem. Iterum confirmo: qui efficaciter diligit Deum ſuper omnia, vt autorem naturæ, nequit cum ea dilectione coniungere violationem aliquam præcepti ſupernaturalis. Ergo determinatus ad ſectandum bonum naturæ nequit deflectere à bono ſupernaturali. Præſertim quod determinationem Angeli, ad ſectandum honeſta bona naturæ, referunt Thomiſtæ in dilectionem efficacem naturalem Dei, quæ ipſi neceſſaria eſt. Antecedens tom. de gratia à nobis oſtenſum eſt. Neque iſta amplius vrgenda ſunt, ſuam enim diſputationem, vendicant 1.p.q.63.art.1. vbi cæteri Theologi Thomiſtas deſerunt, noſtramque collectionem probant.

Confirmatur.

Iterum confirmatur.

Sententia affirmans probabilis.

65. Iam autem probabilem arbitrari ſententiam affirmantem, poſſe diuinitus creari ſubſtantiam rationalem natura impeccabilem. Quamquam ſemper authoritatis iudicio longe probabilior habenda ſit ſententia negans; in quam maior, ac grauior pars Theologorum, quos recenſuimus num.38. incubuiſſe videtur. Cæterum affirmanti adhæſerũt, expenſis vtrinque rationibus, ac teſtimonijs negantis: non contemnendi Theologi, Ochamus in 1. diſt. 44. q. vnic. ar. 1. Gabriel in 2. diſt. 23. q. vnic. con. 2. Bachonius in 2. diſt. 38. qu. vnica art. 1. Maior. diſt. 23. qu. 2. con. 4. & 5. ex Neotericis, P. Beccanus 1. p. c. 9. de viſione Dei qu. 5. num. 4. necnon Pater Molina abſolute docens poſſibilem ſubſtantiam natura beatam: licet enim ſeiuncta beatitudine peccantem adſtruat, tamen cum beatitudinem abſolute neceſſariam, ac ei ſubſtantiæ connexam fateatur; plane illam abſolute impeccabilem iudicat. Pater Erice ſupra num. 57. nitens eius ſententiæ abſurditatem eleuare. Pater Valentia ſupra fatetur à nullo Theologo oſtenſum talem creaturam implicare. Fauet Magiſter in 1. diſt. 44. ibi. *Poteſt ergo Deus meliorem facere, quam facit*, vnde Auguſtinus 11. ſup. gen. c. 7. *talem potuit Deus hominem feciſſe, qui nec peccare poſſet, nec vellet, & ſi talem feciſſet, quis dubitat, eum meliorem fuiſſe?* Scio hæc verba falſo Auguſtini referri; quamquam ea ſententia alijs verbis vere Auguſtini ſit, expoſitionemque ſuſcipiat. Verum Magiſtrum ei ſententiæ accedere, Auguſtinumque fauentem putare, probabile eſt; cum eum adduxerit ad probandum, potuiſſe Deum producere res altiores natura, ac conditione, quam eas, quæ ſunt modo, quod ea diſtinctione 44. probabat. Ergo non ſolum creaturam rationalem impeccabilem per gratiam, vt plerique Auguſtinum interpretantur, ſed etiam impeccabilem per naturam, vt aſſumpto Magiſtri congruebat, eo teſtimonio concluſit. Nec quidquam obeſt Magiſtri teſtimonium relatum num. 38. Nam vere ibi Magiſter de ſolis exiſtentibus creaturis diſſerit. Tum quia teſtimonium Hieronimi, ex quo ſententiam colligit, illas ſolas comprehendit, vt notauimus num. 59. Tum quia inde concluſit, Angelos nunc exiſtentes, natura in malum flecti poſſe, de quibus ſolis, non de poſſibilibus diſputationem inſtituit. Etiam iuuant probabilitatem huius ſententiæ primores Thomiſtarum, quos propoſuimus num. 63. admittentes poſſibilem Angelum, natura innocentem in ordine ad præcepta naturalia, quæ, vt arguebamus num. 63. & 64. eodem modo refragatur Patribus Eccleſiæ, quo creatura rationalis, de qua contendimus, eademque eſſe debet vtriuſque poſſibilitatis ratio. Accedit, rationes Theologicas, & teſtimonia Patrum, quibus negantes mouentur, ſine labore explicari, vt ſuperioribus vidimus. Quin ex ipſis aduerſarijs pleroſque rationes ſententiæ negantis, vt Scotum, Valentiam, pleraque Patrum teſtimonia, vt Baſſolem, & alios, nullius roboris cenſere: cumque tot antiquorum in hanc diſputationem inciderint, ſolos recentiores affirmantem ſententiam mordere, neminem temerariam, periculoſam, aut improbabilem notare. Denum antiquiores Scholaſtici nobis non contradicunt aperte. Nam illi manifeſte creaturam impeccabilem negant, quæ intra ſphæram

Ochamus.
Gabriel.
Bachonius.
Maior.
Neotericus.
P. Beccanus.
P. Valẽtia.
Magiſter.

ſanctitatem, quam neceſſario fert ſecum gratia ſanctificans cum virtutibus, quæ ipſam aſſectantur. Auguſtinus lib.7. contra Maximinum c.23. *Nemo bonus, niſi ſolus Deus, tanquam diceret: recte me apellabis bonum, ſi me noueris Deum, nam quando me nihil aliud, quam hominem putas, quid me dicis bonum?* Dum aliqua ſubſtantia putatur creata, & non Deus, immerito dicitur bona, æquiùs vitioſa prædicatur. Anſelmus in Math. ſuperiora verba ſic exponit. *Increpat eum Dominus, quia putabat eum purum eſſe hominem, & non Deum, & ex ſe tantum bonum. Vnde redarguit ita: Quid me dicis bonum? non ſum bonus, vt putas, id eſt, ex me bonus ſecundum hominem. Ex ſe enim bonus non eſt, niſi vnus Deus Pater, Filius, & Spiritus ſanctus.* Redarguendus itaque eſt, qui putat, puram creaturam eſſe ſuapte natura bonam, ac ſanctam; creaturis vero per gratiam ſuperadditam Dei. Vnde Gregorius Niſenus in libello de fide ad Simplicium paulo ante finem probat, Spiritum ſanctum non eſſe creaturam: *Quia omnis creatura ex participatione ſuperni boni bona fit. Spiritus ſanctus autem benefactore nihil opus habet; quippe cum natura bonus ſit.* Solus igitur Deus naturâ bonus eſt, omnis creatura participatione benefica Dei per gratiam. Quô opportuna veniunt elegantia verba Cyrilli Alexandrini lib.1. in Ioannem c.8. ſub metaphora lucis oſtẽdenti verbũ diuinum non eſſe creaturã, quia ex ſe ipſo lux eſt omnem depellens tenebrarum caliginem. *Apertius modo veram lucem à creaturis, quæ lux non ſunt, Euangeliſta diſſeparat, illa enim natura lux eſt, iſta per gratiam; iſta participant, illa participatur. Nihil ergo præter illam vera lux eſt, nec quidquam aliud propria virtute, atque natura ornatum luminis edere poteſt. Sed quemadmodum ex nihilo producta ſunt, ſic à tenebris ſplendore veri luminis accepto, & participatione illius illuſtrata, imitatione quadam in lucem tranſeunt. Ita Dei quidem verbum ſubſtantialiter, non participatione, quæ per gratiam fit, nec per accidens lux eſt; creatura vero non ſic, ſed accipit, quod non habet, illuminatur vt tenebra, deforis gratiam acquirit, largitoris miſericordia huiuſmodi dignitatem conſequitur.* At obſcurabis rem, ſi hac luce Cirilli clarius explicare contenderis. Quibus necto, quæ ibidem paulo ante medium capitis, contra quoſdam verbi diuinitatem negantes ſcribit: *ſi firmiter credunt, ſubſtantialiter filio ſupernaturalia bona ineſſe, nolint ei creaturam ſecundum naturam coniungere.* Quæ igitur natura creditur per ſubſtantiam filia Dei, & ſancta, & per ſupernaturalia bona honeſto ſemper adhęrens, creatura neganda eſt.

Auguſtinus. Anſelmus. Niſenus. Cyrillus Alexand.

69. Deinde antecedens oſtenditur. Gratia iuſtificans producitur per creationem. Nulla creatura poteſt quidquam producere per creationem. Ergo. Tertio. Gratia iuſtificans eſt participatio naturæ diuinæ. At participatio naturæ diuinæ virtute principali in ſola diuina natura continetur; nam vnaquæque cauſa principalis ſuam naturam ſolum participandam confert, non alienam, quod ſolius cauſæ inſtrumentalis eſt. Quare ſi illa qualitas virtute principali produceretur à ſubſtantia ſupernaturali, æquè eſſet participatio ſubſtantiæ creatæ, ac diuinæ. Ergo. Confirmatur, res inferior non poteſt aliam efficere, quæ participet naturam ſuperioris; v.g. homo effectum, qui participet excellentiam Angeli. Ergo gratia participans naturam diuinam non poteſt ab alio fieri, quàm à natura diuina. Iterum confirmatur. Participatio naturæ diuinæ non poteſt contineri in eo, quod formaliter, aut eminenter non eſt participatio Deitatis. At repugnat duplex ſpecie differens participatio Deitatis; quia natura diuina non eſt duplex, ſed vnica; & vnius naturæ vnica tantum participatio, ac æmulatio eſt. Ergo. Quarto denique, quia ſi ſubſtantia ſupernaturalis contineret virtute propria, ac principali gratiam, poſſet gratiam iuſtificantem alijs conferre, vt ignis producens in ſe calorem, alia calefacit. At hoc repugnat creaturæ ex Auguſtino 1. de peccatorum merit. c.14. *Quiſquis auſus fuerit dicere, iuſtifico te; conſequens eſt, vt dicat etiam crede in me. Quod nemo ſanctorum recte dicere potuit niſi Sanctus ſanctorum*, quare concludit, *ſicut non eſt credendum niſi in ſolum Deum, ita nullam creaturam iuſtificare poſſe niſi ſolum Deum.* Ergo nullius creaturæ eſt, natiua virtute gratiam iuſtificantem continere.

Secundo. Aſſumptum ratione oſtenditur. Tertio. Confirmatur iterum. Quarto. Auguſtin.

70. Nunc conſequentia probanda eſt. Subſtantiæ ſupernaturali deberetur tanquam proprietas naturalis, gratia iuſtificans. Ergo virtute propria, ac principali contineret gratiam iuſtificantem. Pręterea talis ſubſtantia eſſet in eodem ordine cum gratia; in eoque multo perfectior, quàm illa. Ergo poſſet propria, ac principali virtute continere illam. Confirmatur: talis ſubſtantia eſſet iuſtitia, ac ſanctitas ſubſtantialis. Ergo poſſet iuſtitiam accidentalem conferre.

Conſequutio probatur primo. Secundo. Confirmatur.

SECTIO DECIMAQVARTA.

Explicatur implicantia præcedens.

71. IN primis nego antecedens. Prima probatio non vrget. Tum quia omnia teſtimonia capiunt expoſitiones quas in genere præmiſimus num.6. & 7. & confirmauimus ſec.11. Tum quia in ſpecie omnia agunt de bonitate, ac ſanctitate omnino repugnante peccato. At gratia iuſtificans, & ſubſtantia, quæ illam continet, non repugnat omnino peccato, vt expendimus ſec.8. Rurſus teſtimonium Math. 19. vidimus n.59. fine, cum Ambroſio, ideo ſolum Deum proferre bonum, quia ſolus à ſe, hoc eſt independenter ab alio, ſeu abſque participatione bonitatis alterius bonus eſt. Addo ab Auguſtino ſic Mathęi teſtimonium intelligi, vt ſolus Deus dicatur bonus bonitate ſumma, ac beatificante, & ſatiante appetitum rationalem. Ita lib.3. contra Maximinum c.23. ante verba ſuperiora. *Nemo bonus niſi vnus Deus, quod eſt ipſa Trinitas. Quærebat quippe ille, cui hoc reſpondit Dominus, non bonum qualecumque, ſed bonum, quo fieret beatus, imo ipſam beatitudinem veram deſiderabat.* Poſt verba vero ſuperiora ſubdit. *Non te facit*

Prima ſolutio. Ad primam probationem aſſumpti.

Digitized by Google

bonum, nec beatum, niſi bonum immutabile, qd ad ſolus eſt Deus. Nam bonus Angelus, bonus homo, bona creatura, hæc non ita bona ſunt, vt quiſquis ea adeptus fuerit, ſit beatus. Solum igitur bonitatem excludit, quæ beatificat, non quę iuſtificet, ac ſanctificet. Vnde Auguſtinus non eſt contrarius. Anſelmus ſatis aperte tribuit ſoli Deo bonitatem ex ſe, quæ non eſt ſolum bonitas connaturalis, ſed etiam bonitas à ſe, omnino indepēdens ab alio, quæ diuinitatis argumentum eſt. Idemtidem explicatur Niſſenus, qui præcedentibus ſatis expreſſit, Spiritum ſanctum natura bonum ideo apellari, quia non eſt alius bonus, cuius participatione bonus ſit, ſicut eſt creatura. Cyrillus manifeſte diuiſionem probat ſolũ inter Chriſtum, & Baptiſtam, alioſque ſanctos, quod ille eſt per naturam, iſti vero per gratiam: nam cum cap. 7. expoſuiſſet illud, *Non erat ille lux,* dictum de Baptiſta, finiſſetque his verbis. *Quamuis & beatus ille Baptiſta, & viri ſancti omnes, lux eſſe à ſcriptura dicuntur, (vos enim lux mundi eſtis, Saluator inquit) non ignoramus tamen vnde gratiam largitionemque luminis conſequuti ſunt. Non enim propria ſancti luce illuminantur, &c.* mox. c. 8. edifferit illud, *Erat lux vera*, verbis ſuperius oppoſitis. Itaque diſſeparationem verbi, & Chriſti à creaturis, Cyrillus, ſolis quidem exiſtentibus, non poſſibilibus explanat. Quod ſat erat Cyrillo, vt inter creaturas non reſeruntur verbum, aut Chriſtus.

Auguſtinus. Anſelmus. Niſſenus. Cyrillus.

Ad ſecundam.

72. Secunda probatio falſum aſſumit. Vidimus enim diſputatione 7. ſect. 1. gratiam iuſtificantem non fieri per creationem ſed per eductionem ſolum. Quid? quod lib. de anima oſtendi, oſtendamque in Metaphyſica, creationem actiuam poſſe creaturæ conuenire.

Ad tertiam.

Tertiam probationem diſtinguo. Aut aliquid præter Deum eſt participatio naturæ diuinæ, aut nō? Quod nō eſt participatio naturę diuinę, non poteſt virtute natiua efficere qualitatem participem diuinitatis; Poteſt autem id, quod participatio eſt. At ſubſtantia ſupernaturalis poteſt eſſe particeps diuinitatis in eo, in quo eſt gratia iuſtificās: Quare docuit trac. de gratia iuſtificante, poſſe dari qualitatem actiuam gratiæ iuſtificantis, licet repugnęt ſubſtantia ſupernaturalis. Atque adeo gratia iuſtificans poteſt eſſe ſimul participatio naturæ diuinæ, & naturæ creatæ participantis diuinam, conſorſque vtriuſque ab vtrâque ſimul produci.

Ad primam confirmationem.

Ad primam confirmationem, poteſt inferior natura conferre alteri participationem ſuperioris ſecundum eam perfectionem, quæ ab inferiori participatur, & inferiorem non excellit, v. g. homo præſtare homini participationem naturæ Angelicæ quoad gradum intelligētem, & Leo Leoni participationem humanæ quoad gradum ſentientem. Atque ita poteſt ſubſtantia, aut qualitas creata participationem naturæ diuinæ quoad perfectionem remouēdi omnem malitiam moralem, & radicandi omnem honeſtatem, quæ ſubſtantiæ, & qualitati creatæ poteſt eſſe communis cum natura diuina, & formaliter conſtituit conſortium diuinitatis gratiæ iuſtificantis proprium, vt explicuimus tr. de gratia iuſtificante diſp. 2. Imo hinc totius doctrinæ ratio hauritur, nam hæc participatio diuinitatis, quæ gratiæ iuſtificantis propria eſt, in eo eſt ſita, quod conueniat formaliter cum natura diuina quoad eſſe primam radicem totius honeſtatis moralis; remouendo omne peccatum, & præbendo facultatem ad omnia pietatis, ac bonitatis moralis opera. At hæc perfectio non vni qualitati, ſed pluribus poteſt eſſe communis, ab vnaque in alias per productionem deriuari, cum perfectio infinita non ſit, & reipſa producibilis. Ergo qualitas participans Deitatem virtute cauſę creatæ producibilis eſt.

Ad ſecundam confirmationem.

Ad ſecundam confirmationem, plerique ſentiunt, repugnare duas iuſtitias, ac ſanctitates ſpecie differentes, duas ſimiliter charitates, & viſiones beatificantes. Ita Pater Suarez lib. 8. de gratia c. 3. Pater Torres opuſc. 3. diſput. 1. d. 11. Curiel 1. 2. art. 1. d. 2. §. 2. Zumel ibidem d. 4. Monteſinus ibidem, art. 2. Ioannes Vicentius relect. de gratia Chriſti, q. 3. At ego cum Patre Granados contr. 8. de gratia, tr. 4. diſp. 4. num. 2. docui tr. dę gratia iuſtificante, poſſibiles eſſe plures ſpecie differentes gratias, & virtutes infuſas nunc exiſtentibus nobiliores, & ignobiliores; aliam, quæ ad naturam tantum humanam habitus, & actus humanos determinata ſit; aliam, quæ ad naturam Angelicam tantum, habitus & actus Angelicos determinata; aliam ad vtramque naturam indifferentem, ſed perfectiorũ habituum, & actuum, quam nunc exiſtentium radicem, aliam idemtificatā ſcientiæ infuſæ, aliam ab ea diſtinctā, aliam à charitate indiuiſam, aliam diuiſam, aliam immediate in actus influentem, aliam mediatè tantum, aliaſque alijs prędicatis eſſentialibus differentes. Vnde licet natura diuina vnica, ac ſimpliciſſima ſit, modus tamen participandi illam poteſt eſſe multiplex, ac diuerſus. Quemadmodum de facto, licet vnica, ac ſimpliciſſima ſit, omniſque augmenti eſſentialis, & ſpecifici expers, quia tamen gratiæ participatio finita eſt, poteſt Deus exiſtenti qualibet gratia aliam idiuiduo diſtinctam producere, & eandem ſecundum intenſionem infinitam magis, ac magis augere. Itaque ſicut vnitas indiuidua, & diuiſio omnimoda naturę diuinę non repugnat multiplicationi indiuiduæ, & intentioni graduali gratiæ participantis naturam diuinam, ita nec multiplicitati, & intentioni eſſentiali, ac ſpecificæ repugnabit.

Ad quartam probationem.

73. Quarta probationis ſequela negari poteſt. Nam plures naturæ poſſunt agere qualitatem in proprio ſuppoſito, quam alijs conferre non valent. Materia poteſt ſibi producere quantitatem, animus intellectum & ſpecies, ignis calorem, tamen eaſdem qualitates alijs communicare actione ſua non valent. Idem poſſet ſubſtantiæ ſupernaturali contingere, vt poſſet ſibi, & non alijs gratiam iuſtificantem efficere. Deinde etiam alijs poſſet non repugnantibus per peccatum, non vero malitia peccati infectis, quia peccati reſiſtentia pene infinita eſt, quam virtus finita ſuperare non poteſt. Itaque ſubſtantiæ continenti gratiam

Digitized by Google

non deberetur concurſus ad illam peccatori inducendam; nam contra ius Phyſicum talis ſubſtantiæ præualeret ius morale, quod Deus habet, vt gerat inimicitias cum peccatore, & in ſuam amicitiam non reſtituat, donec ſibi ſatisfactum ſit, aut à ſe iniuria condonata. Etenim ſi ratione ſimilis iuris negatur à pluribus Theologis in Angelo notitia cogitationum alterius, cum maius ſit Deo ius in ſuam amicitiam, & punitionem ſuæ iniuriæ, quam Angelo in affectus, & cogitationes ſui cordis, cur non poterit à Deo ſubſtantiæ Phyſicè continenti gratiam, concurſus ad illam peccatori tribuendam iure denegari? Porro autem

Ad Auguſtinum. Auguſtinus à creatura ſolum remouet viam iuſtificandi peccatorem, vt mox conſtabit. Rurſus eſto talis ſubſtantia vi ſua poſſet inducere in peccatorem qualitatem ſanctificantem, verè quidem ſolus Deus, & non creatura hominem iuſtificaret. Nam iuſtificatio peccatoris, vt ex Tridentino ſolemne iam eſt, complectitur præter infuſionem qualitatis, remiſſionem peccati. At remittere peccata non eſſet creaturæ, ſed Dei, præſertim mea opinione, quam tractatu de gratia iuſtificante docui deſiderante nouum fauorem ab infuſione qualitatis diſtinctum ad condonationem peccati. Denique iuſtificare Phyſicè peccatorem efficiendo qualitatem formaliter iuſtificantem, & ſi vis, etiam ex natura rei condonantem peccatum, non ait Auguſtinus, eſſe opus proprium ſolius Dei, & à pura creatura alienum, ſed iuſtificare moraliter, merendo de condigno talem gratiam, & condonationem peccatori, & ſatisfaciendo ad æqualitatem pro peccato illius, modo, quo Chriſtus iuſtificat impium: quod communi Theologorum conſenſu hominem Deum requirebat. Ex-

Auguſtinus pendebat enim Auguſtinus id Romano. 5. *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: ita, &c.* Docens iuſtitiam in omnes homines propagari, ſicut iniuſtitiam, non imitatione ſolum, ſed merito, veraque cauſalitate morali Chriſti, & exiſtentia Phyſica iuſtitiæ. *Nam & quod ait de Chriſto*, inquit Auguſtinus, *per vnius iuſtificationem, magis hoc expreſſit, quam ſi per vnius iuſtitiam diceret. Eam quippe iuſtificationem dicit, qua Chriſtus iuſtificat impium, quam non imitandam propoſuit, ſed ſolum hoc poteſt: quoniam poſſunt eſſe multi iuſti homines, & imitandi: iuſtus autem, & iuſtificans nemo, niſi Chriſtus. Quiſquis ergo auſus fuerit, &c.* Expende primo, agere Auguſtinum de iuſtificatione impij. Secundo de eo iuſtificationis modo, quo Chriſtus iuſtificat impium. Tertio, à iuſtificando excludere ſanctos nunc exiſtentes, quin meminerit poſſibilium. Igitur vbi ſubſtantia ſupernaturalis non aſſeratur à nobis iuſtificans impium, per ſatisfactionem, & meritum, ſicut Chriſtus & iuſtificans; ſed per cauſalitatem Phyſicam, ad quam non requiritur virtus infinita, quæ ad moralem neceſſaria eſt in homine, nihil adſtruetur Auguſtino repugnans.

74. Si hæc minus placent, aliter argumentum præteritum ſoluito negando conſequentiam. Secũda ſolutio negata conſequentia. Nam poteſt eſſe ſubſtantia ſupernaturalis, quæ ſua virtute efficiente non contineat gratiam iuſtificantem, etiam vt proprietatem connaturalem. Tum quia poteſt eſſe ſeipſa formaliter iuſta, ac ſancta, quin ſuperaddita qualitate, egeat ad ſui ſanctitatem, atque iuſtitiam: vt ſuperioribus illuſtrauimus. Tum quia proprietas ſuperaddita exigi poteſt, quin ab ipſa natura fieri valeat; quemadmodum plures opinantur de materia prima exigente quantitatem. Etenim, ſi corpus diſpoſitum poteſt exigere creationem animæ, quam corpus ſua agente virtute non continet, cur non poterit ſimiliter ſubſtantia excellentem aliquam proprietatem vendicare, quam agente virtute non contineat? Ad primam probationem. Aut quia creatione producenda eſt, aut aliqua perfectione repugnante creaturæ, quam aduerſarij in productione gratiæ iuſtificantis contendunt. Quo ruit prima conſequentiæ probatio. Secundam ſic ſoluito. Ad ſecundam. Poteſt ſubſtantia eſſe conſtituta in eodem genere cum gratia, in eoque perfectior, quin virtute vigeat agente illius. Maior enim perfectio aliunde, quam ex virtute eminenter continente gratiam poteſt prouenire. Sicut Angelus intra eundem ordinem, Angelum, & animum ſuperat, quos efficere non valet, gratia iuſtificans virtutes infuſas, & earum actus, pluraque alia, quæ otioſum eſt recenſere. Ad confirmationem. Ad confirmationem in primis antecedens incertum eſt, vt precedentibus examinauimus. Deinde non eſt bona conſequentia; quia Chriſtus ſubſtantialiter ſanctus non poteſt virtute connaturali efficere ſanctitatem accidentalem in alio; & animus ab intellectu indiſtinctus, ac proinde ſubſtantialis intellectus nequit alijs intellectum accidentalem producere. Ratio eſt, quia inter plura datur vniuoca conuenientia, inter quæ nulla intercedit actio, neque iſta ad vniuocationem neceſſaria eſt. Ergo poteſt dari vniuocatio inter ſubſtantiam ſupernaturalem, & gratiam iuſtificantem repugnante proceſſione gratiæ iuſtificantis à ſubſtantia ſupernaturali. Accedit poſſe dari ſubſtantiam ſupernaturalem, quæ non perueniat ad perfectionem gratiæ iuſtificantis ſibi connaturalis; quia poteſt aſciſcere ſibi connaturalem virtutem agendi omnes actus ſupernaturales præter Theologicos charitatis, & viſionis beatæ, quarum virtus erat neceſſaria ad gratiam ſubſtantiæ connaturalem. At ſubſtantia, quæ non pertingit perfectionem gratiæ iuſtificantis ſibi connaturalis, nequit virtute pollere, ad agendum gratiam iuſtificantem. Ergo poteſt eſſe ſubſtantia ſupernaturalis abſque virtute cauſæ principalis continente iuſtitiam.

75. Hic obſeruatum volo ne diſſidio vocum diſputatio confuſa fuerit, in eo ſenſu à me propoſitam ſubſtantiam ſupernaturalem, Obſeruatio cauſam principalem gratiæ iuſtificantis, quo natiua virtute, & concurſu ſibi debito, non virtute obedientiali, ac eleuata, & con-

ſtate ordinaria exiſtentem, & omnem illam poſſibilem, etiam poteſtate abſoluta, quæ exiſtentibus affinis eſt, affinitate & connexione, quam explicuimus diſp.3. ſect.2.& 4. Quippe ſupra omnem ſubſtantiam excludentem connexionem quidditatiuam & Phyſicam, & intentionalem cum gratia iuſtificante, & importantem connexionem aliquam intentionalem, aut Phyſicam cum ſubſtantijs poteſtate ordinaria poſſibilibus? Nam cum natura vſurpari poſſit omnis ſubſtantia nunc exiſtens, & omnis illa poſſibilis, quæ nunc exiſtentibus aliquo ordine quidditatiuo ſiue Pphyſico, ſiue intentionali connexa eſt; ac proinde ſubſtantia ſupernaturalis dici poſſit, quæ nullo ordine Phyſico, aut intentionali ſubſtantijs nunc exiſtentibus, & omnibus poſſibilibus cum eis connexis, eſt affinis, quia cum gratia iuſtificante aliquo ordine connectitur; iure examinari poteſt, an poſſibilis ſit ſubſtantia ea ſignificatione ſupernaturalis? Nam de re dubitatio eſt, an ſit poſſibilis ſubſtantia, quæ cum gratia iuſtificante connexa ſit, excedatque omnem connexionem ſubſtantiarum nunc exiſtentium, earumque poſſibilium, quę ordine Phyſico, aut intentionali exiſtentibus affines ſunt? Quidquid ſit de voce, qua talis ſubſtantia ſignificari poſſit; an ſcilicet ſupernaturalis, an naturalis? Ac per conſequens vbi talem ſubſtantiam poſſibilem adſtruamus; adſtruitur res Theologico examine digna, imo res, quæ in præſenti diſputatione ab omnibus Theologis ſuſcepta eſt. Et quidem eam ſubſtantiam communi, & abſoluta ſignificatione rectè dici ſupernaturalem, mihi perſuadeo. Tum quia in aliâ ſubſtantia ſupernaturalis in diſputationem venire non poteſt: ridiculum enim eſt quærere, an ſit poſſibilis ſubſtantia creata, quæ ſupra omnem ſubſtantiam creatam exiſtat? Tum quia apud Dyonifium de diu. nomin. c.1.2. & 3. paſſim attributum, *ſuperſubſtantialis*, ſolius Dei proprium ſignificatur, nulliuſque perfectionis diuinę meminit Dyoniſius, quam *ſuperſubſtantialem* non prædicet. Ex quo nonnullum argumentum in fauorem huius doctrinæ colligi poſſet. Sed occurramus iam argumento in ſubſtantiam ſupernaturalem contento.

Dyonifius.

78. Igitur negò, omnem ſubſtantiam eſſe naturam in ſtricta, & Theologica ſignificatione naturæ, in qua natura diſtinguitur ab ente ſupernaturali, ab eoque ſuperatur. Quamquam verum ſit, eſſe naturam in ſignificatione Phyſica lata, in qua natura ſonat eſſentiam ſuppoſiti, & compoſiti ſubſtantialis. Quo interpretationem dedimus, diſp 3. ſect.1. teſtimonijs Ariſtotelis, & Diui Thomæ, quæ prima probatione obijciuntur. Ad ſecundam probationem iam expoſuimus n. præcedenti, & diſp.3. ſectione 2. in qua vſurpatione accipiatur natura ſeorſim ab ente ſupernaturali, quin ſub ea comprehendatur omnis ſubſtantia creabilis. Ad primam confirmationem reſpondeo. Ideo habitus gratiæ, charitatis, ac luminis gloriæ ſupernaturales potius, quam naturales dicuntur, quia ſunt ſupra omnem ſubſtantiam non connexam cum gratia iuſtificante, & connexam immediate, aut mediate, Phyſice, aut intentionaliter cum ſubſtantijs nunc exiſtentibus, quæ vſurpatione Theologica natura dicuntur. At qualitates naturales non ſunt ſupra omnem ſubſtantiam non connexam cum gratia iuſtificante, aut ſupra omnem ſubſtantiam exiſtentem, eamque poſſibilem, quę ſubſtantijs exiſtentibus annexa eſt. Ideo iure naturales, & non ſupernaturales abſolutè nuncupantur. Ad ſecundam confirmationem ſic argumentum retorqueo. Non repugnant accidentia, quæ ſuperantia omnem ſubſtantiam creabilem connexam Phyſice, aut intentionaliter cum collectione ſubſtantiarum nunc exiſtentium, connaturalia ſint ſubſtantiæ naturâ ſanctę, ac beatæ. At ea accidentia iure annumerantur ſupernaturalibus. Ergo non deſtruit conceptum accidentis ſupernaturalis eſſe connaturale alicui ſubſtantiæ poſſibili. Itaque tranſeat, quòd ſint poſſibilia aliqua accidentia nulli ſubſtantiæ, etiam creabili connaturalia, ſuperantiaque omnem ſubſtantiam, quæ Theologicè naturam conſtituit. Siquidem poſſibilia ſunt alia accidentia ſoli ſubſtantiæ connexæ cum gratia iuſtificanti connaturalia, ſuperantiaque omnem ſubſtantiam, quæ Theologicè naturam conſtituit. Quod ſufficit in re ſecluſis vocibus ad Theologicam ſupernaturalitatem accidentium, & ſubſtantiæ. Recolantur ad præteritam doctrinam, quæ explicuimus d.3.

Ad primam probationem.

Ad ſecundā

Ad primā confirmationem.

Ad ſecundā confirmationem.

SECTIO DECIMASEXTA.

Vrgetur iterum à priori ſubſtantia ſupernaturalis ex conceptu ſupernaturalitatis abſolutæ.

79. QVartò ſuadetur implicare ſubſtantia ſupernaturalis, quia ratio ſubſtantiæ contradicit ſupernaturalitati abſolutæ, id eſt, ſublimi illi perfectioni, quę fundat excellentiam entium ſupernaturalium ſupra naturam. Quod varie à varijs explicatur iuxta variantes definitiones ſupernaturalitatis abſolutæ, quas propoſuimus diſputatione 4. ſect.1. & 2. Thomiſtæ recentiores ſic arguunt. Supernaturale eſt, quod Deum reſpicit, vt eſt in ſe. At ſubſtantia creata non reſpicit Deum, vt eſt in ſe, neque vt obiectum, neque vt terminum, neque vt finem, quia ſubſtantia omnino abſoluta eſt, & ab aliquo ſibi extrinſeco ſpeciem non ſumit. Ergo ſubſtantia creata ſupernaturalis eſſe repugnat. Arguitur ſecundo à Zumel ſupra, ſupernaturale eſt quod participat ſubſtantiam diuinam, prout ſupernaturalem, hoc eſt, vt trinam, & vnam; in hac enim participatione, ſiue relatione Trinitatis ſupernaturalitas ſita eſt. Nulla autem ſubſtãtia creata poteſt participare ſubſtantiam diuinam vt trinam; quippe nulla poteſt eſſe vna quidditate, & trina ſuppoſitalitate, ſicut diuina. Ergo nulla ſubſtantia creata poteſt eſſe ſupernaturalis.

Quinta repugnantia.

Probatur à Thomiſtis.

A Zumel.

Digitized by Google

Ab Antonio Perez.

80. Tertio idem probant Antonius Perez, & alij: ens ſupernaturale eſt, quod pertinet ad ordinem diuinum. At inter ea, quæ pertinent ad ordinem diuinum ſolus Deus eſt ſubſtantia; ſicut inter ea, quæ ſpectant ad ordinem humanum, ſolus homo ſubſtantia eſt: Vnde ſpecies impreſſa ſubſtãtialis, aut viſus ſubſtantialis pertinens ad ordinem humanum neceſſario eſſet homo. Ergo præter Deum nulla ſubſtantia poteſt eſſe ſupernaturalis. Demum alij obijciunt. Decet excellentiam diuinam, vt aliquis detur gradus ſubſtantiæ proprius naturæ diuinæ, & non communis creaturæ. His autem gradus non poteſt eſſe alius, quam gradus ſupernaturalitatis ſubſtantialis. Ergo ſupernaturalitas ſubſtantialis propria eſt naturæ diuinæ, minime creaturæ communis.

Ab alijs.

Reſponſio.

81. Negandum eſt ſupernaturalitatem abſolutam pugnare cum ratione ſubſtantiæ creatæ. Multis peccant argumenta, quæ oppoſitum probare nituntur. In primis in argumento Thomiſtarum maior propoſitio eſt falſa, vt oſtẽdimus diſp.4. ſect.1. Deinde etiam minor non eſt vera; quandoquidem ſubſtantia ad eo abſoluta non eſt, vt tranſcendentaliter non reſpiciat proprietates, effectus, cauſas, aliaque huiuſmodi plura, quæ ſubſtantiæ tribuunt extrinſecè diſtinctionem ſpecificam; vt ignis diſtinguitur ſpecie ab equo, equus à leone; quia effectus, & proprietates ſpecie differentes reſpiciunt. Similiter igitur poſſet ſubſtantia ſupernaturalis à naturali diſtingui, quia ſupernaturalis reſpicit proprietates, potentias, actus, & accidentia, quæ Deum reſpiciunt prout eſt in ſe, v.g. viſionem beatam, gratiam iuſtificantem, & alia accidentia ſupernaturalia ſimilia, quæ ſubſtantiæ connaturalia ſint; quorum reſpectus tranſcendens, ſubſtantiæ naturali aduerſatur? Etiam argumentum Zumel vtrâque propoſitione claudicat. Maior eſt falſa; quia expediuimus diſp.4. ſect.1. ſupernaturalitatem non eſſe conſtitutam in reſpectu, ſeu participatione Trinitatis. Item eſt falſa minor; quia reſpectus, & participatio Trinitatis, quæ ſupernaturalitatem conſtituere poteſt, non eſt omnino vniuoca cum Trinitate, vt omne ens ſupernaturale quoad eſſe formale conueniat vniuoce cum Deo, vt Trinus eſt; hanc enim participationem quĩ poteſt habere actus miſericordiæ ſupernaturalis, habitus fidei, vbicatio ſupernaturalis, & ſimilia accidentia. Erit igitur ſolum peculiaris aliquis ordo in Deum, vt Trinum, vel tanquam principium, vel tanquam obiectum, aut finem. His autem ordo poteſt eſſe communis ſubſtantiæ, vt accidenti, quę à Deo, vt Trino deriuari poſtulat, aut in Deum, vt Trinum dirigi, tanquam in finem, vel cogitatione, & amore tanquam in obiectum intendere; neque enim aliter accidentibus ordo in Trinitatem competit. Ergo ſubſtantiæ poteſt competere reſpectus aut participatio Trinitatis ad ſupernaturalitatem ſufficiens, quæ accidentibus communis eſt; quamquam ſubſtantia creata vna, & trina repugnet.

Ad Thomiſtas.

Ad Zumel.

81. Tertia ratio Antonij Perez, & aliorum ſimiliter diluitur. Maior argumenti propoſitio declinat à vero; quandoquidem conſtat etiam ex diſp.4. ſect.1. male definiri eſſe ſupernaturale, eſſe pertinens ad ordinem diuinum. Inſuper minor abſonat vero; quia ſiue ſupernaturalia dicantur diuina, aut ordinis diuini per aſſimilationem naturæ diuinæ, ſiue per ſpecialem reſpectum, & ordinem in Deum, ſiue per aliquam peculiarem coniunctionem, poteſt ſubſtantia creata æque dici diuina per participationem, ac dicitur qualitas. Etenim aſſimilationis cum Deo, ordinis in Deum, aut coniunctionis ſpecialis, cuius eſt capax accidens, poteſt eſſe capax ſubſtantia, vt ex ſe videtur manifeſtum. Atque ita poteſt ſubſtantia pertinere ad ordinem diuinum modo ſufficienti ad ſupernaturalitatem, ſicut qualitas. Neque quicquam efficit, quod obiicitur, inter ea, quæ humana dicuntur, ſolum hominem eſſe ſubſtantiam. Nam inter ea, quę humana ſunt, alia ſunt humana per intrinſecam vnionem, aut coniunctionem cum homine, alia ſolum per extrinſecam denotationẽ ab homine, ad quem aliqua ratione ſpectant. Inter ea quæ vſurpantur per intimam coniunctionem cum homine, nihil eſt ſubſtantiale intrinſecum homini, quod non ſit homo, aut pars conſtituens hominem; vt omnia, quæ ſunt diuina per intimam coniunctionem cum Deo, ſunt Deus, aut conſtituentia ſuppoſitum Deus. At vero inter ea quę humana appellantur ſolum per intrinſecam denominationem ab homine; plura ſunt ſubſtantia, quæ non ſunt homo; panis enim eſt cibus humanus, pecuniæ dicuntur humanæ, diuitiæ, pluresque aliæ ſubſtantiæ pertinentes ad vſus humanos, dicuntur humanæ, quæ non ſunt homo. Igitur ſimili ratione ſubſtantia ſupernaturalis poſſet dici extrinſecè diuina, quia peculiari ratione eſſet coniuncta diuinitati, aut per amicitiam, aut per poſſeſſionem, aut per æmulationem extrinſecam, aut alia ratione, quin propterea eſſet proprietate Deus. Poſtrema ratio parum vrget. Tum quia plures Theologi remouent Deum ab ordine ſupernaturali, eumque renuunt admittere ſupernaturalitatẽ, vt vidimus diſputatione 2. ſect.1. ſaltem excellẽtia ſupernaturalitatis in Deo ſolum vocalis eſt, & non realis, vt ibidẽ notauimus. Tum quia eſto, Deus numeretur inter ſubſtantias ſupernaturales, graduſque admittatur ſupernaturalitatis ſubſtantialis communis creaturis, poteſt adhuc cogitari gradus proprius excellentiæ diuinæ, decens Maieſtatem Dei ſeiunctam à creaturis, nempe gradus ſupernaturalitatis ſubſtantialis infinitæ, & à ſe; quemadmodum in ordine ſubſtantiæ intelligentis datur gradus proprius excellentię diuinę, qui eſt ſubſtantiæ intelligentis, à ſe, & cognitione comprehendente naturam diuinam, & omnia quæ continentur in illa.

Ad Antoniũ Perez.

Ab alios.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO DECIMA-SEPTIMA.

Impugnatur poſſibilitas ſubſtantiæ ſupernaturalis ab abſurdis, quæ colliguntur ex illa.

Sexta probatio repugnantiæ. Primum abſurdum.

83. ITem contra poſſibilitatem ſubſtantiæ ſupernaturalis opponuntur plura abſurda, quæ illi conſentanea videntur. Primum eſt;gratiam iuſtificantem non eſſe gratiam,quia eſſet debita ſubſtantiæ cui ineſt, quod eſt contra rationem gratiæ. Secundum, eſſe creaturam rationalem, in quam Deus non poſſet largitatem exercere, donumque aliquod gratuito profundere; cum ei ſubſtantiæ eſſent debita, ac connaturalia munera ſupernaturalia, quæ ſunt potiſſima diuinæ largitatis materia. Tertium,lumen gloriæ,& alios habitus infuſos fore principia vitalia contra communem Theologorum cōſenſum. Nam hi habitus eſſent connaturales illi ſubſtantiæ, ac proinde ab intrinſeco conuenientes, ſicut modo ſunt potentiæ vitales ab anima diſtinctæ, à quibus nihilo differrent comparatione illius ſubſtantiæ. Quartum, abſurdum eſt inde fore poſſibilem, primo ſubſtantiam virtute natiua patrantem miracula,accidentia creando, tranſubſtantiando compoſita,ſuſcitando mortuos, & alia ſimilia agendo; ſecundò ſubſtantiam natura ſua hypoſtaticè vnitam Verbo; tertiò ſubſtantiam triplicem perſonalitate, & naturâ ſimplicem, ſicut diuinam;aliaque eiuſmodi monſtra ſola apprehenſione repugnantia. Quandoquidem non eſt maior repugnantia in his ſubſtātijs,quam in illa.

Secundum. Tertium. Quartum.

Ad Primū abſurdum.

84. Hæc abſurda non me terrent. Primum ſic explico. Gratia ſanctificans duplici titulo gratia dicitur,& quia gratum facit ſubiectum Deo,& quia gratis datur. Ita communiter Theologi cum Aug. lib. de Natura, & gratia c. 4. Vtroque titulo ſanctitas, & iuſtitia illius ſubſtantiæ eſſet gratia. Priori quidem,quia talis ſubſtantia eſſet grata Deo. Poſteriori vero,quia abſque vllo merito creaturæ donaretur à Deo,aut in ſe, ſi talis ſanctitatis aſſeratur idemtificata ſubſtantiæ, aut in radice, ſi dicatur diſtincta:quod ſufficit ad rationem gratiæ,nam gloria, & augmentum gratiæ dicitur gratia,quia ſequuntur radicem omnino gratioſam,nempe primam infuſionem iuſtitiæ. Dices id non eſſe Theologice gratiam,quæ neceſſario requirit, vt ſubſtantiæ iam creatæ gratuitò præbeatur, vt contra Pellagium definit pluribus in locis Auguſtinus. Reſpondeo,ad rationem gratiæ Theologicæ ſolùm requiritur,vt naturæ iam creatæ gratuitò præbeatur. Subſtantia ſupernaturalis autem non eſt Theologice natura,à qua donū ſupernaturale ſeparatur. Vt ſæpius admonitum eſt ex diſp.3.ſect.2.& 8. Atque ita iuſtitia ſubſtantiæ ſupernaturalis erit ſimpliciter gratia Theologica: eſtò, ſecundum quid gratia non ſit, hoc eſt comparatione ſubſtantiæ ſupernaturalis, quæ naturæ eſt abſolutè indebita, quamuis ſubſtantiæ, quę natura non eſt, debita ſit. Rem confirmat iuſtitia habitualis Chriſti Domini, quæ confertur debita primæ creationi ſuppoſiti, nempe vnioni hypoſtaticæ: nihilominus tamen abſolutè dicitur gratia, quia naturæ ſecundum ſe gratuito diſpenſatur. Vrgebis, poſſe ſanctificari ſubſtantiam ſupernaturalem per iuſtitiam, quæ naturæ communis non ſit, neque gratuito naturæ donari poſſit; atque adeo non ſit Theologicè gratia. Reſpondeo; nequit ſubſtantia ſupernaturalis ſanctificari per iuſtitiam, quæ quoad rationem genericam iuſtitiæ non ſit communis naturæ gratuitò conferibilis: eſto, quoad rationem ſpecificam communis, & conferibilis naturæ non ſit. Vt autem abſolutè dicatur gratia iuſtitia ſubſtantiæ ſupernaturalis, ſufficit gratuitò conferibilem eſſe naturæ quoad genericam rationem, ſiquidem ea ratione complectitur prædicatum aliquod quidditatiuum gratioſum naturæ. Addo, nihil obeſſe, vt ſanctitas illius ſubſtantiæ ſolo priori titulo gratia ſit, quia ſubiectum gratum faciat; non poſteriori, quia ſubiecto donetur gratis. Quoniam Patres dicentes gratiam donum gratis conceſſum, ſolum diſſeruerunt de gratia communi naturæ, ab eaque diſtincta: non de ea, quę alijs ſubſtantijs communis, & indiſtincta excogitari potuit. Imò rigoroſâ vſurpatione Patrum, vnio hypoſtatica gratia non eſſet,quandoquidem naturę & ſubſiſtenti non eſſet indebita, & communis,prout Patres de gratia auxiliante, quæ per ſe naturam ſubſiſtentem ſupponit, contra Pellagium loquuti ſunt. Porrò autem ad ſtatuendum ſubſtantiam ſupernaturalem, ſufficit ſtatuere iuſtitiam ipſi connaturalem priori ratione gratiam: eſto, poſteriori ratione gratia non ſit. Illud enim ſtatuit, quod de re in tota diſputatione continetur; iſtud vero ſolis vocibus incumbit.

Auguſtinus. Obijcitur. Soluitur.

84. Secundum abſurdum facilius expeditur. Negato ſequelam; quia vt ſubſtantia aliqua ſupernaturalis ſit, non requiritur, vt ei debita ſint omnia accidentia ſupernaturalia, ſed ſufficit deberi aliqua. Atque ita poteſt eſſe ſubſtantia ſupernaturalis, quę ſit ſubiecta largitati diuinę, ab eaque munificentiſſime recipiens plura dona ſupernaturalia, tum quoad intenſionem, tum quoad eſſentialem, & ſpecificam perfectionem. Tertium maioris conſiderationis eſt. Sed primo ruet, ſi dicas, habitus ſupernaturales nobis infuſos ideo non eſſe principia vitalia, quia nobis ab extrinſeco inſunt, & ſubſtantiæ ſupernaturali nullo pacto habitus iſti ineſſe poſſent, quia natura ſua ſunt determinati ad eleuandum naturam ex ſe inſufficientem; ſubſtantia ſupernaturalis autem non eſſet ex ſe inſufficiens,cum ſola abſque potētijs diſtinctis poſſet, (ſicut modo ſubſtātia animę)ſuos vitales actus elicere.Si vero potētię diſtinctę adſtruēdę ſūt, ageret per facultates intellectus & voluntatis, vniuerſales ad omnes intelligēdi, & volendi actus indifferentes, ſicut modò ſunt intellectus,& voluntas, naturales; non per facultates ſupernaturales determinatis actuum ſpeciebus adſtrictas, ſicut

Ad ſecundum.

Ad tertium.

Digitized by Google

modo ſunt habitus nobis infuſi. Secundo eleuatur abſurdũ, ſi tueris, habitus infuſos non eſſe vitales nobis, fore autẽ vitales ſubſtãtiæ ſupernaturali, quia ijdẽ habitus nobis extranei, forẽt ſubſtantiæ ſupernaturali connaturales, & intranei. Eſſe autem facultatem aliquam vitalem alicui ſubſtantiæ non eſt aliud, quam eſſe ſubſtantiæ viuenti rationem ab intrinſeco agendi; ad quod neceſſarium eſt, vt facultas inhæreat ab actione, aut exigentia intrinſeca ſubſtantię viuentis; ideo enim intellectus diſtinctus, (eſto non recipiat actus intelligendi, vt ego docui lib. de anima, alijque recentiores ſequuntur,) facultas vitalis eſt, quia adeſt ab intrinſeca exigentia animæ; habitus verò fidei non eſt vitalis, licet ſit facultas æquè determinata, ac intellectus ad agendum intra idem ſuppoſitum, quia ab intrinſeco aduenit ſubſtantiæ viuentis. Igitur cùm ſubſtantiæ ſupernaturali ineſſet ab intrinſeco eadem facultas credendi, ſicut ineſt intellectus ſubſtantiæ animæ, illam et qualitas comparatione talis ſubſtãtiæ eſſet vitalis. Quare illa conferret in actus concurſum, quem deberet conferre ipſa ſubſtantia viuens, modo autem non confert concurſum, quem ſubſtantia animæ conferre deberet: ſed præter illum, quem præbet anima in actus naturales, ſuperaddit habitus alium extraneum in actum, quem ſuis ſolis viribus edere non ſufficeret. Itaque facultatem aliquam eſſe vitalem, aut non vitalem alicui ſubſtantiæ, relatiuum eſt, atque adeo diuerſa relatio, qua habitus ſupernaturales comparantur cum natura nunc intelligenti, & cum ſubſtantia ſupernaturali, poteſt eaſdem qualitates conſtituere alteri vitales, & alteri non vitales. Explicatur ſenſibus corporeis ab anima diſtinctis: qui communi conſenſu Philoſophorum inhærent corpori, & ſi vis, etiam animo. Nihilominus non ſunt vitales corpori, ſed animo, hoc eſt, ſolus animus viuit per actionem illorum, & non corpus. Nimirum quia animo connaturales ſunt iuxta determinatam exigentiam ipſius: corpori vero iuxta determinatam exigentiam non adſunt. Tertiò; ea ratione lib. de anima habitus ſupernaturales à principijs vitalibus ſegregaui, quia principium vitale exigit per ſe determinatum eſſe ad agendum immanenter in ſuppoſito, cui intrinſecum eſt; quare intellectus diſtinctus ab anima per ſe exigit vnionem cum animo, vt ipſum iuuet ad agendum, & ſeparatus ab animo non poteſt quidquam agere neq; intellectus vnius hominis penetrati cum alio poteſt animum alterius ad agendum cõpellere. At habitus ſupernaturalis licet ex conceptu accidentis poſtulet inhærere ſubiecto, eaque ratione natura opportunius illi inſtituit ſubiectum, ſubſtantiam animæ; tamen ex conceptu principij operatiui non poſtulat vnionem cum ſuppoſito, in quo operatur, ſed à ſubiecto ſeiunctus, & per creationem exiſtens ſicut accidentia Euchariſtica; quin & habitus ſupernaturales vnius hominis penetrati cum alio, præſentes animo alterius poſſunt agere per ſe in ſubiectum, cui non ſunt coniuncti. Hæc ratio ſi quidquam valet, manifeſtum reddit diſcrimen, quare intellectus diſtinctus ſit facultas comparatione ſubſtantiæ ſupernaturalis: quandoquidem etiam comparatione talis ſubſtantiæ vitalis comparatione ſubſtantiæ naturalis, non eſſet autem vitalis, habitus nobis infuſus etiam poteſt retinere eundem agendi modum, quem habet comparatione animę. Neque huius doctrinæ alia ratio aptior eſt, quam à te cenſeri abſurdum, habitus ſupernaturales admitti vitales, etiam comparatione ſubſtantiæ ſupernaturalis; à choro autem facultatũ vitalium excludi non poſſe etiam comparatione ſubſtãtiæ ſupernaturalis, niſi ratione ſuperiori, qua comparatione animæ vitales negantur.

Ad quartum.

86. Ad quartum, reor diſcrimen inter ſubſtantiam ſupernaturalem, & eas, quæ tuo argumento opponuntur; quod iſtæ inuoluunt contradicentia, quæ non inuoluit ſubſtantia ſupernaturalis. In prima ſubſtantia contradicentia ſunt, ſubſtantia natiua virtute operans, & miracula patrans. Nam miracula dicuntur, quæ ſupra virtutem cauſarum ſecundarum, etiam ſupernaturalium fiunt: etenim ſi miracula intelligas ſolum effectus, qui prouidentiâ extraordinaria fiunt ſupra naturam ſubiecti, quamuis non ſint ſupra exigentiam operantis, non implicabit ſubſtãtia ſuis viribus patrãs aliqua miracula, immutanſq; ſubiecta ſupra ipſorũ naturã. Vt enim exiſtũt facultates creatę, ſcilicet habitus agẽtes effectus ſupernaturales abſconditos ſenſibus, exiſtere poſſent agentes effectus ſupernaturales ſenſibus manifeſtos, ac proindè inducẽtes hominem in admirationem, quod miraculi proprium eſt. Quænam autem ſint miracula, quæ in poteſtate alicuius creaturæ contineri poſſunt, alterius diſputationis eſt. In ſecunda, contradicentes ſunt ſubſtantia creata, & vendicãs naturâ proprietatem infinitam, hoc eſt, ſubſiſtentiam diuinam. Nam proprietas continetur in natura, quam perfectione ſuperare non poteſt. Subſiſtentia autem naturę proprietas eſt, aut vicaria proprietatis. Denique in tertia implicantur hæc duo, ſubſtantia creata, & *Anſelmus.* cum vnitate naturæ perſonis multiplicata. Quoniam vnitatem naturæ cum pluralitate perſonarum ſola poteſt componere infinitas Dei, in quam ſolent referre Patres Eccleſiæ, ac Theologi vnitatem naturæ diuinę cum Trinitate perſonarum. Sufficit nunc Anſelmus de Incarnatione Verbi c.8. *Vnum eſt ibi tria, & tria Vnum, ineſſe tamen tria de inuicem dicuntur. Nec incredibile debet eſſe in natura, quæ ſupra omnia, & omnibus alijs diſſimilis eſt, eſſe aliquid, cuius exemplum in alijs rebus non valeat perfectè inueniri.* En vnitatem naturæ, & Trinitatem perſonarũ reuocat in ſupremam, & infinitam altitudinem, qua Deus ſuper omnia, omnibus rebus creatis diſſimilis eſt. Creatura autem ſuprema hac altitudine, & infinita caret. Ergo creaturæ manifeſtè repugnat vnitas naturæ cum Trinitate perſonarum. Atqui hæc contradicentia prædicata, quæ in ſubſtantijs à te confictis occurrunt, non inueniuntur in ſubſtantia ſupernaturali. Ergo male deducis ex ſubſtantia ſupernaturali figmenta quæ nobis opponis.

Digitized by Google

SECTIO DECIMA-OCTAVA.

Opponitur, ſubſtantiam ſupernaturalem fore Filium naturalem Dei, & explicatur.

Poſtrema repugnãtia

87. DEmum obiicitur, puram creaturam fore Filum naturalem Dei. Tum quia forma conſtituens Filium; quæ eſt gratia ſanctificans, eſſet illi naturalis. Tum quia haberet ius naturale in hæreditatem gloriæ, nempe à ſua natura, & non per adoptionem, & acceptationem extraneam. Quod ius coniunctum eſt cum filiatione naturali, iuxta illud Pauli, *quod ſi filij, & hæredes*. At hoc Theologice admitti non debet, cum ſolus homo Deus vendicet ſibi excellentiam filiationis naturalis, quæ Patribus, ac Concilijs diuinitatis argumentum eſt. Ergo. Confirmatur nouiſſimè à Patre Torres relato num. 38. Ad rationem adoptionis requiritur, vt ex indulgentia, & beneficio alterius filius ſit, & ius in hæreditatem acquirat, vt conſtat ex inſt. de adopt. & Sacroſyllabo Concilij Francofordienſis col. 5. ibi: *Adoptiuus dici non poteſt, niſi is, qui alienus eſt ab eo, à quo dicitur adoptatus, & gratis ei adoptio tribuitur, quoniam non ex debito ſed ex indulgentia tantummodo adoptio præſtatur*. Ea autem ſubſtantia non eſſet filius, aut hæres ex indulgentia, & gratia alterius, ſed ex ipſius natura independenter à gratia & beneficio alterius. Ergo non eſſet filius adoptiuus. Naturalis autem eſſe non poteſt, ſubſtantia pure creata: neque medium inter Filium adoptiuum, & naturalem à Theologis agnitum eſt. Ergo.

Paulus. — P. Torres. — Concilíu Francofor.

Explicatur.

88. Hoc argumentum ſpeciem aliquam pręſe fert. Tamen ſine labore eleuatur. Negamus ſequelam, ſubſtantiam ſupernaturalem puram creaturam fore Filium naturalem Dei. Primo, quia filiatio, & hæreditas competeret ſubſtantiæ ſupernaturali ex indulgentia, & fauore Dei. Quod duplici ratione poteſt explicari. Tum quia poſſet eſſe ſubſtantia ſupernaturalis, cui non eſſet debita gratia ſanctificans neque per idemtitatem, neque per diſtinctam vnionem, atque ita eſſet gratioſa: nam poſſet eſſe ſubſtantia ſupernaturalis capax peccati, vt dicebamus ſectione 8. & incapax ſuis viribus efficere actus charitatis, vt dicebamus num. 40. & 74. quæ duo probabiliſſimo iudicio à gratia ſanctificante aliena ſunt. Tum quia licet ſubſtantiæ ſupernaturali deberetur iuſtificatio, tamen non deberetur hæreditas gloriæ, & Filiatio Dei; quoniam gratiæ iuſtificanti, non eſt annexa ex natura rei Filiatio Dei, & hæreditas gloriæ, ſed nouus fauor, nouaque indulgentia neceſſaria eſt, vt homo iuſtificatus accipiatur in Filium Dei, ac hæredem gloriæ: vt vberi diſputatione oſtendi cum pluribus Theologis tr. de gratia iuſtificante. Secundò, quia ad Filiationem naturalem requiritur, vt Filius ſit natiuitate, eiuſdem naturæ, aut eiuſdem perſonalitatis cum Patre, quippe vt procedat ab illo tanquam à principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ, vt communis fert definitio natiuitatis viuentium. Vnde Adrianus in epiſt. ante Concilium Francofordienſe probat, teſtimonijs Gregorij Chriſtum eſſe Filium naturalem, quia natiuitate ſuppoſiti diuinitatem accepit. *Omnes, qui in fide Deo naſcuntur, ſuperat; quia non vt cæteros adoptio, ſed natura illum diuinitatis exaltat*. Rurſus; *& ſi adoptiuus quiſque Filius ad perficiendam diuinitatem proficit, nequaquam tamen, vt Deus naturaliter eſſet, accepit*. Differt igitur adoptiuus Filius à naturali Dei; quod adoptiuus eſt natura omnino extraneus Deo, naturalis vero diuinitate coniunctus eſt; quod in eadem epiſtola, & libro Sacroſillabo, in ipſoque Francofordienſi Concilio frequens eſt. At ſubſtantia ſupernaturalis eſſet omnino extranea Deo, nequaquam diuinitate Deo coniuncta. Ergo licet ius in hæreditatem gloriæ eſſet intrinſecè connaturale, & annexum, nequaquam ſubſtantia ſupernaturalis eſſet Filius Dei.

Primo. — Secundo. — Adrianus.

Vlterius explicatur.

89. Eſſet itaque Filius adoptiuus, quamuis hæreditas, & filiatio eſſet ex natura rei debita ſubſtantiæ ſupernaturali. Sed non eſſet adoptiuus, eâ ſpecie adoptionis, qua nos adoptati ſumus, ſed alia alterius rationis. Eſſet quidem ſubſtantia ſupernaturalis Filius adoptiuus, quamuis hæreditas, & filiatio eſſet annexa ex natura rei tali ſubſtantiæ. Tum quia non eſſet Filius naturalis, ac proprius. Filius autem non naturalis, ac proprius communi vſurpatione datur adoptiuus: neque enim inter adoptiuum, & naturalem medius aliquis definitus eſt. Tum quia Filius adoptiuus dicitur, qui cum non ſit coniunctus Patri per idemtificationem alicuius partis vtrique communis, coniungitur illi per affectum paternum ſubſtituentem coniunctionem Phyſicam, ac realem Filij naturalis. Ita inuenio in libro Sacroſillabo Concilij Francofordienſis. *Adoptiuus enim; non niſi affectata loquutionis alienus dicitur filius: omnis enim adoptatio ex affectione ducit vocabuli ſui originem: quamquam ethymologia ſue, non videatur trahere ſimilitudinis ſonum. Ex affectu quidem dilectionis pars ſubrepit parti, vt in vtraque conueniat dilectionis affectus*. At ſubſtantia ſupernaturalis eſſet coniuncta Deo ex natura rei ſolum per affectum, & non per idemtitatem alicuius partis vtrique communis. Ergo eſſet Filius adoptiuus, & non naturalis. Non eſſet autem adoptiuus adoptione, qua nos adoptiui ſumus, ſed alterius rationis. Etenim forma exigens affectionem Paternam Dei eſſet alterius rationis, nempe ſubſtantialis, & debita rei, cum modò forma adoptans hominem in Filium Dei ſit indebita, & accidentalis. Eſſet itaque adoptio, & hæreditas adoptiua naturalis illi ſubſtantiæ, prout naturale opponitur præternaturali, non vero prout naturale opponitur adoptiuuo. Quare filiatio, & hæreditas duplici ſenſu poteſt dici naturalis,

Concilium Francofor.

Primo, prout non eſt indebita, & præternaturalis rei. Secundo, prout non eſt adoptiua. Priori ſignificatione filiatio naturalis exprimit filiationem, quæcumque illa ſit, eſſe debitam naturæ viuentis. Poſteriori vero ſiue debita, ſiue indebita ſit naturæ viuentis, non eſſe qualemcumque, ſed participem ſubſtantiæ paternæ per coniunctionem Phyſicam, & realem cum Patre. Porro Theologi ac Patres Eccleſiæ differentes, an Chriſtus quâ homo, ſit Filius naturalis Dei, non agunt de filiatione naturali in priori vſurpatione; ſed in poſteriori. Ac proinde Filius naturalis abſolute ſonat poſteriori ſignificatu viuens procedens à viuente, Phyſice coniuncto cum illa participatione alicuius ſubſtantiæ communis. Quia autem Chriſtus quâ homo eſt, coniungitur Deo Phyſice participatione ſubſtantiæ communis, ſiue quia ſubſiſtentia vtrique communis eſt, ſiue quia natura humana realiter coniungitur naturæ diuinæ; ideo etiam quâ homo eſt, dicitur Filius naturalis, quamuis hæc coniunctio non ſit naturalis, hoc eſt, debita humanitati.

Iam duplex ſolutio argumenti. 90. Iam dilucida eſt abſurdi quarti enodatio cum probationibus ipſius. Primo, quia filiatio, & hæreditas poteſt negari debita ſubſtantiæ ſupernaturali. Secundo quia eſto debita ſit, non erit naturalis eo ſenſu, quo filiatio, & hæreditas naturalis opponitur adoptiuæ, ſed præternaturali, & indebitæ. Ad confirmationem. Ad confirmationem reſpondeo. Gratia, & indulgentia neceſſaria eſt ad adoptionem naturæ, quæ contraponitur ordini ſupernaturali, non vero ad eius ſubſtantiæ adoptionem, quæ ex ſe in ordine ſupernaturali conſtituta eſt. In Concilio Francofordienſi autem de priori adoptione agebatur, eâ quippe, qua nos in filium adoptamur, an eadem adoptione, natura humana, Chriſti in Dei Filium aſſumpta ſit? quod expreſſit Adrianus ſua epiſt. col. 2. *dicant vbi vnquam communi affectu dixerit nobiſcum Pater noſter. Scit enim, inquit Math. 6. Pater veſter, quid vobis opus ſit. Non ait noſter, quaſi nobiſcum adoptatus per gratiam.* Ergo de ea adoptione ſermo erat, quæ noſtrum propria eſt, eamque communem Chriſto negabat. Ideo columna quinta ſeuere carpit Elipandum & Fælicem, quod prædicantes Chriſtum adoptiuum, ſimilem eum fecerint reliquis hominibus, ac proceribus iuſtis. *Redemptor noſter, homo ſine peccato, filius ſine adoptione. Nam ſi homo quidem, ſed extra menſuram hominum credendus eſt. Vnde benedicitur; nullus ei ſimilis in legiſlatoribus.* Et alia ſcriptura; *quis in nubibus æquabitur Domino? aut quis ſimilis erit Deo inter Filios Dei? tanta nimirum vos temeritatis dementia deludit, vt æquare eum nubibus, & legiſlatoribus non erubeſcatis. Adoptiuum eum quaſi purum hominem impij, & ingrati liberatorem noſtrum non pertimeſcitis venenoſa fauce ſuſurrare.* Volebant enim Hiſpani noſtri, Chriſtum quâ hominem, eſſe adoptiuum filium, & non naturalem, eâ adoptione, quæ alijs hominibus communis eſt; Adrianus vero, & Patres Francofordienſes naturalem, & non adoptiuum, ſicut alios homines, contendebant. Ac per conſequens ſolam adoptionem gratioſam, quæ ſola naturæ humanę competere poterat, quippe quâ nihil ſupernaturale ſibi naturale, ac debitum vendicabat, definierunt illi Patres; quin alterius adoptionis poſſibilis meminerint, neque eiuſcemodi explicatione opus fuerit.

Adrianus.

Matth. 6.

91. Vrgebis; ergo Chriſtus recte dici poteſt filius adoptiuus adoptione diſtincta ab adoptione puri hominis, ſicut dicitur ſubſtantia ſupernaturalis, quin repugnetur Patribus Eccleſiæ, ac Concilio Francofordienſi: ſiquidem illis inſtituta diſputatio non fuit contra Hiſpanos de alio genere adoptionis, quam eo, quo puri homines adoptiui ſunt. Præterquam à me alia ſpecies adoptionis conceditur; de qua illi Patres non egerunt. Nego conſequentiam. Nam filius adoptiuus eſſe non poteſt, niſi is, qui non eſt proprius, ac naturalis filius: quippe adoptio ſubrogatur in defectum filiationis naturalis, vt is, qui per naturam alteri coniunctus non eſt, per affectum Paternum coniungatur. Ita liber Sacroſillabus Francofordienſis col. 1. ibi: *Adoptiuus dici non poteſt, niſi is, qui alienus eſt ab eo, à quo dicitur adoptatus*, columna 7. ibi; *adoptiuus enim non niſi alienus dicitur filius. Omnis enim adoptio ex affectione ducit vocabuli ſui originem.* Et paulò ſuperius; *Abuſiue namque & non eſſentialiter adoptiuus eſt filius dictus; ſicut Moyſes in filium adoptatus eſt filiæ Pharaonis; alienus ab ea, & generatione, & ſanguinis affinitate. Hoc ideo poſuimus, vt patenter daretur intelligi; eum dici adoptatum, qui nondum prius fuerat proprius filius adoptantis.* At Chriſtus negari non poteſt verus, proprius, ac naturalis Filius Dei, etiam quâ homo eſt, quin repugnetur Patribus Eccleſiæ, & Concilio Francofordienſi, vbi contra Fælicem, & Elipandum non ſolum ſtabilitum eſt, Chriſtum non eſſe adoptiuum, adoptione nobis communi, verum etiam, & eſſe Filium Dei proprium, ac naturalem, quod negabant Elipandus, & Felix. Ergo Chriſtus aſſeri non poteſt Filius adoptiuus, quin repugnetur Patribus, & Francofordienſi Concilio. Quare poſt ſuperiora immediatè ſubiungitur: *Vnde in Dei Filium non cadit nomen adoptionis, quia ſemper verus Filius, ac per hoc, & poſt aſſumptum hominem veri Filij vocabulum non amiſit, qui nunquam verus eſſe deſijt Filius.* Porro ſubſtãtia ſupernaturalis non aſſeritur à nobis verus, proprius ac naturalis Filius, ſed Filius ſolũ per affectum paternũ, quem allicit iuſtitia, ac ſanctitas ipſius. Igitur quamuis ſubſtantia ſupernaturalis Filius adoptiuus cenſeatur, non eſt ratio, quare Chriſtus, adoptiuus cenſeri poſſit.

Obiicitur.

Solutio.

FINIS LIBRI PRIMI.

Digitized by Google

LIBER SECVNDVS.

ELEVATIO, AC POTENTIA OBEDIENTIALIS naturæ in dona ſupernaturalia.

EXPENDIMVS hucuſque quid poſſit natura ſuis facultatibus naturalibus relicta, quantumque eleuentur dona ſupernaturalia ſupra naturam ſibi dimiſſam. Nunc differendum, quò poſſit natura efferri virtute Dei, & an ea, quæ proprijs viribus ſibi naturalibus ſtatuimus naturæ impoſſibilia, adiunctis viribus ſupernaturalibus, & alienis poſſibilia naturæ ſint? Exacta enim comparatio donorum ſupernaturalium cum natura, plenaque cognitio nobilitatis donorum ſupernaturalium, & ignobilitatis, atque capacitatis naturæ, hanc diſputationem deſiderat. In qua plurima continentur his temporibus controuerſa, plurima multis, difficillimiſque quæſtionibus Theologicis ferentia lucem. Præcipue ea, quæ ad virtutem obedientialem attinent, quæ ex parte naturæ virtuti eleuanti Dei neceſſario reſpondent.

Digitized by Google

& 9. met. quæſt. 12. in 2. diſt. 18. quæſt. vnica arti. 4. Ferrara 3. contra Gentes cap. 54. ad 2. Scoti, & alij priſci, ac recentes Theologi, quorum meminerimus ſequentibus. Quo intelliges contra Cabreram 3. p. q. 1. art. 1. diſp. 6. num. 1. vſurpationem potentiæ obedientialis perantiquam, & communem veteribus Scolaſticis fuiſſe, cum hi authores eam tanquam aſſuetam ſuis temporibus explanent. Quin crediderim, primam lucem hauſiſſe potentiam obedientialem ab Auguſtino de Gen. ad litt. cap. 17. & 18. non ſolum quia primus ipſe in rebus naturalibus poteſtatem obſeruauit, ſed & quia primus obedientiæ vocem fundauit: talem rerum naturalium poteſtatem referens in obedientiam, qua creaturæ ſuo ſubiacent creatori, & in dominium, quo conditor de illis ad nutum diſponit. Quod tanquam nouum, & primum à fidelibus auditum explanat cap. 17. Nam cum quæſiuiſſet, an virtute naturali factum ſit, vt ex coſta viri prima fœmina formaretur? ſic aggreditur quæſtionem elucidare. *Dicam quid mihi videatur ſine affirmandi temeritate: quod tamen cum dixero, fortaſſe prudenter iſta conſiderantes, quos iam Chriſtiana fides imbuit, etiamſi nunc primitus iſta cognoſcunt, non eſſe dubitandum iudicabunt.* Vbi noto duo: alterum, aſſerere Auguſtinum, tunc primum cognoſcere fideles, quæ de illa quæſtione differit. Alterum, ea ad principia fidei pertinere, cum eos quos Chriſtiana fides imbuit, appellet iudices eorum, quæ mox expoſiturus eſt. Igitur illico diſtinguit in rebus creatis duplicem curſum, & poteſtatem; naturalem ſcilicet, & obedientialem. Naturalem ibi; *Omnis iſta naturæ vſitatiſſimus curſus habet quaſdam naturales leges ſuas, ſecundum quas, & ſpiritus vitæ, qui creatus eſt, habet quoſdam appetitus ſui determinatos quodam modo; quos etiam mala voluntas non poſſit excedere: & elementa mundi habent definitam vim, qualitatemque, quid vnumquodque valeat, voluntate non valeat, quid de quo fieri poſſit, vel non poſſit.* Obedientialem deinde ibi: *Super hunc autem motum curſumque rerum naturalem poteſtas creatoris habet apud ſe poſſe de his omnibus facere aliud, quam eorum quaſi ſeminales rationes habent.* Exemplis rem exponit, & concludit, reuocans effectus eius facultatis, non in naturam, ſed in obedientiam, qua natura ſuo conditori paret: *Veriori tamen alio modo dedit, vt non hoc haberent in motu naturali, ſed in eo, quo ita creata eſſent, vt eorum natura voluntati potentiori ſubiaceret.* En quare facultas, qua natura agitur, ſeu mouetur ſupra curſum naturalem rerum, potentia obedientialis dicta ſit; quod amplius, & expreſſius tradit cap. 18. *Habet ergo Deus in ſe ipſo abſconditas quorundam factorum cauſas, quas rebus conditis non inſeruit, eaſque implet non illo opere prouidentiæ, quo naturas ſubſtituit, vt ſint, ſed illo, quo illas adminiſtrat, vt voluerit, quas vt voluit, condidit; ibi eſt & gratia, qua ſalui fiunt peccatores.* Itaque potentia obedientialis pertinet ad prouidentiam gratiæ, quia Deus moderatur naturam: non prout ipſa natura exigit, ſed prout ipſi creatori tanquam Domino libitum eſt. Ad quam tandem reuocat formatio-nem Euæ ex coſta Adami, cuius occaſione ſuperiora ediſſerit. Plura in his teſtimonijs obſeruatione digna ſunt, quæ decurſu examinabimus. Nunc exploratum ſit, potentiam obedientialem notam fuiſſe Auguſtino, eique primo lucem, & vocem potentiæ obedientialis deberi.

Ferrara. Cōtra Cabreram. Auguſtinus primus inuentor potentiæ obedientialis.

4. Itaque potentia obedientialis recte definitur aptitudo rerum creatarum, vt pro arbitrio agentis ſuperioris, eiuſque auxilio ipſis indebito munus impleant, quod natiua virtute, & concurſu ſibi debito implere non poſſunt. Quare iuxta ea, quæ de eleuatione notauimus num. 2. potentia obedientialis proportione, primo ſonat paſſiue aptitudinem creaturæ, vt eleuetur à Deo; de quo plura diſputatione ſequenti. Secundo potentiæ obedientialis capaces ſunt etiam res, quæ in ordine ſupernaturali ſunt conſtitutæ. Tertio potentia obedientialis non ſolum cauſæ agenti & patienti, verum etiam cauſæ formali, tam intrinſece, quam extrinſece, alijſque pluribus communis eſt. De quo plura diſputatione ſequenti. Demum quarto, potentia obedientialis abſolute denotat facultatem naturæ ad ea, quæ entitate, aut modo ſupernaturalia ſunt. Quanquam interdum etiam natura, obedientialis dicatur, prout ſubiecta eſt Deo inducenti in ipſam formas naturales cum dominio ipſarum; ad diſcrimen eiuſdem naturæ accipientis eaſdem formas ab agentibus naturalibus, quæ tali dominio deſtituta ſunt: quippe hac conſideratione natura obedit Deo, etiam vt authori naturali, tanquam dominio, ſecus vero agentibus naturalibus, creatis. Ita habet Scotus 9. met. quæſt. 12. Rada 1. p. controu. 1. art. 1. con. 1. Philippus Faber diſp. 3. pro num. 4. & communiter Scotiſtæ, qui potentiam obedientialem à naturali, non per ordinem ad effectus, ſed per ordinem ad agens diſtinguere ſolent. Verum id quam infirmum ſit, conſtat ex diſput. 8. ſect. 2. & 4. conſtabitque ex diſp. 40. Quare rectius cum communi Theologorum conſenſu, & Auguſtino ſupra, hanc obedientialem potentiam definimus etiam in ordine ad effectus, & munera, quæ aut entitate, aut modo productionis ſupra naturæ conditionem exiſtunt.

Definitio potentiæ obedientialis. Nota primo. Secundo. Tertio. Quarto. Scotus. Rada. Faber.

5. Quare apte diuidimus potentiam obedientialem, in eam, quæ confert poſſe ad effectus ſolo modo productionis ſupernaturales, & in eam, quæ confert poſſe ad effectus ſubſtantia ſupernaturales. Vtriuſque meminit Auguſtinus ſupra. Prioris quidem cap. 17. ibi: *Alius ergo eſt rerum modus, quod illa herba ſic germinat, illa ſic, illa ætas parit, illa non parit, homo loqui poteſt, pecus non poteſt. Horum, & talium modorum rationes, non tantum in Deo ſunt, ſed ab illo etiam rebus creatis indita, atque concreata; vt autem lignum de terra exciſum aridum, perpolitum, ſine radice vlla, ſine terra, & à quo repente floreat, & fructum gignat: vt ſterilis fœmina in ſenectute pariat, vt aſina loquatur, & ſi quid eſt huiuſmodi, dedit quidem naturis, quas creauit, vt ex eis & hæc fieri poſſent: verumtamen alio modo dedit, vt non hoc haberent in motu naturali, ſed in eo, &c.* Cernis poteſtatem naturalem, & obe-

Diuiſio. Auguſtin.

dientialem ab Auguſtino diſcerni penes modum; quo ſolo effectus, quos recenſet, ſupra naturam ſunt. Poſterioris vero potentiæ meminit cap. 18. teſtimonio iam producto num. præcedenti; vbi talem facultatem compleri docet prouidentia ſupernaturali, ac gratioſa; eiuſque effectum refert gratiam, ſeu opera, & habitus gratiæ, qua homines ſaluantur, quæ iam ab omnibus ſubſtantia ſupernaturalia prædicantur. Porro nos de hac poſteriori obedientiæ facultate, quæ opera entitate ſupernaturalia reſpicit, diſputationem inſtituimus. Rurſus vero hæc potentia obedientialis communi diuiſione in actiuam, & paſſiuam diſtribuitur: actiuam, quæ agendo: paſſiuam, quæ patiendo quidpiam ſupernaturale incumbit. Quibus ſtatuendis, ac plene cognoſcendis venturæ diſputationes laborabunt. Præter quas potentias an etiam potentia obedientialis informans, aut etiam terminans, & aliæ ſimiles concedendæ ſint? nos primum differemus, & definiemus diſput. 43.

DISPVTATIO VIGESIMAQVINTA.

AN, ET QVA RATIONE ELEVETVR potentia obedientialis paſſiua?

ELEVATIO potentiæ obedientialis paſſiuæ explicationem deſiderat; quamquam apud Scholaſticos nullam inuenio diſputationem de illa.

SECTIONES.

1. *Explicatio controuerſiæ.*
2. *Ratio dubitandi.*
3. *Dirimitur controuerſia.*
4. *Explicatur modus, quo conſtituitur potentia obedientialis abſolute ſuſceptiua formæ ſupernaturalis.*
5. *Alius modus explicandi potentiam obedientialem naturæ abſolute ſuſceptiuam formæ ſupernaturalis.*
6. *Diluitur ratio dubitandi.*

SECTIO PRIMA.

Explicatio controuerſiæ.

AEgidius. Cabrera. Male probant potẽtiam obedientialem paſſiuam. S. Thomas.

1. AEgidius de Præſentatione tom. 2. de beatitudine lib. 10. qu. 2. art. 3. & Cabrera 3. p. q. 1. art. 1. diſp. 6. dub. 6. num. 1. indubitatum ſupponunt, ineſſe rebus potentiam obedientialem paſſiuam formarum ſupernaturalium, quæ non ſit naturalis, violenta, aut neutra. Suppoſitum probant pluribus teſtimonijs ſancti Thomæ, præſertim in 4. diſt. 8. art. 3. ad 4. aſſerentis, omni creaturæ ineſſe potentiam obedientialem, vt in ea fiat quidquid creator diſpoſuerit. Verum his locis Sanctus Thomas non agit de potentia obedientiali paſſiua diſtincta ab actiua, de qua nunc diſputationem ſuſcipimus: ſed de potentia obedientiali generice ſumpta, prout ad eam quæ agit, & patitur ſupernaturalia, communis eſt: quam ſic indifferentem frequenti vſurpatione vocat Angelicus Doctor paſſiuam. Imo in 4. ſent. diſt. 8. art. 3. ad 4. vnde ſuum argumentum depromit AEgidius, expreſſe differebat de virtute actiua verborum conſecrantium in Euchariſtia panem, ad faciendam tranſſubſtantiationem in corpus Chriſti. Itaque potentia obedientialis communis agenti, & patienti ſupernaturalia, lata quadam vſurpatione dicitur paſſiua. Ad quam non ineptum teſtimonium eſt, quod exhibet Doctor Angelicus 3. p. qu. 11. art. 1. corpore. *Eſt autem conſiderandum, quod in anima humana, ſicut in qualibet creatura conſideratur duplex potentia paſſiua: vna quidem per comparationem ad agens naturale: alia vero per comparationem ad agens primum, quod poteſt quamlibet creaturam reducere in actum aliquem altiorem actu, in quem reducitur per agens naturale, & hæc conſueuit vocari potentia obedientia in creatura. Vtraque autem potentia animæ Chriſti fuit reducta in actum ſecundum hanc ſcientiã diuinitus inditam. Secundum quam anima Chriſti primo cognouit, &c.* Expende potentiam obedientiæ in creatura ſine diſcrimine vocari paſſiuam, deindeque hanc potentiam paſſiuam reductam in actum per ſcientiam Chriſto infuſam, cognoſcendo obiecta naturalia, & ſupernaturalia. At potentia cognoſcens, quæ per ſcientiam infuſam deducta eſt in actum, non eſt ſolum patiens, ſed etiam agens: imo vt agens, potius quam vt patiens per habitum ſcientiæ infuſæ in actum reducta eſt, cum is habitus ad agendum potius, quam patiendum deſtinetur. Ergo potentia obedientialis communis potentiæ agenti quidquam ſupernaturale, vſurpatur à D. Tho. paſſiua. Idẽtidẽ 1. p. q. 115. art. 2. ad 4. virtutes inditas creaturæ ad iuuanda miracula vocat paſſiuas: & in 2. diſt. 18. q. 1. art. 2. corpore, *rationem obedientialem diſtinctam à ſeminatu-*

Potentia obedientialis communis agenti, & patienti, dicitur interdum paſſiua. S. Thomas

Digitized by Google

rali definit, potentiam, quæ rebus indita eſt ad ſuſcipiendum illud in ſe quod voluntas Dei diſponit. Quod alijs in locis D. Thomæ vſitatiſſimum eſt. Neque immerito potentia obedientialis ſic communis paſſiua nuncupatur. Nam vt obedientialis eſt, eleuatur à Deo, vt ab agente ſuperiori, eiuſque ſubiacet imperio, virtutemque agendi, & patiendi ſuſcipit deriuatam ab illo, modo quo progreſſu exponemus. Quæ conſiderationes paſſionem aliquam exprimunt grammaticalem, & impropriam. Ideoque diſputatione præcedenti num. 4. potentiam obedientialem paſſiue præmonuimus.

Notatio prima. 2. Quare ad ſtatuendam controuerſiam noto primo, controuerſiam non eſſe de potentia obedientiali, large, grammaticaliter, & impropriè paſſiua, quæ cum potentia etiam actiua confunditur: ſed de potentia ſtricte, Phyſice, ac propriè paſſiua, quæ ſuſceptiua eſt donorum ſupernaturalium, & exercitio cauſalitatis materialis ab actiua diſtinguitur. Noto ſecundo, non vocari in controuerſiam, an detur in rebus hæc virtus ſuſceptiua formarum ſupernaturalium ab actiua diſtincta. Nulli enim Theologorum dubia fuit exiſtentia illius, vt optime ſupponunt AEgidius, & Cabrera ſupra, Pater Suarez tom. 1. in 3. p. diſp. 31. ſect. 6. §. *Secunda ratio*, & plures quos ipſe refert. A qua poſitione inique excipitur à Cabrera Scotus, vt videbimus num. 7. Item à recentioribus, illi qui tuentur dona ſupernaturalia creatione produci; nam vt obſeruauimus diſp. 7. ſect. 1. ij authores non negant eductionem, quòd formas ſupernaturales cenſeant independentes à ſubiecto ſuſtentante*: ſed quod in virtute naturali ſubiecti, quod ipſas ſuſcipit, non præcontineantur, vt ad eductionem opus eſſe, arbitrantur: diſſentientes quidem ſolum de voce ab ijs, qui eas formas educi è ſubiecto profitentur. Itaque creationem vocant productionem formæ independentis à ſubiecto præcontinenti formam in virtute naturali ſubiecti, quamquam dependentis in genere cauſæ materialis à ſubiecto ſuſtentante formam, virtute eleuata, & præternaturali ſubiecto; qualem ſuſtentationem, & paſſionem formis ſupernaturalibus nullus Theologorum negauit. De quo recole quæ diximus diſput. 7. Vnde controuerſia ſolum eſt, an hæc virtus ſuſceptiua formarum ſupernaturalium obedientialis ſit, & qua ratione obedientialis eſſe queat? Rurſus noto tertio, à nobis nunc ſupponi, eam virtutem ſuſceptiuam donorum ſupernaturalium non eſſe naturalem; etenim longa diſputatione octaua relictum eſt, virtutem naturæ patientem dona ſupernaturalia naturalem eſſe non poſſe. Neque verò potentia obedientialis ſine examine ponenda eſt, quia vt ratione dubitandi conſtabit, poterat ea potentia reduci ad quandam potentiam neutram, mediam inter obedientialem, & naturalem, vt potentia ſuſceptiua plurium formarum naturalium reuocatur in aliam potentiam neutram, quæ inter naturalem, & violentam media ſit. Igitur diſputationis ſubiectum erit, an virtus paſſiua donorum ſupernaturalium obedientialis, & eleuata ſit? an ad tertiam ſpeciem potentiæ neutrius mediæ inter naturalem & obedientialem pertineat

Secunda. AEgidius. Cabrera. P. Suares. Scotus. Tertia notatio.

SECTIO SECVNDA.

Secunda ratio dubitandi.

3. Ratio dubitandi eſt. Potentia obedientialis eſt inſufficiens, & incompleta intrinſece, & completur, ac ſufficiens conſtituitur virtute diuina extrinſeca. Sed potentia paſſiua formæ ſupernaturalis, vt paſſiua eſt, non eſt inſufficiens, & incompleta intrinſece, quæ compleatur, & ſufficiens conſtituatur virtute diuina extrinſeca. Ergo potentia paſſiua formæ ſupernaturalis, vt paſſiua eſt, non eſt obedientialis. Conſequutio eſt legitima. Probatur maior à poſteriori, exemplo potentiæ obedientialis actiuæ, quæ proculdubio intrinſece ſufficiens, & incompleta eſt, & auxilio ſuperioris agentis completa, & ſufficiens conſtituitur. A priori vero: quia potentia ex ſe, & intrinſecè completa, ac ſufficiens ad effectum, non eſt quò ſit obediens virtuti ſuperiori, à qua obedientialis reddatur; ſiquidem virtus omnino completa, ac ſufficiens intrinſeca, ſeorſim ab alterius virtute poteſt in ſuo genere propriam cauſalitatem exercere: nam ſi ad illam in ſuo genere exercendam ab alterius virtute in eo genere depẽdet, iam intrinſeca, cõpleta, ac ſufficiens nõ eſt, ſed alterius virtute extrinſeca integratur. Ergo potentia obedientialis qua obedientialis eſt, non eſt intrinſeca, cõpleta, ac ſufficiens, & ab alterius extrinſeco complemento, & auxilio independens. Probatur minor. Subſtantia animæ, in qua recipitur gratia iuſtificans, ſeorſim ab alia virtute patiente, eſt ipſa adæquate ſuſceptiua gratiæ iuſtificantis, nam nullum à Deo confertur auxilium, quod integre, aut partim ſuſtentet cum anima gratiam. Etenim hoc auxilium ſuſtentans cum anima gratiam non eſt extrinſecũ, cum nulli ſubiecto animæ extrinſeco gratia inhæreat; neque eſt intrinſecum, cum ad illud ſuſtentandum aliud eſſet neceſſarium auxilium intrinſecum, quo anima iuuaretur; ac per conſequens eſſet proceſſio infinita qualitatum ſupernaturalium iuuantium animam ad ſuſcipiendam gratiam. Ergo ipſa ſubſtantia animæ ſecundum virtutem ſibi intrinſecam condiſtinctam ab omni extrinſeca eſt completa, ac ſufficiens ad genus cauſæ materialis, quod exercet in gratiam. Quamuis enim indigeat virtute diuina agente gratiam, vt ſuſtentet illam, indigentia talis virtutis non eſt ad ſuſtentandum, ſed ad agendum: quare ſi per impoſſibile gratia exiſteret à ſe independenter à principio efficienti, ineſſet animo independenter à virtute diuina, cum virtus diuina ad munus ſuſtentandi nihil conferat præter entitatem nudam ſubſtantiæ animæ. Atque ita virtus ſuſtentandi gratiam animo ineſt intrinſeca in ſuo genere completa ac ſufficiens. Confirmatur primo. Potentia obe-

Arguitur.

Digitized by Google

dientialis, vt obedientialis eleuatur ad ſuum actum virtute ſuperiori in eo genere, quo obedientialis eſt. Eleuari enim proprium eſt obedientialis potentiæ. At potentia paſſiua gratiæ, qua paſſiua eſt, non eleuatur virtute ſuperiori Dei in genere virtutis patientis. Nam virtus eleuans in aliquo genere exercet cauſalitatem in illo: qua enim ratione ad illud genus cauſalitatis eleuare poteſt carens poteſtate exercendi cauſalitatem illius generis; virtus autem diuina cauſalitatem materialem non exercet. Ergo potentia paſſiua gratiæ, quâ paſſiua eſt, non eſt obedientialis. *Secundo.* Confirmatur ſecundo. Obedientialis potentia, vt obedientialis, eſt inſtrumentalis: nam vt ipſum nomen præ ſe fert, operatur ſubordinata alterius virtuti principali. Sed potentia paſſiua gratiæ, vt paſſiua eſt, non eſt inſtrumentalis; quia non eſt alia virtus paſſiua gratiæ, cui tanquam principali ſubordinetur, & à qua ipſa virtutem accipiat. Ergo potentia paſſiua, vt paſſiua eſt, non eſt obedientialis.

P. Faſolus ſoluit. 4. Dices cum Patre Faſolo 1. p. qu. 4. cap. 2. art. 5. num. 57. potentiam paſſiuam gratiæ non eſſe inſtrumentalem; tamen obedientialem eſſe; quia ſubordinatur imperio Dei iubentis, vt anima, quæ ex ſe non poteſt formam ſupernaturalem ſuſtinere, obediens ipſi ſuſtineat: Quippe eo decreto Dei, quod ad cauſam patientem vt ab agente diſtinctam neceſſarium eſt, eleuatur & fulcitur, vt poſſit in genere cauſæ materialis & paſſiuæ, quod pro viribus ſibi debitis non poteſt: etiamſi ipſum imperium Dei paſſiuum non ſit. *Redarguitur.* Sed contra imperium, ſeu decretum mere extrinſecum, nihil confert ſubſtantiæ animæ, vt ex impotente paſſiue, reddatur paſſiue potens, potius quam ſi non eſſet: ſiquidem neque partialiter ſuſtentat gratiam, neque animam diſponit, neque applicat ad illam. Ergo fruſtra requiritur ad patiendum tale imperium Dei diſtinctum ab eo, quod ad agendum gratiam neceſſarium eſt. Ad agendum quidem cernitur quomodo decretum extrinſecum eleuet imbecillitatem naturæ: ſcilicet quia ipſum continet virtutem agendi, qua compleri, & ſuffici poteſt virtus incompleta, & inſufficiens naturæ. Ad patiendum vero non apparet quid conferat extrinſecum Dei imperium, quod nulla ratione iuuat imbecillitatem naturæ, aut ſuſcipiendo in illa formam ſupernaturalem, àut diſponendo, applicandoue formam ad illam? *Explicatur.* Explicatur. Non poteſt forma naturalis, impotens reddere animo effectum formalem ſupernaturalem, eleuari imperio Dei, vt illum effectum animo reddat, quin ipſum imperium ingrediatur conſtitutionem talis effectus formalis, vt per albedinem reddatur animus iuſtus, & videns Deum, quia tale imperium nihil in illum effectum cōfert, aut ex parte formæ, aut ex parte ſubiecti. Ergo ſimiliter neque ſubiectum impotens recipere formam, poteſt intrinſeco imperio Dei fieri potens propter eamdem rationem.

Alia ſolutio. 5. Dices ſecundo, vt potentia paſſiua gratiæ obedientialis, & inſtrumentalis ſit, adeoque eleuetur ad patiendum, non requiri aliquod imperium Dei, quo conſtituatur potens recipere gratiam, diſtinctum ab eo, quod ad agendum illam neceſſarium eſt: ſed ſufficere, vt gratiam recipere nequeat, niſi ab agente ſupernaturali per concurſum actiuum indebitum ipſi naturæ: itaque ſub ordinationem potentiæ paſſiuæ ad actiuam, quæ auxilium eleuans, & ſupernaturale requirit, capacitatem animæ ſuſcipientem gratiam conſtituere obedientialem, inſtrumentalem, & eleuatam. *Vrgetur.* Sed contra; nam virtutem paſſiuam animæ non poſſe recipere formam ſupernaturalem, niſi per auxilium actiuum ſupernaturale, & indebitum, ſolum arguit, potentiam actiuam naturæ eſſe obedientialem, non vero potentiam paſſiuam, vt adæquate condiſtinctam ab actiua; nam ſolum arguit, actiuam eſſe inſufficientem, & imbecillem ſine auxilio indebito Dei; non vero paſſiuam, vt paſſiua eſt; quandoquidem paſſiua, vt adequate condiſtincta ab actiua, aliquid indebitum non requirit, ſed per ſuam entitatem intrinſecam, abſque adiutorio ſupernaturali, adæquate ſuſtentat formam ſupernaturalem. Ergo ſola actiua, non vero paſſiua, qua paſſiua eſt, & diſtincta ab actiua, erit obedientialis. Siquidem vt ſuperius arguebamus, virtus obedientialis, & inſufficiens, ac indigens auxilio Dei in proprio genere cauſandi, idem ſunt. *Explicatur.* Explicatur; ſi per impoſſibile poſſet animus ſuis viribus naturalibus actiuis efficere actum fidei, verum illum ſuſtinere paſſiue non poſſet ſine adiutorio materiali ſupernaturali, ita vt animus ſine habitu fidei, aut alia qualitate ſupernaturali non poſſet efficere actum ſupernaturalem fidei; non quia ea qualitas ſupernaturalis iuuaret actiue animam, ſed quia partialiter, aut adæquate ſuſciperet actum ſupernaturalem cum anima, quem tamen poſita qualitate abſque auxilio actiuo ſupernaturali adæquate animus efficeret. Tunc potentia actiua animæ ad actum ſupernaturalem non eſſet obedientialis, neque eleuata, quia in genere cauſæ actiuæ eadem vi concurreret ad actum fidei, ac ad actum quemlibet naturalem; quamuis ad patiendum eum actum expectaret, ſeu requireret virtutem ſibi indebitam. At eodem modo comparatur nunc potentia paſſiua animæ, adæquate ſuſcipientis formam ſupernaturalem, cum potentia actiua naturæ non valentis illam efficere abſque auxilio actiuo ſupernaturali, quo cōpararetur ea potentia actiua animæ adæquate efficientis actum ſupernaturalem cum potentia paſſiua naturæ valentis ſuſtinere formam ſupernaturalem ſine ſubſidio ſibi indebito, ſimul recipiente. Ergo potentia paſſiua naturæ, vt paſſiua eſt, non erit obedientialis, quia patitur formam ſupernaturalem ſubordinatam auxilio ſupernaturali actiuo: ſiquidem poſito eo auxilio actiuo ipſa patitur adæquate abſque indigentia alterius, quæ titulo paſſionis neceſſaria ſit.

6. Igitur cum aliunde potentia ſuſceptiua formarum ſupernaturalium non ſit naturalis, vt probatum eſt diſp. 8. erit potentia quædam neutra media inter potentiam obedientialem, & naturalem. Quippe potentia

Digitized by Google

naturalis eſt, quæ influit in formam cum auxilijs in omni genere neceſſarijs ſibi connaturalibus, ac debitis: potentia obedientialis cum auxilijs ſibi indebitis in eo genere, in quo ipſa concurrit, neutra vero participans aliquid de vtraque, quæ indiget auxilijs ſibi indebitis in alio genere cauſæ, ab eo in quo ipſa præſtat concurſum, ſicut inter potentiam naturalem, quæ propendet in formam, & potentiam violentam, quæ illi reluctatur, datur communiter alia potentia neutra, & media, quæ nec reluctatur, nec propendet.

SECTIO TERTIA.

Dirimitur controuerſia.

Statuitur ſententia communis.

7. NIhilominus communis ſententia deferenda non eſt, quæ potentiam obedientialem paſſiuam, tanquam rem omnibus Theologis indubitatam ſupponit. Conſulantur P. Suarez num.2. Cabrera, & AEgidius de Preſentatione num. 1. à quo exceptum non fero Scotum, quidquid aliter ſentiat Cabrera ſupra. Nam potentiam obedientialem paſſiuam naturæ humanæ ad ſuſcipiendam vnionem hypoſtaticam adeo expreſſe tuetur in 3. diſt. 1.q.5. vt ſolo relatore opus ſit. Verum quidem eſt, potentiam ſuſceptiuam formæ ſupernaturalis vocari ab ipſo naturalem, & negari potentiam paſſiuã à naturali violenta, & neutra diſtinctam. Cæterum aliud eſt negare potentiam obedientialem omnino, aliud illam negare diſtinctam à potentia naturali violenta, & neutra: quare Scotiſtæ obedientialem paſſiuam ſupponentes cum reliquis Theologis, ſolum diſquirunt, an ea ad naturalem, an ad neutram reducenda ſit? vt videre eſt apud Philippum Fabrum prol.diſp.3. num.4. & Radam 1. p.controu.1.art.con.1. Qua in re ſane multum poteſt de vocabulo contendi. Duo itaque explicanda ſunt. Primum de re, an potentia ſuſceptiua formæ ſupernaturalis differat modo cauſandi à potentia ſuſceptiua formæ naturalis? Secundum de voce, an ea potentia ſuſceptiua formæ ſupernaturalis iure dicatur obedientialis?

P Suarez. Cabrera. AEgidius. Scotus. Faber. Rada.

Aſſertio prima. Probatur.

8. Aſſero primo. Reipſa alio modo comparatur potentia paſſiua naturæ cum forma ſibi conuenienti naturali, alio modo cum forma ſupernaturali. Id facile probo. Cum forma naturali connectitur natura patiens ordine tranſcendenti, vt forma naturali repugnante, repugnaret quoque natura: cum forma ſupernaturali vero non ita connectitur, vt ea repugnanti repugnaret. Ergo non vno modo comparatur potentia paſſiua naturæ cum forma ſupernaturali, & naturali. Conſequentia negari non poteſt. Antecedẽs ex profeſſo diſſeremus diſp. 31. Vnde duo alia diſcrimina deprehendo. Primo virtutem naturæ, vt abſolute ſuſceptiuam formæ naturalis eſſe adæquate intrinſecam entitati naturæ; virtutem vero abſolute ſuſceptiuam formæ ſupernaturalis eſſe partim intrinſecam, & partim extrinſecam: quamquam virtus ſuſceptiua ſub conditione, quòd forma ſupernaturalis non repugnet, adæquate intrinſeca ſit. Quod colligo & probo ſect. ſequenti. Secundo, naturam patientem formæ naturalis conuenientis, innata propenſione appetere, & vendicare exiſtentiam formæ, aut eorum quæ formam inducere poſſunt in ipſam; exiſtentiam vero formæ ſupernaturalis, aut eorum quæ formam inducere valent, appetere, & vendicare non poſſe. Quod oſtendimus diſp. 9. ſect. 4. Vnde potentia ſuſceptiua formæ naturalis differt tribus à potentia ſuſceptiua formæ ſupernaturalis; Primo, ordine tranſcendenti in formam. Secundo, virtute abſoluta adæquate intrinſeca. Tertio, inclinatione & exigentia innata.

Aſſertio ſecunda. Probatur.

9. Aſſero ſecundo. Potentia paſſiua formæ ſupernaturalis, ſic diſtincta à potentia paſſiua formæ naturalis conuenientis naturæ, iure dicitur obedientialis. Quod ſic probatur. Dum conſtat diſcrimen de re inter duas potentias, modus loquendi quo diſcernendæ ſunt is ſeruandus eſt, qui inter magis probatos Doctores vſitatus eſt. At potentiam paſſiuam formæ ſupernaturalis vocare obedientialem ad diſcernendum illam à potentia paſſiua formæ naturalis, non ſolum Scholaſticis probatioribus, ſed omnibus ſine exceptione vſitatiſsimum eſt. Ergo potentia paſſiua formæ ſupernaturalis dicenda eſt obedientialis. Secundo probatur, vt virtus alicuius effectus dicatur obedientialis non requiritur comparari ſubiecta auxilio ſibi indebito cooperanti in eo genere, & modo cauſalitatis, quo ipſa in effectum influit: ſed ſufficit non poſſe abſolute ſuum concurſum conferre abſque auxilio Dei ſibi indebito, licet in alio genere cauſæ operanti: nam eo ipſo abſolute præſtat concurſum, ſubordinata, & obediens auxilio ſuperiori. At potentia paſſiua formæ ſupernaturalis nequit concurſum ſuſtinendi talem formam exhibere abſque auxilio Dei indebito tali potentiæ, cui ſubiecta ſuam cauſalitatem materialem exercet. Ergo potentia paſſiua formæ ſupernaturalis obedientialis eſt.

Secundo.

Confirmatur.

10. Confirmatur; Potentia agendi actus vitales ſupernaturales eſt obedientialis, quamuis auxilium Dei, quo eleuatur, non agat eo genere actionis, quo vitalis potentia agit, nempe immanenti, ac vitali, ſed ipſa potentia animæ adæquate, ac ſola vitalis eſt. Ergo ſimiliter potentia patiendi erit obedientialis, licet non ſubijciatur auxilio ſuperiori patienti, ſed agenti, indebito, ac ſupernaturali. Etenim tam diſtans eſt actio vitalis ab actione non vitali, ac actio non vitalis à paſsione non vitali. Ergo ſi complementum potentiæ vitalis per auxilium non vitale poteſt reddere potentiam obedientialem, quia tale auxilium eſt ſuperius, ac debitum; etiam complementum potentiæ paſſiuæ per auxilium actiuum potentiam reddet obedientialem propter eamdem rationem. Confirmatur ſecundo, vt aliqua potentia naturæ operetur eleuata à Deo, non requiritur auxilium eleuans Dei diſtinctum ab eo, quo

Iterum cõfirmatur.

Digitized by Google

alia potentia naturæ eleuata concurrit, ſed poſſunt plures facultates naturales vno Dei auxilio eleuari, quin vnicuique ſuum proprium auxilium eleuans reſpondeat. Ergo potentia paſſiua naturę poteſt eleuari auxilio ſupernaturali actiuo, quo eleuatur potentia naturæ actiua. Sed natura paſſiua operans vt eleuata à Deo, eſt obedientialis. Ergo potentia paſſiua naturæ poteſt eſſe obedientialis, quamuis nullum ei reſpondeat auxilium Dei paſſiuum, ſed ſolum actiuum, quod ad agendum formam ſupernaturalem neceſſarium eſt. Probatur antecedens. Ad actum fidei v. g. influunt tanquam principia eleuata naturæ, tum intellectus diſtinctus ab anima, tum ipſa ſubſtantia animæ, (quæ immediate agit omnes actus vitales, etiamſi potentiæ vitales ab ipſa animæ ſubſtantia realiter diſtinguantur, vt docuimus libris de anima, & oſtendemus in opere Metaphyſico) tum ſpecies impreſſa naturalis, quæ ad actus ſupernaturales fidei præſtat concurſum, vt videbimus diſp. 29. num. 16. Tamen ad eleuationem horum trium principiorum vnicus ſolum datur habitus ſupernaturalis fidei. Ergo plura principia naturæ vnico auxilio ſupernaturali Dei eleuari poſſunt. A priori ratio eſt, quia eleuari principium naturæ non eſt aliud, quam potentem conſtitui auxilio Dei ad effectum, quem virtute natiua, & auxilijs ſibi debitis elicere non poteſt. Eo autem ipſo quod plura principia naturæ non poſſint influere in effectum, quin iuuentur auxilio aliquo communi ſupernaturali, ac indebito, vnumquodque redditur auxilio Dei potens ad effectum, quem virtute natiua, & auxilijs ſibi debitis non poteſt attingere. Ergo. Probatur prima conſequentia; nam ſi plura principia naturæ poſſunt vnico ſupernaturali auxilio eleuari, non eſt quare principium paſſiuum naturæ non poſſit vere eleuari principio ſupernaturali, quo eleuatur principium naturæ actiuum; ſiquidem principium paſſiuum ſupernaturale ſolum indigere poteſt vt ipſa natura quâ paſſiua, eleuetur, quia quà paſſiua, eſt principium naturæ diſtinctum ab actiuo? Tertio confirmari poteſt; quia potentia obedientialis eſt illa, quæ reducitur ad actum per concurſum actualem ſibi indebitum in eo genere cauſæ, quo ipſa concurrit. Sed potentia paſſiua formæ ſupernaturalis concurrit ad fouendum formam per paſſionem ſupernaturalem ſibi indebitam, quæ eſt concurſus proprius cauſæ materialis, cuius munus exercet. Ergo potentia paſſiua formæ ſupernaturalis erit obedientialis, cum in proprio genere cauſæ materialis prouideatur illi concurſus actualis ſupernaturalis, & indebitus. Quo potentiam obedientialem paſſiuam facile explicabimus ſectione ſexta.

Tertia cõfirmatio.

SECTIO QVARTA.

Explicatur modus, quo conſtituitur potentia obedientialis abſolute ſuſceptiua formæ ſupernaturalis.

11. IN potentia obedientiali paſſiua diſtinguenda eſt duplex denominatio potentis recipere formam ſupernaturalem. Altera potentis illam recipere ſub conditione, quod forma ſupernaturalis non repugnet. Altera potentis abſolute illam recipere non repugnantem. Nam cum potentia obedientialis abſoluta ſit ab ordine tranſcendenti, & connexione quidditatiua naturæ cum forma ſupernaturali, qua repugnante, eadem quoad entitatem perſeueraret, (qualis eſt omnipotentia in probatiori Theologia ab ordine tranſcendẽti in creaturas) ſicut omni potentiæ diuinæ duplex cogitatur conceptus, alter primarius potentis agere quicquid non implicat contradictionem, ſub conditione quod non implicet: alter ſecundarius potentis abſolute hominem, leonem, & reliquas creaturas, quæ abſolute non implicant; ita duplicem potentiæ obedientialis paſſiuæ conceptum cogitare eſt, alterum potentis ſuſcipere formam ſupernaturalem ſub conditione, quod non repugnet, alterum potentis abſolute ſuſcipere gratiam, charitatem, fidem, & alios abſolute non repugnantes. Igitur nunc difficultas eſt, quo formaliter conſtituatur natura abſolute ſuſceptiua formæ ſupernaturalis? Nam ſola entitate intrinſeca non redditur abſolute ſuſceptiua, ſiquidem repugnanti forma ſupernaturali ſupereſſet entitas naturæ, & non eſſet ſuſceptiua abſolute formæ ſupernaturalis. Superaddi autem non poteſt virtus actiua formæ ſupernaturalis, pars conſtitutiua potentiæ ſuſceptiuæ; neque aliud reliquum eſt, quod præter entitatem naturæ, talem potentiam abſolute paſſiuam formæ ſupernaturalis conſtituat. Nihil igitur eſt, quo potentia obedientialis naturæ abſolute ſuſceptiua formæ ſupernaturalis conſtituatur.

Potentia obedientialis dupliciter potens.

Explicatur diſputationis res.

12. Duo tamen ſe offerunt, quæ naturæ ſuperaddi poſſunt conſtituentia eſſentialiter potentiam naturæ, abſolute paſſiuam formæ ſupernaturalis. Prius eſt, virtus actiua talis formæ indebita, ac ſupernaturalis naturæ. Poſterius, paſſio ſupernaturalis, ac indebita poſſibilis. Itaque potentia abſolute ſuſceptiua formæ ſupernaturalis, eſt entitas naturæ in recto, & virtus actiua formæ indebita, & ſupernaturalis in obliquo, aut ſi mauis, paſſio ſupernaturalis poſſibilis. Virtutem actiuam formæ ſupernaturalis poſſe eſſentialiter ingredi conſtitutionem potentiæ abſolute receptiuæ, non in recto, ſed in obliquo, cur mireris, non eſt. Etenim etiam in aduerſariorum, & omnium Theologorum ſententia, potentia proxime ſuſceptiua formæ debet formaliter conſtitui, ſaltem in obliquo per aſſiſtentiam virtutis actiuæ, & potentia

Conſtituitur potentia abſolute ſuſceptiua ſupernaturalium per virtutẽ actiuam.

Digitized by Google

& potentia vitalis proxime viuens per habitum ſupernaturalem non viuentem. Nam entitas naturæ ſuſcipientis formam ſupernaturalem, & viuentis per actum vitalem ſupernaturalem poteſt manere eadem, quin maneat proxime ſuſceptiua formæ ſupernaturalis, aut proxime viuens per actum ſupernaturalem, ſolum quia deficit virtus ſupernaturalis actiua, qua aſſiſtente proxime redditur potens. Neque reiectis denominationibus, ſeu prædicatis adæquate identificatis ſubiecto, aduentu connotatorum contingentibus, aliter poteſt explicari conſtitutio eſſentialis virtutis naturæ proxime potentis, ſicut dempto ordine tranſcendenti naturæ in quidpiam ſupernaturale non poteſt aliter exponi eſſentialis conſtitutio naturæ potentis abſolute; vtriuſque enim eadem ſemper ratio eſt. At mirabilius non eſt, entitatem naturæ conſtitui abſolute potentem ſuſcipere formam ſupernaturalem per vim ſupernaturalem agentem, quam per eamdem conſtitui proxime potentem ſuſcipere, & viuere vita ſupernaturali. Ergo in ſententia excludente denominationes adæquate intrinſecas per aduentum contingentem alicuius connotati mere extrinſeci, natura potens abſolute fouere formam ſupernaturalem eſſentialiter conſtituitur in obliquo per auxilium agens ſupernaturale, quod abſolutæ non repugnantiæ talis formæ connexum eſt. In alia enim ſententia admittente realia prædicata adæquate intrinſeca rebus per connotata contingentia mere extrinſeca, poteſt natura abſque negotio conſtitui abſolute ſuſceptiua formæ ſupernaturalis per ſolam entitatem naturæ connotantem principia agentia formæ ſupernaturalis, vt conſtituitur proxime ſuſceptiua, & viuens per ſolam ſuam entitatem connotantem eadem principia non ſuſcipientia formam neque viuentia. Ratio à priori poteſt eſſe; quia omnes partes conſtituentes aliquod compoſitum, ſeu complexum æthereogeneum, non debent participare vniuoce rationem eſſentialem talis compoſiti, ſeu complexi, vt omnes partes eſſentiales hominis non ſunt rationales, aut homo: præſertim cum partes ingrediuntur conſtitutionem ſolum in obliquo, & non in recto, vt adeſſe viſum comprehendimus tanquam partem eſſentialem in obliquo viſionem, quæ potius eſt actiue videns, quam paſſiuè viſa. Ergo principia agendi formam ſupernaturalem, quæ paſſiua non ſunt, poſſunt in obliquo componere potentiam obedientialem naturæ, non vt eſt ſub conditione, ſed vt eſt abſolute ſuſceptiua formæ ſupernaturalis. Quo potentia abſolute ſuſceptiua formæ ſupernaturalis erit partim intrinſeca, & partim extrinſeca entitati naturæ; potentia vero abſolute ſuſceptiua formæ naturalis erit adæquate intrinſeca. Nam potentia abſolute ſuſceptiua formæ exprimit connexionem potentiæ cum forma abſolute non repugnante, ſiquidem formæ abſolute repugnantis repugnat potentia ſuſceptiua abſolute. Connexio autem cum forma naturali abſolute non repugnanti adæquate intrinſeca eſt entitati naturæ, quæ ordine tranſcendenti in illam refertur; connexio vero cum forma ſupernaturali abſolute non repugnanti non eſt intrinſeca, ſed extrinſeca naturæ, quæ ab ordine tranſcendenti in eam formam abſoluta eſt. Item potentia naturæ abſolute paſſiua formæ ſupernaturalis non erit adæquate naturalis, etiam quoad entitatem, ſed partim naturalis, & partim ſupernaturalis; videlicet quâ parte complectitur virtutem agentem ſupernaturalem, v.g. potentia abſolute ſuſceptiua actus charitatis habitum ſupernaturalem agentem ipſius.

Explicatur à priori. — *Potentia abſolute ſuſceptiua eſt partim intrinſeca, & partim extrinſeca naturæ.* — *Item partim naturalis, & partim ſupernaturalis.*

13. Obijcies plurium formarum ſupernaturalium non eſſe aliam virtutem agentem, quam diuinam. At diuinam virtutem etiam eſſe abſolutam ab ordine tranſcendenti in formam ſupernaturalem. Ac per conſequens naturam neque per virtutem agentem ipſi extrinſecam poſſe connecti cum forma ſupernaturali; neque eiuſdem ſuſceptiuam abſolute conſtitui. Sed contra, quamuis omnipotentia ſit abſoluta ab ordine tranſcendenti in formam ſupernaturalem, & omnem creaturam, tamen forma ſupernaturali abſolute non repugnanti, poſſibilia ſunt Deo abſolute decreta efficacia exiſtentiæ talis formæ, quæ mea opinione quam docui tract. de voluntate Dei, ſunt adæquate intrinſeca Deo, & cum forma ſupernaturali connexa. Connexio autem decretorum Dei adæquate intrinſeca Deo, cum non ſit Phyſica, & entitatiua, ſed intentionalis dumtaxat, ſufficit conſtituere in obliquo potentiam naturæ abſolute ſuſceptiuam formæ ſupernaturalis. Nam ea connexio ſufficit Deum ipſum conſtituere abſolute actiuum talis formæ, denominatione abſolute potentis ipſi adæquate intrinſeca: connexio autem ſufficiens, vt agens ſit abſolute actiuum formæ, ſufficit, vt patiens ſit abſolute ſuſceptiuum. Ergo ſecluſo ordine tranſcendenti omnipotentiæ, poteſt natura reddi abſolute ſuſceptiua formæ ſupernaturalis per virtutem agentem eiuſdem formæ. Præterea ſecluſo eo ordine non ſolum denominatio intentionalis volentis, ſed etiam ſeorſim ab illa denominatio Phyſica abſolute continentis, & potentis producere hominem, & leonem, aliaſque creaturas nunc abſolute non repugnantes, eſt adæquate intrinſeca Deo, ratione ſuæ infinitatis, quæ entitati creatæ repugnat, vt explicabimus diſputatione trigeſima ſecunda, ſectione prima. Ergo recte poteſt natura fieri abſolute ſuſceptiua formæ ſupernaturalis per omnipotentiam diuinam ſibi extrinſecam, in obliquo importatam.

Obiectio. — *Explicatio.*

SECTIO QVINTA.

Alius modus explicandi potentiam obedientialem naturæ abſolute ſuſceptiuam formæ ſupernaturalis.

Potentia ſuſceptiua formæ ſupernatur alis poteſt conſtitui per paſsionem ſupernaturalem poſſibilem.

14. ALius modus explicandi potentiam obedientialem abſolute ſuſceptiuam formæ ſupernaturalis eſt per paſſionem ſupernaturalem poſſibilem, vt attigimus nu. 12. Itaque iuxta hunc dicendi modum natura abſolute ſuſceptiua formæ ſupernaturalis duo eſſentialiter includit; & entitatem naturæ potentis intrinſece ſuſcipere formam ſupernaturalẽ ſub conditione, quod talis forma non repugnet, & poſſibilem, ac non repugnantem intrinſece paſſionem, ac ſuſceptionẽ talis formę. Qua ratione completur natura in ratione potentiæ abſolute paſſiuæ per aliquid ſupernaturale, quod ad genus pertinet cauſæ materialis, & paſſiuę, videlicet per cõcurſum ſupernaturalem ſuſceptiuum, ac paſſiuum. Probari res poteſt primo; quia potentia abſolute paſſiua ſonat relatiue virtutem reſpectiuam, & connexam cum forma abſolute poſſibili: Nam potentia abſolute paſſiua, alicuius formæ abſolute poſſibilis apprehẽditur paſſiua, ſiquidem formæ impoſſibilis repugnat eſſe paſſiua. At natura per paſſionem, & ſuſceptionẽ poſſibilem primum in ſuo genere conſtituitur reſpectiua, & connexa cum forma poſſibili; quia paſſio & ſuſceptio eſt reſpectus, & connexio naturę cum forma, & ante paſſionẽ abſolute poſſibilẽ non eſt in genere cauſæ materialis aliquid, quod ſit reſpectus, & connexio naturę cum forma: nam ſupponimus naturam abſolutam ab ordine tranſcendenti; & connexione cum forma. Ergo potentia abſolute receptiua formæ ſupernaturalis conſtituitur recte per paſſionem ſupernaturalem abſolute poſſibilem.

Prima probatio.

Secunda.

15. Secundo; apprehenſa natura intrinſece ſuſceptiua formæ ſupernaturalis ſub cõditione quod talis forma non repugnet, & apprehenſa paſsione ſupernaturali non repugnanti abſolute, ſecluſo quouis alio, apprehenditur natura abſolute ſuſceptiua formę ſupernaturalis. Ergo ſola entitas naturæ, & paſsio ſupernaturalis poſsibilis poſſunt complere conſtitutionem potentiæ abſolute ſuſceptiuæ formę ſupernaturalis. Conſequentia bona eſt. Probatur antecedens. Nam ſola entitate naturæ, & paſsione abſolute exiſtẽti completur natura actu recipiens formam ſupernaturalem. Ergo ſola naturæ entitate, & paſsione ſupernaturali abſolute poſsibili completur natura abſolute receptiua. Nam ſicut comparatur paſsio exiſtẽs cum natura recipienti, comparatur poſsibilis cum natura receptiua. Paſsio exiſtens comparatur cum natura abſolute patiente tanquam forma complens denominationem realem actu patientis. Ergo paſsio poſsibilis comparatur tanquam forma cum natura abſolute paſsiua.

Tertia.

16. Tertio probatur ſententia, & confirmatur ratio præcedens. Ab eo reddi poteſt natura abſolute receptiua formæ, à quo forma redditur abſolute receptibilis, ſicut anima ab eo redditur extrinſece viſiua coloris, à quo redditur color extrinſece viſibilis; nempe à viſione poſsibili. At forma redditur extrinſece receptibilis à paſſione abſolute poſsibili, ſicut recepta à paſsione exiſtenti. Ergo natura recte poteſt extrinſece reddi ſuſceptiua formæ ſupernaturalis paſsione abſolute poſsibili, ſicut anima redditur extrinſece viſiua coloris viſione poſsibili. Firmius conſiſtet hæc doctrina, ſi argumenta, quæ illam oppugnant, diluamus.

Prima obiectio.

17. Obijcies primo. Potentia obedientialis actiua naturæ ad efficiendum actus vitales & gratiam, non componitur eſſentialiter actione poſsibili; neque potentia paſsiua naturalis poſsibili paſsione. Ergo neque potentia paſſiua obedientialis cõpletur eſſentialiter, & vltimò paſsione ſupernaturali poſſibili. Pobatur conſequentia; quia argumenta ſuperiora eâdẽ vi probant, complementum eſſentiale potentiæ obedientialis actiuæ, & potentiæ naturalis paſsiuæ per ſuam cauſalitatem poſsibilem, qua eſſentiale complementum potentiæ obedientialis paſsiuæ per poſsibilem paſsionem.

Diluitur.

Tranſeat antecedens, & nego conſequentiam. Diſcrimen eſt. Potentia obedientialis actiua, & paſsiua naturalis ſeorſim à cauſalitate poſſibili comprehendunt in proprio genere aliquid, quo principalius, ac prius connectuntur cum ipſa cauſalitate, & termino poſsibili, nempe potentia obedientialis actiua habitum, ſeu auxilium ſupernaturale, quod actiuum eſt, & potentia paſsiua naturalis, virtutem intrinſecam reſpectu tranſcendenti cauſæ materialis relatam in formam. Potentia vero obedientialis paſsiua non complectitur in genere cauſæ paſsiuæ ſeorſim à cauſalitate poſsibili aliquid principalius, ac prius, quod cum ipſa cauſalitate, ac termino poſsibili connectatur: nam ſeorſim à cauſalitate poſsibili ſolum eſt entitas naturæ, quæ ab ordine tranſcendenti in aliquod ſupernaturale abſoluta eſt, & virtus actiua formæ ſupernaturalis, quæ ad genus cauſæ paſsiuæ non pertinet. Quare potentia obedientialis paſsiua primario, ac principaliter in ſuo genere cauſæ materialis eleuatur, & conſtituitur abſolute ſuſceptiua formæ ſupernaturalis per cauſalitatem poſsibilem: potentia vero obedientialis actiua, & paſsiua naturalis, licet aliqua ratione per cauſalitatem poſsibilem reddantur abſolute productiuæ, tamen non reddentur primario, & principaliter, ſed ſolum ſecundario, & minus principaliter: quod non eſt eſſentialiter conſtitui per cauſalitatem poſsibilem abſolute productiuam in proprio genere cauſæ à reliquis cauſandi generibus diſtincto, ſicut potentia obedientialis paſsiua conſtituitur.

Obiectio ſecunda.

18. Obijcies ſecundo & radarguitur ſolutio præcedens. Omnipotentia diuina non conſtituitur abſolute productiua creaturarum poſſibilium per productionẽ poſsibilem, quãuis abſoluta ſit ab ordine tranſcendenti in creaturas poſſibiles, nec aliud ſit principalius, ac prius productione poſſibili, quo connectatur

Digitized by Google

cum illis. Ergo nec natura erit abſolute paſſiua formæ ſupernaturalis per poſſibilem paſſionem. *Explicatur* In primis non deſunt nobiles recentiores, qui Deo ſolum adſcribunt adæquate intrinſecam poteſtatem producendi creaturas ſub conditione: poteſtatem vero abſolute productiuam partim intrinſecam, & partim extrinſecam productione poſſibili completam. Neque id Theologo mirum eſſe debet, qui conſideret velle, & ſcire liberum Dei frequenti conſenſu Theologorum adſtrui completum, & eſſentialiter conſtitutum actione contingenti creata: cum volitio, & ſcientia libera, quia vitales ſunt, vendicent potius eſſe adæquate intrinſecam Deo, quam poteſtas Phyſica abſolute productiua, quæ vitalis non eſt, & extrinſecam conſtitutionem æquius ferre poteſt. Deinde negatur conſequentia; quia Deo ratione ſuæ infinitatis competit adæquate intrinſeca poteſtas abſolute productiua creaturarum, licet ordinem tráſcendentem in creaturas non admittat: creaturæ vero non relatæ reſpectu tranſcendenti in effectum, quia finitæ perfectionis eſt, non poteſt competere adæquate intrinſeca poteſtas abſolute productiua effectus. Atque ita Deus ſeorſim à productione poſſibili poteſt eſſe abſolute productiuus, non vero creatura, quæ reſpuit ordinem tranſcendentem in effectum, & ante poſſibilem productionem non eſt in eodem genere cauſæ influentis, connexo cum productione poſſibili.

Tertia obiectio. 18. Obijcies tertio. Entitas naturæ pro priori ad receptionem poſſibilem apprehenditur abſolute receptiua formæ ſupernaturalis. Ergo non conſtituitur formaliter receptiua per poſſibilem receptionem. Probatur antecedens. Receptio gratię poſſibilis exigit naturam rationalem potius quam irrationalem, ſubiectum recipiens ſui. Ergo ſupponit naturam rationalem ſecundum prædicata ſibi intrinſeca capacem abſolute gratię, potius quam irrationalem. Nam ſi prædicatis intrinſecis non eſſet natura rationalis capax abſolute gratiæ, non eſſet, quare gratia vendicaret ineſſe abſolute naturæ rationali, potius quam irrationali. *Vrgetur primo.* Confirmatur primo. Gratia poſſibilis apprehenditur entitas accidentalis. Ergo reſpiciens, præ ſubſtantia, ſubiectum, cui inhæreat. Non ſubiectum ſolum conditionate receptiuum, ſed abſolute. Ergo vt eſt terminus reſpectus eſſentialis gratiæ, apprehenditur natura ſubiectum abſolute receptiuum, ac proinde neutiquam conſtitutum per gratiæ receptionem poſſibilem. Probatur minor: Natura non eſt cauſa materialis gratiæ abſolute poſſibilis ſecundum eſſe conditionatum cauſæ, ſed ſecundum eſſe abſolutum. Reſpicit gratia naturam rationalem vt cauſam materialem ſui. Ergo ſecundum eſſe abſolutum cauſæ receptiuæ, non ſecundum eſſe conditionatum. *Secundo.* Confirmatur ſecundo. Actus ſecundus etiam poſſibilis non poteſt ingredi conſtitutionem eſſentialem actus primi. Paſſio eſt actus ſecundus: potentia obedientialis abſolute paſſiua gratiæ eſt actus primus. Ergo paſſio etiam poſſibilis non poteſt ingredi conſtitutionem eſſentialem potentiæ obedientialis abſolute paſſiuæ gratiæ ſupernaturalis. Maior videtur clara, nam actus primus, & ſecundus eſſentialiter diſtinguntur: quippe ſecundus eſt effectus, & exercitium primi, nulla autem res ſui ipſius effectus & exercitium eſſe poteſt. Nec iuuat, ſi dicas, paſsionem exercitam eſſe actum ſecundum: poſsibilem vero actum primum. Nam paſsio exercita, & poſsibilis eſt eadem numero cauſalitas materialis; eadem enim, quæ nunc eſt exercita, prius erat poſsibilis. Ergo ſi paſsio actu exercita non poteſt pertinere ad actum primum, neque poſsibilis pertinebit. Explicatur rurſus. *Tertio.* Paſsio exercita, ſeu exiſtens non poteſt actuare, ſeu perficere paſsionem poſsibilem. Paſsio exercita, ſeu exiſtens actuat, & perficit potentiam abſolute receptiuam formæ. Ergo paſsio poſsibilis eſt extra potentiam abſolute receptiuam formæ.

19. Hæc ad ſpeciem robuſta ſunt. Sed facile eneruantur. *Reſpondetur.* Nego antecedens argumento. Ad probationem reſpondeo. Ideo gratia exigit ineſſe homini, potius quam lapidi, quia natura hominis eſt virtus intrinſeca receptiua gratiæ ſub conditione, quod gratia non repugnet, quæ virtus à conditione lapidis aliena eſt. Itaque ad hanc exigentiam ſufficit virtus conditionata, ſeorſim à paſsione poſsibili omnino intrinſeca, quin virtus abſoluta ſeorſim à poſsibili paſsione neceſſaria ſit. Quemadmodum à decreto ſalutis oritur iuſtificatio reprobi, non vero à decreto mortis, quamuis decretum ſalutis non ſit abſolutum, & connexum cum ſalute hominis, quia ſaltem conditionatum eſt: decretũ vero mortis, neque ſub conditione ſalutem hominis exoptat. Quare ſicut in ſpecialem naturã cuiuſque decreti refertur, quod alterum ſub conditione cupiat ſalutem hominis, alterum mortem ſub conditione præſtituat: ita in ſpecialem naturam hominis, & lapidis reuocandũ eſt, quod alter ex ſe capax ſit gratiæ ſub conditione poſsibilis, alter vero non, etiam ſub conditione quod poſsibilis ſit. Ad primam confirmationem: *Ad primã confirmationem.* gratia reſpicit naturam, vt ſubiectũ recipiens ſui, ſecundum eſſe abſolutum ex parte ſubiecti, non vero ſecundum eſſe abſolutũ, ſed conditionatum ex parte obiecti, ſeu termini, cum quo virtus receptiua ſubiecti confertur. Nam quamuis gratia quæ eſt terminus eius virtutis, connectatur cum eſſe abſoluto naturæ recipientis: natura vero recipiens ſecũdum eſſe intrinſecum non connectitur cum gratia. Atque ita, licet gratia reſpiciat naturã vt abſolute exiſtentem, natura non reſpicit gratiam vt abſolute exiſtentem aut poſsibilem, ſed tantum ſub conditione. Quod etiam explicatur effectu gratiæ procedenti à decreto conditionato Dei, qui reſpicit abſolute tale decretum, licet à decreto reſpiciatur ſub conditione. Ad ſecundam confirmationem: *Ad ſecundam.* actus primus, & ſecundus non debent diſtingui adæquate, ſed inadæquate ſolũ. Res eſt conſtans in diuinis, vbi potẽtia productiua verbi conſtituitur perfectione eſſentiali intellectus, quæ à verbo indiſtincta eſt, imo ipſius verbi formaliter conſtitutiua. Itẽ in humanis, vbi animus rationalis producit partẽ cineris, qua nutrimur, quamuis idem animus in-

Digitized by Google

eſſe quid intrinſecum prædicatis eſſentialibus rerum poſſibilium, diſtinctum realiter à virtute cauſæ. Quod nunc ſuppono à veritate alienum, niſi controuerſia de vocibus pugnet. Itaque modo ex Metaphyſica ponenda eſt cauſalitas materialis poſſibilis diſtincta realiter ab ipſa natura, & omnipotentia Dei; de illaque ſic diſtincta ſtatuendum, eſſe formaliter conſtitutiuam potentiæ obedientialis abſolute receptiuæ; quia eſt cauſalitas materialis indebita naturæ, tribuens illi connexionem cum forma ſupernaturali, quam ex ſe non adipiſcitur, vt ſuperioribus explicatum eſt.

SECTIO SEXTA.

Diluitur ratio dubitandi.

Ad Argumentum.

23. His conſtitutis facilis eſt occurſus rationis dubitandi propoſitæ ſectione ſecunda. Iuxa primum modum, potentia obedientialis paſſiua non debet eſſe incompleta, & inſufficiens in genere cauſæ materialis, atque paſſiuæ, ſed ſufficit inſufficientem, & incompletam eſſe in eo genere cauſæ, quæ ad exiſtentiam formæ neceſſaria eſt, & non poſſe compleri in eo genere cauſæ ad exiſtentiam formæ neceſſario abſque auxilio Dei indebito naturæ, cui obedire & ſubordinari dicitur potentia paſſiua, quia vt ipſa ſuum munus exerceat, indiget auxilio actiuo Dei, quod eſt ſupra omne debitum, & exigentiam talis potentiæ. Completur quidem potentia obedientialis actiua per auxilium Dei in proprio genere virtutis actiuæ; quia Deus non poteſt alium concurſum, niſi actiuum conferre, atque adeo potentia actiua creaturæ concurſu Dei compleri non poteſt, niſi actiuo: neque potentia paſſiua, niſi concurſu diuerſi generis ab eo, quo ipſa concurrit. Et quamuis potentia actiua auxilio agente eleuetur, tamen intra genus cauſæ actiuæ alterius rationis eſt ab eo, quo potentia creata influit, cum non ſit vitale, ſicut ipſa. Igitur ſicut creata potentia vitalis obedientialis eſt, quia ſubijcitur auxilio Dei, quamuis non vitali, ita potentia paſſiua erit obedientialis, quia ſubijcitur auxilio indebito Dei, quamuis non patienti. Recole quæ præmiſimus ſectione quarta, iuxta modum poſteriorem. Potentia obedientialis paſſiua etiam in genere potentiæ paſſiuæ incompleta, & inſufficiens eſt, completurque ac ſufficiens conſtituitur auxilio ſupernaturali, & indebito pertinente ad genus cauſæ paſſiuæ, qualis eſt vnio, & paſſio formæ poſſibilis, quæ potentiam obedientialem naturæ in ratione potentiæ abſolute conſtituit, & complet.

Ad primam confirmationem.

24. Ad primam confirmationem iuxta primam explicationem; potentia obedientialis paſſiua etiam in genere potentiæ paſſiuæ eleuatur per auxilium ſupernaturale actiuum, quia illud tribuit naturæ poſſe exercere munus cauſæ paſſiuæ in formam ſuperiorem exigentia, & virtute actiua totius naturæ, quod vt vidimus ad eleuationem ſat eſt. Iuxta expoſitionem poſteriorem paſſiua potentia eleuatur, vt paſſiua per cauſalitatem poſſibilem pertinentem ad idem genus cauſæ paſſiuæ, & indebitam exigentiæ ipſius, prout ad eleuationem ab arguente requiritur. Ad ſecundam confirmationem reſpondeo. Ratio cauſæ inſtrumentalis, aut principalis potentiæ obedientialis paſſiuæ ſubiecta eſt plurimæ contentioni de voce, quam explanabimus diſp. 28.

Ad ſecundam.

DISPVTATIO VIGESIMASEXTA.

AN CONVENIAT NATVRÆ POTENTIA obedientialis immediate paſſiua formarum vitalium ſupernaturalium, nulla iuuante paſſiua qualitate ſupernaturali.

Statuitur controuerſia.

1. CERTO certius eſt, aliquam qualitatem ſupernaturalem ineſſe immediate naturæ nulla alia preuia qualitate ſupernaturali, quæ iuuet naturam ad illam recipiendam; nam alias daretur proceſſio infinita qualitatum ſupernaturalium præcedentium receptionem alicuius ſupernaturalis formæ, vt arguebamus diſp. ſuperiori n. 3. Eius generis puta gratiam iuſtificantem, habitus infuſos, characterem, aliaſque qualitates permanentes, quas Theologi omnes, immediate, & adæquate collocant in ſubiecto naturali. Diſſidium Theologorum eſt de formis vitalibus, quæ habitus ſu-

Digitized by Google

vitalibus, quam in habitibus ſupernaturalibus. Quarta. Quarta denique ratio, & non contemnenda eſt. Actus ſupernaturales eliciti à peccatore immediate recipiuntur in ſubiecto naturali. Ergo etiam reliqui actus ſupernaturales. Nam eadem eſt de omnibus actibus ſupernaturalibus ratio. Probatur antecedens. Nullum extat ſubiectum ſupernaturale, cui inhęreant. Non habitus, quia à peccatore plures actus virtutum moralium fiunt ſine habitibus, qui gratiam iuſtificantem ſectantur. Non qualitas tranſiens, quia hęc neque datur, neque dari poteſt, vt ex profeſſo oſtendam lib. 5. Non auxilia gratiæ actualia, quia hęc mea opinione, quam ibidem ſtabiliam, ſunt affectiones voluntatis, & cogitationes intellectus, quibus actus minime inſunt. Aliud autem ſubiectum ſupernaturale, in quo actus ſupernaturales collocentur, non cerno. Ergo reuera nullum extat ſubiectum ſupernatutale, cui inhęreant, atque adeo immediate afficient ſubiectum naturale.

Vendicatur à ſolutione. 5. Dices, actus ſupernaturales elicitos à peccatore non occupare ſubiectum ſibi connaturale, ſicut neque à principio fiunt ſibi connaturali, ſed per accidens inſidere naturæ, ſicut per accidens ab auxilio extrinſeco eliciuntur, atque adeo per ſe ſolos, habitus ſupernaturales exigere ſubiectum ſui, ſicut principium? Sed contra. Iam habeo actus elicitos à peccatore immediate foueri à natura. Nunc probo id conuenire eis actibus per ſe. Eiuſmodi actus ſuapte natura non poſſunt aliud ſubiectum afficere. Ergo ſuapte natura, ac per ſe ſubiectum naturale afficiunt. Conſequentiam quis neget? Probatur antecedens. Actus vitales, vt docui lib. de anima; & iterum docebo in Metaphyſica, ſunt modi ſeipſis immediate affixi ſubiecto, quod informant. Modi autem ſeipſis immediate; abſque vnione diſtinctâ affixi ſubiecto, nequeunt deſerere ſubiectum, quod ſemel informant; aliàs vnio cum illo ſubiecto non eſſet modalis, & indiſtincta, ſed diſtincta, & realis. Ergo actus peccatoris inhærentes immediate naturæ nequeũt ſuapte natura aliud ſubiectum afficere. Inſuper; eſto ij actus qualitates reales ſint, & non modales, poſſunt connaturaliter fieri ſine habitu, vt oſtendam diſp. 34. ſect. 3. Ergo etiam recipi. Rurſus, ſi ſuapte conditione vendicant recipi in habitu infuſo, ſicut fieri; quemadmodum deficiente habitu non poſſunt fieri ſola virtute naturæ, ſed virtus habitus ſuppleri debet per aliã virtutem agentem ſuperadditam naturæ, ſuperiorem, aut æqualem habitui: ita deficiente habitu neque poterunt recipi virtute naturæ, niſi ſuperaddatur ſubiectum aliquod ſupernaturale, quod ſubſtituat receptionem habitus, æquale, aut ſuperius habitu. At hoc non datur actibus ſupernaturalibus peccatoris. Ergo reuera ij actus non exigunt recipi, ſicut fieri ab habitu.

Oppoſita ſententia. 6. Oppoſitam ſententiam, quæ docet omnem formam ſupernaturalem vitalem ſoli ſubiecto ſupernaturali ineſſe, nullus Theologorum ſcribentium, quem viderim, tuetur. Eam tamen publice vidi defendi à Neotericis Salmanticenſibus. Qui eò ſolum mouebantur, quia habitus eſt tota ratio agendi actus ſupernaturales, atque ideo debet eſſe quoque patiendi, quia vtriuſque cauſalitatis eadem ratio eſt, cum in vtramque cauſalitatem æque improportionata natura ſit. Igitur ſicut immediatè ſolus habitus agit, agente naturâ ſolum mediate, ita immediate ſolus habitus patitur, patiente naturâ ſolum mediate. Ratio. Confirmo; habitus eleuat potentiam vitalem, vt vitalis eſt: quippe voluntatem, vt diligat Deum per actum charitatis, & intellectum, vt credat Deo per actum fidei, agendo eos actus immanenter. At potentia vitalis, vt vitalis, & immanenter agens, vt intelligens, & amans, non ſolum actiua eſt, ſed etiam paſſiua. Ergo eleuat potentiam vitalem, vt actiuam, & paſſiuam. At quia eleuat vt actiuam, eſt cauſa, & ratio adæquata immediate agens. Ergo quia eleuat vt paſſiuam, eſt cauſa, & ratio adæquata immediate patiens. Cõfirmati. En quare procul ableganda eſt ſententia, quæ docet, habitum eſſe adæquatam rationem agendi, cum ſententia adeo peregrina, & paradoxa conſectaria eſt. Quocirca ruit fundamentum huius ſententiæ, negando habitum ſupernaturalem eſſe totam rationem agendi actus ſupernaturales, quod acri calamo examinabimus diſp. 30. Deinde diſcrimen intereſſe poteſt; quod habitus eſt capax agendi actus ſupernaturales, atque adeo & conſtituendi naturam agentem per ipſum: at non eſt capax intelligendi, & volendi obiecta, atque adeo neque conſtituendi naturam intelligentem, & volẽtem per vnionẽ mediatam actuum, quin immediate actus ipſam naturam afficiant; quandoquidem actus intelligendi, & volendi reddere debent intelligens, & volens aliquod ſubiectum immediatum ſui. Ergo cum hoc ſubiectum non poſſit eſſe habitus, qui non intelligit, neque amat, debet eſſe immediate ipſa natura. Reſpondetur ad rationem. Ad confirmationem reſpondeo. Potentia vitalis vt quo, non eſt immediate actiua, & receptiua actus vitalis, ſed ſufficit quod ſit ratio, qua totum ſuppoſitum ſit agens, & recipiens actum vitalem, quia ipſa determinata eſt ad agendum in ſuppoſito cui ineſt, & non extra illud: quare neque potentiæ ab animâ diſtinctæ actus vitales recipiunt, vt oſtendi libris de anima, & manifeſtum reddit potentia nutritiua, quæ vitaliter producit in homine continuationem materiæ cibi cum corpore viuentis præexiſtenti, quin talis productio, & vnio afficiat intrinſece, & immediate animam vitaliter nutrientem hominem. Itaque poteſt habitus ſupernaturalis eleuare potentiam vitalem, vt vitalis eſt, quin illi competat munus recipiendi actus vitales. Ad confirmationem. Rurſus quamuis potẽtia vitalis, vt vitalis, eſſet receptiua actus vitalis, poſſet reſponderi, habitum eleuare potentiam vitalem, vt vitalis eſt, quia immediate eleuat ad agendum, & medio iſto munere ad patiendum, quatenus non poteſt agere per habitum, quin illico immediate recipiat, neque immediate recipere, quin per habitum ſibi indebitum agat: quemadmodum diſp. præcedenti expo-

Digitized by Google

Cabrera. P. Salas. P. Suarez. Omnium ratio.

patiendo. Expreſſius id tuetur Cabrera 3. p. q.9. art.2. diſp.8. con.3. Probabile arbitrantur P. Salas 1.2. lib 1. q.3. tr.2. diſp.5. ſect.4. P. Suarez 1.p. tract.1. lib.2. cap.15. num.27. Potiſſima omnium ratio ſic vrget. Actus vitalis, quia vitalis, æque requirit naturam patientem, ac agentem; quia ſupernaturalis vero, æque ſuperat potentiam naturalem patientem, ac agentem. Ergo vt iuuatur natura agens qualitate agente, ſic iuuatur patiens qualitate patiente.

Eneruatur.

Sed diſcrimen inter naturam agentem, & patientem actus ſupernaturales præſto eſt. Agere namque eſt perfectionem dare, pati vero recipere, ideo agere perfectius requirit agens, quam pati patiens: ac proinde natura, quæ non eſt agens abſque conſortio habitus agentis, poteſt eſſe patiens abſque iuuamine eiuſdem patientis. Ad quod ipſimet habitus exemplo eſſe poſſunt, qui adæquate recipiuntur in natura; tum neque inadæquate ab illa effici valeant.

Primum argumentum Cabreræ.

11. Varia alia, atque mira obiicit Cabrera. Primum; de ratione actus immanentis eſt, vt quem locum obtinet in productione quodcunque illius principium, eundem obtineat in ſuſceptione. At habitus in productione eſt principium immediatum ſimul cum natura. Ergo in ſuſceptione erit ſubiectum immediatum ſimul cum illa.

Diluitur.

Maior propoſitio eſt nimis fuſa. Quamuis de omni principio vitali actus immanentis proferretur eſſet falſa, vt notabamus n.6. Quid de ijs principijs, quæ vitalia non ſunt? ſpecies impreſſa, habitus acquiſitus, auxilia actualia gratiæ in abſentia habituum ſunt principia efficientia actus immanẽtis. Tamen non ſunt eiuſdem recipientia. Qui igitur erit ferendum illud aſſertum Cabreræ, quod omne principium efficiens actus immanentis debet eſſe quoque recipiens?

Secundum reijcitur.

12. Secundum argumentum frigidius eſt. Habitus acquiſitus eſt ſuſceptiuus actus. Ergo & infuſus. Antecedens nullius Philoſophi eſt, & ignotius omnibus Theologis quam conſequens. Et à Cabrera proponitur tanquam verſatiſſimum, ac receptiſſimum principium.

Tertium.

13. Eiuſdem farinæ eſt tertium. Omnis potentia ordinata ad plures formas ordine quodam ſuſcipiendas, medijs prioribus ſuſcipit poſteriores; aliâs in vnam potentiam conuenirent omnes per accidens. Sed potentia obedientialis naturæ rationalis ordinatur ad ſuſcipiendos habitus, & actus ordine quodam, prius quidem habitus, & poſterius actus, qui habitibus ſubordinantur. Ergo recipit natura rationalis actus poſteriores mediis habitibus prioribus.

Infirmatur.

Maior propoſitio longe abeſt à vero. A priori, quia formarum, quæ ordine quodam ſuſcipiuntur in potentia, poſſunt poſteriores ſubordinari prioribus, quin priores ſint ſubiectum poſteriorum, quia ſunt principium efficiens, aut diſpoſitio poſteriorum: nam dependentia in genere cauſæ efficientis, aut diſponentis ſufficit conſtituere inter formas eiuſdem potentiæ ordinem prioris & poſterioris. Secluſa igitur cauſalitate materiali habituum in actus obedientialis potentia naturæ rationalis ordine quodam prioris, & poſterioris ſuſcipit habitus, & actus, ſolum quia habitus ſunt efficientes actuum, aut quia diſponentes ſunt. A poſteriori vero; quia animus ſuſcipit cognitionem, & amorem ordine quodam; intellectus apprehenſionem, & iudicium, præmiſſas, & concluſionem; voluntas intentionem, & electionem, amorem & gaudiũ: materia calorem, & formam ignis, quantitatem & vbicationem extenſionis. Tamen neque cognitio ſuſtinet amorem, neque iudicium apprehenſionem, neque præmiſſæ concluſionem, neque intentio electionem, neque amor gaudium, neque calor formam ignis, neque quantitas circumſcriptiuam ipſius materiæ vbicationem. En quibus principijs arguit Cabrera.

Quartum.

14. Quartum ſolidius non eſt. Omnis diſpoſitio ad aliquam formam, aut ſuſcipit formam, aut ſuſcipitur in illa. Quare diſpoſitiones ad formam ſubſtantialem, quia non ſuſcipiunt formam, ſuſcipiuntur in toto compoſito, atque adeo etiam in forma. Habitus ſupernaturalis eſt diſpoſitio ad actum, & non ſuſcipitur in actu. Ergo ſaltem erit ſuſcipiens illius.

Debile.

Vtraque præmiſſa falſa eſt. Maior; quia quantitas, & calor præparantes materiam ad formam ignis neque recipiunt formam ignis, neque in illa recipiuntur, vt lib. de Ortu & interitu oſtendimus, & in Metaphyſica probabimus. Similiter cognitio præuenit animum ad amorem, apprehenſio ad iudicium, & plures alij actus ad alios intellectus, & voluntatis actus, quin aut illos ſuſcipiant, aut ſuſcipiantur in illis. Minor vero; quia vt ſect. ventura ſtatuemus, habitus non fungitur munere diſponendi potentiam ad actum.

Poſtremũ. Debilius.

15. Poſtremum mirabilius eſt. Habitus eſt principium vitale. Ergo eſt immediate ſuſceptiuus actus vitalis. Antecedens nullius antiqui Theologi eſt, ſed contrarium ſupponitur ab omnibus, ſi aliquos Neotericos excipias. Deinde conſequentia non eſt bona, quia vt ſuperioribus reliquimus, non eſt de ratione potentiæ vitalis ſuſcipere immediate actus vitales; ſed ſua actione efficere, vt ſuppoſitum viuens agat, & recipiat illos. Quo præoccupatur aliorum obiectio opponentium, habitum obire munus potentiæ, cuius eſt agere, & recipere actum. Si quidem potentiæ munus integrum manet abſque receptione actus. Præterquam quod habitus infuſus dici poteſt fungi munere potentiæ, non adæquate, ſed inadæquate, qua parte tribuit facultatem ſecundum principium agendi, ſicut potentia; non ſolam facilitatem, ſicut habitus acquiſitus. Quæ eſt communis conceptio Theologorum vtentium eâ loquendi ratione.

SECTIO TERTIA.

Formæ vitales nullam ſupponunt per ſe diſpoſitionem ſupernaturalem

16. SIquidem habitus ſupernaturalis non eſt ſubiectum recipiens actus ſupernatura-

Digitized by Google

Diſpoſitio duplex, lata, & ſtricta

lis. Quæritur, an ſaltim diſpoſitio ſit? Diſpoſitio eſt in duplici differentia, large, ac ſtricte. Diſpoſitio large dicitur quæcumque qualitas bene, vel male afficit ſubiectum in ordine ad ſuas operationes, quanquam ipſarum principium ſit, qua ratione habitus dicitur diſpoſitio perfecti ad optimum, & pertinere etiam dicitur diſpoſitio ad primam ſpeciem qualitatis in prædicamentis cap. de qualitate, de qua P. Suarez Met. diſp. 42. ſect. 4. n. 15. Conimbri. ad prædicam. q. 1. art. 3. ſect. 1. & communiter interpretes. Diſpoſitio ſtricte eſt, quę mere fungitur officio diſponendi, quatenus cum formæ principium, actiuum, aut paſſiuum non ſit, ſubiectum tamen ſic apparat ad formam, vt forma talem qualitatem ſubiecto vnitam ſupponat, aut ſubiectum tali qualitate intrinſece affectum. Rurſus diſpoſitio ſtricta, alia eſt ad agendum, quam intrinſece afficientem ſubiectum actio ſubiecti ſupponit; alia eſt ad recipiendum, quam ſubiecto intrinſecam ſupponit receptio. Igitur ſuperior aſſertio non negat diſpoſitionē latam, ſed ſtrictā, tam ad receptionem, quam ad actionem vitalem, qua potentia vitalis influit in actum vitalem. Cui ſententiæ ſuffragantur quoad receptionem omnes quos retulimus n. 2. ſi vnum aut alterum excipias, quem mox memorabimus.

P. Suarez Conymb.

Diſpoſitio ſtricta tum ad agendum, tum ad patiendum.

17. Dimitto plura argumenta, quæ varij contendunt, mihi parum robuſta. Equidem ſemper ſuperioribus inſiſto expugnantibus ſubiectum ſupernaturale; quæ diſpoſitionem quoque ſupernaturalem expugnant. Primum; quia talem diſpoſitionem non depoſcunt actus vitales, quia ſupernaturales, nec quia vitales, quia ſupernaturales; quoniam ipſi habitus afficiunt naturam nulla præuia diſpoſitione ſupernaturali affectam. Quia vitales; quoniam plures ſunt vitales actus, quos nulla diſpoſitio præcedit, vt ſimplex apprehenſio, & affectio naturalis. Alio autem merito non poſtulatur ad actus vitales ſupernaturales diſpoſitio ſupernaturalis. Secundo; quia actus eliciti à peccatore fiunt nulla præcedente diſpoſitione ſupernaturali, & arguebamus num. 4. contra præuium ſubiectum ſupernaturale. Neque ſatiſfacies, ſi dicas eos actus præueniri ſemper auxilijs gratiæ actualis, quæ, licet rationem ſubiecti ſubire nequeant, poſſunt recte rationem ſubire diſpoſitionis. Etenim meo, & communi ſocietatis iudicio ea auxilia ſunt indiſtincta à cogitationibus intellectus, & affectionibus voluntatis, quæ actus vitales ſunt. Quos tamen neque alij actus vitales, neque mortua aliqua qualitas ſupernaturalis anteuertunt. Igitur actus vitales ſupernaturales ratione vitalitatis ſupernaturalis nullam diſpoſitionem ſupernaturalem ſupponunt. Tertium, quia gratia iuſtificans non diſponit animum ad habitus ſupernaturales. Ergo neque habitus ad actus. Vide conſequentiam n. 9. ratio vtriuſque poteſt eſſe; quia ad rationē diſpoſitionis requiritur, vt diſpoſitio ignobilior ſit forma ad quam diſponit, quare vnio hypoſtatica non eſt diſpoſitio ad gratiam habitualem, quæ vnionem ſectatur, neque forma ignis ad qualitates, quæ

Probatur aſſertio primo.

Secundo.

Tertio.

illam conſequuntur. At gratia iuſtificans nobilior eſt, quam habitus, & habitus nobilior, quam actus. Eadem igitur ratione neque gratia erit diſpoſitio ad habitum, neque habitus ad actum. Neque quicquam iuuat, ſi dicas, ideo gratiam non diſponere ad habitum, quia ineſt diuerſo ſubiecto ab eo, cui habitus ineſt, nempe ſubſtantiæ animæ, cui non inhærent habitus, ſed potentijs à ſubſtantia diſtinctis. Tum quia potentiæ non diſtinguuntur à ſubſtantia animæ. Tum quia eſto diſtinguantur, habitus immediate inhęrent entitati animæ, & non potentijs. Quæ docui libris de anima, doceboque in Metaph. Addo quartum argumentum. Diſpoſitionis munus exigit apparare ſubiectum per vnionem intrinſecam cum illo: quocirca quantitas, & calor non poſſunt diſponere materiam ad formam ignis, quamuis intime aſſiſtant penetratę cum materia, ſi per creationem conſeruentur abiunctæ à materia. Sed habitus explet totum ſuum munus abſque vnione cum ſubiecto, dummodo intime aſſiſtat pręſens naturæ. Ergo illius munus non eſt diſponere naturam. Probatur minor: habitus fidei v. g. non ſolum explet munus eleuandi comparatione ſubſtantię immediate influentis in actus fidei, cui habitus inhæret, verum etiam comparatione intellectus, (ſi à ſubſtantia animæ diſtinctus ſit) & ſpeciei impręſſæ, ſimul cum anima influentium in eos actus, quibus habitus non inhæret. Quare arbitror, etiam ſubſtantiam animę eleuatam fore ad efficiendum actus fidei, ſi habitus productus per creationem adeſſet penetratus cum illa, quemadmodum accidentia Euchariſtica producta per creationem eodem modo agunt alia accidentia, quo per eductionem producta. Ergo munus habitus infuſi integrum exiſtit abſque vnione cum ſubiecto, ac proinde etiam abſque diſpoſitione.

Quarto.

18. Dices, hoc argumento ſolum probari, habitum non diſponere naturam ad agendum, ſecus vero ad patiendum, quia ſolum probat principia efficientia eleuari abſque vnione. Sed contra. Nulla qualitas diſponit ſubiectum ad recipiendum formam, niſi tribuendo per vnionem ſubiecto aliquod eſſe formale neceſſarium ad formam, quod ſine vnione tribui non poteſt. At habitus non tribuit per vnionem naturæ rationali aliud eſſe, quā poſſe efficere actum ſupernaturalem, quod ſine vnione præſtatur ab habitu. Ergo habitus non diſponit ad receptionem actus. Quandoquidem non apparet aliud eſſe accidentale, quod per vnionem habitus natura rationalis recipiat, quod ſine vnione præſtari non poſſit. Quantitas quidem præſtat materiæ impenetrabilitatem, & extenſionem neceſſariam ad formam ſubſtantialem, quod ſine vnione præſtari non poteſt, ideoque præſtat capacitatem proximam recipiendi. In habitu autem hoc eſſe diſtinctum conſiderare non eſt præter actiuitatem actus ſupernaturalis, quam ſine vnione tribuere poteſt naturæ. Ergo proprie non diſponit naturam ad receptionem actus.

19. Opinionem tamen, quæ affirmat, habitum diſponere ad receptionem actus, ſectatur

Authores affirmātes.

Digitized by Google

Carthuſian. Ouandus. Ricardus. Heruæus. Maior. P. Salas. Ledeſma. Gonzalez. Nauarreta. P. Valẽtia.

plures antiqui, & Neoterici Theologi. Carthuſianus in 3. diſt. 14. q. 1. ad finem, Ouandus in 4. diſt. 49. prop. 7. Richardus ibidem ar. 3. q. 2. Heruæus quodli. 5. q. 3. Maior q. 4. §. *iſta argumenta*, & in epilogo con. 1. P. Salas 1. 2. tom. 1. q. 3. tr. 2. diſp. 5. ſect. 3. §. *ſed tenenda eſt*, Cabrera 3. p. q. 9. ar. 2. diſp. 8. con. 1. Ledeſma de diuina perfect. q. 8. ar. 8. con. 4. Gonzalez 1. p. diſp. 27. num. 19. Nauarreta controu. 38. §. 2. P. Valentia 1. p. diſp. 1. q. 12. pun. 3. §. *verum hæc*, & §. *his igitur*, & plerique alij.

Primum argumentum.

20. Primo arguunt. Habitus ſupernaturalis præparat naturam, vt poſſit capere actum ſupernaturalem. Ergo eſt diſpoſitio illius. Probatur antecedens: actus non poteſt recipi, niſi in ſubiecto, quod præditum ſit propriâ potentiâ ad actum. Natura autem ſecundum virtutem ſibi intrinſecam non eſt ſubiectum præditum potentiâ propriâ ad actum ſupernaturalem, niſi eleuetur per habitum: nam ſecundum ſe natura improportionata eſt ad actum ſupernaturalem. Ergo per habitum apparatur natura, vt ſit ſubiectum capax recipere actum ſupernaturalem.

Cõfirmatio

Confirmant. Diſpoſitio debet eſſe in eodem ordine, in quo eſt forma. Forma eſt in ordine ſupernaturali. Ergo diſpoſitio debet eſſe in ordine ſupernaturali. Dices, ſi datur diſpoſitio, eam eſſe ordinis ſupernaturalis, verum eam non dari. Sed contra; nequit forma recipi in ſubiecto indiſpoſito, ſed diſpoſito, & parato ad recipiendum, ſiue per ſe, ſiue per qualitatem ſuperadditam. At natura non eſt per ſe, ſecluſo dono ſupernaturali, diſpoſita, & parata ad recipiendum formam ſupernaturalem. Ergo erit parata per qualitatem ſuperadditam, non naturalem, cum forma ſit ſupernaturalis. Ergo per qualitatem ſupernaturalem.

Explicatur.

Si hoc argumentum quidquam probat; certe probat actum ſupernaturalem recipi tanquam in ſubiecto, in habitu ſupernaturali; quippe qui potentiam propriam ad actum ſupernaturalem eſſentialiter conſtituit; Quod aduerſarij non admittunt, & nos præteritis reiecimus. Deinde poteſt eſſe potentia propria ad actũ ſupernaturalem abſque habitu ſupernaturali, vt argumẽto ſunt actus ſupernaturales virtutũ moraliũ eliciti à peccatore. Rurſus, quãuis habitus ſupernaturalis eſſet neceſſarius, nõ eſſet neceſſarius vnitus ſubiecto, & informãs, ſed aſſiſtẽs; atq; adeo non eſſet diſponens, qualis eſſe repugnat ſine vnione, vt dicebamus n. 17. Inſuper vnio intrinſeca habitus ſupernaturalis cum natura non eſſet neceſſaria ad facultatem patiendi, ſed agendi, quæ ſola in principio agente deſiderat ſupernaturalitatem, quam tribuat effectui: patiens enim facultas non tribuit, ſed ab agente recipit ſupernaturalitatem formę.

Ad confirmationem.

Confirmatio recte ibi explicata eſt, ſcilicet ſolum euincere diſpoſitionem eſſe ſupernaturalem, ſi datur. At non dari. Ad redargutionem reſpondeo; natura ex ſe, & intrinſeca capax, & diſpoſita eſt, ad recipiendum actum vitalem ſupernaturalem ſub conditione, quod adſit virtus inducẽs actum in ipſam, vt eadem ex ſe, & intrinſeca eſt capax, & parata ad capiendum habitum ſupernaturalem, qui actu præſtantior eſt. Quia vero talis virtus inducens actum ſupernaturalem in naturam indebita eſt naturæ, ideo natura abſolute incapax, & improportionata ad eum actum recipiendum cenſetur.

21. Secundo arguunt; virtus actiua naturæ diſponitur per habitum ad agendum. Ergo etiam virtus paſſiua ad recipiendum. Antecedens admittunt P. Suarez, P. Faſolus, Zumel, & plerique alij. Ego falſum puto, ſi de ſtricta diſpoſitione ſermo ſit. Siquidem, vt vidimus ſupra, natura ad agendum cum habitu non indiget vnione intrinſeca cum illa; indigeret autem, ſi diſponeretur per habitum. Quare peccator ſine habitu, & per auxilium extrinſecum agit plures actus ſupernaturales iuxta ipſorum naturam, vt oſtendimus n. 5.

Secundum. P. Suarez. P. Faſolus. Zumel. Diſpoſitio.

22. Tertio; lumen gloriæ diſponit intellectum ad viſionem. Ergo reliqui habitus ad ſuos actus. Conſequentia à paritate videtur clara. Antecedens probatur; quia S. Thomas 1. p. q. 12. ar. 5. ait: *Lumen gloriæ eſſe ſupernaturalem diſpoſitionem, vt ipſa eſſentia Dei fiat forma intelligibilis intellectus.* Item de veritate q. 8. ar. 3. initio corporis docet; *Oportere eſſe in intellectu aliquam diſpoſitionem, per quam eſſentia diuina vniatur intellectui, quod eſt aliquod intelligibile lumẽ gloriæ ſupernaturale.* Confirmatur à quibuſdam recentioribus Salmanticenſibus. Lumen gloriæ ſe tenet ex parte potentiæ intellectiuæ. Ergo viſio recipitur in potentia intellectiua prędita lumine gloriæ. Ac proinde ſupponit lumen, tanquam diſpoſitionem potentiæ. Probatur conſequentia, quia viſio recipitur in potentia intellectiua, vt intellectiua eſt. Nam potentia intellectiua eſt fæmina intellectualis, cuius munus eſt recipere, ac fouere prolem intellectionis. Ergo ſi intellectus non eſt potentia intellectiua Dei abſque lumine, non erit receptiua abſque illo.

Tertium. S. Thomas

Solutio.

Reſpondeo. S. Thomas non diſſerit hic de diſpoſitione ſtricta, ſed lata, & impropria, quam expoſuimus n. 16. etenim etiam ibi docet, naturam diuinam vniri intellectui, ipſumque perficere tanquam formam ſuum perfectibile. Tamen hæc vnio, informatio, & perfectio intellectus creati à natura diuina non eſt propria, ſed impropria. Quid ergo mirũ, diſpoſitionem luminis ad talem vnionem non intelligi propriam, ſed impropriam, & latam. Prætereo contentionem plurium Thomiſtarum volentium, ſanctum Thomam his in locis ſolum iudicare habitum diſponere ad agendum, non vero ad patiendum: quia vnio intellectus cum eſſentia diuina non eſt receptio, ſed coactio viſionis, quæ ab vtroque tanquam ab vno principio efficienti procedit. Etenim mea opinione æque negandus eſt habitus, diſpoſitio ſtricta, & propria ad agendum, ac ad patiendum, vt præteritis expoſuimus.

Ad confirmationem.

Ad confirmationem recentiorum reſpondeo. Si argumentum quidquam concludit, maxime lumen eſſe ſubiectum recipiẽs viſionis ſimul cum intellectu, quia ſimul cum illo potentiam intelligendi Deum conſtituit. Quod ſect. præcedenti reiecimus. Præterea in rem momenti non eſt. Nam lumen gloriæ non ſe tenet ex parte potentiæ intellectiuæ adęquate, ſed in-

Digitized by Google

adequate ſolum, hoc eſt, tenet ſe ex parte potẽtiæ intellectiuæ, quatenus eſt agens, non vero quatenus eſt patiens, quia ſola inſufficientia agendi deſiderat lumen gloriæ, non vero patiendi, vt ſuperioribus explicuimus in genere de reliquis habitibus ſupernaturalibus. Alia

Cabrera

obiicit Cabrera, quæ habitum ſupernaturalem non diſpoſitionem, ſed ſubiectum recipiens actus ſupernaturalis probant, de quo ſect. præcedenti ſatis.

Gonzalez.

Alia Gonzalez, quæ ſolum probant, eleuationem naturæ per habitum. Quaſi idem ſit naturam eleuari, ac diſponi. Eleuari enim poteſt, quin intrinſece perficiatur per habitum, ſecus diſponi. Vnio hypoſtatica eleuat naturam humanam, vt illi debeantur dona gratiæ. Tamen non diſponit. Alia recentiores, quæ nulla facta diſtinctione ſolum euincunt diſpoſitionem large ſumptam, quam noſtra ſententia minime negat. Quare vereor, hic apud Thomiſtas, & alios Theologos multum contendi de voce.

DISPVTATIO VIGESIMASEPTIMA.

AN POTENTIA OBEDIENTIALIS PASSIVA omnibus rebus creatis communis ſit?

Sententiæ Affirmantis eſt S. Tho.

1. HVius quæſtionis non meminerunt Scholaſtici. Affirmantis ſententiæ videtur S. Thomas 3. p. q. 11. ar. 1. corpore, ibi: *Eſt autem conſiderandum, quod in natura humana, ſicut in qualibet creatura, conſideratur duplex potentia paſſiua, vna quidem per comparationem ad agens naturale: alia vero per comparationem ad agens primum, quod poteſt quamlibet creaturam reducere in actum aliquem altiorem actu, in quem reducitur per agens naturale, & hæc conſueuit vocari potentia obedientia in creatura.* Bis aſſerit conuenire cuilibet creaturæ potentiam obedientialem patientem ab agente ſupernaturali actum altiorem eo, quem agens naturale poteſt inducere. Item in 1. diſt. 42. q. 2. ar. 2. ad 4. ibi; *Deus materiæ primæ indidit rationes obedientiales, per quas omnes res natæ ſunt obedire Deo; vt fiat ex eis quidquid Deo placuerit.* Itaque rationes obedientiales patiendi aliquid, à Deo omnibus rebus communes ſunt, ſiquidem omnes ſunt natæ obedire Deo, & materiæ primæ inditæ ſunt, quia rebus omnibus titulo creationis conueniunt.

Prima probatio. Auguſtinus

2. Probari primo poteſt ex D. Auguſtino de gen. ad lit. cap. 17. vbi ſtatuens potentiam obedientialem, ſic habet: *Super hunc autem motum, curſumque rerum naturalem, poteſtas creatoris habet apud ſe poſſe de his omnibus facere aliud, quam eorum quaſi ſeminales rationes habent.* Expende *poteſtatem creatoris*, vtique actiuam, *poſſe de his omnibus* (nullam excipit) tanquam materiâ, & ſubiecto, *aliud facere, quam eorum ſeminales rationes*, ſeu naturales vires *habent*: ſcilicet inducendo in illas alias formas ab ijs, quæ poſſunt virtute agentium naturalium induci. Si autem quiſpiam velit, hic Auguſtinum agere de virtute obedientiali actiua, inde deprehendi non leuiter poteſt etiam virtus obediẽtialis paſſiua, nam actiua omnibus rebus communis difficilior eſt perſuaſu, quàm paſſiua. Quippe actiua virtutem, & entitatem nobiliorem deſiderat, quam paſſiua, cum munus dandi, ſeu agendi ſupra naturam nobilius quid ſit, quam munus recipiendi, ſeu patiendi. Ergo ſi actiua omnibus conuenire poteſt, æquius conueniet paſſiua. Rurſus Auguſtini verba, vt expendimus, potius indicant paſſiuam, quam actiuam. Et quidem non ſolam actiuam comprehendere, manifeſte oſtendunt exempla, quibus hanc potentiam obediẽtialem omnibus rebus communem elucidat. Nimirum formatio Euę ex coſta Adami, tranſmutatio aquæ in vinum, fæcunditas fæminæ, ac terræ ſterilis, & infuſio gratiæ, quę ex parte naturę paſſionẽ ſupernaturalem, potius quam actionem denotant.

Secunda à priori.

3. Quod etiam confirmat ratio à priori ſtatuendi in rebus potentiam obedientialem. Quæ plane, & communem omnibus, & paſſiuam illam ſimul conuincit. Ratio enim eſt obedientia, quam tenentur pręſtare creaturæ voluntati ſui conditoris, qui tanquam Dominus poteſt eis vti in vſus, qui ipſi libiti ſint. Ita Auguſtinus ſupra: *Dedit, vt non hoc haberent in motu naturali, ſed in eo, quo ita creata ſunt, vt eorum natura voluntati potentiori amplius ſubiaceret.* Quod expreſſius, licet fuſius repetit cap. 18. At hæc obedientia creaturarum debita dominio Dei, tum communis eſt omnibus creaturis, cum omnes teneantur eodem titulo obedire ſuo creatori; tum potentiam patiendi potiſſimum exprimit: res enim arbitrij expertes non tam obediunt agendo, quam patiendo, vt baculus, qui mouetur ad nutum domini, & cera quæ formatur ad libitum artificis. Ergo potentia obedientialis, & paſſiua, & omnibus creaturis communis ſtatuenda eſt.

Tertia ab inductione.

4. Præterea nulla eſt res naturalis quam Deus non poſſit conſtituere in duplici loco, cui non poſſit multiplicare numero accidentia naturalia, ſi corporea eſt, tribuere præſentiam quaſi definitiuam, qualem habet corpus Chriſti in Euchariſtia, qualitates ſupernaturales penetrabilitatis, agilitatis, & alias, quæ glorioſas perficiunt. Ad hæc autem neceſſaria eſt potentia obedientialis paſſiua.

Cõfirmatur

Confirmatur, ſicut Deus naturam rationalem ornat qualitatibus intrinſece ſupernaturalibus, quarum aliquam

quam nullus Philoſophorum agnouit, nec nos agnouiſſemus, niſi notitia fidei præluceret; ita poteſt naturam irrationalem alijs qualitatibus ſupra ipſius naturam efferre, quarum idæam & quidditatem principia naturæ neque formare, neque perſuadere poſſunt. Id enim cur Deo comparatione naturę rationalis negandum eſt, quod ſummâ omnipotentiæ, ac largitatis diuinæ commendatione factum cernimus comparatione naturæ rationalis. Pertinet namque ad eximiam poteſtatem, & largitatem Dei, vt poſſit quamlibet creaturam vltra natiuam ipſius cōditionem perficere, melioremque ſemper nouis ornamentis veſtire. Nulla enim tantum à Deo accepit, vt amplius accipere impoſſibile ſit. Sane ſi accidentia ſupernaturalia roges, ſi modos, ſi varia perfectionum ſupernaturalium genera, quibus res creatas ſupra ipſarum naturam cumulare Deus poteſt; fatebor ingenue ignorantiam quidditatis, & diſtinctionis ſpecificæ ipſorum. Certus tamen, plura eſſe poſſibilia Deo, quam mens humana ſuis relicta luminibus diſtinguere valet. Equidem Angelos ſine numero, ſpecies item corporeas ſine fine multiplicari poſſe, cum pluribus Theologis tueor. At cuiuſque ſpeciem diſcernere, prędicata eſſentialia explicare, quem non fugit? Igitur poteſt Deus varijs ac miris ſupra naturam mutationibus quamlibet creaturam ſubijcere, quamquam ſpecifica illarum conditio manifeſta nobis non ſit. Iterum confirmatur potentia obedientialis paſſiua communis omnibus ſubſtantijs creatis. Nam, vt tractatu de Incarnatione oſtēdi, potuit aſſumi à verbo quælibet ſubſtantia etiam irrationalis, ſicut rationalis aſſumpta fuit. At hæc aſſumptio abſque potentia obedientiali paſſiua nōn potuit contingere. Ergo. Probatur minor. Tum quia vnio hypoſtatica eſt modus realiter diſtinctus à natura creata, & verbo, reſpiciens verbum tanquam pure terminum, & afficiens, ac immutans intrinſece naturam creatam tanquam ſubiectum. Tum quia credibile non eſt verbum vniri naturæ creatæ, cui ſimul cum illa vnione largiri nequeat plura ornamēta, ac dona ſuper naturalem exigentiam ipſius, propria conditionis ſupremæ, quam ea vnione ſortitur. Hæc fuſius perſequi non libet. Vaga enim, & ſolitaria excurrit diſputatio in eo campo omnipotentiæ diuinæ, quem prius alij non excurrerunt. Cum agamus de potentia obedientiali actiua, omnibus creatis rebus generali, curſum perficiemus.

Iterum cōfirmatur.

DISPVTATIO VIGESIMA-SEPTIMA.

AN POTENTIA OBEDIENTIALIS PASSIVA ſit principalis, an inſtrumentalis?

P. Albertinus, & P. Faſolus negant inſtrumentalem.

1. Breuiter expediam rem, quam pauci attingunt, & ego momenti non pendo. P. Albertinus tom. 1. prio. 2. q. 6. num. 8. & P. Faſolus 1. p. q. 12. ar. 5. num. 53. volunt, potentiam obedientialem paſſiuam inſtrumentalem eſſe non poſſe, ſed principalem. Quia cauſa inſtrumentalis dicitur relatione ad cauſam principalem in eo genere cauſæ, in quo inſtrumentalis eſt. At nulla eſt cauſa principalis paſſiua, in quam potentia obedientialis inſtrumentalis referatur. Nam potentia obedientialis, vt obedientialis ſolum, refertur in Deum, tanquam in cauſam principalem. Deus autem cauſalitatis paſſiuæ incapax eſt, ergo potentia obedientialis paſſiua inſtrumentalis eſſe non poteſt. Atque ita in eo genere ſemper erit principalis.

P. Reinaudus affirmat.

2. At P. Reinaudus in ſua diſcipl. moral. diſt. 2. num. 4. notatione dignum monet, potentiam obedientialem paſſiuam nōn eſſe principalem, ſed inſtrumentalem. Nam potentia obedientialis paſſiua non ſuſtentat formam ſupernaturalem per virtutem ſibi naturalem, ſed eleuata per virtutem agentem ſupernaturalem, ac indebitam. At omnis cauſa eleuata ad operandum per aliam eſt inſtrumentalis eleuantis, quæ tali cauſa eleuata vtitur tanquam inſtrumento ad inducendum formam, quam intendit. Ergo potentia obedientialis paſſiua eſt inſtrumentalis, & non principalis. Etenim cauſa principalis ſemper influit in effectum virtute, & cauſalitate ſibi naturali, & propriâ, non extranea, & aliena, qualis eſt cauſalitas materialis potentiæ obedientialis paſſiuæ, quæ eſt indiſtincta à cauſalitate actiua, propria, & debita ſoli agenti ſupernaturali, & non ſubiecto naturali.

Diſſidium vocale.

3. Diſſidium puto vocum, non rerum. Quidquid enim vtrique intelligunt de re per cauſam inſtrumentalem obedientialem paſſiuam, negant, & concedunt vtrique. Nam prior ſententia negans potentiam obedientialem paſſiuam eſſe inſtrumentalem, certe non negat, ſuſtentare formas ſupernaturales eleuatam per vitutem, & cauſalitatem actiuam ſibi indebitam, quam putat poſterior ſententia eſſe potentiam inſtrumentalem agentis ſupernaturalis. Et poſterior ſententia admittens eſſe cauſam inſtrumentalem non admittit, dari cauſam paſſiuam formæ ſupernaturalis principalem, cuius inſtrumentum dicatur in eo genere cauſæ materialis, potentia obedientialis paſſiua; quam ſolum arbitratur cauſam inſtrumentalem prior

Digitized by Google

ſententia. Igitur prior, & poſterior ſententia conuenientes in re ſolis vocibus pugnant. Itaque conciliantur, ſi dicas, potentiam obedientialem paſſiuam non eſſe inſtrumentum alterius cauſæ quæ paſſiua ſit; eſſe tamen alterius cauſæ quæ ſit actiua; neque enim repugnat eandem rem in vno genere eſſe principalem, & comparatam cum alio inſtrumentalem, quia in vno genere non ſubiicitur alteri, ſicut in alio.

Aliter ſtatuendum ſi potentiæ diſtinguantur ab anima.

4. Quamquam, ſi vera eſt ſententia, quæ potentias diſtinguit ab anima, & actus vitales collocat in potentijs, potẽtia obedientialis paſſiua potentiarum non incongrue poteſt dici inſtrumentalis, comparatione ſubſtantiæ animæ, cuius nomine, & virtute tales potentiæ actus vitales, etiam ſupernaturales recipiunt.

P. Faſolus.

Quod comparatione ad hominem contra Patrem Faſolum ſic probo, ipſe docet 1. p. q. 12. ar. 4. n. 14. fine, potentias vitales eſſe cauſas inſtrumentales in genere cauſæ materialis reſpectu animæ recipientis principaliter, & *vt quod* actus vitales naturales. Ergo eædem erũt inſtrumẽtales reſpectu animæ recipientis principaliter, & *vt quod* actus ſupernaturales. Probatur conſequentia. Nam ſicut potentiæ recipiunt actus naturales tanquam facultates animæ, ſic etiam recipiunt ſupernaturales; & ſicut virtutem abſolutam recipiendi naturales habent acceptam ab anima; ſic etiam virtutem conditionatam recipiendi ſupernaturales; Demum ſicut anima recipit *vt quod*, & potentia *vt quo* actus naturales, eâdem ratione etiam recipit anima *vt quod*, & potentia *vt quo* ſupernaturales, quin ſit aliud ſubiectum, cui in eo genere animus ſubordinetur. Ergo eodem modo erit animus cauſa paſſiua principalis, potentia vero inſtrumentalis comparatione actuum ſupernaturalium, ac naturalium.

Quid abſolute decernendum.

5. Ceterum cum mea opinione potentiæ non diſtinguantur ab anima, ſuppoſitione, quâ diſtinctæ ſint, actus vitales non inſideant immediate potentijs, ſed adęquate ſubſtantiæ animę, eodẽ modo de virtute receptiua actuum vitalium, quo de virtute receptiua gratię, & habituum, aliorumque donorum abſolute decernendum eſt. Et quidem hac in re de potentia paſſiua minime ſubiecta alteri cauſæ principali paſſiuę idem dicendum eſt, quod de cauſa vitaliter actiuá non ſubiectá alteri cauſæ vitaliter actiuæ, dicemus diſput. 31. Quare ſi potentia obedientialis actiua animæ, vt vitalis, & libera, dicitur principalis abſolutè, quia non pendet à Deo, vt agente vitaliter, ac libere per actionem ſupernaturalem creatam: etiam omnis potentia obedientialis paſſiua, erit abſolute principalis, quia non pendet à Deo vt patiente potentiam ſupernaturalem, ſed agente; ſi vero hæc ſubordinatio in alio genere ſufficit, vt potentia obedientialis actiua vitalis, & libera inſtrumentalis ſit, eadem erit ſufficiens, vt ſit inſtrumentalis abſolute omnis potentia obedientialis paſſiua. Quo iſtam controuerſiam ſingularem communem facimus omnibus Theologis, qui ſuperiorem quæſtionem frequenter diſcutiunt, quam cum eiſdem nos diſcutiemus diſp. 31.

DISPVTATIO VIGESIMANONA.

AN CONVENIAT NATVRÆ POTENTIA OBEDIENtialis actiua operum ſupernaturalium vitalium?

Explicatur controuerſia.

1. POST explicatam poteſtatem paſſiuam formarum ſupernaturalium, procliue eſt explicare poteſtatem actiuam. Quia vero formæ ſupernaturales, quæ diſputationi Theologorum ſubiiciũtur, aliæ ſunt vitales, vt actus intelligendi, & amandi; aliæ non vitales, vt gratia iuſtificans, & habitus; prius de poteſtate ad formas vitales agemus, acturi poſterius de poteſtate ad non vitales. Nunc autem proponimus: An naturæ comparatione vitalium operum intelligendi, & amandi conducentium hominem ad ſalutem, vt actuum fidei, & charitatis, natura rationalis mere paſſiue ſe habeat? An etiam actiue concurrat? vbi noto, nomine naturæ nunc à me intelligi agens naturale, ſiue illud ſubſtantiale ſit, ſiue accidentale; hoc eſt, ſiue ſit ſubſtantia animæ, ſiue potentia naturalis realiter ab ipſa diſtincta. Item actiuitatem naturæ examinari, quæ proprie, ac vere naturam agentem conſtituat, ſiue illa immediata proxima ſit, ſiue tantum mediata, atque remota. De quo erit diſputatio ventura.

Digitized by Google

SECTIONES.

1. *Hæreticorum ſententia negat.*
2. *Sententia Catholicorum affirmat.*
3. *Appendix ad præcedentia.*
4. *Diluuntur hæreticorum argumenta.*

SECTIO PRIMA.

Hæreticorum ſententia negat.

Lutherus. 2. SOlemne eſt Lutheri delirium aſſerentis, liberum hominis arbitrium ſola paſſione, non actione aliquâ concurrere in actus ſupernaturales, qui hominem promouet in ſalutem. Accipe eius verba ex digreſſione quadam libri, qui inſcribitur; *Operationes in Pſalmos. Error, & quod liberum arbitrium habent aliquam actiuitatem in bono opere, quando de interno opere loquimur, velle enim illud, quod credere, ſperare, diligere iam diximus, motus, raptus, ductus verbi Dei, & quadam continua purgatio, & renouatio mentis, & ſenſus de die in diem, in agnitionem Dei, licet non ſemper æque intenſa ſit illa paſsio, tamen ſemper eſt paſsio. Ecce* (inquit Hyeron.c.18.) *ſicut lutum in manu figuli, ita & domus Iſrael in manu mea. Quid obſecro actiuitatis habet lutum, quando figulus ei formam effingit? nonne mera paſsio ibi cernitur?* En aperte Lutherus libero arbitrio negat aliquam actiuitatem in actum credendi, ſperandi, ac diligendi Deum, ſolamque, ac meram tribuit facultatem patiendi, qualem habet lutus, vt à figulo in hanc vel illam formam figuretur. Vnde nata fuit peſtilens illa eiuſdem ſententia negans voluntati veram libertatem, & indifferentiam agendi, qua diuinæ motioni, & gratiæ, aut obtemperare, aut refragari, noſtræ electionis, ac poteſtatis ſit. Vere etenim repugnat libera facultas voluntati, quæ nulla actiuitate pollet in ſuos actus, ſed in eos mere paſſiue concurrit, diuinam ſuſtinens motionem, quæ ſola totum deinde conſenſum agat.

Excuſatio Lutheri. 3. Hanc ſententiam adeo ſtultam putarunt ipſius Lutheri diſcipuli; vt illam erubuerint, dixerintque in examine Concilij Tridentini, dandam eſſe veniam Luthero, quod in primordijs cõuerſionis ſuæ adhuc retineret phraſes ſcholaſticorum, quibus diu aſſueuerat, quamuis in re nihil errauerit, cùm per cõcurſum paſſiuum voluntatis in ſuos actus aliud non voluerit, quàm voluntatem non libere concurrere in eorum actionem, cum quo cõponitur eſſe cauſam actiuam illorum, licet non liberam. Verum inexcuſabilis eſt impudentia Kemnitij, qui mentem Lutheri luce meridiana clariorem nobis metiri auſus eſt. Etenim adducit primo Lutherus ſimilitudinem luti, in quo (vt ipſe expendit) nulla actiuitas eſt, ſed mere paſſio. Deinde ipſe Kemnitius (quæ eius ſtultitia eſt) declarat ibid. quid ſit paſſiue cõcurrere iuxta phraſim ſcholaſticorum, ac dicit eſſe, cum ſubiectũ nihil agit in motum, vel formam, quam recipit, ſed tãtum exercet officium patiendi. Igitur ſi iſtud eſt paſſiue concurrere iuxta phraſim ſcholaſticorũ, & Lutherus phraſim ſcholaſticorum retinuit ſcribẽs, voluntatem ſolum paſſiue concurrere in actiones ſalutares, ac pias: in ea plane ſententia Lutherus fuit, vt putaret, voluntatem non eſſe in actiones bonas agentem, ſed tantum patientem.

Impudens.

Caluinus etiam negat. 4. Eiuſdem reipſa fuit Caluinus lib.2.inſtit. cap.3.§.7. ſic de Catholicis agens: *Sed erunt, qui concedent, voluntatem à bono ſuopte ingenio auerſam, ſola Domini virtute conuerti, ſic tamen, vt præparata ſuas deinde in agendo partes habeat.* Et poſt alia; *ſed hoc perperam homini tribuitur, quod gratia præuenienti pediſequa voluntate obſequatur.* Ideo poſt acceptam gratiam, & motionem Dei non agere, ſed agi voluntatem humanam, non cooperari, ſed pati, atque adeo neque proprie adiuuari à Deo, Caluino dogmaticum eſt. Quo recte libertati euertendæ viam ſtrauit. Neque me mouet, graues aliquos Catholicos ſentire, Caluinum reuera non negaſſe actiuitatem volũtati, ſicut Lutherum, ſed libertatem dumtaxat. Nam licet interdum actionem voluntati cõcedat, puto eam ſolum actionem voluntati tribuere, quæ à gratia ſibi inhærenti procedit, non eam, quæ ſit immediate ab ipſa virtute intrinſeca voluntatis, ſicut aqua dicitur calefacere actione procedenti à calore, qui ſibi adeſt. Quem agendi modum Lutherus non negaret voluntati humanæ, qui palam fatetur, gratiam in voluntate reſidentem totum agere conſenſum, ac proinde etiam voluntatem patientem talem gratiam, mediâ actione gratiæ denominari agentem poſſe. Et quidem non aliter admittere Caluinum actiuitatem voluntatis in opera pietatis, niſi quia patitur gratiam, quæ illa agit, & ſua actione denominat voluntatem agentem, conſtat ex his, quæ habet lib.2. inſtit. c.3. §. 12. vbi ad locum 1. Cor. 15. *Plus omnibus laboraui, non autem ego, ſed gratia Dei mecum:* Sic reſpondet. *Ad hanc feſtucam, mirum eſt, tot non malos alioqui homines impegiſſe. Non enim gratiam ſecum laboraſſe ſcribit Apoſtolus, vt ſe conſortem laboris faciat, quin potius totam laboris laudem vni gratiæ tranſcribit iſta correptione. Non ego, ait, qui laboraui, ſed gratia Dei, quæ mihi aderat. Feſellit autem eos loquutionis ambiguitas, ſed magis præpoſtera verſio, in qua vis Græci articuli prætermiſſa fuit. Nam ſi ad verbum reddas, non dicit gratiam ſibi fuiſſe cooperatricem, ſed gratiam, quæ ſibi aderat, omnium fuiſſe effectricem.* En negat voluntatem cooperatricem, & conſortem laboris cum gratia, admittens laborantem fuiſſe, quia gratia ſibi inhærens totius laboris effectrix fuit. Cuius mentis plura teſtimonia dabimus diſp. ſequenti ſectione quinta. Quo in conciliationem veniunt Lutherus, & Caluinus. Atque ita vtrumque ferijt anathema Concilij Tridentini contentum ſeſſ.6. c.5. & can. 4. quod produco ſectione ſequenti.

Digitized by Google

SECTIO SECVNDA.

Sententia Catholicorum affirmans.

5. IGitur Catholicorum omnium conſenſus affirmat, veram, & propriam concedendam actiuitatem voluntati in opera ſalutaria, ac ſupernaturalia, quæ auxilio diuinæ gratiæ fiunt, & non meram virtutem patientem gratiæ. Atque adeo proprie voluntatem cooperari gratiæ Dei, à Deoque in ſalutem adiuuare. Quod adeo mihi certum eſt, vt oppoſitum erroneum putem. Sancit Tridentinum. Sufficiat nobis Sanctio Tridentina ſectio. 5. cap. 5. aduerſus Lutherum, & Caluinum edita, ſtatuens; *hominem gratiæ exiſtenti, atque iuuanti libere aſſentiendo, & cooperando diſponi, ita vt tangente Deo cor hominis, per Spiritus ſancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat inſpirationem illam recipiens.* Expreſſius Canon. 4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, ſed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paſſiue ſe habere, anathema ſit.* Audis, liberum hominis arbitrium cooperari gratiæ Dei, à Deoque adiuuari, hæreticeque dici, nihil omnino agere, mereque paſſiue ſe habere. Vnde mihi perſuadeo, Tridentinos Patres anathemate ferire Caluinum, & Lutherum, non ſolum ratione conſequentis, quod libertatem aſpernabatur, ſed etiam ratione antecedentis, ex quo illud deducebant, quod actiuitatem voluntatis aduerſabatur: atque ita non ſolum definijſſe, hominem eſſe liberum in bonis ac pijs actionibus, verum etiam in illis non ſolum paſſiuam, ſed etiam actiuam vim exercere, quæ Deum aduocet adiutorem, cuius ipſe cooperator fit.

Eccleſiæ Patres. 6. Mitto teſtimonia ſacrarum literarum, & Eccleſiæ Patrum, quæ expendemus contra Thomiſtas diſp. proxime futura, oſtendentes, naturam rationalem in ſalutares actus, non mediatam ſolum, ſed etiam immediatam actionem conferre. Certiſſime enim actiuâ virtute pollet natura, quæ non ſolum paſſionem, ſed etiam actionem immanentem confert. Nam in actione aliqua voluntatis ſtatuenda, non eſt quod operam ponamus non neceſſariam: in eo enim ſtudio cum Luthero, & Caluino nobiles iamdudum Athletæ decurrerunt, & palmam cum gloria reportarunt. Quamquam nonnulla, quæ alij non adducunt, promemus & nos ſectione ſequenti. Ad quatuor claſſes reuocantur omnia teſtimonia, quæ præſens inſtitutum euincunt. Prima Claſſis continet ea, quæ in via ſalutis hominem agentem, facientem, laborantem, operantem, expreſſe prædicant: hæc enim homini mere patienti quadrare nequeunt. Secunda vero illa, quæ hominem exprimunt cooperatorem, & coadiutorem Dei: nam ſi homines proprie nihil agerent per liberum arbitrium, ſed mere paſſiue mouerentur à Deo, male cooperatores, & coadiutores dicerentur. Tertia, quæ ſuadent, & imperant hominibus opera pietatis, qui enim nihil agunt, ſed aguntur ab alio, & mere patiuntur, nequeunt hominis ſuaſionibus moueri, cum ex ſe motum non habeant. Quarta denique, quæ Deum commendant iuuantem homines in operibus pietatis, nam proprie iuuari non dicitur, qui nihil agit, ſed qui operam aliquam in agendo confert. Quorum teſtimoniorum genera ſine numero obuia ſunt in ſacris literis, monimentis Patrum, & ſcriptis Theologorum, præſertim eorum, qui manus cum hæreticis noſtri temporis conſeruerunt. Videantur Bellarminus lib. 6. de gratia, & lib. arb. à cap. 10. Ricardus Iapper ar. 7. Bellarmin. capite 70. Vega in Tridentinum libro 6. cap. 2. Vega. Horantius libro primo loc. Cathol. cap. 46. 52. & 53. & alij.

7. Rationes, quæ fulciunt actiuitatem naturæ rationalis in pietatis opera plures ſunt. Prima ratio Attingam breuiter efficaciores, & quæ rem euincunt. Prima eſt; actus pietatis ſupernaturales ſunt vitales, non ſolum vitalitate intentionali, ſed etiam Phyſica, quę plantis ſe nutrientibus communis eſt. Vitalitas Phyſica actionem immanentem deſiderat ex communi definitione vitæ Phyſicę, quam tradunt Philoſophi, & expoſuimus nos libris de anima. Ergo actus ſupernaturales actione immanenti fluunt à natura viuenti. Secunda. Secunda; actus ſupernaturales ſunt liberi: libertas autem conſiſtit in agendo, & non in mere patiendo. Tertia. Tertia; homo fit dignus laude, & præmio per opera ſupernaturalia. Nullus autem fit dignus laude, & præmio per ea, quæ ſolum patitur, ſed per ea, quæ vere, & proprie agit. Ergo homo vere, & proprie agit, & non tantùm patitur ſupernaturalia.

SECTIO TERTIA.

Appendix ad præcedentia.

8. QVamquam actiuitatem voluntatis in opera ſupernaturalia ſatis ſuperiora confirment, & locupleti calamo illuſtrauerint Illuſtratur doctrina Catholica. Authores relati n. 6. libuit nihilominus, pluſcula ex penu noſtra adiicere in eius probationē, quæ inter ea, quæ ad diſputationes ſequentes congerebamus, momenti eſſe notauimus. Ex ſacris teſtimonijs efficax eſt illud Ioan. 14. *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, ipſe faciet, & maiora horum faciet.* Ioan. 14. Ex quo colligit Auguſt. tract. 72. Auguſtinus in Ioannem, hominem credentem, cooperante Deo, vere, ac proprie efficere opus credendi. Item Math. 7. *Qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorũ,* Math. 7. & c. 12. *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, ipſe meus frater, &c.* Ecce homo factor eſt voluntatis diuinæ, quia facit opera diuinâ voluntate præſcripta. Adde Iacobi 1. *Eſtote factores verbi.* Iacobi 1. Inſuper Ioan. epiſt. 3. I. an. ep. 3. *De omnibus orationem faciens proſpere te ingredi, & valere, ſicut proſpere agit anima tua.* Et infra; *Fideliter facis quidquid operaris in fratres.*

Digitized by Google

Concilium Paleſti.

9. Rurſus præter Concilium Tridentinum eidem veritati ſuffragati sũt Patres Synodi Paleſtinæ approbantes explicationem Pellagij; *Hominem a peccatis cõuerſum proprio labore, & Dei gratia poſſe eſſe ſine peccato.* In qua præter gratiam Dei admittitur proprius hominis labor, atque conatus ad agenda opera ſalutis, vt conſtat ex toto libro de geſtis Pellagij c.6.10.& 31. Idem probauerunt Africani Epiſcopi reſcribentes ad Zoſimum Papam: *Vt boni aliquid agant, paternis inſpirationibus ſuorũ ipſe tãgit corda fidelium.* Igitur fideles tacti inſpirationibus diuinis aliquid boni agunt, & non mere paſſiue ſe habent. Quod refert Cæleſtinus I. ep.1. ad Epiſcopos Galliæ c.8. & colligẽs ſententiam Romanorum Põtificũ, ac præſertim Zoſimi ſic probat. *Nõ dubitemus ab ipſius gratia omnia hominis merita præueniri, per quẽ ſit, vt aliquid boni, & velle incipiamus, & facere.* Et poſt pauca: *agit quippe in nobis, vt quod vult, & velimus, & agamus: neque otioſa eſſe patitur, quæ exercenda, non negligenda donauit; vt & nos cooperatores ſimus gratiæ diuinæ.* Quid manifeſtius contra dogmata Lutheri; atque Caluini? Quibus accedit Concilium Senonenſe in prologo columna 2. fine. *In errorem Manichæi Lutherus incidit, dum nimis anxie, & ſcrupuloſe deuitat Pellagium. Metuens namque liberum arbitrium cum Pellagio nimis efferre, omne opus bonum, quod eſt in homine, Deo tribuit, & diuinæ gratiæ, nihil prorſus libero arbitrio: ſicque tollens omnino liberum arbitrium Lutherus factus eſt Manichæus, dum refugit eſſe Pellagius. Debuerat certe Lutherus ex Apoſtolo noſſe, ita neceſſariam eſſe diuinam gratiam ad bene operandum, vt cum ea tamen liberum arbitrium bonum opus efficiat. Diſcamus igitur alienis periculis actiuitatem voluntatis in opera ſalutis admittere, ne in Lutheri præcipitia ruamus.*

Patres Africani. — Cœleſtinus. — Zoſimus. — Concilium Senonenſe.

Hyeronim.

10. Eccleſiæ Patres frequentes ſunt in actiuitate voluntatis commendanda. Hyeronimus Math.13. *De grano ſinapis quod accipiens homo, &c.* ſic diſſerit. *Quis eſt iſte qui ſeminat, niſi noſter animus, qui ſuſcipiens granum prædicationis, & fouens ſementem humore fidei facit, in agro ſui pectoris pullulare?* Poſt acceptam gratiam actio animi noſtri fructum elicit ex ſemine diuino. Auguſt. de natura, & gratia cap.32. diſſerens de iuſtificatione initio. *Vbi quidem operamur & nos, ſed illo operante cooperamur, quia miſericordia eius præuenit nos.* Si operamur ad iuſtificationem, certè adeſt nobis virtus operatiua iuſtitiæ. Idem lib. de gratia & libero abitrio cap.19. *Ne putetur nihil ibi facere ipſos homines per liberum arbitrium, ideo in Pſalmo dicitur; Nolite obdurare corda veſtra: & per ipſum Ezechielem: Facite vobis cor nouum, & ſpiritum nouum, & facite omnia mandata mea.* Aliquid ergo facit liberum arbitrium, non eſt gratia ſola quæ agit. Plura, & expreſſiora dabimus paſſim diſputat. ventura. Leo ſerm.3. in Pentecoſt. prope initium: *Oportebat vt aliquid etiam ſaluandi pro ſe agerent, & conuerſis ad Redemptorem cordibus ab inimici dominatione deſciſcerent.* Serm. 1. de ieiunio decimi menſis commendans præuenientem Dei dilectionem, & gratiam; *Vt in nobis formam ſuæ bonitatis inueniat, dat vndè ipſi quoque, quod operatur, operemur.*

Auguſtinus — Leo.

11. Iunge Bernardum de gratia & libero arbitrio ad finem. *Per quos, & cum quibus Deus operatur, boni ſunt homines, vel Angeli, qui, quod vult Deus agũt pariter, & volunt.* Quis autem agit abſque virtute agente? Iſidorus Peluſiota l.4. epiſt. 51. *Non ſola vocatio, verum etiam propoſitum voluntatis, animique propẽſio, & ſtudium obſequendi in vocatis ſalutem operatur.* Præter gratiã Dei confert ad opera ſalutis propoſitum voluntatis. Laurentius Iuſtinianus in faſcic. amoris c.17. *Merita ex Dei gratia, hominiſque arbitrio originem habent.* Vtriuſq; actionẽ ad meritũ deſiderat Chriſoſt. hom.60. ad pop. Antiochen. *Exhortor, vt neque totum Deo dimittẽtes, dormiamus, neque ſtudẽtes nos proprijs laboribus totũ efficere putemus. Neque enim nos ipſe ſupinos vult Deus, propterea non ipſe totum operatur; neque vult eſſe ſuperbos, & ideo totum nobis non conceſſit; ſed vtrinſque tollens nocumentum, nobis vtile reliquit.* Non potuit clarius exprimi Catholica ſententia. Eiſdẽ verbis eadẽ ſententia extat hom.83. in Math. columna antepenultima.

Bernardus. — Iſidorus Peluſ. — Laurentius Iuſtinian. — Chriſoſt.

12 Subſcribunt Paulinus epiſt.2. ad Heuerum col.3. *Quæ nobis è gratia, ſi in alieno tantum fideles fuerimus, niſi de proprio ſeruiamus, id eſt, de libero volũtatis arbitrio.* Si non eſt in opere actio noſtra, ſed tota eſt gratiæ alienę, ſcilicet diuinæ, nulla nobis gratia debetur. Ignatius epiſt.6. ad Philadelp. *Ego; quod meum fuit, feci, vt homo in vnitate perfectus.* Clemens Rom. ep.1. ad Iacob. prope finẽ. *Operum ratio poteſtati, & arbitrio vniuſcuiuſque permittitur, & hoc ipſorũ eſt proprium. Deſiderium vero habere erga doctorẽ veritatis, hoc à Patre cæleſti donatum eſt. Sed ſalus in eo eſt, vt voluntatem eius, cuius amorem, & deſiderium, Deo largiente conceperis, facias.* Ergo ſuppoſita gratia Dei, noſtræ etiam actionis eſt, diuinam voluntatem executioni dare. Luculentiùs Damaſcenus 2. fidei cap.25. ex inſtituto oſtendens, hominem eſſe bonorum operum agentem. *Relinquitur igitur, hominem ipſum agentem, & facientem principium eſſe propriorum operum, & poteſtate, arbitrioque liberum: ſi eſt autem nullius actionis principium, homo ſuperflue id habet, vt conſultet. Nam ad quid vtitur conſilio, ſi nullius actionis Dominus eſt. Quod ſi Dominus actionis eſt, id ipſum eſt actionem eſſe ſuam, & illius propriam.* En quâ proprietate homo agat, vt ſuam propriam iure actionem vendicet. Idem in dial. contra Manich. prope medium; *Dæmonis ſtoliditatem profert, benigne atque ampliſſime ipſi eſſe conferens. Quod quidem Deus ſolus præbere poteſt. Vt autem bonus ipſe ſit, non Dei ſolius eſt, ſed ipſius quoque operam deſiderat.* Audis, ad bonum opus præter Dei actionem, operam quoque hominis deſiderari? Non eſt à Damaſceni mente alienus Proſper in ſtatuenda proprietate actionis humanæ epiſtola ad Demetriadem columna vltima. *Quidquid pulchrum, prætioſumque repereris, diuini operis, & muneris eſſe non dubites, ita vt omnibus bonis opulentiæ tuæ, & gratiam donatoris, & ius proprietatis agnoſcas.* Si nulla eſt tua in opera bonâ actio, quod ius proprietatis agnoſces? Conſentit Hugo Victorinus de Sacramento libro primo part. 4. capite 23. *Non exigitur à nobis, niſi quod noſtrum eſt, & quod bonum noſtrum eſt. Tantum vt faciamus, & approbemus;*

Paulinus. — Ignatius. — Clemens Rom. — Damaſcen. — Hugo Vict.

& diligamus in nobis, ſicut & Deus diligit, & approbat bonum noſtrum in nobis vt ei ſimiles ſimus diligẽdo, & faciendo bona. Exigitur à nobis opus bonũ, quod actione noſtra noſtrum eſt, & ad exẽplar Dei, eiuſque conſortio diligere, & facere debemus. Claudamus conſortium illud agendi elegãti teſtimonio Chriſol. ſerm. 91. de parabola Zizaniorum 2. *Tamen in his, quæ nobis facienda præcipis, ipſe operator aſſiſtis: nos operis tui facis pro tua dignitate conſortes.* Plura ad euidentiam luce meridiana clariora exhibebit in hunc ſcopum diſputatio vicina, fuſo ſermone illuſtrans virtutem immediate actiuam naturæ in opera ſupernaturalia; quam ſi manifeſte non euicerit, ſaltem euidentiſſimum relinquet, non ſolum gratiam, verum etiam voluntatem humanam in ſalutis opera veram, ac propriam actionem conferre.

SECTIO QVARTA.

Diluuntur hæreticorum argumenta.

1. PLuribus impetũt veritatem Catholicam Lutherus, & Caluinus. Primum. Primo aguunt; quia Deus dicitur creare cor hominis pænitentis, qui in ipſum conuertitur Pſal. 50. Pſal. 50. *Cor mundum crea in me Deus.* Creationi autem creaturá actiue cooperari non poteſt. Secundum. Secũdo, quia Deo tribuitur per gratiam tota ſufficientia in opera proprietatis, quæ homini negatur 2. Chorint. 3. 2. Corint. 3. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Pſal. 99. Pſal. 99. *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos.* Ergo nulla eſt hominis actiuitas, ſed tota eſt gratiæ diuinæ, quam homo ſuſtentat. Tertium. Tertio, quia Deus dicitur operator, & non adiutor, ſeu cooperator noſtræ ſalutis, & bonæ volunratis 1. Corinth. 12. Ad Epheſ. 2. & 3. *Qui operatur omnia in omnibus.* Ad Philippenſes 2. Ad Phil. 2. *Qui operatur velle, & perficere pro bona voluntate.* Quartum. Quartò, quia cap. 2. & 5. ad Epheſios, & cap. 5. Ioannis, Ioan. 5. & alijs in locis peccatores dicuntur mortui, & ſepulti, neque niſi per gratiam ad opera vitæ reuocati. Mortui autem, & ſepulti non cooperantur Deo reuocanti eos ad vitam. Quintum. Quinto, quia Auguſtinus Auguſtinus frequenter docet hominem in bonis operibus nihil inuenire poſſe, quod ipſius ſit, ſed totum dandum eſſe Deo: lib. 2. de peccatorum meritis, & remiſſione cap. 18. *Laborant homines inuenire in noſtra voluntate, quid boni ſit noſtrum, quod nobis non ſit ex Deo, & quomodo inueniri poſſit ignoro.* De bono perſeuerantiæ cap. 13. *Hoc nobis expedit, & credere, & dicere, hoc eſt pium, hoc verum, vt ſit humilis, & ſummiſſa confeſſio, & detur totum Deo.* Nihil igitur eſt in bono opere, quod agat humana volũtas. Confirmatur. Confirmatur ex lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 17. *Vt velimus, ſine nobis operatur, cum autem volumus, & ſic volumus, vt operemur, nobiſcum cooperatur.* Ergo ad velle internum nulla eſt hominis actio, licet ad opus externum cooperatio ſit, cum velle internum operetur Deus ſine nobis, opus autem externum nobiſcum. Sextum. Sexto denique quia ante gratiam nobis infuſam nulla adeſt homini actiuitas ad pietatis opera: Pellagianum enim eſt aſſerere talem actiuitatem ſine gratia. Ergo tota actiuitas ſuperueniens ſolius eſt gratiæ, & non naturæ, quæ munus patiendi, gratiam dumtaxat confert in ea opera, quæ poſt aduentum gratiæ fiunt.

14. Hæc argumenta leuia ſunt, neque in eis enodandis multum me occupabo. Ad primum reſpondeo. Ad primũ. Deus dicitur creare cor mundum hominis pænitentis; tum quia ſine meritis hominis cooperantis, tamen ad ſalutem, mundities confertur; Tum quia poſt hominis cooperationem gratia iuſtificans, & venia peccatorum à ſolo Deo tribuitur, vt vere anima, creatur à ſolo Deo, quamuis agentia naturalia actiue induxerint diſpoſitiones in materiam. Ad ſecundum; Ad ſecundũ homini negatur actiuitas & ſufficiẽtia ad opera ſalutis, per vires ſibi naturales, & debitas, ſecus per vires ſupernaturales, & indebitas, cũ quibus ipſe actionem cõferre poteſt. Ad tertiũ; Ad tertium Deus vere eſt operator noſtræ ſalutis, & bonæ volũtatis, quia nobiſcum cooperãtibus illã operatur. Qua ratione & nos dicimur operatores eiuſdem, ad Philippenſ. 2. Ad Phil. 2. *Cum timore & tremore ſalutem veſtrã operamini.* Et Ioan. 6. *Operamini non cibum, qui perit, &c.* Ad quartum, Ad quartũ. peccatores dicuntur mortui, & ſepulti, quia ſuis viribus vitam ſupernaturalem recuperare nõ poſſunt. At poſſunt illam reſtaurare viribus ſupernaturalibus gratię adiuuantibus vitam naturæ, quæ omnino extincta non eſt. Ad quintum; Ad quintũ. Auguſtin. diſſerebat aduerſus Pellagianos, qui volebant, ſolã facultate naturæ fieri poſſe opera ſalutis. Atque adeo recte negat, eiuſmodi viribus naturalibus deſtitutis auxilio gratiæ diuinæ nihil noſtrũ haberi in bonis operibus, quæ non ſolum perficere, verũ neque incipere poſſumus ſine gratia Dei; quod ſolum eis in locis Auguſtinus contendit. Quare cum totum Deo dādum pronuntiat intelligẽdum eſt, deputandam eſſe adiutorio gratiæ inceptionem, & perfectionem boni operis, quin extra auxilium gratię aliquod boni operis initium aſſeratur: quamquam ſemper concurſum gratię comitetur cõcurſus actiuus naturæ, in cuius auxilium gratia confertur. Vnde ſi totum quod Deo datur, non excludit actionem naturæ, ſed eius inceptionẽ in opere ſalutis. Aut aliter, excludit actionẽ naturæ, quæ à Deo prius excitante, & vocãte non proueniat; volens quidem Auguſtinus, etiam ipſam naturæ actionem Deo dādã eſſe, quia nõ ſolum adiuuat naturam agentem, ſed vt agat, excitat, & cõtinuo vocat, atque adeo inter auxilia diuina cõputandam eſſe gratiam non ſolum adiuuantem, ſed etiam excitantem, & vocantem, qua Deus ſpeciali merito ſuam faciat hominis actionem, ac liberam determinationem. De quo vberius diſp. ſeq. ſect. 24. Ad confirmationem reſpondeo; Ad confirmationem. Deus dicitur operari ſine nobis, vt velimus, vel quia ſine noſtra liberate donat pias, ac ſimplices affectiones volũtatis, pręuias ad liberum & plenum volunratis conſenſum, vel quia cum cõſenſu operatur ſine nobis incipiẽtibus moraliter talem conſenſum, quamuis ſemper, & affectus neceſſarios & ſimplices, & conſenſum liberum, & determinatũ agat nobiſcũ Phiſice cum

illo agentibus; de quo vberior ſerm. lib. 5. cum differamus de auxilijs ſupernaturalibus gratiæ. Ad ſextum Ad ſextum denique; voluntas ante gratiam non eſt prædita actiuitate abſoluta, ſed tantum conditionata, qua poteſt, ſi iuuetur à Deo, conferre actionem in opera pietatis, de qua actiuitate totus ſermo habendus eſt diſputationibus ſequentibus.

DISPVTATIO TRIGESIMA:

AN VIRTVS OBEDIENTIALIS ACTIVA naturæ propria in actus vitales ſupernaturales proxima, & immediata ſit.

OBTINVIMVS ab hæreticis huius temporis, naturam rationalem non eſſe penitus deſtitutam virtute agente actuum vitalium ſupernaturalium; neque abſque errore negari poſſe, hominem vere, & proprie agere, & non pati dumtaxat actum fidei, & charitatis, aliarumque virtutum ſupernaturalium, qui auxilio diuinæ gratiæ fiunt. Nunc cum Catholicis examinandum eſt. An virtus naturæ vere, & proprie actiua ſupernaturalium operum, ſit immediata, & proxima naturæ? an tantum radicalis, & remota, conueniens illi medio habitu, alioue principio ſupernaturali gratiæ, quæ ſit homini tota, & adæquata virtus agendi? Vtiliſſima, & grauiſſima diſputatio, quæ inter Theologos huius ætatis cum primis numeratur; meritoque in hoc ſuſcepto opere præ alijs pluribus ſudorem, & laborem noſtrum deſiderat. In cuius campum lubens ingredior, vt omnibus manifeſtum ſit, quænam ſententiæ illæ ſint, in quas ſocietatis Doctores vno, plenoque conſenſu feruntur, & à Theologis Thomiſtis periculoſæ nouitatis inſimulantur. Etenim præter controuerſiam de efficacia gratiæ nulla eſt, in quam, iudicio magis conſentienti, noſtri Theologi conueniant, & acriori contentione recentes Thomiſtæ tela contorqueant.

SECTIONES.

1. *Explicatur, & ſtatuitur controuerſia.*
2. *Sententiæ Theologorum.*
3. *Prima probatio actiuitatis immediatæ naturæ in actum ſupernaturalem deſumpta ex ſacris litteris.*
4. *Secunda probatio ex Conſilijs, & Pontificibus Eccleſiæ.*
5. *Præcedens probatio validiſſime confirmatur ex Tridentino.*
6. *Præoccupantur ſolutiones ſuperioris argumenti.*
7. *Tertia probatio ex Patribus Eccleſiæ ſtatuentibus naturalem & inſitam actiuitatem ad opera ſupernaturalia.*
8. *Quarta probatio ex alijs teſtimonijs Patrum.*
9. *Quinta probatio Theologica ex mutuo adiutorio, quo Deus, & homo in actum ſupernaturalem conueniunt.*
10. *Probatio ſexta Theologica, quia arbitrium agit aliquid boni ſupernaturalis, quod ſuum, ac proprium hominis eſt.*
11. *Septima probatio Theologica ex partialitate concurſus gratiæ.*
12. *Octaua probatio Theologica ex attributis gratiæ diuinæ.*
13. *Alia probatio ex vitalitate actus ſupernaturalis.*

14. *Probatio decima ex ratione actus voluntarij.*

15. *Vndecima probatio ex libertate actus.*

16. *Probatio duodecima rationibus à paritate.*

17. *Probatio rationibus à poſteriori.*

18. *Poſtrema probatio à priori.*

19. *Vlterior probatio ab auctoritate S. Thomæ.*

20. *Illuſtratur ſuffragijs aliorum Scholaſticorum.*

21. *Theologi congredientes cum hæreticis noſtram tuentur ſententiam.*

22. *Exponuntur teſtimonia ſacra, quæ contra noſtram ſententiam opponuntur.*

23. *Obijciuntur teſtimonia Patrum, quæ totum opus ſalutis ſoli gratiæ tribuunt.*

24. *Explicantur præterita teſtimonia.*

25. *Argumenta à ratione contra immediatam actiuitatem naturæ in actus ſupernaturales diluuntur.*

26. *An natura rationalis ſua virtute, & actione immediata attingat ſupernaturalitatem actus, & habitus ſupernaturalis vitalitatem?*

27. *Corollarium de cauſa adæquata faciente, vt agamus opera pietatis.*

28. *Aliud corollarium de cauſa adæquata diſcernente in actu ſecundo iuſtum ab iniuſto.*

29. *Tertium corollarium de actiuitate gratiæ, ſeu habitus ſupernaturalis aduerſus Aureolum.*

SECTIO PRIMA.

Explicatur, & ſtatuitur controuerſia.

Notatio prima.

1. PRimo omnibus Catholicis exploratum eſt, virtutem agentem operum ſalutarium, quam tribuimus naturæ, non eſſe adæquatam, & ſufficientem ſeorſim ab auxilio, & cum principio ſupernaturali, ita vt facultate ſua, & concurſu generali Dei ſibi debito, ſufficiens natura ſit ad eos actus efficiendos. Ita teſtimonijs ſacris, Concilijs, ac Patribus Eccleſiæ contra Pelagianos oſtendimus diſputatione decimaquinta, & decima ſeptima. Vnde relinquitur naturam, ſi immediate actiua concedenda eſt, ſolum virtute inſufficienti agere ſalutares actus, non ſolum ea inſufficientia, qua omnes creaturæ, & ipſa natura rationalis etiam in ordine ad actus naturales dicuntur cauſæ inſufficientes ſine Deo, quippe exigentes complementum concurſus generalis; ſed inſufficientia exigente complementum auxilij particularis; quale eſt habitus ſupernaturalis, & gratia actualis, aut aliud principium ſubſtituens concurſum ſupernaturalem talium auxiliorum. Atque adeo controuerſiam eſſe, an conueniat naturæ rationali ſecundum ſe, vt à gratia condiſtinctæ, virtus aliqua inſufficiens immediata, & proxima, quæ ſimul cum auxilio ſupernaturali immediate, & proxime actus ſalutares operetur.

2. Secundo, ne vocibus implicemur, noto duplici ſignificatione actiuitatem remotam, & proximam tribui poſſe naturæ. Primo actiuitas remota dicitur, quæ omnem actiuitatem immediatam, ſibi identificatam excludit, quia inter ipſam, & effectum mediat actiuitas immediata ſuperueniens, adæquate influens in effectum, ideoque nullum concurſum actiuitatis remotæ exigens ad effectum præter illum, qui ad exiſtentiam actiuitatis intermediæ neceſſarius eſt. Sic ſubſtantia ignis remote calefacit lignum, quia inter ſubſtantiam ignis, & calefactionem ligni intercedit calor poſterior igne, adæquate efficiens calefactionem ligni. Secundo dicitur actiuitas remota, quæ non respuit omnem actiuitatem immediatam, ſibi identificatam, quia inter ipſam, & effectum non interijcitur actiuitas alterius cauſæ adæquate influens in effectum, ſed inadæquate ſolum ſimul cum actione cauſæ remotæ, quam ſupponit. Ita dicitur intellectus ſeorſim ab ſpecie impreſſe remote potens intelligere, quia inter ipſum & intellectionem mediat ſpecies impreſſa, quæ intellectum ſupponit, tanquam cauſa inadæquate exigens actionem ipſius intellectus præter concurſum, quo ſpeciei impreſſæ exiſtentiam præſtat. Similiter actiuitas proxima, & immediata primo dicitur, quæ nullam poſt ſe mediam actiuitatem deſiderat, vt calor ignis, comparatione calefactionis ligni, & ſpecies impreſſa comparatione cognitionis. Secundo, quæ poſt ſe intermediam actiuitatem effectus immediatam patitur, at non adæquatam, ſed inadæquatam dumtaxat, exigentem concurſum ſimultaneum cauſæ, quam ſupponit; quemadmodum intellectus eſt cauſa immediate efficiens cognitionem naturalem, licet poſt ſe requirat ſuperuenientem ſpeciem, quia hanc non requirit tanquam cauſam omnino ſufficientem, ſed inſufficientem. Vnde intellectus dicitur remote potens intelligere, quamuis poſt intellectus virtutem, virtus poſterior ſpeciei neceſſaria eſt; & ſimul potens immediate, quia ſpecies, non tanquam cauſa adæquata, ſed inadæquata requiritur. Igitur certum eſt, naturæ conuenire actiuitatem remotam eo ſenſu, quo ſuperuenientem aliam virtutem ſibi indebitam, ſcilicet gratiæ ſupernaturalis, deſiderat. Sed dubium eſt, an

Notatio ſecunda.

Digitized by Google

eam virtutem intermediam tanquam cauſam adæquatam requirat? Similiter exploratum eſt, non ineſſe naturæ actiuitatem immediatam ea ſignificatione, qua reijciat virtutem ſibi ſuperuenientem effectui immediatam, quia gratia ſuperueniens naturæ ſemper neceſſaria eſt. At controuerſum eſt, an ea ſignificatione ſit immediata, qua virtus intermedia gratiæ non ſit adæquata, ſed inadæquata exigens concurſum immediatum ipſius naturæ.

Tertia negatio. 3. Vnde tertio indubitatum debet eſſe, hanc controuerſiam non eſſe aliam ab ea, quæ communiter alijs terminis proponitur; an habitus ſupernaturalis ſit tota, & adæquata virtus agendi? Etenim vbi præter habitum ſupernaturalem immediate influit in actum ſupernaturalem potentia naturalis, vt ab habitu condiſtincta, plane concedenda eſt præter habitum virtus immediata, & diſtincta potentiæ naturalis. Atque adeo tota virtus immediate influens in actum ſupernaturalem non erit ſola virtus habitus ſupernaturalis, ſiquidem etiam virtus diſtincta naturæ immediate influit in illum: ſed coaleſcens tum ex virtute ſuperaddita habitus ſupernaturalis, tum ex virtute intrinſeca ipſius naturæ. Quare recte, qui negant habitum eſſe totam, & adæquatam rationem agendi, affirmant conuenire naturæ immediatam actiuitatem in actus ſupernaturales, diſtinctam ab actiuitate habitus ſupernaturalis. Et qui affirmant, naturæ competere vim immediate agentem actuum ſupernaturalium, negant conſequenter, habitum eſſe ſolam, & adæquatam rationem agendi, quos referemus ſectione ſequenti.

Quarta. 4. Quarto obſeruatum volo, in hanc diſputationem non adduci; an virtus naturæ diſtincta à virtute gratiæ ſit naturalis, aut obedientialis? ſed tantum, an ſit immediata, conferens in effectum ſupernaturalem actiuitatem diſtinctam ab ea, quæ adeſt habitui ſupernaturali? modo ea virtus immediata dicatur quidem, aut ſit *obedientialis*, modo *naturalis*, aut *innata*; de quo ſtatuemus diſputatione 43.

Explicatur controuerſia. 5. Itaque præſens controuerſia conuertitur: an natura rationalis, (ſubſtantia ea ſit, aut potentia naturalis diſtincta) præter virtutem ſupernaturalem habitus ſupernaturalis, ſeu gratiæ, conferat in actum ſupernaturalem aliam virtutem immediatam, diſtinctam à virtute habitus, quæ non ſolum mediante habitu, ſed etiam per ſe ipſam immediate in totum actum ſupernaturalem influat? modo ea virtus intrinſeca naturæ *naturalis* aut *ſupernaturalis, obedientialis*, aut *innata* dicenda ſit. Atque adeo, an ratione talis virtutis immediatæ diſtinctæ à virtute habitus non ſit ſolus habitus tota, & adæquata virtus immediate agendi actus ſupernaturales, ſed inadæquata, ac partialis conſtituens cum virtute naturæ completam, & adæquatam virtutem immediate agentem, quemadmodum ſpecies impreſſa, (quam pono cauſalitate efficienti influere in actum) quamuis ſuperueniat potentiæ vitali, non eſt tota virtus immediata agendi actum naturalem, quia potentia naturalis immediate influit in cognitionem naturalem. Eſto ad illum ſimul cum potentia neceſſarius ſit influxus ſpeciei? An è côtra potentia naturalis nullam actiuitatem immediatam ſibi identificatam, & ab habitu diſtinctam exhibeat, ſed radicalem, & remotam dumtaxat; immediatam vero totam habeat, à ſe diſtinctam, ſcilicet medio habitu ſupernaturali, aut alia qualitate infuſa, quæ ſit potentiæ naturali facultas adæquata agendi, nihil agente per ſe immediate facultate naturali, etiam conſortio auxilij ſupernaturalis, ſed ſolum recipiente auxilium ſupernaturale, quod ipſam conſtituat remote, ac mediate agentem: quemadmodum in ſententia negante actiuitatem ſubſtantiæ, ignis non calefacit lignum immediate per virtutem ſibi identificatam, ſed ſolum mediate per virtutem adæquatam à ſe diſtinctam, ſcilicet medio calore ſibi inhærenti, qui igni eſt tota, & adæquata virtus calefaciendi lignum? Illuſtremus rem alio exemplo. Res illuſtratur exemplis. Ponamus potentias vitales à ſubſtantia animæ realiter diſtingui. Adhuc eſt controuerſia inter Philoſophos, an ſubſtantia animæ ſimul cum potentijs immediate influat in actus vitales, ita vt præter influxum potentiarum neceſſarius ſit influxus immediatus ipſius ſubſtantiæ animæ, ex cuius virtute immediata, & virtute potentiarum compleatur vna cauſa adæquata actionum vitalium? an tantum mediate influat ſola actione immediata potentiarum, quæ ſunt animæ facultates adæquatæ, immediate efficientes vitales actus? Communis ſententia negat, ſubſtantiam animæ aliquam ex ſe immediatam actionem conferre præter actionem adæquate à potentijs fluentem. Affirmat Pater Suarez, & cum eo maior & melior pars Neotericorum. P. Suarez. Igitur ſententia negans potentiæ vitali virtutem immediatam in actus ſupernaturales, affirmanſque gratiam eſſe totam virtutem immediatam, efficientem illos, comparat influxum mediatum, & remotum potentiæ vitalis in actus ſupernaturales, cum influxu mediato, & remoto ſubſtantiæ diuinæ in actus vitales naturales potentiarum; ſententia vero affirmans virtutem immediatam potentiæ vitalis in actus ſupernaturales, neganſque gratiam eſſe adæquatam virtutem immediate efficientem illos, comparat influxum immediatum, & partialem potentiæ vitalis in actus ſupernaturales cum influxu immediato, & partiali ſubſtantiæ animæ in actus vitales naturales. Quare vbi conceditur potentiæ vitali influxus immediatus in actus ſupernaturales præter influxum immediatum gratiæ, habetur tota res, quæ à ſententia affirmante contenditur, quidquid ſit de vocibus, quibus plerique vtuntur. Clarius rem explano. Demus non poſſe duas cauſas immediatas influere in effectum vnica indiuiſibili actione, ſed vtramque actione diſtincta ſibi adæquate reſpondenti, ſeorſim ab alia exerceri, vt plures Philoſophi arbitrati ſunt. In ſententia tribuente potentiæ vitali cauſalitatem immediatam in actus ſupernaturales, non vnica, ſed duplex actio neceſſaria eſt ad exiſtentiam eorum: alia immediate à gratia ſupernaturali, alia immediate egre-

Digitized by Google

diens à potentia vitali. In ſententia vero negante potentiæ vitali talem virtutem immediatam, & totam adſcribente gratiæ ſupernaturali, non duplex, ſed vnica dumtaxat actio immediate procedens à gratia eliciet exiſtentiam actus ſupernaturalis. En plenum diſcrimen de re inter vtramque ſententiam. Quidquid ſit de veritate opinionis diſtinguentis actiones diſtinctione agentium, quam non probamus; vel ex abſurdis, quæ in re præſertim neceſſario conſectaria forent.

Nonnulli controuerſiam iſtam vocalem reddunt.

6. Rem noſtra controuerſia contentam, fuſius forſan, quam par eſſe alicui videbitur, expoſuimus; verum operepretium fuiſſe, is iudicabit, qui viderit, pleroſque Theologos ad ſolas voces totam contentionem reuocare. Etenim cum plane concedant, præter actionem gratiæ, actionem quoque immediatam potentiæ vitalis eſſe neceſſariam ad actum ſupernaturalem; & ex gratia, ac potentia vitali vnam compleri cauſam immediate agentem illius; ſicut ex potentia vitali, & habitu acquiſito, aut ſpecie impreſſa comparatione actus naturalis; nihilominus dicunt, gratiam, ſeu habitum eſſe totam rationem agendi. Alij quidem, quia eſt tota forma, ſeu virtus complens, ſeu perficiens potentiam vitalem: vt Lorca Prima ſecundæ, diſputatione trigeſima prima, membro 2. §. *Reſtat. ergo* qui hac in re ſimilem facit habitum infuſum habitui acquiſito, qui eſt potentiæ ratio facilitans ac perficiens, ſeu intendens virtutem potentiæ: negatque habitum eſſe potentiæ totalem virtutem operandi.

Lorca.

Alij ſolum, quia gratia, ſeu habitus ſupernaturalis eſt tota virtus eleuans potentiam, vt Gonzalez 1. p. diſputatione 27. numero 41. ibi: *Lumen non eſt tota virtus concurrens actiue: hæc enim completur ex potentia intellectiua, & ex lumine, & ſpecie: eſt tamen lumen tota virtus intrinſece eleuans intellectum noſtrum.* Præmiſeratque num. 21. differens de cauſa immediate recipiente viſionem beatam. *Sicut ſolùm lumen non eſt tota ratio agendi, quia hæc conſurgit ex virtute eleuata, & ratione formali eleuante: ita etiam ſolum lumen non eſt tota ratio recipiendi, ſed lumen ſimul cum potentia eleuata: quia in actionibus vitalibus principium immediate actiuum eſt immediate receptiuum, & ita lumen ſolum eſt ratio recipiendi, tanquam eleuans potentiam ad receptionem: totalis autem ratio recipiendi ex vtroque coaleſcit.* At non eleuat ad receptionem mediatam, ſed immediatam: præmiſerat enim ipſe numero 20. *Licet viſio inhæreat immediate in intellectu, tamen lumen eſt ratio recipiendi illam, ſicut ſpecies viſibiles immediate recipiuntur in potentia viſiua.* Ergo ſimiliter quamuis ſit tota ratio eleuans ad agendum, intellectus tamen immediate aget, & ex intellectu, & lumine complebitur integra ratio immediata agendi. Quare num. 42. conſentienter ſubdit, *Vnde lumen ſeorſim ab intellectu eſt virtus proxima, & proportionata, non tamen totalis, ſed partialis.* Alij denique ideo abſolute vocant habitum rationem agendi, quia licet naturæ rationali conueniat ex ſe virtus immediate actiua quoad coaptationem eſſentialem, (ſic illi loquuntur) tamen tota virtus quoad intenſionem, & menſuram actus ſupernaturalis eſt habitus ſupernaturalis; quippe maior perfectio potentiæ vitalis cum æquali habitu non inducit maiorem perfectionem actus; ſicut maior perfectio habitus cum minori nobilitate potentiæ actum elicitum quoad ſpeciem, tum quoad intenſionem, proportione habitus perfectiorem. Ita Magiſter Curiel 1.2. quæſt. 5. art. 5. dubio vnico, parrafo 5. & ſeq. cum grauiſſimis recentioribus Salmanticenſibus; qui tamen virtutem actiuam potentiæ vocat incompletam; & conſtituere ait vnam integram cum virtute habitus, conferreque plurimum per ſe immediate, vt diſtinctam à virtute habitus, ad exiſtentiam actus ſupernaturalis; quinimo per ſuam virtutem eſſentialem, ſeu coaptationem cum auxilio extrinſeco Dei agere poſſe actum ſupernaturalem; quod abſque actiuitate immediata potentiæ apprehendi repugnat.

Gonzalez.

Oſtenditur diſſenſio de voce.

7. En hi omnes totam quæſtionem aperte vocalem reddunt, & cum Theologis Societatis rem totam concedunt, voces ſolas negare videntur, vt Thomiſtas recentes eludant. Omnes etenim ſocietatis Theologi tuentes virtutem immediatam potentiæ, diſtinctam à virtute habitus, ideoque negantes, habitum eſſe adæquatam rationem, & virtutem agendi, palam fatentur, ſolum habitum eſſe virtutem complentem, & eleuantem potentiam: & maior pars illorum, eſſe virtutem mentientem perfectionem, & intenſionem actus. Ergo vbi eis concedatur virtus immediata potentiæ, conferens ex ſe, quâ diſtincta eſt ab habitu ſupernaturali, aliquam actionem in actum ſupernaturalem, vocibus dumtaxat ſocietatis ſententiam recuſant. Neque obeſt, hos Theologos virtutem potentiæ naturalis in actum ſupernaturalem appellare *radicalem*, quia modo loquendi eorum componitur eſſe radicalem, & ſimul immediatam, ratione ſui immediate, & ſeorſim ab habitu ſupernaturali ad actionem actus ſupernaturalis neceſſariam, vt notauimus numero 2. *Radicalem* enim expreſſe negant eo ſenſu, quo virtus ſubſtantiæ rationalis concurrens ſola actione potentiarum *radicalis* eſſe dicitur, vt videre eſt apud Curiel ſup. §. 6. fine. Atque ita dicunt *radicalem*, ſolum quia eſt virtus indigens ad agendum aduentu alterius virtutis, quam neque antecedentem ſupponit, neque exigit ſubſequentem. Qua ſane ratione etiam ſocietatis Theologi virtutem agentem animæ, vt diſtinctam à virtute gratiæ *radicalem* vſurpant, vt eoſdem explicantes potentiam obedientialem ante aduentum eleuationis paſſim audire eſt.

Curriel.

SECTIO SECVNDA.

Sententia Theologorum.

Affirmant.

8. PRima igitur ſententia affirmat, conuenire naturæ virtutem immediate actiuam actus ſupernaturalis, modo ſectione præ-

Digitized by Google

cedenti propoſito, conſequenterque negat, gratiam, ſuo habitu ſupernaturalem eſſe totam & adæquatam rationem, ac virtutem immediatam agendi. Ita vno ſuffragio omnes ſocietatis ſcriptores, P. Molina 1.p.q.12.art.5.diſp. 2.§. *Quidquid autem ſit*, & ar.6.diſp.2.§. *Ex his duabus ſententijs*, P. Suarez 1.p. lib.2. de viſione Dei c.9.num.13.& c.10. num. 8. & lib.6. de gratia c. 5. & tom. 1. in 3. p. d. 31. ſect.6.§. *Prima conſequentia*, P. Vaſquez 1.p.diſp.43.c. 4.num.11. & 12.cenſens oppoſitam improbabilem & d.126. c.5. P. Valentia 1.p. d.1.q.12. p. 3. Pater Fonſeca lib. 9. met. c.2. q. 4. ſec.4. P. Salas 1.2.tom.2.diſp.2.ſect.4.& diſp. 5.ſec. 3.num. 59. & ſect.5. num.73. Pater Beccanus 1. p. tra.1.cap.9.q.4. Pater Arrubal 1. p. diſp. 19. c. 5. & 6. Pater Iannerus tom. 1.diſp.2.q. 6. dub.4. P. Albertinus 1. principio Philoſ. q.1. Theol.num.19. P. Torres 2.2. diſput. 38. dubio 2. Pater Ruiz de prouidentia diſ. 36. ſect.2.& 3.d.45.dub 2. P. AEgidius Conninck 2.2.diſp. 5. dub. 5. P. Faſolus 1.p. q.12.art.5. dub.7 P. Erice 1.p. diſp. 45. c.13. P. Hurtado de charitate diſp. 124. per totam, & diſput.9. Phiſ. ſect.14. Pater Granadus 1.p.tr.de viſione Dei diſp. 6. ſect.4. Pater Lorinus in Pſalm. 35. ver.10. §. *Refellitur*. Quibus aperto iudicio accedunt plurimi antiquorum, & recentiorum, quos referemus ſect. 20.& 21.

P. Molina. P. Suarez. P. Vaſquez. P. Valentia. P. Fonſeca. P. Salas. P. Beccanus. P. Arrubal. P. Iannerus. P. Albertinus. P. Torres. P. Ruiz. P. Coninck. P. Faſolus. P. Erice. P. Hurtado. P. Granadus. P. Lorinus.

Negant.

9. Secunda ſententia extreme oppoſita negat potentiæ vitali immediatam actiuitatem, etiam partialem in actum ſupernaturalem, ſtatuens, gratiam, ſeu habitum ſupernaturalem eſſe totam, & adæquatam virtutem immediatam agendi actum ſalutarem: non ſolum quia ſupernaturalis eſt, ſed etiam quia eſt vitalis: ad modum quo calor eſt virtus adæquata calefaciendi igni; & intellectus diſtinctus adæquata vis intelligendi ſubſtantiæ naturali nullum exhibenti ex ſe immediatum concurſum actiuum in actus vitales. Primus huius ſententiæ aſſertor eſt Sotus in 4.diſt.49.q.3.art.2. non longe ante finem; reputans tamen oppoſitam, probabilem. Deinde expreſſe ſe quaceſſunt Aluarez de aux. diſp.64.con. 2. & diſp. 85. art. 3. Cabrera tom.1. in 3. p. q. 1. art. 2. diſp.4.§.4.concl.2.& diſp 9.§.5.con.3. Nazarius 1.p.q.12.ar.5. controu. 2. §. *Tertio aduertendum*, Accedit Lælius Zechus de cognitione Dei c.13.con.3.art.5.

Sotus. Aluarez. Cabrera. Nazarius. Lelius Zechus.

Autores ſuſpecti. Bannes.

10. Aggregatur illis Bannes ibidem dub. 2.ad 5. & dub. 3. ſed mihi ſuſpectus eſt. Tum quia nullibi inuenitur ab illo aſſertum, habitum ſupernaturalem eſſe totam rationem agendi, aut negatum potentiam vitalem vigere actiuitate immediata in actum. Tum quia quæſt. 10.art.5. ad vlt. hæc habet. *Sine dubio viſio beatifica quantùm ad ſubſtantiam procedit à principio intrinſeco naturaliter, & habet admixtum aliquid naturale. Hac enim ratione dicunt Theologi, quod actus ſupernaturales effectiue non augent habitus, quoniam habitus eſt pure ſupernaturalis; actus verò ſupernaturalis habet aliquid admixtum, ſcilicet ſubſtantiam actus; cauſa vero effectiua debet habere proportionem cum effectu.* Vbi docet, viſionem beatam & alios actus Theologicos habere admixtum aliquid naturale, ideoque eſſe minus ſupernaturales, quam habitum: neque poſſe illi augmentum actiue conferre, quia proceſſionem habent à principio naturali vitali. Ergo principium adæquatum, & totale viſionis beatæ non aſſeritur ab hoc Autore omnino ſupernaturale, ſed admixtum, & compoſitum ex naturali, & ſupernaturali. Etiam annumeratur Nauarrete 7. tom. controuerſ. 37. Verum licet magis in hanc ſententiam inclinet; ſcrupulum tamen ingerit, primo, quod nullibi legatur expreſſum, habitum eſſe totam, & adæquatam virtutem agendi: 2. quod plura ſpargit, quæ vehementer indicant actiuitatem aliquam potentiæ vitalis, diſtinctam ab actiuitate habitus ſupernaturalis, vt §. 5. fol. 231. colum. 3. ad 3. & §. 6. poſ. 231. colum. 3. Apertius huic fauet ſententiæ Ledeſma de diuina perfectione q.8.art.4.ad 6. arg.in 4. ſent. pag 583.& 585. Cæterum conſtans omnino non eſt mens illius, ſi conferantur plura, quæ in ea quæſtione ſcribit, vt quod habet art. 7. concluſ.2. pag. 566. *Non eſt imaginandum, quod ſolum lumen gloriæ attingit ad cognitionem Dei ſicuti eſt, ſed etiam ipſa naturalis virtus intellectus concurrit ad illam cognitionem.* Quare à Cabrera pro prima ſententia refertur Ledeſma; & quidem non temere vereri quis poteſt, ſolis vocibus recentiorum Thomiſtarum opinioni fauere. De Lorca, Curiel, & Albelda, qui etiam à pleriſque inter patronos huius ſententiæ recenſentur, protulimus noſtrum iudicium num.6.

Nauarrete. Ledeſma. Cabrera. Lorca. Curiel. Albelda.

11. Tertia ſententia refertur aſſerens, potentiam naturalem habere ex ſe actiuitatem immediatam ſibi intrinſecam ab actiuitate habitus, diſtinctam in ſolam actus ſupernaturalis vitalitatem; non vero in eius ſupernaturalitatem, in quam ſolus eſt habitus adæquata virtus agendi. Itaque hæc ſententia inter duas ſuperiores media eſt, tribuens potentiæ naturali cum priori virtutem immediatam in actum ſupernaturalem, quâ vitalis eſt; & negans cum poſteriori immediatum concurſum in eundem actum, qua eſt ſupernaturalis, quia realiter vitalitas, à ſola potentia vitali trahit originem; ſupernaturalitas vero à ſola gratia, ſeu habitu ſupernaturali: cuius ſententiæ à M. Curiel ſæpe referuntur Ferrara 3. contra Gent. cap. 54. §. *ad primum dicitur*. Et Capreolus in 4. diſt. 49 qu. 4. art.3. ad argumenta Durandi contra ſecundam concluſionem ſolutione primi. Cæterum hos Theologos ibi huius doctrinæ neutiquam meminiſſe, euidenter deprehendet qui ea viderit. Agemus tamen de hac opinione, ſectione vigeſima ſexta, vbi ſtatuemus aliud eſſe vitalitatem, & ſupernaturalitatem realiter terminare actionem immediatam potentiæ naturalis, & habitus ſupernaturalis: aliud, vitalitatem eſſe rationem formalem, qua concurſus gratiæ neceſſarius ſit.

Curiel. Ferrara.

Digitized by Google

SECTIO TERTIA.

Prima probatio actiuitatis immediatæ naturæ in actum ſupernaturalem, deſumpta ex ſacris litteris.

Eligitur ſententia affirmans.

12. PRocul dubio adnata noſtræ ſocietati ſententia eligenda eſt, quæ docet, naturam rationalem eſſe, ex ſe immediate actiuam, actus ſupernaturales, ſimul cum habitu, aut gratia ſupernaturali, actione tantum partiali. Atque adeo ſolam gratiam aut habitum ſupernaturalem, non eſſe totam, & adæquatam virtutem immediate agentem actus ſupernaturales; cuius aſſerti plures, & efficaces conſtruam probationes. Primam ſumo ex ſacris teſtimonijs. Aggredior illam ex parabola Lucæ 10. Homo deſcendens à Hieruſalem in Hiericho, à latronibus vulneratus, & ſpoliatus, proponitur *ſemiuiuus* relictus, videlicet, quia ſemiprincipium vitale operationis adhuc nudus retinebat, per quod ſolum, quamuis non poſſet aſſurgere, & Samaritanum, hoc eſt, Deum in ſalutem inquirere: cæterum à Samaritano ſubleuatus, & adiutus poterat ex ſe vitalem aliquem motum, & impetum neceſſarium conferre. Quæ parabolæ explicatio indicatur lib. 3. Hipognoſticon c. 8. & probata eſt à ſancto Thoma in catena, Lucę 16. *Quid eſt relicto, & ſeminiuo abierunt? recte dictus eſt ſemiuiuus: habebat enim vitalem motum, ſcilicet liberum arbitrium vulneratum, quod ei ſolum ad æternam vitam, quam perdiderat, redire non ſufficiebat; ideo & ſemiuiuus dicitur. Iacebat ergo humanū genus vulneratum in mundo. Sed cur iacebat, dicite, ſi per ſe ſurgere poterat, vel, ſanari, nullius indigens adiutorio? Sed iacebat vulneratus, quia vires ei propria ad ſurgendum, quoad ſanandum ſe medicum, id eſt, Deum requireret, non ſufficiebant.* Itaque homo ſupernaturalibus deſtitutus, ſemiuiuus dicitur, quia licet habeat aliquas vires, quæ ex ſe in motum vitalem iuuent, non tamen integras, & ſufficientes, quibus ſolis, abſque iuuamine cæleſtis medici in ſalutem poſſit redire, ſanoſque, ac vitales motus exercere. Vnde & Patres liberum arbitrium contendunt per peccatum originale fuiſſe ſolum vulneratum, non omnino extinctum; quia licet per peccatum auxilio ſupernaturali deſtitutæ non manſerint vires naturæ ſufficientes ad ſalutem, aliquæ tamen, tametſi debiles, ſuperfuerunt, quæ cæleſtis auxilijs medicinæ, ſalutem priſtinam reparare poſſint. Principium etenim *ſemiuiuum, vulneratumque*, & *non extinctum*, idem ſignificat, quod partialem, & debilem vigorem, iuuamine alterius comprincipij potens integre, ac ſane moueri.

Probatur primo. Ex Lucæ 10.

Auguſtinus. S. Thomas.

Secundo. 1. Cor. 15. Sap. 2.

13. Secundum teſtimonium exibet Paulus 1. Cor. 15. *Abundantius illis omnibus laboraui. Non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* Quod accepit Apoſtolus ex ſapientiæ 9. *Mitte illam de cælis ſanctis tuis, vt mecum ſit, & mecum laboret.* Vbi gratiæ diuinæ, cooperationem immediatam arbitrij ſubiungi, probat ipſa proprietas verborum, & auctoritas Patrum. Etenim excluſo influxu immediato, etiam partiali ſubſtantiæ ignis in calorem ligni, & ſubſtantiæ viuentis in vitales motus, perperam dicitur ſubſtantia ignis, non ſola, ſed ſimul cum calore ſibi inhærente calefacere; & ſubſtantia animæ non ſola, ſed ſimul cum intellectu à ſe diſtincto intellectiones efficere. Nam hæc ſimultanea duorum coniunctio manifeſte ſupponit alterum, vt diſtinctum ab altero aliquid virtutis, & actionis immediatæ in effectum conferre, alias ſi alterum medio altero adæquate operatur, recte dicitur principium immediatum totale, ſolum, & ſeorſim à principio remoto, atque mediato in opus exire. Paulus autem aſſerit non hominem ſolum ſeorſim à gratia, neque gratiam ſolam ſeorſim ab homine actus ſalutares efficere: Ergo.

14. Patres idem exprimunt. Auguſtinus de gratia & libero arbitrio, c. 5. poſt medium: *Ne ipſa voluntas ſine gratia Dei putetur boni aliquid poſſe, continuo cum dixiſſet: gratia eius in me vacua non fuit, ſed plus illis omnibus laboraui, ſubiungit, atque ait; Non ego autem, ſed gratia Dei mecum. Id eſt, non ſolus, ſed gratia Dei mecum: ac per hoc nec gratia Dei ſola, nec ipſe ſolus, ſed gratia Dei cum illo.* Si non gratia ſola, nec arbitrium ſolum; ergo ſicut arbitrium ſolum non eſt adæquata cauſa, nec tota gratia erit adæquata, ſed partialis, conſtituens cum arbitrio vnum integrum, & adæquatum principium agendi. Solus calor inhærens ligni, quia eſt adæquata virtus calefaciendi, vere dicitur calefacere. Sola autem gratia, non dicitur bene operari, ſed ſimul cum arbitrio. Ergo arbitrium ex ſe aliquid præſtat immediate in opus, quod ſubſtantia ignis non præſtat in calorem. Præclare Bernardus de gratia & lib. arb. circa finem: *Non autem ego, ait Apoſtolus, ſed gratia Dei mecum. Potuit dicere per me, ſed quia minus erat, maluit dicere mecum, præſumens ſe non ſolum operis eſſe miniſtrum per effectum, ſed operantis quodammodo ſocium per conſenſum.* Cum dixit Apoſtolus *Non ego* non excluſit omnem voluntatis humanæ actionem, ſed adæquatam dumtaxat, ſocietatem, & cooperationem immediatam relinquens, ideoque addit. *Sed gratia Dei mecum.* Confirmat Gregorius lib. 16. moral. c. 12. *Quia ſe eſſe aliquid inuenit cum gratia, adiunxit: ſed gratia Dei mecum. Non enim diceret mecum, ſi cum præueniente gratia ſubſequens liberum arbitrium non haberet. Vt ergo ſe ſine gratia nihil eſſe oſtenderet, ait, Non ego; vt vero ſecum gratia operatum eſſe per liberum arbitrium demonſtraret, adiunxit, ſed gratia Dei mecum.* Aliquid virtutis inuenit Apoſtolus in arbitrio, quam cum gratia deferat in opus, & per cuius actiuitatem ſimul cum gratia ipſe operatus ſit. Quod de ſubſtantia ignis, vt diſtincta à calore dici non poteſt. Rurſus lib. 18. mor. c. 22. *Ex aſpiratione gratiæ, quia virtutum opera protinus in ordine generantur, vt ex libero quoque arbitrio ſubſequatur actio, cui poſt hanc vitam retributio æterna reſpondeat, illico adiecit: & gratia eius in me vacua non fuit.* Non eſt ſola actio gratiæ, ſed ex libero quoque

Auguſtinus.

Bernardus.

Gregorius.

Digitized by Google

quoque arbitrio actio ſubſequitur, vt tali actione vitam æternam mereamur.

Tertio. Ad Philip. 2. 15. Tertium teſtimonium promo ex illo ad Philippenſes 2. *Cum timore, & tremore veſtram ipſorum ſalutem operamini. Deus eſt enim qui operatur in vobis velle, & perficere pro bona voluntate.* Etenim ſi ſola Dei gratia operaretur adæquate conſenſum, quin præter illam etiam concurſus immediatus arbitrij eſſet neceſſarius, nulla eſſet ratio timendi, atque tremendi. Nam hoc malum non eſſet metuendum ab operatione gratiæ diſtincta, quæ quantum eſt ex parte ipſius gratiæ, vt condiſtincta ab arbitrio, nulli ſubtrahitur. Neque à cooperatione arbitrij; nam ſi arbitrium ſeorſim à gratia, per ſe immediate nihil virtutis, & actionis confert in conſenſum, & præter ſuſcipere gratiam nulla eſt actio arbitrij, niſi, quæ adæquate fluit à gratia: plane nulla deſidia, & negligentia operandi poteſt timeri ab arbitrio, vt condiſtincto à gratia, ſed à ſola gratia: negligens enim in agendo eſſe non poteſt niſi principium, quod immediate poteſt agere, quippe ſolum illud tenetur agere. Ergo ſi arbitrium immediate non agit, ſed ſola gratia; non ab arbitrio, ſed à gratia negligentia verenda eſt. Cæterum optima ratio trepidandi eſt, ne deficiente cooperatione immediata arbitrij, deficiat operatio gratiæ, cui Deus ſalutem noſtram alligauit, aut ne ſuperbiendo concurſu immediato, quem arbitrium præbet in operationem, putet illam ſibi debere tanquam ſuam, ideoque indignus fiat, vt Deus bonum opus perficiat,
Auguſtinus quod incæpit. Huius mentis eſſe videtur Auguſtinus de gratia & libero arbitrio, capite nono. *Non enim quia dixit: Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & operari pro bona voluntate; ideo liberum arbitrium abſtuliſſe putandus eſt. Quod ſi ita eſſet, non ſuperius dixiſſet; cum timore, & tremore veſtram ipſorum ſalutem operamini. Quando enim iubentur, vt operentur, liberum eorum conuenitur arbitrium, ſed ideo cum timore, & tremore, ne ſibi tribuendo, qui bene operantur, de bonis tanquam ſuis extollantur operibus.* En cum iubemur operari ſalutem, noſtrum conuenitur arbitrium, vt putemus, non gratiam ſolam, ſed etiam ipſum arbitrium præter gratiam, agendo actus ſalutares, immediate occupari, atque adeo cum timore laborandum, ne actione immediata quam, arbitrium, vt condiſtinctum à gratia in opus ſalutare confert, de bonis operibus tanquam noſtris extollamur; alioquin non eſſet, vnde ſuperbiendi occaſio poſſet
Auguſtin. occurrere. Idem libro quæſt. in Exodum quæſt. 167. diſſerens illud Exodi 34. *Hæc ſunt verba, quæ dixit Dominus facere*, præmiſſam quæſtionem, an Deus ſe propoſuerit facturum, vel potius hominibus facere præceperit, ſic dirimit. *Forte ſi poſitum eſt, vt ex vtroque accipiatur: nam & homines facere debent, cum ipſi iubeantur, & Deus facit, cum facientem adiuuat, ſecundum illud Apoſtoli, in timore & tremore veſtram ipſorum ſalutem operamini: Deus eſt enim, &c.* Vterque, Deus & homo facit. Homo quidem, quia præceptis conuenitur, vt agat, Deus vero, quia auxilium parat, quod iuuet. Igitur ex vtroque integrum principium immediatum agendi coaleſcit.

16. Quartus locus eruitur ex illo Rom. 2. Quarto. Rom. 2.
Factores legis iuſtificabuntur. Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, eiuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis. Hic enim manifeſte loquitur Paulus de obſeruatione legis, quæ ſufficiat ad veram iuſtificationem, ac proinde, de ea, quæ ſupernaturalis eſt, vt oſtendimus diſputatione vigeſima, ſectione duodecima. Nihilominus aſſerit Paulus, eam *naturaliter* fieri. Non quia ſola natura ad illam ſufficiat; id enim Pellagianorum interpretamentum eſt. Neque quia ſola gratia exequitur illam, id enim non eſſet fieri *naturaliter*, ſed omnino ſupernaturaliter. Ergo quia natura ipſa immediate conſortio gratiæ præſtat vim, & actionem immediatam in illam. Quod innuiſſe videtur Auguſtinus de ſpiritu & litt. c. Auguſtin.
27. ibi; *Fiunt quæ legis ſunt naturaliter, non quod per naturam negata ſit gratia, ſed potius per gratiam reparata natura.* Hoc eſt, non quia vis immediata naturæ ad operationem ſalutis excludat virtutem agentem gratiæ, ſed potius quia virtus gratiæ reparat debilitatem naturæ, eiuſque facultatem immediatam, infirmam ſanat, inſufficientem roborat. Item
Proſper contra Collat. c. 22. *De his Apoſto-* Proſper.
lus loquitur, in quorum cordibus digito ſuo Deus, id eſt, Spiritu ſancto, ſcribit totum teſtamentum, vt legis plenitudinem, & opera charitatis naturaliter exequantur, reformata ſcilicet renouataque natura. Quare recte Cyrillus Alexan- Cyrillus Alex.
drinus libro tertio, contra Iulianum propius ad finem, quam ad medium, præſenti teſtimonio Rom. 2. probat omnibus hominibus inſitam adeſſe facultatem ad ſalutem. *Quippe gentium Deus eſt, & per inſitas leges bene commonſtratur, quam omnium cordibus inſculpſit opifex. Dicit enim gentes, quæ legem non habent, &c.* Et mox ſubdit: *Quomodo legem non habentes, ſibi ipſi ſunt lex? Inſitis ad hoc inſtructionibus peruenientes. Natura enim per ſe ipſam factore annuente recipit omnis boni ſcientiam.* Quod præmiſerat ſuperioribus: *Etenim diuinam notitiam in natura hominis maxime fundatam fuiſſe, & ei genuinam omnis bonis, & ad ſalutem neceſſarij cognitionem immiſiſſe opificem dicimus.* Expende inſtructiones, & notiones ſalutares, ac ſupernaturales naturæ inſitas dici à Cyrillo, quia conſentaneæ ſunt virtuti natiuæ, qua in ſalutem ipſa natura ex ſe ſimul cum gratia promoueri poteſt, vt incidat illa ratio. *Natura enim per ſe ipſum factore annuente, &c.* Quo ſenſu Baſilius in Baſilius.
regulis fuſius diſputatis interrogat. 2. paulo poſt initium tanquam exploratum ſupponit; *At omnia nos, quæ deſcripta nobis à Deo*

Digitized by Google

præcepta ſunt conſequenda, naturales etiam ab ipſo facultates accepiſſe. Et poſt pauca: *ſaneque facultates hæ eiuſmodi ſunt, vt ſi his recte, & vt par eſt, vſi fuerimus, egregie pietatem tenentes ei, quæ cum virtute coniuncta eſt, vita ſatisfacere poſſimus.* Sane facultates naturales conferentes in ſalutem non ſunt vires ſolius gratiæ, ſed etiam naturæ à gratia condiſtinctæ. Quod amplius expendemus ſect. 7.

SECTIO QVARTA.

Secunda probatio ex Concilijs, & Pontificibus Eccleſiæ.

Synodus Paleſtina.

17. SEcundum argumentum miniſtrant Concilia Eccleſiæ. Synodus Paleſtina probauit concurſum immediatum naturæ, cum approbauit explicationem, quam ſuæ ſententiæ exhibuit Pellagius dicens, *Hominem proprio labore, & Dei gratia poſſe in ſalutem moueri.* Nam plane Pellagius per laborem proprium condiſtinctum à gratia intellexit cooperationem immediatam, quam præter operationem gratiæ confert arbitrium. Patribus autem Paleſtinis accepta fuit ſententia Pellagij ſic explicata, quia non ſolæ vires arbitrij, vt prius decreuerat Pellagius, ſed coniunctæ auxilio gratiæ ſupernaturalis (non ſolius creationis naturalis, vt fraudulenter Pellagius accepit) hominem in ſalutem perducerent. Igitur Catholice aſſeritur, liberum arbitrium ex ſe aliquid præſtare, quod ſimul cum gratia ſalutem operetur. Vt enim Pellagius priſtinam ſuam ſententiam retractaret, non erat neceſſarium, totam efficientiam boni operis auxilio ſupernaturali defferre; ſed ſat erat, actiuitatem gratiæ neceſſariam cum naturæ actiuitate fateri; ea enim reſpuebat ſolas vires naturæ ſufficere ad conſequendam ſalutem: quæ erat hęreſis Pellagiana ab Eccleſia damnata. Solam quidem ſibi ſufficere naturam prior Pellagij ſententia vulgabat. Naturam non ſufficere ſolam, ſed adiutam partiali concurſu gratiæ, Catholica ſententia tuebatur; eiuſque ſenſum indicauit ſuperior Pellagij ſententia, quando coram Patribus Paleſtinis profeſſus eſt, hominem proprio labore, & Dei gratia ſalutem adipiſci. Videatur liber de geſtis Pellagij, præſertim c. 6. Quare libro de gratia

Auguſtinus.

Chriſti c. 47. exponens Auguſtinus, & concludens ſententiam, quam à Pellagio requirit, ſic fatur. *Si conſenſerit,* (Pellagius) *etiam ipſam voluntatem, & actionem diuinitus adiuuari, & ſic adiuuari, vt ſine illo adiutorio nihil bene velimus, & agamus: eamque eſſe gratiam Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, nihil de adiutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controuerſiæ relinquetur.* Qui ſentimus autem, voluntatis actiuitatem immediatam iuuari ad affectus, & actiones ſalutares auxilio ſupernaturali gratiæ: & ſic iuuari, vt ſine illo nihil boni ſalutaris agere valeat, reuera concedimus totum, quod Auguſtinus à Pellagio requirit. Ergo cum actiuitate immediata naturæ conferente partialem influxum in opus ſalutare, componitur ſententia Catholica contra Pellagium contenta. Atque adeo Patres Paleſtini, probantes illam explicationem Pellagij, *Hominem proprio labore; & gratia Dei* poſſe à peccato liberum in ſalutem peruenire, putandi ſunt, nomine proprij laboris ſeorſim à gratia, probaſſe conatum actiuitatis intrinſece arbitrij, non inſufficientem, & adæquatum, ſed in ſufficientem, & partialem, indigentem auxilio gratiæ, quam Auguſtinus à Pellagio extorquere procurat.

Confirmat Patres Africani.

18. Confirmare videntur Afric. Epiſcopi reſcribentes ad Zoſimum Papam contra errorem Pellagij ibi: *vt boni aliquid agant paternis inſpirationibus ſuorum ipſe tangit corda fidelium.* Nam certe fidelium corda non tanguntur inſpirationibus diuinis, vt ſuſcipiant gratiam, quæ ſine ipſorum conſenſu præſupponitur ſuſcepta. Neque, vt gratia ſuſcepta ſeorſim ab arbitrio adæquate operetur; nam ſi operatio ab arbitrio immediate non pendet, ſed à ſola gratia, quid arbitrium immediate tangitur, aut allicitur, vt operatio ſit? Tangitur igitur immediate arbitrium, vt ſua actione immediata gratiam exerceat, auxilijsque ſibi à Deo prouiſis, quæ ad agendum ab arbitrij concurſu pendent, immediate cooperetur. Indicat Celeſtinus primus epiſt.

Celeſtinus.

1. ad Epiſcopos Galliæ capite octauo, ſuperiora referens; & addens: *Neque otioſa eſſe patitur, quæ exercenda, non negligenda donauit, vt & nos cooperatores ſimus gratiæ Dei.* Negligentia enim, & otium donorum Dei, non in defectum operationis gratiæ independentis ab arbitrio refertur, ſed in defectum concurſus, quo arbitrium gratiæ iam ſuſceptæ cooperari tenetur. Ergo arbitrio incumbit, immediata ſua cooperatione diuina dona ſectari, exercendo, non negligendo illa. Quod mens non capit, quomodo fieri poſſit, niſi arbitrium ſimul cum gratia concurſum immediatum exhibeat, qui non à gratia ſola, ſed etiam ab arbitrio prout à gratia condiſtincto, ſed indiuiſo immediate dependeat.

Concilium Senon.

19. Grauiſſime veritatem iſtam illuſtrauit Senonenſe Concilium prol. col. 2. fine. *In errorem Manichæi, Lutherus incidit, dum nimis anxie, & ſcrupuloſe deuitat Pellagium. Metuens namque liberum arbitrium cum Pellagio nimis efferre, omne opus bonum, quod eſt in homine, Deo tribuit, & diuinæ gratiæ, nihil prorſus libero arbitrio; ſicque tollens omnino liberum arbitrium Lutherus factus eſt Manichæus, dum refugit eſſe Pellagius. Debuerat certe Lutherus ex Apoſtolo noſſe, ita neceſſariam eſſe diuinam gratiam ad bene operandum, vt cum ea tamen liberum arbitrium bonum opus efficiat.* Pellagius totam actionem immediatam boni operis tribuit naturæ, & nihil gratiæ, Lutherus totam tribuit gratiæ & nihil naturæ; quo factus eſt Manichæus.

tollens libertatem arbitrij. Apoſtolus media incedens ſententia actionem immediatam boni operis inter vtramque partitus eſt, prædicans, tum gratiam, tum naturam immediate neceſſariam ad illam, vt neque gratia ſine conſortio naturæ, neque natura ſine conſortio gratiæ aliquid boni operis immediatè agat. Apoſtolica igitur ſententia videtur eſſe, quæ actionem immediatam operis ſupernaturalis diuidit inter naturam, & gratiam, & vtrique defert vim immediate agentem illius, non adæquatam, ſed partialem, eoque cauetur periculum tollendi libertatem arbitrij, in quod Lutherus tribuens totam actionem gratiæ miſere lapſus eſt. Etenim manifeſtum eſt non adeo totam actionem detuliſſe gratiæ diuinæ, vt mediatam etiam aufferret naturæ, cui gratia inhæret. Nam mediate agere naturam non eſt aliud, quam agere immediate virtutem aliquam inſidentem naturæ; vt aër elucidat mediate, ferrum mediate calefacit, quia lux, & calor illis inhærentes immediate, & adæquate lucem & calorem, in aliud ſubiectum inducunt. Ergo ſi gratia inſidens naturæ immediate, & adæquate efficit opus ſupernaturale, procul dubio admittebat Lutherus, naturam mediate, & remote, media gratia, tanquam virtute proxima, in illud influere. Sed vberius de hoc ad explicationem Concilij Tridentini.

SECTIO QVINTA.

Præcedens probatio validiſſime confirmatur ex Tridentino.

Tridentinũ proponitur

20. Ergo validius omnibus argumentum conficitur ex Decreto Tridentino ſeſſione ſexta, capite quinto, aduerſus Lutherum, & Caluinum ſtatuentes; *hominem gratia excitanti, atque adiuuanti libere aſſentiendo, & cooperando diſponi, ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat inſpirationem illam recipiens.* Et canone quarto. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, ſed veluti inanime quiddam nihil omnino agere, mereque paſſiue ſe habere, anathema ſit.* Plura his expendo. Primum voluntatem naturalem *cooperari gratiæ adiuuanti Dei.* Nam cooperari gratiæ adiuuanti Dei non poteſt principium, quod immediate nihil operatur. Subſtantia enim aëris non cooperatur luci ad illuminandum vitrum, neque ſubſtantia ignis cooperatur calori ad calefaciendum lignum, quia tota vis illuminandi, & calefaciendi competit ſoli calori, & luci, quin ſubſtantia aëris, & ignis quidquam immediate præſtet in calefactionem, & illuminationem alterius ſubiecti, præter ſuſtentare calorem, & lucem. Secundum; *cor hominis à Deo tangi, excitari, atque moneri per Spiritus ſancti illuminationem.* Nam, vt num. 18. obſeruabam, ad quid erat excitanda, tangendaue in ſe immediate voluntas, quæ ex ſe immediate nihil tribuere poteſt in actionem operis? Tertium, eo tangi, vt *Homo ipſe nihil omnino agat.* Plane enim illud *homo ipſe* diſtinguit hominem à Deo excitante, & adiuuante, & homo ipſe ſic à Deo excitante, & adiuuãte diſtinctus aliquid agit. Ergo non ſolum media gratia, & auxilio Dei, ſed etiam per ſe ipſum immediate aliquid agit; atque adeo vim immediatam diſtinctam à virtute gratiæ conferre in opus ſalutare poteſt. Etenim ſi homo ipſe ex ſe, qua diſtinctus eſt à gratia, nihil virtutis immediate ferret in conſenſum, ſed ſola virtute gratiæ adæquate ageret illum, non aliquid conſenſus, ſed totum conſenſum operaretur homo. Ergo dum homini ipſi ſeorſim à Deo tribuit aliquid, quod agat, non de actione mediata per gratiam, ſed actione immediata, partiali tamen, per ſuam actiuitatem propriam diſtinctam à gratia manifeſte differit Tridentinum. Poſtremum expendo; liberum *hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, non ſe habere mere paſſiue.* Nam ſi arbitrium poſt ſuſceptam gratiam nullam ex ſe actionem immediatam præſtat, ſed eius munus immediatum tantum eſt recipere gratiam à Deo, & actionem operis ab ipſa gratia. Ergo comparatione actionis immediatæ mere paſſiue ſe habet. At Lutherus, & Caluinus, quos ibi damnant Tridentini Patres, non aſſerebant arbitrium ſe habere mere paſſiue comparatione actionis mediatæ, & remotæ, ſed tantum comparatione immediatæ, & proximæ. Quippe concedebant arbitrium agere mediate per gratiam, ſolumque negabant agere per ſe immediate ſimul cum illa. Tuebantur enim gratiam ineſſe arbitrio, & gratiam immediate agere; atque adeo re ipſa admittebant arbitrium agere mediate per gratiam; quandoquidem agere arbitrium mediate non eſt aliud, quam ſuſtentare gratiam agentem immediate, vt aquam: & igne calefacere mediate, non eſt aliud, quam fouere calorem calefacientem immediate. Ergo Tridentini Patres damnantes meram paſſionem arbitrij contra Lutherum, & Caluinum, non actionem arbitrij mediatam per gratiam, ſed etiam immediatam per ſuam actiuitatem diſtinctam à gratia decernunt.

21. Hoc argumentum mihi irrefragabile eſt. Ideo paulo fuſius vrgendum. Concilium Tridentinum ſuperiori decreto definit ſententiam repugnantem Luthero, & Caluino. At ſententia repugnans Luthero, & Caluino non eſt, quæ gratiam conſtituit totam, & adæquatam virtutem immediatam agendi, & arbitrio negat virtutem immediate actiuam, etiam partialem, quæ adiuta à gratia ex ſe aliquid conferat in opus ſupernaturale; ſed oppoſita, quæ inter arbitrium, & gratiam actionem immediatam partitur, negatque gratiæ totam actiuitatem immediatam. Ergo Tridentinum poſteriorem Conficitur argumentũ

Digitized by Google

ſententiam, quæ noſtra eſt, videtur definire. Conſequentia eſt legitima. Maior omnibus Theologis nota. Minor, quæ probationem deſiderat apertiſſime conſtabit, ſi prius viderimus ſententiam, quam ipſi Hæretici Catholicorum putant, ſibique contrariam profitentur. Adeamus eos, qui viſis ipſorum ſcriptis referunt, quæ Hæretici Tridentino, & Catholicis obijciunt.

Confirmatur ex dictis Caluini.

22. Igitur Caluinus libro ſecundo Inſtit. cap. tertio, ex illo Ioannis decimo quinto. *Sine me nihil poteſtis facere*, ſic contra Catholicos diſputat. *Papiſtæ hanc ſententiam non extenuant modo, ſed eneruant, imo potius eludunt. Etſi enim verbo tenus fatentur, nos ſine Chriſto nihil poſſe, aliquid tamen facultatis ſuppetere nobis ſomniant, quod per ſe quidem non ſufficiat, ſed Dei gratia adiutum cooperetur: nec enim hominem ita exinaniri ſuſtinent, quin aliquid ex ſe conferat: Verumtamen clara Chriſti verba eludere, non ita promptum eſt. Tale eſt Papiſtarum commentum, nos ſine Chriſto nihil poſſe, ab eo tamen adiutos habere aliquid ex nobis præter gratiam. Chriſtus vero contra pronuntiat, nos nihil poſſe ex nobis; Palmes, inquit, nullum fructum habet à ſemetipſo. Ergo non tantum cooperantis ſuæ gratiæ auxilium hic commendat, ſed nos pœnitus priuat omni virtute, niſi quam ſuppeditat ipſe nobis. Ergo hæc particula ſine me, ſic reſolui debet, non niſi ex me.* Hæc ille apud Maldonatum Ioan. 15. ver. 5. & Stapletonium antidoto in Ioan. 15. ver. 5. Conſidera diligenter, quæ Caluino diſplicent in Catholicorum doctrina, ſuæque contraria cenſet. Primo: *aliquid facultatis ſuppetere nobis, quod per ſe quidem non ſufficiat, ſed Dei gratia adiutum cooperetur.* Secundo, quod homo *aliquid ex ſe conferat.* Tertio, *à Deo adiutum habere aliquid ex nobis præter eius gratiam.* Quibus luce clarius continetur ipſiſſima ſocietatis doctrina. Vnde poſtremo Caluino probatur, quod Chriſtus Dominus, ſuperioribus verbis, *nos penitus priuet omni virtute, niſi quam ſuppeditat ipſe nobis.* Vtique per gratiam, non per naturam. Quæ eſt ſententia aſſerens totam agendi virtutem eſſe gratiam, quia arbitrium ex ſe omni agendi virtute priuatum eſt. Ergo noſtra ſententia ſola, non oppoſita contradicit Caluino, ac proinde illa à Tridentinis Patribus videtur definita. Quare Kemnitius ſtudioſiſſimus Caluini diſcipulus illud inter alia improbat in decreto Concilij Tridentini ſeſſ. 6. c. 5. & can. 4.

Item ex ſcriptis Kemnitij.

In motibus, & actionibus ſpiritualibus ex gratia, & ex liberi arbitrij viribus fieri vnam cauſam efficientem, itaut ad efficiendos motus ſupernaturales hæc duo ſimul concurrant, gratia ſcilicet, & naturales vires liberi arbitrij. Et poſt alia; *Naturaliter inſitas eſſe vires aliquas, & facultates qualeſcumque ad res diuinas, ſeu actiones.* En hæretici ſcientes, quæ ſuæ ſententiæ repugnant, & quæ Patres Tridentini definierunt ipſorum menti contraria, proponunt facultatem naturalem arbitrij tanquam partialem cauſam ex qua, & gratia vna totalis integretur virtus immediate agens ſpirituales, & diuinas actiones. Ergo facultas naturalis arbitrij agens immediate, tanquam cauſa partialis ſimul cum gratia ſpirituales, & diuinos motus, anteriori Tridentini decreto definita videtur. Quare poſt præmiſſa immediate ſubdit Kemnitius: *Hanc autem eſſe Concilij Tridentini ſententiam ſine ambiguitate, & perſpicue lector intelligere poteſt, eo quod dicit liberum arbitrium gratiæ Dei excitanti, & adiuuanti libere aſſentiri, & cooperari.* Quippe callebat optime qua doctrina expugnanda erat hæretica ſuorum ſententia, in quam Tridentina ſanctio contenta fuit. Concluditque Catholicorum dogmatis explicationem, dicens: *Illas vires naturales, ſicut imbecilliores ſunt ſentiunt adiuuari, & confirmari per gratiam, & auxilium Spiritus ſancti.* En quibus Catholici Theologi ſe protegebant ab hæreticis, vt ipſorum dogmata debellarent, ſcilicet viribus naturalibus arbitrij non ex ſe omnino nullis, ſed imbecillibus, & adiutis, ac firmatis per gratiam. Videatur Kemnitius contra Patres Tridentinos apud Iacobum Tiletanum ad ſeſſ. 6. c. 5. & can. 4. Tridentini.

Confirmatur.

23. Confirmemus amplius mentem Caluini, neuriquam aduerſantem actionem mediatam arbitrij per gratiam, quam ſolam arbitrio tribuunt noſtri aduerſarij.

Camerarius.

Apud Camerarium de libero arbitrlo, libro decimo, capite quinto, §. 2. ſic Caluinus controuerſiam cum Catholicis proponit, *Non hoc quæritur: Agatne voluntas, quod extra dubium eſt? ſed agatne à ſeipſa, an pro modo diuinæ actionis? Quis enim neſcit per voluntatem fieri, vt velit homo?* Itaque Caluino extra dubium erat, voluntatem agere. At quia non à ſe immediate, ſed ſolum mediate per gratiam agere ſenſiebat, ideo Catholicæ ſententiæ aduerſarius fuit, & tanquam arbitrium prædicaret mere paſſiue ſe habens à Tridentino damnatur. Item apud eumdem Camerarium libro primo, capite ſexto, fine: *voluntas ipſa, facultas ad volendum eſt, aut ſi ita placeat, ſubſtantiam male & bene velle, qualitates, ſeu habitus, qui in potentiam tranſeunt. Noui igitur habitus creantur, mutanturque.* Non vides à Caluino admitti voluntatem ipſam eſſe facultatem remotam ad volendum, eſſe vero proximam, ac detractam ad bene volendum, conſtitui per habitum, qui in potentiam tranſit. Sed omnium clariſſime cap. 9. fine. *Hominem ſic docemus agi Dei gratia, vt tamen ſimul agat: ſic tamen ipſum agere, vt penes Dei ſpiritum tota ſit ac maneat actionis efficacia.* Audis ab ipſo palam concedi hominem agere, ſic tamen, vt penes gratiam tota agendi virtus conſtituatur. Hoc eſt hominem remote, gratiam vero proxime totum operari? Quare ſubdit; *Minime ſic cooperari hominem cum ipſo Deo, inquio, vt aliquid de ſuo miſceat, ſed pro menſura ſolum, quam accepit, vt non aliter agat, niſi quo agitur.* Conſidera quod negat, ſcilicet voluntatem ita agere vt aliquid de ſuo miſceat.

Rurſus Iapper.

Rurſus apud Ruardum Iapper. art. 7. pag. 395. hæc ex libro ſeptimo, Tridentini ſeſſione ſexta, c. 6. excerpta Caluini verba reperies. *Hæc ſit ſumma, perperam eos face-*

re, qui ſic inter Deum, & nos partiuntur, vt obedientiam piæ voluntatis, qua Dei gratia aſſeritur, ad nos tranſcribant, cum proprium ſit ipſius Dei opus. Ingrata eſt Caluino, eiuſque ſententiæ contraria, partitio actionis immediatæ inter voluntatem, & Deum: grata vero, eiuſque iudicio conſentiens adæquata, & totalis operatio gratiæ. Conſonant alia, quæ ex libro tertio Conſtit. c. 24. apud Stapletonium antidoto in Epiſt. ad Romanos cap. 9. ad illa verba, *Non eſt volentis, neque concurrentis*, tranſcribuntur. *Vere hic locum habet illud Pauli, non eſt volentis, &c. Non quomodo id vulgo accipiunt, qui inter Dei gratiam, hominiſque voluntatem, curſum partiuntur. Exponunt enim deſiderium hominis, ac conatum nihil per ſe quidem habere momenti, niſi per Dei gratiam proſperentur, ſed cum adiuuantur illius benedictione, habere ſuas quoque partes contendunt.* Semper partitionem concurſus admittere, partem aliquam ſeu momentum conatui, & virtuti immediatę voluntatis, coniunctæ cum gratia tribuere dogma eſſe Catholicorum contra Hæreticos aſſertum, ingenua eſt Caluiniana confeſſio.

Stapletonius.

Illuſtratur vlterius.

24. Patienter fero toties repetitam Hæretici ſententiam. Expedit enim ſcire totam pugnam Hæreticorum cum Tridentinis Theologis, ac Catholicis omnibus reuocari potiſſimum ad affirmandum, aut negandum gratiam eſſe totam virtutem immediatam agendi, aut liberum etiam arbitrium ex ſe aliqua, ſaltem partiali virtute ſibi intrinſeca præditum eſſe. Quod nullo euidentius argumento monſtratur, quam continua, ac pertinaci Caluini confeſſione aſſerentis eo tandem omnem deuolui ſui à Catholicis diſſenſionem. Audi ipſum libro ſecundo, cap. 6. ſeſ. 6. ſic proponentem rem, de qua inter ipſum, & Catholicos dubitatur. *Sed nondum liquet, ſitne in totum priuatus bene agendi facultate homo, an habeat adhuc nonnullam, ſed puſillam, & infirmam, qua per ſe quidem nihil poſſit, opitulante vero gratia, ſuas ipſe quoque partes agat.* In quo dubio, proculdubio parti neganti puſillam illam, ac infirmam facultatem arbitrij, adhæret pertinaciter Caluinus, parti vero affirmanti Eccleſia Catholica. Similiter apud Ruardum Iapper articulo ſeptimo, pag. 365. *Paulus totum Deo vendicat: iſti* (Patres Tridentini) *nihil ei præter adminiculum acceptum ferunt.* Totam agendi virtutem Dei eſſe, nullam arbitrij etiam adiutam gratia, vt totum Deo detur, nihil deferatur arbitrio. Enixè Caluinus contendit apud Patrem Beccanum tomo primo, opuſc. 4. cap. quarto, numero ſecundo. *Erunt fortaſſe, qui concedent voluntatem à bono auerſam ſola Dei virtute conuerti, ſic tamen vt præparata ſuas deinde in agendo partes habeat.* Nullam voluntati in agendo partem concedere, ſed totam actionem gratiæ, conſonat Caluino; aliquam illi tribuere, totamque gratiæ negare, diſſonat Caluino, & Eccleſiæ doctrinæ maxime conſentaneum eſt. Quare idem apud eumdem: *Hoc perperam illi tribuitur. Ideo non recte à Chriſoſtomo ſcriptum eſt, nec gratiam ſine voluntate, nec voluntatem ſine gratia quicquam poſſe operari.* Audi illud ipſum iterum apud Stapletonium in Ioannem capite decimo quinto, numero quinto. *Nec ambigua eſt iſta concluſio, ſine me nihil poteſtis facere. Non dicit, nos eſſe infirmiores, quam qui nobis ſufficiamus, ſed nos ad nihilum redigendo, omnem, vel exiguæ facultatulæ opinionem excludit.* Totus continuo Caluinus eſt in excludendo aliquam, licet inſufficientem, exiguam, aut partialem facultatulam, quæ immediate ſimul cum gratia, quidquam ſupernaturale efficiat. Claudo appoſitiſſimo teſtimonio, libri ſecundi inſtitut. cap. 3. §. 12. ad illud 1. Cor. 15. *Plus omnibus laboraui, non autem ego: ſed gratia Dei mecum*, quod refert Bellarminus, libro ſexto de Libero arbitrio, capite decimo. *Ad hanc feſtucam mirum eſt, tot, non malos alioqui homines impegiſſe. Non enim gratiam Domini ſecum laboraſſe ſcribit Apoſtolus, vt ſe conſortem laboris faciat. Quin potius totam laboris laudem vni gratiæ, tranſcribit iſta correctione. Non ego, ait, qui laboraui, ſed gratia Dei, quæ mihi aderat. Nam ſi ad verbum reddas, non dicit, gratiam ſibi fuiſſe cooperatricem, ſed gratiam, quæ ſibi aderat, omnium fuiſſe effectricem.* Audi Caluinum negare gratiam eſſe ſociam laboris, ſeu cauſam partialem, aſſereteque inhærentem voluntati, ipſam totum laboris pondus portare, atque adeo non gratiam cum voluntate, ſed gratiam inhærentem voluntati, totius operis effectricem eſſe. Quod non re, ſed ſolis vocibus videtur differre à ſententia Aluarez, & Cabreræ.

Ruardus.

P. Beccanus.

Stapletonius.

Bellarminus.

Præcluditur reſponſio.

25. His omnibus teſtimonijs vnum poteſt reſponderi, Hæreticos quidem vere Catholicorum ſententiam cenſere noſtram quæ negat, gratiam eſſe totam virtutem agendi, & affirmat aliquam, ſaltem partialem actiuitatem immediatam naturæ rationali conuenire; verum id eſſe impoſturam, & figmentum ipſorum, quod in recenſendis Catholicorum placitis Hæreticis familiare eſt? Sed facile hæc reſponſio reuincitur. Primo, quia Catholici Doctores, qui diſſerunt cum Caluino, non eum refutant, quod mentitus ſit Catholicorum doctrinam, ſed quod eam, quam ipſe improbat Sacer textus, Auguſtinus & Tridentini Patres, & reliqui Theologi Catholici, rationeque ipſa veram eſſe tueantur, vt cernere eſt apud Ruardum, Albertum Pighium, Iodocum Tiletanum, Payuam, Maldonatum, Bellarminum, & alios, quos proponemus ſectione vigeſima prima. Secundo, quia Hæreticis danda eſt fides in ijs, quæ de ſuis opinionibus promunt, vt illud Hæreticorum placitum habeatur, quod ab ipſis aſſeri proponunt; illud ipſorum iudicijs repugnans, quod in Catholicis ſibi aduerſum repudiant. At agentes hæretici de virtute gratiæ in actus ſalutares ſuum pronuntiant, gratiæ totum deferri, nihil arbitrio, omnem actiuitatem eſſe arbitrio prorſus extrinſecam, nullam vel puſillam, ſeu partialem intrinſecam; Tridentinorum vero ipſos anathemate dam-

Digitized by Google

namium inter arbitrium, & gratiam, tanquam inter cauſas partiales actionem diſtribui, itaut aliquid etiam arbitrio in ſocietate gratiæ deſeratur, & pars ſola virtutis, eaque præcipua, non tota, & adæquata auxilio diuino tribuatur: vt euidentiſſimum faciunt, quæ ex Caluino congeſſimus. Ergo reuera credendum eſt, noſtram ſententiam illis aduerſari, oppoſitam vero conſonare.

SECTIO SEXTA.

Præoccupantur ſolutiones ſuperioris argumenti.

26. VT ſuperius argumentum firmius conſiſteret, vindicandum erat à multiplici reſponſione, quæ illi ab aduerſarijs excogitata eſt. Sed iam ex ijs, quæ in eius confirmationem adduximus, in quæ noſtri aduerſarij non inciderunt, promptum erit, omnem ipſorum cogitationem ſuperare.

Prima ſolutio.

Primo itaque diſtantiam ſuæ ſententiæ à ſententia Caluini, atque Lutheri conſtituunt in eo, quod hi Hæretici ita gratiam pronuntiant totam virtutem agendi, vt nullam arbitrio libertatem relinquant. Catholici vero aduerſarij ita gratiæ totam actiuitatem deputant, vt arbitrij libertatem totis animis fateantur. Hæc defenſio duobus infringitur.

Infringitur primo.

Primo, quia, vt notauimus diſputatione præcedenti num. 5. Tridentinum contra Hæreticos huius temporis non ſolum ſtabiliuit libertatem, ſed etiam actiuitatem arbitrij, ita vt ſi quis tueretur, poſſe libertatem mere patienti abſque vlla actione conuenire, aperte repugnaret Tridentino, quod non ſolum arbitrium decernit liberum, ſed etiam actiuum conuerſionis in Deum. Dicat quiſpiam, voluntatem eius, qui conuertitur in Deum, non cooperari gratiæ adiuuanti Dei; cæterum libere poſſe conuerti, quin gratiæ adiuuanti cooperetur, ſolum, quia paſſio dilectionis Dei adæquate procedentis à gratia poterat ab arbitrio abſque vlla ipſius cooperatione impediri. Plane iſte contradiceret Tridentino, conſtituenti arbitrium motum, & excitatum cooperari gratiæ adiuuanti Dei; quamquam alias cum hoc aſſerto componere libertatem contenderet. Ergo ſimiliter quamquam noſtri aduerſarij libertatem arbitrij fateantur, poſſunt re ipſa contradicere Tridentino, negantes actionem immediatam ipſius, quam definiri à Tridentino, & non mediatam, ac remotam ſolam, euincunt quæ ex mente Hæreticorum produximus. Itaque non ſolum conſequens libertatis, ſed etiam antecedens immediatæ actionis arbitrij, à Tridentino ſtabilitum fuit.

Secundo.

Secundo, quia re ipſa in Hæreticorum ſententia idem eſt negare arbitrio libertatem in opus ſalutare, ac negare actionem aliquam immediatam ſaltem partialem in illud, totumque negotium ſoli gratiæ deferre. Nam apud ipſos voluntas libera putatur, quæ ex ſe immediate confert actionem aliquam, quam ideo poſſit ſubtrahere: non libera vero, quæ nullam ex ſe actionem præſtat in opus, ſed totam accipit à virtute gratiæ. Quare totos neruos contendunt in redimendum arbitrio actionem partialem, & totam deputandum gratiæ, vt ex adductis ſect. præced. conijcere eſt; quaſi actum ſit de libertate voluntatis, quam demoliri ſtudent, vbi omnis actio immediata arbitrio adempta ſit, omniſque abſque ſocietate arbitrij delata gratiæ. Ergo reipſa negatur arbitrio libertas, quæ ab Hæreticis negata eſt, & contenditur à Tridentino, vbi negatur actio immediata in opera ſalutis.

Secunda ſolutio.

27. Secundo id diſcriminis inueniunt noſtri aduerſarij inter ſuam, & Hæreticorum ſententiam. Quod ipſi arbitrio concedunt virtutem agendi remotam, quæ vere cum gratia agat. Hæretici vero remotam agendi virtutem reijciunt, quæ adueniente gratia, operis ſalutaris actiua ſit, quandoquidem dicunt arbitrium mere paſſiue ſe habere.

Reuincitur

Sed contra, virtus remota agendi in natura, reuera non eſt aliud quam virtus, quæ immediate ſuſcipit gratiam, & denominatur agere per gratiam ſibi inhærentem, & immediate agentem. Sed Hæretici te ipſa admittebant, gratiam immediate ineſſe naturæ, naturamque denominari agentem per gratiam. Ergo reipſa admittebant virtutem agendi remotam. Probatur minor. Tum quia id verbis expreſſis refert Camerarius de Caluino num. 23. ibi: *Non hoc quæritur; Agatne voluntas, quod extra dubium eſt; ſed agatne à ſe ipſa? an pro modo diuinæ actionis, &c.* Tum quia vbicumque reijcit virtutem agentem naturæ, ſolum reijcit immediatam, & partialem, integrantem vnam totalem cum gratia, vt arguere eſt ex teſtimonijs ſuperioribus. Tum denique quia reuera gratia admittebatur accidentalis, & non ſubſtantialis, ac proinde inhærens arbitrio: inſuper adſtruebatur gratia immediate, & adæquate agens. Ergo arbitrium admittebatur agens mediate, atque remote per gratiam. Nam remote, atque mediate agere non eſt aliud, quam agere per aliud ſibi inhærēs, quod immediate, & adæquate agit, qua ratione aër remote elucidat, & ignis calefacit remote. Vnde arbitrium, mere paſſiue ſe habens in ſenſu Hæreticorum, non excludebat virtutem agendi mediatam, & remotam, ſed proximam tantum, & immediatam.

Camerarius.

Tertia.

28. Tertio eo ſe Thomiſtæ recentiores ab Hæreticis diuidunt, quia Hæretici nolunt arbitrium agere immediate, neque vt *quo*, neque vt *quod*. At ipſi volunt agere immediate vt *quod*, quamuis non agat immediate vt *quo*.

Reſpuitur.

Hæc ſolutio verborum eſt, non rerum. Agere arbitrium immediate vt *quod* non eſt aliud, quam inter actionem operis ſupernaturalis, & arbitrium non mediare aliquod agens ſubſtantiale, atque ſubſiſtens: ſed tantum formam accidentalem adæquate agentem, atque denominantem arbitrium agens per ipſam. At Hæretici etiam fatentur inter arbitrium, & actionem operis ſupernaturalis, non mediare aliquod agens ſubſtantiale, atque ſubſiſtens, ſed tantum formam adæquate agentem, atque deno-

Digitized by Google

minantem arbitrium agens per ipſam. Nihil enim inter actionem, & arbitrium medium agnoſcunt, quam gratiam, cui tanquam formæ, ſeu virtuti adæquate agenti tota actio reſpondeat. Ergo reipſa concedunt hæretici arbitrium agere immediate *vt quod*, eo ſenſu, quo Catholici. Aliter; arbitrium agit immediate *vt quod*, quia eſt primum ſubiectum, quod à gratia, ſeu à virtute adæquate denominatur agens. At hæretici ſuſtinent arbitrium eſſe primum ſubiectum, quod à gratia, ſeu à virtute, aut forma adæquata denominatur agens. Nam arbitrium denominari agens à gratia, extra dubium erat Caluino, vt num. præced. oſtenſum eſt. Aliunde aliud ſubiectum prius arbitrio, quod à gratia redderetur agens, non agnoſcebant. Ergo re ipſa fatentur, arbitrium immediate agens *vt quod*. Cæterum his vocibus non vtuntur hæretici, quia plane agens *vt quod*: eſto, proprie agat, tamē proprie nō agit immediate, quia inter ipſum, & actionem mediat aliquid, quod adæquate; & immediate agit, ſcilicet habitus, ſeu gratia ſupernaturalis; ſicut ignis proprie non calefacit immediate, licet calefaciat proprie, quia mediat inter ignem, & calefactionem calor adæquate, & immediate calefaciens. Quam mediandi rationem, etiam Catholici tuentur inter arbitrium, & actionem ſupernaturalem: quippe interijciunt habitum, ſeu gratiam ſupernaturalem. Ergo eodem ſenſu vtrique ſtatuunt arbitrium immediate, & mediate agens. Aut ſi velis arbitrium agere immediate *vt quod*, quia ipſum eſt quod immediate redditur cognoſcens, aut appetens per actum ſupernaturalem: certe etiam hæretici admittunt arbitrium eſſe quod immediate redditur viuens, cognoſcens, & appetens per actus ſupernaturales à gratia adæquata productos. Etenim gratiam ſolum agentem profitentur, non volentem, aut cognoſcentem. *Quis enim neſcit*, ait Caluinus adductus n.27. *per voluntatem fieri, vt velit homo*? Et Kemnitius apud Bellarminum lib. de gratia, & lib. arbitrio c.11. tom. tertio, ad illud Auguſtini ex lib. de Spiritu, & litt. cap.34. *Conſentire vocationi, aut non conſentire, propria voluntatis eſt*; ſic reſpondet. *Auguſtinus dicit conſentire, & diſſentire proprie, aduerbialiter, eſſe voluntatis, ſicut diximus, intelligere proprium eſſe mentis, velle voluntatis; illa ſententia poſtea ita deprauata eſt; conſentire in ſpiritualibus proprie eſſe voluntatis.* En vltro fatetur Kemnitius, voluntatem eſſe, quæ *proprie* (aduerbialiter) velit; mentem, quę *proprie* intelligit. Quamuis actio ſalutaris intelligendi, & volendi non ſit *proprie* voluntatis, & mentis, ſed gratiæ diuinæ; quia non à virtute propria voluntatis, & mentis humanæ, ſed ſolum à virtute aliena gratiæ diuinæ adæquate, ac immediate proueniat. Ergo reipſa fatentur hęretici quidquid peragere *vt quod* voluntatis humanæ intelligunt Catholici. Atque adeo vt ab eis diſtemus rebus, & non vocibus ſolis, admittenda eſt virtus partialis immediata voluntatis, & neganda adæquata; & totalis gratiæ.

SECTIO DECIMA-SEPTIMA

Tertia probatio ex Patribus Eccleſiæ ſtatuentibus in homine naturalem & inſitam actiuitatem ad opera ſupernaturalia.

29. ECcleſiæ Patres plura nobis afferunt ad probationem noſtræ ſententiæ. Nunc tertium ſic conſtruamus argumentum. Patres Eccleſiæ aſſerunt homini conuenire naturalem, ſeu inſitam facultatem ad opera ſupernaturalia. Ergo conuenit homini actiuitas immediata, ſibique intrinſeca, diſtincta à facultate gratiæ. Nam facultas gratiæ non eſt homini naturalis, & innata, ſed ſupernaturalis, & extranea. Ergo ſi præter iſtam admittenda eſt facultas homini inſita, & innata, ſane illa erit à virtute ſupernaturali gratiæ diſtincta, ipſique naturæ idemtificata. Argumentum conſtituitur.

30. Probemus antecedens productis in medium Patrum teſtimonijs. Ambroſius eius ſententiæ eſt. Sic refert Auguſtinus libro de gratia Chriſti cap. 50. *Naturalem poſſibilitatem peccato vitiatam, eneruem, infirmamque teſtatur venerandus Ambroſius.* Vbi legenti perſpicuum fiet referre Auguſtinum de poſſibilitate ad opera ſalutis. Ideoque mox ſubdit, *cui ſola per mediatorem Dei, & hominum diuina ſubuenit gratia*: Quæ ad ſola pietatis opera influxum præbet. Rurſus Auguſtinus frequenti teſtimonio naturalem iſtam poteſtatem confirmat, de bono perſeuerantiæ cap.14. ſub initium: *Ex quo apparet habere quoſdam in ipſo ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus, vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant.* Nota illud *naturaliter*. Item illud *congrua ſuis mentibus*. Quę indicant hominum naturæ, atque ingenio ipſam credendi actionem congenitam, & aliqua ratione naturalem eſſe. Non quia adæquata facultas congenita, & naturalis ſit. Ergo ſaltem quia naturalis, & congenita eſt facultas incompleta, & partialis. Similiter de prædeſtinatione Sanct. c.5. *Proinde poſſe habere fidem, ſicut poſſe habere charitatem, naturæ eſt hominum. Habere autem fidem, quemadmodum & habere charitatem gratiæ, eſt fidelium. Illa itaque natura, in qua nobis data eſt poſſibilitas habendi fidem, non diſcernit ab homine hominem.* Itaque poſſibilitas habēdi fidem naturæ eſt hominum, & ea cum ipſa natura omnibus hominibus confertur. Quæ vt alibi notauimus, non eſt ſolum paſſiua, ſed etiam actiua, videlicet qua credere, elicientes actum fidei, valemus. Item lib. contra Iulianum cap. 3. paulò poſt principium ſic eius obiecto reſpondet. *Bonam dicis hominum naturam, quæ talis gratiæ opitulationem meretur. Quod gratanter audirem, ſi hoc propterea, quia rationalis natura eſt, diceres. Neque enim gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, lapidibus, aut lignis, pecoribuſue præſtatur: ſed quia imago Dei eſt, meretur hanc gratiam, non tamen vt eius bona voluntas poſſit præcedere præter* Ambroſius. Auguſtinus

gratiam. Vbi primo concedit Auguſtinus, aliquod meritum, licet improprium primę gratię, quia aliquã ex ſe proportionem capacitatis, & aptitudinis naturalis conferre videtur, vt ei talis gratiæ opitulatio præbeatur. Quare ſecundò propria dicitur naturæ rationalis, prout à lapidibus, & prioribus diſtincta eſt.

31. Clarius idem expreſſit lib. de Spiritu & litt. cap. 33. *Prius illud dicamus, & videamus, vtrum huic ſatisfaciat quæſtioni, quod liberum arbitrium naturaliter attributum à creatore, illa media vis eſt, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem poteſt.* Et paucis interpoſitis: *Vocante Deo ſurgit de libero arbitrio, quod naturaliter, cum crearetur, accepit.* Quæ licet Auguſtinus inquirendo proponat; cæterum inquiſitio non eſt, vtrum iſta naturalitas vera ſit? ſed ſolum, vtrum illa ſatisfaciat diſcriminis rationi, propter quam plures homines non adipiſcuntur ſalutem. Itaque expende in hoc teſtimonio illud, *naturaliter attributum à creatore*, deinde illud *naturaliter, cum crearetur, accepit.* Denique propter indifferentiam ad vtraque, cõtradictionis partem appellari arbitrium, *mediam vim, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem poteſt.* Quæ omnia arguunt naturalitatem facultatis credendi. Quam rurſus ſic cõfirmat c. 34. *Attendat, & videat non ideo tantum iſtam voluntatem* (ſcilicet credendi) *diuino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio eſt, quod nobis naturaliter concreatum eſt, verum etiam quod viſorum ſuaſionibus agit Deus, vt velimus, & credamus.* Nullibi ſępius huius naturalis poſſibilitatis meminit, quam lib. de gratia Chriſti vbi cap. 4. refert de Pellagio. *Naturalem poſſibilitatem, quam adiuuari Dei gratia confitetur, non eſt hic apertum, quam dicat gratiam; ſed ſicut alijs locis, in quibus euidentius loquitur, intelligi poteſt, non vult aliud accipi, quam legem, atque doctrinam, qua naturalis poſſibilitas adiuuetur.* Nota poſſibilitatem naturalem non reijci ab Auguſtino, ſed ſolum gratiam, quâ iuuatur, non eſſe aliam, quam legem, atque doctrinam. Quod decurſu totius libri manifeſtum eſt cap. 14. *diuino docendi modo etiam ipſa voluntas, & ipſa operatio, non ſola volendi, & operandi naturalis poſſibilitas adiuuatur.* Cap. 25. *Non ideo tantum adiutorium diuina gratia commendatur, quia poſſibilitatẽ adiuuat naturalem.* Aperte ſupponit poſſe admitti poſſibilitatem naturalem, vbi gratia, non ſolum ad poſſe, ſed etiam ad actuale velle, & cooperari neceſſaria iudicetur, eaque non illa ſola, quę in lege, atque doctrina conſtituta eſt, ſed etiam, quæ intus miniſterio Spiritus ſancti nobis infunditur.

Proſper. 32. Accedat Proſper lib. 2. de vocatione Gent. c. 8. vbi illud Matth. 25. *Vni dedit quinque talenta, alij autem duo, vnicuique ſecundum propriam virtutem*, ſic exponit: *Secundum propriam virtutem, hoc eſt, ſecundum propriam, & naturalem poſſibilitatem, non autem ſecũdum proprium meritum: quia aliud eſt poſſe operari, aliud operari: & aliud eſt poſſe habere charitatem, aliud habere charitatem: aliud eſſe capacem continentiæ, aliud eſſe continentem. Non itaque omnis reparabilis reparatur, quia reparabilem eſſe de natura eſt: reparatum autem eſſe, de gratia eſt.* En diſtinguens naturam à gratia, tribuit naturæ capacitatem, & facultatem naturalem charitatis, & fidei ſibi propriam, & intrinſecam: negat vero actionem actualem, quæ non ſit ex gratia, quia prior illa capacitas incompleta eſt; indigens integrari per gratiam. Item cap. 15. *An forte (vt plerique garriunt) meliora quam veterum ingenia noſtris ſæculis orta ſunt? & aptiores diuinis donis animas tempora extrema pepererunt? Quod etiam ſi ita eſſet, ad bonitatem id referendum eſſet auctoris, qui vocandis ad vitam æternam populis, ea quæ non remitterentur corda, finxiſſet.* Supponit manifeſte humana corda naturali aptitudine prędita ad diuina dona. Item ſententia 139. *In creatura, quæ arbitrio ſuo peccat, prior eſt natura quàm vitium. Quod ita contra naturam eſt, vt non poſſit niſi nocere naturæ. Non itaque eſſet vitiũ recedere à Deo, niſi naturæ (cuius hoc vitium eſt potius) competeret eſſe cum Deo.* Ergo naturæ hominis eſt capacitas accedendi in Deum. Concinit alius Auguſtini diſcipulus; Fulgentius de Incarnatione, & gratia cap. 23. *Poteſt Deo donante homo in Deum naturaliter credere; contra naturam, quippe hominis eſt, quod in Deum non credit.* Ad finem eiuſdem capitis: *Arbitrium itaque hominis facit Deus atque illuminat, vt homo in Deum naturaliter credat.* Ad finem capitis ſequentis 24. *Agnoſcat igitur homo, in ſe eſſe naturaliter credere poſſe, in quo naturam habet credulitatis, ac fidei capacem, quod animalibus irrationalibus datum diuinitus non eſt.* Et c. 25. *Natura diuino ſanatur munere, vt in Deum naturaliter credat.* Redi ad cap. 22. *Vtique naturaliter homini, cum cœperit in Dei filium credere, ſi poſſe credere in conditione primi hominis datum non eſſet, nunquam peccatum de infidelitate traheret. Neque vlli natura credendi facultas inſita eſt, quam rationalem non fecit Deus.* Manifeſte ſupponit inſitam facultatem credendi. Poſt medium capitis: *Si homo ſanari nullatenus poſſet, ad ſanandum eum cæleſtis medicus non veniret.* Aliquam ergo naturalem facultatem, qua ſalutem expetere, & medicum inquirere poſſit, homini adſcribere debemus. Fulgentius

33. Vtuntur eâdem loquendi ratione plures alij Patres, Clemens Alexandrinus lib. 6. Clemens Strom. paulò poſt medium de Adamo diſſe- Alexand. rens: *Perfectus quidem non fuit factus in conſtitutione, ſed aptus naturæ ad ſuſcipiendam virtutem. Vult autem nos, ex nobis ipſis ſaluos fieri: Hæc eſt ergo natura animæ à ſe ipſa impelli, & incitari.* Et paucis interiectis: *omnes apti ſunt natura ad acquirendam virtutem.* Loquitur autem de virtute conferente in ſalutem; nam poſt alia ſubdit: *Cogitata eorum, qui ſunt virtute præditi, per diuinam fiunt inſpirationem.* Item deinceps: *opem conferente gratia ad quantulamcumque cogitationem.* Gregor. Niſſenus orat. catechetica c. 5. *Oportebat naturæ noſtræ conſtructionem in ſe habere immortalitatem, vt per vim ſibi inſitam cognoſceret id, quod eſt ſupremum, & teneretur deſiderio diuinæ æternitatis.* Agit autem Niſſenus de cognitione, & deſiderio ſpectantibus ad pietatem, & ſalutem. Damaſcenus lib. de duabus Chriſti voluntatibus inter principium, & medium, multus eſt in aſſerenda naturalitate voluntatis Greg. Niſſ. Damaſcen.

apperentis bonum ſalutis, & malum oppoſitum. Nota illa verba. *A natura, & Dei ſerui ſumus, & liberum arbitrium habemus, quod virtus efficiens eſt.* Poſt alia plura prope medium. *Voluntas eſt ipſa vis, qua volumus, quam à natura omnino eius effector dedit.* Agit autem de facultate volendi iuxta pietatem, & ſalutem; ſubdit enim. *Quodammodo velle eſt, vt velle bene, & ex lege Dei.* At rurſus confirmat naturalitatem virtutis volendi: *Id autem velle poteſt, quod cum, qua vult, habeat à natura, vt homo, vt Angelus; vt Deus: vnuſquiſque enim eorum vim, qua vult, à natura accepit.* Inſuper col.14. *Non intelligunt autem nullam omnino naturam aliquid exequi poſſe cuius facultatem, à natura non perceperit.* Loquitur autem contra Manichæum de voluntate boni conueniente homini per naturam, vt deprehenderet voluntatem humanam in Christo, vtique affectuum ſupernaturalium capacem.

Cyrillus Alexã.

34. Huius doctrinæ frequens aſſertor eſt Cyrillus Alexandrinus lib. aduerſus Antropomorphitas cap.1. *Creator homini omnis boni deſiderium ſimul, & notitiam naturalem indidit.* Porro de bono ſupernaturali erat Cyrillo ſermo: ſic enim probat iſtam naturalem ad bonum aptitudinem. *Hoc enim arbitror ſignificare, quod per Euangeliſtam Ioannem dictum eſt: erat lux vera, qua illuminat omnem hominem venientem in mundum. Naſcitur enim animal, naturali ad bonum aptitudine præditum.* At Euangeliſta de illuminatione loquitur, quæ hominem promouet ad ſalutem. Rurſus cap.5. *Capax eſt hominis conſtitutio, aut potius natura, & bonitatis, & iuſtitiæ, & ſanctificationis, eorumque inſitum ſibi habet à Deo deſiderium.* En habet homo ex natiua conſtitutione capacitatem bonitatis, & iuſtitiæ perducentis in ſanctificationem. Clarius c.10. *Factus eſt initio ad ipſius imaginem homo, naturaque aptitudinem habuit ad amplectendum omne bonum, virtutemque colendam, atque exercendam.* Ergo non ſolum à gratia, ſed etiam à natura inſita eſt homini aptitudo ad exercitium virtutis. Quare recte Bernardus de gratia, & lib. arbitr. prope initium. *Deus auctor eſt ſalutis, liberum arbitrium tãtum capax, neque dare illam niſi Deus, neque capere valet niſi liberum arbitrium.* Deus itaque ad hominis ſalutem ſupponit naturalem arbitrij capacitatem. Quo opportuna ſunt, quæ habet Leo primus ſerm.5. de Ieiunio; *Si fideliter creationis noſtræ intelligamus exordium inueniemus hominem ad imaginem Dei conditum; & hanc eſſe naturalem noſtri generis dignitatem, ſi in nobis, quaſi in quodam ſpeculo diuinæ benignitatis forma reſplendeat.* Iñ quorum confirmationem adduci poſſunt, quæ

Rom.2. Auguſtinus Proſper. Cyrillus Alexand. Baſilius. Hugo Vict.

ad illud Rom.2. *Naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt*, expendimus n.16. cum Auguſtino, Proſpero, Cyrillo Alexandrino, & Baſilio deprehendentibus ex hoc Pauli teſtimonio inſitas ad pietatem vires nobis ineſſe. Claudamus exemplo quod in rem præſentem producit Hugo Victorinus in elucidario quæſt. in epiſtol. ad Rom. p.238. poſt medium. *Et oculus talis naturæ, vt per illum viſus exerceatur, ſi Solis radio percutiatur, ſine quo viſio non eſt in oculo: niſi tamen talis natura eſſet, etiam tactus Solis radio, non videret, vt paries, vel lapis non videt, & ſi radio Solis perfundatur, ſic anima habet potentiam promerendi naturaliter: quam tamen nõ poteſt exercere, niſi ſplendore gratiæ perfundatur.* Et vlterius addit ſimilitudinem pueri non valentis incedere, niſi manu ductus auxilio alterius; Et ſubdit: *Sic ad hoc vt anima promereatur, duo exiguntur, & gratia, & naturalis potentia.* Audis naturalem hominis facultatem adiutam gratiâ, meritum ſalutis operari.

35. Dicet quiſpiam ad hæc teſtimonia: Eccleſiæ Patres naturalem facultatem ad opera ſalutis admittere ſolum ramotam, & radicalem non immediatam, & formalem, quam nos contendimus. Non ſatisfacit hæc diſtinctio. Potentia remota ad opera ſupernaturalia poteſt eſſe duplex. Aut potentia pure remota, aut potentia, quæ pure remota non ſit. Potentiam pure remotam intelligo illam, quæ nunquam per ſe, etiam adiutam ab alio accedit actione immediata ad opus ſupernaturale, ſed ſolum actione intermedia alterius adæquate agentis, diſtans ſemper ab effectu ſupernaturali: qualem potentiam habet ſubſtantia ignis, & ferri ad calefaciendum, quia nunquam per ſe ipſam immediate calefactionem attingit, ſed intermedio calore, quæ eſt adæquata, & proxima virtus calefaciendi. Potentiam remotam, quę pure remota nõ eſt voco illam, quæ ex ſe ſola non poteſt immediate effectum attingere, ſed interuentu alterius conprincipij ſubſequentis, & iuuantis ipſam partialiter ad productionem effectus. Sic intellectus ſine ſpecie impreſſa dicitur ſolum remote, & non proxime potens elicere actum intelligendi, etiam naturalem, quia ex ſe ſolus non poteſt, quin adueniat ſpecies complens, & vltimo approximans intellectum ad eam actionem, quam tamen immediate, & per virtutem ſibi propriam & intrinſecam attingit in cõſortio ſpeciei. Hac poſteriori ratione etiam noſtri Theologi vocant facultatem naturalem animæ ad opera pietatis eſſe remotam, & non proximam, quamuis immediate agentem in cõſortio gratiæ, quia ſuis relicta viribus longe aberit ab actione ſupernaturali: & vt ad illam accedat, indiget manuductione, & adiutorio coëfficienti ipſius gratię. Tamen pręſente gratia ſimul cum illa immediate effectum ſupernaturalem ſua actione pertingit. Quin peculiari ratione facultas naturalis animę dicitur remota ad actiones ſupernaturales, qua non dicitur ad naturales. Nempe quia comprincipia, quibus ad ſupernaturales ſuam virtutem immediatam confert, ex ſe immediate non exigit, ſicut exigit illa, quæ perducit animam ad officia naturalium actionum. Igitur Eccleſiæ Patres facultatem nobis naturalem, & inſitam ad opera ſalutaria non aſſerunt remotam in priori ſenſu, ſed poſteriori. Tum quia eorum teſtimonia ſicut ſacrorum ſcriptorum accipiẽda ſunt in ſenſu proprio, & non improprio. In ſenſu autem proprio facultas naturalis ad opera ſupernaturalia, ſonat illam capacitatem, quę pure remota non eſt. Naturalis enim dicitur, vt non ſola ſupernaturalis virtus intelligatur contribuere influxum in actus ſalutares. Tum quia Eccleſię Patres diſtinguunt naturam, & gratiam, & præter

Reſponſio.

Deſeritur.

Digitized by Google

ſaluandorum ex ſua parte incumbit. Et ſerm.5. de quadrageſi. *Quia rationabiles lapides ſumus, & viua materies, ſi enos auctoris noſtri extruit manus, vt cum opifice ſuo etiam is qui reparatur, operetur: gratia igitur Dei obedientia ſe humana non ſubtrahat.* Quia rationalis natura viua materies, & nō inſtrumentū mortuum, ideo non ſola gratia, ſed etiam arbitrium humanum operatur cum illa.

Proſper. Proſper libro de ingratis poſt explicatos morbos, quos Adamus ſuo peccato contraxerat, ita claudit cap.28.

Huius ope, & fructu veſcendum eſt, vt reualeſcens
Languida mens, etiam proprijs bene viribus vti
Poſſit: & in Chriſto inueniat, quod perdidit in ſe.

En arbitrium auxilio gratiæ proprijs viribus bene vtens recuperat ſalutem, quam propria culpa perdiderat. Sunt igitur præter gratiam vires arbitrio, quæ ad ſalutis opera deſeruiant.

Anſelmus. 38. Anſelmus rem exemplo illuſtrat in dial.de lib. arb. cap.4. *Si ergo abſente re, quæ videri poſſit, in tenebris poſiti, & clauſos, ſiue ligatos oculos habentes, quantum ad nos pertinet, videndi quamlibet viſibilem rem, poteſtatem habemus: quid prohibet nos habere poteſtatem ſeruandi rectitudinem voluntatis præter ipſam rectitudinem, etiam abſente ipſa rectitudine, quamdiu & ratio in nobis eſt, qua valemus cognoſcere, & voluntas, qua eam tenere poſſimus?* Sicut ergo immediata, & natiua oculorum actiuitas hominem reddit viſiuum luminis, etiam abſente lumine; ita natiuæ voluntatis facultas hominem reddit valentem ſeruare rectitudinem, etiam abſente gratia. Quamquam hoc ſit diſcrimen, quod oculis debeatur lumen, quod compleat immediatam ipſorum actiuitatem; homini vero non debeatur gratia, qua completur poteſtas ſeruandi rectitudinem. Sed melius rem iſtam confirmauerat cap.3. inter principium & medium: nam poſtquam notauerat, *Sacram ſcripturam ita loqui aliquando, vt nihil videtur liberum arbitrium prodeſſe ad ſalutem, ſed ſola gratia: aliquando vero ita, vel vt tota noſtra ſalus in libera noſtra conſiſtat voluntate*, monet, in vtraque loquendi forma ſemper ſubintelligi arbitrium, & gratiam, tanquam mutuo adiutorio concurrant. *Ita quippe intelligenda ſunt dicta diuina, vt neque ſola gratia, neque ſolum liberum arbitrium, ſalutem hominis operetur. Quippe cum dicit Dominus: ſine me nihil poteſtis facere, non ait nihil valet vobis veſtrum liberum arbitrium, ſed nihil poteſtis ſine mea gratia.* Itaque ſicut non ſufficit ſola voluntas, ita neque ſola gratia, atque adeo ſicut ſola voluntas non eſt cauſa adæquata ſalutis, ita neque gratia ſola: ac proinde vtraque ſeorſim erit cauſa inadæquata, & partialis immediate influens in effectum adiutorio compartis. Rem mox declarat opportuna ſimilitudine: *Sicut ergo quamuis naturalis vſus non procreet prolem ſine patre, neque niſi per matrem; non tamen remouet vllus intellectus, aut patrem, aut matrem agere actione prolis. Ita gratia, & liberum arbitrium non diſcordant, ſed conueniunt ad ſaluandum hominem.* Obſerua, neque intellectu ſeparari actionem gratiæ ab actione arbitrij, & è contra, arbitrium comparari fœminæ immediate quidem, & actiue influenti in prolem.

39. Bernardus præclare decernit partialem concurſum arbitrij, & gratiæ, relegans totalem, & adæquatam actionem ſolius gratiæ tr.de gratia, & libero arbitrio, col.penult. Vbi poſtquam illud Apoſtoli. *Non autem ego, ſed gratia Dei mecum*, ſic expoſuerat; *Potuit dicere per me, ſed quia minus erat, maluit dicere mecum, præſumens ſe non ſolum operis eſſe miniſtrum per effectum, ſed cooperantis quodammodo ſocium per conſenſum*; declarans ſubiungit. *Ad hoc vtique præuenit voluntatem noſtram, vt iam ſibi deinceps cooperemur, ita tamen quod à ſola gratia cœptum eſt, pariter ab vtroque perficitur, vt mixtum, non ſigillatim, ſimul, non vi iſſim per ſingulos profectus operentur: non partim gratia, partim liberum arbitrium, ſed totum ſingula opere indiuiduo peragunt: totum quidem hoc, & totum illa.* Quid vberior ſermo meus aptius toti rei adduxerit? egregia, ac eleganti Philoſophia partialitatem cauſæ cum totalitate effectus tradit: nam cum totum opus ſingulæ cauſæ, voluntas, & gratia actione indiuidua peragant, voluntas humana gratiæ diuinæ ſocia eſt, & pariter, ac gratia, mixtim, ac ſimul cum illa, ſingulos actus operatur: atque adeo ſicut gratiæ immediata virtus, ita & ſimiliter voluntati ad ſuum concurſum immediata, ac partialis virtus tribuenda eſt. Bernardus.

Accedit Theodoretus Ezechielis 11. *His non liberi arbitrij euerſionem declarauit, ſed futurum ab ipſo auxilium, ſocietatemque ad efficienda bona opera.* Nota Dei ſocietatem per auxilium gratię ad efficienda bona opera. Item Peluſiota lib. 4. Epiſt.51. *Diuina gratia mixta induſtriæ, animique promptitudini ſaluum facit hominem.* Et paucis ſubiunctis; *Non enim ſola vocatio, verum etiam propoſitum voluntati. inuocatis ſalutem operatur.* Ecce non gratia ſola, & adæquate, ſed mixta, ac ſocia induſtrię humanę ſalutem operatur. Theodoretus. Peluſiota.

Laurentius Iuſtinianus in faſcic. amoris c.17. *Merita ex Dei gratia, hominiſque arbitrio originem habent.* Ergo non ex ſola gratia, tanquam ex virtute adæquata. Laurentius Iuſt.

Finem do cum Philone tom.1. Bibliot. libro in Cant. illa verba, *Terribilis, vt caſtrorum acies ordinata*, ſic expendente. *Nam vnde quæſo tot, & tanta illa diuina præcepta? Vnde tot iuſtitiæ merita, ac pœnæ, ſi nihil homo de ſe conferre poteſt ad ſalutem?* Audis hominem de ſe, aliquid actiuitatis conferre ad ſalutem, vt ei præcepta, ac præmia proponantur. Quare addit illud; *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis, & alia quæcunq; quæ cōtra citari poſſunt, ad diuina auxilia referenda ſunt, & liberum arbitrium.* Ergo ex diuino auxilio, & libero arbitrio vna integratur cauſa immediate, & adæquate agens obedientiam præceptorum Dei: gratia autem ſola non eſt adæquata cauſa illius. Philo.

Confirmatque Chriſoſtomus homil.60 ad populum Antiochenū: *Exhortor vt neque totum Deo dimittentes dormiamus; neque ſtudentes nos proprijs laboribus totum efficere putemus. Neque enim nos eſſe ſupinos vult Deus, propterea non ipſe totum operatur, neque vult eſſe ſuperbos, & ideo totum nobis non conceſſit: ſed vtrinſque tollens nocumentum, nobis vtile, reliquit.* Chriſoſtomus.

quantum exequimur ſuam ordinationem : ſecundum
1 Cor. 3. *illud* 1.ad Cor.3. *Dei enim adiutores ſumus. Ne-*
que hoc eſt propter defectum virtutis diuinæ, ſed quia
vtitur cauſis medijs, vt ordinis pulchritudo ſeruetur
in rebus, & vt etiam creaturis dignitatem cauſalita-
tis communicet. Deus itaque vt auctor ſupernatu-
ralis per gratiam dicitur adiuuari ab homine
ſecundum ſe, quia exequitur operationem ſu-
pernaturalem, in quam gratia mouet, ſicut mi-
niſter imperium domini. Virtus autem exequu-
tiua impulſus gratiæ actiuitatem voluntatis
ſupponit immediatam cui impulſus gratiæ, &
exequutio actiua reſpondeat.

SECTIO DECIMA.

Probatio ſexta Theologica, quia arbitrium agit aliquid boni ſupernaturalis, quod ſuum, ac proprium hominis eſt.

43. EX iure proprietatis, qua homini in o-
pere ſupernaturali aliquid boni ſuum,
ac proprium adſcribitur, ſextum argumentum
Argumentum. formatur. In opere ſupernaturali habet homo
ſecundum ſe, quâ diſtinguitur à gratia aliquid
boni, quod ſuum, ac proprium vendicare, ſeu
nuncupare poteſt. Proprietas autem hæc, & ſui-
tas arbitrij arguit manifeſte virtutem, & actio-
nem immediatam, quam ex ſe in tale opus con-
fert. Ergo ex ſe immediate confert arbitrium in
opus ſupernaturale virtutem, & actionem im-
Maior argumenti. mediatam. Conſequutio eſt optima. Maior ſa-
cris litteris expreſſa. Ioan.15. *fructum afferatis,*
Apoc. 2. *& fructus veſter maneat.* Apoc.2. *Noui opera tua,*
& fidem, & charitatem tuam, & miniſterium, & pa-
Galat 6. *tientiam tuam, & opera tua nouiſſima.* Galat.6. *opus*
autẽ ſuum probet vnuſquiſque. Nõ ſemel in Euan-
gelio repetitur; *fides tua, te ſaluum fecit.* Noſtra
igitur eſt fides, & noſtra nos fides ſaluos facit.
Lucæ 7. Ita Lucæ 7. n.50. c.8.n.48.c.18.n.19.c.18.n.
Matth. 9. 42.& Matth. 9. n.22. & Marci 5.n.34.c.10.n.
Lucæ 16. 52.demum Lucæ 16. *Et ſi in alieno fideles non*
fuiſtis, quod veſtrum eſt, quis dabit vobis! Quia di-
uitiæ temporales alienæ ſunt, aliorum volunta-
ti, atque dominio ſubiectæ, bona vero ſpiritua-
lia ſunt noſtra, noſtris conatibus, ſtudijs &
actionibus coniuncta.

Minor argumenti. 44. Minor nunc probationem deſiderat.
Proprietas in opus bonum nõ competit homi-
ni ratione paſſionis, vt proprius hominis dici-
tur talis vel talis color; ſed ratione actionis,
quippe titulo dominij libertatis, quo illud agit.
Inſuper hanc proprietatem non habet homo
omnino integram, ſed diuiſam cum gratia, &
Deo auxiliatore ſupernaturali; quare & homo
prohibetur ſibi ſoli arrogare eiuſmodi opera,
& nõ æſtimare à Deo accepta. At ius iſtud pro-
prietatis humanæ in opus ſupernaturale cõue-
niens homini, titulo ſuæ actionis, atque labo-
ris, diuiſum, cum gratia, & auxiliatore ſupremo,
argumentum eſt alicuius actiuitatis propriæ, &
actionis immediatæ. Ergo. Maior ſatis conſtat,
ſatiuſque cõſtabit ex teſtimonijs Patrũ. Minor
probatur. Primò, quia proprietas gratiæ, ſeu
Dei, vt auxiliatoris ſupernaturalis in actũ ſalu-
tarẽ, diuiſa cum homine teſtatur actionem, &
virtutẽ immediatã auxiliorũ Dei, diſtinctam à
virtute arbitrij. Ergo ſimiliter proprietas homi-
nis, diuiſa cum Deo, teſtabitur actionẽ imme-
diatam, & virtutem arbitrij propriam, diſtinctã
à virtute gratiæ: Nã eodem ſenſu vtraque pro-
prietas accipienda eſt. Secundo, quia ſi arbitriũ
non influit in actum per ſe immediate, ſed per
gratiam ſola actione immediatâ gratiæ, certe
actionis titulo non poteſt arbitrio alia proprie-
tas, aut ſuitas conuenire in opus pietatis, quàm
illa, quæ competit gratiæ, atque adeo ipſum ar-
bitrium, vt à gratia diſtinctum, nullo proprieta-
tis iure poteſt actũ ſupernaturalem cum diuina
gratia diuidere: ſed ſicut tota actio, totaque vir-
tus, gratiæ ſolius eſt, & arbitrij per denomina-
tionẽ à gratia, ita tota proprietas, & ſuitas ſolius
gratiæ erit, & arbitrij per ſuitatem, & proprieta-
tem gratiæ. Explicatur proprietate, & ſuitate
phyſica cauſę adęquate proximæ, quę nõ parti-
tur effectũ cũ cauſa remota. Neque enim cale-
factio ligni dicitur eſſe propria ignis in genere
cauſæ efficientis, aliâ proprietate, quàm eâ, qua
dicitur eſſe propria caloris inhærẽtis igni: Itaut
ius phyſicum, qua ſuam, ac propriã efficit cale-
factionem ignis diuiſum ſit cum iure caloris, ſed
integrũ calori conueniat, & integrũ igni, alteri
immediate, & ratione ſui, alteri mediate, & ra-
tione alterius: Quare ſi calor abſũgatur ab igne,
& perſeueret creatus extra ſubiectũ, eadẽ pro-
prietate ſuam efficiet calefactionem, qua prius.
At nõ ita competit arbitrio ſuitas, & proprietas
in opus ſalutis, ſed diuiſa cũ gratia, ita vt alia ſit
arbitrij, alia gratiæ, quæ quidem non poſſet in-
tegre efficere ſuum tale opus, ſi gratia habitualis
efficiẽs diuideretur per creationem ab arbitrio,
illique aſſiſteret. Ergo arbitrio non competit
actiuitas, & actio cauſæ purè remotæ, ſed ita re-
motæ, quæ conſortio alterius ſuperuenientis,
etiam per ſe immediate aliquid propriæ, ac im-
mediatæ virtutis confert, quæ proprietate ac
ſuitate diſtincta à gratia opus ſalutis vendicet.

45. Audiamus Patres, qui totam doctrinam Illuſtratur.
illuſtrant, & confirmant. Paulinus epiſt.2. ad ex Patribus.
Seuerum colum.3. illud Lucę 16 *etſi in alieno fi-* Paulinus. Lucæ 16.
deles fuiſtis, quod veſtrum eſt, quis dabit vobis? Sic
expendit: *Quæ nobis eſt gratia, ſi in alieno tantum*
fideles fuerimus, niſi de proprio ſeruiamus, id eſt, de
libero voluntatis arbitrio. Propria ergo virtute
ſeruiendum eſt, vt non aliena, ſed propria im-
pendamus Deo. Chryſ. hom.5. 1.ad Thim.1. Chryſoſtomus
Gratias ago, & qui me confortauit Chriſto Ieſu. Hoc 1.ad Tim 1.
profecto iam Dei eſt. Deinde rurſus quod ſuum erat
adiecit; quoniam fidelem me exiſtimauit. Prorſus id,
quia ex ſemetipſo contulerat aliquid. Conſidera ali-
quid ex ſemetipſo conferre oportere, vt quod
ſuum eſt Deo adijciat. Et poſt pauca: *Vnies vt*
etiam quod ſuũ eſt, & quod indẽ Dei ex parte porat:
Dei ſcilicet prouidentia, plurimum ſemper attribuẽs,
ſua vero rectè facta ſupprimẽs ſemper, atque occultãs.
En ſuitatem, & proprietatẽ partitur inter Deũ,
& hominem, & ſupprimit quod vere ſuum eſt,
ne ea proprietate ſuperbiat: quippe arguit vir-
tutem natiuam, & propriam, quam in actiones
ſupernaturales probet. Sic colligit Origenes Origenes.
in Cantic. homil. 4. propius ad principium,
quàm ad medium. *Et non ſine cauſa puta, quod*
non dixerit, odorem dederunt, ſed odorem ſuum, vt

Digitized by Google

ſtenderet, ineſſe vnicuique animæ vim poſſibilitatis, qua poſſit agere omne, quod bonum eſt. Itaque abſque vi ſibi intrinſeca nullus poteſt quidquam ſuum dare. Damaſcenus 2. fidei cap. 25. probans hominem eſſe ſuarum actionum principium, concludit: *Relinquitur igitur hominem ipſum agentem, & facientem, principium eſſe propriorum operum. Sin autem nullius principium actionis homo: ſuperflue id habet, vt conſultet: nam ad quid vtitur conſilio, ſi nullius actionis dominus eſt? omne enim conſilium alicuius actionis gratia eſt. Si igitur conſultat, actionis gratia conſultat.* Nō ſola gratia, ſed etiam ipſe homo ſua actiuitate actionis principium eſt. Et ideo de agendis conſultat, & iure dominij ſuas, & proprias efficit actiones. Damaſcenus.

46. Auguſtinus idem voluit lib. 1. ad Simplicianum q. 2. ante medium: *vt vellemus, & ſuum eſſe voluit, & noſtrum; ſuum vocando, noſtrum ſequendo*: Inter nos, & Deum diſtribuit velle, Deo tribuens vocare; & nobis vocationem diuinam, exequutioni dare, quod abſque virtute exequutiua, ſeu actiua, quæ noſtra ſit, & non ſolius Dei, ægrè cohæret. Ibidem Gregorius lib. 33. moral. cap. 20. alias cap. 25. *Bonum, quod agimus, & Dei eſt, & noſtrum. Dei per præuenientem gratiam. Noſtrum per obſequentem voluntatem. Si enim Dei non eſt, vnde ei gratias in æternum agimus? Rurſus ſi noſtrum non eſt, vnde nobis retribui præmia ſperamus? quia ergo non immerito gratias agimus, ſcimus, quod eius munere præuenimur. Et rurſum quia non immerito retributionem quærimus, ſcimus, quod ſubſequente libero arbitrio, bona elegimus, quæ ageremus.* Partitur inter nos, & Deum actionem boni operis, præbens Deo ius in illam per gratiam præuenientem, nobis autem per virtutem exequentem, & agentem, quam plane ab ipſa gratia, cui ius diuinum reſpondet, diſtinguit. Quare rectè Proſper epiſt. ad Demetriadem columna vltima. *Quidquid pulchrum pratioſumque repereris, diuini operis, & muneris eſſe non dubites: ita vt in omnibus bonis opulentia tua, & gratiam donatoris, & ius proprietatis agnoſcas.* Præter donatoris gratiam ius quoque noſtræ proprietatis agnoſcere fas eſt, quod noſtræ virtuti, & actioni immediatæ tribuatur. Item lib. de ingratis poſtquam cap. 28. de gratia & viribus arbitrio intrinſecis ſic præmiſerat: Auguſtinus. Gregorius. Proſper.

Huius ope & fructu veſcendum eſt, vt reualeſcens.
Languida mens, etiam proprijs bene viribus vti Poſsit.

Subiungit cap. 29.

ſic adquirens, quibus ante carebas,
Vt tua ſint, ſi collatis vtare modeſtè.

Tua quidem efficis bona opera, ſi proprijs bene viribus vtaris. Ideoque merito cum Auguſtino ſerm. 13. de verbis Apoſtoli poſt medium claudimus: *Hoc eſt opus noſtrum in hac vita actiones carnis ſpiritu mortificare. Hæc eſt actio noſtra, hæc eſt militia noſtra.* Quia propria virtute, & actione noſtra vendicamus opera, quæ ſuper omnem naturam eleuantur. Scio alia plura teſtimonia ſuperioribus obijci poſſe, quæ Deo, & gratiæ diuinæ totum deferunt. Verum anterioribus non opponi monſtrabimus ſect. 24. Auguſtinus

SECTIO VNDECIMA.

Septima probatio Theologica ex partialitate concurſus gratiæ.

47. Rurſus ſic arguo. Gratia non eſt cauſa totalis, ſed partialis actus ſupernaturalis. Ergo non eſt tota, & adæquata virtus agens immediate actus ſupernaturalis. Conſequentia bona eſt. Nam virtus adæquata, & totalis nequit eſſe partialis. Antecedens eo mihi probatus eſt: quo ab Hæreticis huius temporis demolientibus actiuitatem, ac libertatem voluntatis humanæ enixius impetitur, putantibus dogma eſſe Catholicis contra ſuam doctrinam, arbitrium habere cum gratia partem in opere ſupernaturali, & ex arbitrio, & gratia, veluti ex duabus partialibus cauſis vnam integrari totalem, vt ſatis exploratum eſt teſtimonijs, quæ colligimus ſect. 5. Probatur antecedens in primis ex ſacro textu. Quod efficaciter ſuadent teſtimonia propoſita ſect. 9. quæ non ſolum continent nos iuuari à gratia diuina, verum etiam diuinam gratiam iuuari à nobis. Cauſa autem, quæ iuuatur ab alia non eſt totalis, ſed partialis; nam cauſa totalis ſe ſola ſine iuuamine alterius ſufficiens eſt. Item eamdem partialitatem confirmat illud Pauli 1. Cor. 15. *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum*, quod expendente Bernardo, quem attulimus numer. 14. ſignificat, hominem in opere bono eſſe ſocium actionis Dei, & Auguſtino ibidem, neque ſolam gratiam, neque ſolum hominem, ſed vtrumque ſimul ac indiuiſim bonum opus perficere. Quæ ſocietas, & coniunctio neceſſaria gratiæ cum actione voluntatis creatæ, manifeſtè arguit vtramque in vnius cauſę completæ integritatem conuenire. Quare Caluinus adductus num. 24. hoc teſtimonio à Catholicis oppreſſus, vt hominem fateatur *conſortem laboris* cum gratia, non vult ita reddi hoc teſtimonium ex Græco, vt legatur *gratia Dei mecum*; ſed *gratia, quæ in me aderat*, certum quidem ſupponens, hac lectione admiſsâ hominem laboris ſalutaris conſortem admittendum; conſortium autem cauſæ euidens partialitatis argumentum eſt. Argumentum retorquetur. Aſſumptū oſtenditur primo. Secundo. 1 Cor. 15. Bernardus Auguſtinus Caluinus

48. Idem antecedens ſuffragijs Patrum fulcitur. Baſilius conſtitut. monaſt. cap. 16. *Neque enim in rebus bonis conatus humanus, ſublata ope diuina, perfectè vtiquam, quod vult, poterit adipiſci. Nec item viciſſim diuinum præſidium ad nos nullo noſtro ſtudio venturum putandum eſt: ſed ad perfectum virtutis cumulum coniuncta ſimul eſſe vtraque oportet, & humanum ſtudium, & auxilium cæleſte.* Cum ope diuina locus dandus conatui voluntatis humanæ, cui coniunctum auxilium cæleſte omne virtutis officium adimplet. Coniunctio autem, & ſocietas iſta gratiæ propria eſt cauſæ partialis. Theodoretus Ezech. 36. illa verba. *Dabo eis cor nouum, & ſpiritum nouum* declarans: *His declarauit futurum ab ipſo* Tertio ex Patribus. Baſilius Theodoretus Ezech. 36.

Digitized by Google

auxilium, ſocietatemque ad efficienda bona opera. Obſerua ſocietatem ad efficienda bona opera. Bernardus tr.de lib. arb. verſus finem, homines non *ſocios* ſolum, ſed *commilitones* appellat. Chryſologus ſerm. 91. *operis diuini conſortes*; in medio; *Tu in his quæ nobis facienda præcipis, ipſe operator aſſiſtis. Nos operis tui facis pro tua dignatione conſortes.* Hieronymus in Eccleſiaſten cap.4.ad illa verba *ſi vnus ceciderit*, vocat *ſodales*. Audi; *Si aduerſus hominem robuſtior in expugnando diabolus extiterit, ſtabit homo, ſtabit & Chriſtus pro homine ſuo, pro ſodali ſuo*: & explicat; *Non quod ſolius Chriſti aduerſus diabolum virtus infirma ſit; ſed quod annitentibus nobis ipſe in præliando fortior fiat.* Tantum abeſt, vt reſpuat Deus ſodalitium hominis, vt virtus gratiæ ab ipſo prouiſa pro hominis conatu incrementum ſuſcipiat, maiuſque, vel minus opus edat, prout magis, vel minus annititur in agendo; modo, quo alibi explanabimus diſp.38. Etiam Damaſcenus lib.de duabus Chriſti voluntatibus paulo poſt medium; *Deus & recte agendi nobis poteſtatem dedit, ac noſtra nos poteſtatis procreauit, vt tum ab ipſo, tum a nobis præclaræ actiones oriantur.* Aduerte animo, pręter virtutem gratię dediſſe nobis poteſtatem propriam, vt ab vtraque tanquam à duobus comprincipijs præclarę actiones procederent. Demum Proſper lib. de prouid. fine.

Chryſologus.

Hieronymus. Eccleſiaſtes 4.

Damaſcenus.

Vincendi nobis vim de victore petamus,
Qui dum noſtra ſuis ſociat, iunxit ſua noſtris;
Vt non humanis fidens homo, totus in illum
Se referat.

Ecce Patres ſatis prædicantes neceſſariam ſocietatem, & vnionem virtutis diuinæ cum virtute humana, vt ſupernaturale ac præclarum quidpiam operemur. Cauſa autem egens ſocietate, & conſortio alterius agentis, vel apprehenſione terminorum non eſt totalis, & ſufficiens, ſed partialis, & inſufficiens. Niſi vocibus ludas.

In conſequentia Thomiſtarum.

49. Contra quas tamen voces præualere debet communis ſcholaſticorum conſuetudo ſtatuentium creatam voluntatem adiutam à Deo partiali concurſu influere in conſenſum; quos nominatim adducemus ſect. 20. & 21. Quin primus ſententię contrarię aſſertor Sotus non audet negare partialitatem iſtam concurſus voluntatis. Qui lib.3. de natura, & gratia cap.7. propius ad finem, quam ad medium ſic habet: *virtus Spiritus ſancti, & liberum arbitrium, duo ſunt coeuntia in rationem vnius integri principij.* Sola autem principia partialia in conſtitutionem vnius integri principij conuenire poſſunt. Quare miror Albeldam aſſerentem 1. part. diſput. 27. num.42. habitum ſupernaturalem eſſe partialem virtutem agendi, & non totalem, vereri admittere potentiam vitalem concurrentem cum habitu eſſe partialem, cum nulla pars abſque alia comparte totum aliquod componat. Nolo aliam compartem eodem modo, eademque proportione cum effectu in actionem conuenire: quia vt comparatione vnius totius duo ſint compartes, non requiritur idem modus, eademque proportio vtrique cõmunis. Corpus enim, & animus ſunt hominis partes, cum diſpari vtriuſque conditione; & natura rationalis, & gratia iuſtificans componunt tanquam partes eſſe iuſti, & filij adoptiui Dei, licet eiuſdem proportionis non ſint in ordine ad amicitiam diuinam, & hæreditatem gloriæ; item actus naturalis, & gratia ſupernaturalis poſſunt integrare meritum cum eadem inęqualitate proportionis. Ergo ſimiliter potentia vitalis, & habitus ſupernaturalis poſſunt eſſe partes integrantes vnum principium totale actus ſupernaturalis.

Sotus.

Albelda.

50. Vnde deprehendes, gratiam comparatam cum potentia vitali aliam agendi rationem habere ab ea, quam habent lux comparata cum aëre, & calor comparatus cum igne. Quoniam lux aëris, & calor ignis non ſunt cauſæ immediatæ partiales illuminationis, & calefactionis; ſed adæquatæ & totales. Quippe virtus remota aëris, & ignis purè remota eſt; virtus autem remota potentiæ vitalis non eſt purè remota, ſed conſortio gratiæ ſuperuenientis præbens ſe ipſam immediate neceſſariam ad actionem actus ſupernaturalis. Scio multa opponi ab Aluarez contra partialitatem gratiæ, ſed quæ facile diluemus ſect.25.

Diſcrimen potentiæ vitalis à cauſa purè remota.

SECTIO DVODECIMA.

Octaua probatio Theologica ex attributis gratiæ diuinæ.

51. OCtauo attributa diuinæ gratiæ teſtantur actiuitatem naturæ diſtinctam ab actiuitate gratiæ, & habitus ſupernaturalis. Horum attributorum alia ex Concilijs, ac Patribus; alia communi Theologorum ſuffragio nota ſunt. Tria, quæ huius actiuitatis arbitrij argumenta eſſe poſſunt expoſuimus tract. de gratia, vbi ex ſacro textu, Concilijs, & Patribus deprehendimus, gratiam eſſe primo excitantem, ſecundo adiuuantem, tertio cooperantem. Duo communi Theologorum conſenſu conſtantia ſunt, qui gratiæ diuinę tribuunt, tum complere, tum eleuare naturam. Ex quibus ſic arguo. Hæc attributa conueniunt gratiæ compoſitæ cum natura rationali. At niſi præcederet in natura aliqua actiuitas partialis, & incompleta ſibi propria, ac diſtincta à gratia, attributa iſta falſo adſcriberentur gratiæ. Ergo vt vera ſint, præcedere in natura rationali debet aliqua partialis actiuitas ſibi propria, & à virtute gratiæ diſtincta. Conſequentia legitime infertur. Maior nulli theologo dubia, & vel ipſis vocibus quibus attributa exprimuntur, manifeſta. Quis enim primo ſono vocis non apprehendat gratiam dici excitantem, adiuuantem, & cooperantem, quia excitat, & adiuuat arbitrium, cum illoque operatur. Probemus minorem diſcurrendo ſingula attributa.

Argumentum conſtruitur.

52. Et in primis ex gratia excitante ſic probo. Natura rationalis excitatur, & mouetur per gratiam præuenięntem, immediate ipſi inhærentem ad agendũ pios affectus voluntatis: & per

Ex gratia excitante probatur aſſumptũ.

Digitized by Google

affectus pios volũtatis excitatur, & mouetur ad agendum actus fidei,& alios ſupernaturales intellectus. Inutilis autem eſſet hæc immediata excitatio, & motio naturæ rationalis per gratiã ad agendum actus ſupernaturales,ſi natura ipſa non exhiberet immediatũ concurſum in actus ſupernaturales.Nam ſi ſolus habitus agit immediate, & adæquate actus ſupernaturales, & natura ſolũ agit mediate ratione habitus, vt quid excitatur, & mouetur immediate natura ad agendum illos?cur habitus,à quo tota actio prodeunda eſt,non allicitur,ac mouetur per gratiã? illud enim principium immediate,mouendum, ac impellendum eſt ad agendum, quod immediate actionem præſtiturum eſt. Ergo natura, quæ per gratiam immediate impellitur,ac mouetur (quippe cui ſoli immediate gratia vocãs, ac excitans inhæret, vt oſtendimus diſput.26. ſect.1. & 2.) exhibet immediatum concurſum in actus ſupernaturales. Explicatur; Gratia excitans,& præueniens naturam,non diſtinguitur ab illuſtratione intellectus, & affectione volũtatis,ideoque natura excitatur, ac mouetur per gratiam ad agendum, quia per illuſtrationẽ intellectus percipit bonũ honeſtum,quod amore proſequendũ eſt, & per ſimplicem complacentiam afficitur in illud. At habitus non percipit obiectum,nec afficitur in illud.Ergo immediate ſola natura rationalis excitatur, & mouetur, vt cum habitu, & auxilio gratiæ ſibi aſſiſtenti actus pietatis operetur.Ac proinde ipſa natura immediate operatiua eſt talis actus. Aliàs fruſtra excitaretur,& moueretur ad agendum.Hoc argumento ductus oſtendi In lib.de anima,ſubſtantiã animæ immediate influere in actus intellectus,& voluntatis,etiamſi potentię vitales ab animæ ſubſtantiã diſtinctæ ſint, quia debet dari vnum aliquod principium immediatum vtriuſque actus, quod ex cognitione boni alliciatur,ac moueatur ad amorem, nam potentia diſtincta ab intellectu moueri non poteſt ad eliciendum amorem excognitione reſidente in ſolo intellectu, aut in animo, qui amoris efficientes non ſunt; idem enim principium,quod amorem eliciturũ eſt, debet cognoſcere bonũ, & inde ad illud amandũ prouocari. Hoc autem principiũ immediatũ vtrique actui intellectus, & voluntatis commune, ſola eſt ſubſtantia animę.

Explicatur.

Prçoccupatur ſolutio.

53. Vnde prçoccupatur ſolutio,quæ poterat adhiberi ex ſimilitudine potẽtiarum vitalium, quarum vna mouetur ad agendũ ſuos actus ex actibus alterius,quos ipſa nec agit, nec recipit. Etenim,vt ex libris de anima ponimus,propterea neceſſarium eſt, vt vnum principium immediatum influat in actus vtriuſque potẽtiæ,quod eſt ſubſtantia animæ.Prçterea ideo actus vnius potentię vitalis poſſunt determinare,& mouere actus alterius abſque principio immediato vtriuſq;communi,quia datur naturalis quçdam ſympathia inter vtramque potentiam. At inter potentiã vitalẽ & habitũ nulla intercedit ſympathia naturalis. Tum quia inter habitũ ſupernaturalem, & potentiã naturalẽ non intercedit connexio naturalis. Tum quia ad ſympathiam naturalẽ opus eſt, vt exiſtat naturalis, & neceſſaria ſequela inter actus vtriuſq; potentię.Inter motionem autem,& excitationẽ gratiæ, & actũ ſupernaturalẽ nõ exiſtit naturalis, & neceſſaria ſequela; ſiquidem poteſt volũtas naturalis moueri,& excitari per gratiam prçuenientem,quin ſequatur conſenſus ſupernaturalis. Explicatur: Demus habitum conſeruari per creationẽ ſine vnione cum natura rationali, aſſiſtentem ipſi; quamuis natura rationalis vocetur,& excitetur per illuſtrationem, & affectionẽ ſupernaturalẽ gratiæ, habitus non mouebitur, aut determinabitur ad agendum adæquate actum ſupernaturalẽ,quia talis excitatio,& motio ipſi extrinſeca perinde ſe habet, ac ſi non eſſet comparatione talis habitus. At cũ habitus inhæret immediate naturæ,non magis immutatur per gratiam præuenientem,quam cùm natura mere aſſiſtit;cum vnitus naturæ nõ fit magis percipiẽs honeſtatẽ obiecti, & in illam affectus, quàm non vnitus. Ergo ſicut mere aſſiſtens non poſſet moueri ad agendum per gratiam præuenientem,ita neque vnitus;niſi detur natura immediate agẽs ex tali motione gratiæ,& ſecum ferẽs actionẽ habitus ſupernaturalis.Rurſus habitus vnitus animo nõ poteſt per gratiam induci ad agendũ in genere cauſæ formalis,neq; in genere cauſæ efficientis. In genere cauſæ formalis;quia gratia nõ vnitur habitui,neque illum conſtituit illuſtratum, aut affectũ ſupernaturaliter in obiectũ honeſtum. In genere cauſæ efficientis, quia illuſtratio, & affectio ſupernaturales prçſente habitu ſupernaturali non eſt cauſa efficiens actus ſupernaturalis,vt tractatu de gratia auxiliante docuimus, docebimuſque lib.5. Item quia poteſt dari tota motio, & excitatio gratiæ præuenientis abſque vlla efficientia actus ſupernaturalis, quãdoquidem poſſit dari abſque ipſo actu. Ergo in nullo genere cauſæ adduci poteſt habitus ſupernaturalis ad agendũ actum ſupernaturalem ex motione,& excitatione gratiæ præuenientis.Cçterũ ſi natura immediate actiua ſit,poteſt habitus induci ad agendum agente immediate naturâ, quæ ſecum trahit concurſum omnem omnium conprincipiorum efficientium actum, vt ad efficiendum actũ naturalem ſecum fert potentia naturalis concurſum habitus acquiſiti, ſpeciei impreſſæ, & reliquorum coagentium actũ cum ipſa. Igitur excitatio, & motio gratiæ præuenientis vendicat neceſſario immediatam actiuitatem naturæ in actum ſupernaturalem, in quem per gratiam prouocatur,& mouetur.

Explicatur.

Rurſus.

Reſponſio.

54. Dices,naturam rationalem agere actum ſupernaturalem vt *quod*, quamuis non vt *quo*; idque ſufficere,vt excitetur & moueatur ad agẽdum per gratiam. Sed contra; natura agens *vt quod*, vel agit immediate per actiuitatem ſibi propriam diſtinctam ab actiuitate habitus, vel ſolũ agit immediate per actiuitatẽ habitus adæquate à natura diſtinctam? Si agit *vt quod* per actiuitatem immediatã diſtinctã ab actiuitate habitus, obtinuimus quod intendimus. Verè enim ſecluſis vocibus ſola actiuitas immediata naturę rationalis eſt ſcopus totius diſputationis præſentis. Si vero agit *vt quod* ſolũ mediate per actiuitatẽ habitus,redit argumentũ ſuperius, & difficultas excitationis,& motionis gratiæ, quæ

Præcluditur.

Digitized by Google

naturæ fruſtanea videtur, ſi ſolus habitus ab ipſa diſtinctus operatur,& natura ſola denominatione ab habitu dicitur operari. Etenim re ipſa naturam agere *vt quod*, in hac ſententia non eſt aliud,quam agere denominatam ab habitu, tãquam à forma adæquata actiuitatis ſupernaturalis. Quid autem refert ipſam denominari agentem ab habitu adæquatè agente,vt ipſa immediatè ad agendum excitetur, & prouocetur per gratiam? Nam ſolum principium immediatum actionis, & non ſolius denominationis ad agendum, prouocandum, & impellendum eſt. Hæc igitur inuolucra vocum agentis *vt quo*, & *vt quod* non expediunt difficultatem obiectam. Atque adeo ſemper relinquitur neceſſaria actiuitas immediata, & propria naturæ rationalis in actum ſupernaturalem, vt per gratiam præuenientem moueatur,& excitetur ad agendum.

Itẽ ex gratia adiuuãte, & cooperãnte.

55. Ex gratia adiuuante, & cooperante facilè argumentum elicitur,ſi recolantur, quæ præmiſimus ſect.9. Nam vt deprehẽdimus ex Auguſtino,& alijs Patribus, nequit gratia adiuuare naturam, neque illi cooperari, quin & ipſa aliquid operetur,& agat:ſiquidem cauſa,neque inadęquatè operans,& agens effectum, vere ad agendum non iuuatur, neque alterius operatio rectè poteſt dici cooperatio ipſius. Qua ratione ignis non iuuatur ad calefaciendum calore ſibi inhærente,neque calori cooperator eſt; ſimiliter aër lucidus comparatus cum luce. Ergo conditio,ſeu ratio gratię adiuuantis,& cooperantis poſtulat aliquã virtutem, ſaltem partialem naturę,diſtinctam à virtute gratię;contradicitque cauſalitati adæquatæ, ac totali, quam aduerſa ſententia gratię ſupernaturali adſcribit. Etenim cauſa adæquata, & totalis continet ſola effectũ independenter ab alia cauſa, quæ illi cooperetur,ab ipſaque iuuetur. Gratia autem iuuans,& cooperans ſuaptè ratione poſtulat, vt actus ſupernaturalis non agatur independenter à natura rationali, quæ gratiæ, aut habitui ſupernaturali cooperetur,ab ipſoque iuuetur ad agẽdum. Ergo ratio gratiæ adiuuantis,& cooperantis repugnat adæquatæ cauſalitati gratię,aut habitus ſupernaturalis.

Etiam ex complemẽto,& eleuatione gratię.

56. Similiter ex alijs duobus attributis gratiæ complentis, atque eleuantis naturam, arguitur actiuitas immediata naturæ. Ex complemento ſic arguo. Nequit gratia complere naturam ad agendum actum ſupernaturalem, quin ipſa natura pręcedat cum virtute aliqua incompleta actiuã talis actus: Compleri enim non poteſt poſitiue niſi id,quod in ea ratione,qua completur poſitiue, incompletum eſt; quare ſi corpus completur per animum ad componendum hominem,argumentum euidens eſt,quidpiam retinere pertinens ad conſtitutionem hominis, quod incompletum ſit. Complebile namque importat duo,& vacuitatem aliquam, quæ repleri poſſit, & capacitatem continendi id, per quod repleri poteſt. At natura completur per gratiam. Ergo præcedit in natura virtus aliqua incompleta talis complemẽti capax. Rurſus ex eleuatione ſic argumentor. Natura eleuatur per gratiam ad agendum actum ſupernaturalem. Sed eleuari non poteſt ad agẽdum, niſi ipſa immediate agat. Ergo natura immediate agit actũ ſupernaturalem. Probatur minor: eleuari rem, ſi materiali eius vocis ſignificationi ſtemus,non eſt aliud,quàm in eam altitudinem tolli,in qua ipſa res aliquid attingat, quod prius attingere non valebat. Si autem ſolus habitus adęquate, & immediate attingit productionem actus ſupernaturalis, non ipſa natura ſecundum ſe, re quidem vera natura ſecundum ſe non attingit quidpiam,quod prius attingere non poſſit:nam id quod attingit per ſolum habitum,nõ attingit ipſa immediate,ac ſecundum ſe. Ergo vt natura ſecundum ſe,ac immediate eleuetur ad agendũ, requiritur, vt ipſa immediate, ac ſecundum ſe agat. Explicemus argumentum, vt ſolutionem præueniamus. Potentia pure remota,v.g.ſubſtantia ignis ad calefaciendum,& ſubſtantia lunæ recipiens lumen à ſole ad illuminandum aërem,nõ dicitur compleri,aut eleuari ad calefactionem,& illuminationem per lucem, & calorem ſibi inhærentem, ſolum, quia ſecundum ſe non continent virtutem aliquam immediate agentem calefactionis, & lucis. Ergo vt natura vere dicatur compleri,& eleuari per gratiam ad agendum actum ſupernaturalem pręcedere neceſſe eſt,virtutem aliquam immediatã naturæ, quin ſufficiat virtus pure remota ipſius. Explicatur.

SECTIO DECIMATERTIA.

Alia probatio ex vitalitate actus ſupernaturalis.

57. Communes probationes vrgeamus,quę ex proprietatibus ipſius actus ſupernaturalis ſumuntur, ſcilicet vitalitate, ratione voluntarij,& ratione formali actus liberi. Nũc ex vitalitate argumentum contendimus. Actus ſalutaris non ſolum eſt ſupernaturalis, ſed etiam vitalis. Ergo principium proximum debet eſſe non ſolum ſupernaturale,ſed etiam vitale. Sed habitus ſupernaturalis, vt diſtinctus à potentia naturali non eſt vitalis. Ergo principium proximum actus ſalutaris, non ſolum eſt habitus ſupernaturalis, ſed etiam potentia vitalis. Prima conſequentia probatur, quia in principio proximo debet contineri tota perfectio actus, atque adeò, non ſola ſupernaturalitas ſed etiam vitalitas; cum à principio adæquato proximo deriuetur in actum tota ipſius perfectio. Vitalitas autem deriuari non poteſt à principio non vitali,ſicut ſupernaturalitas deriuari non poteſt à principio non ſupernaturali. Ergo ſicut ratione ſupernaturalitatis actus requiritur principiũ proximum ſupernaturale,ita ratione vitalitatis requiritur principium proximum vitale. Probatur prima minor,ſcilicet actum ſupernaturalem non eſſe principium vitale. Nam habitus ſupernaturalis non conuenit naturæ rationali ab intrinſeco,ſed ab extrinſeco,cum natura neque intrinſecã ſua actiuitate illum obtineat,neque intrinſeca exigentia acquirat illud. Principium autem vitale debet conuenire naturæ viuenti ab intrinſeco per aliquam efficientiam, aut exigentiam ipſius; ſiquidem debet eſſe ratio, per quam viuens ſe ipſum mouet ab in- Argumentum.

Digitized by Google

trinſeco; vt refert communis definitio principij vitalis. Eſt enim viuere ab intrinſeco ſe mouere, poſtquam viuens in ſuo ſtatu naturali conſtitutum eſt, vt lib. de anima expoſuimus cum Ariſtotele, ſancto Thoma, & omnibus Philoſophis. Ergo habitus ſupernaturalis non eſt principium vitale: ac proinde ſimul cum habitu debet eſſe potentia naturalis principium proximum vitalis actus.

Vindicatur à prima reſponſione.

58. Reſpondent aduerſarij primo; quamuis habitus ſupernaturalis non ſit principium vitale, poſſe actum eſſe vitalem à virtute vitali remota ipſius naturæ rationalis, agente medio habitu ſupernaturali, tanquam principio adæquato actus ſupernaturalis. Sed contra. Principium purè remotum non influens immediate in actum, continet perfectionẽ ipſius quatenus principium immediatum, & proximũ continet illam. Sed principium immediatũ, & proximũ non vitale, non poteſt continere vitalitatem. Ergo neque principium remotum poteſt illam continere; ac proinde natura rationalis nõ erit remote vitalis comparatione actus ſupernaturalis, quem adęquate agit principium proximũ non vitale: ſicut ipſa non poteſt eſſe remote ſupernaturalis comparatione actus, quem ageret adæquate principium proximum naturale.

Illuſtratur.

Ponamus v.g. præcedere in anima gratiam iuſtificantem ſupernaturalem, quę eſt radix remota totius ſupernaturalitatis. Non poteſt habitus naturalis, aut alia qualitas omnino naturalis, eſſe principium proximum ſupernaturalitatis, quamuis radix remota gratiæ iuſtificantis, aut vnionis hypoſtaticæ ſit ſupernaturalis, quia ſupernaturalitas immediata continetur in principio proximo ipſius, & non poteſt in principio proximo non ſupernaturali ſupernaturalitas contineri. Ergo ſimiliter non poteſt contineri vitalitas in principio proximo nõ vitali, quamquam principium pure remotũ comparatione aliorum actuum vitale ſit. Præterea natura rationalis immediate, & proxime viuit per actum ſupernaturalẽ, & non medio habitu nõ viuenti; nã ipſa anima, & non habitus intelligit & amat per talem actum. Ergo ipſa anima immediate, & proxime agit. Nam actu viuere, pręſertim vitâ phyſicâ, eſt actu agere, cum viuere non ſit aliud, quam mouere ſe ab intrinſeco; mouere autem ſe ab intrinſeco per motũ phyſicum non eſt aliud, quàm immanenter agere. Ergo proxime, ac immediate viuere eſt proxime, ac immediate agere.

Vlterius confirmatur.

Explicatur; Intelligere, & velle formaliter, aut conſiſtit in actione, vt communiter arbitrãtur Thomiſtæ, intellectionem formaliter aſſerẽtes actionem; aut ſaltim habet ex natura rei cõiunctam actionem, vt idem principium quod eſt intelligens, & volens ſit ex natura rei agens intellectionem. At natura rationalis immediate, & proxime eſt intelligens, ac volens. Ergo natura rationalis erit proxime, & immediate agẽs.

Rurſus.

Iterum explicatur; Natura rationalis ſolum remote agens, & non proxime, non viuit agendo habitum, quia reuera habitus efficitur à ſolo Deo. Neque viuit agendo actum medio habitu; nam agere actum medio habitu ex parte naturæ, non eſt aliud, quam ſuſtentare habitum adæquate agentem actus. Suſtentare autem non eſt viuere. Ergo.

Vindicatur à ſecun reſpõſione. Aluarez Cabrera Nazarius

59. Propterea Aluarez, Cabrera, & Nazarius reſpondent ſecundo; habitum ſupernaturalem eſſe principium vitale proximum, & naturam rationalem remotum; diſtinguuntque in actu duplicem vitalitatem, alteram proximam, quæ deriuatur ab habitu, alteram remotam, quæ deriuatur à natura rationali? Sed hæc doctrina noua, & inaudita eſt, & oſſoribus nouitatum neſcio qua ratione placuerit; niſi vt ſe à vi argumenti præcedentis tueantur. At fruſtra excogitatam ſic primum probo. Vitalitas proxima, & remota actus ſupernaturalis, aut ſunt formalitates identificatæ actui, aut modi realiter ſuperadditi, aut denominationes extrinſecę prouenientes à potentia vitali proxima, & remota. Modi realiter ſuperadditi actui aſſeri non poſſunt. Tum quia actus ſecluſo quouis modo apprehenditur vitalis, & mouens immanenter potentiam. Tum quia ſi vitalitas remota modus ſupernaturalis eſt, nequit natura præbere concurſum in remotam, potius quàm in proximam. Si naturalis ponatur, eodem modo vitalitas proxima poterat poni naturalis, & procedens immediate à natura, & ſolus actus pręſcindẽs realiter ab omni vitalitate ab ipſo diſtincta, procedens immediate ab habitu. Quin repugnaret modum intrinſecum actui ſupernaturali non eſſe ſupernaturalem, cum ad illius exiſtentiam virtus ſaltem paſſiua intrinſece ſupernaturalis eſſet neceſſaria: ſi autem vitalitas proxima, & remota aſſerantur denominationes extrinſecæ, à vitalitate proxima habitus, & vitalitate remota naturæ. In primis actum eſſe vitalem vitalitate proxima, & remota, non erit aliud, quam habitum eſſe proxime vitalem, & naturam remotè; ac per conſequens nõ ideo habit[illegible] aſſerendus eſt proximè vitalis, & natura rem[illegible], quia in actu ſupernaturali diſtinguenda eſt duplex vitalitas, proxima, & remota; ſed ideo in actu diſtinguenda eſt duplex iſta vitalitas, quia ad illum concurrit immediate habitus proximè vitalis, & natura mediate, vitalis remote. Deinde perperam diſtinguitur in actu vitalitas proxima à vitalitate remota, ſiquidem eadem nec entitas, & formalitas actus denominatur proximè, & remotè vitalis ab habitu, & natura rationali. Imo eatenus ſolum remotè denominatur vitalis à natura, quia proximè denominatur vitalis ab habitu, ac proinde ipſa vitalitas remota naturæ complectitur eſſentialiter vitalitatem proximam habitus. Quare crediderim, recentiores Thomiſtas conſtituere vitalitatem proximam, & remotam formaliter realiter identificatas entitati actus. Contra quod vrgeo, vitalitatem remotam fore ſupernaturalem ſicut proximam, cum hominis formalitas identificata actui ſupernaturali ſupernaturalis ſit. Vnde vitalitas remota ſupernaturalis non poteſt immediatè procedere à natura, ſed ſolum mediate per immediatam proceſſionem ab habitu; ſicut vitalitas proxima, cum nullũ inter vtramque vitalitatem quoad proceſſionem à natura, vel ab habitu diſcrimen ſit, ſed vtraque erit immediate ab habitu, & vtraque à natura.

Digitized by Google

remote, quandoquidem ratio, propter quam vitalitas proxima aſſeritur prodire immediate ab habitu, non eſt alia, quam, quia intrinſece ſupernaturalis eſt. Et quidem ſi formalitatem vitalitatis remotæ, identificatam actui ſupernaturali, tuearis, effici immediate à natura rationali. Ergo iam in quidpiam ſupernaturale confert natura immediatum concurſum; quod ſolum contendimus. Vnde ſi vna formalitas identificata actui terminat immediate actionem naturæ, ſimiliter poterit alia, & omnes, quæ actum realiter conſtituunt, cum actio realis potentiæ præſcindere nequeat vnam ab alia. Item dato neceſſario concurſu immediato potentiæ ad vitalitatem remotam identificatam actui, non poteſt habitus aſſeri virtus adæquata, & totalis ad agendum actum, ſiquidem exiſtentia actus complectitur collectionem omnium formalitatum ipſius, ad quam ſolus habitus immediate ſufficiens non eſt. Porro ſi vitalitas remota intrinſeca actui, ſolum remote ponatur procedere à natura, fruſtra diſtinguitur in actu vitalitas proxima, & remota reſpondentes habitui ſupernaturali, & naturæ; nam etiam vitalitas proxima remote deriuatur à natura medio habitu ſupernaturali, immediate influenti in illam, ſicut remota.

Aliter reijcitur ſecunda reſponſio.

61. Secundo deſeritur ſolutio præcedens; quia habitus ſupernaturalis nequit eſſe proxime vitalis, vt arguebamus num. 57. Nam principium proxime vitale eſſe debet ab intrinſeco naturę viuentis, vt ea ratione actio vitalis ipſius ab intrinſeco ſit, prout requiritur ad omnem actionem vitalem, quæ eſt motus ab intrinſeco. Habitus autem ſupernaturalis non eſt ab intrinſeco, nam aliud eſt eſſe intrinſecum naturæ viuenti, aliud eſſe ab intrinſeco. Eſſe intrinſecum non eſt aliud quam eſſe inhærentem ipſi; eſſe vero ab intrinſeco præterea deſiderat, vt ea inhærentia, aut ab intrinſeca efficientia, ſeu emanatione, aut ab exigentia intrinſeca naturæ conueniat. At habitus ſupernaturalis ab extrinſeco infunditur abſque efficientia, aut emanatione intrinſeca, & abſque intrinſeca exigentia naturæ; quemadmodum lux aëri, & ſpecies impreſſa potentiæ cognoſcenti inſunt.

Confirmatur.

Vnde argumentum confirmo: ſpecies impreſſa ſupernaturalis, qua fiunt cognitiones ſupernaturales ſcientiæ infuſæ, vitales non ſunt, ſolum quia potentiæ ab extrinſeco inſunt. Ergo eadē ratione non erit habitus infuſus vitalis. Reddes diſcrimen, ſpeciem eſſe virtutem obiecti extrinſeci, habitum vero eſſe virtutem potentiæ vitalis intrinſece viuentis. Sed reſponde primo; quia ſpecies, qua ipſa natura viuens cognoſcitur à ſe, non eſt virtus alicuius extrinſeci naturæ, ſed obiecti ipſi naturæ intrinſeci. Tamen ea ſpecies vitalis non eſt. Secundo, quia etiam habitus ſupernaturalis eſt virtus propria Spiritus ſancti, & Dei, vt auctoris ſupernaturalis, qua ſpeciali titulo Deus ſuas efficit actiones ſupernaturales. Deus autem agens extrinſecum eſt. Neque iuuat, habitum exigi à gratia iuſtificante intrinſeca naturæ, quæ in ordine ſupernaturali munus naturæ exercet. Tum quia ipſa gratia iuſtificans ab extrinſeco eſt; ac proinde non eſt proprie vita, ſed Metaphorice tantum. Tum quia etiā ſpecies ſupernaturales exiguntur à gratia iuſtificāte, vt habitus ipſe ſcientię infuſæ exigitur. Tum quia peccatori inſunt habitus ſupernaturales ſpei, & fidei, ac aliæ qualitates ſupernaturales, quibus fiunt actus ſupernaturales virtutum moralium, quin gratia præexigente tribuantur, aut conſeruentur. Ergo habitus ſupernaturalis non eſt ab intrinſeco eā proprietate, qua vitalis eſſe poſſit. Iterum confirmatur ad hominem: ſi habitus ſupernaturalis eſt principium vitale, & adæquate agens actū vitalem, non eſt ratio, quare lumen gloriæ, & fidei inſit immediate intellectui, habitui charitatis, & ſpei voluntati, & non ſubſtantiæ animæ, cum omni proprietate ſint facultates vitales naturæ viuentis, ſicut intellectus, & voluntas naturalis: & hæ potentiæ naturales nullum prębeant immediatiorē influxum in eos actus, quam ipſa ſubſtantia animæ. Item nulla eſt ratio quare habitus dicantur, & non abſolute potentiæ, cum ea ſolum ratione habitus rationem præ intellectu, & voluntate naturalibus ſortiantur, quia aliquam ſaltem incompletam facultatem vitalem ſupponant, quin ipſi habitus facultates vitales ſint. At ratio ſpecialis eſſe debet, vt potentijs naturalibus inſint potius, quam ſubſtantiæ animæ, vtque inter habitus, potius quam inter vitales animæ potentias numerentur. Ergo.

Aliter confirmatur.

62. Tertio denique, quidquid ſit de vitalitate habitus ſupernaturalis; non poteſt actus ſupernaturalis non eſſe vitalis immediate à natura viuenti, intellectio ab intellectu, & à voluntate volitio. Nam per actum ſupernaturalē viuit immediate, & proxime natura rationalis, intelligit quoque, & amat immediate. At in aduerſariorum ſententia viuere, intelligere, & amare, agere eſt: cum vita, intellectio, & amor in actione eſſentialiter conſiſtant; in aliorum vero opinione, ſaltim cum actione coniunctum eſt ex natura rei, quidquid ſit de poteſtate abſoluta Dei: præſertim in mea, quam oſtendi in lib. de anima, conſtituente ſubſtantiam animæ immediate agentem, quia immediate cognoſcens, & amans eſt. Ergo non à ſolo habitu, ſed etiā ab ipſa natura, vitalis eſt actus ſupernaturalis. Neque refert ſi dicas, naturam viuere, intelligere, & amare vt *quod*: habitus vero vt *quo*. Nam ſi per viuere, intelligere, & amare naturam *vt quod*, intelligas naturam ſubſiſtentem, & in concreto viuere, intelligere, & amare ſolum mediate, ac denominatiue, quia habitus ipſi inhærens viuit, intelligit, & amat, vt ignis calefacit *vt quod*, & aër *vt quod* illuminat, quia calor ignem calidans, calefacit, & lux aërem elucidans illuminat, ferendum ſane non eſt.

Tertio reſpuitur ſolutio.

63. Tum quia ea ratione animus neque in via mereretur ſeipſo immediate, ſed denominatiue à merito habitus, neque in patria bearetur immediate in ſe, ſed denominatiue à beatitudine luminis gloriæ: ita vt mereri, & beari diceretur ſolum, quia habitus ſupernaturalis ſibi inhærens meretur diligendo Deum, ac beatur Deum intuendo. Quod parum Theologicum eſt. Tum quia ea ratione viuere, intel-

Confirmatur.

Digitized by Google

ligere, & amare non ſolum comprehendit actionem, ſed etiam paſſionem: neque enim viuit, intelligit, & amat, niſi quod immanenter operatur, agendo, & patiendo vitalem functionem. Habitus autem licet agat, non patitur actum ſupernaturalem, vt diſput. 16. ſect. 1. oſtenſum eſt. Ergo habitus non viuit, intelligit, & amat, vt per ipſum animus denominetur viuere, intelligere, & amare. Si vero animus dicatur viuens, intelligens, & amans, *vt quod*, non ſolum quia denominatione ſumpta ab habitu viuente viuit, ſed etiam, quia ipſe immediate, vt ab habitu condiſtinctus, capax eſt viuendi, intelligendi, & amandi, tanquam principium immediatum ſubſiſtens, & conſeruans reliqua comprincipia neceſſaria ad vitam, intellectionem, & amorem; quemadmodum animus dicitur viuens *vt quod*, intelligens, & amans: potentia vero accidentalis, intellectus, & voluntas, *vt quo* per vitam, & actionem naturalem in ſententia tribuente ſubſtantiæ animæ immediatam actionem in actus naturales vitales: hac ratione nihil ſolutione depromitur noſtræ ſententiæ aduerſum. Quæ contenta eſt cum actione immediata naturæ in actum ſupernaturalem, pendenti proxime, tum ab habitu, tum à natura rationali. Eſto ab illo pendeat vt à principio vitali *quo*, ab iſta vero, vt à principio immediato *quod*. Quæ voces potius ad effugium argumenti, & obſcuritatem doctrinæ, quam ad explicationem in re præſenti inuentæ ſunt.

SECTIO DECIMAQVARTA.

Probatio non ex ratione actus voluntarij.

Arguitur nono.

64. NOnò ſic arguo. Actus ſupernaturalis non ſolum vitalis, ſed voluntarius eſſe poteſt. Actus voluntarius exigit proceſſionem immediatam à natura, & voluntate. Ergo actus ſupernaturalis proceſſionis immediatæ à natura, & voluntate capax eſt. Minor ex definitione voluntarij probanda eſt. Itaque voluntarium cum Ariſtotele 3. Ethic. cap. 1. tex. 5. Damaſcenus lib. 2. de fide cap. 29. Niſſ. vel potius Nemeſio lib. 5. Philoſ. cap. 3. & ſanctus Thomas 1. 2. qu. 6. art. 1. & 2. ſic definiunt Theologi: *Voluntarium eſt quod eſt à principio intrinſeco cognoſcente ſingula, in quibus eſt actio.* Duo ergo ad rationem voluntarij neceſſaria ſunt, quæ argumento eſſe poſſunt ad deducendam actionem immediatam, & intrinſecam naturæ rationali, & voluntati. Alterum eſſe à principio agente intrinſeco. Alterum eſſe à principio cognoſcente, ſeu cognitione. Ex prima conditione ſic colligo. Principium agens intrinſecum, quod ad actum voluntarium neceſſarium eſt, non eſt quoquo modo intrinſecum, ſed per innatam, & inſitam actiuitatem naturæ rationalis, ſeu voluntatis, cui actus voluntarius eſt. Nam intrinſecum eſſe per ſolam vnionem, & inhærentiam non ſufficit: cum principium actus inuoluntarij, ſeu violenti, ea ratione intrinſecum eſſe poſſit, vt cum lapis mouetur ſurſum per impetum extrinſecus impreſſum. Ergo debet eſſe principium intrinſecum per aliquam exigentiam, aut actiuitatem immediatam, & intrinſecam. At habitus ſupernaturalis non eſt principium intrinſecum per exigentiam naturæ. Ergo, vt actus elicitus ab illo voluntarius ſit, oportet naturam confluere tum aliqua actiuitate immediata; & intrinſeca diſtincta ab habitu ſupernaturali. Aſſumptum probo ex ſancto Thoma qui 2. 2. qu. 23. art. 3. corp. probat, quod *motus charitatis, non ita procedit ab Spiritu ſancto mouente humanam mentem, quod humana mens ſit mota tantum, & nullo modo ſit principium huius motus. Hoc enim eſt contra rationem voluntarij.* Quamuis motio Spiritus ſancti intrinſeca homini agat actum charitatis, dum voluntas humana præter ea non efficit actũ non poteſt actus charitatis eſſe voluntarius. Ergo ad rationem voluntarij non ſufficit principium quoquo modo intrinſecum, ſed intrinſecum per exigentiam; aut immediatam actiuitatem, ſibi identificatam, & intrinſecam. Item 1. 2. qu. 6. art. 5. corpore explicans principium intrinſecum actus voluntarij; *Conſiderandum eſt*, inquit, *quod quorumdam actuum principium eſt in agente, ſeu in eo, quod mouetur, quorumdam autem principium eſt extra. Cum enim lapis mouetur ſurſum, principium huius motionis eſt extra lapidem; ſed cum mouetur deorſum principium huius motionis eſt in ipſo lapide.* Vbi nota, principium motus ſuperni in lapide non dici extrinſecum, quia impetus, à quo progreditur, non ſit inhærens ipſi lapidi; ſed quia tale principium non eſt immediate natura lapidis, neque ab illa exigitur: etenim impetus, quo ſurſum fertur, qualitas eſt impreſſa ipſi lapidi. Ergo principium intrinſecum motus voluntarij non eſt intrinſecum per ſolam vnionem, ſed per identitatem, aut ſaltem exigentiam eius, cui actus voluntarius eſt.

S. Thom.

Ratio à priori.

65. Hinc deprehenditur ratiò à priori huius doctrinæ. Nam motus voluntarius eſt à principio intrinſeco modo peculiari, quo non eſt à principio intrinſeco motus inuoluntarius, & violentus. Sed motus inuoluntarius, & violentus poteſt eſſe à principio intrinſeco per ſolam inhærentiam. Nam plures qualitates extrinſecus impreſſæ, principium ſunt motuum conferentium vim. Ergo principium intrinſecum motus voluntarij debet eſſe intrinſecum, non ſolum per vnionem; ſed etiam per identitatem, aut exigentiam. At habitus ſupernaturalis non eſt intrinſecus per identitatem, neque per exigentiam. Ergo præter habitum requiritur aliud principium immediatum actus voluntarij, quod naturæ volenti identificatum ſit, aut ſaltem per exigentiam conueniens, ac proinde naturale. Explicatur ex oppoſita definitione inuoluntarij, ſeu violenti, quam Ariſtoteles ibidem tradit; *Id igitur violentum eſſe videtur, cuius principium eſt foris, nihil prorſus eo cōferēte, cui vis eſt illata.* De quo ita ſcribit Niſſenus lib. 5. Philoſ. capite 1. *Inuoluntarij ſecundum violentiam hæc eſt definitio, cuius principium*

Explicatur Ariſtoteles

Niſſenus.

Ariſtoteles

Damaſcenus.

S. Thomas.

Ex prima conditione actus voluntarij.

exterius eſt, nihil conferente ſecundum proprium motum eo, qui vim paſſus eſt. Idemidem Damaſcenus lib. 2. de fide cap. 24. *Inuitè fieri id dicitur, quod principium extrinſecus habet, nihil ſuapte motu, atque conatu ad actionem conferente eo, cui vis affertur*. En actus inuoluntarius, ſeu inuitus oppoſitus voluntario, ita dicitur eſſe à principio extrinſeco, vt nullam actionem, ſeu actiuitatem conferat ipſa natura, quæ patitur vim. Ergo è contra motus voluntarius ita debet eſſe à principio intrinſeco, vt conferat aliquã actionem, ſeu actiuitatem immeditam ipſa natura, cui motus voluntarius eſt. Quandoquidem actionem mediatam, & remotam per qualitatem ſibi inhærentem, etiam quæ vim patitur, conferre poteſt.

Idem colligitur ex ſecunda conditione actus voluntarij.

66. Ex ſecunda conditione neceſſaria ad actum voluntarium ſic argumentor. Principium actus voluntarij debet eſſe cognoſcens. Habitus ſupernaturalis charitatis cognoſcens non eſt, neque *vt quod*, neque *vt quo*; nam licet de habitu fidei, & luminis gloriæ aliqui dixerint eſſe cognoſcentem *vt quo*; de habitu charitatis tamen nullus id vſquam aſſeruit. Ergo ſolus habitus charitatis non eſt totale, & adæquatum principium actus charitatis mihi voluntarij. Iam audio Thomiſtam recentiorem diſtinguentem maiorem; & admittentem principium remotum actus voluntarij agens vt *quod*, eſſe cognoſcens; negantem vero cognoſcens eſſe principium immediatum, & proximum agens vt *quo*. Contra quem recolo, quod explicui num. 35. duplex eſſe principium remotum, & agens vt *quod*; aliud pure remotum, quod accedente principio proximo nullũ exhibet immediatum concurſum, ſed agere dicitur ſola denominatione principij proximi adæquate agentis, quod remotum ſuſtentat, aut agit: ſicut ignis comparatione calefactionis ligni, & aër comparatione illuminationis vitri; aliud, quod accedente principio proximiori immediatam actionem confert ſimul cum illo, & non ſola denominatione principij ſubſequẽtis, ſed actione ſibi propria, ac immediata influit in effectum; vt potentia naturalis accedente ſpecie impreſſa efficit cognitionem naturalem, & animus accedẽte voluntate naturalem amorem in ſententia, quæ tribuit ſubſtantiæ animæ influxum immediatum in actus potentiarum. Et hanc poſtremam rationem principij remoti conuenire naturæ, comparatione actus ſupernaturalis, contendo, & ſuperiori argumento probo. Actus voluntarius ita eſt à principio cognoſcenti, vt cognitio per ſe prælucеat actioni, qua actus producitur, exiſtatque actus mouente per ſe, ac dirigente cognitione. At niſi principium remotum naturæ accedente habitu ſupernaturali efficiat immediate ſimul cum illo actum ſupernaturalem, nequit cognitio per ſe prælucere actioni, qua actus producitur. Ergo natura eius conditionis remotum principium eſt, vt accedente habitu immediate efficiat actum ſimul cum illo per actionem ſibi propriam ab habitu diſtinctam. Conſequentia bona eſt. De maiori dubitari non licet. Probatur minor; cognitio fidei, v. g. prælucet actui charitatis, dirigitque principium agens illius, proponendo ipſi principio bonitatem Dei, illudque reddendo cognoſcens ipſius. At ſoli naturæ rationali, & non habitui charitatis proponit bonitatem Dei, illamque ſolam, & non habitum reddit cognoſcentẽ illius. Ergo actio, qua producitur actus charitatis, non eſt à ſolo habitu charitatis immediate, ſed etiam immediate eſt à natura rationali. Nam aliter ea actio non poſſet dirigi per cognitionem fidei, quæ neque formaliter, neque efficienter mouere poteſt habitum charitatis in eum actum. Qui enim mouebitur cognitione habitus, ſi talis cognitio non ipſi, ſed alteri, quod ipſius actione denominatur agere, repræſentat bonitatem obiecti? De quo recole, quæ præmiſimus ſect. 12. vbi expendimus latius doctrinæ iſtius momentum.

SECTIO DECIMAQVINTA.

Decima probatio ex libertate actus.

67. NOn eſt contemnendum etiam commune argumentum, quod ex libertate conficitur, & ego ſic propono. Ineſt voluntati libertas proxima, & immediata ad actũ ſupernaturalem. Libertas proxima, & immediata ad actum ſupernaturalem ineſſe voluntati nõ poteſt abſque immediata actiuitate actus ſupernaturalis propria voluntatis, & diſtincta ab habitu ſupernaturali. Ergo ineſt voluntati in actum ſupernaturalem actiuitas immediata ſibi propria, & ab habitu ſupernaturali diſtincta. Illatio legitimè deducitur. Maior fide ſancta eſt contra hæreticos huius temporis. Minor igitur probatur. Libertas proxima, & immediata ad actum ſupernaturalem eſt immediate, & proxime actiua actus ſupernaturalis cum indifferentia ad non agendum. Nam potentia libera eſt eſſentialiter actiua cum indifferentia ad non agendũ; atq; adeo potentia immediate, & proxime libera, debet eſſe immediate, & proxime actiua cum indifferentia ad non agẽdum. At ſolus habitus vt diſtinctus à voluntate non eſt immediate, & proxime actiuus actus ſupernaturalis cum indifferentia ad non agendum. Ergo ſolus habitus, vt diſtinctus à voluntate non poteſt eſſe libertas proxima, & immediata ad actum ſupernaturalem abſque immediata actiuitate voluntatis. Probatur minor, habitus ex ſe non eſt indifferens, ſed determinatus ad agendum: ex ſe enim ſolum eſt actiuus actus ſupernaturalis, non autem non actiuus. Ergo ſolus habitus ſeorſim à voluntate non poteſt eſſe indifferentia proxima ad agendum, & non agendum.

Argumentum proponitur.

68. Dicet Thomiſta primo, ſicut habitus eſt principium proximè, & immediate vitale, ita quoque eſſe principium immediate, & proxime indifferens, ac liberum; voluntatem vero ſolum radicaliter, & remote. Sed contra; primo. Si habitus ſupernaturalis eſſet principium proxime, & immediate indifferens ac li-

Occurritur primæ ſolutioni.

Primo.

Digitized by Google

berum, eſſet habitus ſupernaturalis arbitrium liberum ſupernaturale, ſicut voluntas diſtincta à ſubſtantia animæ eſt arbitrium liberum naturale; nam ſicut voluntas diſtincta à ſubſtantia animæ eſt facultas proxima indifferens ad agendum, & non agendum *vt quo* actus naturales comparatione ſubſtantiæ animæ, quæ eſt remote, & radicaliter indifferens ad agendum vt *quod*; ita habitus ſupernaturalis in hoc dicendi modo eſſet principium immediate, & proxime indifferens, ad libere agendum vt *quo* actus ſupernaturales comparatione voluntatis naturalis, aut ſubſtantiæ animæ indifferentis radicaliter ad agendum vt *quod*. At voluntas diſtincta à ſubſtantia animæ eſt vere arbitrium liberum naturale, ſolum quia eſt principium proxime, & immediate indifferens, ac liberum ad agendum vt *quo* actus naturales. Ergo propter eamdem rationem habitus charitatis eſſet arbitrium liberum ſupernaturale. Hoc autem nouum, & inauditum eſt in Scholis Catholicorum. Ergo habitus charitatis ſeorſim à voluntate non eſt admittendus immediate, ac proxime indifferens, ac liber.

Secundo. Deinde principium immediate, ac proxime indifferens, ac liberum ad agendum, & non agendum debet eſſe cohibitiuum actionis: nam indifferentia ad non agendum includit poteſtatem cohibendi actionem. Sed habitus charitatis v. g. ſeorſim à voluntate non eſt cohibitiuus actionis, qua producitur dilectio Dei. Ergo non eſt immediate, & proxime indifferens, ac liber. Probatur minor: nullum principium poteſt cohibere dilectionem Dei, niſi per nolitionem poſitiuam talis dilectionis, aut per meram omiſſionem dilectionis, quæ eſt virtualis, & interpretatiua quædam nolitio. Sed habitus charitatis non poteſt cohibere dilectionem Dei per nolitionem formalem, & poſitiuam dilectionis, neque per interpretatiuam, & virtualem. Ergo nullo modo poteſt habitus charitatis eſſe indifferens ad cohibendum adæquate dilectionem Dei. Non poſſe cohibere dilectionem per nolitionem poſitiuam, exploratum eſt, quia talis nolitio non poteſt eſſe elicita à charitate, cum omnis actus elicitus à charitate ſit tendentia formalis, aut virtualis in bonitatem diuinam, quæ eſt obiectum formale habitus charitatis. Nolitio autem dilectionis non eſt tendentia formalis, aut virtualis in bonitatem diuinam, ſed potius virtualis quidam receſſus ab illa; præſertim cum actus charitatis frequentius ſit gratior voluntati diuinæ, quam eius nolitio. Inde probatur non poſſe cohibere dilectionem Dei per virtualem, & interprætatiuam nolitionem. Nam agenti, cui repugnat per ſe formalis, & poſitiua nolitio, etiam repugnat interpretatiua, & virtualis. Sed habitui repugnat per ſe nolitio formalis, & poſitiua dilectionis Dei. Ergo etiam repugnat interprætatiua, & virtualis. Minor, & conſequentia conſtant. Maior probatur, quia id, quod impoſſibile eſt, non poſſumus vere, ac prudenter interpretari eſſe; neque virtualiter eſt, cuius virtus repugnat eſſe.

Tertio. 69. Tertio eadem ſolutio, & libertas proxima in actu primo adæquata gratiæ reijcitur. Gratia operatur conſenſum voluntatis dependenter ab arbitrio naturali voluntatis. Si autem gratiæ competat tota libertas proxima agendi in actu primo non operatur conſenſum dependenter ab arbitrio naturali. Ergo gratiæ non competit tota libertas proxima agendi in actu primo. Conſequentia eſt optima. Maior mihi indubitata eſt, ſi expendantur teſtimonia, quæ ex ſacra pagina, Concilijs, & Patribus produximus à ſect. 3. ad 12. Rurſus confirmat Tridentinum ſeſſ. 6. c. 13. dicens. *In Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare, & reponere omnes debent. Deus enim niſi ipſi, illius gratiæ defuerint, ſicut cæpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere.* Vides, diuinæ operationis per auxilium gratiæ promiſſionem ſubijci illi conditioni ex parte hominum, *niſi ipſi illius gratiæ defuerint*? Ergo dependenter ab arbitrio non deficiente gratia operatur Deus opus bonum, quod gratia præuenienti incipit. Item c. 5. docet, conuerſionem fieri homine cooperante, & aſſentiente libere gratiæ adiuuanti Dei, ita vt aſſiſtente gratia, *neque homo ipſe nihil omnino agat, neque non ſine gratia Dei mouere ſe ad iuſtitiam coram illo libere ſua voluntate poſſit.* A libera voluntate naturali hominis præter gratiam Dei dependet motus hominis in iuſtitiam ſupernaturalem. Quare ſubiungit; *Unde in Sacris litteris cum dicitur; conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, libertatis noſtra admonemur.* Hoc eſt, non eſſe adeo propriam ſolius gratiæ conuerſionem noſtram, vt quod gratia illam operetur, à noſtra quoque voluntate naturali diſtincta à gratia non pendeat. Quam dependentiam Dei à voluntate humana ſubintellexit Leo ſerm. 8. de ieiunio decimi menſis c. 3. ibi: *Si hoc, quod Deus vult, volumus, ab illo accipiet infirmitas noſtra virtutem, à quo ipſam accepimus voluntatem: Deus eſt enim, ſicut ait Apoſtolus, qui operatur in nobis.* Etiam Chriſoſtomus Philippenſ. 2. ſerm. 8. col. 2. & 3. *Si voluerimus, nunc operabitur voluntatem.* Nota conditionem. Ac ſubdit; *& promptitudinem nobis dat, & operandi efficaciam. Quando enim voluerimus voluntatem noſtram poſtea adauget.* Vox, *Quando*, ſenſum conditionalem continet. Igitur à voluntate noſtra naturali diſtincta à gratia pendent auxilia diuinæ gratiæ, tam actualia, quam habitualia ad eliciendum conſenſum. Porro autem nullam eſſe dependentiam gratiæ diuinæ à libero arbitrio naturali, ſi gratia diuina aſſeratur libertas proxima adæquata agens actum ſupernaturalem, quæ erat prima minor propoſitio noſtri argumenti, ſic probo. Gratia non dependet, à libero arbitrio tanquam à patiente, ſed agente, vt per ſe manifeſtum eſt, cum libertas non ſit poteſtas mere patientis, ſed agentis. At gratia non poteſt pendere à libero arbitrio naturali, vt agente, ſi tota libertas, & actiuitas proxima liberi arbitrij eſt ipſa gratia; quia gratia diuina penderet à ſe ipſa, quandoquidem agere liberè arbitrij naturalis non eſt diſtinctum ab agere ipſius gratiæ, ſolaque denominatione ipſius gratiæ libere agentis dicitur arbitrium libere agere. Ergo vt gratia pendeat à libero arbitrio naturali debet conſtitui libertas naturalis immediate, & proxime

Concilium Trid.

Leo.

Chriſoſtomus.

Digitized by Google

actiua actus ſupernaturalis, integranſque cum gratia libertatem proximam ad actum ſupernaturalem.

Quarto. 70. Addo quartam oppugnationem. Si tota libertas proxima ad agendum actum ſupernaturalem, conueniret gratiæ, vt diſtinctæ à voluntate, voluntas vt diſtincta à gratia, non eſſet potentia libera, ſed ſimpliciter neceſſaria in actu primo proximo ad agendum actum ſupernaturalem. Hoc autem Catholice dici non poteſt. Ergo probatur ſequela. Potentia, quæ eſt in actu primo libera ſolum mediate per denominationem à forma ſibi neceſſario conuenienti ſimpliciter eſt neceſſaria, & non libera. At ſi tota voluntas proxima ad agendum actum ſupernaturalem conueniret gratiæ diuinæ, voluntas eſſet libera ſolum mediate per denominationem à gratia, ſibi neceſſario conuenienti. Ergo ſimpliciter eſſet neceſſaria, & non libera. Minor & conſequentia perſpicuæ ſunt. Probatur maior. Actus ſolum mediate liber per denominationem ab alio actu à ſe independenti potius eſt neceſſarius, quam liber in actu ſecundo: verbi gratia, actus exterior imperatus efficaciter ab interiori, qui in ſe immediate non eſt à facultate libera, ſed medio alio actu à ſe independenti, quo poſito non poteſt non à voluntate pendere. Ergo ſimiliter potentia in actu primo libera ſolum mediate per denominationem à libertate alterius à ſe independentis in actu primo non erit proprie, & ſimpliciter libera, ſed neceſſaria. Probatur conſequentia à paritate rationis. Ideo actus exterior non eſt ſimpliciter liber, ſed neceſſarius, quia non egreditur immediate ab indifferentia principij, ſed medio alio actu à ſe independenti, quo poſito non poteſt non eſſe. Potentia autem ſolum mediate libera in actu primo per denominationē à libertate alterius influit ſolum mediate in actum liberum medio alio principio à ſe independenti, quo influenti actus non poteſt non eſſe. Ergo ſicut actus mediate liber non eſt proprie, & ſimpliciter liber in actu ſecundo, ita potentia ſolum mediate libera non erit propria, & ſimpliciter libera in actu primo. Nam ſicut libertas in actu ſecundo conſiſtit in egreſſione, à facultate indifferenti, ita libertas in actu primo conſiſtit in facultate indifferenter agenti actum ſecundum. Ergo ſicut egreſſio mediata medio aliquo independenti ab actu ſecundo minuit propriam libertatem in actu ſecundo, ita influxus mediatus medio aliquo independenti ab actu primo, minuit proprietatem libertatis in actu primo; ſaltim euincitur hoc argumento, voluntatem in actu primo non eſſe magis liberam comparatione actus ſupernaturalis, quam eſt libera actio exterior in actu ſecundo. Quod ſine audacia concedi non poteſt. Alias enim voluntas non poſſet in actu primo mereri præmium ſupernaturale magis, quam actio exterior meretur in actu ſecundo in eorum opinione, qui actionibus exterioribus detrahunt meritum, à merito actus interioris diſtinctum. Item voluntas eſſet magis proprie capax merendi præmium naturale per vires naturales, quam præmium ſupernaturale per vires ſupernaturales. Quippe comparatione præmij ſupernaturalis gauderet libertate ſolum mediata; comparatione autem præmij naturalis libertate immediata; libertas autem immediata auget rationem merendi ſupra libertatem mediatam, vt arguere eſt ex diſcrimine, quo actiones interiores, & exteriores merentur.

71. Propterea dicit forſan ſecundo Thomiſta, habitum ſupernaturalem non eſſe proxime, & immediate indifferentem, & liberum, ſeu non eſſe adæquatam libertatem proximam, & immediatam voluntatis ad actum ſupernaturalem: cæterum conſtituere ſimul cum ipſa voluntate libertatem immediatam, & proximam extenſiue; non autem intenſiue; Hoc eſt, prout complectitur facultatem agendi, & non agendi: non vero prout ſolam comprehendit facultatem agendi, quam ſolus conſtituit habitus ſupernaturalis. Itaque libertas proxima, & immediata ad actum ſupernaturalem complectitur, tum facultatem agendi actum ſupernaturalem, tum facultatem non agendi, quia libertas proxima eſt indifferentia proxima ad agendum, & non agendum. Qua parte libertas proxima comprehendit facultatem proximam agendi, ſolum complectitur habitum ſupernaturalem, qui eſt adæquata virtus actiua actus ſupernaturalis, qua parte vero comprehendit poteſtatem proximam non agēdi, etiam complectitur volūtatem ab habitu diſtinctam, in qua immediate, ac proxime reſidet facultas non agendi. Ac proinde tota libertas proxima agendi actum ſupernaturalem, neque ſola eſt gratia ſupernaturalis, neque ſola eſt voluntas naturalis, ſed aggregatum ex vtraque. Hæc ſolutio vero ſimilior erit. Sed non ſubſiſtet. Primo, quia voluntati repugnat poteſtas immediata non agendi conſtituens libertatem agendi, quin ei conueniat poteſtas immediata agēdi. Per te voluntati conuenit poteſtas immediata non agendi conſtituens libertatem agendi. Ergo eidem conuenit poteſtas immediata agendi. Probatur maior, quæ ſola probationem deſiderat. Poteſtas immediata non agendi eſt poteſtas immediata cohibendi, ſeu retinendi actionem. Nulli competit poteſtas immediata cohibendi, ſeu retinendi actionem, niſi competat poteſtas conferendi illam. Negare enim immediate actionem non poteſt, niſi qui immediate poteſt dare. Ergo vt voluntati naturali competat immediata poteſtas non agendi, competere debet poteſtas immediata agendi. Hac ratione probant communiter Philoſophi contra Durandum, Deum immediate influere in effectus cauſarum creatarum, quia Deus ratione dominij perfectiſſimi, quod obtinet in omnes effectus creatos, poteſt impedire immediate actionem cauſarum ſecundarum, etiam poſtquam cauſæ ſecundæ exiſtentes ſunt. Poteſtas autem immediata impediendi actionem cauſarum ſecundarum iam exiſtentium Deo adeſſe non poteſt abſque poteſtate immediate influendi in effectus, quos agunt cauſæ creatæ. At per te voluntati competit poteſtas immediata impediendi actionem ſupernaturalem,

Secunda ſolutio.

Non ſubſiſtit primo

Explicatur.

Digitized by Google

quia hæc poteſtas ſoli gratiæ adeſſe repugnat. Ergo eidem competit poteſtas immediata influendi in actum ſupernaturalem. Ruſſus explicatur. Hoc eſt, diſcrimen inter poteſtatem agendi ab intrinſeco, & poteſtatem non agendi ab intrinſeco, quod agere ab intrinſeco poteſt homo, quamuis poteſtas agendi ſit determinata abſque poteſtate non agendi; at vero à ſe, & ab intrinſeco non agere repugnat abſque poteſtate indifferenti ad agendum: etenim actiones neceſſariæ poſſunt eſſe voluntariæ, quales ſunt dilectio Dei in patria, & plures inefficaces complacentiæ in via; at vero non actiones voluntariæ eſſe non poſſunt, quin ſint liberæ, & actiones in noſtra poteſtate conſtitutæ; vt enim mihi tanquam cauſæ tribuatur non agere, tribuenda mihi poteſtas eſt proxima agendi, & eatenus mihi imputatur non agere, quatenus potui agere, & non egi. Aliter enim non agere prouenit ab intrinſeco ex defectu concurſus diuini, aut cognitionis, aut alterius conditionis neceſſariæ ad agendum, & non ex me. Quæ doctrina 1. 2. q. 6. vberiorem lucem deſiderat. Igitur vt voluntati naturali diſtinctæ à gratia conueniat poteſtas ab intrinſeco non agendi, qualis ad libertatem requiritur, eidem conuenire etiam debet partialis ſaltem poteſtas immediata agendi.

Explicatur iterum.

72. Dices, voluntati adeſſe poteſtatem immediatam non agendi, quatenus poteſt elicere nolitionem naturalem actus ſupernaturalis, cum qua actus ſupernaturalis repugnat. Sed contra; quia poſſibilis eſt pura omiſſio actus ſupernaturalis per poteſtatem non agendi propriam libertatis contradictionis. At pura omiſſio actus ſupernaturalis contingens à poteſtate non agendi, non exiſtit per nolitionem poſitiuam actus ſupernaturalis, ſed per ſuſpenſionem actionis immediatam, quando in poteſtate voluntatis conſtituta eſt. Ergo ſeorſim à poteſtate nolendi actum ſupernaturalem conuenit voluntati poteſtas non agendi per ſuſpenſionem actionis immediatæ in poteſtate eiuſdem voluntatis conſtitutæ. Minor, & conſequentia probatione non egent. Maior nunc à me ſupponitur, & à pluribus aduerſariorum admittitur. Deinde nolitio poſitiua non poteſt impedire actionem aliquam, niſi impediendo actionem immediatam voluntatis, aut aliquam nolitionem poſitiuam neceſſariam ad talē actionem. Nam vbi actio immediate à voluntate non pendet, neque ab alio principio, quod ad agendum prærequirit nolitionem aliquam poſitiuam imperantem actionis, nequit nolitio ſuo imperio impedire actionem. Quare nolitio nutritionis non poteſt diuertere nutritionem, quia nutritio neque immediate à voluntate pēdet, neque aliquod eius imperium præcedens neceſſarium eſt ad illam. At actio ſupernaturalis charitatis non pendet ab aliquo imperio prævio voluntatis naturalis. Ergo vt nolitio poſſit cohibere talem actionem, opus eſt, vt ſaltem immediate talis actio à voluntate naturali dependeat. Rurſus ſi actio ſupernaturalis eſſet libera à poteſtate nolēdi talem actionem, prius exiſteret defectus nolitionis, vt exiſteret actio ſupernaturalis: atque adeo actio ſupernaturalis non eſſet immediate libera, ſed medio defectu libero nolitionis, quo exiſtente non poſſet non eſſe actio ſupernaturalis, ſiquidem detracto vno extremo libertatis contradictionis, aliud neceſſario exiſtit. At actio ſupernaturalis admittenda eſt capax libertatis immediatæ. Ergo actio ſupernaturalis admittenda eſt libera independenter à nolitione, aut dependenter ab actione immediata voluntatis. Probatur maior. Per te habitus vt diſtinctus à voluntate non eſt liber, neque determinatiuus ſuę actionis, nam potentia ſuam actionem potius, quam non actionem determinare non poteſt abſque dominio, & libertate actionis, quare determinatio actionis pendere debet à voluntate. At voluntas non poteſt determinare actionem habitus charitatis, niſi illi conueniat immediata actiuitas libera in actum, aut actus pēdeat à defectu alicuius nolitionis, aut actionis immediate ab ipſa pendentis. Ergo cum voluntati non conueniat determinatio actionis per immediatam actiuitatem actus, pendebit ab illa per ſuſpenſionem nolitionis, aut alterius actionis immediatæ in voluntatis poteſtate cōſtitutæ. Atque adeo priuſquam ſit actio ſupernaturalis potius quam non actio, opus erit præmitti defectum nolitionis voluntati liberum, eoque exiſtenti ſequetur neceſſario determinatio actionis.

Euaſio occupatur.

73. Vnde ſumitur alia impugnatio ſecundæ ſolutionis. Nam virtus immediate actiua, conſtituens libertatem proximam ad actus ſupernaturales debet eſſe determinatiua actionis, potiuſquam non actionis. At ſolus habitus non eſt determinatiuus ſuæ actionis, potiuſquam non actionis. Ergo ſolus habitus non eſt virtus actiua proxima conſtituens libertatem immediatam ad actum ſupernaturalem. Maior probatur. Tum quia alias viribus naturalibus voluntatis tribueretur determinatio, nempe illis, quibus poteſt nolle liberum actum ſupernaturalem. Etenim libertas nolendi actum ſupernaturalem non componitur eſſentialiter ex virtute habitus ſupernaturalis, quandoquidem etiam abſente habitu ſupernaturali cum falſa exiſtimatione exiſtētię illius poteſt voluntas libere nolle actum charitatis, & tali nolitione peccare. Tum quia determinatio actionis eſt exercitium poteſtatis actiuæ potius, quam non actiuæ. Minor etiam probatur. Tum quia per te ſolus habitus non eſt liber; virtus autem ſuimet determinatiua libera eſt. Tum quia habitus pendet ab arbitrio naturali in determinando actionem. Ita S. Thom. in 2. diſt. 25. q. vnica art. 1. ad 3. *In rebus naturalibus ſic operatur Deus, ſicut miniſtrator virtutem agendi, & ſicut determinans naturam ad talem actionem. In libero autem arbitrio hoc modo agit, vt virtutem agendi miniſtret, & ipſo operante liberum arbitrium agat. Sed tamen determinatio actionis, & finis in libero arbitrio conſtituitur.* Non penderet autem habitus ab arbitrio naturali in determinando actionem, ſi ſolus poſſet actionem determinare. Relinquitur igitur actionem ſupernaturalem immediate pendere ab arbitrio naturali,

Alia impugnatio ſecundæ ſolutionis.

S. Thomas.

licet

licet adiuto viribus gratiæ ſupernaturalis.

Colliguntur, & confirmantur præcedentia.

74. Claudamus colligentes, & confirmantes ſuperiora. Voluntati diſtinctæ à gratia non eſt libera exiſtentia habitus; quippe in illum nullum præter paſſiuum influxum habet. Poſito autem habitu, non eſt voluntati à gratia diſtinctæ libera actio ſupernaturalis, adæquate procedens ab habitu; quippe illam cohibere non poteſt abſque immediata actiuitate actus. Aliunde ab habitus libertate libera non eſt, quia talis libertas ſoli habitui repugnat. Vbinam ergo eſt iſta libertas voluntatis in actum ſupernaturalem? Detur itaque voluntati ſimul cum habitu actiuitas immediata in actum, qua & actionem habitus ſupernaturalis cohibere poſſit, & actionem potius, quam non actionem determinare.

SECTIO DECIMASEXTA.

Probatio vndecima rationibus à paritate.

Paritas ab ſpecie impreſſa naturali influenti immediate in actum ſupernaturalem.

75. MAximi momenti apud me ſemper duxi argumentum, quod aggredior. Species impreſſa naturalis efficit immediate cognitionem ſupernaturalem. Ergo & potentia naturalis efficere immediate poteſt. Conſequentia manifeſta eſt; quoniam eadem eſt ratio tollendi concurſum immediatum in cognitionem ſupernaturalem potentiæ naturali; ac ſpeciei impreſſæ. Probatur antecedens. Ad actus ſupernaturales fidei non concurrunt ſpecies intrinſece ſupernaturales, ſed naturales dumtaxat, acquiſitæ inſtructione Eccleſiæ, ac ſtudio priuato fidelium. At eiuſmodi ſpecies naturales non efficiunt actus ſupernaturales fidei media aliqua virtute ſupernaturali ab ipſis diſtincta, ſed per ſe ipſas immediate. Ergo ſpecies impreſſa naturalis efficit immediate cognitionem ſupernaturalem. Maiorem fuſa probatione oſtendam diſputatione 54. & aduerſarij fatentur, vt videre eſt apud Aluarez de auxil. d. 56. num. 18. Minorem probo. Species naturales non efficiunt actus ſupernaturales fidei medio habitu ſupernaturali fidei, nec media alia qualitate ſupernaturali, propria cuiuſcunque ſpeciei. Ergo non efficiunt media virtute ſupernaturali.

Virtus ſpeciei naturalis in aſſenſum ſupernaturalem non eſt habitus fidei.

76. Ac primum virtutem ſpeciei naturalis ad actus ſupernaturales fidei, non eſſe habitum ſupernaturalẽ fidei, ſic probo. Si habitus fidei eſſet virtus obiectiua ſpeciei naturalis, poſſet habitus fidei ſolus efficere actum fidei abſente ſpecie, ſicut præſente. At non efficit actum fidei abſente ſpecie naturali, ſicut præſente. Ergo habitus fidei non eſt tota virtus ſpeciei. Conſequentia negari non poteſt. Minor eſt nota, quia omnes fideles indigent ad credendum, quæ reuelata ſunt inſtructione Eccleſiæ, ac eruditione miſteriorum fidei, qua miniſtrantur ſpecies, quibus fiunt actus ſupernaturales fidei, & ſine illa fieri non poſſent. Si autem habitus poſſet elicere actus fidei abſentibus ſpeciebus naturalibus, nulla eſſet opus inſtructio Eccleſiæ ad credendum reuelata, cum ea tantum deſeruiat ad relinquendum ſpecies naturales, quibus actus fidei eliciantur. Probatur maior. Virtus adæquata cauſæ remotæ ſeparabilis ab ipſa cauſa eodem modo poteſt operari effectum abſente cauſa remota, ac ea præſente, verbi gratia, accidentia, quæ in ſententia aduerſariorum ſunt tota virtus ſubſtantiæ ad agendum aliam ſubſtantiam, & alia accidentia, eodem modo agunt eos effectus abſente, ac præſente ſubſtantia. Si namque præſentia cauſæ remotæ nihil confert ad exiſtentiam effectus; neque efficiendo immediate effectum, neque immediate conſeruando virtutem efficientem immediate, ad quid refert præſentia cauſæ remotæ ad exiſtentiam effectus? At habitus eſt ſeparabilis ab ſpeciebus naturalibus, quæ concurrunt ad actus fidei cum habitus infundatur puero in baptiſmo, ſpecies naturales autem acquirantur adulta ætate exercitio rationis. Ergo. Præterea lumen gloriæ in ſententia aduerſariorum non continet concurſum immediatum ſpeciei, ac obiecti; nam præter concurſum immediatum luminis gloriæ tuentur in viſionem beatam concurſum immediatum obiectiuum naturæ diuinæ; quare non ſolum lumini exiſtenti, verumetiam omni qualitati poſſibili impoſſibilem reputant concurſum immediatum ſpeciei in viſionem beatam. Ergo nec habitus fidei continet concurſum immediatum ſpeciei, ac obiecti. Nam tam adæquata eſt viſioni intuitiuæ Dei virtus luminis gloriæ, quam eſt cognitioni fidei virtus ſupernaturalis habitus fidei. Rurſus ſi intellectus inſtructus habitu fidei non indigeret concurſu immediato alicuius ſpeciei ad actus ſupernaturales fidei, etiam ad cognitiones naturales non indigeret intellectus ſecundum ſe concurſu immediato alicuius ſpeciei. At indiget, vt in libris de anima docuimus, & aduerſarij non diffitentur. Ergo intellectus inſtructus habitu fidei indiget concurſu immediato ſpeciei ad actus ſupernaturales fidei. Probatur maior, quæ ſola indiget probatione. Tam potens eſt intellectus ſecundum ſe in cognitiones naturales, quam inſtructus habitu fidei in cognitiones naturales habitus fidei: Nam habitus fidei ſolum tribuit intellectui proportionem potentiæ, quæ ab intrinſeco deficit in cognitionem ſupernaturalem, quia ſupernaturalis eſt. Ergo ſi inſtructus habitu fidei non deſiderat concurſum immediatum ſpeciei ad cognitiones ſupernaturales fidei, neque ſecundum ſe deſiderabit ad cognitiones naturales. Explicatur. Si cum habitu fidei non eſt neceſſarius concurſus immediatus alicuius ſpeciei ad cognitiones ſupernaturales, certe concurſus immediatus ſpeciei non poteſt deſiderari, vt determinetur indifferentia intellectus ad vnum obiectum potius, quam ad aliud: nam ha-

Secundo.

Tertio.

Digitized by Google

bitus fidei ſecundum ſe indifferens ad innumera obiecta reuelata determinatur ad credendum vnum præ alio abſque concurſu immediato ſpeciei. Neque talis concurſus ſpeciei erit requiſitus, vt compleatur intellectus nomine obiecti; ſiquidem parte habitus infuſus ſubiens rationem intellectus ſupernaturalis completus exiſtit adæquate abſque concurſu immediato alicuius ſpeciei. Aliunde autem non poteſt exigi neceſſarius concurſus immediatus ſpeciei ad cognitiones naturales. Ergo is fruſtaneus eſſet, ſi non eſſet ad cognitionem ſupernaturalem fidei neceſſarius. At non eſt neceſſarius immediatus concurſus ſpeciei ſupernaturalis; cum fiant actus ſupernaturales fidei ſolis ſpeciebus naturalibus. Ergo datur concurſus immediatus ſpeciei naturalis in cognitionem ſupernaturalem fidei.

Neque qualitas ſupernaturalis diſtincta ab habitu eſt virtus ſpeciei naturalis.

77. Inſuper aliam qualitatem ſupernaturalem diſtinctam à fide eſſe virtutem operatricem ſpeciei ad eliciendum actus fidei, præterquamquod ex ſe apparet conficta ad euaſionem argumenti, inde non probo. Quoniam qualitates ſupernaturales conferentes immediate concurſum obiectiuum ſpeciei naturalis, vere, & proprie eſſent ſpecies ſupernaturales. At ponimus nunc cum aduerſarij, & probabimus diſputatione quinquageſima quarta, actus ſupernaturales fidei effici ſiue ſpeciebus ſupernaturalibus. Ergo non concurrunt qualitates ſupernaturales ſubſtituentes concurſum immediatum obiectiuum ſpeciei naturalis. Probatur maior. Species ſupernaturales eſt qualitas ſupernaturalis præſtans ſuopte munere in cognitionem ſupernaturalem concurſum obiecti, quem in cognitionem naturalem præſtat ſpecies naturalis; concurſus enim obiectiuus non eſt alterius qualitatis, quam ſpeciei. Illæ qualitates à te confictæ ſunt ſupernaturales, & præſtantes ſuopte munere in cognitionem ſupernaturalem fidei concurſum obiectiuum, quem in cognitionem naturalem præſtat ſpecies naturalis. Ergo ſunt veræ, ac propriæ ſpecies ſupernaturales. *Secundo.* Rurſus illæ qualitates ſupernaturales non infunduntur ſimul cum habitu fidei. Nam alias cum illis qualitatibus, quamquam abeſſent ſpecies naturaliter acquiſitæ, poſſet intellectus elicere actus fidei circa omnia reuelata, vt nuper arguebamus de ipſo habitu fidei. Neque infunduntur, cum intellectus eruditur notione credibilium. Nam intellectus ea notitia eruditus componitur cum diſſenſu credendorum, vt cernere eſt apud infideles, & hæreticos diſſentientes rebus credendis ſufficienter ſibi ab Eccleſia propoſitis. Qualitates autem ſupernaturales ad credendum fide ſupernaturali requiſitæ, præſertim ſuapte naturæ permanentes (quales eſſent illæ, quæ à ſolo Deo eſſent infuſæ, & non penderent à conconcurſu actiuo tranſeunti potentiæ naturalis) non debent componi cum diſſenſu credendorum; parum enim Theologicum videtur, aſſerere, manere Hæreticum cum virtute ſupernaturali permanenti, ad credendum neceſſaria. Nam ſicut ratione diſſenſus priuatur habitu fidei, priuari quoque debet virtute ſupernaturali ſubſtituente concurſum obiecti, cui aſſentitur. Igitur cum diſſ[illegible], quando infundantur intellectui virtutes iſtæ ſupernaturales ſpecierum naturalium, ſatius erit dicere, eas non infundi. Equidem omnia argumenta, quæ reij iunt ſpecies ſupernaturales influentes in actus fidei, poſſem contendere nunc contra iſtas qualitates ſupernaturales, eandem in præſens inſtitutum cum ſpeciebus ſupernaturalibus ſubeuntes conditionem, quæ reſeruo in diſputationem quinquageſimam quartam.

78. Dices cum Aluarez de auxilio, diſputatione quinquageſima ſexta, numero decimo octauo, ſpecies naturales eleuari ad aſſenſum fidei per auxilium ſupernaturale gratiæ præuenientis. *Reſponſio Aluarez.* Sed contra. Primo, quia auxilium gratiæ præuenientis, præſenti habitu ſupernaturali, non influit in genere cauſæ efficientis, ſed formalis, vt probabimus libro quinto. *Reijcitur primo.* At concurſus ſpeciei præſtare debet in genere cauſæ efficientis, vt ex libro de anima, & Metaphiſica pono. Deinde quia auxilium gratiæ præuenientis non eſt diſtinctum ab illuſtratione ſupernaturali intellectus, ad quam neceſſarius eſt præuius concurſus ſpeciei impreſſæ, vt fuſa diſputatione oſtendemus ibidem. *Secundo.* At ſpecies influens in illuſtrationem ſupernaturalem gratiæ præuenientis non eleuatur alio auxilio gratiæ præuenientis, ne detur proceſſio infinita eorum auxiliorum. Ergo non eleuatur ſpecies naturalis auxilio gratiæ præuenientis. Tertio quia auxilium gratiæ præuenientis non inhæret ſpeciei, prout in aduerſariorum ſententia requiritur, vt agens naturale intrinſecè improportionatum ad efficiendum actum ſupernaturalem proportionetur intrinſece ad efficientiam illius. *Tertio.* Ergo ſpecies naturalis virtute ſibi identificata influit in aſſenſum ſupernaturalem. Denique quia ſi tale auxilium ſupernaturale exhibet immediate concurſum obiectiuum ſpeciei, erit tale auxilium ſpecies quædam ſupernaturalis, vt nuper colligebamus de alijs qualitatibus ſupernaturalibus ſubſtituentibus concurſum obiectiuum. *Quarto.*

79. Superiori argumento in publicis diſputationibus à me propoſito duplici reſponſione occurſum eſt. *Reijcitur alia ſolutio.* Prima, ſpecies naturales modificari ad efficiendum actus ſupernaturales fidei modis quibuſdam ſupernaturalibus ipſis inhærentibus, & conſtituentibus potentes efficere ex parte obiecti cognitiones ſupernaturales. Secunda, ſpecies naturales non influere in cognitionem in genere cauſæ efficientis, ſed formalis. Neutra tamen ſolutio ſatisfacit. Prima quidem; quia illi modi ſupernaturales eſſent ſpecies quædam ſupernaturales, ſicut qualitas ſupernaturales,

Digitized by Google

quarum ſuperius meminimus. Cum ſuapte natura eſſent virtutes ſupernaturales adæquate præſtantes concurſum obiectiuũ ſpeciei, quod eſt proprium ſpeciei ſupernaturalis. Neque refert quidquã, qualitates eſſe modales aut reales, vt detrahamus illis rationem ſpeciei ſupernaturalis, vbi ſuopte munere ſubſtituant adæquate concurſum immediatum obiecti. Ergo eadem ratione, qua improbantur qualitates ſupernaturales reales gerentes munus ſpeciei, improbari debent qualitates ſupernaturales modales. Præterquam quod ægre tribuitur modis virtus adæquata actiua obiecti in cognitionem ſupernaturalem. Eo enim pacto poſſet ſpecies naturalis aſſeri qualitas modalis inhærens intellectui ad iuuandum loco obiecti actiuitatem naturalem ipſius in cognitionem naturalem. Nam ſicut modus quidam ſupernaturalis poteſt adæquate conferre actionem obiecti in cognitionem ſupernaturalem, ſimiliter poſſet alius modus naturalis actionem adæquatam obiecti conferre in cognitionem naturalem. Item ſi ſpecies naturales modificatæ ſupernaturaliter poſſunt efficere cognitionem ſupernaturalem fidei, alijs modis ſupernaturalibus poſſent ſimiliter efficere cognitionem ſupernaturalem ſcientiæ infuſæ. Atque adeo non eſſet quare darentur ſpecies ſupernaturales ad vllam cognitionem ſupernaturalem, cum modi iſti ſupernaturales ad præſtandum concurſum efficientem obiecti ſufficerent. Imo poſſet ſimiliter intellectus proportionari ex parte potentiæ ad efficiendum cognitionem ſupernaturalem modificatus per ſimiles modos, quin eſſet opus ad id munus habitu ſupernaturali. Quandoquidem modi ſupernaturales continent virtutem actiuam adæquatam actus ſupernaturalis nomine obiecti: & pari modo poſſent etiam continere virtutem actiuam adæquatam nomine potentiæ. Hoc autem inauditum eſt. Ergo tribuendus eſt ſpeciei naturali immediatus influxus in cognitionem ſupernaturalem, eleuante habitu ſupernaturale tum virtutem potentiæ, tum virtutem ſpeciei ad eam cognitionem, modo quo alibi exponemus. Secunda ſolutio diſplicet. Tum quia cum melioribus Philoſophis ponimus ex libro de anima, ſpeciem efficientem eſſe cognitionis: id quod Thomiſtæ, quos inſequimur, non diffitentur. Tum quia in concurſu formali ſpeciei naturalis exiſtit eadem difficultas, quæ in concurſu efficienti, vt mox ſuadebo tertia paritate, ex qua argumentabor numero 81.

Alia ſolutio deſeritur.

Secunda paritas ex habitu acquiſito naturali.

80. Secunda paritas ſumitur ex habitu acquiſito naturali. Habitus acquiſitus naturalis facilitat potentiam ad actus ſupernaturales. Monſtrabimus diſputatione quinquageſima ſecunda, ſectione quarta. At facilitare non poteſt conferens concurſum remote per virtutem aliquam ſuperaditam ſupernaturalem, ſed immediate per ſeipſum. Ergo principium naturale poteſt immediata actiuitate vigere in actum ſupernaturalem. Probatur minor. Et pono, habitum naturalem non in genere cauſæ formalis, ſed efficientis facilitare potentiam. Item facilitatem potentiæ habitualem conſiſtere in eo quod, concurſus habitus acquiſiti eleuet, ſeu minuat concurſum vitalem potentiæ, vt eo virtus potentiæ ſecum concurſum in plures actus cum habitu acquiſito intendere poſſit, quam ſine illo. Hoc enim libris de anima expediui, & attingam diſputatione quinquageſima ſecunda, ſectione quarta. Nunc ſic argumentor. Si nec potentia, nec habitus naturalis exhibet immediatum concurſum in actum ſupernaturalem; neque habitus naturalis ſubſtituere; neque potentia naturalis ſuum minuere concurſum poteſt. Nam virtus ſupernaturalis ſuperaddita habitui naturali non poteſt eſſe vicaria virtutis naturalis potentiæ, neque eius concurſum minuere, ſi ipſa immediate nullum præſtat concurſum in actum ſupernaturalem; veriuſque habitus infuſus, qui eſt tota virtus agendi potentiæ, facilitabitur per habitum acquiſitum, quam ipſa potentia naturalis, cum potentiæ nulla agendi facilitas adeſſe poſſit niſi ea, quæ habitui infuſo adeſt. At aſſerere habitum infuſum immediate facilitari per habitum acquiſitum, & non potentiam naturalem, parum Philoſophicum eſt, cum ea ſola potentia facilitatis capax ſit, quæ eſt difficultatis capax. Difficultatis autem operandi actus ſupernaturales ſola potentia naturalis, non habitus infuſus capax eſt. Ergo ſola potentia immediata facilis redditur per habitum acquiſitum. Ac proinde ipſa immediate actiua eſt, & habitus etiam naturalis ſe ipſo immediate eſt ſubſtitutiuus concurſus illius. Præterea, quia ſi daretur virtus aliqua ſupernaturalis vſu continuo operandi comparata, quæ immediate, & proxime facilitaret potentiam, plane illa eſſet habitus ſupernaturalis acquiſitus, qui negari ſolet ab ijs, qui admittere nolunt continua operatione obtineri habitum ſupernaturalem mere facilitantem potentiæ. Nam is habitus non intelligitur aliud, quam qualitas ſupernaturalis, ſiue realis, ſiue modalis quæ ſuo influxu in actum ſupernaturalem ad agendum non neceſſario facilitat potentiam. Eiuſmodi eſſet virtus ſupernaturalis ſuperaddita habitui naturali ad facilitatem potentiæ in actus ſupernaturales. Ergo.

81. Tertia paritas ſit concurſus formalis immediatus, quem præbent plures formæ naturales in actus ſupernaturales: ſpecies naturalis determinando, habitus acquiſitus habilitando, præmiſſa naturalis in conſortio præmiſſæ ſupernaturalis inducendo concluſionem ſupernaturalem in ſententia, quæ ſpeciei, habitui, & præmiſſis tribuunt concurſum formalem; & quod mihi verius eſt, & probabo diſput. 49. plures cognitiones, & affectus naturales mouent, & inducunt voluntatem immediate in affectus ſupernaturales. Ergo aliquod principium naturale poteſt immediatam actionem exercere in actus ſupernaturales, adiutum viribus ſupernaturalibus. Pro-

Tertia paritas ex cõcurſu formali naturalium formarum in actus ſupernaturales.

Digitized by Google

batur conſequentia, quia formæ naturales ſecundum ſe ſeorſim ab auxilijs ſupernaturalibus mouere nequeunt voluntatem in effectus ſupernaturales; nam ſeorſim ab auxilijs ſupernaturalibus affectus naturales impoſſibiles ſūt, ac nulla forma poteſt voluntatem in actum impoſſibilem abſolute mouere. Poſitis autem auxilijs ſupernaturalibus redduntur formæ naturales abſolute potentes mouere immediate voluntatem, quam ſine illis non poterant. Ergo ſimiliter, licet natura ſecundum ſe impotens ſit efficere immediate actum ſupernaturalem, poteſt auxilio ſupernaturali reddi potens efficere actum ſupernaturalem, non quomodocumque, ſed immediate, ac per ſe. Nec obſtat, ſi reſpondeas, nobiliorem eſſe concurſum efficientem, quam formalem. Quoniam concurſus formalis adeo ignobilis non eſt, vt formalis motio, quam per ſe ſupponit actus ſupernaturalis, non prærequiratur ſuper naturalis, vt diſp. 49. oſtendemus: quare omnis affectus ſupernaturalis non poteſt non ex cognitione ſupernaturali dirigi, omnis conſenſus ſupernaturalis ex ſupernaturali illuſtratione, & affectione; quod in cauſalitate materiali ignobiliori non cernitur, quæ à cauſa naturali præſtatur, etiamſi per ſe exigatur à ſupernaturali actu. Ergo concurſus formalis cum concurſu partiali efficienti de nobilitate contendere poteſt. Nihilominus formalis immediate exhibetur à forma naturali, cum per ſe requiſitus non eſt. Ergo etiam efficiens præſtari immediate poteſt à principio naturali, cum eſt partialis.

SECTIO DECIMASEPTIMA.

Duodecima probatio rationibus à poſteriori.

Prima ratio à poſteriori.

82. PLures rationes à poſteriori noſtræ ſententiæ veritatem euincunt. Quarum prima, eaque efficaciſſima eſt. Actus ſupernaturalis poteſt fieri à natura rationali per auxilium extrinſecum abſque vlla qualitate ſibi intrinſeca efficienti. Si naturæ non ineſſet virtus aliqua immediata in actus ſupernaturales, ſed tota virtus agendi eſſet qualitas ſuperaddita, non poſſet fieri actus ſupernaturalis per auxilium extrinſecum abſque vlla qualitate intrinſeca efficienti. Ergo ineſt naturæ rationali vis aliqua immediata in actus ſupernaturales, totaque vis nō eſt qualitas ſuperaddita. Argumentum manifeſte concludit. Maior diſputatione ſequenti differenda eſt. Minor eſt certiſſima, & ipſis aduerſarijs conſtantiſſima. Qua enim ratione poteſt actus ſupernaturalis fieri à natura rationali abſque virtute actiua? Nam ſi naturæ vis aliqua immediata non ineſſet, non fieret actus à natura rationali deſtituta auxilio intrinſeco, ſed adæquate fieret ab auxilio extrinſeco diuino, quod à diuina voluntate indiſtinctum eſt.

83. Secunda etiam momenti eſt. Si Deus conſeruet habitum ſupernaturalem per creationem, ſine vnione cum natura, tamen intime penetratum, & aſſiſtentem naturæ, ſicut qualitates actiuas Euchariſtiæ in plurimorum ſententia, non poterit habitus ſolus adæquate efficere actus ſupernaturales. At ſi habitus ſolus eſſet adæquata virtus agendi actus ſupernaturales, poſſet habitus ſic exiſtens, ſolus, & adæquate efficere actus ſupernaturales in natura rationali. Ergo ſolus habitus non eſt immediata virtus totalis agens actus ſupernaturales. Minor, & conſequentia conſtant. Quis enim eò deſipiat, vt aſſerat, poſita habitus ſupernaturalis creatione poſſe actum charitatis, verbi gratia, ex natura rei ab habitu ſeiuncto à natura adæquate prodire. Maior probatur à poſteriori; quia calor ignis per creationem ſeiunctus à ſubſtantia ignis eodem modo efficiet calorem, ac igni coniunctus, quia eſt adæquata virtus efficiendi calorem; quod de facto contingere in Euchariſtia accidentibus panis, & vini, plerique tuentur. Ergo ſimiliter habitus ſupernaturalis diuiſus à ſubſtantia rationali, eidemque penetratus poterit adæquate actus ſupernaturales infundere, ſicut infundebat vnitus, quia tam eſt adæquata virtus agendi illos, quam calor eſt agendi calorem. Quid; ſi vt Cabrera, & alij recentiores arbitrantur, eſſet habitus ſimul virtus adæquata recipiens? Plane tunc poſſet habitus omnino auulſus à natura rationali ſuis actibus proxime, ac immediate viuere mererique, libertatem proximam exercendo. Quo nihil abſurdius. A priori; quia ſubſtantia animæ in actus ſupernaturales nullam confert cauſalitatem præter mediatam, ſuſtentans principium adæquatum immediatum. At cauſalitatem iſtam ſupplere Deus poteſt conſeruans habitum per creationem; quod enim ſuſtentatio animæ confert in actus, tantum eſt exiſtentia habitus, quæ ſubiectum requirit, nam ſuppoſita exiſtentia habitus, nihil præſtat anima, quod adæquate non fit ab habitu. Exiſtentiam autem adipiſcitur habitus per creationem. Ergo habitus ſemel per creationem exiſtens eoſdem actus poterit agere, quos vnitus animo agebat. Explicatur; habitus per vnionem cum animo nullas vires adquirebat ad agendum actus ſupernaturales, quia ipſi erat identificata tota virtus actiua, & animus ex ſe nullas conferebat vires. Ergo ſine vnione exiſtens eiuſdem actiuitatis, ac virtutis erit ad agendum actus ſupernaturales. Secunda.

84. Dices, actus ſupernaturales eſſe vitales, ideoque exigere vnionem habitus cum animo, vt immanentes ſint. Sed contra; ſi actus recipiantur adæquate in habitu, vt putat Cabrera, vitales erunt, quamuis habitus ab animo diuiſus ſit; ſiquidem per ipſum habitus eſt principium vitale, & immanenter actiuum. Deinde, quia noſtro argumento colligimus, actus ſupernaturales non fore eſſentialiter vitales, ſi habitus aſſeratur adæquata virtus agendi. Quoniam inde deducitur, poſſe fieri actus ab habitu extrinſeco potentiæ, ac proinde Euaſio nullius momenti.

Digitized by Google

tranſeuntes, quia virtus adæquata, qua fiunt, poteſt extrinſeca potentiæ exiſtere, & ſic extrinſeca operari, cum vnio intrinſeca habitus cum potentia naturali nihil actiuitatis præſtet habitui, neque diuiſio demat. Quod igitur actus ſupernaturales tueamur vitales, argumento eſſe debet, vt tota agendi virtus non poſſit eſſe extrinſeca animo; aut ſi extrinſeca eſſe poteſt, non debent actus eſſentialiter vitales, & immanentes haberi. Adde, à me libris de anima oſtenſum, poſſe Deum ſe ſolo actus intelligendi, & amandi tranſeunter producere. Ergo etiam poterit habitus infuſus, ab animo ſeparatus elicere adæquate actus ſupernaturales.

Alia euaſio fruſtranea. 85. Dices ſecundo, potentias vitales diſtinctas ab anima efficere adæquate actus vitales naturales: tamen ab anima ſeiunctas illos efficere non poſſe. Sed contra; etiamſi potentiæ ab anima diſtinguantur, tribui debet animæ immediatus influxus in illos, eo ipſo quod potentiæ ab anima ſeiunctæ nequeunt adæquate actus vitales naturales efficere; quare libro de anima aſſerui, ſubſtantiam animæ immediata actiuitate in actus vitales naturales deſtitui non poſſe, quamuis aſſerantur potentiæ ab ipſa ſubſtantia animæ diſtinctæ. Ergo hac paritate potentiarum animæ potius confirmatur, quam eneruatur noſtrum argumentum.

Tertia ratio à poſteriori. 86. Tertia ratio à poſteriori fit. Quia ſi quis cognitione ſupernaturali conſideret in Paſſione Chriſti Domini, tum rationem motiuam gratitudinis, tum rationem motiuam charitatis, aut alterius virtutis, eo ardentius poterit incumbere in affectum vnius virtutis, verbi gratia, gratitudinis, quominus voluntas diſtrahatur in affectus aliarum virtutum: quare ſpirituales iure conſulunt orationi deditos, ne in varios affectus virtutum diuagentur, ſi intenſe, & ardenter vni, ac ſingulari virtuti incumbere cupiunt. At hoc experimentum aliunde euenire non poteſt, niſi quia virtus immediata voluntatis, cum finita ſit, dum occupatur in affectus vnius virtutis, deficit ad affectus alterius, in quos etiam immediate concurrit. Ergo virtus immediata voluntatis concurſum præſtat in affectus ſupernaturales. Minor probatur. Nam defectus virium ad religionis, aut charitatis affectus, quia ardenter intendit animus in affectus gratitudinis, exiſtente eadem conſideratione intellectus non poteſt prouenire ex defectu ſpirituum vitalium, qui ad alios affectus neceſſarij ſint; quoniam ſpiritus vitales non deſeruiunt immediate affectibus voluntatis, ſed media cogitatione intellectus, & phanthaſiæ, quæ eadem ad vtroſque affectus perſeuerat. Neque ex defectu virtutis actiuæ habitus ſupernaturalis, cum diuerſi habitus ad eos affectus diuerſos concurſum præſtent, neque habitus religionis in effectum gratitudinis occupetur. Ergo inde ſolum prouenit, quod eadem virtus voluntatis immediate in vtroſque affectus concurſum præſtitura eſt, & occupata intenſe in actione vnius effectus, non relinquitur expedita virtus ad actionem alterius. Neque in aliam cauſam is euentus referri poteſt. Maneat igitur, virtutem voluntatis intrinſecam actione immediata incumbere in officia omnium virtutum.

SECTIO DECIMAOCTAVA.

Poſtrema probatio à priori.

87. PArtialem animæ concurſum immediatum in actus ſupernaturales ea ratio à priori mihi manifeſtum facit; quod concurſus partialis immediatus naturæ rationalis in actum ſupernaturalem non repugnat ſupernaturalitati actus. Ergo poteſt natura ſimul cum habitu præbere concurſum immediatum in actum ſupernaturalem. Etenim ſola ſupernaturalitas actus poteſt demere naturæ rationali concurſum immediatum partialem in actum ſalutarem; neque alius titulus demendi illum ab aduerſarijs proponitur, niſi quia actus ſupernaturalis eſt. Probatur igitur antecedens. Cum partiali concurſu immediato naturæ rationalis poteſt componi, quod actus ſit ſupernaturalis. Ergo talis concurſus non repugnat ſupernaturalitati actus. Probatur antecedens. Cum eo concurſu immediato partiali naturæ poteſt componi, quod actus ſit abſolute, & ſimpliciter ſupra omnes vires naturæ, tam eas, quas natura poteſt exhibere, quam eas, quas poteſt exigere. Sed vt actus exiſtat ſupernaturalis, ſufficit, quod ſit ſupra omnes vires naturæ, tam eas, quas natura poteſt exhibere, quam eas, quas poteſt exigere. Ergo cum immediato concurſu naturæ poteſt componi, quod actus exiſtat ſupernaturalis. Conſequentia eſt optima. Minor conſtat ex diſputatione quinta, ſectione ſecunda, nam actus, qui exiſtere non poteſt omnibus viribus naturæ, tam ijs, quas natura poteſt exhibere, quam ijs, quas natura poteſt exigere, naturalis eſſe non poteſt; ſiquidem ad eius exiſtentiam neceſſariæ ſunt vires ſupernaturales. Probatur maior. Si ponatur, habitum ſupernaturalem neceſſarium eſſe ad concurſum immediatum naturæ in actum ſalutarem, & eum habitum non exigi à natura, vt teipſa ponitur à nobis, ſane is actus ſalutaris abſolute, & ſimpliciter eſt ſupra omnes vires naturæ, tam eas, quas natura poteſt exhibere, quam eas, quas poteſt exigere. Supra eas, quas poteſt exhibere; quia ſolæ vires naturæ ſine habitu ſupernaturali non ſufficiunt efficere actum ſupernaturalem, ſicut turris eſt pondus abſolute ſuperans meas vires, quia non ſufficiunt ſolæ ad eam eleuandam, quamuis alijs coniunctæ poſſint impetum aliquem conferre. Supra eas autem, quas poteſt exigere, quia neceſſariæ ſunt vires ſupernaturales habitus ſupernaturalis, aut alterius principij, quas

Propoſitur ratio.

natura exigere nequit. Ergo concurſus immediatus naturæ poteſt componi cum excellentia actus ſupra omnes vires naturæ, tum ea, quas natura exhibere poteſt, tum eas, quas poteſt exigere.

Prima fuga præcluditur.

88. Dices primo, eo ipſo, quod naturæ tribuatur partialis actiuitas immediata in actus ſalutares, tribui habere exigentiam intrinſecam habitus ſupernaturalis, aut alterius principij, per quod compleatur; ideoque non fore ſupra vires, quas natura poteſt exigere. Sed contra. Naturæ rationali conceditur virtus paſſiua immediata, & intrinſeca ad recipiendum formas ſupernaturales. Tamen negatur exigentia intrinſeca virtutis actiuæ illarum. Ergo concedi etiam poteſt virtus actiua partialis alicuius formæ ſupernaturalis, negata exigentia intrinſeca virtutis ſupernaturalis, per quam compleatur. Nam tantum indiget virtus paſſiua formæ ſupernaturalis virtute actiua eiuſdem formæ, vt reducatur in actum, quam virtus partialis actiua indiget altera compartiali; tantumque capax eſt ex ſe ſubiectum exigendi formam, per quam perficiatur, quantum eſt capax ex ſe agens exigendi effectum, in quo exerceatur. Ergo ſi poteſt eſſe ſubiectum naturale immediate ſuſceptiuum formæ ſupernaturalis, quin exigat formam, neque virtutem agentem illius, poterit quoque eſſe principium naturale immediate actiuum formæ ſupernaturalis, quin eumdem exigat, neque virtutem coagentem illius. Ratio eſt; quia virtus immediata, tam paſſiua, quam actiue formæ ſupernaturalis non eſt abſoluta, ſed tantum conditionata, nimirum ſub conditione, quod forma poſſibilis ſit, & à Deo præbeatur virtus ſupernaturalis neceſſaria ad illam, abſque vllo ordine tranſcendenti naturæ in talem formam pro ut diſputatione trigeſima ſecunda, exponemus. Virtus autem exigens effectum, & compotentiam ad illum, debet eſſe abſoluta, & non conditionata, tranſcendentique ordine connexa cum illo.

Item ſecũda.

89. Dices ſecundo, eum effectum eſſe ſupra omnes vires naturæ, quem nullæ naturæ vires immediata actione attingere valent; actũ autem, in quem natura rationalis immediatam actiuitatem confert, poſſe immediata actione virium naturalium attingi? Sed contra; effectus ſupernaturalis non eſt, quem nullæ naturæ vires etiam partiali actione attingere valent, ſed quem ſolæ naturæ vires diſtinctæ à viribus ſupernaturalibus non valent attingere; nam qui viribus naturæ adiutis neceſſario auxilio ſupernaturali editur in lucem, naturalis eſſe repugnat. Quippe exigit comprincipium aliquod ſupernaturale ſolis naturæ viribus non contentus. Effectus autem naturalis ſolis naturæ viribus contineri debet, nullaque ratione principium aliquod ſupernaturale ſui actiuum exigere; alioqui deberetur exiſtentia alicuius doni, ſeu principij ſupernaturalis exigentiæ alicuius entis naturalis, quod repugnat. Effectus itaque exigens principium aliquod ſupernaturale, quamuis partiale, & ſimul cum immediata actiuitate naturæ erit ſupernaturalis, & non naturalis. Ac proinde ſupernaturalitas effectus non exigit omnia principia ſupernaturalia, ſed aliqua. Explicatur: Ad ſupernaturalitatis excellentiam non ſolum requiritur exceſſus virtutis actiuæ, ſed etiam paſſiuæ, vt contra Scotum tenaciter tuentur aduerſarij, & expediuimus nos diſputatione quinta & octaua. Nihilominus poteſt eſſe virtus paſſiua immediata formæ ſupernaturalis, quia talis virtus in ſuos actus immediatos reduci non poteſt abſque virtute actiua ſupernaturali. Ergo ſimiliter poterit eſſe excellentia ſupernaturalis ſupra virtutem actiuam naturæ, quamuis aliqua actiuitas immediata naturæ conueniat in actionem, quia non illa ſola, ſed ſocietate virium ſupernaturalium in actionem concurrit. Iterum explico. Nullus exiſtit, nec poſſibilis eſt actus virtutis naturalis, qui per ſe exigat actum ſupernaturalem, tanquam principium partiale, iuuans immediatam actiuitatem naturæ. Si autem actus ſupernaturalis ex conceptu ſupernaturalitatis exigeret adæquatam virtutem agentem ſupernaturalem, poſſet eſſe aliquis actus naturalis, & exigens ſimul cum immediata actiuitate naturæ comprincipium aliquod ſupernaturale: Ergo ſi is repugnat, ideo eſt, quia eo ipſo quod aliquod principium ſupernaturale exigatur ad illum, quamuis partiale ſit, neceſſario actus erit ſupernaturalis. Ac per conſequens ad ſupernaturalitatem actus ſufficit exigere per ſe aliquod principium ſupernaturale, quamuis partiale, quin adæquata virtus actiua neceſſario ſit ſupernaturalis.

90. Ratio à priori propoſita confirmatur. Actus ſalutaris, non ſolum eſt ſupernaturalis, ſed etiam vitalis, ita vt nulla ſit in eo formalitas, quæ vitalis non ſit, ſicut non eſt formalitas, quæ non ſit ſupernaturalis. Nihilominus omnia principia actiua illius non ſunt neceſſario vitalia. Nam ſpecies impreſſa influit in cognitionem vitalem, quamuis non ſit vitalis. Ergo neque omnia principia actiua actus ſupernaturalis erunt neceſſario ſupernaturalia. Nam ſicut titulo ſupernaturalitatis poſſit actus prodire à principio ſupernaturali, ita titulo vitalitatis à principio vitali. Ergo ſicut ad vitalitatem ſufficit vnicum principium actiuum vitale, quamuis aliud influat non vitale; ita ad ſupernaturalitatem ſufficiet vnicum principium actiuum ſupernaturale, quamuis aliud influat naturale. Confirmatio doctrinæ.

SECTIO DECIMANONA.

Vlterior probatio auctoritate Sancti Thomæ.

ACtiuitatem immediatam naturæ rationalis in actus ſupernaturales, non ſolum ſacris teſtimonijs, Eccleſiæ Concilijs, ſanctis Pa-

Digitized by Google

tribus, Theologiciſque rationibus conſonantiorem credo, quod præteritis ſatis elucidatum eſt; verum etiam menti præceptoris Angelici conformiorem contendo, quod ad plenum noſtræ ſententiæ plauſum deſiderabatur. Primum teſtimonium promo ex 1.p.q.12.art.5.corpore. *Cum virtus naturalis intellectus creati non ſufficiat ad Dei eſſentiam videndam, oportet, quod ex diuina gratia ſuperacreſcat ei virtus intelligendi? Et hoc augmentum virtutis intellectiuæ eſt lumen, &c.* Non dixit ſanctus Thomas, virtutem naturalem intellectus creati nullam actiuitatem conferre in viſionem eſſentiæ diuinæ, ſed ſupponens, aliquam conferre, ſolum dixit, eam ſufficientem non eſſe, ac proinde egere gratiâ diuinâ. Quam rurſus non docuit eſſe totam virtutem intelligendi intuitiue Deum, ſed crementum, & augmentum virtutis. Crementum autem, & augmentum virtutis fieri non poteſt, niſi additione partis virtutis in partem virtutis præcedentem, vt augmentum caloris, & quantitatis ad aliam caloris, & quantitatis partem, qua præcedens maior exiſtat. Quare ſolutione ad primum ait ſanctus Thomas; *lumen eſſe neceſſarium ad hoc quod intellectus fiat potens ad intelligendum.* Ne autem ſuſpicaremur, totam potentiam, & actiuitatem immediatam eſſe lumen, limitat, addens; *per modum quo potentia fit potentior per habitum.* Ergo lumen non reddit intellectum potentem ſimpliciter, tamquam tota virtus, ſed tanquam pars ſupponens partem potentiæ, quæ aduentu alterius partis potentior, & robuſtior relinquitur, vel, vt habet ſolutione ad 2. *confortatur.* Ideo elucidat neceſſitatem luminis gloriæ, neceſſitate luminis corporei; *ſicut etiam & lumen corporale neceſſarium eſt in viſu exteriori*; quod plane viſus actiuitatem immediatam ſupponit, quæ accedente lumine cum ipſo viſionem eliciat. Nam ſi quis aſſerat, per calorem inhærentem aquæ augeri virtutem calefactiuam aquæ, illamque reddi potentiorem ad calefaciendum, apertiſſimè ſignificaret, ineſſe aquæ vim aliquam immediate efficientem caloris. Ergo eo dicendi modo manifeſtiſſime expoſuit ſanctus Thomas, ineſſe intellectui vim aliquam immediate efficientem viſionis beatæ, & ſolum lumen non eſſe adæquate virtutem agendæ viſionis.

Primum S. Thomæ teſtimonium.

91. Secundum teſtimonium expendo ex prima parte q.62.art.6. ad finem, corpore; vbi docet, *naturam Angelicam ſecundum totam virtutem moueri.* Ideoque; *Angelos, qui meliorem naturam habuerunt, etiam fortius, & efficacius ad Deum, eſſe conuerſos.* Ergo in Angelis virtus propria naturæ contulit immediate quidquam ad conuerſionem in Deum. Alioqui nihil referret melior natura, vt fortius, & efficacius conuerterentur, fruſtraque ex maiori efficacitate naturali colligeret, inteſiorem, & efficaciorẽ conuerſionem. Quare ad ſecundum ait; *Quod actus rationalis creaturæ ſunt ab ipſa ſed natura immediate à Deo. Vnde magis videtur, quod gratia detur ſecundum gradum naturæ.* Itaque ſicut natura eſt immediate à Deo, ita actus cõuerſionis in Deum, de quo ibi differebat ſanctus Thomas, eſt immediate à natura Angelica: atque adeo ſecundum conatum, & perfectionem naturæ, datur perfectio gratiæ. Quod confirmat 2.2.q.24.art.3. ad 3. ibi: *Angelus eſt intellectualis natura, & ſecundum ſuam conditionem competit ei, vt totaliter feratur in omne id quod fertur, vt in primo habitum eſt. Et ideo in ſuperioribus Angelis fuit maior conatus ad bonum in perſeuerantibus, & ad malum incadentibus.* Expende, Angelum ſecundum ſuam conditionem naturalem toto impetu ferri in actum pietatis bonum, ſicut in malum. At in malum fertur actione immediata, quamuis adæquata. Ergo in bonum fertur actione immediata, quamuis partiali. Alias non ageret ſecundum naturalem conditionem, ſed ſecundum perfectionem gratiæ.

Secundum teſtimonium.

Confirmatur.

92. Tertium teſtimonium obijcio ex primo ſentent. diſt.17.q.2.art.3.corpore. *Homo eſt Dominus ſui actus. Vnde poteſt agere ſecundum totam virtutem naturæ ſuæ, vel ſecundum partem, quod non contingit in illis, quæ agunt ex neceſſitate naturæ; ſemper enim agunt tota virtute ſua. Quando ergo ita eſt, quod homo non habens charitatem ex tota virtute bonitatis naturalis mouetur ad charitatem, tunc vnus actus diſponit eum vltima diſpoſitione, vt charitas ſibi detur. Quando vero non ſecundum totam virtutem, ſed ſecundum aliquid eius præparatur ad charitatem; Tunc actus non eſt ſicut diſpoſitio vltima, ſed remota, & per plures actus poterit peruenire ad diſpoſitionem vltimam.* Quibus manifeſtè ſupponit Angelicus doctor, hominem agere immediate ſecundum virtutem actiuam naturalem. Quare mox ſubiungit; *Similiter dico, quod quando actus charitatis procedit ex tota virtute habentis, & quantum ad virtutem naturæ, & quantum ad virtutem habitus infuſi, tunc vnus actus diſponit, & meretur augmentum charitatis, vt ſtatim fiat. Quando autem non ſecundum totam virtutem procedit, tunc eſt vt diſpoſitio remota.* En in habente charitatem infuſam diſtinguit duplicem virtutem, alteram naturæ, alteram habitus infuſi, & vtrãque requirit ſecundum totam ſuam actiuitatem operari, & non ſecundum partem, vt totum augmentum habitus mereatur. Ergo virtus naturæ diſtincta à virtute habitus infuſi conatum, & concurſum immediatum confert in actum charitatis ſimul cum habitu infuſo.

Tertium.

93. Quartum teſtimonium educo ex lib. 4. contra gen. c. 22. in medio, ibi: *At Spiritu ſancto filij Dei aguntur quodammodo, non ſicut ſerui, ſed ſicut liberi. Cum enim liber ſit, qui ſui cauſa eſt, illud libere agimus, quod ex nobis ipſis agimus, hoc vero eſt, quod ex voluntate agimus.* Conſidera, ad actionem liberam requiri à ſancto Thoma, quòd actio ex nobis ipſis, hoc eſt, virtute actiua voluntatis fiat; quòd enim fit ſola virtute extrinſecùs impreſſa, neque libere, neque ex nobis ipſis agimus. Item hominem ab Spiritu ſancto non agi ſimpliciter, ſed *quodammodo*, & ſecundum quid. Si autem virtus Spiritus ſancti eſſet tota, & adæquata actiuitas, ſimpliciter, & nõ ſecundum aliquid ſolùm ageretur à Spiritu ſancto. Sic exponit Præceptorem Ferrarienſis ibi §. *Ad huius accidentiam* ijs verbis. *Tale dicitur agi ſecundum quid, cui non determinatur actio ab extrinſeco, ſed ipſum ſe determinat, ſed tamen aliqualiter inclinatur ad agendum ab extrinſeco. Quia ergo ſic Spiritus ſanctus nos ad agendum*

Quartum.

Ferrarienſis illuſtrat.

Digitized by Google

inclinat, quod libere tamen operamur, & ex proprio arbitrio tanquam habentes in noſtra poteſtate ſequi aut non ſequi Spiritus ſancti inclinationem, & motionem, ideo dicimur ab ipſo agi, non ſimpliciter, ſed ſecundum quid. Itaque, quia poſita virtute Spiritus ſancti, proprio arbitrio, propriæque voluntati relinquitur determinatio, ideo non ſimpliciter agi, ſed tantum quodammodo, & ſecundum quid dicimur: Hoc autem abſque aliqua actiuitate propria arbitrij, quam homo præter virtutem Spiritus ſancti conferat in actionem, verum eſſe non poteſt. Nam ea determinatio, quæ proprio arbitrio tribuitur, & non adæquate Spiritus ſancti virtuti, propria eſt virtutis actiuę arbitrij, & non paſſiuæ.

Confirmatur mens S.Thomæ.

94. Superiora confirmant, quæ ex diuo Thoma alijs probationibus adduximus. Nam ſect.3.n.15. arbitrium deſtitutum gratia ſemiuiuum reputat ad recuperandam integram ſanitatem; ſect.9. n.42. ab homine Deum adiuuari, & quia illi dignitatem cauſalitatis communicet virtutem exequentem ſuæ voluntatis diſpenſat; inſuper ſect. 14. voluntatem humanam non ſolum agere, vt motam à Spiritu ſancto, ſed etiam ſecundum propriam virtutem ab intrinſeco, quia alias actus charitatis non eſſet voluntarius; Rurſus ſect.15. hominibus miniſtratam à Deo virtutem, per quam determinatur actio habitus infuſi, & cuiuſuis alterius principij ſupernaturalis relinquentis libertatem. Hæc autem omnia, vt inibi expendimus, arguunt actiuitatem immediatam naturæ rationalis, diſtinctam ab actiuitate gratiæ diuinæ. Ergo iuxta mentem ſancti Thomæ adſtruitur natura rationalis immediate actiua ſimul cum gratia actuum intrinſece ſupernaturalium. Euidentior apparebit mens iſta præceptoris Angelici, cum probemus, ab ipſo doceri, poſſe actus ſupernaturales fieri à natura rationali ſine auxilio intrinſeco, ſolum per aſſiſtentiam virtutis abſolutæ Dei. Nam vt ipſis aduerſarijs in confeſſo eſt, repugnat, actum fieri à natura ſine auxilio intrinſeco, vbi tota eius virtus, auxilium intrinſecum aſſeratur; quia repugnat eſſe effectum à cauſa ſine virtute actiua cauſæ.

Obiicitur primo S. Thomas contra noſtram ſententiam.

95. Videamus, quibus aſſiſtant ſibi Præceptorem Angelicum aduerſarij patronum. Primò, quia negat Deum eſſe cum libero arbitrio cauſam partialem, ſicut eſt ille, qui cum alio trahit nauim; quo exemplo partialitas gratiæ, & diuinæ virtutis explicari ſolita eſt. Ergo cenſet, diuinam virtutem eſſe totalem, non partialem. Probatur antecedens. Nam 4. cont.gent. c.7 n.16. ait; *Quando duo agentia partialiter trahunt nauim, quia virtus cuiuslibet imperfecta eſt, & inſufficiens ad iſtum effectum, ex diuerſis virtutibus congregatur vna virtus omnium, quæ ſufficit ad trahendum nauim.* Hic docet ſanctus Thomas cauſas partiales eſſe imperfectas, ideoque vnam adæquatam ex pluribus integrari. Virtus autem diuina imperfecta eſſe repugnat. Ergo.

Prima expoſitio.

96. Reſpondeo cum eodem ſancto Thoma adducto n.42. Cauſa partialis, ſicut adiutrix, eſt duplex. Alia, quæ ab alia cauſa compartiali virtutem accipit, eamque inſufficientem, & debilem: ideoque hæc ratio cauſæ partialis Deo repugnat. Alia quę nullam accipit virtutem ab alia compartiali, neque propter defectum virtutis, & perfectionis partitur cum alia cauſalitatem, ſed vel, vt alijs dignitatem agendi communicet, vel propter peculiarem exigentiam, & repugnantiam effectus. Qua ratione Deus poteſt eſſe cauſa partialis cum creaturis, eiſque tanquam miniſtris, & adiutoribus vti, abſque vlla imperfectione ſuæ virtutis. Reſpondeo Secunda.
ſecundo. Sanctus Thomas non docet in genere cauſam partialem, quęcunque illa ſit, eſſe imperfectam, ſed illam ſolum, quæ cum alia eodem modo, in eodemque genere concurrenti cauſalitatem neceſſario diuiſam habet: tunc enim neceſſitas alterius cauſæ partialis ſolum ex debilitate, & imperfectione virtutis euenire poteſt. Deus autem, & liberum arbitrium non efficiunt eodem modo actus ſupernaturales: cum Deus non iuuat, neque formalem ſuam libertatem exerceat per eos actus ſicut homo. Præterea licet diuinæ omnipotentiæ nulla im- Tertia.
perfectæ virtutis labes poſſit adſcribi: cæterum habitui infuſo, & alicuiuis auxilio creato gratię diuinę poteſt aliqua virtutis imperfectio conuenire, vt conueniunt alię imperfectiones accidentis, corruptibilitatis, & ſimiles. Denique Quarta.
ſanctus Thomas non aſſerit, virtutem partialem trahentium nauim eſſe imperfectam, ſed quando illa partialis eſt, quia eſt imperfecta, tunc ex pluribus veram neceſſario integrari. Cum quo cohæret, virtutem trahentium nauem eſſe partialem, & non imperfectam, quando partitio concurſus non proueniret ex imperfectione, & debilitate virtutis, ſed ex arbitrio alterius volentis admittere ſocietatem aliorum ad trahendum nauim, quam ſolus, ſi vellet, trahere poſſet. Quo pacto recta eſt ſimilitudo Dei partialiter agentis cum gratia, & eius, qui partialiter cum alio trahit nauim. Neque aliter etiam ſimilitudo eſt reſpuenda. Nam ſimilitudines, non debent adæquari rebus, quas explicant, quia eo modo non erunt ſimilitudines, ſed idemtitates. Itaque ad ſimilitudinem etiam requiritur aliqua differentia, quam etiam notarunt inter Deum, & eum, qui partiali conatu trahit nauem, ipſi, qui ea ſimilitudine rationem iſtam expoſuerunt. Addo; hoc argu- Inſtatur oppugnatio.
mento non rem, quam contendimus, ſcilicet immediatam actiuitatem naturæ creatæ in actus ſupernaturales, ſed vocem dumtaxat cauſæ partialis oppugnari. Quandoquidem argumentum non ſolum diuertit à Deo virtutem partialem in ordine ad actus ſupernaturales, ſed etiam in ordine ad naturales. In naturales autem negari non poteſt immediata actiuitas naturæ.

Secundo obijcitur S Thomas.

97. Aliud teſtimonium objiciunt ex 3. contra gent.cap.70.in fine. *Non ſic idem effectus cauſa naturali, & diuinæ virtuti attribuitur, quaſi partim à Deo, & partim à naturali agente fiat, ſed totus ab vtroque ſecundum alium modum, ſicut idem effectus totus tribuitur inſtrumento, & principali agenti etiam totus.* Sed inſtrumentum, & cauſa principalis non ſunt duę cauſę partiales, cum inſtrumentum agat ſubordinatum cauſę principali per virtutẽ acceptam ab illa. Ergo Deus

Digitized by Google

Sed nobis fauet.

non agit cum voluntate tanquam cauſa partialis, ſed totalis? Miror hoc teſtimonium in rem præſentem adduci; cum ſanctus Thomas ibidem manifeſtiſſime adſtruat immediatã actionem agentis naturalis in effectus, in quos adiuuatur à Deo, ad quam immediationem ſolam euincendam tota noſtra diſputatio laborat; atque adeo ſolum excludat à Deo, & agente naturali partialitatem effectus, vt nihil ſit effectus, quod à Deo, & agente naturali non fiat; non partialitatem cauſæ, quæ in totum effectũ producendum conſortium alterius concauſæ immediate producentis admittit eiuſque ſocietate ſola partialis eſt. Sic igitur præmiſerat: *Sicut agens infimum inuenitur immediatũ actiuum, ita virtus primi agentis inuenitur immediata ad producendum effectum.* Et poſt pauca: *Non eſt inconueniens, quod producatur idem effectus ab inferiori agente & à Deo; ab vtroque immediate licet alio, & alio modo.* Vt quid igitur contra immediatam actiuitatem naturę in actus ſupernaturales eiuſmodi teſtimonium opponitur? Et vt appareat, quam extra rem adducatur, euidenſque ſit perſuaſio noſtra, adde, Angelicum doctorem non de effectibus ſupernaturalibus, ſed potius naturalibus diſputationem habere; ſic enim exorditur cap. 70. *Quibuſdam difficile videtur ad intelligendum quod effectus naturales attribuantur Deo, & naturali agenti.* Vnde primo argumento ſic concludit: *Si igitur actio, per quam naturalis effectus producitur, procedit à corpore naturali, non procedit à Deo.* At in effectus naturales actionem immediatam agentibus naturalibus omnino negare, nefas eſt. Ergo ſanctus Thomas teſtimonio obiecto non negat actionem immediatam in actus ſupernaturales. Quod Ferrarienſis ibi euidentius facit.

Tertio opponitur.

98. Tertium teſtimonium opponunt ex 1. 2. q. 111. art. 2. ad 2. *Deitas non ſine nobis nos iuſtificat, quia per motum liberi arbitrij, dum iuſtificamur Dei iuſtitia conſentimus. Ille tamen motus non eſt cauſa gratiæ, ſed effectus; vnde tota operatio pertinet ad gratiam.* Reſpondeo. Cum ſanctus Thomas totam operationem refert in gratiam, non excludit voluntatem creatam tanquam cauſam phyſicam, & efficientem, ſed tanquam cauſam merentem, vt excluſo merito antecedenti noſtræ operationis, per gratiam præuenientem Dei, ipſum operari voluntatis creatę, inter dona gratuita reputetur. Rurſus; quo alio modo totus effectus reuocetur in gratiam, quin voluntati dematur partialis concurſus immediatus, expediemus ſect. 24. Ex quibus deprehendes, quam leuibus ducti teſtimonijs recentes diſcipuli diui Thomæ habitum prędicauerint totam rationem agendi, cum nullibi ea, aut ſimilis propoſitio apud diuum Thomam, nec vetuſtiores Thomiſtas reperiatur; quantoque maiora reliquerit ad noſtram opinionem ſuffragia, propter quæ ęquius, quam alij, noſtri Theologi, veri diui Thomæ diſcipuli haberi, colique debent.

Explicatur.

SECTIO VIGESIMA.

Illuſtratur ſuffragijs aliorum Scholaſticorum.

Auctoritas noſtræ ſententiæ.

99. VT cernas quantum ſuperet ſocietatis ſententia Recentium Thomiſtarum opinionem, præter momenta Theologicarum rationum, & ſuffragia diui Thomæ expende auctoritatem Scholaſticorum, qui apertis iudicijs ſanctioni noſtrę fauerunt. Pudeatque iam nouiores Thomiſtas, in hac controuerſia ſocietatis doctores nouitatis inſimulare, cum inter Scholaſticos ſcriptores vix vlla ſit magis nouitia propoſitio, quàm habitum eſſe adæquatam virtutem agendi actus ſupernaturalis, & naturam rationalem nulla etiam partiali actiuitate immediata vigere in eiuſmodi actus. In tres claſſes Scholaſticos ſcriptores recenſebo. In primam Priſcos illos, qui ſocietatis æmulationem anteceſſerunt. In ſecundam ſocietati coæuos. In tertiam ſeorſim eos, qui in aciem cum Luthero, & Caluino, eorumque diſcipulis prodierunt, & controuertiſtę dicti ſunt.

Magiſter.

100. Ex prima claſſe agmen ducat Magiſter indicans in 2. d. 27. §. *Quæ ipſa* ibi; *Ex gratia, quæ præuenit, & ſanat arbitrium, & ex libero arbitrio procreatur in homine omnis bonus affectus. Sicut v. g. ex fidei virtute, & hominis arbitrio generatur in mente motus quidam bonus, & remunerabilis, ſcilicet ipſum credere; ita ex charitate, & libero arbitrio, &c.* Quare §. antecedenti *cum quo*, & ſequenti *idem nempe vſus*, explicat in ſolam gratiam merita reuocari non poſſe, niſi tanquam in cauſam magis principalem, quàm arbitrium. Vt autem conſtaret eo loquendi modo proceſſionem immediatam actus pietatis ab arbitrio intellexiſſe, & non remotam duntaxat §. *ſi igitur gratia* pręmiſit: *Cum omnis motus, vel affectus mentis ſit ex libero arbitrio; bonus ex gratia eſt, & libero arbitrio, malus vero ex libero arbitrio tantum.* Affectus bonus, & malus ex libero arbitrio eſſe dicuntur, eo ſolo diſcrimine, quod malus eſt ex arbitrio tantum ſine gratia, bonus vero ex arbitrio ſimul cum gratia. Malus autem plane ex arbitrio eſt immediate. Ergo etiam bonus dicitur eſſe immediate. Accedit Alexander 4. p. q. 61. mem. 3. art. 2. explicans gratiam cooperantem.

Alexander.

Scotus.

101. Manifeſtiſſime Scotus in 3. diſt. 13. q. 3. & 4. aperte aſſerens, intellectum eſſe cauſam partialem viſionis beatæ cum lumine gloriæ, & ceteris paribus intellectum perfectiorem edere poſſe viſionem perfectiorem. Item in 1. diſt. 17. q. 2. probans contra Henricum, habitum charitatis non eſſe cauſam totalem actus. Eiuſque ſententię fuiſſe Scotum teſtantur ipſius diſcipuli Petagian. in 3. Scoti diſt. 13. q. 3. §. *cæterum quia*, & Philippus Faber in 3. diſput. 32. n. 19. & 21. & n. 32. & diſp. 37. n. 5. ſequitur Richardus in 4. d. 49. art. 3. q. 1. in corpore, Aureolus in 1. d. 17. art. 4. §. *Reſtat ergo videre* & ſequentibus, vbi frequens eſt huic auctori,

Faber
Richardus
Aureolus

Digitized by Google

habitum charitatis nullam afferre nouam actiuitatem voluntati, ſed voluntatem ſua natiua actiuitate agere charitatis actus. Idemtidem 3. p. eiuſdem diſt. art. 3 §. *ſecunda propoſitio*. Etiam expreſſe Gregorius ibid. q. 1. con. 3. & Baſſolis ibid. q. 1. & in 3 d. 14. q. 1. §. *Neutram*, & §. *dico*. Ex priſcis, ac Principibus Thomiſtis, propriæ ac immediatæ actiuitati naturæ rationalis in actum ſupernaturalem viſionis beatæ fauere Capreolum, & Ferrarienſem, refert Curiel 1. 2. q. 5. art. 5. dub. vnic. §. 1. Item Caietanum ſubſcribere, fatetur Sotus in 4. diſt. 49. q. 3. art. 2. fine. Et quidem Ferrarienſis indicat in 3. cont. gent. cap. 54. §. *ad primum dicitur* dicens; *ſicut intellectus dum ſpecie intelligibili naturali informatur, concurrit actiue ad intellectionem eius, quod ſibi per ſpeciem repræſentatur, ita dum informatur lumine gloriæ ad viſionem eſſentiæ diuinæ concurrit actiue*. At intellectus informatus ſpecie naturali repræſentationem naturalem immediate agit. Clarius Capreolus in 4. d. 49. q. 4. art. 3. ad obiecta Aureoli contra ſecundam concluſionem. Ad primum ibi; *Ideoque conceditur, quod viſio beatifica in anima rationali ſubiectiue, & partialiter effectiue eſt ab intellectu poſſibili*. In cuius confirmationem addit propoſitionem vniuerſalem; *dicitur ſecundo, quod omnis actualis intellectio eſt partialiter effectiue ab intellectu poſſibili, & partialiter à ſpecie, vel forma intelligibili*. Item ad ſecundam replicam Aureoli volentis viſionem beatam fieri ab intellectu agẽte ſic habet; *Intellectus poſſibilis tanquam agens proximum in virtute intellectus agentis elicit actum ſecundum*. Et poſt pauca in probationem proceſſionis viſionis beatæ ab intellectu poſſibili ſic colligit. *Ex quibus patet quod intellectus poſſibilis factus in actu per ſpeciem rei intelligibilis poteſt operari per ſe ipſum. Si autem poteſt operari per ſe ipſum. Igitur actum ſecundum elicere effectiue*. Item in 3. diſt. 24. q. vnica, artic. 3. ad argumenta contra 2. concluſionem fol. 96. id clarius exprimit dicẽs; *Actus fidei dependet quantum ad executionem ab habitu fidei, & ab intellectu, tanquã à cauſa proxima*. His tria docet Capreolus nouioribus Thomiſtis aduerſantia. Primum, viſionem ſupernaturalem Dei partialiter eſſe ab intellectu. Secundum, intellectum poſſibilem eſſe principium proximum talis viſionis. Tertium, intellectum poſſibilem per ſe ipſum elicere effectiue illam. Caietanus clariſſimè nobis ſuffragatur 3. p. q. 10. art. 4. ad 2. inde deprehendens ab intellectu perfectiori perfectiorem elici viſionem, ſi cętera paria ſint. Quibus aggregandi ſunt Paludanus, Argentinas, Ioannes de Neapoli. Maior, Hiſpalenſis, D. Antoninus, & alij aſſerentes poſſe viſionem Dei, & alium quemuis actum ſupernaturalem fieri à potentia vitali per ſolum auxilium extrinſecum Dei, quos referemus diſp. 34. Id enim abſque immediata actiuitate potentiæ vitalis in actus ſupernaturales doceri non poteſt, vt ſæpius notauimus.

Gregorius
Baſſolis
Capreolus
Ferrara
Curiel
Caietanus
Sotus
Ferrara
Capreolus

102. Ex ſecunda claſſe non deſunt etiam Thomiſtæ. Ledeſma, de diuin. perfect. q. 8. art. 7. con. 2. relatus à Cabrera; Gonzales excuſſus à nobis n. 6. Ripa 1. p. q. 12. art. 5. dub. 1. cap. 1. §. *& quidem*, Medina 1. 2. q. 3. art. 8. ad 3. argumentum, Thomas Eliſius tr. de donis Spiritus ſancti pag. 478. ibi *ſufficientia aſſeſtiuus eſt à Deo, & à nobis, vt à duabus cauſis partialibus facientibus vnam totalem*. Eamdem ſententiam probaſſe Victoriam, & Canum, plures referunt teſte Egidio de Præſent. lib. 9. de Beat. q. 6 art. vnic. n. 22. Et quidem Thomiſtarum ſententiam eſſe, refert Aluarez ſup. Rurſus Lorca, & Curiel examinati n. 6. M. Zumel 1. p. q. 12. art. 5. q. 2. Egidius de Præſent. lib. 10. de beat. q. 3. art. 2. Puteanus 1. p. q. 12. art. 4. & 5. dub. 2. Machin 1. p. diſput. 16. ſec. 7. ad 3. Trigoſius 1. p. q. 7. art. 1. dub. 4. & 5. Monteſinos 1. 2. d. 3. n. 60. Philippus Faber in 3. diſp. 32. n. 19. 21. & 32. Piſigianus in 3. diſt. 13. q. 3. Aragonius 2. 2. q. 23. art. 2. §. *His ſuppoſitis*. Maſcarenas de aux. diſp. 1. p. 4. n. 6. & p. 3. n. 10 Sforcia lib. 1. ſum. Theol. n. 25. & omnium fuſiſſime, atque conſtantiſſime, M. Antonius Perez nunc Epiſcopus Vrgelitanus in ſua laurea Salmant. cert. 6. Schol. c. 10.

Ledeſma
Thomas Eliſius
Victoria
Cannus
Lorca
Curiel
Zumel
Egidius
Machin
Trigoſius
Mõteſinos
Faber
Piſigianus
Aragon
Maſcarenas
Antonius Perez

SECTIO VIGESIMAPRIMA.

Theologi congredientes cum hæreticis noſtram tuentur doctrinam.

103. EX tertia claſſe auctores verbatim producam, quia magnum momentum adducet in probationem noſtræ ſententię, eos, qui quotidie cum Hæreticis negantibus actiuitatem, & libertatem voluntatis confligũt, dum Catholicam ſententiam tuentur, non aliam, quam noſtram tueri. Albertus Pigius grauiſſime illam probat diſputans cum Caluino lib. de lib. arb. poſt medium fol. 98. & ipſum redarguens ex teſtimonio Ioan. 15. *Sicut palmes non poteſt ferre fructum ex ſemetipſo* quod Caluinus obiecerat. Præmittit ſic de Palmitibus. *Palmites ſunt qui immediate fructificant*. Item; *Conſtat propria ſua vi, naturâ, & formâ, quam ſemel à vite conceperunt, & non, quam continuo influxu à vite hauriunt, fructificare*. Vnde mox addit; *Ex quo iam intelligis, fructus vitæ, & racemos bonorum operum immediate, & proprie produci à nobis, & à vi germinatiua, quæ eſt in nobis, & noſtra velut propria, tametſi eam, & ex vite, & cœleſti illo agricola acceperimus. A nobis inquam inſertis viti Chriſto, & ab illo vitalem illum rorem diuinæ gratiæ haurientibus*. Deinde claudit; *Quemadmodum, & fructificare palmitem ex ſe ipſo, hoc eſt, propria ſua vi, virtute, forma, aut eſſentia, quamdiu in vite permanet, iam demonſtrauimus. Ergo ſi in me manſeritis, poteritis vtique palmitum inſtar, ex vobis ipſis, hoc eſt, propria natura veſtra, quam à Deo tamen accepiſtis, fructificare. Aperi oculos Caluine; potuit ne vllis verbis clarius noſtram, & Catholicam probare, veſtram damnare*? En Catholicam ſententiam, repugnantem Caluino, eam profert, quæ iuſtos immediate, ex ſe ipſis, propria virtute, atque natura, adiuta tamen à gratia Chriſti fructus pietatis edere docet; quæ eſt ipſiſſima ſocietatis ſententia.

Albertus Pigius
Ioan. 15.

104. Clarius Stapletonius in Antidot. Stapletonius

Digitized by Google

Ioan. 15. Euang. Ioan. 15. ad illa verba: *ſine me nihil poteſtis facere*: poſt relatam à Caluino Catholicorum ſententiam. *Catholicorum ſententiam fruſtra taxat Caluinus. Non docent quidem Catholici, aliquid facultatis, aliquas vires naturales ſuppetere homini, quæ ex ſe aliquid conferant operando aliquod opus pietatis, ſine gratiæ auxilio. Admittimus tamen eaſdem vires naturales aliquid conferre cooperando gratiæ, qua adiuuantur.* Et poſt pauca. *Nouis gratiæ viribus naturales hominis vires adiuuari dicunt, & gratiæ diuinæ cooperari; itaut vnum, idemque opus non ſolum gratiæ, ſed etiam virium naturalium ſit effectus: neque enim ſola gratia influxum actiuum, ſeu efficientem præbet in opus bonum, ſed etiam vires naturales quod neceſſario Caluino fatendum eſt, niſi cum Luthero dicere velit, vires noſtras in opere pietatis præſtando ſe mere paſſiue habere.* Rurſus clarius. *Hæc vera, & integra eſt Catholicorum ſententia. Agnoſcimus nos habere aliquid ex nobis, id eſt, ex natura intellectus, & voluntatis noſtræ, quæ gratiæ Chriſti cooperemur, adeoque aliquam naturalem facultatem ad cooperandum gratiæ, quæ vt cauſa partialis valeat ad bonum opus. Hinc tamen non ſequitur poſſe nos aliquid ſine Chriſto facere: quia hæc naturalis facultas ſine Chriſto vere nihil facit, nihil operatur.* Audis ſocietatis ſententiam referri tanquam fide Catholicorum tuendam. Non

Ruardus Iapp. diſſimilia adducit Ruardus Iapp. lib. de lib. arb. art. 7. fol. mihi 294. *Hæc agimus per vim, atque naturam liberi arbitrij, adiutam tamen, & gratia eleuatam. Non enim pietatis opera liberum arbitrium operatur, ſicut aqua calida calefacit. Tota enim hic operandi ratio, eſt calor: illic autem ratio agendi eſt natura liberi arbitrij, ſed quod diuina, ac pietatis opera exerceat ratio ſic operandi eſt gratia: totum tamen opus, & quidquid eſt eius, & gratiæ eſt, & liberi arbitrij.* Vides, & ſententiam Thomiſtarum, & auitum ipſorum exemplum improbari.

Tiletanus Audi Tiletanum in Trid. cap. 6. fol. 175. fine. *Manet igitur in rationali natura, etiam poſt peccati originem potentia voluntatis, non ſolum apta ad ſuſcipiendum ſpirituales actiones, quas Dei gratia in ea, aut inchoet, aut efficiat; ſed etiam, quæ ſua naturali actiuitate eas per Spiritum ſanctum operetur.* En pręter facultatem immediate ſuſcipiendi ſpiritualis actiones à gratia, quę eſt virtus remota agendi per gratiam, quam ſolam noſtri aduerſarij fatentur, tribuit libero arbitrio *actiuitatem naturalem*, quæ adiuta Spiritu ſancto ſalutem operetur. Vnde fol. 186. initio aſſerit, ſententiã eſſe Lutheri, *liberum arbitrium non conferre ex ſe vires aliquas naturales, quas ex prima natiuitate etiam corruptæ reliquas haberet ad conuerſionem mẽtis.* Plura habet Apolog. de libero arbitrio contra

Driedo Matthæum Flaccum Illiricum. Item Driedo lib. de concordia cum libero arbitrio, & gratia p. 2. cap. 3. fol. 51. pag. 2. *Quod ergo in argumento concluditur, nos ex nobis poſſe facere aliquid, quo accipiamus Dei dona, verum quidem eſt, non ex vobis, id eſt, noſtris viribus, non ſolis quidem, ſed diuino ſpiritu excitatis, & attractis.* Eodem quę habet lib. 2. de gratia & lib. arb. tr. 1. cap. 3. fol. 149. pag. 1.

Didacus Payua. 105. Sequitur Didacus Payua acerrimum hæreticorum flagellum, egregius Tridentinæ doctrinæ aſſertor, qui toto lib. 4. orthodox. explicat. contra Kemnitium tutelam ſuſcipit Patrum Colonienſium ſocietatis Ieſu, qui à Kemnitio opprobrijs, & calumnijs verebantur, Pellagianiſmique accuſabantur, quod publicis aſſertionibus tuentos tunc primum editas de libero arbitrio Tridentinus ſanctiones, præter gratiæ actiuitatem in ſalutis opera, actiuitatem quoque arbitrij profeſſi ſunt. Igitur §. *Colonienſes* ſtatuit, eos ſocietatis Patres, *totius Catholicæ Eccleſiæ, & omnium ſanctorum Patrum fidem ſequutos.* Rurſus §. *Antiquis* docet; *efficientem cauſam applicationis animi ad gratiam eſſe tum gratiam ipſam, tum liberum arbitrium. Quæ duo, niſi ſimul concurrant, fieri certe non poterit, vt humana mens ſe toto impetu ad iuſtitiam adiungat.* Et rurſus: *Ex gratia, & libero arbitrio vnicam cauſam conflari noſtræ ad iuſtitiam applicationis.* Poſt pauca: *Ex quibus omnibus illud perſpicuum eſt: quod Colonienſes Patres prudentiſsime aſſeuerarunt, liberum ſcilicet noſtrum arbitrium, plurimum momenti habere in rebus, quæ ad animæ ſalutem ſpectant.* Deinde in Kemnitium conuerſus rem exponit exemplo ægri, qui potentibus medicinis vires recuperat ad vitales forentiones, in quas priores, quoque vitales facultates iuuant. Item equi, qui licet ſeſcati debeat moderamen, ipſe tamen ſuis ſeſe viribus mouet, & iter conficit. Eiuſdem plane iudicij eſt Bartholomæus Camerarius, qui Dei Camerarius gratiam eſſe totam agendi virtutem ſeu efficaciam, Caluino tribuere videtur diſputanti contra Catholicam ſententiam, vt vidimus nu. 23. deinde lib. 1. cap. 9. fine, poſtquam de velle pietatis præmiſſit Caluinus; *Tibi ſubſcribam, ſi dicas beneficium eſſe gratiæ, non facultatem naturæ:* reſpondet Camerarius. *Gratiæ beneficium eſſe conſentio, ſed ſimul, & facultatem naturæ.* Præter virtutem gratiæ, facultatem quoque naturæ cauſam agnoſcit ſalutis. Cap. 10. §. *Adiutor ne dicitur is, qui ſuapte voluntate non cooperatur?* Expende *ſuapte voluntate.* Inſuper; *Quis adiutor Dei? num gratia per ſe meritum accipiat, non autem ipſam homo ſecundum proprium laborem? Gratiæ ne Deus dixit, nõ hominis, rectos curſus facite pedibus veſtris.* Vtique pręter actionem gratiæ datur proprius hominis labor, qui præcipiatur à Deo. Rurſus lib. 2. cap. 4. med. docet, neque totam cauſalitatem dandam naturę cum Pelagio, neque totam gratiæ cum Caluino, ſed media quadam ratione partialem naturæ, & partialem gratiæ, ideoque palmitem fructum, edere tum à ſe ipſo tum inuite. Vrgentique Caluino; *An hæc quæſo inter ſe opponi negabis, à ſe ipſo, & inuite?* reſpondet: *Nemo quidem palmitem à ſe ipſo vuam producere inuite negare poteſt.* A ſe ipſo iuſtus fructus ſalutares ẽdit, & non virtute propria, ac immediata, ſed ſolum alienâ, & extrinſecâ gratiæ?

106. Accedit Horantius lib. 1. locorum Horantius Cathol. cap. 53. poſt medium improbans illud Caluini aſſertum; *Neque vero Auguſtini conſilium fuit, dum pediſſequam gratiæ vocat humanam voluntatem, ſecundas quaſdam à gratia partes illi aſsignare in bono opere;* Ex Auguſtini teſtimonijs ſic concludit: *Tribuuntur igitur ab Auguſtino voluntati noſtræ in agendo cum gratia partes ſuæ.* Abſque propria autem virtute, quæ partes cum gratia dandæ ſunt arbitrio? Adde Raphaelem Venuſtius

Venuſtium lib. 2. de prædeſt. & lib. arb. fol. 89. pag. 1. dum arguens contra Lutherum ait; *Non aduertit Deum eſſe cauſam operis noſtri partialem, & totalem, ſed non totaliter influentem.* Turrianus Turrianum lib. 4. pro epiſtolis Pontificum c. 2. fol. 298. ſic de Magdeburgenſibus Lutheranis ſcribentem. *Fingunt, omnia nos voluntatis viribus tribuere, noſque Pellagianos haberi volunt, quia non; vt ipſi, voluntatem propria virtute, ac natura in contumeliam Authoris ſpoliamus.* Cernis, Lutheranis adſcribi, voluntatem creatam propria virtute in opera pietatis ſpoliare. Item Ludouicum Orianus Orianum Brixianum inter medium, & finem contra Lutherum, arbitrium, docentem, *cauſam partialem.* Viruesius Roffenſis Clarias Alphonſum Viruesium Epiſcopum Canarienſem Philip. 15. Roffenſem art. 36. fol. 362. Quibus aggregare non libet plures, ſtrenuoſque ſocietatis Theologos, qui Hæreticorum impetum ſuſtinuerunt, & fregerunt, ne tanquam domeſtici teſtes recuſentur. Lege P. Maldonatus tamen Patres Maldonatum in Ioan. c. 15. ver. 5. *Ego ſum vitis, & vos palmites,* conuertentem cum Caluino, & grauiſſime, vt mos ei eſt, noſtrum dogma contra damnatum Hæreticorum errorem confirmantem.

SECTIO VIGESIMASECVNDA.

Exponuntur teſtimonia ſacra, quæ contra noſtram ſententiam opponuntur.

Primum argumentum ex Rom. 9. 107. DVo potiſſimum teſtimonia Pauli Rom. 9. contra noſtram ſententiam obijciuntur. Primum illud; *Igitur non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Etenim Paulus ibi non ſolum excludit cauſalitatem totalem voluntatis creatæ, ſed etiam partialem, vt ſoli Deo totalem adſcribat. Nam ſi partialem relinqueret, eodem modo poſſet dicere; Non eſt Dei miſerentis, ſed hominis volentis, atque currentis; quandoquidem neque ſolus Deus operatur noſtram conuerſionem ſine humana voluntate, ſicut non operatur ſola voluntas ſine Deo. Quare Auguſtinus in Enchirid. Auguſtinus cap. 32. ſic reijcit interpretationem de cauſalitate partiali voluntatis agentis cum Deo. *Alioqui ſi propterea dictum eſt; Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, quia ex vtroque fit, id eſt, ex voluntate hominis, & miſericordia Dei, tanquam diceretur; non ſufficit ſola voluntas hominis, ſi non ſit etiam miſericordia Dei. Non ergo ſufficit ſola miſericordia Dei, ſi non ſit etiam voluntas hominis, ac per hoc ſi recte dictum eſt, non volentis hominis, ſed miſerentis eſt Dei, quia id voluntas hominis ſola non implet; cur non & è contra recte dicitur, non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis, quia id miſericordia Dei ſola non implet? Porro ſi nullus Chriſtianus dicere audebit, non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis, ne Apoſtolo apertiſſime contradicat, reſtat, vt propterea recte dictum intelligatur, non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, vt totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam, & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam.* Ergo non ita accipiendus eſt Paulus, vt ex vtroque, homine ſcilicet, & Deo opus ſalutare impleatur, ſed adæquate ex miſericordia Dei, vt totum illi detur, & nihil humanæ voluntati.

108. Hoc argumentum mihi ſuſpectum eſt, Eneruatur. Caluinus quia eo vtitur Caluinus ad tollendam actiuitatem etiam partialem voluntatis, & conſequenter libertatem. Ita lib. 3. inſtit. cap. 29. apud Sta- Stapletonius pletonium in antidoto ad Rom. 9. exponens prædicta verba. *Vere hic locum habet illud Pauli; Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei; non quomodo id vulgo accipiunt, qui inter Dei gratiam, hominiſque voluntatem, ac curſum partiuntur. Exponunt enim deſiderium hominis, ac conatum, nihil per ſe quidem habere momenti, niſi Dei gratia proſperentur; ſed cum adiuuantur illius benedictione, habere ſuas quoque partes in comparanda ſalute, contendunt. Quorum cauillum Auguſtini verbis refellere, quam meis malo. Si enim nihil aliud voluit Apoſtolus, niſi non eſſe ſolius volentis, aut currentis, niſi adſit miſericors Dominus; Retorquere è conuerſo licebit, non ſolius eſſe miſericordiæ, niſi adſit voluntas, & curſus. Quod ſi aperte impium eſt, non dubitemus, Apoſtolum omnia miſericordiæ Domini donare, noſtris autem voluntatibus, nihil relinquere.* En quam parum diſcrepet argumentum Catholicorum contra noſtram ſententiam ab argumento Caluini contra communem, & vulgarem omnium Catholicorum ſententiam.

109. Igitur non volentis, ſed miſerentis Explicatur Dei, ideo dictũ putandum eſt, quia licet Deus, & homo partiali influxu perficiant opus ſalutis, tamen Deus illud peragit auxilio, & modo ſpeciali, quo voluntas hominis non adimplet, videlicet, tanquam præcipua cauſa, & præueniẽs primo voluntatem vocatione, qua prænouit conſenſuram. Ita exponit idem Auguſtinus in Auguſtinus lib. expoſitionis epiſtolæ ad Rom. c. 61. & 62. *Quia non præcedit voluntas bona vocationem, ſed vocatio bona voluntatem; propterea vocanti Deo recte tribuitur, quod bene volumus nobis autem tribui non poteſt, quod vocamur: Non ideo igitur dictum eſſe putandum eſt. Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, quia ſine eius adiutorio non poſſumus adipiſci, quod volumus, ſed ideo potius, quia niſi eius vocatione non volumus.* Itaque, quia nos non præuenimus Deum vocando, ſed Deus præuenit noſtram voluntatem ſua oportuna vocatione, ideo dictum eſt, non eſſe hominis volentis, ſed Dei miſerentis. Confirmat idem Auguſtinus q. 2. ad ſimpl. circa medium: Auguſtinus *Item verum eſt; Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, quia eorum miſeretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum eſt, vt ſequantur.* Conſonant poſtrema verba teſtimonij Auguſtini ex Enchirid. cap. 32. nobis obiecti; *Reſtat ergo vt propterea recte dictum intelligatur; Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, vt totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam, & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam.* Vbi ad gratiam præparantem, ſeu præuenientem reuocat totum, quod homini denegat. Copioſius hæc conſtabunt ſect. 24. Addo ab alijs ſic Apoſtolum exponi, vt ſuppoſito diuino auxilio, hominis ſit velle, & currere: At tamen perfectionem obtinere, & curſus metam attingere,

Digitized by Google

gere, ſolius miſerentis ſit Dei, tum propter ſpeciale donum perſeuerantiæ, tum propter collationem beatitudinis, quæ ſolius Dei dona ſunt. Ita Hieronymus dialog. 1. & lib. 2. contra Torcinianum non longe à principio, Ambroſius Pſalm. 118. ſerm. 10. ad illa verba, *fiat miſericordia tua vt exerceatur me*, Optatus Mileuit. lib. 2. contra Parmen. Chryſoſtomus ad Hebr. cap. 7. hom. 12. Theophilactus Rom. 9. in verba præſentia, & Origenes 3. Periarch. cap. 1. colum. antepenultima.

Hieronymus. Ambroſius. Chryſoſtomus. Origenes.

Confirmatur explicatio.

110. Et quidem nuſquam Apoſtolum excludere actionem immediatam arbitrij, ſed illam admittere partialem in operis ſupernaturalis exequutionem idem teſtimonium ſuadet, quod velle, & currere hominis eſſe declarat. Item Auguſtinus obiectus, qui docet Dei miſericordiam ſine hominis voluntate ſalutem adimplere non poſſe, quam præparat adiuuandam, vtique vt ipſa voluntas aliquid agat, ſicut cum eodem Auguſtino illuſtrauimus num. 41. Accedit Nazianzenus orat. 31. in dictum illud Euangelij *cum conſummaſſet Ieſus ſermones hos* Matthæi 19. poſt medium orationis. *Idcirco ait, non volentis, id eſt, non ſolum volentis, neque currentis ſolum, ſed miſerentis Dei. Ita quoniam velle quoque ipſum à Deo eſt, optimo iure totum Deo aſſignauit.* Item Anaſtaſius Nicenus lib. quæſt. inſcript. q. 59. *Non volentis ſolum virtutem, neque currentis, & contendentis eſt ſe recte gerere, ſed miſerentis, & adiuuantis eſt Dei, non poteſtis enim ſine me quidquam facere.* Quam expoſitionem ſequuntur Hieronymus epiſt. ad Teſiphontem colum. 4. & epiſt. ad Demetriadem paulo poſt medium, Ambroſius lib. 2. de Abraham Patriarcha c. 19. Fulgentius lib. de incarn. cap. 18. Proſper pſal. 118. Et Bernardus tract. de gratia & lib. arb. colum. penult. Quare ſunt aliqui, qui phraſim hæbream in præſentia agnoſcant, qua illi, cum quidpiam alteri præferunt, non illud magis, hoc minus affirmare ſolent, ſed illud affirmant omnino, hoc præciſe negant, vt apud Matthæum cap. 9. 13. *Miſericordiam volo, non ſacrificium*; non reijcit quidem ſacrificium, ſed miſericordiam præfert. Rurſus Matthæi 10. *Non eſtis vos, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*; Tamen proculdubio Apoſtoli, dum prædicarent verbum Dei, ipſi loquebantur, ſed diuini Spiritus impulſu acti. Et apud Ioan. cap. 7. *Mea doctrina non eſt mea, ſed eius, qui miſit me*: id eſt magis Patris, quam mea. Ita non quia homo per ſe immediate non aliquid agat, ſed quia Deus potius, ac principalius agit, dicitur eſſe Dei opus ſalutis non humanæ voluntatis. Ita P. Iuſtinianus ad præſens teſtimonium Pauli.

Nazianzenus. Hieronymus. Ambroſius. Fulgentius. Matth. 9. Matth. 10. Ioan. 7. P. Iuſtinianus.

Secundum argumentum ex Rom. c. 8.

111. Secundum teſtimonium opponitur ex cap. 8. ad Rom. *Quicumque ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei.* Nam agi filij Dei, non agere diuino ſpiritu, ideo dici poſſunt, quia licet remotè totum agant, immediate tamen nihil agunt, ſed tota agendi virtus à diuino auxilio adeſt. Si enim homo per ſe ipſum immediate actionem præſtaret, non magis in opera ſalutis agi, quàm in alia mere naturalia diceretur.

Expeditur. Caluinus. Stapletonius. Camerarius.

112. Etiam hoc argumentum verendum eſt, quia eodem vtitur Caluinus ad ſtabiliendum ſuam doctrinam, vt tradit Stapletonus in ſuperius teſtimonium Pauli, & Camerarius de libero arbitrio ſuprà. Facile expeditur. Primo, quia filios Dei agi ſpiritu diuino, non eſt aliud, quàm in opera ſalutis agenda, per Spiritus ſancti gratiam inclinari, & impelli. Itaque aguntur, & excitantur, vt immediate agant, non vt acti mere patiantur. Quare ſanctus Thomas, & cum eo Ferrarienſis, agi, dicunt, ſecundum quid, & non ſimpliciter, quia ita ſpiritu Dei mouentur, vt immediate actio, & exequutio operis ipſorum actiuitati relinquatur. Videantur ſanctus Thomas, & Ferrarienſis verbatim num. 93. Secundo diuino ſpiritu aguntur filij Dei, licet immediate ipſi agant, quia diuini ſpiritus gratia præcipuas, ac potiores partes obtinet in actione ſalutis. Sic Aphri Epiſcopi reſcribentes ad Zoſimum Papam ibi. *Ideo vtique quia præparatur voluntas à Domino, & vt boni aliquid agant, paternis inſpirationibus ſuorum ipſe tangit corda fidelium. Quotquot enim ſpiritu Dei aguntur, hi filij ſunt Dei, vt nec noſtrum deeſſe ſentiamus arbitrium, & in bonis quibuſque voluntatis humanæ ſingulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium.* Expende, agere, & agi, quia ſic agunt, vt magis Dei ſemper valeat auxilium. Quæ refert, & approbat Cæleſtinus 1. epiſt. 1. ad Epiſcopos Galliæ capite octauo.

S. Thomas. Ferrarienſis. Epiſcopi Africani. Cæleſtinus.

Confirmatur. Auguſtinus.

113. Et vero ſpiritu Dei agi iuſtos, vt ſuam quoque actionem cum auxilio diuino exerceant, Auguſtino ſolemne eſt. De corrept. & grat. cap. 2. *Intelligant, ſi filij Dei ſunt, ſpiritu Dei ſe agi, vt quod agendum eſt, agant, & cum egerint illi, à quo aguntur, gratias agant. Aguntur enim, vt agant, non vt ipſi nihil agant.* Item de verbis Apoſt. ſerm. 13. longe poſt medium; *Dicit mihi aliquis: Ergo agimur, non agimus. Reſpondeo; Imo agis, & ageris, & tunc bene agis ſi à bono agaris. Spiritus enim Dei, qui te agit, agentibus adiutor eſt. Ipſum nomen adiutoris præſcribit tibi, quia & tu ipſe aliquid agis.* Audis, recte componi hominem agi, & agere, quia ſpiritu Dei mouentur, vt ſuam actiuitatem præuentam gratia Dei diligenter exerceant. Et lib. de gratia Chriſti cap. 25. *Profecto, vt agant quod bonum eſt, ab illo aguntur, qui bonus eſt.* Quare agendi verbum in præſenti ſolum ſignificat moueri, & incitari illuſtratione, & inſpiratione ſpiritus diuini. Quin plerumque idem ſignificat quod duci. Quod enim Matthæus capite quarto, dicit; *ductus eſt Ieſus à ſpiritu in deſertum*, agendi verbo expreſſit Lucas capite quarto, *agebatur à ſpiritu*. Qui autem ducitur, ſuis quoque greſſibus mouetur: non alieno ſolum impulſu, ſed proprio etiam, & intrinſeco graditur.

Matth. 4.

Digitized by Google

SECTIO VIGESIMATERTIA.

Obijciuntur teſtimonia Patrum, quæ totum opus ſalutis ſoli gratiæ tribuunt.

Argumentum expenditur.

114. **A**Liud argumentum conficiunt aduerſarij ex illuſtribus teſtimonijs Patrum, qui ſalutis opus non diuiſum cum arbitrio, ſed totum, ac integrum gratiæ diuinæ tribuunt. Nam ſi arbitrium partialiter influeret, aliquam in eo opere partem vendicaret, non totum ſoli gratiæ diuinæ ferret. Ergo totalis, & adæquata virtus ſoli diuinæ gratiæ deputanda eſt. Aſſumptum illuſtrat primo Auguſtinus lib. de prædeſtinatione ſanctorum cap. 16. *Apoſtolus ait, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei; Quia maior ſeruiet minori. Numquid dixit, Non ex operibus, ſed ex credente? Prorſus etiam hoc abſtulit homini, vt totum daret Deo.* Et lib. de dono perſeuerantiæ cap. 6. *Tutiores igitur viuimus; ſi totum Deo damus, non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus.* Et cap. 13. *Hoc nobis expedit, & credere, & dicere. Hoc eſt pium, hoc eſt verum, vt ſit humilis, & ſubmiſſa confeſſio, & detur totum Deo.*

Auguſtinus

Chryſoſtomus

115. Idem docet Chryſoſtomus ſuper 2. Epiſt. ad Cor. cap. 3. ad illa verba. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis*, ſic dicens; *Quaſi dicat planius: Non ita dicebam fiduciam habemus, vt partim ſit noſtrum, partim ſit Dei, ſed totum illi tribuo acceptumque fero.* Et hom. 4. ſuper epiſt. 2. ad Theſal. cap. 2. *Ego ſane dixi, totum vero Dei eſt.* Et hom. 15. in acta Apoſtolorum; *Hoc ſolum nobis cura ſit quomodo vincamus diabolum; imo vero non noſtri opus eſt, ſed diuina gratia totum eſt.* Idemtidem Hieronymus ad cap. 18. Ieremiæ in illud; *ſicut lutum in manu figuli*, differens de pietatis operibus; *Nec ſtatim, totum erit hominis, quod eueniet, ſed eius gratiæ, qui cuncta largitus eſt.* Baſilius hom. 22. de humilitate; *Nihil tibi relictum eſt, ô homo, de quo gloriari poſſis.* Cyprianus ſer. de ieiun. & tentat. *Deo totum debemus, quod viuimus, quod mouemur, quod ſumus.* Anſelmus lib. de concord. præd. & lib. arb. paulo poſt principium: *Totum imputandum eſt gratiæ, quia nec volentis eſt, quod vult, neque currentis eſt, quod currit, ſed miſerentis eſt Dei.* Et cap. 2. epiſt. ad Eph. in illa verba *gratiâ eſtis ſaluati per fidem*, ſic ait; *Dei donum eſt ipſa fides, vel vocatio veſtra, & non partim, ſed pure donum Dei.* Demum Damaſcenus in hiſt. de Barlam, & Ioſaphat. *Qui plus virtutis habebat, totum Dei gratiæ adſcribebat.* Hæc congerunt eruditi Thomiſtæ.

Hieronymus

Baſilius

Cyprianus

Anſelmus

Damaſcenus

Cyprianus

116. Quibus pluſcula hæc addes. Ex Cypriano lib. de oratione dominica inter mediū, & finem; *Cum Dominus ipſe humilitatem docens dixerit, vigilate, & orate, ne veniatis in tentationem, ſpiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma, vt dum præcedit humilis, & ſubmiſſa confeſſio, & datur totum Deo, quidquid ſuppliciter cum timore & tremore Dei petitur, ipſius pietate præſtetur.* Ex Cæleſtino epiſt. 1. ad Epiſc. Gall. c. 11. fine. *Ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere, quos erutos de poteſtate tenebrarum transferat in regnum Filij charitatis ſuæ, & ex vaſis iræ faciat vaſa miſericordiæ. Quod adeo totum diuini operis eſſe ſentitur, vt hæc efficienti Deo gratiarum ſemper actio pro illuminatione talium referatur.* Ex Fulgentio lib. 1. ad Monim. cap. 21. *Sicut competit Deo, vt cauſa ſit totius operis boni, ſic incongruum eſt, vt imputetur cauſa cuiuslibet operis mali.* Et epiſt. 6. ad Theodoretum cap. 8. *Nihil tibi boni tanquam tuum aſſignes.* Quibus ſimilia complura inuenies apud Eccleſię Patres. Ergo totum diuinæ cauſalitati dandum, ac proinde, neque pars humanæ actiuitati tribuenda.

Cæleſtinus

Fulgentius

117. Confirmantur præcedentia alijs teſtimonijs, quibus ſola gratia, aut ſolus Deus ſine nobis operati dicitur ſalutem. Auguſtinus lib. de gratia, & lib. arb. cap. 17. *Vt ergo velimus ſine nobis operatur. Cum autem volumus, & ſic volumus, vt faciamus, nobiſcum operatur.* Efficacius eodem libro cap. 5. poſt medium. *Vt Apoſtolus de cælo vocaretur, & tam magnâ, & efficaciſſima vocatione conuerteretur, gratia Dei erat ſola.* Proſper lib. de ingratis cap. 14.

Confirmatio.

Auguſtinus

Proſper

Vt non his ſtudijs auditor promoueatur
Non doctor, neque diſcipulus, ſed gratia ſola
Efficit, inque graues adolet plantaria fructus.

SECTIO VIGESIMAQVARTA.

Explicantur præterita teſtimonia.

Prima expoſitio.

118. **T**Eſtimonia, quæ in Deum, eiuſque gratiam totum ſalutis opus referunt, non ita intelligenda vt omnis prorſus actio immediata arbitrij reijciatur, conſtat ex ſect. 10. vbi ijdem Patres ſalutis opera de noſtro aliquid habere pronuntiant, & ius proprietatis eorum inter noſtram voluntatem, & Deum partiuntur. Non ergo ita totum eſt Dei, vt aliquid etiam noſtrum non ſit. Quomodo autem hæc duo in concordiam veniant, noſtris expoſitionibus aperiendum eſt. Itaque reſpondeo primo. Cum totum Deo datur, non excluditur partialis influxus voluntatis, quę ſuffulta auxilio gratiæ in eumdem actum cum Deo actione indiuiduâ contribuat, ſed pars ſolum operis, quæ ſolis naturę viribus ſine auxilio gratiæ cæleſtis agatur, vt omne opus ſalutare quoad omnes ſuas partes, initium, & perfectionem, inceptionem, & augmentum quoad velle & agere ſemper auxilium diuinæ gratiæ præueniat. Erant Semipelagiani, qui partem operis tribuebant arbitrio ſibi relicto, partem arbitrio præmunito gratia Dei, initium prædicabant haberi ex nobis ſine gratia, reliquum ſalutis opus ex nobis præuentis à gratia. Volunt igitur Patres, totum opus quoad omnes ſuas partes à primâ vſque ad nouiſſimam, ab initio in finem, ab affectu, & deſiderio fidei ad operis executionem, à primo

Digitized by Google

gradu, vſque ad omne ipſius augmentum, non viribus ſolius arbitrij, ſed viribus etiam gratiæ tribuendum. Ita manifeſtè Auguſtinus libro de prædeſtinatione Sanctorum, capite ſecundo, reprehendens eum, qui cum Semipellagianis diuidit opus in partem, quæ eſt arbitrij, & partem quæ Dei eſt. *Nolens ergo his tam claris teſtimonijs repugnare, & tamen volens à ſeipſo ſibi eſſe quod credidit homo, quaſi componat cum Deo, vt partem fidei ſibi vendicet, atque illi partem relinquat: & quod eſt elatius, primam tollit, ſequentem dat illi, & in eo quod dicit eſſe amborum, priorem ſe facit, poſteriorem Deum.* Vnde propè initium illius capitis ſic proponit ſententiam, quam expugnandam aggreditur. *Ad hoc dicunt valere, vt nouerimus ex nobis quidem nos habere ipſam fidem; ſed incrementum eius ex Deo, tanquam fides, non ab ipſo donetur nobis; ſed ab ipſo non augeatur in nobis eo merito, quo capit à nobis.* Et ideo ad finem. *Numquid metuendum eſt, ne totum facere non poſſit? & ideo homo ſibi primas eius vendicet partes, vt nouiſſimas ab illo accipere mereatur.* En manifeſtò Auguſtinus illam partialitatem actiuitatis naturæ oppugnat, quam nos Catholicè deteſtamur, videlicet, vt partem priorem fidei, nempe eius velle, aut primos eius conatus ſolæ naturæ vires auxilio gratiæ deſtitutæ acquirant, reliquas poſteriores nempe fidem ipſam, aut eius augmentum eiſdem viribus, auxilio tamen gratiæ robuſtis debeamus. Etenim nos vtraſque partes, & quidquid ſalutare eſt, integrè damus viribus gratiæ, quamuis coniunctis immediatè actiuitati naturæ. Similiter capite ſeptimo, eiuſdem libri. *Quidquid igitur, & antequam in Chriſtum crederet, & cum crederet, & cum credidiſſet, bene operatus eſt Cornelius; totum Deo dandum eſt, ne forte, quis extollatur.* Conſidera, quæ complectatur illud *totum*, videlicet omnes partes extenſiuas fidei, & etiam intenſiuas graduales, non omnem actionem in eandem indiuiduam fidei partem. Idem igitur voluiſſe reliquos Patres credendum eſt.

Expoſitio ſecunda.
119. Secunda expoſitio. Opus ſoli cauſalitati gratiæ tribuitur, quia in agendo opere ſupernaturali gratia primatum, ac principatum tenet. Ita Magiſter in 2. diſt. 27. §. *Cum ergo*, ibi: *Bona merita quando ex ſola gratia eſſe dicuntur, non excluditur liberum arbitrium: quia nullum meritum eſt in homine, quod non eſt per liberum arbitrium. Sed in bonis merendis cauſæ principalitas gratiæ attribuitur; qua excitatur liberum arbitrium, & ſanatur, atque iuuatur voluntas hominis, vt ſit bona.* Quid expreſſius? Ita communiter priſci Theologi; præſertim Sanctus Thomas diſt. 26. art. 5. ad 5. quem refert, & ſequitur Conradus 1. 2. q. 111. art. 2. circa medium: *Ipſe motus voluntatis non eſt à gratia ſine libero arbitrio: & tamen quia ſe habet gratia, vt principale, quia inclinat in talem actum per modum cuiuſdam naturæ. Ideo ipſa ſola dicitur talem actum operari; non quia ſine libero arbitrio operetur, ſed quia eſt principalis cauſa.* Non aliter Ægidius acerrimus Diui Thomæ diſcipulus in 2. d. 28. quæſt. 1. artic. 3. prope finem, præmiſſis varijs teſtimonijs, quorum alia libero arbitrio, alia Deo, & eius gratiæ ſalutem adſcribunt: *Totum eſt Dei principaliter, & totum eſt liberi arbitrij inſtrumentaliter, vel totum eſt Dei quaſi ſine ipſo præueniente quantum ad diuinam motionem, & ſequente ad gratiæ infuſionem nullum meritum ſit in nobis. Et totum eſt in nobis, quia non fit in nobis gratia, niſi motu diuino ad gratiam conſentiamus.* Idemtidem exponit Argentinas in 2. diſt. 28. quæſt. vnic. artic. 2. Non apparebit iam voluntaria interpretatio, quam Primores Theologorum, ac Thomiſtarum tradunt.

120. Et illuſtrant Eccleſiæ Patres. Chryſoſtomus ad Hæb. 7. hom. 12. in morali propoſita quæſtione: *Si non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei; quid adhuc quæritur?* Reſpondet: *Quia cuius eſt amplius totum eſſe dixit. Noſtrum enim eligere tantum & velle, Dei autem efficere, & ad perfectionem perducere. Quia ergo illius eſt, quod amplius eſt, eius dixit eſſe vniuerſum ſecundum conſuetudinem hominum.* Exemplo declarat Theophylactus ad Rom. 9. num. 16. *Quemadmodum de domo dicimus totum eſſe artificis, cum interim opus habeat cooperatoribus ipſum adiuuantibus: attamen, quia rei conſumatio ab illo pendet, dicimus, totum hoc illius, nimirum fabri eſt, vel cum domum iſte faber condidit. Non diſſimili ratione, & noſtra voluntate indiget Deus: attamen quia ille conſummat, & perficit, dicimus, totum hoc Dei eſt.* Semper Patres curant cum exequutione partiali arbitrij componere, totum opus eſſe Dei, explicantque principatu, quem in illo habet. Hieronymus lib. 4. in Hieremiam cap. 18. propè initium. *Dimittit hominem voluntati ſuæ, vt vel præmia, vel pœnas ſua voluntate recipiat. Neque ſtatim totum erit hominis, quod eueniet, ſed eius gratiæ, qui cuncta largitus eſt. Ita enim libertas arbitrij reſeruanda eſt, vt in omnibus excellat gratia largitoris.* Vides, teſtimonium Hieronymi nobis obiectum ab ipſo explicari, quia gratia largitoris ſemper excellit. Similiter Paulinus epiſt. 27. col. 4. docens ſolius Dei eſſe mutare hominem: *Quoniam per electas animas ſemetipſum immittit, vt in omni gente primatum teneat.* Ergo quia primatum tenet, & principem cauſalitatem gratia Dei, ideo totum opus conuerſionis noſtræ, & ſalutis Deo deferendum eſt. Porro diuinæ gratiæ præcipuam, ac principalem cauſalitatem obtinet duplici ratione. Prima, quia ipſa eſt eiuſdem rationis cum opere ſupernaturali, cum eoque connectitur, in ipſumque connaturaliter inclinat, vt explicabat cum Conrado ſanctus Thomas. Secunda, quia gratia tribuit virtutem arbitrio, non vero arbitrium gratiæ, arbitrium eleuatur à gratia, non gratia ab arbitrio; gratia eſt virtus Dei à nullo accipientis poteſtatem ad agendum, arbitrium accipit poteſtatem à Deo. Adde tertiam, quæ eſt alia explicatio ſuperiorum, quia Deus præuenit, & donat vocatione, & excitatione præcurrenti ſuammet actionem arbitrio, arbitrium non præuenit, neque donat ſuam actionem gratiæ, aut Deo.

Tertia explicatio.
121. Igitur tertia explicatio eſt. Ideo te-

Auguſtinus | S. Thomas | Conradus | Ægidius | Chryſoſtomus | Theophylactus Rom. 9. | Hieronymus | Paulinus | Principalitas gratiæ.

Digitized by Google

tum Dei eſſe dicitur, quia & ipſum velle, & agere noſtrum, quo Deo operanti cooperamur, Dei eſſe vere dicitur per gratiam præuenientem. Itaque & partialis influxus noſtræ voluntatis in Deum reuocatur, quia vt illum immediate præbeamus, inducimur à Deo per gratiam vocantem, & præuenientem. Quam præuentionem, & cauſalitatem non habet noſtra voluntas in velle, & agere voluntatis, & gratiæ diuinæ.

Ioan. 7.

Explicatur ex illo Ioannis 7. *Mea doctrina non eſt mea, ſed eius, qui miſit me.* Quod ipſe Chriſtus expoſuit ſubdens: *ſi quis voluerit voluntatem eius facere cognoſcat de doctrina, verum ex Deo ſit, an ego à me ipſo loquar.*

Auguſtinus

Et Auguſtinus tract. 29. in Ioannem inter principium, & medium; *Mea doctrina non eſt mea, ac ſi diceret ego non ſum à me ipſo.* Quamuis vere ſapientia Filij increati propria, & immediata, ac eſſentialis ſit ipſi Filio; quia tamen illam acceptam habet à Patre, profert non eſſe ſuam. Ergo æquiori iure etiam cooperatio immediata arbitrij, quamuis immediate ſit à nobis, dicetur vere eſſe Dei, quia vt à nobis immediate procedat, accepimus à Deo vocante, & præueniente eo gratię genere, quo fcit, à nobis immediate agentibus præſtandum conſenſum.

Rom. 9.

Item explicatur ex illo Pauli Rom. 9. *Iam ego non operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* Nam ſi de culpabili conſenſu, cuius arbitrium potiſſima, & vnica cauſa eſt, dicere licuit Apoſtolo, non eſſe ſuum, ſed concupiſcentiæ, aut conſuetudinis prauæ, quia eius affectus præuenientes libertatem extorquent conſenſum; potiori ratione licebit aſſerere, noſtram voluntatem non operari opera pietatis, ſed quæ habitat in nobis, gratiam; quia illa præuenit, & inducit voluntatem in ſuam immediatam cooperationem, & conſenſum.

Nazianzenus

122. Hac ratione vtitur Nazianzenus adductus num. 110. ibi: *Quoniam velle quoque ipſum à Deo eſt, optimo iure totum Deo aſſignauit Apoſtolus, dicens; Non volentis, neque currentis* &c.

Auguſtinus

Auguſtinus lib. 1. retract. cap. 23. illud, quod in epiſt. ad Rom. cap. 6. dixerat; *Quod ergo credimus noſtrum eſt; quod autem bonum operamur, illius eſt, qui credentibus dat ſpiritum;* ſic temperat. *Vtrumque noſtrum eſt propter arbitrium voluntatis, & vtrumque tamen datum eſt per ſpiritum fidei, & charitatis.* Et paucis interpoſitis. *Vtrumque Dei eſt, quia ipſe preparat voluntatem, & vtrumque noſtrum, quia non fit niſi volentibus nobis.* Tum credere, tum operari totum Dei eſt, quia præparat voluntatem, & totum noſtrum poſt præuentam à Deo voluntatem, quia auxilio gratiæ exequitur actiuitas, & libertas immediata voluntatis opera ſalutis. Item ſerm. 94. de temp. inter principium, & medium. *Sed voluntas (inquis) mea, bona eſt. Fateor tua, ſed ipſa, à quo data, à quo excitata?* In concordiam venit voluntatem bonam eſſe meam, & eſſe Dei; meam quantum ad immediatam, & proximam libertatem; Dei quantum ad præuenientem, & excitantem voluntatem. Quod clarius poſuerat lib. 1. ad Simplic. q. 2. *Vt velimus, & ſuum eſſe voluit, & noſtrum; ſuum vocando, noſtrum ſequendo.*

Chryſoſtomus

Chryſoſtomus 2. ad Theſal. 2. hom. 4. col. 3. *Vides quomodo declarauerit, nihil eorum, ſed totum eſſe Dei? Ad quod, inquit, vocauit vos per Euangelium noſtrum in acquiſitionem gloriæ Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Vocationis præcurſio totum Dei fecit. Similiter 1. Cor. 4. hom. 12. co. 2. *Non merita tua hæc ſunt, ſed Dei gratia, nam quamuis fidem adducas, à vocatione eam accepiſti.*

Ambroſius

Idemtidem Ambroſius lib. 2. de Abraham c. 10. *Nec te ipſum iuſtificares, ſed omnia tribueres Deo, qui te vocauit.*

Proſper

Demum Proſper epiſt. 84. ad Demetriad. colum. 7. *omnis illuminatarum mentium pius motus alienari quidem non poteſt à propria hominis voluntate: Si quidem nihil recte faciet, niſi quod volens egerit. Sed vt ad id, quod vtile eſt, animi tendat intenſio, de illius æternæ voluntatis inſpiratione concipitur.* Igitur, quia vocatio, & inſpiratio æternæ voluntatis anteuertens omnem cauſalitatem arbitrij ſibi vendicat, & partem noſtræ immediatæ actionis, quam Deus per eam gratiam à nobis extorquet, ideo totum Dei eſt. Plura dedimus num. 109.

Ad confirmationem.

123. Hinc lucem accipiunt adducta in confirmationem præteriti argumenti, ſoli gratiæ deferentia opus ſalutis; quæ magis vrgere videntur, cum non ſolum gratiæ totum tribuant, ſed etiam voluntatem noſtram quidquam agentem excludant.

Primo.

Reſpondeo tamen primo. Illa ſolitudo gratiæ excludit voluntatem tantum, vt cauſam primariam præuenientem, & præcipuam, non vt cauſam immediate exequentem, ſeu ſubſequentem, & inſtrumentariam.

Secundo.

Secundo relegant etiam cauſalitatem proxime exequentem noſtræ voluntatis; ſed eam ſolum, quę ex viribus pure naturalibus procedat: non eam, quæ diuinæ gratiæ auxilio inſtructa ſit.

Tertio.

Interdum tertio etiam reijciunt immediatam actionem ſupernaturalem arbitrij, ſed eam, quæ noſtræ liberæ electioni ſit ſubiecta.

Auguſtinus

Quam interpretationem fert illud ex lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 17. *vt velimus ſine nobis operatur.* Crediderim enim non de abſoluto, & deliberato velle dictum: ſed tantum de inefficaci, & ſimplici, quod inter auxilia gratiæ præuenientis collocauimus tract. de gratia auxiliante.

Quarto.

Interdum quarto remouent ſolam cauſalitatem meritoriam voluntatis, vt non ſolum auxilium præueniens, ſed & ipſum opus pietatis liberum inter dona gratuita numeretur, vt pluribus poſſet oſtendi.

Auguſtinus

Sic intelligi poteſt illud Auguſtini ex cap. 5. nobis oppoſitum, *vt de cælo vocaretur, & tam magna, & efficaciſſima vocatione conuerteretur, gratia Dei erat ſola.* Nam rationem reddens ſubdit; *Gratia Dei erat ſola, quia merita eius erant magna, ſed mala.*

Anſelmus

Concludamus igitur cum Anſelmo lib. de concord. prædeſt. & gratia cum lib. arb. cap. 3. nulla teſtimonia ſacra, quæ pietatis opera deferunt gratiæ diuinæ, accipi poſſe abſque conſortio actiuitatis propriæ arbitrij, & quæ deferunt arbitrio, abſque neceſſario auxilio gratiæ. Notat enim initio: *ſacram ſcripturam ita loqui aliquando, vt nihil videatur liberum arbi-*

Digitized by Google

trium prodeſſe ad ſalutem; ſed ſola gratia; aliquando vero ita, velut tota noſtra ſalus in libera noſtra conſiſtat voluntate. Deinde vero ſubdit; vtramque loquutionem vero ſenſu ſemper admittere conſortium indiuiduum gratiæ, & arbitrij. *Ità quippe intelligenda ſunt dicta diuina, vt neque ſola gratia, neque ſolum liberum arbitrium ſalutem hominis operetur.* Quod poſtmodum declarat exemplo maris, & fœminæ neceſſitate conſortium in generationem prolis, quod Anſelmi verbis attulimus num. 38.

SECTIO VIGESIMAQVINTA.

Argumenta à ratione contra immediatam actiuitatem naturæ in actus ſupernaturales diluuntur.

Primum. 124. PRimum argumentum. Actus ſalutaris non poteſt fieri per virtutem naturalem; Pellagianorum enim error eſt, poſſe naturam quidpiam efficere ſalutare. At ſi naturæ ineſſet actiuitas immediata ſibi idemtificata, fieret actus ſalutaris per virtutem naturalem; Nam actiuitas idemtificata naturæ, naturalis eſt. Ergo non poteſt ineſſe naturæ actiuitas immediata in actus ſupernaturales? Reſpondeo. Virtus naturalis dupliciter ſumitur. Et prout virtus naturalis diſtinguitur à ſupernaturali, quæ entitate intrinſecâ ſuperat omnem naturam. Et prout virtus naturalis diſtinguitur ab obedientiali, quæ entitate intrinſeca ſupernaturalis non eſt, ſed naturalis, indigens tamen ad operandum comprincipijs ſibi indebitis, & ſupernaturalibus. Actiuitas immediata naturæ in actus ſupernaturales nequit eſſe naturalis, prout naturale diſtinguitur ab obedientiali, quia virtus partialis eſt indigens ad agendum comprincipijs ſibi indebitis, ac ſupernaturalibus. Eſt naturalis, prout naturale diſtinguitur ab intrinſece ſupernaturali, quia entitate idemtificatur naturæ; Quod autem naturæ idemtificatum eſt, intrinſece ſupernaturale eſſe repugnat, quidquid aliter opinentur Recentiores, quos reiecimus diſp.8.ſect.1. Porro Pellagianorum error erat, actus ſalutares fieri virtute naturali, prout virtus naturalis à ſupernaturali; & obedientiali diuiditur, quæ concurſu generali, ac comprincipijs intrinſece naturalibus, ac ſibi debitis ad agendum ſufficiat. Igitur cùm actiuitas immediata naturæ à nobis aſſerta non ſit naturalis eo ſenſu, quo ſufficiat ad actus ſalutares ſolo concurſu generali Dei, & principijs intrinſece naturalibus, ac ſibi debitis, ſed neceſſaria ei ſint comprincipia ſupernaturalia gratiæ, ſibi indebita, longe diſtat hæc actiuitas naturæ

Explicatur. ab ea, quam Pellagiani tuebantur. Explicatur exemplo potentię paſſiuæ, quæ ab ipſis aduerſarijs conceditur immediata, ac indiſtincta à natura. Nihilominus ab eiſdem negatur naturalis, ſed obedientialis aſſeritur, quia in actum reduci non poteſt abſque actione ſupernaturali, ac ſibi indebita, vt vidimus diſp. 8.

Vrgent aduerſarij. 125. Vrgent. Non ſolum damnabatur à Patribus Eccleſiæ ſententia Pellagianorum, quæ totum opus ſalutis, ac fidei tribuebat tanquam cauſæ totali, viribus naturæ; Verum etiam ſententia Semipellagianorum, quæ inter arbitrium, & gratiam diuidebat, partem arbitrio, & partem gratiæ diſtribuens, vt conſtat ex Auguſtino de prædeſt. Sanctorum cap. 2. Ergo neque actiuitas partialis naturæ diuidens actionem cum gratia admittenda eſt? Reſpondeo. Actiuitas naturæ duplici ratione poteſt conſtitui partialis cauſa operis ſalutaris ſimul cum gratia. Primo partialitate, vt aiunt, effectus, ita vt pars effectus adæquate à ſola natura ſine gratia, pars à natura cum gratia procedat: v. g. velle credere ſolis naturæ viribus exiſtat, credere vero per fidem diuinam viribus gratiæ. Secundo partialitate ſolius cauſæ, vt totum à natura coniuncta gratiæ, & totum à gratia coniuncta naturæ perficiatur. Priori modo adſtruebant Semipellagiani naturam cauſam partialem, & inchoantem operis ſalutaris, & Patres Eccleſiæ deteſtabantur. Poſteriori modo nos adſtruimus, & Eccleſiæ Patres confirmant. Conſtat prior pars ex ſectione præcedenti, & ex diſp.15. ſect.3. Poſterior ex toto diſputationis progreſſu. Satisfit.

Vlterius vrgent. 126. Vlterius vrgent. Non poteſt adſtrui actiuitas, ſeu virtus immediata partialis naturæ, quin omnis virtus neceſſaria ad opus ſalutis ad ipſam naturam pertineat, eiuſque exigentiæ debita ſit. Ergo conſtitutâ virtute immediatâ naturæ vires naturales erunt cauſa totalis operis ſalutaris. Probatur antecedens. Primo. Primo, quia omnis virtus incompleta, quia incompleta eſt, poſtulat ſuapte natura compleri. Ergo ſi virtus naturæ incompleta eſt ad agendum actum ſalutarem, poſtulat habitum, aut aliam virtutem, per quam compleatur. Ac proinde omnis virtus neceſſaria ad actum ſalutarem pertinebit ad conditionem, & exigentiam naturæ. Secundo. Secundo virtus immediate actiua operis ſupernaturalis, quamuis partialis inclinat in actionem talis operis; quare habitus ſupernaturalis, quamuis cauſa ſolum partialis in agendum opus ſupernaturale inclinat. Ad naturam autem, ſeu naturæ auctorem ſpectat prouidere agentibus naturalibus omnia neceſſaria ad agendum effectus, in quos inclinant. Ergo ad naturam, ſeu naturæ Auctorem pertinebit diſponere voluntati naturali omnia comprincipia neceſſaria ad actum ſalutarem. Confirmatur. Confirmatur; Eo ipſo quod admittatur virtus ex ſe immediate actiua operis ſalutaris, non poteſt eleuari per habitum ad agendum partialiter opus ſalutare; atque adeo non erit obedientialis. Nam nulla cauſa eleuari poteſt ad agendum id, quod ex ſe agere poteſt. Ergo ſi natura ex ſe poteſt concurſu immediato partiali influere in actum ſalutarem, eleuari non poteſt ad eum concurſum partialem. Ita ſpecies impreſſa naturalis non eleuat intellectum, neque vna cauſa partialis eleuat aliam compartialem,

quia non eſt maior ratio, quare vna eleuet potiuſquam alia, quandoquidem vtraque indiget conſortio alterius, & natura abſque alia ad agendum completa eſt.

Occurritur. 127. Reſpondeo. Si virtus partialis naturæ omnino naturalis ſit, prout ab obedientiali diſtinguitur, poſtulat compleri, per aliam, & inclinat in actus, in quos eſt partialiter potens; ſecus ſi naturæ virtus obedientialis eſt. At virtus partialis immediate actiua operis ſalutaris obedientialis eſt, non omnino naturalis. Ideo neque poſtulat compleri per habitum infuſum, neque in actus ſalutares propendet. At per conſequens comprincipia, quibus completur, non ſpectant ad ordinem naturæ. Propterea vero obedientialis eſt, non verò naturalis omnino, quia ex ſe non eſt immediate actiua abſolute, & cum connexione tranſcendenti, ſed tantum ſub conditione, quod effectus, & principium ſupernaturale non repugnent. Virtus autem omnino naturalis abſolute, & cum tranſcendenti connexione eſt immediate actiua. Rurſus ideo natura eſt tantum ſub conditione, & non abſolute, ac cum ordine tranſcendenti immediate actiua actus ſalutaris, quia ipſa natura imperfecta eſt, actus ſalutaris vero adeo perfectus, vt tranſcendat omnem connexionem tranſcendentem naturæ. Quam demum perfectionem deprehendimus ex notitia fidei, quæ inter eos actus, & naturalis diſcrimen conſtituit compoſitos cum actiuitate immediata naturæ. Explicatur. Explicatur totus diſcurſus ex potentia paſſiua naturæ, quę licet immediata ſit etiam comparatione formarum ſupernaturalium, non poſtulat in actum reduci, per principium actiuum ſupernaturale, neque in paſſionem earum formarum inclinat, ideoque non omnino naturalis, ſed obedientialis dicitur; ſicut dicitur, & eſt eadem potentia paſſiua comparatione formarum naturalium. Ad confirmationem. Vnde explicata manet confirmatio, & ratio eleuationis naturæ per habitum ſupernaturalem, & non per ſpeciem naturalem, quia actum eliciendum per habitum non abſolute, ſed ſub conditione tantum, ſine connexione tranſcendenti reſpicit; actum verò efficiendum per ſpeciem naturalem reſpicit abſolute, & cum tranſcendenti connexione. De quo vberior ſermo diſputatione. 32.

Secundum argumentum. 128. Secundum argumentum. Si quo titulo efficeret natura immediate actum ſupernaturalem, eſſet quidem titulo vitalitatis. At eo titulo non poteſt. Ergo. Probatur minor. In actu ſupernaturali etiam vitalitas eſt formaliter ſupernaturalis: ſupernaturalitas enim tranſcendit omnem formalitatem entis ſupernaturalis, cum eo ipſo quod vna formalitas nequeat contineri intra exigentiam, & virtutem naturæ, omnes eleuari ſupra naturam neceſſe ſit; quandoquidem virtus, & exigentia, quæ in vnam refertur, in omnes realiter eidem identificatas referatur. At perfectio formaliter ſupernaturalis non poteſt eſſe titulus agendi naturæ. Ergo titulo vitalitatis natura rationalis non poteſt efficere immediate actum ſupernaturalem. Verum Inſtatur. hoc argumento etiam colligitur, non poſſe habitum infuſum efficere immediate actum ſupernaturalem. Nam ſi quo titulo eum efficeret immediate, eſſet ſane titulo ſupernaturalitatis. Titulo autem ſupernaturalitatis non poteſt. Quoniam in actu vitali etiam ſupernaturalitas eſt vitalis, ſicut vitalitas eſt ſupernaturalis. Principio autem non vitali, quale probauimus eſſe habitum infuſum ſect. 13, non poteſt eſſe vitalitas titulus agendi. Quare Soluitur. ſolum conuincitur, naturam ſolum non eſſe principium adæquatum formale efficiens immediate vitalitatem ſpecificam actus ſupernaturalis; neque habitum ſolum eſſe principium adæquatum formale efficiens immediate ſupernaturalitatem ſpecificam actus vitalis; ſed ex vtroque ſimul integrari vnam cauſam adæquatam indiuiduè efficientem in actio vitali ſupernaturalitatem, & vitalitatem in actu ſupernaturali, itaut vtrique ſimul reſpondeat formaliter vitalitas, & ſupernaturalitas ſpecifica actus charitatis, eo quidem modo, quem explicabimus ſect. 26.

Tertium. 129. Tertium argumentum. Si natura intellectualis conferret actionem immediatam in actum ſupernaturalem, quo eſſet natura intellectualis præſtantior, eo cæteris paribus efficeret actus pręſtantiores. At natura intellectualis præſtantior non efficit cæteris paribus præſtantiores actus; nam cum æquali lumine gloriæ non eſt præſtantior viſio beatifica Angelica, quàm humana. Ergo natura intellectualis non efficit immediate actus ſupernaturales? Reijcitur, & inſtatur. Huic argumento ſatisfaciemus diſputatione 36. Vbi diſcutiemus, an pro inæqualitate naturę inæquales ſint actus ſupernaturales, & decernemus, abſque abſurdo Theologico poſſe affirmanti ſententię ſuffragium dari. Nunc ſolum aduerto, argumentum inſtantiam habere in potentia paſſiua immediata naturę. Nam actus ſupernaturalis æquè eſſentialiter reſpicit potentiam immediate paſſiuam, quam ſuopte eſſentiali munere reddit cognoſcentem, aut volentem, ac potentiam immediatam actiuam, quam ſolum reſpicit, vt media eius actione immanenti ſic denominet paſſiuum. Præſertim ſi vera eſt ſententia, quam probabiliorem duxi in lib. de anima, quæ actus vitales modos aſſerit intrinſecè affixos potentiæ paſſiuæ. Ergo ſi pro diuerſitate, & inæqualitate naturæ intellectualis immediate recipientis non ſunt actus ſupernaturales inæquales, ac diuerſi, nemiquam erunt pro diuerſitate, & inæqualitate naturę immediate efficientis.

Quartum. 130. Quartum. Natura rationalis non operatur actum ſupernaturalem, niſi vt eleuata. Ergo habitus eleuans eſt tota ratio Eleuatur. operandi. Nego conſequentiam; quia etiam intellectus non poteſt elicere cognitionem naturalem niſi vt illuſtratus ſpecie naturali. Tamen ſpecies naturalis non eſt intellectui virtus adæquata agendi cognitionem naturalem. Ratio eſt; quia illa reduplicatio ſolum denotat habitum eſſe principium eſſentialiter neceſſa-

Digitized by Google

rium, vt natura agat actum ſupernaturalem; atque ideo ex ſe indifferens eſt, vt ſenſum contineat virtutis adæquate, aut ſolius inadæquate, quandoquidem etiam virtus inadæquata poteſt eſſe eſſentialiter neceſſaria; & eo ipſo quod habitus eleuans eſſentialiter neceſſarius ſit, quamuis ſolum ſit pars eſſentialis virtutis neceſſariæ erit verum, non poſſe naturam efficere actum ſupernaturalem, niſi vt eleuatam. Nunc igitur talis propoſitio reduplicans ſenſu virtutis inadæquate vera eſt, ſenſu vero virtutis adæquate falſa.

Quintum. 131. Quintum. Habitus non eſt magis ſupernaturalis, quam actus. Eſſet autem habitus magis ſupernaturalis, quam actus, ſi actus fieret immediate à natura. Nam habitus adæquate efficitur viribus ſupernaturalibus; actus vero partim viribus naturalibus, & partim ſupernaturalibus. Ergo vires naturales non ſunt immediate efficientes actus ſupernaturalis? Diſſoluitur. Plures Theologi, inter quos eſt Bannes adductus numero 10. admittunt, habitum eſſe magis ſupernaturalem, quam actum. In quo ego abſurdum Theologicum non inuenio, neque controuerſiam aliquam de re, ſed tantum de nomine. Deinde quod res fiat principio adæquato ſupernaturali, non conſtituit magis ſupernaturalem, quam rem, quæ efficitur principio ſupernaturali inadæquato; ſicut principium adæquatum vitale non efficit actum magis vitalem, quam principium vitale ſolum inadæquatum, v.g. amor naturalis non eſt magis vitalis, quam cognitio, quod amor fiat adæquate ſolis viribus vitaliter efficientibus animæ, quin aliud principium creatum efficiens non vitale in eius efficientiam conueniat, cognitio vero fiat tum viribus animæ vitalibus, tum virtute ſpeciei non vitali. Item actus naturalis non eſt magis vitalis, quam ſupernaturalis, quamuis naturalis fiat ſolis viribus vitalibus naturæ; ſupernaturalis verò, & virtute vitali naturæ, & virtute non vitali habitus ſupernaturalis. Ratio eſt, quia ſupernaturalitas componitur cum vitalitate, atque ideo vitalitas non minuit ſupernaturalitatem. At actum fieri, tum viribus ſupernaturalibus, tum naturalibus, habitum vero ſupernaturalibus ſolum, non eſt aliud, quam actum eſſe vitalem, habitum vero non vitalem. Vnde vires naturales ad actum non ſunt neceſſariæ, quia decreſcit in actu ſupernaturalitas, ſed quia augeſcit vitalitas ſupra habitum. Poteſt igitur actus eſſe tam ſupernaturalis, quã habitus, quamuis alter ſola virtute ſupernaturali, alter virtute ſupernaturali, & naturali fiat. Accedit, in actu ſupernaturali etiam vitalitatem, & aliam quamuis perfectionem eſſe ſupernaturalem, ac præcellentem naturam, ac proinde accreſſere actui ſupernaturalitatem accreſſente vitalitate, ac noua alia perfectione ſupra habitum ſupernaturalem. Vnde reijcitur redargutio aduerſariorum contendentium, ſaltem fore actum mixtum ex naturali, & ſupernaturali.

Vrgetur. 132. Vrgent enim aduerſarij. Actus eſt mixtus ex naturali, & ſupernaturali, cum eius principium mixtum ſit ex vtroque. Habitus vero eſt pure ſupernaturalis, cum eius principium pure ſupernaturale ſit. Ergo habitus erit magis ſupernaturalis, quam actus? Nego, actũ eſſe mixtum ex naturali, & ſupernaturali, quia eo ipſo, quod vna formalitas ſupernaturalis ſit, omnes actus formalitates ſupernaturales eſſe debent, vt dicebamus diſp. 8. ſect. 1. Vbi autem omnes formalitates rei ſunt ſupernaturales, quin vna earum naturalis ſit, nulla poteſt eſſe mixtio ex eſſe naturali, & ſupernaturali. Neque recta conſequutio eſt, compoſitionem, ſeu mixtionem relucere in actu, quod ea mixtio, & compoſitio reluceat in principio. Tum, quia cognitio non eſt mixta ex perfectione vitali, & non vitali, ſeu mortua, neque ex perfectione accidentali, & ſubſtantiali, quod eius principium efficiens coaleſcat ex potentia vitali, & ſpecie impreſſa non vitali, ex ſubſtantia animæ immediate influente, & ex principijs accidẽtalibus ipſam adiuuantibus. Tum à priori, quia effectus indiuiſibilis eſt in perfectiones realiter ab inuiſem diſtinctas, principium vero compoſitum ex entitatibus realiter diſtinctis. Plures autem perfectiones ſunt, quæ in pluribus entitatibus aggregari, aut phiſicè vniri non repugnant; repugnant vero in eadem indiuidua entitate ſibi realiter identificari, vt perfectio accidentalis, & ſubſtantialis, ſpiritualis, & materialis, & aliæ ſimiles. — Eneruatur.

Sextum argumentum. 133. Sextum. Omnis cauſa entitate naturalis eſt ex ſe intrinſece improportionata ad efficiendum quidquam ſupernaturale, etiam in genere cauſæ partialis; nam ſi ex ſe proportionata eſſet, deberetur ipſi complementum ad eum effectum producendum. Ergo ex ſe, ac intrinſece eſt impotens in eum effectum etiam in genere cauſæ partialis; cauſa enim ex ſe potens in genere cauſæ partialis, in eo quidem genere proportionata eſt. Ergo ex ſe conferre non poteſt virtutem, etiam partialem effectui ſupernaturali immediatam, ac ſibi identificatam. Hoc argumento nõnulli recentiores exultant. Sed mihi nullius negotij eſt. Vnico verbo plenè ſatisfacio. Omnis cauſa entitate naturalis ex ſe, & intrinſecè eſt improportionata ad efficiendum effectum ſupernaturalem etiam in genere cauſæ partialis, cum principio compartiali ſibi debito; ac naturali. Non eſt ex ſe improportionata ad eum efficiendum cum principio compartiali ſibi indebito, ac ſupernaturali. Natura rationalis autem non aſſeritur à nobis cauſa partialis, ad efficiendum immediate effectum ſupernaturalem, cum principio ſibi debito, ac naturali, ſed cum indebito, ac ſupernaturali. Cuius doctrinæ ratio eſt vniuerſa probatio noſtræ ſententiæ. — Euertitur.

Poſtremũ. 134. Poſtremum argumentum. Si natura rationalis præſtaret influxum immediatum in actum pietatis, is actus non eſſet ſupernaturalis, ſed naturalis. Nam affectus ſequitur debiliorem partem, ſicut concluſio. Ergo à principio partiali naturali eſſet naturalis? Nego ſequelam, & probationis aſſumptum. Nam à principio partiali non vitali, v.g. ſpecie impreſſa efficitur actus vitalis, quia aliud eius principium vitale eſt. Item à Phantaſmate ma- — Diluitur.

Digitized by Google

teriali, & intellectu ſpirituali gignitur ſpecies impreſſa ſpiritualis, & non materialis. Quinimo à præmiſſa naturali, & præmiſſa ſupernaturali induci poteſt concluſio ſupernaturalis, ſi hæc per ſe vtramque præmiſſam ſupponat, vt ſtatuemus diſputatione 55. Vnde concluſio non ſequitur debiliorem præmiſſam quoad omnes perfectiones, ſed quoad falſitatem, & contingentiam, vt etiam actus voluntatis poteſt ſequi debilitatem principij naturalis quoad defectibilitatem moralem, & malitiam. Diſcriminis ratio petenda eſt ex dicendis diſputatione 55. Omitto aliud, quod contra partialitatem arbitrij contenditur ab aduerſarijs ex eo confectum, quod ea ratione etiam Pater, & Filius eſſent duo principia partialia Spiritus ſancti. Quis enim vel leuiter eo argumento moueatur, quod tum ab ipſis aduerſarijs ſoluendum eſt; tum manifeſtum omnibus eſt diſcrimen, quo ſoluitur. Nam Catholici ipſi negare non poſſunt, Spiritum ſanctum immediate procedere à Patre, & immediate à Filio. Rurſus affirmare non poſſunt ab ipſis procedere tanquam à duobus principijs totalibus, quia fide ſanctum eſt, tanquam ab vno principio, ab vtroque produci. Ergo eadem ratione non erit tanquam à duobus partialibus. Nempe, quia non ſunt duo principia, ſed vnum, cum principium Spiritus ſancti in Patre, & in Filio ſit voluntas & ſpiratio actiua, quæ vna, & eadem eſt in vtroque. At virtus actiua naturæ, & gratiæ reali diſtinctione duplex eſt. Atque ita poteſt duplicem cauſam partialem conſtituere.

Prætermittitur aliud argumentũ

SECTIO VIGESIMASEXTA.

An natura rationalis ſua actione immediata attingat ſupernaturalitatem actus, & habitus ſupernaturalis vitalitatem?

Explicatur difficultas.

135. Conſtituta actiuitate immediata naturæ rationalis in actus ſupernaturales contra ſecundam ſententiam relatam ſect. 2. expendenda eſt tertia, quæ illam adſtruit in ſolam vitalitatem, non vero in ſupernaturalitatem actus, itaut vitalitas ſpecifica actus à ſola natura, & non ab habitu, ſupernaturalitas à ſolo habitu, & non à natura procedat. Duplici ratione poteſt vitalitas actionem immediatam naturæ terminare & ſupernaturalitas actionem habitus, & non è contra. Primo itaut realiter vitalitas non ſit terminus materialis proximus habitus ſupernaturalis, neque ſupernaturalitas terminus proximus etiam materialis naturæ, quia realiter actio præſcindit vnam formalitatem ab alia: ſicut in diuinis relatio Filij realiter eſt terminus immediate productus per generationem, natura vero non eſt terminus immediate productus. Secundo itaut licet vtraque formalitas ſit terminus immediatus materialis vtriuſque actiuitatis, quia per vnamquamque vtraque immediate producitur; tamen vtraque non eſt terminus immediatus formalis, quia nõ eſt vtraque ratio formalis actiuitatis vtriuſque; quoniam ratio, propter quam totum effectum attingit natura, eſt ſola vitalitas, non ſupernaturalitas; ratio verò propter quam totum attingit habitus eſt ſola ſupernaturalitas, non vitalitas. Sicut cognitio attingit immediate bonitatem, & veritatem ratio vero; propter quam attingit, non eſt bonitas, ſed veritas. Similiter ſi attributa virtualiter diſtincta à natura cognoſcuntur ex vi naturæ, ſola natura eſt obiectum formale talis cognitionis, & non attributa quamuis attributa ſint obiectum proximum materiale. Eodem enim modo, quo obiectum immediatum cognitionis, & amoris diſtinguimus in formale, & materiale, diſtingui poſſe videtur etiam terminus immediatus productionis in materialem, & formalem.

136. Aſſero primo. Negari non poteſt actiuitate immediata naturæ produci realiter non ſolum vitalitatem, ſed etiam ſupernaturalitatem, & è contra actiuitate immediata gratiæ ſupernaturalis produci realiter non ſolum ſupernaturalitatem, ſed etiam vitalitatem. Probatur primo autoritate Bernardi tractatu de gratia, & lib. arb. col. penult. *Quod à ſola gratia ceptum eſt, pariter ab vtroque, perficitur, vt mixtim, non ſigillatim, ſimul, non viciſſim per ſingulos profectus operentur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium, ſed totum ſingula opere indiuiduo peragunt. Totum quidem hoc, & totum illa.* Quid manifeſtius? Nec abs re adduci poteſt Auguſtin. de prædeſt. Sanct. c. 2. *Numquid metuendum eſt, ne Deus totum facere non poſſit, & ideo homo ſibi primas eius vendicat partes, vt nouiſſimas ab illo accipere mereatur.* Et poſt pauca reprehendit Maſſilianiſmum, quod velit *à ſeipſo ſibi eſſe quod credidit homo, quaſi componat cum Deo, vt partem fidei ſibi vendicet, atque illi partem relinquat.* Nam licet de partibus differat realiter ab inuicem diſtinctis, ratio tamen, propter quã omnes eiuſmodi partes actioni immediatæ gratiæ ſubijcit, probat quoque de partibus non diſtinctis. Priorem enim partem ideo à gratia fieri contendit, ne ſola actiuitate naturæ fiat aliquid conducens in ſalutem, de quo ipſa natura gloriari poſſit, occaſione ſit, aut initium, cui aliqua ratione fides aut quidpiam ſalutare annectatur. At ſi poſterioris conditionis pars ſolis edatur viribus naturæ, & pars illi neceſſario coniuncta viribus ſolius gratiæ, quidpiam vtile in ſalutem, & annexum gratiæ ederetur ſola facultate naturæ. Etenim vitalitas & ratio amoris Dei in actu charitatis in ſalutem vtilis eſt, & ſupernaturalitati annexa. Ergo. Quare & Proſper epiſt. ad Demetriadem, quæ apud Ambroſium eſt 84. col. 3. confirmare rem poteſt. *Gratia Dei tota repellitur, niſi tota ſuſcipitur: ſicut enim alienus eſt à numero fidelium qui in aliqua catholica veritate diſſentit: ita extra gratiam efficitur, qui aliquid de eius plenitudine diffitetur, quaſi homo auxilio Dei in quadam actionum ſuarum parte egeat, quadam autem parte non egeat.* Nihil igitur eſt in actionibus pietatis, quod diuinam gratiam non requirat, præter arbitrij actiuitatem, itaut vtriuſque actiuitas ad omnem actionis partem per ſe neceſſaria ſit.

Aſſertio prima.

Bernardus.

Aug. ſinus

Proſper.

Digitized by Google

Idem ſuadetur ratione.

137. Præterea ratio ſuadet. Actio Phiſica non poteſt ex parte effectus præſcindere vnam formalitatem ab alia, ſed neceſſariò attingit omnes formalitates effectus realiter identificatas inter ſe; quod enim in diuinis poſſit relatio produci, & vniri, quin realiter producatur, & vniatur naturæ, item quòd poſſit identificari natura, quin realiter identificetur relatio, opus eſt diſtinctionis virtualis, & infinitatis propriæ Dei. Ergo ſimilis diſtinctio, & formalitatum diuiſio per Phiſicam productionem creatis perfectionibus repugnat. Alias ſimili ratione, neque repugnaret eamdem perfectionē identificari realiter rebus ab inuicem diſtinctis. Tertio vitalitas, & ſupernaturalitas in dilectione charitatis comparantur inter ſe ſicut ratio ſuperior, & inferior. Nam differentia, qua actus dilectionis naturalis diſtinguitur ab actu charitatis, ſola eſt ſupernaturalitas, reliquæ enim perfectiones vtrique actioni communes ſunt. At ratio communis, & ſuperior actionem Phiſice productiuam terminare re ipſa non poteſt, quin eamdem terminet ratio inferior; nam productio tendit ad tribuendum exiſtentiam realem effectui; exiſtentia autem realis conuenire non poteſt ratione ſuperiori ſine inferiori. Ergo vitalitas actus charitatis terminare non poteſt actionem potentiæ naturalis, quin eandem terminet ſupernaturalitas.

Vlterius probatur.

Rurſus quarto.

138. Quarto. Vitalitas ſpecifica actus charitatis ex parte obiecti formaliter eſt ſupernaturalis, & ſupernaturalitas eiuſdem actus ex parte obiecti formaliter eſt vitalis. Ergo ex parte obiecti non poteſt vitalitas ſpecifica actus charitatis produci immediatè actiuitate naturę, quin eadem immediate producatur etiam ſupernaturalitas. Planum enim eſt vt actiuitate naturæ producatur realiter vitalitas ſpecifica actus charitatis, & non producatur ſupernaturalitas, opus eſſe, vt ex parte obiecti alia ſit ſupernaturalitas à vitalitate & vitalitas à ſupernaturalitate. Prior pars antecedentis probatur. Quidquid intrinſecè connexum, ac debitum, ſibi vendicat quidpiam ſupernaturale, eſt intrinſece ſupernaturale, vt conſtat ex diſputatione 8. ſect. 1. Vitalitas ſpecifica actus charitatis intrinſece annexam, ac debitam ſibi vendicat ſupernaturalitatem, cum realiter ei identificetur. Ergo vitalitas ſpecifica actus charitatis ſupernaturalis eſt. Poſterior pars etiam facilè conuincitur. Supernaturalitas, quam reſpicit habitus charitatis in actu, non eſt ratio ſupernaturalitatis communis habitibus ſupernaturalibus, cum eos ſub efficienti virtute non cōtineat. Sed ſupernaturalitas propria actus charitatis, prout ab habitibus ſecernitur, vitalis eſt, nam ea, vt talis eſt, exigit immanenter produci, & non extrinſece infundi. Ergo ſupernaturalitas actus charitatis ex parte obiecti formaliter vitalis eſt. Neque contra hanc doctrinam argumentum eſt, quod ex ſuperioribus non diluatur, omnia enim tendunt ad probandum non poſſe virtutem naturalem quidpiam ſupernaturale ſub immediata efficientia continere. Quæ ſolum de virtute adæquata, non vero inadæquata euincunt.

Aſſertio ſecunda.

139. Aſſero ſecundo ratio formalis agendi naturæ rationalis eſt vitalitas, ratio vero formalis agendi gratiæ eſt ſupernaturalitas. Vt hoc probem, præmitto cum Gabriele in 1. diſt. 3. q. 8. Fonſeca 2. met. c. 2. q. 2. ad 2. & 6. met. c. 1. qu. 2. adducente Caietanum, Conymbricenſibus in cap. 4. de orat. qu. 3. art. 4. Thomiſtis, ac Scotiſtis communiter, illam verè dici rationem formalem alicuius potentiæ, quæ ſecundum ſe ſumpta ennunciabilis eſt per intellectum de omnibus ſingularibus effectibus talis potentiæ, continens ſub ſe veluti materiam ſingulares differentias omnium, quæ actione talis potentiæ poſſunt attingi. Ex quo ſic arguo. Vitalitas eſt eiuſmodi comparatione naturæ rationalis, & ſupernaturalitas comparatione gratiæ; nam quidquid actione naturæ rationalis efficitur, vitale eſt, & quidquid efficitur actione gratiæ, eſt ſupernaturale. Ergo vitalitas erit ratio formalis agendi naturæ, & ſupernaturalitas ratio formalis agendi gratiæ. Ita communis conſenſus Theologorum.

Gabriel. Fonſeca. Caietanus. Conymbricenſes.

Annotatio.

140. Annotare tamen libet, vitalitatem, quæ definitur ratio formalis agendi naturæ rationalis, non eſſe vitalitatem nutrientibus, & ſentientibus communem, ſed vitalitatem intentionalem Intelligentibus propriam. Similiter ſupernaturalitatem, quæ ſtatuitur actio formalis agendi gratiæ, non eſſe eam, quæ habitibus quoque communis eſt, ſed ſupernaturalitatem actualem dumtaxat. Ratio eſt; quia formalis ratio agendi, cognoſcendi, amandiue, ſicut omnibus formis potentiæ actiuæ, cognoſcitiuæ, & appetitiuæ communis eſt, ita extra illos vagari non debet; nam actus potentiæ extendi poſſunt, quo ratio formalis potentiæ extenditur: quare animus non agit ſub ratione entis, neque viſus reſpicit ſub ratione ſenſibilis. At vitalitas communis nutrientibus, & ſupernaturalitas habitibus infuſis cōmunis extra terminos actiuitatis naturalis naturæ rationalis, & gratiæ ſupernaturalis porrigitur. Ergo ratio formali agendi naturæ rationalis erit vitalitas intentionalis actionum intellectus, & voluntatis propriæ, & ratio formalis agendi gratiæ, ſupernaturalitas erit ſolis eiſdem actibus, & non habitibus communis. Vnde conſequenter voluntatis diſtinctæ ab intellectu agentis actum charitatis ratio non erit vitalitas intentionalis communis actibus intellectus, ſed effectiua tantum ſolis voluntatis actibus communis; neque habitus charitatis ratio erit ſupernaturalitas communis actibus fidei, ſed affectuum bonitatis diuinæ propria.

Obijcies primo.

141. Obijcies. Ratio formalis producendi, & terminus formalis productus ſunt idem. At nulla ratio communis poteſt eſſe terminus formalis productus ſeorſim ab inferioribus, vt nuper dicebamus, quia omnis terminus productus eſt exiſtens à parte rei. Ergo nulla ratio communis eſt formalis ratio producendi. Reſpondeo. Eſt duplex terminus formalis productionis, alter Phiſicus; alter Logicus. Terminus formalis Phiſicus productionis eſt, qui immediate in ſe, ac propter ſe producitur, ac intenditur ab agente. Termi-

Reſpondetur.

Digitized by Google

nus formalis Logicus productionis eſt, qui explicat rationem, ac neceſſitatem productionis agentis, ſiue, qui in oratione explicante titulum, ac rationem, quare agens concurrit, apprehēdi, ſeu proponi debet à definiente ipſam. Igitur formalitas communis, eſto non ſit terminus formalis Phiſicus productionis propter rationem argumenti: tamen potuit eſſe terminus formalis Logicus. Etenim terminus formalis Phiſicus dicitur formalis in ordine ad exiſtentiam, & productionem realem; terminus formalis Logicus ſolum in ordine ad apprehenſionem, & explicationem intellectus. Quamuis autem nō poſſit vna formalitas abſque alia, præſertim communis, immediate, ac propter ſe produci; tamen poterit vna abſque alia ad definitionem, & explicationem cauſalitatis potentiæ apprehendi, præſertim in noſtra opinione admittente præciſionem obiectiuam rationis communis ab inferioribus. Porro ratio formalis agendi, & terminus formalis Logicus idem ſunt. Atque adeo poteſt eſſe formalitas communis ſeorſim ab inferioribus ratio formalis agendi.

Alia reſponſio.

142. Aliter reſpondeo. Eſt conſiderare actionem potentiæ, vt ſingularis eſt, & propria huius indiuidui effectus; & vt eſt communis omnibus actionibus ſingularibus ipſius. Terminus formalis productus Phiſice actione ſingulari potentiæ apprehenſa, vt ſingularis eſt, non poteſt eſſe ratio communis præſcindens ab inferioribus, ſed eſt collectio omnium formalitatum huius effectus. Terminus formalis vero Phiſice productus actione potentiæ præſcindenti à ſingularibus differentijs actionum ipſius poteſt eſſe ratio communis omnibus effectibus ipſius; nam actioni ſic præciſæ aliquis terminus productus reſpondet; non alius autem, quam formalitas effectus ſimiliter à differentijs præſcindens, v. g. actioni voluntariæ reſpondet terminus productus, affectus præſcindens ab amore, & odio, huius, & illius obiecti. Cum autem definimus rationem formalem agendi potentiæ, abſtrahimus ab actionibus, & effectibus ſingularibus, & in quacunque actione, & effectu ſingulari rationem formalem agendi, intelligimus illam, quæ potentiæ ad omnes communis eſt, vt præmiſimus ex communi acceptione numero 139. Ergo ratio communis poteſt eſſe terminus formalis productus potentiæ actiuæ. Nec obeſt, terminum productum eſſe exiſtentem à parte rei; rationem communem vero non eſſe exiſtentem à parte rei. Nam cum dicimus, formalitatem communem eſſe rationem formalem agendi, non intelligimus formalitatem communem reduplicatiue, ſed ſpecificatiue, id eſt, perfectionem effectus, quæ apprehenſione intellectus efficitur communis. Ea autem perfectio realiter exiſtit, quamuis non ſola, ſed conſortio aliarum. Actio vero, qua ſimul cum alijs producta conſtituitur, non eſt præſcindens à differentijs ſingularibus, ſed contracta ad differentias ſingulares. Item vt contracta non cōprehendit ſolam actionem formalem potentię, ſed etiam materialem; nam ſicut perfectio communis dicitur *formalis*, indiuidualis vero *materialis*; ita actio potentiæ communis omnibus effectibus ipſius *formalis*, ſingularis vero *materialis* dici conſueuit. Atque ita etiam ipſa actio, prout eſt communis, dicitur reſpici à potentia formaliter, materialiter verò; prout eſt ſingularis. Caue voces, quibus hæc res implicata eſt. Copioſius hæc in Philoſophica diſſeruimus, & in Metaphiſica diſſeremus.

Secunda obiectio.

143. Obijcies iterum. Ratio formalis agēdi potentiæ eſt formalitas ennuntiabilis de omnibus effectibus ipſius. Sed vitalitas eſt formalitas enuntiabilis de omnibus effectibus habitus ſupernaturalis. Ergo vitalitas eſt ratio formalis agendi habitus ſupernaturalis.

Confirmatio.

Confirmatur; ſupernaturalitas propria actus charitatis eſt obiectiue vitalis, vt aſſertione 1. arguebamus. Supernaturalitas ſpecifica actus charitatis eſt ratio formalis agendi habitus ſupernaturalis. Ergo vitalitas etiam erit ratio formalis agendi talis habitus?

Diſſol.

Reſpondeo. Ratio formalis agendi potentiæ eſt formalitas enuntiabilis de omnibus effectibus ipſius; ſed nō de alijs, vt notabamus ſuperius. Vitalitas autem eſt formalitas enuntiabilis tum de omnibus actibus elicitis à charitate, tum de alijs, nempe de amore naturali.

Etiam cōfirmatio.

Ad confirmationem; ſupernaturalitas ſpecifica actus charitatis eſt obiectiue pluſquam vitalis, ſicut calor eſt obiectiue pluſquam ens, quia ſupra communem rationem additur differentia, ſaltem inadæquate diſtincta. Atque adeo, ſicut calor non agit ſub ratione entis, quamuis agat ſub ratione caloris cōprehendentis eſſentialiter ens; ita habitus non agit ſub ratione vitalis, quamuis agat ſub ratione ſpecifica ſupernaturalis, complente vitale.

Vrgebis.

144. Si vero vrgeas. Ergo ſicut calor non efficiens calorem ſub ratione entis illum efficit ſub ratione talis entis; ita habitus ſupernaturalis non efficiens actum ſupernaturalem ſub ratione actus vitalis, efficiet illum ſub ratione talis actus vitalis, nempe ſupernaturalis.

Reſponſio.

Tranſeat conſequens, in quo me non occupabo. Sed adhuc inter rationem formalem agendi naturæ, & habitus ſupernaturalis exiſtit diſcrimen. Aliud ex parte obiecti; aliud ex parte modi. Ex parte obiecti, quia ratio formalis agendi naturæ eſt vitalitas communis actibus naturalibus. Mea autem opinione vitalitas communis ex parte obiecti præſcinditur à differentijs ſpecificis. Ex parte modi vero; quia etiam vitalitas, & ſupernaturalitas ſpecifica actus charitatis diſtinguuntur diuerſo modo concipiendi, & explicandi, quamquam ex parte obiecti indiſtincta ſint. Nam ad modum diuerſum apprehendendi, & explicandi ſufficiunt connota diuerſa. Vitalitas autē, & ſupernaturalitas ſpecifica actus charitatis connotant explicite facultates diuerſas.

Obiectio tertia.

145. Obijcies tertio. Natura rationalis agit actum charitatis, vt eleuata, & tanquam cauſa partialis completa per habitum. At ratio formalis agendi tanquam cauſa partialis eleuata, & complebilis per habitum non eſt ſola vitalitas, quandoquidem vitalitas reſidet in actu naturali, quem agit natura rationalis abſque

Digitized by Google

eleuatione, & complemento per habitum. Ergo ratio formalis agendi actum charitatis naturæ rationali, erit quoque ſupernaturalitas? Reſpondeo. Natura rationalis agens immediate actum charitatis, eſt ſimilis ſibi agenti dilectionem naturalem Dei, & eſt diſſimilis, qua ratione eſt ſimilis, agit eum actum, quia eſt vitalis; qua ratione eſt diſſimilis agit eumdem, vt eſt ſupernaturalis. Cæterum natura, vt eſt diſſimilis ſibi agenti dilectionem naturalē, hoc eſt, vt eleuata, & completa per habitum, complectitur eſſentialiter habitum. At habitus agit actum, qua eſt ſupernaturalis. Atque ita natura vt eleuata, & completa per habitum poteſt efficere actum charitatis qua ſupernaturalem.

Dilutio.

SECTIO VIGESIMASEPTIMA.

Corollarium de cauſa adæquata faciente, vt agamus opera pietatis.

Ratio difficultatis.

146. SVnt recentiores Theologi, qui ſuperioribus conuicti ingenue fatentur, liberum arbitrium eſſe cauſam immediatam partialem operis ſupernaturalis. Cæterum addunt, Deum, ipſiuſque gratiam eſſe totalem, & adæquatam cauſam, vt liberum arbitrium agat ea opera; videlicet, conuertatur in Deum, diligat iuſtitiam, & deteſtetur peccata. Tum quia plura ſunt Auguſtini teſtimonia, quibus docet, nos quidem credere, ac velle; Deum tamen facere, vt velimus, & credamus. Tum quia hominem credere, & conuerti in Deum, eſt quoddam complexum, quod præter ipſum actum conuerſionis, ac fidei cōplectitur etiam ipſum ſubiectum quod credit, & conuertitur in Deum. Homo autem licet agat partialiter actum conuerſionis, ac fidei; tamen non agit ſeipſum, ac proinde neque hoc complexum, quod eſt, ſeipſum credere, ac conuerti in Deum. Item quia facere, vt arbitrium credat, ac conuertatur in Deum, exprimit præuium aliquem effectum, quo medio arbitrium inducatur in cōuerſionem, ac fidem. Hunc effectum autem perducentem arbitrium in conuerſionem, ac fidem, ſolus Deus adæquate efficit independenter ab arbitrio. Ergo ſolus Deus adæquate eſt cauſa faciens, vt arbitrium credat, ac conuertatur in Deum.

Duplex ſenſus quæſtionis.

147. Ne vocibus implicemur, duplex ſenſus huius complexi, quod eſt, *facere vt faciamus*, diſtinguendus, ac explicandus eſt, & vterque vſitatus, ac proprius. Alter exprimens præuiam cauſalitatem inducentem, ac mouentem arbitrium in conſenſum liberum, quemadmodum dicitur amicus feciſſe, vt Petrus inimicitiam cum Paulo deponeret, quia cum ſuis conſilijs eum in pacem induxit. Alter exprimens cauſalitatem vltimo determinantem cōſenſum; ſicut voluntas ipſa dicitur eſſe cauſa, vt auertatur à Deo, quamuis tentatione impellatur in conſenſum peccati, quia ipſa determinat vltimo eum conſenſum, quare non. Sufficit efficere conſenſum, ſed aliqua ratione determinarè ad illum, ſiue efficaciter, ſiue inefficaciter, atque idcirco habitus infuſus non facit, vt agamus cōſenſum, quamuis reuera conſenſum efficiat, quia nulla ratione mouet ad illum, neque determinatiuus eſt actionis in illum, ſed à voluntate, tanquam à principio determinante actio habitus proficiſcitur.

Aſſertio prima.

148. Igitur aſſero primo. Deus eſt cauſa adæquata faciens, vt faciamus opera pietatis, cauſalitate præuia inducente nos in liberum conſenſum. Res eſt clara; quia ipſum arbitrium, vt liberum eſt, nihil agit præuium, quo homo adducatur in conſenſum, ſed ſolus Deus infundit gratiam excitantem, ac præuenientem, qua libertas hominis in conſenſum adducitur.* Verum quidem eſt, gratiam præuenientem, quippe illuſtrationem intellectus, & affectionem voluntatis, fieri Phiſicè ab intellectu, & voluntate; tamen earum productio moraliter, & libere tanquam à principio determinante, à ſolo Deo deriuatur. Vnde etiam ipſa gratia facit, vt faciamus eo genere cauſalitatis præuiæ quatenus præuiæ allicit, ac mouet voluntatem in cōſenſum. Sed cum hac differentia, quod Deus facit, vt faciamus in genere cauſæ efficientis, gratia vero in genere cauſæ formalis. Vſitatum enim eſt, cauſalitatem formalem exprimi per efficere, vt albedinem efficere ſubiectum album, quantitatem facere, vt ſit extenſum. In hoc ſenſu vera ſunt teſtimonia, quæ argumentis præcedentis ſententiæ proponuntur.

Aſſertio ſecunda.

149. At aſſero ſecundo. Cauſalitate immediata vltimo determinante conſenſum non eſt Deus, neque gratia, cauſa totalis faciens, vt agamus opera pietatis; ſed vere, ac proprie etiam liberum arbitrium facit immediate, vt homo pietatis officijs incumbat. Hoc aſſertum eſt aduerſus præcedentem doctrinam. Et probatur primo ex ſacro textu Eccleſ. 3. *Sic facite, vt ſalui ſitis*, 3. Reg. 8. *facies, vt des vnicuique ſecundum omnes vias ſuas, ſicut videris cor eius.* Sap. 12. *Ob hoc quod omnium Deus es, omnibus te parcere facis.* Eccleſ. 24. *Ego feci, vt in cælis oriretur lumen indeficiens.* Quæ teſtimonia non exprimunt præuium aliquid ad conſenſum, ſed concurſum immediatum ipſius cauſæ liberæ quo dicitur facere, vt ipſamet quidpiam faciat. Rurſus eiuſdem locutionis veritatem confirmat Hieronimus lib. 2. in Matth. elucidans parabolam ſinapis. *Noſter ar imus ſuſcipiens granum prædicationis, & fouens ſementem humore fidei facit in agro ſui pectoris pullulare.* Vides, voluntatem facere, vt homo edat fructus ſalutares in vitam æternam. Item Auguſtinus lib. 12. de ciuit. c. 17. agens de Deo: *Eadem immutabili, ſempiternaque voluntate res, quas condidit, & vt prius non eſſent, egit, quandiu non fuerunt, & vt poſterius eſſent, quandiu eſſe cœperunt.* Tamen Deus non egit aliquid præuium, vt creaturæ non eſſent prius, neque, vt eſſent poſterius, ſed immediata determinatio libertatis diuinę facere dicitur, vt res ſint, aut non ſint. Ergo ſimiliter liberum arbitriū abſq; præuio effectu, ſolo concurſu immediato faciet, vt ab ipſo edā:ur pietatis actus.

Primo probatur. Eccleſ. 3. 3. Reg. 8. Sap. 12. Eccleſ. 24. Secundo. Hieronim. Auguſtin.

Digitized by Google

Tertio. 150. Tertio explicatur ratione. Cauſa faciens immediate formam, quam neceſſario ſequitur effectus formalis, dicitur facere immediate, vt ſubiectum effectum formalem recipiat, v. g. efficiens immediate calorem, facit vt ſubiectum ſit calidum. At me credere, ac conuerti in Deum eſt effectus formalis immediate, ac neceſſario præſtitus ab actu conuerſionis, ac fidei realiter exiſtenti. Ergo immediate efficiens actum conuerſionis ac fidei faciet immediate, vt ego credam; ac conuertar in Deum. Sed arbitrium, vt vidimus, eſt immediate efficiens eas formas, ſeu actus pietatis. Ergo. Iterum explico. Explicatur. Vt aliqua res ſit cauſa efficiens alicuius complexi, non requiritur, vt efficiat ſubiectum illius, ſed ſufficit efficere formam, aut vnionem, quæ cum eo complexo ineuitabiliter conuertitur. Ignis enim eſt cauſa efficiens, vt lignum conuertatur in ignem, & homo efficit, vt alius homo generetur. Tamen ignis non efficit ſubiectum formæ ligneæ, atque igne commune, quod in eo complexa continetur, neque homo aliud efficit, quam vnionem corporis & animi, quamuis homo præter vnionem corpus etiam, & animum complectatur. Similiter Deus eſt cauſa faciens vt ipſius omnipotentia producat cælum; tamen non eſt cauſa faciens ipſam omnipotentiam, quæ in eo complexa comprehenditur. Ergo etiam arbitrium faciet, vt homo conuertatur in Deum, licet ſeipſum non faciat, qui tale complexum conſtituit. Item ego facio, vt oculi mei conuertantur in cælum, quãuis ego non facio oculos, qui conuertuntur.

Quarto. 151. Quarto oſtenditur aſſertio. Voluntas creata eſt cauſa, vt ipſa derelinquat Deum, & æternæ damnationis rea ſit. Tamen ipſa, vt faciat ſe ipſam auerſam à Deo, & æternæ damnationis ream, neque ſe ipſam efficit; neque aliquid præuium ad conſenſum peccati, ſed concurſu immediato libere determinante efficientiam ipſius, cauſa eſt eius complexi. Ergo eadem voluntas poterit efficere, vt ipſamet conuertatur in Deum, & ſalutem obtineat, quamuis, neque ſe ipſam efficiat, neque gratiam prædeterminantem conſenſum; ſolum quia aſſiſtentibus omnibus principijs neceſſarijs ad cõſenſum ipſa ſuo immediato concurſu libere determinat efficientiam actus, quo conuertitur in Deum, & ſalutem æternam adipiſcitur. Confirmatur. Cõfirmatur: Nam ſolum dicitur efficere arbitrium conuerſionem in Deum, ſed vere ipſum ſeſe in Deum conuertere, ſicut vere ſeſe à Deo dicitur auertere. Ita communis modus loquendi fidelium, & Tridentini ſeſſ. 6. cap. 5. ibi. *Ad conuertendum ſe*, & Senonenſis c. 15, ibi *vt voluntas humana ſeſe conuertat in Deum.* Tridentinũ. At cauſa, quæ hominem conuertit in Deum, facit, vt ipſe homo in Deum conuertatur, ſicut cauſa, quæ hominem auertit à Deo, facit, vt ipſe homo auertatur à Deo. Ergo arbitrium ſeſe conuertens in Deum, facit, vt ipſe homo conuertatur. Atque adeo arbitrium ſuo immediato influxu non ſolum erit cauſa faciens conuerſionem in Deum, ſed etiam faciens vt homo conuertatur in Deum. Ex dictis lucem habent argumenta contrariæ ſententiæ.

SECTIO VIGESIMAOCTAVA.

Aliud corollarium de cauſa adæquata diſcernente in actu ſecundo iuſtum ab iniuſto.

152. Ex præteritis deprehendes contra eoſdem Recentiores, libere admitti poſſe ipſam voluntatem creatam ſuapte actiuitate, & actione partiali immediata, efficiente conuerſionem in Deum, ſeſe diſcernere partialiter in actu ſecundo ab ea voluntate, quæ non conuertitur; neque Deum, neque eius gratiam eſſe cauſam adæquatam talis diſcretionis. Explicatur collectio. Itaque diſcretio iuſti ab iniuſto duplex eſt. Diſcretio duplex. Alia in actu primo per auxilia gratiæ influentia in cõuerſionem, aut fidem. Alia in actu ſecundo per ipſam conuerſionem, aut fidem actualem. Planum enim eſt, eum, qui credit, & conuertitur in Deum, inæqualem, ac diuerſum eſſe per actualem conuerſionem, & fidem ab eo, qui non credit, & conuertitur. Is autem, qui inæqualis, ac diuerſus eſt ab alio, diſcernitur ab eo in eo, in quo diuerſus, & inæqualis eſt. Nunc igitur nihil decerno de priori diſcrimine in actu primo, quod alterius operis eſt. Solum ſtatuo opportune, voluntatem creatam ſua virtute, & actione immediata eſſe cauſam partialem diſcretionis actualis, qua iuſtus ab iniuſto diſcernitur.

153. Probatur. Probatur. Cauſa partialis efficiens formam diſcernentem in genere cauſæ formalis iuſtum ab iniuſto eſt cauſa partialis efficiens ipſam diſcretionem. Sed liberum arbitrium eſt cauſa partialis immediata efficiens formam diſcernentem in genere cauſæ formalis iuſtum ab iniuſto, nempe actualem conuerſionem, vt ſuperioribus oſtendimus. Ergo liberum arbitrium eſt cauſa partialis efficiens ipſam diſcretionem. Explicatur. Explicatur; Deus eſt cauſa efficiens diſcretionem actualem, quatenus eſt efficiens actualem conuerſionem, per quam iuſtus ab iniuſto formaliter diſcernitur. Sed liberum arbitrium ſimul cum Deo, & gratia ſupernaturali eſt cauſa partialis efficiens eamdem conuerſionem actualem. Ergo liberum arbitrium ſimul cum Deo, & gratia ſupernaturali eſt cauſa partialis efficiens eamdem diſcretionem. Inſuper liberum arbitrium eſt cauſa totalis diſcretionis, Secundo. qua iniuſtus diſcernitur à iuſto, quia eſt cauſa totalis peccati, aut defectus conuerſionis, quo iniuſtus formaliter differt à iuſto. Ergo inſtus erit cauſa partialis diſcretionis ab iniuſto, quia eſt cauſa partialis conuerſionis. Rurſus cauſa determinans vnam partem, potius quam aliam eſt cauſa diſcernens hominem ab alia parte. Tertio. Sed liberum arbitrium eſt cauſa determinans conuerſionem, potius quam non conuerſionem, vt ex ſuperioribus conſtat. Ergo liberum arbitrium eſt cauſa diſcernens hominem qui conuertitur, ab eo, qui non conuertitur.

154. Nec abſonat hæc doctrina à ſacro textu, Illuſtratur aſſertum.

Eſdræ 6.

textu, & conſenſu Patrum. Nam Eſdræ primo cap.6. dicitur. *Et comederunt filij Iſrael, qui conuerſi fuerunt de tranſmigratione, & omnes qui ſe ſeparauerunt à coinquinatione Gentium terræ ad eos, vt quærerent Dominum Deum Iſrael.* Et lib. 2.c. 10. *Et omnes qui ſe ſeparauerunt de populis terrarum ad legem Dei.* Qui autem ſe ipſum ſeparat ab infideli, ſe ipſum diſcernit ab illo. Ergo non ſolus Deus diſcernit fidelem ab infideli, ſed etiam homo ſeipſum ab illo diſcernit. Eodem

Iſaiæ 52.

ſpectant verba Iſaiæ 52. *Videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri; recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere. Exite de medio eius: mundamini, qui fertis vaſa Domini.* Quæ refe-

2.Cor 6.

rens Apoſtolus 2. Corinth. 6 ſecundum Septuaginta ait: *Exite de medio eorum, & ſeparamini, dicit Dominus.* En ipſis hominibus ſuffultis auxilio gratiæ præſcribitur ſeparatio, & diſcretio ab infidelibus. Ergo ipſi homines fideles cum gratia Dei poſſunt ſe ipſos diſcernere ab infidelibus.

Auguſtin.

155. Huc adduco Auguſtinum lib. 12. de Ciuit. cap 6. Vbi propoſito euentu, *Quod duo æqualiter affecti animo & corpore videant vnius corporis pulchritudinem. Si eadem tentatione ambo tententur, & vnus conſentiat, alter idem, qui fuerat, perſeueret.* Diſcrimẽ vtriuſq; reuocat in volũtatem liberã vtriuſque. *Quid alterum apparet, niſi vnum voluiſſe, alterum noluiſſe à caſtitate deficere? Vnde, niſi propria voluntate.* Similiter lib. de prædeſt. & gratia cap. 15. poſt collatos Nabuchodonoſorem, & Pharaonem, & æquales aſſertos ſubdit: *Quid ergo fines eorum fecit à ſe diuerſos, niſi quòd vnus manum Dei ſentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit; alter libero cõtra Dei miſericordiſſimam veritatem pugnauit arbitrio?* In vtriuſque arbitrium refert vtriuſque diſcrimen. Inſuper de corrept. & grat. cap. 11. de Angelis ſic diſſerit, *Cadentibus alijs per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt.* Stantes autem à cadentibus diſcriminati ſunt. Ergo per liberum arbitrium diſcrimen ſunt ſortiti: accedunt verba lib. 83. Qq. q. 68. prope finem. *Etſi quiſquam ſibi tribuit, quod venit vocatus, non ſibi poteſt tribuere, quod vocatus eſt.* Is enim, qui vocatus venit, diſcretus eſt ab eo, qui non venit, quamuis vocatus. Ergo ſi poſt vocationem venire ſibi tribuere quiſquam poteſt, etiam poteſt ſibi tribuere diſcretionem ab

Baſilius.

alio. Adde Baſilium ad illa verba Pſalm. 61. *Mendaces filij hominum in ſtateris*, ſic aientem, *Quæ ad inſtituendam vitam eligenda veniunt, per liberum arbitrium diſcernimus, quod & ſtateram nominauit, quod momentum æquale ad vtrumlibet poſſit capere.* Vbi per liberum arbitrium diſcernimus pias actiones ab impijs, quòd ideo ſtatera dicitur, quia ad vtramlibet poteſtatem æquale poteſt in quam libuerit inclinare, diſcernendo vnam ab alia.

Obijcitur Paulus ex 1. Cor. 4

156. Sed huic doctrinæ obſtare videtur Paulus 1. Cor. 4. *Quis enim te diſcernit? quid habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Nam Paulus hîc etiam agit de diſcretione in actu ſecundo, vt

Auguſtinus

docet Auguſtinus de prædeſtinatione Sanctorum cap. 5. improbans eum, qui ſibi tribuerit diſcrimẽ, quo ab alio differt, per credere actuale in Deum, quia contradiceret huic aſſerto Pauli, *Quis enim te diſcernit?* Item de ſpiritu, & litt. c. 33. eodem teſtimonio probans, voluntatem actualem credendi eſſe donum Dei. At diſcretionem iſtam adæquate reuocat in Deum, vt ſignificant illa verba excludentia omnem partem arbitrij. *Quid habes, quod non accepiſti?* Ergo tota diſcretionis cauſa Deus eſt, quin etiam partialis ſit arbitrium. Confirmat Auguſtinus

Auguſtinus confirmat.

de prædeſtinatione Sanctorum c. 5. *Dixit Apoſtolus, Quis enim te diſcernit? & quia poſſet dicere homo inflatus, diſcernit me iuſtitia mea, fides mea, vel ſiquid aliud; talibus occurrens cogitationibus bonus Doctor addidit, quid autem habes, quod non accepiſti? A quo, niſi ab illo, qui te diſcernit ab alio, cui non donauit, quod donauit tibi?* ſi autem eſſet homo partialis cauſa diſcretionis, poſſet reſpondere Paulo: Ego me diſcerno per fidem, & conuerſionem meam. Ergo.

Exponitur.

157. Reſpondeo. Solus Deus dicitur diſcernere iuſtum ab iniuſto tanquam cauſa primaria, ac præueniens diſcretionis, non ſolum qua parte ſuum influxum præſtat in actum, ſed etiam qua parte voluntas creata confert ſuum, quia ad eum conferendum voluntas creata præuenitur, & inducitur vocatione congrua infuſa à Deo. Huius interpretamenti confirmationem vide ſect. 22. & 24. vbi expoſuimus hac ratione totum opus Deo adſcribi ab Auguſtino, & alijs Patribus. Quin eadem cap. 5 de prædeſtinatione Sanctorum obſeruat Auguſtinus, ideo totam diſcretionem refũdi in Deum, quia voluntas creata ad ſuam partialem cauſalitatem in actum diſcretionis præuenitur, & adducitur à Deo per congruam vocationem, ſeu præuenientem gratiam. *Non quia credere, vel non credere non eſt in arbitrio voluntatis humanæ, ſed in electis præparatur voluntas à Domino: ideo ad ipſam quoque fidem, quæ in voluntate eſt, pertinet, Quis enim te diſcernit? Quid autem habes, quod non accepiſti.* Expende quare ad fidem actualem pertinet illud, *Quis te diſcernit*, nempe *ideo, quia in electis præparatur voluntas à Domino.* Deinde à diſcretione actiua reijcitur homo, ſed agens ſolum viribus naturæ ſibi debitis; non viribus agens ſupernaturalibus, ac indebitis. Etenim omnia, quæ viribus ſupernaturalibus fiunt, peculiari ratione dicuntur data à Deo, & à voluntate creata ſolum accepta. Quare dona, per quæ diſcernimur ab alijs, non ſolum habitualia, quæ ſolus Deus efficit, ſed etiam actualia, in quæ concurſum immediatum, ac liberum arbitrium confert recte dici poſſunt eſſe ſolius Dei dantis, arbitrij vero recipientis, atq; adeo nihil, quod acceptum à Deo non ſit, homo ſibi tribuere poteſt. Porro Deus ſolus dat, quia ſolus abſque vllo debito tribuit vires, & auxilia, quibus non ſolum poteſt homo credere: ſed infallibiliter crediturus eſt. Homo vero recipit non phyſice ſolum, ſed etiam moraliter, non mortuo quidem, ſed vitali modo: receptione inquam immanenti, ac libera, qualis ſolet eſſe, qua dona nobis oblata, ac data vulgariter acceptamus. Quo arbitrium ita recipit fidem, & alia pietatis officia, vt locus detur actioni immanenti, ac

Digitized by Google

liberæ immediatæ arbitrij, non tanquam principali, & primariæ, ſed minus principali ac ſecundariæ.

S.Thomas. 158. Sic explicat Sanctus Thomas 3. p.q. 19.art.3. *Hoc dicitur aliquis habere per ſe ipſum, cuius eſt ſibi aliquo modo cauſa. Prima autem cauſa omnium bonorum noſtrorum per auctoritatem eſt Deus. Et per hunc modum nulla creatura habet aliquid boni per ſe ipſam,* ſecundum illud 1. Cor.4. *Quid habes, quod non accepiſti? Poteſt tamen ſecundario, aliquis eſſe cauſa ſibi alicuius boni habendi, inquantum ſcilicet in hoc ipſo Deo cooperatur.* Itaque quidquid homo habet, licet à ſolo Deo ſimpliciter, & tanquam à cauſa dante, & primario, & principaliter agente habet, tamen à ſe quoque illud habet, quamuis ſecundario agente, & datori cooperante. Ideo Alexander 1.p.q. 28. mem.2.art.2. *Tota cauſa effectiua principaliter eſt apud Deum, ſed tota cauſa ſuſceptiua non eſt apud Deum, non enim cogit nos ſaluari.* Similiter Hugo Victorinus q. 241. in Epiſt. ad Rom. *Voluntas humana, & hominis eſt, ſed tanquam accipientis & Dei, ſed tanquam dantis, & Auctoris.* Voluntatem humanam intellige actū arbitrij. Illuſtrat expoſitionem Bernardus tr. de gratia & libero arbitrio init. *Deus actor eſt ſalutis, liberum arbitrium tantum capax: neque dare illam, niſi Deus, neque capere valet, niſi liberum arbitrium. Quod ergo à ſolo Deo, & ſoli datur libero arbitrio, tam abſque conſenſu eſſe non poteſt accipientis, quam abſque gratia dantis.* En ſolus Deus dator, homo acceptor proponitur, ſed ea acceptione, in quam conſenſus, ac concurſus immediatus hominis neceſſarius eſt. Eamdem mētem exprimit Auguſtinus de Spirit. & litt.c.33. *Conſentire vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, propriæ voluntatis eſt. Quæ res non ſolum non infirmat quod dictum eſt, Quid enim habes, quod non accepiſti? verum etiam confirmat. Accipere quippe, & habere anima non poteſt dona, de quibus hoc audit, niſi conſentiendo, ac per hoc quod habeat, & quod accipiat, Dei eſt: accipere autem, & habere vtique accipientis, & habentis eſt.* Componit Auguſtinus duo, & hominem quidquid obtinet ſalutare acceptum habere, & nihilominus conſenſum, ac concurſum ſibi voluntarium, vtique immediatum, ac proprium, neceſſarium eſſe. Quo ruit tota machina argumenti obiecti.

Alexander. Hugo Vict. Bernardus. Auguſtin.

SECTIO VIGESIMANONA.

Tertium corollarium de actiuitate gratiæ, ſeu habitus ſupernaturalis aduerſus Aureolum.

Explicatur. 159. Poſtremo colligitur aduerſus Aureolum relatum num. 101 gratiam, ſeu habitum ſupernaturalem ſuperaddere naturæ rationali aliquam actiuitatem ſaltem partialem, per quam compleatur actiuitas inſufficiens potentiæ: neque naturam rationalem ex ſe ferre actiuitatem ſufficientem ad efficiendū actum charitatis, ac viſionem beatam, ſed habitum non ſolum diſponendo, ſed coagendo cum natura rationali influere in actum. Itaque hæc ſententia tribuit naturæ totam virtutem agendi, & habitui ſolā diſpoſitionem potentiæ actiuæ ad modum, quo approximatio agentis neceſſaria eſt ad generationem formæ, & acuties in ferro ad ſciſſionem: quare concludit, habitum non conferre in actum actionem aliquā immediatam, ſed mediatam dumtaxat, media actiuitate potentiæ, quam applicat, ac determinat, niſi cauſalitas diſpoſitiua agentis reducatur ad cauſalitatem actiuam, ſicut diſpoſitiua paſſi reducitur ad paſſiuam. Probat hoc diſcurſu. Habitus non eſt actiuitas totalis, neque partialis ad actum charitatis ſalutarem. Ergo nullam ex ſe fert actiuitatem immediatam in actū. Non eſſe actiuitatem totalem, tanquam notum ſupponit. Non eſſe partialem contra Scotum probat. Tum quia cauſa actiua partialis non agit patiendo, & immutando intrinſece aliam compartialem actiuam, ſed poteſt agere abſque vnione cum illa, dum illi aſſiſtens ſit, vt ſpecies cum intellectu poteſt agere, licet intellectui non inhæreat, & duo trahentes nauim in eamdem tractionem coeunt, quamuis ambo colligati non ſint. At habitus non poteſt habilitare potentiam, nec ſuum munus obire, niſi vnitus potētiæ, illamque intrinſece perficiens. Tum quia habitus eſſet propriè potentia, ſicut eſt intellectus, & voluntas. Quæ potentiæ ſunt, ſolum quia ſunt principia actiua neceſſaria ad actum. Secundo probatur, quia habitus, & gratia ſupernaturalis ſolum concurrunt tanquam perfectio intrinſeca naturæ. Perfectio autem intrinſeca non concurrit, agendo, ſed diſponendo dumtaxat.

Aureoli probationes.

160. Hæc tamen momēti non ſunt. Prima probatio diluitur aſſerendo, habitū ſupernaturalem, & gratiam eſſe cauſam agentē partialem. Ad primā impugnationē reſpōdeo. Poteſt cauſa partialis indigere vnione cum alia cōpartiali, non vt agat iam exiſtens, ſed vt re ipſa exiſtens ſit, quia talis cauſa eſt accidens deſtinatum ad coagendum cum ſubſtantia, aut cum potentia vniuerſaliori, ac proinde ad eſſendum inhærere debet ſubiecto apto ad talem actionem; ſubiectum autem aptum poteſt eſſe alia cauſa cōpartialis, quam ſua actiuitate iuuat: quamuis ſi per creationem producta illi ſolum aſſiſteret, quin ineſſet, poſſet ſimili modo eamdem actiuitatem exercere. Sic exiſtimo, ſpeciem impreſſam inhærere ſubſtantiæ animæ, cum qua agit cognitionem, quamuis diuinitus conſtituta per creationem extra ſubiectum, animoque aſſiſtens poſſet eodem modo ſuam actionem conferre. Idemtidem arbitror, habitum ſupernaturalem, quia accidens eſt deſtinatum ad agendum cum actiuitate naturæ inhærere ex natura rei ipſi naturæ. Quamuis ſi diuinitus collocaretur extra ſubiectum per creationem naturæ rationali aſſiſtens, poſſet cum illa actionem ſupernaturalem exercere, vt ſuperius ſtatuimus. Ad ſecundam impugnationem reſpondeo. Habitus gerit munus potentiæ quia tribuit naturæ ſimpliciter poſſe, *potentia* tamen abſolute non dicitur, quia hæc ſonat facultatem naturæ vitalem, & ab intrinſeco conuenientem.

Diluuntur.

Digitized by Google

indifferentemque ad plures actus, ad quos per alia comprincipia ſibi intriſeca determinetur. Hæc autem deſunt habitui ſupernaturali, vt potentia ſimpliciter dicatur. Secunda probatio læmoris conſiderationis eſt. Quoniam recte cohærere poſſunt hæc duo, & naturam rationalem perfici intrinſecè per habitum, & actiuitate ipſius habitus iuuari. Potentia enim vitalis diſtincta ab anima, ſpecies impreſſa, & habitus etiam acquiſitus perfectiones intrinſecè naturæ ſunt, & ſimul iuuant naturam rationalem cum ipſis immediate agentem, vt ſæpius monuimus.

Prima probatio cõtra Aureolum. 161. Ideo hæc ſententia iam ab ſcholis omnino relegata eſt. Ex præteritis prima probatio ſit; quia in opere ſupernaturali potiores partes deferendæ ſunt gratiæ diuinæ. At ſi tota actiuitas operis ſupernaturalis cõueniret naturæ rationali, & gratiæ diſpoſitio dumtaxat, potiores partes eſſent deferendæ naturæ, quippe cui potior concurſus defertur. Ergo ſecunda, *Secunda.* quia Deus non ſolum concurſu generali omnibus creaturis debito, ſed etiam ſpeciali naturæ rationali indebito, quem cõfert per gratiam, dicitur iuuare naturam ad opera ſupernaturalia. Iuuare autem per gratiam non poteſt; quin aliquid agat per illam. Ita ſect. 9. Tertia; quia *Tertia.* Deus propria vendicat ſibi opera pietatis, non ſolum iure communi, quo reliqua opera creaturarum Dei propriæ eſſe dicuntur, ſed iure ſpeciali, quod acquirit per auxilium gratiæ. At hoc ius ſpeciale proprietatis acquiſitum per auxilium gratiæ conuenire Deo non poteſt abſque gratiæ actiuitate. Ita ſect. decima. Ergo. Quarta; *Quarta.* Gratia eſt cauſa partialis ſimul cum natura. Ita ſect. vndecima. Ergo confert partialem influxum ſimul cum illa. Quinta; *Quinta.* actus pietatis ſicut eſt intrinſece vitalis, ita eſt intrinſece ſupernaturalis. Ergo ſicut ratione vitalitatis exigitur actio immediata principij vitalis, ita ratione ſupernaturalitatis exigitur actio immediata gratiæ, aut alterius principij ſupernaturalis. Accedit ſexta *Sexta.* ex libro quinto, vbi oſtendemus, vires gratiæ, quas contra Pelagium exquiſierunt Eccleſiæ Patres, potiſſimum eſſe agentes, infirmitatemque naturæ quoad virtutem actiuam prædicari. Ergo ipſa natura rationalis adſtrui non poteſt adæquate actiua operis ſupernaturalis. Demum *Poſtremo.* ex libro quarto, vbi docebimus, habitus infuſos dari ad agendum, & non ſolum ad diſponendum actiuitatem naturæ. Ergo habitus ſupernaturalis ſuperaddit actiuitati naturæ actiuitatem aliquam ſupernaturalem partialem. Hæc attigiſſe ſat eſt aduerſus ſententiam è Theologorum memoria penitus abolętam.

DISPVTATIO TRIGESIMAPRIMA.

AN ACTIVITAS IMMEDIATA NATVRÆ RATIONALIS in actus ſupernaturales ſit principalis? an inſtrumentalis?

HAEC diſputatio ſemper mihi faſtidioſa fuit, quia apud omnes ſcriptores illam vocibus plenam, rebus vacuam inueni, & nihil Theologo veritatem examinanti moleſtius, quam inconſtanti vocum acceptione implicari. Præterii tamen hæc diſputatio non potuit. Tum quia Theologis frequens eſt. Tum quia expedit declarare, nihil magni complecti.

SECTIONES.

1. *Placita Theologorum.*
2. *Præmitto nonnulla ad explicationem propriæ ſententiæ.*
3. *Prior pars noſtræ ſententiæ.*
4. *Poſterior pars noſtræ ſententiæ.*
5. *Corollaria ex dictis.*

SECTIO PRIMA.

Placita Theologorum.

Prima ſententia. 1. PRimo volunt, virtutem immediate agentem naturæ eſſe principalem plures graues Theologi. Guillelmus Pariſienſis *Guillelmus Pariſienſis.* 1. p. verſus finem tractatu de merito, columna penultima. Bannes *Bannes.* 1. p. quæſt. duodecima, art. quinto, dubio tertio, contra tertiam ſententiam, Zumel *Zumel.* ibidem diſputatione ſecunda, pag. 251. columna prima, & pag. 252. columna 1. & 1.2. quæſt. 109. artic. 1. diſputatione prima, concluſione ſecunda, Nauarrete *Nauarrete.* tom. 1. controuerſ. 39. §. 1. concluſ. 1. pag. 245. Petrus Ledeſma *Ledeſma.* de Diuina perfectione art. 8. concl. 1. pag. 591. columna prima, Aluarez *Aluarez.* de auxilijs diſputat. ſexageſima octaua, numero ſeptimo, Albelda *Albelda.* 1. p. diſput. 27. numero 54. AEgidius *AEgidius.* de præſent. libro decimo, quæſt. 3. art. 5. num. octauo, Antonius Perez *Ant. perez.* in laurea Salmantina certamine 6. Scholaſtico c. 4. Puteanus *Puteanus.* 1. p. quæſt. duodecima, art. quarto, dubitatione

Aragon. Driedo. Ricardus. Maſcarenas. Bellarmin. P. Fonſeca. P. Vaſquez. P. Salas. P. Erice. P. Iannerus. P. Beccanus. P. Molinæ.

ſecunda, Aragon. 2.2. quæſt. 23. art. 2. in dubitatione circa concluſionem articuli ad tertium argumentum, Driedo de captiuitate, & redemptione generis humani, tract. 6. cap. 2. p. 2. prope medium, & libro de concordia & libero arbitrio, capite tertio, §. *Reſpondeo veriſſimum*, Ruardus articulo ſeptimo, contra Lutherum prop. 10. ad finem, Maſcarenas diſp. 1. p. 3. numero decimo. Ex noſtra ſocietate Bellarminus libro quarto, de gratia & libero arbitrio, capite decimo quinto, ad 1. Pater Fonſeca 6. met. cap. 2. quæſt. 5. ſect. decima tertia ad 2. & libro nono, capite primo, quæſt. quarta, ſect. octaua, ad 1. Pater Vaſquez, 1. p. diſput. quadrageſima tertia, numero decimo quinto, & diſput. 176. cap. 4. numero vigeſimo, & cap. 5. numero vigeſimo ſexto, Pater Salas tom. 1. in 1. 2. quæſt. 3. tract. ſecundo, diſputatione quinta, ſect. quinta, numero ſeptuageſimo quarto, Pater Erice, 1. p. diſputati. quadrageſima ſexta, capite ſecundo, Pater Iannerus 1. p. diſput. 2. quæſt. 6. dub. 4. numero ſexto, Pater Beccanus 1. p. tract. 1. cap. 9. quæſt. quarta, numero quarto. Videturque ſupponere Pater Molina in concordia diſp. 38. §. 3. *Aſſerimus.*

Secunda ſententia. AEgidius. Paludan. Argentinas. Gregorius. Capreolus. Medina. Machin. P. Suarez. P. Albertin. P. Arrubal. P. Faſolus. P. Granadus.

2. Secundo tuentur virtutem immediatam naturæ ad actus ſupernaturales eſſe inſtrumentalem, AEgidius in 2. diſtinct. 26. quæſt. ſecunda, art. 1. corp. & diſt. 28. quæſt. prima, artic. 3, prope finem. Paludanus in 4. diſtinct. 49. quæſt. prima, numero quadrageſimo ſecundo, Argentinas in 2. diſtinct. 28. quæſtione vnica, art. 2. Gregorius ibidem quæſt. 1. art. 3. ad 12. & Capreolus ibidem etiam ad 12. Item Medina 1. 2. qu. 3. art. 2. dub. 1. ad 1. Machin 1. p. diſp. 16. ſect. 3. concluſ. 1. Ex noſtra ſocietate conſtanter Pater Suarez 1. tom. ad 3. partem, diſp. 31. ſect. 6. ſolut. 4. argumenti, & lib. 3. de auxilijs cap. 15. num. 20. diſput. 30. met. ſect. 11. num. 46. & lib. 2. de attributis negatiuis cap. 10. nu. 14. & nouiſſime tom. 3. de gratia lib. 6. cap. 6. & 7. Pater Albertinus tom. 1. quæſt. 6. Theologica ex 1. principio Philoſophico num. 5. Pater Arrubal 1. p. diſput. 19. num. 30. Pater Faſolus 1. p. quæſt. 12. art. 5. nu. 27. Pater Granadus 1. p. tract. de viſione Dei, diſp. 6. n. 22.

Tertia ſententia. Bannes. AEgidius de Præſent.

3. Tertio media ſententia refertur, quæ docet naturam rationalem eſſe principalem, cum completur per auxilium ſupernaturale intrinſecum; inſtrumentalem vero, cum per auxilium extrinſecum completur. Et quidem ita ſentiendum eſſe ijs, qui aſſerunt, poſſe naturam per ſolum auxilium extrinſecum efficere actus ſupernaturales exiſtimat Bannes 2. 2. quæſt. vigeſima quarta, art. 6. dub. ſecundo, argumento ſeptimo, & ſolutione eiuſdem. Colligiturque ex probatione ſuæ ſententiæ, quam retulimus numero primo. Aliæ ſententiæ referuntur ab AEgidio de Præſentatione, quæ momenti non ſunt, & in rei confuſionem potius, quam explicationem adducuntur.

SECTIO SECVNDA.

Præmitto nonnulla ad explicationem propriæ ſententiæ.

Prænotatio prima. P. Suarez. Scotus. Gabriel.

4. PRæmitto primo, cõtrouerſiam de principalitate naturæ rationalis in actionẽ operum ſupernaturalium inter ſcriptores Scholaſticos fere totam eſſe vocalem, & nihil de re ſeria diſputatione dignum conplecti. Nam vnuſquiſque de quæſtione decernit iuxta vſurpationem cauſæ principalis, & inſtrumentalis, quam ſupponit. Vſurpatio autem cauſæ principalis, & inſtrumentalis inter Theologos, & Philoſophos inconſtans eſt, & vocali ſolum, & arbitraria diſſenſione multiplex, & diuerſa. Sed expoſuimus libro ſecundo Phyſicorum, & conſtat ex varia, atque multiplici deſcriptione cauſæ inſtrumentalis, & principalis, quam referunt Autores, præſertim Pater Suarez diſputatio decima ſeptima, inet ſect. ſecunda, à numero ſeptimo, & ſolo cuiuſque arbitrio ſtabiliunt. Sufficiat nunc ſcire cum Scoto in 4. diſt. 1. quæſt. 1. & 5. Gabriele ibidem qu. 1. nat. 4. & alijs antiquorum, cauſam inſtrumentalem ſic communiter vſurpari ex modo, quo cũ principali cauſa confertur, ideoque totidem modis dici inſtrumẽtalem, quo idem principalis dicitur. Principalem vero apud eoſdem auctores quatuor acceptiones ſubire. Primo quidẽ dicitur cauſa principalis, quæ operatur independẽter ab alio agẽte ſuperiore, cui ſubiecta ſit; quo pacto ſolus Deus eſt cauſa principalis, creatura vero inſtrumentalis. Secundo, quæ operatur tãquam principium *quod*, cui potiſſimum operatio tribuitur; qua ratione principium ſubſtantiale, v. g. animus comparatione potentiarum accidentalium, & ſuppoſitum comparatione cuiuſcumque facultatis, & partis præſertim integrantis erit principalis cauſa: potentiæ vero accidentales, & partes integrantes conferentes ad aliquam actionem ſuppoſiti erunt cauſæ inſtrumentales. Rurſus tertio principalis accipitur, quæ in aliqua actionum ſerie principem, ſeu præcipue intentum effectum attingit, quomodo ſubſtantia ignis attingens productionem alterius ignis cauſa erit principalis, calor vero ſolum attingens diſpoſitionem ad ignem erit inſtrumentalis. Quarto dicitur, quæ effectum agit per formam, ſeu virtutem ſibi intrinſecam, aut debitam, & non per motionem tantum extrinſecam alterius agentis, qualiter artifex inter principales cauſas, ſerra vero inter inſtrumentales refertur. Quibus adiunge, ſi placet, quintam ſignificationem cauſæ principalis, quæ in actionem incumbit nomine proprio, & non alterius; qua acceptione cauſæ vicariæ ſubſtituentes virtutem alterius, dicuntur inſtrumentales, vt ſpecies comparatione obiecti, ſemen comparatione viuentis; reliquæ vero cauſæ efficiẽtes principales, vt intellectus cognitionis, mas, & fœmina genitæ prolis. Ex quibus ſatis liquido deducitur, minime poſſe

Digitized by Google

omnia inſtrumentorum, & cauſarum principalium genera ſub vnica definitione comprehendit, cum à Deo analoga, ac varia ſit eorum omnium conuenientia, ac plane ſub vna acceptione ſit inſtrumentalis cauſa, quæ ſub alia principalis eſt. Atque ita vocibus, & tenebris diſputationem offundi (qualiter præſens diſputatio à ſcriptóribus offunditur) quæ priuſquam aliquid de quæſtione principalitatis decernat, certæ alicui cauſæ principalis, & inſtrumentalis deſcriptioni non figitur; ſiquidem iuxta varias cauſæ principalis, & inſtrumentalis vſurpationes variè de quæſtione ſtatuendum eſt. At tandem vix poſſe hac in re alterius placitum ſperni, cum omnes fere Theologi iuxta definitiones ab ipſis ſtatutas conſequenter loquantur.

Secunda prænotatio

5. Ideo præmitto ſecundo, præſentem diſputationem non quærere de cauſa principali, & inſtrumentali fuſiſſime accepta, prout cauſæ concurrenti ſolum mediate, & improprie communis eſt, ſed de cauſa ſtricte ſumpta, prout limitatur ad eam, quæ per ſe ipſam immediate concurrit, qualem eſſe naturam rationalem comparatione actuum ſupernaturalium, diſputatione anteriori ſtatuimus. Etenim priori ratione vagam & inconſtantem errare diſputationem neceſſe eſt, cum à Deo vagam, ac inconſtantem cauſæ principalis, & inſtrumentalis rationem complectatur. Poſteriori vero limitatione intra terminos continetur naturæ rationalis, de qua diſſeritur, proprios, certamque, ac conſtantem aliquam cauſæ principalis, & inſtrumentalis rationem promittere poteſt. Quo à noſtra diſputatione miſſos facimus Thomiſtas negantes naturæ proprium, ac immediatum influxum in actus ſupernaturales, qui, neſcit, qua ratione in iſtâ diſputatione venire poſſint.

Prænotatio tertia.

6. Præmitto tertio, cauſam inſtrumentalem preſſe vſurpatam, proprie, ac immediate efficientem, eſſe quæ immediate operatur effectum per virtutem acceptam ab alio, à quo, aut præſente, aut abſente dependet, vt ipſe immediate operetur: principalem vero, quæ immediate operatur effectum ſola; vel cum alia habente virtutem ab ipſa. Sic ſtatuimus libro ſecundo Phyſicorum, & probauimus. Etenim, vt ex Scoto, & Gabriele præmiſimus, cauſa propriè, ac immediate efficiens non diuiditur in principalem, & inſtrumentalem ex modo, quo ipſa confertur cum effectu, ſed ex modo, quo cum alia cauſa efficienti confertur: principalis enim cauſa ſonat cauſam in agendo præcipuam, alteri non ſubiectam, ſed potius alias ſibi ſubijcientem, inſtrumentalis vero cauſam ſonat in agendo minus præcipuam, alterique ſubiectam. Ex modo autem, quo vna cauſa immediate efficiens comparatur cum alia, nulla aptius ratione definiuntur cauſa inſtrumentalis, & principalis. Præſertim quia omnes, & non aliæ, quæ ſolæ, vel cum alijs habentibus virtutem ab ipſis immediate operantur, reputantur communiter cauſæ principales immediate efficientes; omnes vero, & non aliæ, quæ immediate operantur per virtutem acceptam ab alijs, à quibus in agendo dependent iure dicuntur cauſæ inſtrumentales efficientes immediate. Quod exploratum erit facienti inductionem per omnia, quæ prædicto modo immediate operantur. Iure igitur inter cauſas inſtrumentales, & principales recenſendæ ſunt, quæ à nobis ſunt definitæ. Quare Sanctus Thomas 3. contra Gentes, capite ſeptuageſimo, virtutem omnipotentiæ diuinæ, & creatorum agentium comparat inter ſe, tanquam principalem, & inſtrumentalem; quia Deus creaturis largitus eſt virtutem, qua Diuinæ omnipotentiæ cooperantur.

Scotus. Gabriel.

S. Thomas.

Quarta.

7. Præmitto quartò, naturam rationalem agentem immediate actus ſupernaturales comparari cum eis actibus dupliciter. Primo, vt cauſam præciſſe efficientem. Secundo, vt cauſam vitalem, aut liberam, mixtam mea opinione ex efficienti & formali. Quoniam cum eis actibus ſecundum entitatem intrinſecam componitur, vt cauſa præciſe efficiens; cùm eiſdem vero ſecundum eſſe liberum, ac vitale componitur vt cauſa partim efficiens, & partim formalis. Nam vt docui libro de anima in actibus vitalibus, ac liberis, tum libertas, tum etiam vitalitas immediata, ac proxima, denominatio eſt partim intrinſeca ab entitate actus, partim extrinſeca à modo agendi potentiæ in actu primo proximo vitalis, & liberæ. Quod de vitalitate, quæ minus conſtat extrinſecâ actui vitali, confirmatum inueni deinde apud Patrem Albertinum ſupra.

P. Albert.

SECTIO TERTIA.

Prior pars noſtræ ſententiæ.

Duæ partes noſtræ ſententiæ.

8. Iam noſtra ſententia duas complectitur partes. Prior eſt, naturam rationalem, vt eſt cauſa præciſe efficiens, eſſe inſtrumentalem. Poſterior, vt eſt vitalis, & libera, eſſe principalem. Atque adeo cauſalitatem naturæ in actus ſupernaturales eſſe mixtam ex principali, & inſtrumentali. Quo iudicia vtriuſque partis aduerſantis in noſtram ſententiam componimus. Quin plures Theologi naturam rationalem, iam inſtrumentalem, iam principalem cauſam pronunciant, vt Pater Vaſquez adductus num. 1. necnon Sanctus Thomas adducendus pro vtraque parte ſuperioris aſſerti. Prior nunc probanda.

P. Vaſquez S. Thomas.

Prior pars oſtenditur.

9. Ex ſacro textu fauent quæ exprimunt, liberum arbitrium operari actiones ſupernaturales ſecundum virtutem acceptam à Deo, vt ſecundo Thimoth. primo. *Collabora Euangelio ſecundum virtutem Dei.* Eſaiæ 40. *Qui dat laſſo virtutem, & ijs, qui non ſunt fortitudinem*; & alia ſimilia. Nam ſi cauſæ inſtrumentalis eſt, agere per virtutem acceptam ab alio cum ipſa agente, vt præmonuimus numero ſexto, & arbitrium agit per virtutem acceptam à Deo agente pietatis actiones cum

2. Thim. 1. Eſaiæ 40.

Digitized by Google

ipſo; conſectarium erit, arbitrium agere pietatis actiones tanquam cauſam inſtrumentalem. Rom. 12. Idem inſinuat Paulus ad Romanos 12. illis verbis, *Dico enim per gratiam Dei, quæ data eſt mihi.* Quibus ſe operantem profitetur per virtutem gratioſe ſibi datam à Deo, quod inſtrumenti proprium eſt. Atque ita exponit Theodoretus: *Dei, inquit, inſtrumentum ſum.* En quidem à Deo totum ſecundum virtutem Dei agunt filij Dei, vt ipſi vix quidpiam agant, & potius agi, quam agere dicantur Romano. Rom. 8. 8. *Qui Spiritu Dei aguntur, ij ſunt Filij Dei.* Quæ agendi conditio propria inſtrumentorum eſt. Auguſtin. Sic exponit Auguſtinus de geſtis Pellagij capite tertio. *Proculdubio plus eſt agi, quam regi; qui enim regitur aliquid agit, & à Deo regitur, vt rectè agat. Qui enim agitur, agere aliquid vix ipſe intelligitur, & tamen tantum præſtat voluntatibus noſtris gratia Saluatoris, vt non dubitet Apoſtolus dicere, Quotquot Spiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei.* Proſper. Quod didicit Proſper ex Auguſtino ſent. 310. Gloſſa ordinar. Roman. 8. Indeque ſumptum illud Gloſſæ ordinariæ ad Romanos 8. *Plus eſt agi, quaſi vix aliquid agentem, quam regi, quaſi iam aliquid agentem. Sed aguntur, non quod nihil per ſe. Sed quod vix vt aliquid agant impetu gratiæ impelluntur.* Cauſa autem, quæ eo impetu pulſa agit, vt vix aliquid agere, ſed potius agi, quam agere cenſenda ſit, inſtrumenti conditionem potius, quam cauſæ principalis æmulatur.

Alia probatio. 10. Rurſus accedunt ex ſacris litteris teſtimonia, quæ promunt, hominem, ſeu liberum arbitrium eſſe cauſam, per quā Deus pietatis opera agit, vt 2. Cor. 2. 2. Corinth. 2. *Odorem notitiæ ſuæ per nos manifeſtat.* 2. Cor. 5. 2. Corinth. 5. *Tantum Deo exortante per nos.* Rom. 15. Romano. 15. *Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus.* Nam inſtrumenti proprium eſt, id eſſe, per quod agit cauſa principalis: quippe quia ipſius virtute actionem exercet. Aliter enim comparantur inter ſe duo ignes conuenientes in vnam combuſtionem, quorum neuter comburit per aliam, quam duæ aliæ cauſæ, quarum vna tum per ſe immediate, tum mediate per aliam in opus incumbit; & non econtra. Sane quia priores cauſæ tanquam duo agentia partialia; poſteriores vero tanquam cauſa principalis, & inſtrumentalis in agendum conueniunt. Deus igitur agens per naturam rationalem erit cauſa principalis, natura rationalis vero inſtrumentalis erit. Bernardus. Vnde colligit Bernardus tractatu de libero arbitrio, prope finem. *Quid ergo, ſi non Pauli, ſed Dei loquentis in Paulo, vel operantis per Paulum, & verba ſunt, & opera?* & paulò ſuperius. *Ibi Deus homini benigne merita conſtituit, vbi per ipſum, & cum ipſo boni aliquid operari dignanter inſtituit.* Quem loquendi modum columnis anterioribus frequenter vſurpat. *Per quos, & cum quibus operatur Deus; boni ſunt vel Angeli, vel homines qui, quod vult Deus, agunt pariter, & volunt. Qui enim bono, quod opere complent, voluntate conſentiunt, opus omnino, quod per eos Deus explicat, ipſis communicant.* En per hominem & Angelum Deus, quæ vult opera perficit, tanquam per inſtrumenta, quæ ſuo imperio obediunt. Similiter Proſper libro primo, de vocatione Gentium, capite octauo. Proſper. *Sic rumpit vincula captiui, ſic veſtit nuditatem ſpoliati, ſic ſanat vulnera ſauciati, vt quod in ipſo agit, etiam per ipſum geratur.*

11. Tertio clarius ex Patribus confirmat Tertia ex Patribus. Proſper Epiſtola ad Demetriad. colum. vltima. Proſper. *Implet Spiritus ſanctus organum ſuum, & tanquam fila chordarum tangit digitus Dei corda Sanctorum. Qui ideo cum die Pentecoſtes in Apoſtolos, plebemque credentium, ſicut à Domino fuerat promiſſum influeret etiam.* En ſanctorum corda organa & inſtrumenta Spiritus ſancti vocantur, in quæ ſpiritus Diuinus virtutem, ac motum influit. Exemplo illuſtrat Marcus Eremita, libro de Paradiſo in proœmio verſus finem. Marcus Eremita. *Quemadmodum ferrum, dum ſecat, ſcindit, arat, plantat, ipſum quidem quatenus impellitur; aliquid præbet, alius tamen eſt, qui mouet, & agitat ferrum, & vbi fuerit attritum, igni mandat, & inſtaurat. Hunc in modum homo, licet exerceatur, & laboret operans, quod bonum eſt, Dominus tamen clam in ipſo operatur.* Nihil illuſtrius eſſe potuit ad inſtrumenti rationem declarandam. Anſelmus. Anſelmus libro de concord. prædeſtinatione & gratia cum libero arbitrio, capite tertio. *Voluntas inſtrumentum mouet alia inſtrumenta quibus ſponte vtimur. Ipſa vero ſe ſuis affectionibus mouet, vnde dici poteſt inſtrumentum ſe ipſum mouens.* Conſonat Laurentius Iuſtinianus libro Laurent. Iuſtinian. de caſto connubio verbi, & animæ capite octauo, inter medium & finem de Martyribus differens, *Gratia Dei eorum natura vtente inſtrumento eoſdem inſuperabiles reddit.* Audis Martyrum naturam eſſe inſtrumentum, quo inſuperabiles fiunt. Item Hugo Victorinus libro 1. de Sacramentis, p. ſexta, capite decimo ſeptimo. Hugo Vict. *Bona voluntas inſtrumentum eſt, Spiritus ſanctus eſt artifex.* Accedit Bernardus tractatu de libero arbitrio, columna antepenultima. Bernardus. *Ad concedenda merita dignatur ſibi adhærere creaturarum miniſteria.* Cauſæ enim inſtrumentalis eſt miniſterium, & famulatum præbere principali. Quo adduco iterum Proſperum libro ſecundo, de vocatione Gentium Proſper. capite vigeſimo ſexto, aſſerentem, *voluntatem noſtram præparari à Deo, vt receptricem, & famulam donorum ſuorum.* Quod enim inter cauſas morales famulantem, inter Phyſicas inſtrumentalem intelligimus.

12. Quarto ratione ſic probo. Quarta à ratione. Cauſa inſtrumentalis, vt poſuimus numero ſexto, eſt, quæ operatur per virtutem acceptam ab alio ſimul operante cum ipſo. Natura intellectualis operatur actum ſupernaturalem per virtutem acceptam à Deo ſimul operante in genere cauſæ efficientis cum ipſa. Ergò operatur actum ſupernaturalem, tanquam cauſa inſtrumentalis. Probatur minor. Natura intellectualis virtutem conditionatam ad agendum actus ſupernaturales obtinat à Deo per creationem, quia identificatur entitati animæ quæ à ſolo Deo creatur, virtutem vero abſolute

Digitized by Google

actiuam non habet à ſe, ſed à gratia ſibi adiuncta, & cum actu ſupernaturali abſolute non repugnante connexa, quam diuina largitate nanciſcitur. Quæ diſputatione illuſtrabimus. Ergo virtutem agentem actuum ſupernaturalium à Deo acceptam patitur. Confirmatur. Natura rationalis, vt eſt efficiens actuum ſupernaturalium, eleuatur à Deo ad agendum. Eleuari autem ad agendum ſolius inſtrumenti eſt. Illuſtrat aſſertum S. Thomas 2.2.q.173. art.4. ibi. *Mouetur mens Prophetæ à Spiritu ſancto ſicut inſtrumentum deficiens reſpectu principalis agentis.* Iterum in forma. *Mens Prophetæ eſt inſtrumentum deficiens.* Apertius 1.2.q.21. art.4. ad 2. *Homo ſic mouetur à Deo vt inſtrumentum; quod tamen non excludit quin moueat ſe ipſum per liberum arbitrium.* Clarius idem habet de veritate quæſt. 24. art. 1. ad 5.

S. Thomas

Euaſio.

13. Dices; Virtus immediate actiua operum naturalium in natura rationali, non eſt inſtrumentalis; ſed principalis tamen ea virtus per creationem accepta eſt. Ergo nõ bene probatur actiuitas operum ſupernaturalium inſtrumentalis; quia à Deo accepta eſt. Reſpondeo primum. Etiam virtus actiua operum naturalium eſt inſtrumentalis comparata cum Deo, quin & quælibet alia creatura efficiens. Quod l. 2. phyſicorum ſtatuimus, & illuſtrat. Deinde Pater Didacus Ruiz to. de voluntate Dei diſp.48. ſect.1. nu.21. Inſuper peculiari ratione eſt natura intellectiua cauſa inſtrumentalis Dei comparatione actuum ſupernaturalium. Nam comparatione actuum naturalium habet à ſe ſibique idemtificatam virtutem abſolute actiuam ipſorum, exigentiamque naturalem, cui debita ſunt comprincipia extrinſeca; per quæ compleatur. At vero comparatione actuum ſupernaturalium non habet à ſe, nec ſibi idemtificatam omnino virtutem abſolute actiuam eorum, neque exigentiam, aut connexionem naturalem, cui annexa ſint principia complentia illius, ſed omnia contingunt extrinſecus ex gratia, & beneplacito diuino. Quare natura ſolos actus ſupernaturales eleuata, non vero naturales operatur. Atque ita ſpecialiori titulo ad actus ſupernaturales, quam ad naturales inſtrumentum eſſe poteſt. Quippe eos actus virtute à Deo accepta ſpecialiori ratione; quam naturales operatur quod, vt præmonuimus, inſtrumenti eſt.

Occluditur.

P. Didacus Ruiz.

Alia euaſio.

14. Vrgebis. Non repugnat natura intellectiua aut alia cauſa naturalis, quæ effectuum naturalium abſque ordine tranſcendenti, & connexione intrinſeca actiua ſit. Tunc autem eodem modo compararetur natura cum effectibus naturalibus, quo nunc cum ſupernaturalibus componitur. Ergo non eſt natura ſpecialiori titulo inſtrumentum Dei ad effectus ſupernaturales, quam naturales. Præterea poſſibilitatem cauſæ naturalis nullo ordine tranſcendenti connexę cum effectu naturali, de quo iure dubitari poſſet. Nego naturam non eſſe peculiari merito inſtrumentalem cauſam ad actus ſupernaturales. Ratio eſt; quoniam natura intelligens efficit actus ſupernaturales, vt virtutem abſolute agentem, & omne complementum virtutis conditionatę ſibi idemtificatæ à ſolo Deo obtineat, & non à ſe, nec ab alia cauſa naturali id exigenti. At cauſa naturalis, aut ex ſe debet eſſe ordine tranſcendenti connexa cum effectu, atque adeo intrinſeca entitate abſolute actiua; aut ſi eum ordinem tranſcendentem reſpicit, debet ſaltim compleri per aliam cauſam naturalem ſiue agentem, ſiue patientem, cui virtus proxima, & abſolute actiua effectus debita ſit. Itaque de ratione cauſæ naturalis eſt, vt effectum agat concurſu, aut ſibi, aut alteri ſaltem cauſę naturali debito, vt ea ratione productio effectus naturalis ſupra vniuerſam naturam non conſtituatur. Nam ſi productio, & virtus abſolute productiua effectus eſt ſupra omnem exigentiam, & connexionem naturæ, plane effectus erit ſupernaturalis: neque enim aliud ad intrinſecam rei ſupernaturalitatem deſideramus. Quare licet vna, vel altera cauſa naturalis admitti queat poſſibilis, nullo ordine tranſcendenti connexa cum effectu naturali, tota tamen collectio rerum, & cauſarum naturalium ab ea connexione cum effectu naturali omnino abſoluta concedi non poteſt; cum effectus naturalis ad ordinem naturæ ſpectare non poſſit, ſi extra omnem ordinem, & connexionem tranſcendentem naturæ collocetur. De quo plura diſp. ſequenti.

Occupatur.

Duo obiectæ.

15. Duo obeſſe poſſunt aſſerto ſuperiori. Primum à Tridentino aſſeri; arbitrium non agere ſuam conuerſionem in Deum, vt merum inſtrumentum. Secundum, à nobis probari diſputatione antecedenti ſect. 7. arbitrium agere ſalutis opera per virtutem immediatam ſibi congenitam, & naturalem. Quod proprium eſt cauſæ principalis; inſtrumentalis enim conditio eſt virtute aliena, & extrinſeca in actionem moueri. Igitur arbitrium etiam vt pręciſe agens, & efficiens eſt, reſpuit inſtrumenti rationem? ſed facile enodantur. Tridentinum quidem non aduerſatur. Primo, quia ab eo non excluditur omnis ratio inſtrumenti in arbitrio creato; ſed inſtrumenti ſolum mere paſſiue ſe habentis, hoc eſt, agentis per virtutem adęquatam ſibi extrinſecam, & non per actiuitatem ſibi immediatam, & intrinſecam, vt manifeſtum fecimus diſputatione antecedenti ſect. 5. Nos autem virtutem inſtrumentalem arbitrij non aſſerimus adæquate extrinſecam, & mediatam, ſed intrinſecam, & immediatam, vt ſatis liquidum reliquimus ſuperioribus. Secundo; quia exponi poteſt à Concilio in arbitrio reijci meram inſtrumenti rationem, quæ cauſæ principalitati repugnet, nõ vero eam inſtrumenti conditionem, quę ſecum principalitatem cauſæ patiatur. Qualem nos tribuimus naturæ rationali, vt ex futura ſectione conſtabit. Ad ſecundum reſpondeo. Nos diſputatione ſuperiori ſolum oſtendimus ineſſe naturæ congenitam actiuitatem immediatam, ſiue abſolutam, cum ordine tranſcendenti ad actus ſupernaturales, ſiue conditionatam dumtaxat abſque connexione tranſcendenti cum actibus ſupernaturalibus, & immediate productiuam illorum, ſolum ſub conditione quod abſolute ſit poſſibile principium eleuans naturæ

Ad primũ.

Ad ſecundum.

Digitized by Google

actuſque ſupernaturalis, in quem efficiendum eleuatur; vt videbimus diſputatione inferiori. At non quæuis virtus congenita naturæ propria eſt cauſæ principalis, ſed ea, quæ eſt abſolute productiua effectus cum ordine tranſcendenti ad illum. Nam, quæ ſolum conditionata eſt, ſolum ſibi congenitum habet obedire eleuationi alterius, eiuſque virtute abſolute in effectum agendum eleuari. Quod cauſæ inſtrumentalis, potiuſquam principalis eſt. Addo; eſto omnis virtus congenita, aliquam agendi principalitatem præ ſe ferat, eam collatam cum Deo ferre non poteſt. Quia quidquid naturæ congenitum eſt, acceptum habet à Deo, virtute autem accepta operari, inſtrumentorum eſt, vt ſæpius obſeruauimus. Quare & naturam comparatione actuum naturalium, & omnem cauſam creatam collatam cum Deo inſtrumentalem eſſe, prænotauimus.

SECTIO QVARTA.

Poſterior pars noſtræ ſententiæ.

Poſterior pars noſtræ ſententiæ probatur.

16. SEcunda pars noſtræ ſententię eſt, naturam rationalem vt vitalem, & liberam eſſe cauſam principalem. Probatur. Natura rationalis non efficit actus ſupernaturales vt vitalis, & libera dependenter à Deo ſic efficienti eos actus. Nam Deus ſolum agit actus ſupernaturales, vt cauſa efficiens; non vt viuens, libertatemque exercens per illos. At cauſa inſtrumentalis operatur effectum dependenter à cauſa principali operante effectum eodem genere cauſæ cum ipſa; nam alias eo genere cauſæ princeps, ac independens eſt, quare cauſa materialis, & formalis, non dicuntur cauſæ inſtrumentales Dei, quamuis Deus eis præbeat virtutem materialem, & formalem, qua in ſuos effectus concurrunt: Ergo pariter natura rationalis, vt vitalis, & libera non erit cauſa inſtrumentalis Dei, ſiquidem ea ratione modum agendi complectitur, quem Deus non exercet.

Explicatur.

Explicatur. Natura rationalis, vt vitalis & libera, ita eſt cauſa efficiens actus ſupernaturalis, vt ſimul ſit formalis, tribuens illi etiam in genere cauſæ formalis extrinſecæ vitalitatem, & libertatem, vt præmiſimus num. 7. Deus autem ſolum efficiens eſt, quin eo genere cauſæ formalis vllam cauſalitatem conferat. Ergo eo genere Deus cauſa principalis non eſt, ſed totum principatum naturæ relinquit. Iterum explico. Natura rationalis, vt vitalis, & libera ea ratione efficiens eſt actus ſupernaturalis, vt ipſi ſoli, non Deo, aut gratiæ ſupernaturali conueniat, mouere ſe ab intrinſeco, & ſe determinare ad agendum per actionem: viuere enim non eſt aliud, quam, ab intrinſeco ſe mouere, & libere operari, ſic indifferentem eſſe, vt ſe ipſam, & reliqua comprincipia poſſit ad agendum determinare. At cauſæ principis eſt, ſe ipſam mouere, & cum dominio actionis ad agendum determinare; principatus enim quidem eſt hæc poteſtas ſe ab intrinſeco mouendi, & determinandi in actionem, alienus à cauſa inſtrumentali, quæ à principali agi, moueri, ac determinari dicitur. Iure igitur naturæ rationali, vt vitali, ac liberę principalitas aliqua cauſalitatis defertur.

S. Thomas firmat.

17. Hæc conſentanea ſunt doctrinæ ſancti Thomę. Qui conſtituens diſcrimen inter cauſas naturales, & liberas, vt naturales propter liberas, & liberæ propter ſe ſolas procurentur à Deo, ſic habet 3. cont. gent. c. 112. ſub initium. *Quod enim ab altero tantum agitur, rationem inſtrumenti habet, quod vero per ſe agit, habet rationem principalis agentis: inſtrumentum autem nō quæritur propter ſe ipſum; ſed vt eo principale agens vtatur.* En ex conditione libertatis, qua quis per ſe agit tribuit ſanctus Thomas creaturæ rationali principalitatem in ſuas actiones; eadem venit illud principium, quod ſtatuit lib. 2. de anima cap. 4. tex. 41. ſect. 8. fine. *Illud eſt principale in qualibet actione, à quo imponitur terminus, & ratio ei, quod fit: ſicut in artificialibus terminus, vel ratio arcæ, vel domus non imponitur ab inſtrumentis, ſed ab arte.* Præſcribere enim terminos, & rationem actioni independenter ab alio ſic præſcribenti principatus quidam eſt. At naturæ rationali, quà libera eſt, incumbit præſcribere rationem, & terminos actioni ſupernaturali, illa enim determinat ſpeciem, exercitium intentionem, tempus & durationem actus ſupernaturalis; vt copioſe alibi oſtendemus. Ergo naturę rationali, qua libera eſt, aliqua principalitas cauſæ negari non poteſt. Claudo illuſtri, ac manifeſto teſtimonio ex 2. 2. q. 23. art. 2. corpore. *Non poteſt dici, quod ſic moueat Spiritus ſanctus voluntatem ad actum diligendi, ſicut mouetur inſtrumentum, quod etſi ſit principium actus, non tamen eſt in ipſo agere, & non agere, ſic enim tolleretur ratio voluntarij, & excluderetur ratio meriti.* En reijcit ſanctus Thomas à voluntate vt libera eſt ad actum ſupernaturalem, rationem inſtrumenti, quia licet, qua principium efficiens eſt, poſſit rationem inſtrumenti ſubire, tamen vt habet ſub dominio, & poteſtate ſua agere, & non agere cauſa principalis non poteſt non eſſe. Erit ergo natura rationalis cauſa principalis actus ſupernaturalis, qua vitalis, & libera eſt, quamuis inſtrumentalis ſit, qua eſt cauſa præciſe efficiens.

18. Obijciet quis. Natura vt efficiens, eſt cauſa inſtrumentalis. Natura vt vitalis, & libera efficiens eſt. Ergo vt vitalis, & libera eſt cauſa inſtrumentalis? Reſpondeo. Natura, vt vitalis, & libera eſt inſtrumētalis, & principalis ſimul. Inſtrumentalis, qua efficiens eſt per virtutem eleuatam, & acceptam à Deo, præſcindens à modo, & differentia agendi vitaliter, & libere principalis; qua eſt præterea vitalis, & libera, modumque, ſeu differentiam addit agendi cum libertate, & vita. Itaque ratio inſtrumenti eſt inhibita, & tranſcendens vitalitatem, & libertatem, qua principalis cauſa conſtituitur. Quia vt vitalis, & libera complectitur virtutem efficientem acceptam à Deo ſimul efficiente cum ipſa, ſuperaddit tamen præterea vitalem, ac liberum agendi modum, quo Deus in actum ſupernaturalem nō influit, ac proinde ex ratione,

Obiectio.

Repellitur.

Digitized by Google

quaſi generica cauſæ efficientis inſtrumentali, & modo, ſeu differentia efficiendi ſpecifica coaleſcit ratio cauſæ principalis. Ideoque vere mixta eſt ex inſtrumentali, & principali actiuitas naturæ rationalis in actus ſupernaturales. Quo principalitatem naturæ rationalis in agẽdo actus ſupernaturales tueri potes, etiamſi illam vt vitalem, & liberam recuſes admittere cauſam formalem. Nam ſi præter cauſalitatem efficientem agnoſcas etiam formalem in actus ſupernaturales, facilius potes reddere rationem, qua principalis conſtituitur; nempe ex cauſalitate formali adiuncta inſtrumentali, qua natura non adiuuatur à Deo. Semper tamen complectitur inſtrumentalem, quam vt efficiens annexam habet. Ideo à proponendis, & ſoluendis argumentis abſtineo, quæ Pater Suarez, & alij aſſertores cauſalitatis inſtrumentalis obijciunt, quia nihil ſane euincunt, quod nos libenter non demus.

Vrgetur obiectio. 19. Vrgebis. Ideo natura, vt efficiens præciſe adſtruitur cauſa inſtrumentalis, quia natura efficit per virtutem acceptam à Deo. Sed vitalitatem, & libertatem proximam in actu primo, qua ab intrinſeco ſe mouet, & eum dominio ſe ad agendum determinat, habet acceptam à Deo. Ergo natura etiam vt vitalis, & libera inſtrumentalis eſt. Excutitur. Reſpondeo. Ideo natura, vt præciſe efficiens eſt cauſa inſtrumentalis, quia agit actum ſupernaturalem per virtutem acceptam à Deo ſimiliter efficiente cum ipſa. Vt vitalis autem, & libera eſt, non agit per virtutem vitalem, & liberam acceptam à Deo ſimiliter efficiente; quandoquidem Deus non viuit, ac ſeſe libere exercet per actionem operis ſupernaturalis ſicut natura rationalis. Itaque vt aliqua cauſa ſit inſtrumentum alterius, non ſufficit accipere virtutem agendi ab illa, ignis enim productus accipit virtutem agendi ab igne producente, cuius tamen inſtrumentum non eſt. Ergo præterea requiritur vt cauſa principalis virtutem tribuens aliqua ratione teneatur per ſe, aut per aliud etiam concurſum conferre. Deus autem ſolum tenetur conferre concurſum efficientem; non vero vitalem, & liberum. Solus itaque concurſus efficiens naturæ rationalis, non vitalis, & liber inſtrumentalis erit. Hæc ſatis, ſuperque ſunt ad meram contentionem vocum.

SECTIO QVINTA.

Corollaria ex dictis.

Prima collectio. 20. EX præcedentibus deprehenditur primo, neque affirmantes, neque negantes cauſalitatem principalem naturæ in actus ſupernaturales à noſtra ſententia recedere poſſe. Nullus enim Theologus re ipſa negat, naturam, quà præciſe efficiens eſt, agere per virtutem gratioſe acceptam, & eleuatam à Deo agente ſimul cum ipſa. Item, quà vitalis & libera eſt, ſe ipſam mouere, ac determinare ab intrinſeco Deo non ſe mouente, nec determinante ab intrinſeco per actionem ſupernaturalem. Reipſa autem naturam, quà præciſe efficiens eſt, inſtrumentalem eſſe, non eſt aliud quam naturam agere actum ſupernaturalem per virtutem acceptam, & eleuatam à Deo ſimul agente eum actum cum ipſa; eſſe vero principalem, quà vitalis, & libera eſt, non eſt aliud quam adeo vitali, ac libero modo efficiente minime pendere. Quæ ex dictis ſatis explorata ſunt. Nulla igitur cum aliquo Theologorum poteſt nobis eſſe diſſenſio de re, ſed tantum de voce.

21. Secundo colligitur, quid definiendum ſit de tertia ſententia media relata nu. 3. Etenim natura, vt præciſe efficiens potiori ratione erit cauſa inſtrumentalis eleuata per auxilium extrinſecum, quam eleuata per intrinſecum; pari vero ratione quatenus vitalis, & libera, erit cauſa principalis. Siquidem etiam eleuata per auxilium extrinſecum agit actiuitate ſibi intrinſeca vitaliter, & libere; quin à Deo pariter agente dependeat. De quo erit diſputatio mox futura. Secundo.

22. Tertio deducitur non in merito potentias accidentales realiter ab anima diſtinctas etiam quà vitales ſunt, & liberæ dici poſſe inſtrumenta ſubſtantiæ animæ. Quia totam virtutem ſibi intrinſecam, quà agunt actus ſupernaturales, etiam vitalem, & liberam habent acceptam à ſubſtantia animæ, agente immediate cum illis eoſdem actus etiam vitaliter, & libere, vt lib. de anima ſtatuimus. Sola autem cooperatio vitalis, & libera deſideratur in Deo, vt eiuſmodi potentiæ compoſitæ cum Deo, quà vitales, & liberæ inſtrumentales ſint. Cæterum quà efficientes ſunt, maiori proprietate, & rigore ſunt potentię accidentales inſtrumenta Dei, quam ſubſtantiæ animæ comparatione actuum ſupernaturalium. Nam à ſubſtantia animæ non obtinent poteſtatem abſolutam; ſed tantum conditionatam ad efficiendum ad actus ſupernaturales, & hanc nullatenus deſtinatam in finem efficiendi ſupernaturales, ſed naturales. At vtramque participat à Deo, & in finem efficiendi actus ſupernaturales. Quare à Deo eleuari non à ſubſtantia animę vere dicuntur ad agendum ſupernaturalia. Vix ergo compoſitæ cum animo potentiæ accidentales inſtrumenta ſunt in ordine ad actus ſupernaturales; totamque inſtrumenti rationem ſolum collatæ cum Deo vendicant. Tertia.

23. Quarto concluditur, habitum ſupernaturalem, & quoduis aliud auxilium gratiæ intrinſecum naturæ eſſe inſtrumentum Dei; non obedientiale vt eſt natura rationalis; ſed naturale, vt ſemen comparatione viuentis, & ſpecies impreſſa comparatione obiecti. Hæc poſterior pars probatione non eget, cum omnibus conſtantiſſimum ſit, principium intrinſece ſupernaturale non agere actus ſupernaturales eleuatum à Deo, ſed virtute abſoluta proportionata ſibi intrinſeca, & tranſcendenti ordine cum actu ſupernaturali connexa. Prior pars ex ſuperioribus probatur. Habitus agit actus ſupernaturales in genere cauſæ efficientis per virtutem acceptam à Deo pariter agente Quarta collectio.

Digitized by Google

eoſdem actus. Ad hoc ſufficit, vt habitus ſit inſtrumentum Dei, vt conſtat ex ſuperioribus. Ergo. Addo, illa eſt cauſa inſtrumentalis, cuius effectus totus, non ipſi, ſed alteri, cui in agendo ſubijcitur, potiſſimum tribuitur. At opera ſalutis ſupernaturalia non habitui, ſed Deo infundenti habitum, cui ipſe habitus in agendo ſubijcitur, potiſſimum tribuuntur, vt conſtat ex diſputatione ſuperiori. Ergo iure habitus inſtrumentum cenſetur Dei. Ad hæc; Auxilium
1. Pet. 1. intrinſecum gratię dicitur ſemen Dei, 1. Pet. 1. *Renati non ex ſemine corruptibili, ſed ex incorrupti-*
1. Ioan. 3. *bili per verbum Dei viui.* Et 1. Ioan. 3. *omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet.* Semen autem rationem inſtrumenti naturalis ad generanda viuentia ſortitur. Neque patienter fero, quod Thomiſtæ recen-
P. Suarez tiores cum Patre Suarez, & Patre Herice, ſupra
P. Herice definiunt, oppoſitum eſſe tanquam rem indubitatam omnibus Theologis acceptum. Nam habitum ſupernaturalem, & gratiam eſſe inſtrumentum naturale Dei expreſſe tuentur Pater Albertinus ſupra, Pater Faſolus ſupra, num. 28. Pater Granadus 1. p. tract. de viſione Dei diſp. 6. ſect. 3. Pater Moncæus diſp. 8. c. 3. Pater Ruiz to. de prou. d. 36. ſect. 2. pag. 565. & alij plerique. P. Albertinus P. Faſolus P. Granadus P. Ruiz

24. Demum infertur, temere ab Aluarez ſup. contra Patrem Suarez aſſertum, improbabilem eſſe ſententiam, quæ docet naturam rationalem vt cauſam inſtrumentalem agere actus ſupernaturales. Tum quia grauium Theologorum iudicia ei ſententiæ patrocinantur, quos retulimus nu. 2. Tum quia grandia argumenta ac teſtimonia fauent, quæ expendimus ſect. 3. Tum quia ſi res exacte conſideretur, ſolis vocibus ſententia affirmans à negante diſſidere comperietur. Præceps autem ac temerarium iudicium eſt Theologi, qui ſententiam tantis probabilitatis momentis fulcitam, & vix rebus, ſed vocibus à ſua opinione diſſentientem libidine feriendi alios Theologos omnino improbabilem pronuntiare. Collectio quinta contra Aluarez.

DISPVTATIO TRIGESIMASECVNDA.

AN POTENTIA OBEDIENTIALIS IMMEDIATE ACTIVA, & paſſiua naturæ, ordine tranſcendenti referatur in actus ſupernaturales.

HÆC diſputatio à nullo Theologorum ſcribentium in examen vocatur. Quam tamen operepretium duxi expedire, tum vt appareat quanta ſit facultas naturæ in ordine ad effectus ſupernaturales, & excellentia rerum intrinſece ſupernaturalium ſupra naturam; tum vt ſatiſfaciamus nonnullis obiectionibus, quæ nobis factæ ſunt iampridem ſtatuentibus, excellentiam entium ſupernaturalium vendicare, vt ſupra ordinem tranſcendentem naturæ conſtituatur, ſicut ſtatuimus diſput. 3. 4. & 5. & quoties rerum ſupernaturalium conceptus ſuperioribus in doctrinam venit.

SECTIONES.

1. *Explicatur controuerſia.*
2. *Sententia negans eligitur, & auctoritate probatur.*
3. *Eadem ſententia negans ſtabilitur ratione.*
4. *Eadem ſententia negans vlterius probatur ratione.*
5. *Sententiæ affirmantis auctoritas.*
6. *Proponitur, & explicatur ratio precipua ſententiæ affirmantis.*
7. *Diluuntur aliæ rationes ſententiæ affirmantis.*
8. *Obijcitur, & ſoluitur mirabile argumentum Recentiorum.*
9. *Vrgetur, & ſoluitur poſtremum argumentum.*

SECTIO PRIMA.

Explicatur controuerſia.

1. PRimum ſtatuo, naturam referri in actus ſupernaturales ordine tranſcendenti extrinſeco. Nam refertur in illos actione exiſtenti, & poſſibili, qua extrinſece agens, & actiua natura conſtituitur. Actio autem ordo tranſcendens eſt agentis in terminum. Vt enim cum Caietano opuſc. de ente, & eſſentia c. 7. q. 5. & Poſitio prima. Caietanus

Suarez

Suario diſp. 46. met. ſect. 4. nu. 9. docuimus l. 2. phyſic. Eo differt relatio prædicamentalis à relatione tranſcendenti, quod relatio prædicamentalis reſpicit terminum, vt pure terminum, quin aliud munus circa illum exerceat, quam mere reſpiciendi, relatio vero tranſcendens ita comparatur cum termino, vt circa illum munus aliud, quam pure reſpiciendi exerceat. At natura per actionem non reſpicit ſupernaturalem actum, vt pure terminum, ſed vt agendum per illam. Ergo refertur tranſcendentaliter per illam. Atque ita tota diſputatio eſt de ordine tranſcendenti intrinſeco, & non extrinſeco.

Secunda.

2. Statuo ſecundo, ordinem intrinſecum tranſcendentem naturę in actus ſupernaturales nunc aliud non intelligi, quam connexionem intrinſecam naturæ cum actibus ſupernaturalibus, qua repugnantibus actibus ſupernaturalibus repugnaret quoque natura. Et merito; nam res connexa intrinſece quoad entitatem cum alia, non eſt abſoluta ab illa, ſed illi alligata, atque adeo etiam in eamdem relata. Scio à Patre Suarez 1. p. lib. 3. c. 9. n. 13. admitti Deum intrinſece connexum cum omnibus creaturis, & negari tranſcendenti ordine relatum; quia relatione tranſcendenti ordinatur res in aliam, vt in ſuum finem; Deus autem referri non poteſt in aliquam creaturam, vt in ſuum finem. Sed hæc diſſentio non eſt de re, ſed tantum de voce. Neque noſtro dicendi modo abſonat communis loquendi mos; ſiquidem actio refertur tranſcendentaliter ad cauſam, vnio ad extrema, viſio intuitiua ad obiectum, & Deus ipſe per actionem extrinſecam ad terminum; quin etiam Pater æternus generatione actiua ad Filium. Immo ipſe Pater Suarez diſp. 46. met. ſect. 4. num. 9. tradit, relatione tranſcendenti reſpici aliud, vel vt ſubiectum, vel vt obiectum, vel vt agens, vel vt finis. Ergo opus non eſt, vt terminus relationis tranſcendentis reſpiciatur determinate tanquam finis. Addo relationem intrinſecam ad aliud tanquam ad finem, proprie quidem ſolum competere intentioni voluntatis, extrinſecam vero ijs quæ diriguntur ab intentione voluntatis in finem. At vero relatio tranſcendens intrinſeca & extrinſeca alijs competit, ab intentione voluntatis diſtinctis, vt vnioni in extrema actioni phyſicæ in terminum per ipſam productum, & alijs. Item ſcio à P. Faſolo 1. p. q. 12. art. 8. n. 68. præter connexionem entitatiuam ad relationem tranſcendentem deſiderari, vt terminus, cum quo res connectitur, ſit aliqua perfectio fundamenti, fundamentumque ſit per illum perfectibile; atque ita Deum intrinſece connexum cum creaturis eſſe ab ordine tranſcendenti abſolutum: ſed vocale etiam hoc diſcrimen eſt. Neque omnino placet. Nam verbum per vnionem hypoſtaticam refertur ordine tranſcendenti ad naturam humanam ſibi vnitam, Deus per actionem phyſicam ad terminum productum. Pater æternus per generationem actiuam ad Filium, vt conſtat ex definitione ordinis tranſcendentis tradita numero præcedenti. Tamen termini harum relationum non ſunt perficientes fundamenti. Quanquã in re præſenti hæc conditio deſiderari non poteſt: quoniam natura rationalis perfectibilis eſt per actus ſupernaturales. Atque adeo connexio entitatiua naturæ cum illis, non poteſt non eſſe tranſcendentalis ralatio.

Suarez

Suarez

P. Faſolus

Tertia.

3. Statuo tertio, connexionem intrinſecam naturæ rationalis cũ actibus ſupernaturalibus, quam nunc inquirimus, non eſſe cum actibus ſupernaturalibus, vt actu exiſtentibus, ſiue ſecundum eſſe actualis exiſtentiæ, ſed cum actibus poſſibilibus, ſiue ſecundum eſſe eſſentiæ. Res eſt clara, nam omnibus exploratum eſt, poſſe naturam permanere nullo exiſtente actu, aut dono intrinſece ſupernaturali, atque ita cum actuali exiſtentia alicuius doni ſupernaturalis, intrinſece connexam non eſſe. Porro eſſe poſſibile actuum ſupernaturalium duplex eſt. Aliud extrinſecum conueniens à potentia productiua illorum, tanquam à forma. Aliud intrinſecum conueniens a prędicatis eſſentialibus ipſorum actuum, quæ ſi abſolute exiſtentia ſint, nullam implicationem inducunt: ideoque per non repugnantiam intrinſecam explicantur. Igitur diſputatio non eſt de connexione naturæ cum eſſe poſſibili extrinſeco actuum ſupernaturalium, quod ab ipſa natura, à qua poſſibiles redduntur, indiſtinctum eſt, ſed cum eſſe poſſibili intrinſeco eorum actuum, quod ab ipſa natura eſt diſtinctum, vt diſtincta ſunt prædicata eſſentialia actuum ſupernaturalium à prædicatis eſſentialibus naturæ.

Poſſibilitas rerum duplex.

Explicatur contentio.

4. Itaque eò tota diſputatio refertur: an implicantibus prædicatis eſſentialibus actuum ſupernaturalium, ſub conditione quod exiſtentia ponantur, eorum inquam actuum; qui modo abſolute exiſtunt abſque vlla prædicatorum implicantia, implicarent conſequenter prędicta eſſentialia naturæ rationalis, quæ eorum immediatè actiua aſſerta eſt diſputatione prǽcedenti. Ad eum modum quo celebri diſputatione Theologorum inquiritur: An implicantibus creaturis nunc abſolute poſſibilibus, implicaret Deus, ſeu omnipotentia diuina, quæ earum abſolute, & immediate productiua eſt? Verum quia ſiniſtra intelligentia implicantiæ effectuum, ex qua arguenda eſt implicantia cauſæ, implicarunt Recentiores diſputationem noſtram, accurate obſeruandum eſt, cum actus ſupernaturales implicantes ponuntur, ſolum inquiri conſequentiam, quę fieri poteſt ad exiſtentiam realem naturæ rationalis ex ſola, & præciſa remotione realitatis, ſeu veritatis tranſcendentis prædicatorum eſſentialium actus ſupernaturalis, quę nunc ſupponuntur realia, & tranſcendentaliter vera: non vero conſequentia, quæ fieri poteſt ex ipſis prædicatis implicantibus determinatis, quæ vnuſquiſque pro libito ſequi conſideret. Nam cum ſolum examinemus, an natura rationalis cum realitate, ſeu veritate actuum ſupernaturalium connexa ſit, ſolum expendenda proponitur conſequentia, quæ ex remotione præciſa realitatis, ac veritatis eorum actuum colligitur.

Digitized by Google

Certum quidem eſt, non poſſe eorum veritatem remoueri, niſi conſideremus aliqua implicantia ſequi exiſtentiam eorum. Verum vt præciſe veritatem, ac realitatem eorum remoueri concipiamus, opus non eſt determinate apprehendere hæc implicantia, vel illa, ſed ſufficit ponere aliqua indeterminate, & inconfuſe deduci, ſiquidem quæcunque illa ſint, non poſſunt cum veritate actuum componi. Itaque cum actus charitatis, & fidei nunc abſolute exiſtentes intrinſece implicantes conſideras, duo neceſſario ponis, alterum euaneſcere veritatem, ac realitatem, quam nunc in eis actibus apprehendimus; alterum, ſi ij actus exiſterent, extitura fore duo contradicentia, ſiue hæc, ſiue illa indeterminate, cum ad vanitatem veritatis nunc exiſtentis, quæcunque contradicentia ſufficiant. Et quidem hæc duo apprehenſione noſtra ſaltem inadæquate diſtincta ſunt, nam cum modo apprehendimus chimæram *hominis equi*, non apprehendimus euaneſcere veritatem alicuius entis realis, quamuis apprehendamus, eius exiſtentiam inducere duo contradicentia prædicata. Igitur in hanc diſputationē admittenda non eſt conſequentia facta ex ipſis prædicatis contradicentibus determinatis, quæ pro libito ſequi ſupponuntur; ſed tantum ex conſequentia, quæ fiat ex remotione veritatis, ac realitatis actuum charitatis, ac fidei, quæ nulla implicantia prædicatorum componitur.

Maior explicatio controuerſiæ.

5. Quin addo, ſi aliqua contradicentia determinate ſupponenda ſunt, ea debere eſſe, actum charitatis, v. g. eſſe vitalem, & non eſſe vitalem, eſſe ſupernaturalem, & non eſſe ſupernaturalem, quia vitalitas, & ſupernaturalitas conſiderantur repugnans identitati reali, ſicut rationalitas, & equinitas. Ergo ſicut ex ſuppoſitione hominis equi ſolum ſupponitur, fore hominem, & non hominem, equum, & non equum, ita ex ſuppoſitione actus vitalis, & ſupernaturalis, ſolum ſupponi debet, actum fore vitalem, & non vitalem, ſupernaturalem, & non ſupernaturalem. Etenim ſi licentia detur arguenti ſupponendi, ac determinandi contradicentia quæ velit, & ex illis arguendi ad exiſtentiam naturæ rationalis, quis non videat, ea contradicentia poſſe fingi, quæ cum exiſtentia naturæ rationalis pugnent. Igitur diſputatio limitanda eſt ad arguendum ſolum ex remotione veritatis, ac realitatis actuum ſupernaturalium ad exiſtentiam naturæ rationalis, ſuppoſita indeterminate, ac in confuſo aliqua prædicatorum implicantia, prout ſolum neceſſaria eſt ad veritatem, ac realitatem actuū ſupernaturalium nunc exiſtentium remouendam, ex cuius vi antecedenti præciſe illationes faciendæ ſunt. Res explicatur. Si quæramus; An Sol connectatur cum exiſtentia lucis? non inquirimus an cauſa inducens defectum lucis poſſit inducere defectum ſolis: certum eſt enim eodem decreto poſſe Deum deſtruere lucem, & ſolem. Sed an præciſe ex defectu lucis ſequatur neceſſario defectus ſolis, ſiue is defectus inducatur ab hac cauſa, ſiue ab illa, ſiue à ſe, ſiue ab alio. Similiterque cum quærimus an ſol connectatur cum poſſibilitate lucis, aut natura cum poſſibilitate actus ſupernaturalis; non diſerimus, an poſſint eſſe contradicentia inducentia impoſſibilitatem lucis, quæ ſimul inducant impoſſibilitatem ſolis. Sed an præciſe ex defectu poſſibilitatis lucis ſequatur defectus poſſibilitatis ſolis, modo defectum lucis poſſibilis inducant hæc contradicentia modo illa, modo abſque contradicentibus inducatur, modo cum illis. Ergo ſicut in quæſtione de connexione ſolis cum exiſtentia lucis præſcindimus à cauſa inducente defectum lucis, & ſolum arguimus ex defectu exiſtentiæ lucis ab omni cauſa præſciſo, ita in quæſtione de connexione eiuſdem ſolis cum poſſibilitate lucis, præſcindere debemus à cauſa inducente impoſſibilitatem lucis, & ſolum arguere ex defectu poſſibilitatis lucis ab omni cauſa, & determinata prædicatorum implicantia præſciſo. Quo dilucide explicatur controuerſia, & pelluntur tenebræ quibus diſputationem offundunt Recentiores, arguentes contra nos ex contradicentibus determinatis inducentibus impoſſibilitatem actus ſupernaturalis, quæ pro libito fingunt.

SECTIO SECVNDA.

Sententia negans eligitur, & autoritate probatur.

6. Vperioribus iam ſtatuimus non ſemel naturam rationalem non poſſe ordine tranſcendenti connecti cum aliquo dono intrinſece ſupernaturali, atque ita facultatem actiuam, & paſſiuam actuum, & donorum intrinſece ſupernaturalium admittendam ſine ordine tranſcendenti intrinſece naturæ. Huius ſententiæ apertos aſſertores paucos inuenio, quia in hanc difficultatem priores Theologi non inciderunt. Expreſſe tamen illam tuetur Nauarrete controu. 33. in q. 12. 1. p. art. 1. §. 4. nec non controu. 32. in q. 23. art. 5. §. 3. Pater Hurtadus diſp. 8. phyſicorum ſect. 9. Nazarius 3. p. q. 13. art. 2. controu. 4. §. *ſit ergo* & con. 6. Pater Erice de Sacramentis in genere diſp. 5. cap. 2. Item expreſſe Pater Suarez tom. 1. in 3. partem diſp. 31. ſect. 6. pag. 606. §. *Quarto id probatur*, & pag. 108. §. *Neque ratione dubitandi*. Neque obſtat à Patre Suarez etiam negari, Deum referri ordine tranſcendenti in creaturas, & nihilominus concedi, connecti Deum quoad entitatem cum illis, atque ita etiam in re præſenti poſſe negare ordinem tranſcendentem naturæ in actus ſupernaturales, & nihilominus admittere connexionem entitatiuam cum illis. Quoniam ratio propterquam connexio omnipotentiæ diuinæ cum creaturis poſſibilibus negatur à Patre Suarez, ordo tranſcendens ſolum eſt, quia creaturæ non poſſunt eſſe finis, in quem omnipotentia diuina poſſit ordinari, vt notauimus n. 2. At vero potentia naturalis recte poteſt ordinari in actus ſupernaturales tanquam in finem, atque ita connexio intrinſeca cum illis debet aſſeri à Patre Suarez,

Propoſitio.

Aſſertores. Nauarrete Hurtadus Nazarius Herice

Digitized by Google

Suarez ordo tranſcendens ad illos. Igitur vbi negatur à Patre Suarez ordo tranſcendens naturę in actus ſupernaturales, etiam negatur connexio entitatiua cum illis. Eiuſdem ſententiæ videtur Pater Fonſeca 9. metaphyſicæ c. 1. q. 4. ſect. 3. 4. & 8. aſſerens potentiã obedientialem naturæ in actus ſupernaturales non eſſe omnino intrinſecam naturę, ſed eſſe virtutem extrinſecam Dei eleuantis naturam, cui ex parte naturæ ſolum reſpondet non repugnantia, vt eleuetur à Deo. Etenim ſi connexio intrinſeca, & ordo tranſcendens in actus ſupernaturales admittatur, non eſt quare virtus obedientialis aſſeratur extrinſeca, & ſolum per non repugnantiam explicetur, vt videbimus diſput. ſeq. Qua ratione aduoco in hanc ſententiam omnes; qui potentiam obedientialem per ſolam non repugnantiam explicatunt; vt Soncinas nono metaphyſicę q. 17. §. *quid autem ſit* Ferrara 1. contra gent. cap. 5. in fine §. *ad argumenta Scoti.* Zumel. 1. 2. q. 111. art. 1. diſp. 3. referens primam opinionem, Nauarrete 1. tom. controuerſiarum 33. §. 4. & 10. 2. controu. 32. §. 2. Peſantius 3. parte q. 13. art. 1. diſp. 3. concl. 1. & Ioannes Vincentius de gratia Chriſti q. 6. pag 795. Nam, vt alibi videbimus, hi autores omnino negare non poſſunt, facultatem obedientialem eſſe aliquid poſitiuum: ſed quia hoc poſitiuum naturæ ſecundum ſe non eſt connexum intrinſece, & ordine tranſcendenti cum actibus ſupernaturalibus, aut cum principiis ſupernaturalibus illorum, quo ſecundum prędicata intrinſeca naturæ abſolute productiua, aut ſuſceptiua donorum ſupernaturaliũ conſtituatur, ſed tantum ſub conditione eleuationis diuinæ, modo quo explicatur potentia obedientialis, ſine ordine tranſcendenti, vt diſputatione ſequenti conſtabit, ideo non per aliud poſitiuum potentiæ; ſed per ſolam non repugnantiam tradiderunt. Cuius mentis etiã puto Theologos qui admittentes res intrinſece ſupernaturales, eas abſolute prædicant ſupra ordinem naturæ conſtitutas, vt expendam ſect. 4.

Fonſeca.

Soncinas.
Ferrara.
Zumel.
Nauarrete.
Peſantius.
Ioan. Vincent.

6. Hanc ſententiam primum autoritate probo. Auguſtinus lib. 9. de geneſi ad litt. cap. 17. diſtinguens virtutem creaturarum ad ea quæ ſunt iuxta curſum naturalem, & ad ea, quæ ſunt ſupra naturalem curſum, docet poſſe rerum ad ea quæ ſunt naturalia eſſe in ipſis rebus, poſſe vero ad ea quę ſunt ſupernaturalia eſſe in ipſo Deo. Ita ibi; *ſuper hunc autem motum, curſumque rerum naturalem poteſtas creatoris habet apud ſe poſſe de his omnibus facere aliud, quã eorum quaſi ſeminales rationes habent.* Et poſtquã ſubdiderat poſſe rerum creatarum ad ea quæ ſunt iuxta curſum naturalem rebus eſſe inditum, & intrinſecum, & præter illud poſſe conuenire aliud poſſe ſupra naturam ipſorum ſic exorditur caput decimum octauum; *Habet ergo Deus in ſe ipſo abſconditas quorundam factorum cauſas, quas rebus conditis non inſeruit.* Igitur poſſe rerum ad effectus ſupernaturales, non eſt omnino intrinſecum rebus, ſed partim illis extrinſecum, prout complectitur poteſtatẽ eleuantem Dei, rebus extrinſecam. Ergo non eſt ordine tranſcendenti connexum. Nam poſſe intrinſeco ordine connexum cum effectu omnino intrinſecum eſt, & non extrinſecum, vt diſp. ſeq. exponemus. Deinde Eccleſiæ Patres teſtantur, poteſtatem agendi actus ſupernaturales eſſe abſolute extrinſecam naturæ, conuenientem illi ex gratia Dei. Ergo volũt non eſſe ordine tranſcendenti connexã cum illis. Probatur conſequentia, poteſtas connexa intrinſece, & ordine tranſcendenti cum effectu adæquate eſt intrinſeca naturę, vt eſt intrinſeca poteſtas agẽdi actus naturales. Quæ vero ſine ordine tranſcẽdenti actiua eſt, non eſt ex entitate intrinſeca abſolute productiua effectus, ſed tãtum ſub conditione principij complentis ipſam, & abſolute productiua cõſtituitur extrinſece, & gratioſe per complementum principij ſuperantis ordinem, & connexionem naturæ, de quo plena erit diſputatio ventura. Antecedens eſt Pauli aſſerentis, *non eſſe nos ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientiam noſtram ex Deo eſſe.* Vbi expende non ſolũ pias cogitationes ſed ſufficientiã etiam ad illas in Dei donum extrinſecum naturæ reuocari. Item Petro 2. 1. n. 3. *Quomodo omnia nobis diuinæ virtutis ſuæ, quæ ad vitam, & pietatem donata ſunt, per cognitionem eius, qui vocauit nos &c.* Vbi omnia ad pietatem pertinẽtia diuinæ virtutis eſſe ait, quia virtus, qua & nos cooperamur, à Deo nobis gratioſe collata eſt, non cum creatione naturæ inſerta, vt optime exponit Proſper cõtra Collat. c. 29. *Numquid virtutum ſemina, quæ naturaliter habebamus inſerta, opitulatione ſua excitauit in nobis? ſed ait; Qui nunc omnia nobis, quæ ad vitam, & pietatem pertinent, donauit. 2. Petri. 1. Quod dicendo, diuinæ virtutis, in natura initium poſuit, quod non ab eo collatum ſit, qui cuncta donauit.* Nulla virtus abſolute ſeminatrix virtutũ, naturæ inſerta, ſed à Deo gratioſe donata conceditur. Idem antecedens frequens eſt conciliis, ac Pontificibus Eccleſiæ. Arauſicanum 2. can. 7. ſtatuit, naturæ vigorem, ſine poteſtate aduenientẽ gratiæ, nullam eſſe ad opera pietatis. Tridentinum ſeſſ. 6. c. 16. *Chriſtum Ieſum iugiter influere virtutem in iuſtificatos.* Innocẽtius in epiſt. ad Concilium Carthagin. apud Auguſtinũ 91. & in epiſt. ad Concilium Mileuitanum apud Auguſtinum 93. *Voluntatem humanam nihil poſſe abſolute caleſtibus auxiliis deſtitutam.* Celeſtinus in epiſt. ad Gallos c. 8. & 9. & omnes Eccleſiæ Patres, quos diſp. 16. à ſect. 2. cõgeſſimus, prædicantes, hominem ſine gratia Dei, non ſolum bona opera, verum neque poteſtatem abſolute ad illa habere poſſe.

Prima probatio.
Auguſtinus

Pauli.
Petri 2. 1. n. 3.
Proſper.
Concil. Arauſicanum.
Tridentinum.
Innocentius.
Celeſtinus.

7. Et quidem illam à Deo gratioſe, & extrinſecus conceſſam, Auguſtino, & eius diſcipulis obuium eſt. Auguſtinus de prædeſt. ſanctorum cap. 7. *Noſtrum eſt credere, & velle, illius autem dare credentibus, & volentibus facultatem bene operandi per Spiritum ſanctum, per quem charitas diffunditur in cordibus noſtris,* & paucis interpoſitis. *Cum poſt vocationem voluerimus, non ſufficit voluntas noſtra, & curſus noſter, niſi Deus, & vires currentibus præbeat, & perducat, quo velit.* En facultatem abſolutam bene operandi, vireſque abſolute

Auguſtinus.

Digitized by Google

& incompleta ſit indigens conſortio aliorum principiorum, rectè poteſt eſſe ordine tranſcẽdenti in effectus relata, quia ſeorſim ab illis vere, & abſolute potentia eſt: licet enim non adſit ſpecies impreſſa, adeſt homini vera & abſoluta potentia ad videndum colorem, quæ non adeſt ſine habitu infuſo ad credendum & videndum Deum. Ergo non competit in actum fidei, & viſionis Dei ordo tranſcendens intrinſecus homini, qui adeſt ad videndum colorem. Deinde ſi ineſſet homini ſecũdum actiuitatem remotam ſibi intrinſecam ordo tranſcendens in actum fidei, & viſionis Dei, licet proxime, & complete non poſſet credere & videre Deum ſeorſim ab habitu ſupernaturali: quare abſolute & ſimpliciter non poſſet, cum abſolute, & intrinſece connexus ſit cum actibus ſupernaturalibus poſſibilibus, & principiis ipſorum. Nam connexio intrinſeca, & ordo tranſcendens cauſæ ſufficit illam conſtituere abſolute productiuam effectus, & ſimpliciter cauſam, vt ſequenti diſputatione exponemus. Confirmatur potentiæ neutræ, & violentæ; v. g. cælo ad motum circularem, & aquæ ad calorem, conuenit ſimpliciter poſſe moueri, & calefieri, licet indigeant concurſu aliorum, qui ipſorum naturæ debitus non eſt. Solùm quia eis competit ordo tranſcendens, & connexio intrinſeca cum poſſibilitate eorum motuum, itaque talis potentia inter naturale recenſetur. Ergo ſimiliter ſi naturæ conueniret ordo tranſcendens & connexio abſoluta cum actibus, & principiis ſupernaturalibus, conueniret poſſe ſimpliciter & abſolute agere actus ſupernaturales, quamuis principia ſupernaturalia requiſita ad illos indebita ſint. Ad hæc, ea principia debita forent naturę ſi ordine tranſcendenti referretur ad actus charitatis, & fidei, atque ita natura ſecundum ſe abſolute, ac ſimpliciter potens ad eos actus eſſet prædicanda, de quo ſectione ſeq.

SECTIO TERTIA.

Eadem ſententia negans ſtabilitur ratione.

Prima ratio. 10. PRima ratio, & mihi non leuis, negandi naturę rationali ordinem tranſcendentem in dona intrinſeca ſupernaturalia, per extrinſeca, vt aiunt, principia deſumitur. Reiecto enim hoc ordine tranſcendenti naturæ, facile explicantur plura, quæ de ſupernaturalibus donis alias difficile explicantur. Ergo reijciendus eſt. Theologi enim eſt, facilia reddere arcana difficilia Theologiæ; & principij vniuerſalis veritas elucet maxime ex conſequentia, quæ veris, & communiter receptis ſingularibus dogmatibus nexa eſt. Probatur antecedens facto diſcurſu per ea quæ reiecto hoc ordine tranſcẽdenti abſque negotio explicantur. Primo namque eo principio expoſuimus diſp. 3. quænam ſit natura, ſupra quam euehuntur dona ſupernaturalia. Secundo ſtatuimus eodem dogmate diſp. 4. in quo primaria excellentia entium intrinſece ſupernaturalium conſtituitur. Tertio diſp. 5. quiſnam ſit cõceptus ſupernaturalitatis reſpectiuæ. Rurſus diſp. 8. quare dona ſupernaturalia exiſtant ſupra virtutem paſſiuam naturalem. Quintò inde etiam diſp. 9. illuſtrauimus, qua ratione ſuperent appetitum innatum. Item diſp. 10. & 11. quomodo eleuentur ſupra euidentiam immediatam & mediatam, quidditatiuam, & abſtractiuam. Septimo diſp. 15. à priori mõſtrauimus quare ſub naturæ meritum non cadant. Octauo eadem lùce claro conſtat diſcrimen potentiæ naturalis, & obedientialis actus naturalis, & ſupernaturalis reſpicientis idem obiectum formale, vt decurſu patefaciemus. Hæc, & alia dogmata, quæ Theologis frequentiora ſunt, & aliunde lucem non habent, ablato omni ordine, & connexione entitatiuæ naturæ cum donis ſupernaturalibus, fiunt manifeſta: quare vix vlla diſputatio fuit, nec deinceps erit, cui non præluceamus hac doctrina. Male ergo recedemus ab illa.

11. Secunda ſit ratio. Si naturæ competeret virtus incompleta intrinſeca, ordine tranſcendenti connexa cum actu ſalutari charitatis, ac fidei, deberentur illi cumprincipia, quibus cõpleretur ad eos actus efficiendos; vnde interiret eorum excellentia ſupernaturalis. Ergo virtus naturæ non eſt ordine tranſcendenti intrinſece connexa cum actu ſalutari charitatis, ac fidei. Probatur antecedens. Ea ratione ad efficiẽdum actus naturales, non ſalutares conceditur à Deo concurſus neceſſarius, quia præcedit ex parte naturæ virtus incompleta intrinſece, ac tranſcendenter ordinata ad illos, munus enim cauſæ primæ eſt complere virtutes intrinſecas naturæ tranſcendenter ordinatas ad agendum. Ergo ſi ineſt naturæ virtus incompleta intrinſeca ad agendum actum charitatis tranſcendentaliter ordinata, debitus erit illi cõcurſus neceſſarius ad eum efficiendum. Siquidem ex parte naturæ quidquid obligat Deum præbere concurſum neceſſarium ad actum dilectionis naturalem, obligat præbere ad actum ſupernaturalem, nempe virtus incompleta naturæ ex ſe tranſcendentaliter ordinata in actionem dilectionis naturalis. Secunda.

12. Reſpondebis, Deum ad præbendum concurſum, & principia dilectionis naturalis, non obligare ordine tranſcendenti naturæ, ſed exigentia intrinſeca concurſus diuini, & principiorum, quæ naturæ ad eum actum neceſſaria ſunt. Sed contra. Eo ipſo quod adſtruatur ordo tranſcẽdens naturæ in actum charitatis, adſtrui quoque debet exigentia concurſus diuini, & principiorum, quæ neceſſaria ſunt ad exiſtentiam illius. Nam exigentia intrinſeca naturæ, non eſt aliud quam ordo intrinſecus, ac tranſcendens naturæ in ſuam perfectionem, neque alia ratione natura apprehenditur exigere concurſum diuinum, & principia neceſſaria ad alios actus, niſi quia apprehenditur ordine tranſcendenti relata ad illos, tanquam ad perfectiones intrinſecas ipſius naturæ. At actus ſalutaris charitatis eſt perfectio intrinſeca naturæ, & natura in eum ordine tranſcendenti relata. Ergo apprehendi natura debet exigere concurſum diuinum, & princi- Fuga. Occupatur

Digitized by Google

habitum tenetur neceſſario complacere in actu charitatis, non vero tenetur in eodem complacere creans voluntatem. Si autem vrgeas, ideo Deum teneri ad huiuſmodi complacentiam neceſſariam actus charitatis in habitus infuſione, non verò in creatione volūtatis, quia diuerſo modo refertur habitus in actum, quam voluntas: atque ita, quia ordo habitus in actum tranſcendens eſt, non vero ordo voluntatis in actum; ſiquidem aſſerto eo ordine vtrique cōmune non eſt, vnde diuina cōplacentia ea principia diſtinguat. Reſpondent, diſcrimen eorum ſumēdum eſſe ex ordine diuerſo naturali, & ſupernaturali, in quo vtrumque principium conſtitutum eſt, nempe, quia habitus ad ordinem ſupernaturalium, voluntas vero ad ordinem naturalium ſpectat. En quam male ſemper petitionem principij vitent, qui ordinem tranſcendentem naturæ in actus ſupernaturales agnoſcunt. Nos pugnamus, habitum, & actum charitatis pertinere ad ordinem rerum naturalium, ſi ordinem tranſcendentem naturę non ſuperant; quia ſi extra eum ordinem tranſcendentem naturæ non ponantur, non eſt, quare excellentia eorum tanta ſit, vt non debeantur exigentiæ naturæ, & aggregentur aliis, quæ intra ſpheram principiorum, & actuum naturalium continentur. Vos vero poſt varios diſcurſus ſudore confectos tandem argumēto occurritis, ideo etiam poſito ordine tranſcendenti naturæ in actum charitatis, eius principia, & ipſum actum extrahi ab ordine rerum naturalium, quia ſuapte natura ſupernaturalia ſunt, & diuerſo modo, ac alio cum natura componi debent, cuius iamdiu rationem expectamus, & in veſtra doctrina nō inuenimus, niſi petitionem principij. Satius igitur erit, extra eum ordinem tranſcendentē naturæ omnia intrinſecę ſupernaturalia relegare. Recole nunc, quæ oppoſuimus diſp. 5. ſect. 4. aduerſus hanc explicationem exigentiæ rerum per complacentiam neceſſariam Dei.

SECTIO QVARTA.

Eadem ſententia negans vlterius probatur ratione.

Tertia ratio à priori. 16. His addo rationes à priori. Tertia eſt huiuſmodi. Vt voluntas poſſit immediate, & abſolute efficere actum ſupernaturalem non requiritur ordo tranſcendens voluntatis in actum ſupernaturalem. Ergo non eſt adſtruendus. Nam tota ratio adſtruendi eum ordinem ſola eſt, vt voluntas immediate, & abſolute poſſit efficere actum ſupernaturalem. Et quidem ſi rectè ſaluari id poteſt ſine ordine tranſcendenti naturę, non eſt quare talem ordinem Theologi tueantur, cum planū ſit reliqua principia Theologica rectius, & planius defendi negato eo ordine, quam conceſſo: Antecedens probo. Eo ipſo quod apprehendamus voluntati conuenire actiuitatem ſolum conditionatam in actum ſupernaturalem dependentem à conditione poſſibilitatis actus, & collationis auxilij ſupernaturalis, & inſuper apprehendamus actum ſupernaturalem abſolute eſſe poſſibilem, aut non repugnantem, & voluntati conferre auxilia ſupernaturalia neceſſaria ad illum, ſufficienter intelligimus voluntatem poſſe abſolute, & immediate efficere actum ſupernaturalem. At hoc poſſumus apprehendere abſque ordine tranſcendenti voluntatis in actū ſupernaturalem. Ergo vt voluntas poſſit abſolute, & immediate efficere actum ſupernaturalem, non eſt neceſſarius talis ordo. Conſequentia bona eſt. Minor negari non poteſt; ſiquidem, vt pręmiſimus ſect. 1. ordo tranſcendens non eſt aliud quam connexio abſoluta voluntatis cum poſſibilitate actus. Maior probatur, & explicatur duplici exemplo. Prius ſit, omnipotentiā diuinā, quę recte apprehenditur, poſſe abſolute, & immediate efficere creaturas, ſolum quia intrinſece virtutem continet conditionatam ad producendas illas, dependentem à non repugnantia creaturarum; & aliunde creaturæ abſolute non repugnantes ſunt. Quod fuſe monſtraui lib. 2. Phyſicorum. Poſterius ſit effectus efficax conditionatus voluntatis, qui ſecundum ſe abſolute non ſortitur effectum dum conditio abſolute non exiſtit, poſita autem conditione poteſt illum abſolute ſua efficacitate exiſtentem inducere. Igitur ſimiliter, vt voluntas poſſit abſolute, & immediate agere opus aliquod ſupernaturale ſufficit virtus conditionata ſibi intrinſeca, & abſoluta poſitio conditionis. Etenim id quod in aliarum rerum efficacitate cernimus, non eſt, quare voluntatis actiuitati denegemus. A priori ratio eſt, quia omnis virtus conditionata poſita conditione tranſit in abſolutam. Ergo efficacitas voluntatis poterit in abſolutam tranſire, quamuis conditionata ſit, vbi abſolute exiſtens ponatur conditio. Confirmatur, & explicatur; voluntas, quæ per ſe intrinſece non eſt actu agens, conſtituitur actu agens per abſolutam exiſtentiam actionis ſibi superuenientis. Ergo etiamſi ſecundum ſe, & intrinſece abſolute actiua non ſit, poterit per conditionem abſolutam, ſibi ſuperuenientem reddi abſolute actiua. Iterum confirmatur. Affectus conditionatus non ſolum eſt efficax ſub conditione abſolute poſſibili, ſed etiam ſub conditione abſolute impoſſibili, atque adeo nullatenus connexa cum abſoluta poſſibilitate effectus. Nam eadem difficultate apprehenditur efficacitas affectus voluntatis ſub conditione impoſſibili, qua efficacitas actiua ipſius voluntatis. Confirmatur.

Reſponſio. Dices, ſi actiuitas voluntatis pręciſe conditionata ſit, non poſſe adſtrui intrinſecam voluntatis veram, ac propriam potentiam; nam vera, ac propria potentia eſſe non poteſt, quæ abſolute actiua non eſt alicuius effectus abſolute poſſibilis. At voluntati concedendam veram, ac propriam potentiam ad agendum actus ſupernaturales, vt euincunt argumēta facta diſputatione. Sed contra; voluntati ſolum debet adſcribi vera, ac propria potentia, vt coniuncta eſt auxilio ſupernaturali, non vero vt ab illa diuiſa conſideratur, atque ita vera, ac propria potentia ad agendum actus ſupernaturales non debet aſſeri adæquatè intrinſeca voluntati, ſed Reijcitur.

partim intrinſeca, & partim extrinſeca. At vt voluntati adſcribatur vera, ac propria potentia partim intrinſeca, opus non eſt ordo tranſcendens, ſed ſufficit actiuitas conditionata dependens à conditione extrinſeca auxilij ſupernaturalis. Ergo ratione veræ, ac propriç potentiæ ad agendum actus ſupernaturales non eſt aſſerendus voluntati ordo tranſcendens; & actiuitas intrinſeca purè conditionata neganda. Minor & conſequentia conſtant. Probatur maior. Eccleſiæ Patres, & ſcriptores ſacri conſiderantes voluntatem ſeorſim ab auxilio, & ſuis tantum viribus relictam, prædicant abſolutè impotentem ad agendum actus ſupernaturales, veramque ac propriam poteſtatem extrinſecus ſolum aduenientem agnoſcunt, vt expendebamus ſect. 2. Ergo veram, ac propriam poteſtatem agendi actus ſupernaturales non eſt, quare adſcribamus voluntati omnino intrinſecam, ſecundum eſſentialia prædicata conuenientem, ſed potius extrinſecam conuenientem ſolum cum auxilio gratiæ. Itaque non eſt, cur graueris negare voluntati ſecundum ſola eſſentialia conſiderata conuenire veram, ac propriam potentiam agendi actus ſupernaturales, atque ita concedere ſolam actiuitatem conditionatam ſibi intrinſecam adeſſe, cum oppoſitum doctrina Conciliorum, ac Patrum ſuadeat. Quæ proculdubio ſtatuit diſcrimen inter poteſtatem voluntatis ad actus naturales ante aduentum principiorum naturalium complentium ipſam, & poteſtatem eiuſdem voluntatis ad actus ſupernaturales ante aduentum gratiæ ipſam roborantis; nempe voluntati ad actus naturales etiam ante auxilia naturalia veram, ac propriam potentiam conuenire, per quam abſolutè productiua ſit eorum actuum: ad actus verò ſupernaturales ante aduentum auxiliorum ſupernaturalium veram, ac propriam potentiam non adeſſe, per quam ſit abſolute, ac vere productiua eorum, ſed tantum conditionatam, per meram non repugnantiam à Theologis explicatam. Igitur doctrina, qua ordinem tranſcendentem tueris potius eſt neganda, quam ſupponenda, & ex oppoſita ordo tranſcendens euertendus. Neque argumenta confecta ad probandum immediatam actiuitatem voluntatis in actus ſupernaturales id euincunt. Quoniam illa ſolum concludunt, voluntatem eſſe immediatè agentem actus ſupernaturalis per actiuitatem ſibi propriam, ab actiuitate habitus ſupernaturalis diſtinctam; quod rectè cohæret cum actiuitate immediata, quç non ſit intrinſece abſoluta, & connexa cum effectu, ſed tantum conditionata, vt exemplo omnipotentiç diuinæ, & effectus efficacis ſub conditione ratione ſuperiori expoſuimus. Neque obeſt; voluntatem eſſe abſolute agentem, atque adeo eſſe abſolutè actiuam. Nam vt ſit abſolute agens non requiritur, vt ſecundum intrinſecam entitatem ſit abſolute actiua, ſed ſufficit, vt abſolute actiua ſit per auxilia gratiæ, quæ ante ipſam actionem neceſſario diſpenſantur. Nam priuſquam actu abſolutè agat, debent ei abſolutè auxilia gratiç præberi, per quæ prius, abſolute actiua conſtituta per actionem abſolutam ſuam actiuitatem exercet. De his plura diſputatione ſequenti.

Obiectio.

18. Vrgebis, hac ratione ex actiuitate conditionata voluntatis contradictentia deprehendi, videlicet voluntatem ſecundum ſua prædicata eſſentialia præciſe, ſeorſim ab auxilio gratiæ abſolute exiſtenti, & poſſibili, eſſe vere, ac proprie potentem efficere actum ſupernaturalem, & non eſſe potentem proprie, ac vere. Non eſſe vere, ac proprie potentem, quia per me actiuitas ſola conditionata non eſt vere, ac proprie poteſtas agendi actum ſupernaturalem. Eſſe vero potentem vere, ac proprie, quia omnipotentia diuina, quæ ſecundum ſua prædicata eſſentialia ſolum eſt conditionata eſt vera, ac propria potentia. Nego, deprehendi actiuitatem conditionatam voluntatis eſſe veram, ac propriam potentiam, quanquam omnipotentia diuina vera, ac propria potentia ſit.

Elucidatur.

Diſcrimen eſt apertum. Omnipotentia enim non eſt ſecundum ſua prædicata eſſentialia pure conditionata, & ab ordine tranſcendenti abſoluta ex præſtantia effectuum, & imbecillitate ſuæ virtutis, & perfectionis ad illam, ſed potius ex ſumma perfectione ſuæ entitatis, & poteſtatis nimirum ſolum, vt ea ratione aſſeratur omnino independens non ſolum ab eſſe exiſtentiæ, ſed etiam ab eſſe eſſentiæ creaturarum: vnde neque conditionata aſſeritur dependenter à conditione tribuente illi in eſſe abſoluto poteſtatem, & complente debilitatem ſuæ virtutis, ſed dependenter ſolum ab eſſe termini, in quo ſummam ſuam actiuitatem exerceat. Atque ideo recte notauit ſanctus Thomas, non poſſe Deum efficere chymæram, male dici impotentiam, quia id non ex defectu poteſtatis Dei, ſed ex defectu capacitatis chymæræ contingit. Verum actiuitas voluntatis ad actus ſupernaturales conditionata aſſeritur, & ab ordine trāſcendenti abſoluta ex præſtantia eorum effectuum, & imbecillitate ſuæ virtutis, & perfectionis ad illam, perfectior quidem, & præſtantior voluntatis actiuitas aſſerenda, ſi intrinſece abſoluta, & ordine tranſcendenti connexa cum eis effectibus adſtrueretur, vt ex hoc capite eminentior, & altior adſtruitur actiuitas habitus ſupernaturalis, quæ intrinſece cōditionata non eſt, & cum actibus ſupernaturalibus eſſentialiter connectitur. Vnde etiam actiuitas voluntatis aſſeritur conditionata dependenter à conditione gratiæ, quæ ipſi tribuit poteſtatem ſimpliciter, completque imbecillitatem ipſius. Atque ita voluntas ſecundum ſuas vires intrinſecas ſeorſim ab auxilio gratiæ recte dicitur impotens, & carens vera poteſtate ad agendum actus ſupernaturales, quia non poſſe illos agere non prouenit, ſicut in Deo, ex ſola incapacitate termini, ſed ex defectu ſuæ perfectionis, & imbecillitate virtutis.

S. Thomas.

Quarta ratio à priori.

Iam aliam rationem à priori noſtræ opinionis adiungamus, quæ ordine quarta eſt. Actus ſupernaturales ſunt ſupra ordinem naturæ, non extrinſecum. Ergo ſupra ordinem quidditatiuum, & intrinſecum. At ordo quidditatiuus, & intrinſecus eſt tranſcendens,

Digitized by Google

quo natura ſibi nectit ea, quæ ſibi affinia ſunt. Ergo actus ſupernaturales ſunt ſupra ordinem tranſcendentem naturæ. Maior eſt Theologis ſolemnis conſtituentibus naturalia, & ſupernaturalia in ordine diuerſo, eaque ſic conferentibus inter ſe, vt ſupernaturalia ſupra ordinem naturalium efferantur. Minor etiam perſpicua eſt. Nam ordo extrinſecus rerum non eſt alius, quam directio, ſeu relatio, quam ex diuina prouidentia ſortiuntur. At ex diuina prouidentia tam naturalia, quam ſupernaturalia in eundem finem gloriæ diuinæ Chriſti, & hominem diriguntur. Ergo naturalia, & ſupernaturalia ſub eodem ordine extrinſeco clauduntur. Conſequentia autem optima eſt cum præter ordinem extrinſecum reliquus ſolũ ſit ordo intrinſecus, & quidditatiuus, quo res inter ſe quidditatiue connectuntur, qui tranſcendens ordo eſt. Nec ſatisfacies ſi dicas, ideo ſupernaturalia ſupra ordinem naturalium collocari, quia ſunt ſupra exigentiam, ac debitum naturæ. Tum quia, vt arguebamus ſectione præterita, non poſſunt eſſe ſupra exigentiam, ac debitum naturæ, quin ſimul ſupra ordinem, ac connexionem tranſcendentem eiuſdem collocentur. Tum quia intra ordinem naturæ plura ſunt dona gratuita, quæ à Deo vt Autore naturæ vltra debitum, & exigentiam rerum præſtari poſſunt. Deus enim etiam, vt Autor naturæ liberalis, ac munificus eſt, muneraque continet, quæ gratioſe donare poſſit. Ergo donorum intrinſece ſupernaturalium excellentia vendicat, vt etiam ſupra omnem ordinem naturæ, & connexionem entitatiuã prædicentur. Hæc ratio, licet fronte vocalis appareat, contemnenda non eſt, quia vocum præſtantia, quibus Theologi vtuntur ad ſignificandam præſtantiam rerum, argumento eſſe poteſt ad colligendum eam perfectionem, quæ rebus alijs inferioribus communis non ſit, & ſolis eis vocibus ſignificari poteſt.

Poſtrema à poſteriori.

20. Claudo aſſerti noſtri probationem argumento deſumpto ab abſurdis, quæ ex oppoſito conſequuntur. Primo enim inde fit, nullam eſſe rem creatam, aut creabilem, quæ ordine tranſcendenti, ac immediata connexione non referatur ad omnes creaturas poſſibiles. Nam ab aduerſarijs admittuntur in quacunque re creata potentia obedientialis actiua, eleuabilis à Deo ad productionem cuiuſcunque creaturæ. Ergo ſi hæc potentia vendicat ordinem trãſcendentem, & immediatam connexionem cum termino; nulla erit res creata, quæ cum omni termino omnipotentiæ diuinæ ordine tranſcẽdenti connexionem immediatam non habeat. Vnde ſecundo fiet, Deum in quacunque re creata poſſe cognoſcere omnia, quæ in re cognoſcere poteſt in ſua omnipotẽtia. Eſto ea cognitio ad comprehenſionem rei creatæ neceſſaria non ſit, diuerſoque modo creaturas diſtinguat in medio creato, ac increato. Nam ordo tranſcendens, & connexio entitatiua vnius rei cum alia medium ſufficiens eſt, vt in ea poſſit terminus talis connexionis diſtingui ab eo, qui eam connexionem adæquate prænoſcat. Itẽ tertio poſſe Angelum prænoſcere euidẽter poſſibilitatem Incarnationis, Trinitatis, & donorũ ſupernaturalium, cõprehendendo cognitionem probabilem naturalem earum rerum. Nam talis cognitio in hac ſententia aſſerenda, eſt ordine tranſcendenti connexa cum ſuo obiecto. Et quamuis ad comprehenſionem neceſſarium non ſit, vt diſtinguãtur in re omnia, quæ connexioni, & ordini tranſcendenti rei addicta ſunt; tamen ea ſaltem, quæ præcipua ſunt ad perfectam rei rationem diſcerni debent. At in cognitione ſolum referente poſſibilitatem obiecti, id quod in ipſa præcipuum eſt ad perfectam notitiam ſuæ naturæ, eſt veritas & connexio eſſentialis cum obiecto, quod vnice repræſentat. Quare ſi vnice repræſentaret obiectum naturale, non comprehenderetur ab Angelo talis cognitio; niſi diſcerneret in illa an ordine tranſcendenti cum eo obiecto connecteretur; neque enim aliud potius, & principalius eſt in cognitione, quod ad eius exactam notionem prænoſci debeat. Ergo Angelus cõprehendens cognitionem probabilem naturalem de poſſibilitate incarnationis Verbi, trinitatis perſonarum, & aliorum myſteriorum gratiæ, prænoſceret euidenter cõnexionem intrinſecam cognitionis cum illis, atque adeo etiam præſentiret euidenter poſſibilitatem eorum. Hæc forſan alicui non videbuntur abſurda. Mihi vero eorum ſunt, quæ ex ſola apprehenſione terminorum diſſentire debent, ſaltem tanquam magis diſſona probabilioribus principijs Theologicis, quam oppoſita. Quod mihi ſat eſt, vt oppoſitam partem, tanquam probabiliorem eligam defendendam.

SECTIO QVINTA.

Sententiæ affirmantis auctoritas.

21. AFfirmanti ſententiæ ſuffragantur AEgidius de præſentatione lib. 10. de Beati. q.3. art.2. §.3. nu.22. Pater Faſolus 1. p.q.12. art.1. dub.6. Machin 1 p. diſp. 16. ſect. 3. Cabrera 3. p. q.1. art. 1. diſp.6. num.18. Accedit Pater Vaſquez 1. p. diſp. 176. num. 26. Eiſque annumerari poſſunt Scotiſtæ, & alij quos retulimus diſp. 9. ſect. 1. tribuentes naturæ appetitum innatum, & inclinationem in dona ſupernaturalia, quandoquidem in re à negantibus diſſentire non poſſunt, niſi hoc ordine tranſcendenti naturæ aſſerto, vt notauimus ibidem ſect. 4. Etiam aggregari poteſt Pater Granadus volens potentiam obedientialem eſſe intrinſecam adæquate rei naturali, & formaliter ſupernaturalem, ad ordinem rerum intrinſece ſupernaturalium ſpectantem, quod abſque ordine tranſcendenti, & connexione entitatiua naturæ cum donis ſupernaturalibus verum eſſe non poſſe oſtendimus diſp. 8. ſect. 1. Rurſus ſuperioribus adiunges eos, qui aiunt voluntatem virtute naturali, & innata influere in actus ſupernaturales. Sed immerito, quia ego, qui eum ordinem tranſcendentem reijcio, non vereor admittere voluntatem efficere actum ſupernaturalem actiuitate naturali, & innata. Actiui-

Theologi. AEgidius. P. Faſolus. Machin. Cabrera. P. Vaſquez. P. Granad.

Digitized by Google

tas enim naturalis, & innata non ſonat virtutem connexam cum actu ſupernaturali, ſed immediatam, & intrinſecam dumtaxat à virtute ſupernaturali gratiæ ſuperadditæ diſtinctam, & indiſtinctam ab entitate, & virtute naturali ipſius voluntatis. Quæ tamen virtus rurſus poteſt eſſe abſoluta, aut conditionata, connexa, aut non connexa tranſcendentaliter cum effectu, de quo nunc diſſeritur. Omnium manifeſtiſſime affirmantis ſententiæ ſunt ingenioſi Recentiores qui collato ſtudio, & contento brachio in ſententiam noſtram, quam iamdiu ſcriptis dedimus, argumenta & ingenia acuerunt.

Auguſtin. 22. Obijciunt primo vulgare Auguſtini teſtimonium lib. 1. de prædeſt. Sanctorum c. 5. *Quid autem habes, quod non accepiſti? vt enim ſit natura fidem poſſe habere, numquid & habere? non enim omnium eſt fides, cum fidem poſſe habere ſit omnium. Non autem ait Apoſtolus, quid potes habere, quod non accepiſti, vt poſſes habere? ſed ait; quid autem habes, quod non accepiſti? Perinde poſſe habere fidem, ſicut poſſe habere charitatem, natura eſt hominum: habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem, gratia eſt fidelium. Illa vtique natura, in qua nobis data eſt poſſibilitas habendi fidem non diſcernit hominem ab homine; ipſa vero fides diſcernit ab infideli fidelem.* Vbi Auguſtinus diſerte docet, poſſe hominem credere (quod de vera, ac propria poteſtate accipiendum eſt) eſſe naturæ humanæ intrinſecum, ac quidditatiuum, & non acceptum extrinſecus per gratiam. Poteſtas autem vera, ac propria abſolute productiua effectus non poteſt eſſe naturæ intrinſeca, & quidditatiua ſine ordine tranſcendenti, & connexione cum effectu. Ergo. Quo teſtimonio exultant Recentiores, ac ſi nihil aptius in rem præſentem potuiſſet inueniri. Sed venia ipſorum dixerim, alia multo aptiora, & in rem propoſitam vrgentiora inueniſſent, ſi ſedulo Auguſtinum, & alios Patres conſuluiſſent. Conſule ea, quæ diſput. 30. ſect. 7. ex eodem Auguſtino, Ambroſio, Proſpero, Fulgentio, Clemente Alexandrino, Gregorio Niſſeno, Cyrillo, Damaſſeno, Bernardo, Baſilio, Leone, Hugone Victorino, & alijs protulimus aſſerentibus actiuitatem arbitrij in opera ſupernaturalia eſſe inſitam & naturalem; in quæ ſi hi Recentiores incidiſſent, non exultarent modo, ſed inſultarent etiam in aſſerta noſtra.

Expeditio. 23. Verum omnia facile expedias, ſed aduertas, potuiſſe recte à Patribus Eccleſiæ adſtrui, naturæ hominum eſſe poſſe habere fidẽ, & charitatem. Item poteſtatem credendi, & diligendi Deum eſſe inſitam, & naturalẽ, quin natura aſſeratur ordine tranſcendenti connexa cum actu charitatis, aut fidei. Etenim ea loquendi ratione ſolum volunt Patres, præter actiuitatem gratiæ, actiuitatem quoque naturæ immediatam neceſſariam eſſe ad eos actus, modo ea actiuitas immediata naturæ ponatur ordine tranſcendenti connexa, modo ab eo ordine abſoluta; de quo mens Patrum Eccleſiæ abſtraxit. Duabus autẽ rationibus eam poteſtatem naturæ aiunt eſſe naturalem, & inſitã, quæ ab eo ordine præcindunt. Prima, quia ea

Prima.

actiuitas ita eſt naturæ rationalis propria, vt irrationalibus communis non ſit; quod etiam de actiuitate mere conditionata, & ab ordine tranſcendenti abſoluta verum eſt. Ita diſerte Auguſtinus teſtimonio à Recentioribus adducto; nam præmiſerat. *Nihil ſenſui Apoſtoli tam contrarium eſt, quam de ſuis meritis, ſic quenquam gloriari, tanquam ipſe ſibi ea fecerit, non gratia Dei: ſed gratia, quæ bonos diſcernit à malis, non quæ communis eſt, & bonis, & malis. Sit ergo Gratia naturæ attributa, qua ſumus animantia rationalia, diſcernimurque à pecoribus. Sed non ſe illa quem cohercebat Apoſtolus aduerſus pecus inflabat, ſed aliquod bonum, quod pertineret ad vitam bonam, ſibi non Deo tribuens inflabat, quando audire meruit: Quis enim te diſcernit.* Clarius idem Auguſtinus lib. contra Iulianum cap. 3. paulo poſt principium. *Bonam dicit hominum naturam, quæ talis gratiæ opitulationem meretur. Quod gratanter audirem, ſi hoc propterea quia rationalis natura eſt, diceres. Neque enim gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum lapidibus, aut lignis, pecoribusue præſtatur.* Quem loquendi modum didicit Fulgentius à ſuo Magiſtro de Incarnatione & Gratia ca. 22. *Vtique naturaliter homini cum caperit in Dei filium credere, ſi poſſe credere in conditione primi hominis datum non eſſet, nunquam peccatum de infidelitate contraheret. Neque enim vlli naturæ credendi facultas inſita eſt, quam rationalem non fecit Deus.* Vides ideo poſſe credere homini aſſeri naturale, quia rationalis eſt, & alia natura, quæ rationalis non ſit, nequit à Deo poteſtatem credendi obtinere. Rectius capite 24. fine, *Agnoſcat igitur homo in eo ſe naturaliter credere poſſe, in quo naturam habet credulitatis, ac fidei capacem, quod animalibus irrationalibus datum diuinitus non eſt.* Quid vltra à nobis aſſeritur? Secunda ratio eſt, quia ea poteſtas non eſt ad aliquid contranaturale voluntati: licet enim poſitiue non inclinet in opera ſalutis, tamen illis non reluctatur, & naturali ipſius legi conformia ſunt. Ita Proſper ſententia 39. *In creatura quæ ab arbitrio ſuo peccat, prior eſt natura, quam vitium. Quod ita contra naturam eſt, vt non poſſit, niſi nocere naturæ. Non itaque eſſet vitium recedere à Deo, niſi naturæ competeret eſſe cum Deo.* Cernis ideo eſſe naturæ hominis virtutem, quia vitium contra naturam eſt. Item Fulgentius de incarnatione, & gratia cap. 25. *Poteſt igitur Deo donante homo in Deum naturaliter credere, contra naturam quippe hominis eſt quod in Deum non credit, quia incredulitatem non habet ex creatione Dei, ſed ex voluntaria præuaricatione mandati.* En ideo poteſt in Deum naturaliter credere, quia contra naturam hominis eſt, vt in Deum non credat. Igitur quia actiuitas voluntatis diſtincta à gratia, & eſt naturali propria, & eſt ad opera legi naturali, & inſitæ conſentanea, (tam ſuppoſito auxilio gratiæ, etiam ratio naturalis prohibet, ne præcepta ſupernaturalia violemus) naturæ hominum, ſeu naturale dicitur; poſſe elicere actum charitatis, ac fidei, nõ verò, quia actiuitatis poteſtas ordine tranſcendenti in eos actus refertur. Siquidem etiam actiuitas conditionata nullo ordine tranſcendenti eis actibus nexa, dupliciter ea ratione

Auguſtin.

Fulgentius

Secunda.

Proſper.

Fulgentius

Digitized by Google

homini intrinſeca, & naturalis dici poteſt, quia ſola naturæ rationali propria eſt, tum quia operum naturæ rationali conformium eſt actiua.

Vrgetur ſolutio.

24. Sed vrgebis. Quidquid ſit de ratione, qua actiuitas voluntatis dicitur intrinſeca & naturalis homini, ab Auguſtino ponitur, poſſe credere poteſtate vera, ac propria competere homini ſeiunctim à gratia. Ergo vera, ac propria potentia credendi non eſt accepta à Deo, & ab auxilio extrinſeco dependens, ac proinde ſeiunctim à gratia non eſt potentia ſolum conditionata, ſed etiam abſolute actiua, quæ actus abſolute poſſibiles conceptu quidditatiuo deſiderat. Reſpondeo. Satis expreſſe Auguſtinus, & reliqui Patres teſtantur, non conuenire arbitrio poteſtatem ſimpliciter ad actũ fidei, & reliquos ſalutares, niſi à gratia acceptam, vt ſect. 2. monſtrauimus. Igitur cum Auguſtinus eo teſtimonio de prædeſtinatione Sanctorum c. 5. tradit, naturæ hominum à gratia diuiſæ eſſe poſſe credere, de poteſtate remota, quæ non ſit vera, ac propria abſolute potentia, ſed tantum ſub conditione, ac ſecundum quid intelligendum eſt. Abſolute tamen vſurpauit eam actiuitatem naturæ intrinſecam potentiam credendi, quia voluit dare Pellagio voces, quibus vtebatur, vt rem, de qua erat controuerſia, aperiret, & extorqueret ab illo, nempe eam poteſtatem naturæ intrinſecam. Eſto abſolute poteſtas ſit, nõ eſſe adæquatam, ſed partialem, auxilio gratiæ ſuperadditæ creationi naturæ ad credendum indigentem. Itaque Pellagius, vt Auguſtinum, & alios Patres eluderet, aſſerebat ab ipſo concedi non conuenire naturæ poteſtatem credendi, niſi per gratiam Dei; verum intelligebat per hanc poteſtatem à Dei gratia acceptam, ipſam actiuitatem naturalem in creatione hominis gratioſe, ac ſine merito aduenientem. At vero Auguſtinus, ne vocibus Pellagij hæreret, admiſit conuenire vtique homini abſolute poteſtatem credendi ſibi intrinſecam, & per gratiam creationis acceptam. Tamen rurſus voluit, quidquid ſit de hac poteſtate gratiæ, poteſtatem Theologicam, de qua Apoſtolo referenti in vires gratiæ fidem ſalutarem ſermo erat, non eſſe eam, quæ nobis, qua homines ſumus conuenit ſine diſcrimine fidelium ab infidelibus, ſed eam, quæ naturæ iam creatæ gratioſa eſt, & hominem fidelem ab infideli diſcernit; atque ita præter naturam donum à Deo infuſum requirit. Sicut ergo ipſam naturam *gratiam* admiſit, non quia vera Theologica gratia ſit, ſed ne vocibus Pellagij implicaretur controuerſia; ita poteſtatem etiam mere conditionatam, & intrinſecam naturæ, abſolute potentiam admiſit propter eamdem rationem, non quia abſolute, ac propriè potentia cenſeretur ab Auguſtino ſeiunctim à gratia, ſed quia eo dato adhuc erat controuerſiæ locus, & alia poterat poteſtas inquiri proueniens extrinſecus à gratia infuſa, quæ ſola vere, ac Theologice poteſtatis nomine abſolute, ac ſimpliciter intelligitur: eo namque modo, quo natura gratiæ vſurpatione admiſſa fuit, fuit quoque admiſſa poteſtas, cum de gratia, tanquam de virtute, ac poteſtate naturæ diſſereretur. Quare nunquam talis gratia, aut poteſtas naturalis admittitur, quin ab Auguſtino explicetur qua ratione illi conſentiat, vt conſtat ex numero præcedenti. Ergo poteſtas vera, ac abſolute dicta ad eliciendum actum fidei ſemper à Deo extrinſecus aduenit per gratiam ſuperadditam naturæ; quin actiuitas omnino intrinſeca naturæ ſit poteſtas abſolute continens actus ſupernaturales, ſed tantum non repugnans, ac ſub conditione poſſibili auxilij eleuantis eos reſpiciens. Eademque ratione Auguſtini diſcipuli, Fulgentius, & Proſper, & alij Patres exponi poſſunt, vbi naturæ ſecundum ſe capacitatem inſitam, ac naturalem virtutis, & gratiæ adſcribunt.

Expeditur.

S. Auguſt.

SECTIO SEXTA.

Proponitur & explicatur ratio præcipua ſententiæ affirmantis.

Primũ argumentũ.

25. VArijs argumentis noſtram ſententiam impetunt Recentiores. Arguunt primo. Natura rationalis per actiuitatem ſibi intrinſecam efficit vere, ac proprie actus ſupernaturales, atque adeo ſecundum ſe intrinſece obtinet rationem veræ, ac propriæ potentiæ. At ratio veræ, ac propriæ potentiæ vendicat eſſentialiter poſſibilitatem termini. Ergo natura rationalis ſecundum ſe intrinſece vendicat poſſibilitatem actus ſupernaturalis, ac per conſequens ordine tranſcendenti connectitur eſſentialiter cum illo. Probatur minor. Non poteſt eſſe vera, ac propria ratio potentiæ ad impoſſibile, etiam ſub conditione poſſibilis, quia implicat potentia ſub conditione, qua poſita implicat talem effectum à cauſa produci; id enim potius eſt impotentia ſimpliciter, quam potentia. At poſita conditione poſſibilitatis non poſſet impoſſibile illud produci, quia iam per locum intrinſecum non eſſet impoſſibile in quod producendum deferebatur cauſa, ſed aliud, quod contradictorie cum ipſo pugnat. Ergo implicat vera ratio potentiæ ad impoſſibile ſub conditione poſſibilis, atque à Deo debet neceſſario ad poſſibile referri. Confirmatur. Non eſt in natura creata vera poteſtas etiam cõditionata, & obedientialis ad efficiendũ chymæram. Sed non alia ratione, niſi quia chymæra eſt impoſſibilis. Ergo potentia obedientialis intrinſeca naturæ rationalis, non eſt ad producendum actus ſupernaturales ſub conditione tantum poſſibiles. Siquidem cum impoſſibiles forent, eſſent chymæræ, atque ita ſi is impoſſibilis maneret in natura rationali, eadem poteſtas, quæ nunc eſt, maneret poteſtas ad producendum chymæras ſub conditione poſſibiles. Quinimo eadem ratio, ac proprietas potentiæ conueniret ad producendum actus chymæricos, quæ nunc eſt ad producendum actus veros. Quandoquidem eorum productiua eſt ſine diſcrimine entitatis abſolute veræ, ac chymæricæ ſub ratione poſſibilium. Quod ex ſe apparet abſurdum.

Confirmatio primi.

Digitized by Google

Secunda. 26. Iterum confirmatur. Si naturæ rationali ineſſet poteſtas ſecundum ſe indifferens ad actus poſſibiles, & impoſſibiles, fieret inde cõpetere Deo poſſe ſimilem poteſtatem ad peccandum. Id autem admitti non debet; cum alias Deo conueniret vera potentia ad peccandum, ſiquidem poteſtas conditionata eſt vera potentia, qualis eſt, tum poteſtas obedientialis naturæ, tum poteſtas omnipotentiæ diuinæ, quæ per ſe intrinſece ſolum conditionatæ ſunt, & non productiuæ abſolute. Sequela probatur. Non magis intrinſecũ eſt Deo poſſe velle, & facere, quæ poſſibilia ſunt, quam poſſe amare bona, & odiſſe mala. Ergo vt ipſi intrinſecum eſt poſſe facere impoſſibilia ſub conditione quod non repugnent, æque intrinſecum erit poſſe amare mala, & peccata, ſub conditione quod bona, & honeſte amabilia ſint, & ſimiliter poſſe odiſſe bona ſub conditione, quod ſint mala, & honeſte odibilia. Peccatum autem eſt odiſſe bonum, & amaſſe malum. Ergo. Probatur prima conſequentia. In primis tam poſſibile eſt poni abſolute conditionem poſſibilitatis in re impoſſibili, ac bonum reddi odibile, & malum amabile. Illa autem conditione poſita, tam amabile eſt malum, & bonum tam odibile, ac poſita poſſibilitate impoſſibile redderetur poſſibile. Ergo ſi intrinſecum eſt Deo poſſe facere impoſſibilia ſub conditione quod non repugnent, æque intrinſecum erit poſſe bona odiſſe, peccataque amare, ſub conditione quod bonum fieret odibile, & peccatum amabile: cum ideo præciſe aſſeratur Deus potens facere impoſſibilia, ſi non repugnent, quia hac ratione non repugnantia poſita eſſent ex parte ſuá poſſibilia.

Solutio argumenti. 27. Tota machina huius argumenti ex dictis facile ruit. Negauimus enim actiuitatem immediatam naturæ rationalis ad actus ſupernaturales ſeorſim à gratia eſſe veram, ac propriam potentiam, oſtendimuſque id voluiſſe Patres, cum poteſtatem ſimpliciter ſolum acceptam à Deo illi tradunt, & ante aduentum gratiæ impotentiam potius, quam potentiam adſcribunt. Cum quo tamen ſtat, conſtituere poſſe ſimul cum auxilio gratiæ veram, ac propriam rationem potentiæ, ſicut animus, qui non eſt homo, conſtituit cum corpore veram ac propriam rationem hominis. Vnde non quęuis pars conſtituens veram potentiam, vera potentia dicenda eſt, ſicut neque pars hominis eſt vere proprie homo: eſto, improprie homo partialis dici poſſet; quod eſt proprium cuiuſuis partis etherogeneæ quæ non participat rationẽ eſſentialem totius, quod conſtituit. Neque propterea putandum eſt naturam rationalem non efficere per ſe, & immediate omni proprietate actum ſupernaturalem, nam priuſquam actionem exerceat, coniungitur cum auxilio gratiæ, quo redditur vere, & proprie productiua illius. Vnde ſicut per ſe ipſam ſolum ſeorſim à gratia non eſt abſolute productiua, ita neque abſolute producit etiam partialiter ſeiunctim ab auxilio gratiæ, de quo fuſius diſputatione ſequenti. Ex quo ſequitur poſſe naturã rationalem eſſe abſolutam ab ordine tranſcendenti in actus ſupernaturales, quamquam omnipotentia diuina abſoluta non ſit à connexione cum creaturis poſſibilibus. Etenim de omnipotentia diuina ſecundum prædicata eſſentialia conſiderata, negari non poteſt eſſe vere, & proprie potentiam ad producendum creaturas; alias Deus poſſet negari intrinſece potens ad creaturas producendas. De natura rationali autem poteſt negari ſecundum prædicata eſſentialia eſſe abſolute, & vere potentiam ad agẽdum actus ſupernaturales. Ergo ſi ratio veræ potentiæ exigit connexionem quidditatiuam cum termino, licet omnipotentiæ diuinæ tribuatur cõnexio cum creaturis ratione ſuæ perfectionis & poteſtatis veræ, poteſt ea connexio naturæ rationali cum actibus ſupernaturalibus negari ratione imbecillitatis, & imperfectionis, qua cum illis confertur. Neque obſtat ſaltem potentiam paſſiuam donorũ ſupernaturalium non poſſe veram, ac propriam negari naturæ, ſecundum intrinſecam perfectionem; quia illa non exigit ſicut actiua potentia complementum paſſiuum ſupernaturale. Quoniam etiam potentia paſſiua eſt tantum conditionatę potens, dependenter à potentia ſupernaturali agente ſibi indebita, & nulla ratione contenta in entitate ipſius, atque adeo conſtituente extrinſece poteſtatem abſolute & vere patiendi ea dona, vt expoſuimus diſp. 25. ſect. 4.

28. Deinde dilui argumentum poteſt, etiamſi naturæ rationali ſecundum prædicata intrinſeca cõueniat ratio veræ & propriæ potẽtiæ incompletæ & partialis. Nam talem potentiam vere non comparamus cum termino impoſſibili, ſed ſemper cum termino abſolute poſſibili, licet abſque connexione intrinſeca potentiæ cum illo. Siquidem ſemper exigimus conditionem poſſibilitatis ex parte illius. Vnde falſum eſt illam à nobis dari ad producendum chymæram; aut aliquid impoſſibile, cum ſemper exigamus excluſionem impoſſibilitatis, & chymæræ, vt natura comparatione termini potentia vera, & propria ſit. Explicemus rem. Poteſtas ſæcularis non poteſt exerceri in perſonam Eccleſiaſticam, licet ſecluſa dignitate Eccleſiaſtica poſſit eadem perſona ſubijci poteſtati ſeculari. Ergo ſimiliter non poteſt vere, & proprie poteſtas Phyſica eſſe ad terminum impoſſibilem, ſiquidem ſemper excludere terminus debet impoſſibilitatem, vt potentia Phyſica comparetur cum illa. Atque ita ſemper conuenit ratio potẽtiæ comparatione termini poſſibilis, licet quia cum illo non connectitur poſſit manere potentia termino impoſſibili, non vero continens ſub ſphæra ſuæ poteſtatis terminum abſque conditione poſſibilitatis. Ideoque nũquam continet terminum chymericum, ſed verum: ſicuti etiam deſiderium exiſtentiæ boni non dicitur ferri in meram poſſibilitatem boni, licet bonum deſideratum poſſit non eſſe exiſtens, ſed mere poſſibile, quia id, quod mouet animum ad tale deſiderium, non eſt poſſibilitas, ſed exiſtentia, licet, quia deſiderium non connectitur cum exiſtentia in quam efficitur, interdum bonum realiter eſt mere poſſibile, & non obtinet conditionem, quæ terminat

Secunda ſolutio argumenti.

Explicatio.

deſiderium. Quod idem eueniret deſiderio, quamuis bonum, ſicut eſt indifferens ad eſſe exiſtens, & mere poſſibile, foret etiam indifferens ad eſſe verum, & Chymæricum poſſibile, & impoſſibile, ſemper enim animus deſideraret exiſtentiam, & non poſſibilitatem, aut impoſſibilitatem boni: pariter igitur potentia non eſt productiua rei impoſſibilis, ſed poſſibilis, quia ſolum poſſibilis terminat eius productionem: licet quia potentia non connectitur cum eo termino poſſibili maneret eadem, quamuis terminus fieret impoſſibilis, & extra ſphæram potentiæ conſtitueretur. Vnde termino poſſibili, & impoſſibili ſemper eſt potentia eiuſdem termini productiua, quia cum terminus impoſſibilis eſt, non eſt productiua illius. Cuius igitur rei erit productiua? termini poſſibilis; non qui ſit abſolute poſſibilis, ſed qui per poſſibile, vel impoſſibile eſſet. Sicut bono non exiſtenti, aut impoſſibili deſiderium ſemper fertur in exiſtentiam boni, non quæ vere, ac realiter ſit, ſed quæ per poſſibile aut impoſſibile eſſet. Igitur ſi per impoſſibile terminus impoſſibilis fieret poſſibilis, non eſſet aliud, quod contineretur ſub poteſtate naturæ ab eo, quod prius continebatur: ſiquidem etiam termino impoſſibili ſolum continebatur poſſibilis, continentia quidem poteſtatis, non vero continentia connexionis, quæ ordo tranſcendens eſt. Nam vt potentia comparetur reſpectu continentiæ cum termino, non exigit vt terminus re vera, & abſolute ſit poſſibilis, ſicut non exigit deſiderium exiſtentiam realem boni, vt reſpectu intentionali comparetur cum illo. Itaque potentia vera duplici ratione poteſt continere terminum poſſibilem. Primo continentia connexionis exigendo veram poſſibilitatem illius. Secundo continentia meræ poteſtatis, quæ nõ exigit veram poſſibilitatem termini, ſed veram ſolum poteſtatem cauſæ, vt terminus impoſſibilis non ſit ex defectu poteſtatis, quæ ipſum producat, ſed ex repugnantia termini, qui incapax eſt productionis. Quæ continentia poteſt comparari ad terminum poſſibilem, quãuis terminus abſolute poſſibilis non ſit, quia ſuam actiuitatem exercere non poteſt niſi in termino poſſibili, & nihilominus cum eius poſſibilitate connexa non eſt. Vnde clauſula ſit, aliud eſſe dari veram potentiam, cum terminus eſt impoſſibilis, aliud dari veram potẽtiam comparatione termini impoſſibilis. Prius verum eſt, & aſſerimus. Poſterius falſum, & negamus.

Ad confirmationem. 29. Hinc ad confirmationem prompta eſt reſponſio. Nulla nunc conuenit naturæ rationali vera poteſtas ad producendum actus chymæricos, etiam ſub conditione poſſibiles, nam conditione ipſa poſſibilitatis chymærici non ſunt, ſed actus reales, & veri, atque ita ſemper eſt potentia vera ad actus reales, & veros, non vero chymæricos. Sicut non eſt poteſtas proprie, & vere ad producendum Deum ſub conditione quod ſit actus fidei, nam ea conditione non eſt Deus, ſed creatura. Tantum enim opponuntur inter ſe actus fidei chymæricus, & verus, quantum Deus, & creatura; cum actus chymæricus, & verus opponantur contradictorie, ſicut creatura, & Deus. Poteſt quidem dari poteſtas conditionata ad efficiendum rem, quæ ſub conditione poſita eadem perſeuerat; non vero rem, quæ alia contradictorie eſt: v. g. ad efficiendum actum fidei ſub conditione quod ſit auxilium ſupernaturale ad illum, quia nulla harum conditionum deſtruit eſſentiam actus fidei. At vero repugnat poteſtas vera ad actum fidei chymæricum, ſub conditione quod non ſit chymæricus, quia ſub ea conditione deſtruitur eſſentia actus fidei chymærici, ſicut non eſt poteſtas ad efficiendum hominem ſub conditione, quod non ſit homo, quia ea poteſtas proprie nõ eſt ad efficiendum hominem, ſed potius non hominem. Ergo poteſtas ad eliciendum actum chymæricum ſub conditione quod ſit verus, non eſt vere, ac proprie ad actum chymæricum, ſed ad actum non chymæricum, ac verum. Semper ergo datur vera poteſtas ad actus veros, & poſſibiles, non vero, qui re ipſa ſint poſſibiles, ac veri, ſed qui fuerint poſſibiles, ac veri: quos, quia ſub ea conditione veritatis, ac poſſibilitatis non reſpicit potentia productiua cum connexione tranſcẽdenti, ideo conditionata dicitur, non quidem ex parte poteſtatis, & ſubiecti, ſed ex parte termini, & obiecti. Vnde ad ſecundam confirmationem reſpondeo. Non eſt in Deo vera poteſtas ad volendum peccatum, ſub conditione quod peccatum ſit moraliter bonum, quia ſub ea conditione non eſt peccatum, ſed non peccatum, atque ita vera poteſtas ſolum eſt ad volendum moraliter bona, non vero moraliter mala. Quia tamen cum eis, quæ ſunt moraliter bona, ordine tranſcendenti non connectitur diuina voluntas, ideo voluntas diuina dicitur poteſtas conditionata ad amandum bona. Quæ potius debet ſic explicari, vt poſſit amare bona ſub conditione quod non fiant mala, quam vt poſſit amare mala ſub conditione, quod fiant bona: idque arguentes maxime decipiuntur. Neque inde licet inferre, ergo ſi bona fiant mala, nulla erit in Deo poteſtas ad volendum bona, atque ita prior illa poteſtas deſinet eſſe realiter, & cum illa Deus. Nam poteſtas diuina ad volendum bona non eſt connexa cum bonis, hoc eſt, non eſt ad volendum bona, quæ realiter ſint, ſed bona, quæ realiter fuerint. Sicut deſiderium inefficax exiſtentiæ ſalutis humanæ non eſt ſalutis, quæ realiter ſit, aut erit exiſtens, ſed quæ eſſet, ſi homo cooperatus fuiſſet. Poteſtas enim ad volendum bona refertur cum poſſibilitate bonorum, ſicut deſiderium inefficax ſalutis humanæ cum exiſtentia ipſius, quæ quidem deficere poteſt ab exiſtentia ex defectu cooperationis humanæ, non vero ex defectu auxilij diuini. Sic igitur poſſibilitas ipſius deficere poteſt ex defectu repugnantiæ, aut impoſſibilitatis cooperationis humanæ, non vero ex defectu voluntatis diuinæ, quæ ſalute intrinſece poſſibili, & impoſſibili intrinſece eadem ſemper exiſtit in Deo ad volendum ſalutem poſſibilem, & bonam, abſque connexione entitatiua cum ſalute bona, & poſſibili.

Digitized by Google

Vrgetur. 30. Vrgebis, impoſſibilibus actibus ſupernaturalibus,qui modo abſolute poſſibiles ſunt, maneret in natura rationali eadẽ actiuitas, quæ nũc illi ineſt,atq;ita maneret natura productiua actus ſupernaturalis. Non actus poſſibilis. Ergo actus impoſſibilis. Aut aliter. Non productiua abſolute cum abſolute non ſit poſſibilis actus ſuparnaturalis. Ergo productiua conditionate.

Solutio. Reſpondeo. Maneret natura productiua eiuſdem actus, cuiuſmodi productiua eſt, atque adeo actus veri, & non chymærici. Nam actus chymæricus non eſt idem cum actu, qui modo abſolute eſt poſſibilis, ſed illi contradictorie oppoſitus. Cæterum, quia non eſt productiua cum connexione, & ordine tranſcendenti,ideo actus, cuius productiua eſt, poteſt non dari poſſibilis quamuis potentia maneat,quæ eſt ex ſe productiua illius, & potentia eſt conditionate productiua, quia cum conditione neceſſaria, vt actus ſubdatur potentiæ obedientiali naturæ, non eſt natura eſſentialiter connexa, ſemper enim talis potentia ex ſe ſolum reſpicit actum verum, & poſſibilem, non qui re ipſa ſit poſſibilis, ſed qui fuerit poſſibilis abſque connexione cum illo. Vnde ſicut in poſſibilibus actibus ſupernaturalibus, qui modo ſunt abſolute poſſibiles, adhuc natura quantum eſt ex ſe moueat productiua illorum, ita quantum eſt ex ſe productiua eſt aliorum actuũ, qui modo non ſunt abſolute poſſibiles, ſi re ipſa poſſibiles fuiſſent. V. g. modo improbabili opinione eſt impoſſibilis actus ſupernaturalis fidei, qui ſimul ſit idem cum actu ſcientiæ. Si is actus eſſet re ipſa poſſibilis, poſſet natura poteſtate quam habet, illũ efficere, ideoq; quantum eſt ex parte poteſtatis naturæ in actus repugnans non eſt. Neque propterea eſt potentia ad actũ chymæricum, licet modo actus fidei, & ſcientiæ ſimul ſit chymæricus, quia non eſt natura effectiua eius actus chymærici,ſed alterius,qui eſſet per impoſſibile realis, & verus. Quandoquidem actus ſub conditione poſſibilis, eſt eſſentialiter alius ab actu, qui modo ſupponitur chymæricus, quippe illi contradictorie repugnans. Igitur actus, cum quo natura poteſtate obedientiali productiua confertur, non eſt chymæricus, ſed verus. At non verus, qui modo abſolute verus ſit, ſed qui verus fuerit, aut per locum intrinſecum eſſet omnino differens ab actu chymærico, qui modo abſolute repugnat.

Euaſio. 31. Dices, Ergo eodem modo poſſemus aſſerere conuenire lapidi virtutem vitalem ad plures effectus ſibi repugnantes. Siquidem non conſtat, an eorum repugnantia oriatur ex implicantia intrinſeca prædicatorum termini, an ex defectu poteſtatis actiuæ lapidis. Sicut impoſſibilibus actibus ſupernaturalibus exiſteret natura potens, quantum eſt eſſe illos efficere, quamuis abſolute non poſſet ex defectu poſſibilitatis intrinſecæ illorum, & non ex defectu poſſibilitatis naturæ. Eodem namque modo cõferretur natura cum eis actibus impoſſibilibus, quo tu conferri contendis lapidem cum effectibus modo repugnantibus.

Impugnatio. At hoc abſurde diceretur. Ergo impoſſibilibus actibus ſupernaturalibus abſurde dicitur naturam quantum eſt ex ſe potens efficere actus poſſibiles, & veros. Hæc difficultas vendicat lucem. Pro qua animaduerto non poſſe lapidi tribui, poteſtatem vitalem ad actus cognoſcendi, aut amandi, alioſque ſimiles, qui modo conſtant abſolute nõ repugnare; nam ſi ei talis poteſtas competeret, poſſet illos abſolute producere, cum abſolute non repugnantes ponantur; quare nõ poſſe illos produci à lapide ſolum in defectum poteſtatis, non vero poſſibilitatis intrinſecæ eorum actuum referendum eſt. Deinde neque ad alios effectus modo repugnantes, ſi forent non repugnantes, talis vitalis poteſtas concedenda eſt. Tum quia nulla poteſtas debet poſitiue admitti conueniens rei abſque fundamẽto poſitiuo rationis, aut fidei illam indicante. At nullum extat fundamentum poſitiuum rationis, aut fidei, quod indicet talem poteſtatem vitalem lapidis, ſicut extat ad poteſtatem, quam damus naturæ rationali ad actus ſupernaturales. Quo ſecluſo temere daremus illam naturæ rationali, etiamſi re ipſa illi conueniret. Sicut enim plura falſa probabiliter enunciantur, quia extant fundamenta, quæ illa teſtantur, ita plura vera temere, & improbabiliter aſſeruntur, quia fundamenta deſunt ad aſſertionem illorum. V g. ſi alius ſeriè tueatur ſtellas eſſe pares, alius vero eſſe impares, alius dormire nunc Papam, alius vigilare, certe aliquis eorum verum aſſereret, tamen vterque temere, & improbabiliter ſuæ ſentẽtiæ adhæreret, quia vterque ſine fundamento ſuam ſententiam ferret. Tum etiam à priori, quia ad poteſtatem obedientialem vitalem requiritur, vt quamuis natura viuens eſſentialiter non ſit connexa cum actu vitali, ſaltem actus vitalis cum ipſa connexus ſit, exigatque proceſſionem immanentem ab illa, qua ratione actus fidei & charitatis, ac reliqui ſupernaturales actus connectuntur eſſentialiter cum natura rationali, exiguntque immanentem proceſſionem ab illa, quanquam ipſa natura rationalis à connexione cum illis immunis ſit. At nullus vitalis actus exigit proceſſionem immanentem à natura lapidis; nam vt actus aliquis ſupernaturalis exigat talem proceſſionem, ſupponit per ſe ex parte naturæ virtutem vitalem naturalem ad aliquos actus ſimiles naturales ipſi conſentaneos, vt diſputatione ſequenti illuſtrabimus. Quæ vitalis facultas ad actus naturales vitæ non procedit ex parte naturę lapidis. Igitur facultas vitalis obedientialis adſcribi ipſi non poteſt. Differui ſolum de facultate vitali lapidis; quoniam de ſola vitali poteſtate naturæ rationalis ad actus ſupernaturales in hac diſputatione diſſerimus, & de facultate obedientiali lapidis ad actiones non vitales agendum nobis eſt diſput. 40. & 41.

SECTIO SEPTIMA.

Diluuntur aliæ rationes ſentẽtię affirmãtis.

32. Secundo ſic arguunt recentiores. Actus charitatis, & fidei exigunt eſſentialiter pro- *Secundum argumentũ*

ter procedere à natura rationali, à qua non exigit procedere gratia iuſtificans. Ergo diuerſo modo comparatur natura ad effectus ſupernaturales, vitales, ac ad alios qui vitales non ſunt. At modus iſte diuerſus conferendi naturam rationalem cum effectibus ſupernaturalibus, non poteſt eſſe alius, quam ordo tranſcendens naturæ ad effectus vitales, quoad effectus non vitales deſtitutus eſt. Ergo natura ordine tranſcendenti refertur ad actus ſupernaturales.

Confirmatio.

Confirmatur, natura rationalis poteſt agere vitaliter actum charitatis, quem alia natura non rationalis agere vitaliter non poteſt. Ergo competit naturæ rationali reſpectus aliquis intrinſecus ad actum charitatis, qui non competit naturæ irrationali. Aliunde enim hoc diſcrimen prouenire non poteſt.

Cõfirmatio ſecunda.

Iterum confirmatur, natura rationalis operatur actum ſupernaturalem ab intrinſeco modo proprie viuentium. At operari ab intrinſeco modo proprio viuentium, non eſt ſolum operari immanenter per actiuitatem intrinſecam, nam viſus poteſt eleuari à Deo ad agendum actum charitatis in anima per actiuitatem intrinſecam. Tamen non poteſt ab intrinſeco modo proprio viuentium. Ergo operari ab intrinſeco modo proprio viuentium, erit operari immanenter per actiuitatem intrinſecam ordine tranſcendenti relatam.

Solutio argumenti.

33. Hoc argumentum indicatur à Patre Vaſquez ſupra. Sed facile ſoluitur. Nam præſto eſt diſcrimen inter actum charitatis & gratiam iuſtificantem, vt actus charitatis exigat proceſſionem à natura rationali, à qua non exigit proceſſionem gratia iuſtificans. Nempe actus charitatis eſt intrinſece vitalis, non autem gratia iuſtificans, atque adeo exigit præ gratia iuſtificante naturam immanenter operantem, qualis eſt natura rationalis, quæ ſuapte natura viuens eſt, & immanenter actiua. Itaque ex vitalitate ſupernaturali actus charitatis, qua caret gratia iuſtificans, & ex virtute naturali operante vitaliter, qua ſuapte conditione pollet natura rationalis, prouenit diſcrimen quo actus charitatis præ gratia iuſtificanti exigit naturam rationalem tanquam principium ſui. De quo plenius dicemus diſputatione ſequenti.

Ad confirmationem.

Vnde etiam ad confirmationem reſpondeo. Ideo natura rationalis poteſt ab intrinſeco efficere actum charitatis, quem natura irrationalis non poteſt modo viuentium proprio; quia actus charitatis exigit actiuitatem naturæ rationalis, & non irrationalis. Exigit autem illam, & non iſtam, quia ipſe eſt intrinſece vitalis vitalitate rationali in actu ſecundo, & natura rationalis actiuitate vitali rationali in actu primo ſuapte conditione intrinſeca prædita eſt.

Ad ſecundã confirmationem.

Similiter dicito ad aliam confirmationem. Natura rationalis agit immanenter modo viuentium proprio actus charitatis, non autem ſic ageret viſus, quamuis eleuaretur ad efficiendum eum actum; quia actus charitatis exigit proceſſionem immanentem à voluntate rationali & non à viſu, & natura rationalis ſuapte conditione intrinſeca eſt determinata ad agendum immanenter effectus naturales, quin eos in ſua naturali tranſeunter agere poſſit, at vero viſus ex ſe determinatus non eſt ad effectum aliquem naturalem immanenter agendum, ſed ex ſe æque poteſt eleuari ad eos agendum in ſuppoſito alieno, ac in proprio. In qua determinatione immanenter agendi conſtituta eſt ratio principij viuentis, vt libro de anima expoſuimus. Itaque tota doctrina huius explicationis reuocatur in actiuitatem vitalem conditionatam naturæ rationalis ad actum charitatis, quæ ſola abſque ordine tranſcendenti ſufficit ad explicanda diſcrimina, quæ argumento poſtulantur. Porro autem virtus conditionata naturæ rationalis ad charitatis actum ex duplici capite ſumenda eſt. Primo ab exigentia intrinſeca actus charitatis. Secundo à virtute natiua agendi vitaliter ſimiles actus naturales. Quod vberius exponemus diſputatione ſequenti.

Tertiũ argumentum

34. Tertio ſic alij arguunt. Natura rationalis connectitur ſecundum entitatem cum poſſibilitate actuum ſupernaturalium. Ergo refertur tranſcendentaliter ad illos. Nam vt præmiſimus ſectione prima, ordo tranſcendentalis cauſæ non eſt aliud, quam connexio entitatiua cauſæ cum poſſibilitate effectus. Antecedens probatur. Non repugnantia actus ſupernaturalis eſſentialiter pendet à non repugnantia naturæ rationalis, tanquam à principio neceſſario, & non libero. Sed principium neceſſarium connectitur cum effectu. Ergo natura rationalis ſecundum entitatem connectitur cum poſſibilitate actus ſupernaturalis. Conſequentia eſt bona. Minor conſtat ex diſcrimine principij neceſſarij à libero, nempe, quia expoſito neceſſario ſequitur effectus; cuius defectus non poteſt cum principio neceſſario componi, ſicut componitur cum libero. Probatur maior. Non repugnantia actus ſupernaturalis, verbi gratia, amoris Dei non eſt à ſe, ſed ab alio, nam eſſentia actus creati eſt eſſe ab alio. At cum amor ſupernaturalis ſit voluntarius naturæ rationali, debet eſſe à natura rationali, tanquam à principio intrinſeco. Ergo eſſentia actus ſupernaturalis ſecundum non repugnantiam ipſius, pendet à natura rationali tanquam à principio ipſius. At non tanquam à principio libero, quia non eſt in poteſtate ipſius poſſibilitas, & non repugnantia amoris ſupernaturalis. Ergo tanquam à principio libero.

I..ſatur.

35. Hoc argumentum opponi non poteſt à Patre Vaſquez neque ab alijs, qui negant ordinem tranſcendentem omnipotentiæ diuinæ in creaturas poſſibiles. Nam argumentum æque probat ordinem tranſcendentem omnipotentiæ Diuinæ in creaturas poſſibiles, ac naturæ rationalis in actus ſupernaturales. Quare immerito exultant quidam recentiores, hoc argumento probantes ordinem tranſcendentem omnipotentiæ Diuinæ in creaturas poſſibiles, & negantes ordinem tranſcendentem naturæ rationalis in actus ſupernaturales, cum æquali vi ſuadeat

Digitized by Google

Solutio argumenti.

ordinem tranſcendentem vtriuſque. Igitur inprimis diluo argumentum negando non repugnantiam actus ſupernaturalis ſeorſim ab actuali eius exiſtentia pendere à natura rationali tanquam à principio & cauſa. Tum quia non repugnantia rei ſeorſim ab exiſtentia non poteſt terminare cauſalitatem alicuius principij, ſicut nec cauſalitatem poteſt exercere. Sicut ergo cauſa non operatur ſecundũ eſſe poſſibile, ſed ſecundum eſſe exiſtens, ita neq; effectus terminat cauſalitatem cauſæ ſecundum eſſe mere poſſibile, ſed tantum ſecundum eſſe exiſtens. Tum quia res creatę, licet vere habeant exiſtentiam ab alio, tamen non habent ab alio intrinſecam non repugnantiam exiſtendi, ſed à ſe ipſis ſunt non repugnantes exiſtere ab alio. Sicut materia prima exiſtit à ſolo Deo ſusceptiua formarum naturalium ab agentibus naturalibus. De quo plenius egimus in metaphyſica, & agemus, Deo fauente, in opere metaphyſico, quod præſto in lucem dabimus. Secundo admiſſa hac dependentia poſſibilitatis intrinſece actus ſupernaturalis à natura rationali tanquam à principio neceſſario, non eſt admittenda natura principium neceſſarium poſſibilitatis actus ſupernaturalis, ea neceſſitate, qua natura rationalis eſt poſſibilis, ſed ea, qua ſunt poſſibiles actus ſupernaturales; ſiquidem natura rationalis eſſet poſſibilis impoſſibilibus actibus ſupernaturalibus; actus ſupernaturales autem non eſſent poſſibiles impoſſibili natura rationali. Quemadmodum ſol eſt principium neceſſarium lucis hodiernæ, ea ſolum neceſſitate, qua lux hodierna exiſtens eſt, non vero ea neceſſitate, qua ipſe ſol eſt exiſtẽs, nam lux hodierna non poteſt exiſtere, niſi exiſtente ſole; ſol autem poteſt exiſtere non exiſtente hodierna luce. De quo plura, agentes de ordine tranſcendenti Dei ad creaturas poſſibiles.

Quartum argumentũ

36. Quarto Recentiores obijciunt. Deo eſt eſſentiale poſſe eleuare naturam rationalem ad efficiendum actus ſupernaturales. Ergo etiam naturæ rationali eſt eſſentiale poſſe eleuari à Deo. At impoſſibilibus actibus ſupernaturalibus eleuari non poſſet. Ergo eſſentialis eſt naturæ rationali connexio cum actibus ſupernaturalibus poſſibilibus. Antecedens probatur. Tum quia poſſe eleuare naturam rationalem maxime eſt Deitatis perfectio. Tum quia Deo competit ratio veræ potentiæ comparatione actuum ſupernaturalium. Quæ ratio eſſentialiter vendicat poſſibilitatem termini, cuius ſit potentia. Prima conſequentia, quæ ſola probatione indiget, probatur, quia cuiuſuis creaturæ eſſentialis eſt entitas, ac potentia diuina. Aut melius cuiuſuis creaturæ eſt eſſentialis obedientia, & ſubiectio poteſtati Dei. Ergo ſi poteſtas denominatiue Dei exigit poſſibilitatem actuum ſupernaturalium, eandem exiget potentia obedientialis creaturæ.

Solutio.

Reſpondeo. Deo ſolum eſt eſſentiale poſſe eleuare naturam rationalem ad actus ſupernaturales poſſibiles, ſub conditione, quod ſint ex ſe intrinſece non repugnantes. Nam ſumma perfectio entitatis, ac poteſtatis diuinæ aliud non vendicat. Immo ad ſummam poteſtatis diuinæ perfectionem ſpectat ſumma independentia à creaturis poſſibilibus, quæ cum connexione entitatiua Dei non adeo excellens adſtruitur, ac ſine illa, vt reijcientes ordinem tranſcendentem omnipotentiæ Diuinæ ad creaturas poſſibiles fuſius oſtendemus. Deinde eſto omnipotentia Diuina, & ratione ſuæ perfectionis, & ratione ſuæ veræ, & abſolutæ poteſtatis ordine tranſcendenti connectatur cum actibus ſupernaturalibus poſſibilibus, poteſt is ordo naturæ rationalis immediatus negari. Quia natura rationalis non eſt eius perfectionis, & poteſtatis, quæ in Deo talem connexionem perſuadeat, cum ratione ſuæ imperfectionis, & imbecillitatis intrinſecæ impotens aſſeritur à Patribus ad efficiendum actus ſupernaturales, & ſeorſim à gratia vera poteſtas illi negatur, vt ſectione ſecunda arguebamus. Neque conſequens eſt, creaturæ immediate conuenire ordinem tranſcendentem ad actus ſupernaturales, quia is ordo intrinſece Deo adſcribendus eſt. Nam plura exigit immediate omnipotentia Diuina, quæ immediate non exigitur à creatura. Nam omnipotentia Diuina exigit immediate Trinitatem perſonarum, & in ſententia aduerſariorum poſſibilitatem abſolutam omnium creaturarum; quas tamen immediate non exigit natura rationalis, immediate ſubiecta omnipotentiæ diuinæ.

37. Quinto, eſſe actus ſupernaturales poſſibile, nõ eſt aliud, quam eſſe naturam rationalẽ productiuam illorum. Ergo non eſſe poſſibiles actus ſupernaturales erit non eſſe naturam rationalem, quæ illorum productiua ſit. Ac per conſequens ipſa ſuppoſitione, qua actus ſupernaturales impoſſibiles ponantur, poni debet non eſſe natura rationalis, quæ ſit illorum productiua. Ergo actibus ſupernaturalibus repugnantibus, repugnabit exiſtere natura rationalis. Antecedens probatur, ſi eſſe poſſibile actuum ſupernaturalium eſſet quid diſtinctum à cauſa productiua ipſorum, eſſentia poſſibilis actuum ſupernaturalium eſſet diſtincta realiter ab exiſtentia, cum eſſentia poſſibilis ſit ab æterno, & exiſtentia ab æterno non ſit. At eſſentia rei ab eius exiſtentia indiſtincta eſt. Ergo eſſe poſſibile actuum ſupernaturalium non eſt quid diſtinctum ab eſſe cauſæ productiuæ ipſorum.

Quintũ argumentum

Solutio.

Reſpondeo; eſſe poſſibile extrinſecum actuum ſupernaturalium eſt indiſtinctum à cauſa productiua ipſorum. Eſſe vero poſſibile intrinſecum indiſtinctum eſt ab ipſis actibus ſupernaturalibus, qui intrinſece ſecundum prædicata eſſentialia excludunt impoſſibilitatem, & repugnantiam eſſendi, atq; adeo poſſibilitas intrinſeca eorum à cauſa productiua diſtincta eſt. Ordo autem tranſcendens naturæ rationalis non eſt ad poſſibilitatem actuum ſupernaturalium extrinſecam, ſed intrinſecam, vt notauimus ſect. 1. Neque propterea eſſentia eorum actuum diſtinguenda eſt ab exiſtentia, quia ſicut eſſentia eſſe dicitur ab

Digitized by Google

æterno, ita etiam exiſtentia poſſibilis eſſe ab æterno dici poteſt. Immo non eſt vera eſſentia poſſibilis, niſi continẽs poſſibilem exiſtentiam, atque ita eundem ordinem terminant exiſtentiæ, quem terminant eſſentiæ. Ergo ſicut exiſtẽtia diſtincta eſt ab eſſe cauſæ, ita eſſentia poſſibilis erit diſtincta. Tamen eſſentia antequam vere exiſtat, exiſtentia non dicitur, quia exiſtentiæ vox ſignificat actuale exercitium eſſendi, quod eſſentia non habet, antequam realiter ſit. De quo vberius in metaphyſica. Vbi etiam exponendum quo ſenſu verum ſit, eſſentias, & exiſtentias eſſe ab æterno poſſibiles. Nunc enim principia philoſophica ſupponenda ſunt, & non probanda. Deinde quamuis eſſe poſſibile actuum ſupernaturalium ſit indiſtinctũ à cauſa productiua ipſorum, vt actus ſupernaturales ſupponantur impoſſibiles, non requiritur ſupponi impoſſibilem naturam rationalem, ſed ſufficit ſupponi impoſſibile auxilium creatum gratiæ quod ad ipſorum poſſibilitatem neceſſarium eſt. Nam deficiente vna parte eſſentiali poſſibilitatis ipſorũ, neceſſe eſt deficere ipſam poſſibilitatem, ſicut deficiente forma ſubſtantiali deficit abſolute compoſitum conſtitutum eſſentialiter ex ipſa. Atque ita remanente natura rationali poteſt ſupponi defectus poſſibilitatis actuum ſupernaturalium ex defectu poſſibilitatis principij ſupernaturalis ſuppoſito.

SECTIO OCTAVA.

Obijcitur, & ſoluitur mirabile argumentum Recentiorum.

Sextum argumentũ.

38. SExto ſic arguunt Recentiores ad probandum, deficiente quocumque actu ſupernaturali, deficere naturam rationalem, atque adeo naturam rationalem cum poſſibilitate cuiuſcumque actus ſupernaturalis eſſentialiter connecti. Si deficeret poſſibilitas alicuius actus ſupernaturalis de facto poſſibilis, per locum intrinſecum, ſequeretur exiſtere à parte rei duo contradictoria. At ſi exiſterent à parte rei duo contradictoria, eo ipſo per locum intrinſecũ deficeret natura rationalis. Ergo deficiente poſſibilitate alicuius actus ſupernaturalis re ipſa poſſibilis, deficeret natura rationalis. Conſequentia legitima eſt. Maior probatur. De facto eſt impoſſibilis impoſſibilitas actus ſupernaturalis vere poſſibilis; & neceſſaria poſſibilitas eiuſdem actus. At de ratione cuiuſcunque impoſſibilis eſt, eſſe tale, vt ex eius exiſtẽtia poſita ſequantur eo ipſo duo contradictoria, & de ratione rei neceſſariæ eſt, eſſe talem, vt ex eius oblatione etiam duo contradictoria ſequantur. Ergo ſi actus naturalis de facto poſſibilis, fieret impoſſibilis, eo ipſo duo cõtradictoria ſequerẽtur, quia auferretur poſſibilitas neceſſaria ipſius & poneretur à parte rei impoſſibilitas. (Cõfirmatio.) Explicatur, & confirmatur eadem maior. Si homo eſſet brutum, eo ipſo per locum intrinſecum exiſterent duo contradictoria, ſcilicet hominem eſſe rationalem, quia eſt homo, & ſimul irrationalem, quia eſt brutum. Ergo ſimiliter ſi actus charitatis eſſet chymæra, exiſterent duo contradictoria, ſcilicet; actum charitatis eſſe impoſſibilem, quia eſt chymæra, & ſimul eſſe poſſibilem, quia eſt actus charitatis, de cuius ratione intrinſeca eſt eſſe poſſibilem; ſicut de ratione hominis, eſſe rationalẽ. Maiorem primi ſyllogiſmi probant. De eſſentia naturæ rationalis eſt, non poſſe abſolute coexiſtere duobus contradictorijs. Ergo exiſtentibus duobus contradictorijs deficeret eſſentia naturæ rationalis. Probatur antecedens. De eſſentia coniunctionis duorum contradicentũm eſt, non poſſe coexiſtere naturæ rationali. Ergo de eſſentia naturæ rationalis eſt non coexiſtere coniunctioni duorum contradicentium. Nam quid euidentius, quam de cuiuſuis entis eſſentia eſſe, non coexiſtere alteri de cuius eſſentia eſt non coexiſtere ipſi. Nam mihi repugnat eſſentialiter coexiſtere ſcientiæ Dei negantis meam exiſtentiam, non ſane alia ratione, niſi quia de eſſentia talis ſcientię eſt non coexiſtere mihi. Antecedens probatur. De eſſentia coniunctionis duorum contradicentium eſt non poſſe realiter exiſtere. Ergo eſſentia eiuſdem coniunctionis eſt non poſſe coexiſtere naturæ rationali exiſtenti. Siquidem coexiſtentia includit eſſentialiter exiſtentiam rei exiſtentis. (Alia confirmatio.) Confirmatur eadem minor. De eſſentia naturæ rationalis eſt habere connexionem cum impoſsibilitate cognitionis veræ eſſentientis, duobus contradicẽtibus exiſtentibus ſimul, & cum poſsibilitate diſſenſus falſi illius principij per ſe noti *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe.* Sed exiſtentibus duobus contradicentibus à parte rei ſimul, eſſet poſsibilis aſſenſus verus talis coniunctionis, & impoſsibilis diſſenſus falſus illius. Ergo exiſtẽtibus duobus contradicentibus à parte rei ſimul, deficeret eſſentia naturæ rationalis connexa cum impoſsibilitate talis aſſenſus veri; & poſsibilitate diſſenſus falſi.

Solutio argumenti.

39. Mirabile ſane argumentum. Mihi vehementer diſplicet. Primo, quia non probat naturam rationalem, quia actiua eſt actuum ſupernaturalium, connecti cum poſsibilitate eorum: nam eodem modo probat, cum illa cõnecti lapidem, qui eorum operum actiuus nõ eſt; quippe eodẽ modo repugnant lapidi coexiſtere duobus contradicentibus ſimul, quo repugnat naturę rationali. Item eodem modo probat cõnexionem naturæ rationalis cum poſsibilitate operationum bruti, quorum ipſa factiua nõ eſt, quo eiuſdem connexionem cum poſsibilitate actuum ſupernaturalium, quorum eſt actiua. Nũc autem diſſerimus, an natura rationalis ratione actiuitatis, quam illi tribuimus in actus ſupernaturales, cum eorumdem poſsibilitate connexa ſit. Deinde non probat naturam rationalem defecturam præciſe ex defectu poſsibilitatis veræ actuum ſupernaturalium, ſed expoſitione cauſæ, aut effectus contradicentis, quæ talem defectum antecedere, aut æquare confingitur. Quod autem nunc quærimus, id ſolum eſt, an ex defectu poſsibilitatis veræ ſupernaturalium actionum præciſo à cauſa, aut effectu ipſius legitime colligatur defe-

ctus naturæ rationalis ; hoc eſt ; an deficiente ea poſſibilitate actuum præſcindendo, an ea deficiat ex mero libito Dei, an ex poſitione duorum contradicentium, neceſſaria ſit ſequela defectus naturæ? vt expoſuimus numero 4. Id enim ſolum vendicat connexio intrinſeca naturæ rationalis cum poſſibilitate actuum ſupernaturalium, ſcilicet vt præciſe ex defectu talis poſſibilitatis ſeorſim à cauſa, aut effectu illius defectus, fiat argumentum ad defectum naturæ rationalis.

Euaſio.

40. Dices, non poſſe poni actum charitatis vere poſſibilem reddi impoſſibilem, quin ponantur ſimul exiſtentia duo contradicentia, quæ antecedant, aut ſequantur defectum poſſibilitatis ipſius, quia vera poſſibilitas non poteſt auferri niſi coniunctione duorum contradicentium, quæ ſola eſſentialis eſt cuiuis impoſſibilitati rei vere poſſibilis. Sed contra. Res vere poſſibilis dupliciter poteſt fingi impoſſibilis, & chymæra. Primo coniungendo illi prædicata poſitiua repugnantia eſſentiæ ipſius, ac coniungendo homini irrationalitatem bruti. Secundo idemtitatem prædicatorum eſſentialium rei, vt ſi obiungas rationalitatem ab animalitate, aut riſibilitate, fingendo inter ea prædicata repugnantiam idemtitatis, quam cernimus inter rationalitatem, & brutalitatem. Rurſus hæc prædicata vno modo poſſunt fingi diuiſa, vt diuiſio, & repugnantia idemtitatis apprehendatur eſſe inter eadem prædicata vera, quæ modo identificata ſunt; alio modo vt veris omnino deficientibus ea diuiſio, & repugnantia idemtitatis inter alia prædicata concipiatur, repugnantiaque illa idemtitatis apprehenſa deſtruat prædicata vera, quæ modo indiſtincta ſunt, & conſequenter alia eſſe fingat à veris, quæ idemtitati cogitat repugnantia. Igitur eſto, ſequatur exiſtens coniunctio duorum contradicentium ex compoſitione veræ poſſibilitatis cum prædicatis ipſi contradicentibus, quæ noſtra cogitatione fingimus, ea tamen coniunctio non ſequitur exiſtens ex diuiſione prædicatorum rei poſſibilis deſtruente veram poſſibilitatem ipſius per alia prædicata à veris longe diuerſa, conſtituentiaque rem longe diuerſam ab ea, quæ modo vere poſſibilis eſt. Tunc enim res impoſſibilis non apprehenditur, eodemque modo vere poſſibilis eſt, ſed alia ipſi contradictorie oppoſita deſtruens omnino veram eius poſſibilitatem, & excludens coniunctionem prædicatorum, quæ in re vere poſſibili coniuncta ſunt, ac ſi animalitas, & rationalitas eſſent inter ſe, quales ſunt rationalitas, & brutalitas, ac proinde omnino diuerſa ab animalitate, & rationalitate, quæ modo in homine idemtificata coniunguntur. Ergo ſicut modo non ſequitur realiter exiſtens coniunctio duorum contradicentium, ſed illorum potius diuiſio, ex impoſsibili coniunctione rationalitatis, & brutalitatis, ita nec ex illa ſuppoſitione ſequitur coniunctio, ſed potius diuiſio animalitatis, & rationalitatis mutuo repugnantium. At cum ponimus deficere actum ſupernaturalem, aut aliam rem vere poſsibilem, cogitamus hanc diuiſionem prędicatorum rei, & conſequenter aliam omnino eſſentiam illius rei ab ea, quæ modo eſt. Ergo ex quacunque poſitione defectus poſsibilitatis rei non ſequitur coniunctio duorum contradicentium realiter exiſtens.

Præcluditur primo.

Præcluditur ſecũdo.

Obiectio.

41. Obijcies; Ponimus rem neceſſario poſsibilem, fieri impoſsibilem, ſiue retinendo, ſiue remouendo vera prædicata rei. Ergo ponimus rem eſſe ſimul poſsibilem, & impoſsibilem. Poſsibilem, quia poſsibilitas ponitur neceſſaria, & non contingens. Impoſsibilem, quia talis poſsibilitas ponitur remoueri per cõtradicentia prædicata rei, ſiue eadem, ſiue diuerſa à prædicatis veris ipſius. Ergo ponimus realiter exiſtentem coniunctionem poſsibilitatis, & impoſsibilitatis rei. In primis nota, ſemper ab arguentibus, requiri aliud quam præciſam impoſsibilitatem effectus ad colligendum defectum cauſæ, nempe coniunctionem poſsibilitatis cum illa, atque ita non probari ex ſolo defectu poſsibilitatis effectus immediate; ſed per alias conſequentias medias, defectum illius: quod opus erat vt oſtenderetur connexione immediata vnius rei cum poſsibilitate alterius, nam ſi colligas ex defectu poſsibilitatis hominis defectum poſsibilitatis leonis, quia ex illo defectu ſequitur defectus omnipotentię Diuinæ, & ex defectu omnipotentiæ Diuinæ ſequitur defectus leonis: non argues connexionem immediatam hominis cum leone poſſibili, ſed tantum mediatam. Ergo ſimiliter colligens defectum cauſæ, non ex præciſo defectu poſsibilitatis effectus, ſed quia ex defectu poſsibilitatis effectus, ſequitur coniunctio poſſibilitatis cum impoſsibilitate, ac ex tali coniũctione ſequitur, defectu cauſæ non argui immediatã connexionem cauſæ cum poſsibilitate effectus, ſed tantum mediatam: ſiquidem ſi ex defectu poſsibilitatis nõ inferretur coniunctio illius cum impoſsibilitate, nulla eſſet ſibi ratio arguendi defectum cauſæ. Præterea poteſt ſupponi, res vere poſsibiles fieri impoſsibiles per diuiſionem idemtitatis inter prædicata ipſius, & coniunctionem aliorum, differentium à veris prædicatis, quin ſequatur coniunctio realiter exiſtens duorum contradicentium. Nempe ſi rem vere poſsibilem fingamus impediri vera poſsibilitate per talia prædicata, & non priuari illa, poſtquam eam obtinuit. Itaque dupliciter poteſt cogitari res vere poſsibilis fieri impoſsibilis. Primo ſupponendo rem vere poſsibilem fuiſſe, & deinde vera poſsibilitate caruiſſe, ſicut res poſtquam ſemel exiſtit, per corruptionem definit exiſtentia. Secundo non ſupponendo rem fuiſſe vere poſsibilem, ſed potius oppoſitũ, & per prædicata contradicentia idẽtitati mutuę impeditam vera poſsibilitate, ſicut res quæ nũquam extitit, impeditur exiſtere à contrarijs, aut à Deo, & chymæræ quæ modo ſunt, impediuntur per prædicata contradicentia vera poſſibilitate ipſarũ. Igitur cum res vere poſsibiles ſuponuntur impoſſibiles poſteriori modo, nulla poſita vera poſſibilitate ipſarum, ſed impedita per repugnantiam idemtitatis inter prędicata rei: non ſequitur eo ipſo exiſtens à par-

Solutio.

te rei coniunctio duorum contradicentium, ſed potius diuiſio, ſicut non ſequitur exiſtens ea cõiunctio ex chymæris *hominis bruti*, *corporis ſpiritualis*, & alijs ſimilibus, quas modo confingimus. Nam hac ratione non eſſe ponimus poſſibilitatem, cum impoſſibilitate, ſed ſolam cogitamus impoſſibilitatem impedientem veram poſſibilitatem rerum, eaſque ſolum impoſſibiles, & nulla ratione poſſibiles apprehendimus. Atque ita coniunctio duorum contradicentium ſimul exiſtens ſolum deprehenditur ex impoſſibilitate rerum poſſibilium, coniuncta cum poſſibilitate vera antecedenti ipſarum, vel vt aiunt, apprehenſa impoſſibilitate in ſenſu compoſito poſſibilitatis, non autem in ſenſu diuiſo. Diſcrimen autem chymæræ, nunc impoſsibilis, & illius quam fingimus in rebus vere poſsibilibus, hoc eſt, quod in chymæris modo impoſsibilibus, non remouemus; aut diuidimus veram aliquam poſsibilitatem: in illis autem, quas de rebus vere poſsibilibus cogitamus, remouemus, & diuidimus poſsibilitatem veram, meram impoſsibilitatem cogitantes, veram poſsibilitatem, quam nunc ferunt impediendo. Ex quo liquido conſtat ex ſuppoſitione repugnantiæ rerum poſsibilium poſſe non ſequi coniunctionem duorum contradicentium realiter exiſtentem. Item confirmationem maioris propoſitionis argumenti ad rem non eſſe, quia in homine bruto exiſtente componimus rationalitatem, cum irrationalitate, non diuidimus rationalitatem à vera idemtitate cum alijs.

Alia ſolutio argumenti.

42. Demum argumentum Recentiorum, non probat naturam rationalem, aut aliam rem vere exiſtentem connecti eſſentialiter cum carentia exiſtentiæ duorum contradicentium, quia licet eſſentiale ſit tali coniunctioni non exiſtere realiter, ac proinde non coexiſtere alteri rei vere exiſtenti, id non oritur ex repugnantia intrinſeca, qua natura rationalis exigat in lapide, aut alia re vere poſsibili diuiſionem contradicentium, ſed ex repugnantia extrinſeca, qua lapis exigit diuiſionem ſui à prædicatis contradicentibus ſibi. Nam cum ad coexiſtentiam duorum requiratur vtriuſque exiſtentia, repugnantia, quæ excludit exiſtentiam vnius, excludit abſolute coexiſtentiam. Atque ita ſufficit repugnantia intrinſeca lapidis excludens coniunctionem carentiæ lapidis, vt excludatur abſolute coexiſtentia talis coniunctionis cum natura rationali, quin ipſa natura rationalis intrinſece repugnet tali coniunctioni. Vnaquæque enim res intrinſece ſolum excludit prædicata ſibi contradicentia, non prædicata alijs omnibus repugnantia, nam ſolum ea, quæ ſibi repugnant, deſtruunt ipſius eſſentiam, non prædicata, quæ repugnant alijs. Vnde neque coniunctio exiſtentiæ lapidis, & eius carentia deſtruit poſitiua exigentia naturam rationalem, ſicut deſtruit naturam lapideam, quoniam ea coniunctio ſolum complectitur prædicatum repugnans exiſtentiæ lapidis, videlicet eius carentiam, non vero repugnans exiſtentiæ naturæ rationalis, quæ cum carentia lapidis deſtruente lapidis exiſtentiam compoſsibilis eſt. Atque adeo ſi per impoſsibile exiſteret coniunctio exiſtentiæ lapidis, & carentiæ ipſius, non exiſteret aliquid poſitiue repugnans exiſtentiæ naturæ rationalis, & exigens defectum ipſius. Alioqui prædicata eſſentialia vnius rei eſſent origo non repugnantiæ omnium rerum, cum poſitiue vnaquæque exigat non repugnantiam aliarum; quod ridiculum eſt. Secus eſt ſi exiſteret ſcientia infallibilis negans exiſtentiam naturæ rationalis, quia hæc ſcientia ratione ſuæ peculiaris perfectionis ad ſui veritatem, ac infallibilitatem exigit poſitiue carentiam exiſtentiæ, quam enuntiat; atque adeo natura rationalis poſitiue exigit defectum ſcientiæ infallibilis negantis exiſtentiam ipſius.

Ad confirmationem.

43. Ad confirmationem minoris oppoſitæ reſpondeo. Natura rationalis poſſet diſſentire vere illi principio per ſe noto: *impoſſibile eſt rem ſimul eſſe, & non eſſe*, etiam repugnante actu charitatis, quia eius repugnantia non ponitur in ſenſu compoſito poſsibilitatis, ſed in ſenſu diuiſo non per coniunctionem duorum contradicentium, ſed per diuiſionem, & repugnantiam eorum, quæ nunc contradicentia ſunt, vt expoſuimus anterioribus. Rurſus ea ratione non oſtenditur connexio immediata naturæ rationalis cum actu ſupernaturali, ſed mediata; ſcilicet media connexione naturæ cum diſſenſu talis principij. Inſuper eſto, actus ſupernaturalis repugnaret, non caderet eius repugnantia ſub notitiam euidentem naturæ rationalis, vt non cadit ſub illam eius poſsibilitas, & non repugnantia, vt oſtendimus diſp. 10. & 11. atque ita non deficeret aliqua cognitio naturalis nunc naturæ poſsibilis, & connexa.

SECTIO NONA.

Vrgetur & ſoluitur poſtremum argumentum.

Vltimum argumentũ

44. POſtremo ſic ſuaderi poteſt ordo tranſcendens, & cõnexio intrinſeca naturæ cum actibus ſupernaturalibus poſsibilibus. Repugnantibus actibus ſupernaturalibus poſsibilibus repugnaret aliquod prædicatum idemtificatum naturæ. Ergo etiam repugnaret natura, quæ ſupereſſe non poteſt realiter eadem deficiente aliquo prædicato ſibi idemtificato. Probatur antecedens. Virtus partialis immediata abſolute productiua actus ſupernaturalis eſt idemtificata naturæ. At repugnantibus abſolute actibus ſupernaturalibus, repugnaret virtus abſolute productiua actuum ſupernaturalium. Ergo repugnantibus abſolute actibus ſupernaturalibus repugnaret aliquod idemtificatum naturæ. Conſequentia eſt bona. Minor eſt perſpicua, nam eo diſtinguitur virtus immediata abſolute productiua actuum ſupernaturalium à virtute productiua, ſub cõditione

quod conditionata non eſt cum abſoluta eorum poſſibilitate connexa, abſoluta vero connexa eſt; ſicut effectus voluntatis diuinæ abſolute efficax connectitur cum abſoluta exiſtentia rei, efficax vero ſub conditione non connectitur, ſed eſt ex ſe indifferens, vt non exiſtat conditio, atque adeo etiam conditione non exiſtente non exiſtat obiectum. Et quidem ex ſe apparet manifeſtum, non poſſe cauſam eſſe abſolute productiuam effectus, qui abſolute poſſibilis non ſit. Itaque maior propoſitio probatur. Virtus partialis immediata, per quam natura tanquam cauſa incompleta abſolute efficit actum ſupernaturalem, non complectitur auxilium ſupernaturale; aut aliud principium ab ipſa, & natura diſtinctum. Ergo ea virtus partialis naturæ abſolute effectiua actus ſupernaturalis eſt indiſtincta ab ipſa natura. Nam ſi aliud eſſet præter naturam, maxime principium ſupernaturale, quod efficit eum actum. Probatur antecedens. Virtus remota abſolute effectiua actus ſupernaturalis diſtincta eſt à virtute proxima. Item virtus partialis à virtute totali. At natura ſimul cum auxilio ſupernaturali eſt virtus proxima, & virtus adæquata. Ergo virtus remota, & partialis abſolute effectiua non eſt eadem natura rationali cum auxilio ſupernaturali. Alias totum, quod complectitur virtus proxima, & adæquata, complecteretur virtus remota, & inadæquata.

Solutio argumenti.

45. Doctrina huius argumenti examinanda eſt diſputatione ſequenti. Nunc reſpondeo, virtus partialis immediata naturæ conditionate actiua identificatur adæquate naturæ rationali, virtus vero partialis abſolute actiua, ſolum inadæquate, quia præter virtutem naturæ comprehendit auxilium ſupernaturale. Porro virtus partialis remota, abſolute actiua importat intrinſece auxilium ſupernaturale ſolum poſſibile, proxima vero idem auxilium actu exiſtens. Rurſus, virtus partialis abſolute actiua continet intrinſece tale auxilium ſolum in obliquo, totalis vero illud continet in recto. Inſtatur argumentum. Eadem virtus partialis naturæ, vt eſt proxime operatiua, complectitur præter entitatem naturæ auxilium ſupernaturale, etiamſi ordine tranſcendenti referatur in actum ſupernaturalem, nam ſecluſo auxilio ſupernaturali non adeſt virtus proxime operatiua actus ſupernaturalis, etiam partialis. Virtus autem proxime operatiua totalis amplius non complectitur. Ergo quamuis virtus partialis naturæ ordine tranſcendenti referatur in actum ſupernaturalem, poteſt quia proxima eſt, præter naturæ entitatem comprehendere auxilium ſupernaturale, quod comprehendit virtus totalis. Ergo idem poteſt comprehendere virtus partialis, & totalis, qua abſolute productiua eſt, cum ſine ordine tranſcendenti naturæ adſtruitur. Hæc iterum redibunt diſputatione ſequenti.

DISPVTATIO TRIGESIMATERTIA.

AN VIRTVS NATVRÆ AD ACTVS SVPERNATVRALES ſit diſtincta à virtute naturali eiuſdem ad actus naturales?

NON eſt diſputatio de virtute adæquata, & completa, ſed inadæquata, & incompleta. Quæ diſputatio, tum idemtitatem realem, tum idemtitatem rationis ratiocinatæ, inter virtutem naturæ ad actus ſupernaturales, & virtutem ad actus naturales diſquirit.

SECTIONES.

1. *An realiter ſit eadem virtus ad actus ſupernaturales cum virtute naturali ad actus naturales.*
2. *An diſtinguatur ratione ratiocinata virtus efficiens actus ſupernaturales, à virtute efficiente actus naturales.*
3. *Opponuntur, & ſoluuntur argumenta contra præcedentem doctrinam.*
4. *Explicatio ſuperioris doctrinæ, & corollaria illius.*

SECTIO PRIMA.

An realiter ſit eadem virtus ad actus ſupernaturales cum virtute naturali ad actus naturales?

1. SVnt enim, qui admittentes naturam rationalem tanquam cauſam partialem, efficere immediate actus ſupernaturales, volūt virtutem, qua illos efficit, non eſſe ipſam naturam, ſed auxilium eleuans ſupernaturale ab ipſa diſtinctum, quod interdum eſt qualitas ſupernaturalis infuſa à Deo, vt cum iuſtus ſupernaturaliter operatur, interdum virtus increata, & extrinſeca Dei, vt cum peccator ſe ad iuſtitiā Sententia negans.

Digitized by Google

diſponit. Quod idem tuentur euenire, cum Sacramenta eleuantur ad efficiendum immediate gratiam, quorum virtutem aiunt eſſe ipſam virtutem extrinſecam Dei aſſiſtētem creaturæ; quin creatura, neque ad actus ſupernaturales vitales, neque ad alia opera ſupernaturalia virtutem aliquam ſibi identificatam contineat, ſed ſolam meram non repugnantiam, & ſubordinationem eleuationi extrinſecæ Dei. Qui differunt à Thomiſtis aſſerentibus habitum ſupernaturalem eſſe totam virtutem agendi, quod hi negant naturam immediate efficere, atque adeo neque auxilio extrinſeco Dei eleuari poſſe ad agendum actum ſupernaturalem, illi vero immediatam naturæ actionem admittunt, etiam ſola eleuatione extrinſeca Dei, negant tamen virtutem, quę immediate agit eſſe ipſam naturam. Ita Pater Fonſeca 9. metaphyſicæ cap.1. q.4. ſect. 3. 4. & 8. & alij apud Patrem Suarez tom.1. in 3. partem diſp. 31. ſect. 6. §. *His ergo ſuppoſitis*, & apud Gonzalez 1. p. diſp. 27. n. 29. & Ledeſmam lib. de perfectione Dei q.8. art.8. in ſubarticulo. Idque probabile cenſet Ioannes Vincentius relatione de gratia Chriſti q. 6.

P. Fonſeca. P. Suarez. Gonzalez. Ledeſma. Ioan. Vincent.

Sententia affirmans.

2. Oppoſitum vero, ſcilicet virtutem, quā natura rationalis immediate agit actus ſupernaturales, & ſacramenta gratiam iuſtificātem, eſſe realiter indiſtinctam ab entitate, & virtute naturali ipſorum, multis probat Pater Suarez, vbi ſupra, & omnes quos ſectione ſequēti pro diſtinctione, & identitate rationis ratiocinatæ inter virtutem naturæ ad actus ſupernaturales, & virtutem ad actus naturales adducemus.

Prænotatur duplex virtus naturæ in actus ſupernaturales.

3. Ego vero diſſentionem magna ex parte puto de voce. Etenim ſemel admiſſa actione immediata naturę in actus ſupernaturales, non poteſt negari illi ineſſe actiuitatem aliquam immediatam ad illos, quæ meritò *virtus* nuncupari poteſt. Tamen, vt planius, & diſtinctius procedamus, diſtinguendum puto duplicem virtutem partialem, ac immediatam naturæ in actus ſupernaturales. Alteram, qua ſolum ſub conditione, quod actus ſupernaturales non repugnant poteſt illos immediate efficere. Alteram, qua natura poteſt abſolute efficere actus ſupernaturales, complectiturque aliquam cōnexionem, ſiue intrinſecam, ſiue extrinſecam cum illis. Nam cum natura rationalis ſecundum ſe non ſit ordine tranſcendenti connexa cum actibus ſupernaturalibus, ſicut plurium Theologorum iudicio, non eſt omnipotentia diuina connexa cum creaturis poſſibilibus, poteſt ſecundum ſe conſiderari ſolum ſecundum eam actiuitatem, ſeu poteſtatem, quæ illi conueniret, ſi actus ſupernaturales repugnarent, quæ plane non eſſet abſolute, ſed ſub conditione tantum productiua, ſicut omnipotentia diuina ſecundum ſe ſolum ſub conditione non repugnantiæ creaturarum productiua dicitur. Verum cum in actu ſecundo abſolute exerceat actionem, abſolute quoque in actu primo actiua eſt; ſiquidem ab actu abſoluto ad potentiam abſolute actiuam. Conſequentia legitima eſt.

Aſſertio prima.

4. His poſitis aſſero primo. Omnis virtus partialis immediata, tam conditionate, quam abſolute productiua actuum ſupernaturalium non eſt realiter diſtincta ab entitate, ſeu virtute naturali, ſed aliqua earum neceſſariò ipſi identificata eſſe debet. In primis hoc probant omnia quæ adducemus ad explicandam virtutem ad actus ſupernaturales, etiam ratione ratiocinata ex parte obiecti non eſſe omnino aliam à virtute naturali, & inſita naturæ. Deinde abſque negotio probatur primo. Actio non poteſt prodire immediate ab vllo principio, in quo non reſpondeat virtus aliqua ſibi intrinſeca principalis, aut inſtrumentalis. At actio ſupernaturalis procedit immediate non ſolum à Deo, ſed etiam à natura rationali, tanquam à duabus cauſis partialibus, vt modo ponimus ex diſp.30. Ergo non ſolum in Deo, ſed etiam in ipſa natura intrinſece reſpondere debet virtus aliqua principalis, aut inſtrumentalis identificata naturæ. Probatur maior. Actio eſt actus ſecundus, qui eſſentialiter ſupponit primum. Ergo actio immediata, tam naturę, quam gratiæ eſſentialiter ſupponit primum, tam ex parte naturę, quam gratiæ. At actus primus agendi eſt idem quod virtus. Ergo actio immediata tam naturæ, quam gratiæ eſſentialiter ſupponit virtutem, tam ex parte naturæ, quam gratiæ.

Prima probatio.

Explicatur. Ab actu ad potentiam recte valet conſequentia. Actu immediate, non ſolum agit gratia, ſed etiam natura ſeorſim à gratia. Ergo potentia non ſolum eſt in gratia, ſed etiam in natura. Nam ſi agit immediate, tanquam cauſa partialis vt condiſtincta à gratia. Ergo vt diſtincta à gratia natura partialiter actiua eſt. At natura vt diſtincta à gratia non eſt partialiter actiua per actiuitatem gratiæ, nam vt diſtincta à gratia non complectitur gratiam. Ergo propria actiuitate actiua eſt. Actiuitas autem, & virtus idem ſunt. Ergo.

Explicatur.

Confirmatur, omnis paſſio ſupponit in quouis ſubiecto vim paſſiuam propriam illius. Ergo etiā omnis actio in quouis agente vim actiuam. Pari namque modo actio cum agente, & paſſio cum patiente confertur.

Confirmatur.

Iterum confirmatur. In diuinis ſolum quia datur realis productio, datur quoque potentia productiua. Ergo vbicunque datur realis actio, datur quoque virtus, ſeu potentia actiua.

Iterum.

Secundò; res non poteſt conſtitui immediate & ex ſe actiua per virtutem alterius ſibi adæquate extrinſecam: quare aqua non eſt vere calefactiua immediate, & ex ſe ipſa, ſed ex calore à ſe diſtincto, quia tota virtus calefaciendi ineſt ſoli calori. Natura autem eſt ex ſe immediate actiua actus ſupernaturalis. Ergo non eſt actiua ex ſe immediate per virtutem à ſe diſtinctam. Quomodo enim cohærent hæc duo, eſſe actiuam ex ſe immediate, & eſſe actiuam ex alio ab ipſa diſtincto? Demum, virtutem actiuam diſtinctam à Deo ineſſe naturæ non eſt aliud, quam ineſſe naturæ aliquid diſtinctum à Deo, à quo immediate fluat actio. Sed eo ipſo, quod actio ſupernaturalis ſit immediate à natura, vt condiſtincta à gratia, ineſt naturæ aliquod diſtinctum à Deo, à quo immediate fluat actio. Ergo eo ipſo ineſt naturæ virtus aliqua diſtin-

Secunda probatio.

Digitized by Google

cta à virtute gratiæ. Maior negari non poteſt, niſi tota pugna vocibus fiat. Et quidem aſſerta ſemel actione immediata naturæ in actus ſupernaturales, vt nos pleno, ac fuſo calamo aſſeruimus diſput. 30. neſcio, qua ratione præſens aſſertio poſſit negari, niſi diſſentio tota prouocetur ad voces, vt reuocari puto hac in re inter primam, ac ſecundam ſententiam. Ex quibus manifeſtè colligitur, ſaltem virtutem partialem conditionate actiuam naturæ eſſe adæquate idemtificatam virtuti naturali. Nam ſi aliqua neceſſario virtus ei idemtificari realiter debet; naturæ autem non eſt alia niſi aut virtus actiua abſolute, aut actiua conditionate, plane ſaltem actiua conditionate naturæ realiter idemtificatur.

Aſſertio ſecunda. 5. Aſſero ſecundò. Virtus partialis actiua abſolute, partim eſt idemtificata realiter naturæ, partim realiter diſtincta, quippe eſſentialiter complectitur tum virtutem, ac entitatem naturæ, tum virtutem ſupernaturalis gratiæ. Probatur. Facile probatur ex dictis. Nam virtus abſolute productiua actuum ſupernaturalium non eſt adęquate idemtificata naturæ, neque adæquate diſtincta. Ergo erit partim idemtificata partim diſtincta. Conſequentia eſt manifeſta. Antecedens quoad priorem partem conſtat ex diſputatione præcedenti excludente à natura ordinem tranſcendētem in actus ſupernaturales. Quoad poſteriorem vero liquidum eſt ex præcedenti aſſertione, in qua ſtatuimus aliquam virtutem naturæ idemtificatam admittendam eſſe ſaltem conditionatam; quæ coniuncta auxilio gratiæ abſolute poſſibili poterit reddi abſoluta. Explicatur. Explicatur non poſſe adęquate idemtificari naturæ virtutem abſolute productiuam actuum ſupernaturalium. Etenim ſecluſo ordine tranſcendenti naturæ in actus ſupernaturales exiſteret natura repugnantibus actibus ſupernaturalibus. At non exiſteret virtus abſolute productiua actus ſupernaturalis. Ergo virtus abſolute productiua actus ſupernaturalis non eſt adæquate idemtificata naturæ. Maior conſtat ex ſuperiori diſputatione. Minor per ſe videtur manifeſta, quia natura non poteſt eſſe abſolute productiua actus abſolute repugnantis. Conſequentia eſt lumine naturæ nota. Nam idemtificari adęquate naturæ non poteſt virtus, ſine qua natura realiter eadem eſſe poteſt, ſiquidem ſeparatio realis ſemper facit argumentum manifeſtum diſtinctionis realis. Confirmatur. Preterea idem confirmatur, quia nullum poteſt abſolute efficere actum ſupernaturalem. Dicunt Eccleſiæ Patres, conuenire naturæ ſecundum ſe, ſeorſim ab auxilio gratiæ, ſed illud eſſe donatum à Deo, vt vidimus diſputatione ſuperiori ſect. 2. Ergo poſſe abſolute efficere actum ſupernaturalem complectitur præter entitatem naturæ auxilium ſupernaturale.

Prima obiectio. 6. Obijcies primo ex doctrina Patris Suarez, poſſe naturæ conuenire denominationes contingentes ipſi idemtificatas, & variabiles varietate contingenti terminorum, quos connotat, vt denominationes ſimilitudinis, & ęqualitatis, aliaſque relationis prædicamentalis proprias. Reſponſio. Verum ego ſemper exoſus fui huius doctrinæ, quam in methaphyſica ex profeſſo improbaui, ſtatuique, relationes prędicamentales ſimilitudinis, & alias huiuſmodi non eſſe adæquate idemtificatas fundamento, ſed partim idemtificatas, & partim diſtinctas. Cuius ratio eſt realis ſeparatio fundamenti ab ijs relationibus, ſeu denominationibus prædicamentalibus; quam propoſui ad diſtinguendum inadæquate virtutem abſolute productiuam actus ſupernaturalis ab ipſa natura rationali. Quare ab ijs qui oppoſitum ſentiunt, & relationes, ſeu denominationes contingentes naturæ agnoſcunt adæquate idemtificatas entitati ipſius, facile poſſet tueri etiam eſſe adæquate idemtificatum naturæ, non ſolum poſſe ſub conditione, verum etiam poſſe abſolute efficere actus ſupernaturales, quamuis natura rationalis poſſit ſecundum ſe permanere eadem, etiam repugnante actu ſupernaturali, atque adeo deficiente etiam virtute abſolute productiua illius.

Secunda obiectio. 7. Obijcies ſecundo, Deo eſſe idemtificatum adęquate non ſolum poſſe ſub conditione, verum etiam poſſe abſolute producere creaturam, quamuis repugnante creatura poſſit Deus manere idem. Ergo ſimiliter poterit adæquate idemtificari naturæ poſſe abſolute efficere actum ſupernaturalem, quamuis repugnante actu ſupernaturali poſſit natura manere eadem. Explicatio. In primis plures, & graues Recentiores negant, Deo eſſe adæquate idemtificatam poteſtatem abſolute productiuam creaturarum, ſufficereque ad ſummam omnipotentiæ perfectionem adæquatam idemtitatem poteſtatis conditionatæ dependentis à non repugnantia creaturarum, & poteſtatem abſolute productiuam, connexam cum poſſibilitate ipſarum continere intrinſece præter omnipotentię entitatem actionem extrinſecam poſſibilem, aut ſaltem decretum liberum diuinæ voluntatis à perfectione omnipotentię diſtinctum. Deinde conſequentia nulla eſt. Quia Deo ob ſummam, ac infinitam eius perfectionem poſſunt tribui contingentes denominationes aliquæ reales adæquate idemtificatæ cum illo, vt communiter tribuuntur denominationes reales ſcientis, ac volentis futura. In creatura autem non exiſtit hęc ſumma, & infinita perfectio. Atque ita nec illi tribui poteſt denominatio realis ab illa ſeparabilis, omnino idemtificata entitati ipſius. Sicut in creatura non poteſt admitti idemtitas naturæ, & diſtinctio realis alterius perfectionis idemtificatæ cum natura, neque volitio libere contingens naturæ adæquate idemtificata cum illa. Quamuis in Deo hæc reperiantur. Quia in Deo ob ſupremam, ac infinitam eius eminentiam plura cognoſci debent, quę in creatura ad limitatam eius perfectionem repugnant.

Vrgetur. 8. Vrgebis. Etiam in Deo non debent admitti ea, quæ repugnant lumini naturali, niſi fides cogat. At ad admittendam adæquate idemtificari Deo poteſtatem abſolute productiuam non cogit fides, ſicut ad idemtitatem naturæ, & diſtinctionem perſonalitatis admittendam. Ergo hæc idētitas adæquata poteſtatis contingentis, ac ſeparabilis non repugnat lumini naturali, Ac proinde poterit naturę ratio-

Digitized by Google

nali abſque infinitate conuenire. Reſpondeo. Vt Theologice prædicemus de Deo aliqua, quæ ratio naturalis non aſſequitur, opus non eſt, vt fides immediate teſtetur illa, euidentique luce nobis conſtet teſtimonio credibile per ipſa; ſed ſufficit, mediate colligi ex principiis fidei, & per conſequentias probabiles: at per cõſequentias probabiles, ac mediatas colligitur, poteſtatem abſolute productiuã creaturarum eſſe adæquate identificatam Deo. Nam ſecundum fidem Deus eſt prædicandus ſumme perfectus omni perfectione excogitabili à creatura. Ad ſummam autem perfectionem Dei expectat, vt poſſit ſibi identificare adæquate poteſtatem abſolute productiuam hominis poſſibilis, ſicut ſcientiam viſionis, & liberam volitionem hominis exiſtentis. Quoniam ad ſummam excellentiam Dei pertinet continere creaturas poſſibiles, non ſolum virtualiter vt cauſa, ſed etiam intentionaliter, ac obiectiue, vt ſpeculum intellectuale, in quo omnes earum perfectiones reſplẽdeant, vt obiectum immediatum, ac formale comprehendens in ſe omnem cognoſcibilitatem creaturarum, ſatianſque omnem poſſibilem appetitum rationi conſentaneum cuiuſuis beati. Hoc autem præſtare non poſſet Deus excludens connexionem naturæ cum creaturis poſſibilibus, niſi poſſet identificare ſibi adæquate denominationes reales potentis abſolute producere hominem, leonem, & reliquas creaturas, vt tractatu de ſcientia Dei oſtẽdimus. Vt enim in Deo creaturæ poſſint diſtingui, requiritur, vt in Deo viſio ſit aliquid connexum cum creaturis, aut ſecundum entitatem, aut ſecundũ denominationem; cum igitur ſecundum entitatem ſupponatur Deus omnino abſolutus à creaturis poſſibilibus, aſſeri debet ſaltem ſecundum aliquam denominationem ſeparabilem connecti, quæ ad cognitionem quidditatiuam, non poteſt eſſe alia, quam denominatio realis potentiæ abſolute creaturas producere. Igitur ad ſummam perfectionem Dei attinet poteſtas identificandi ſibi denominationem realem, ſeu poteſtatem abſolute productiuam creaturarum. Contra quam doctrinam non poſſunt iam obiici, niſi ea, quæ contra volitionem liberam adæquate identificatam Deo vrgeri ſolent, quæ tractatu de voluntate Dei expediuimus, & præſentis inſtituti expedire non eſt.

Reiicitur redargutio.

Tertia obiectio.

9. Obiicies tertio virtutem adæquatam abſolute actiuam operum ſupernaturalium non complecti plura, quam poteſtatem naturæ & auxilium ſupernaturale. Ergo virtus inadæquata naturæ abſolute actiua ſolum complectitur actiuitatem naturæ. Nam virtus adæquata plura complecti debet, quam inadæquata.

Dilutio.

Attigimus, & diluimus, hanc difficultatem diſputatione præcedenti ſectione 9. Ergo reſpondeo. Virtus adæquata abſolute actiua ſupernaturalium plura complectitur in recto, quam virtus inadæquata etiam in recto; virtus vero adæquata non complectitur plura in recto, quam inadæquata in recto, & in obliquo. Nam virtus adæquata comprehendit in recto facultatem naturæ, & auxilium ſupernaturale, inadæquata vero in recto ſolum importat facultatem naturæ, & in obliquo auxilium ſupernaturale. Neque refert auxilium ſupernaturale ſolum in obliquo importari, vt eſſentialiter conſtituat poteſtatem partialem naturæ abſolute productiuam, nam plura conſtituunt eſſentialiter aliquam denominationem realem, quæ ſolum in obliquo ſignificantur, vt natura actu agens, & cognoſcens conſtituitur eſſentialiter per actionem, & cognitionem, quæ tamen ſolum in obliquo ſignificantur, & non in recto. Nam agens, & cognoſcens non eſt actio, & cognitio, ſed natura præciſe: Ita ſimiliter natura abſolute productiua etiam partialiter conſtituitur eſſentialiter per auxilium ſupernaturale, quod tamen ſolum in obliquo, & non in recto notatur per virtutem partialem, & incompletam naturæ, quatenus abſolute, & non ſub conditione ſolum ſupernaturalium operum actiua eſt. Recole inſtantias argumento factas ſect. 9. diſputationis præcedentis.

10. Obiicies quarto. Si natura ſecundum ſe non eſt abſolute productiua actuum ſupernaturalium, etiam partialiter, conſtituiturque abſolute productiua per auxilium ſupernaturale. Ergo auxilium ſupernaturale erit tota virtus adæquata abſolute productiua actuum ſupernaturalium, & virtus adæquata abſolute productiua non erit coaleſcens ex duplici virtute abſolute productiua, quandoquidem natura ſecundum ſe, ac ſeorſim à gratia non eſt etiam partialiter productiua abſolute. Sic calor eſt tota virtus calefaciendi igni, quia ipſe ſecundum ſe ſeorſim à calore ſubiecti externi calefactiuus non eſt, & per calorem calefactiuus externi ſubiecti conſtituitur; quin virtus calefactiua ex duplici actiuitate calefaciendi coaleſcat. Reſpondeo. Sicut corpus non eſt homo, & accedente animo datur homo, tamen animus non eſt tota eſſentia hominis, ſed pars ſimul cum corpore: ita virtus naturalis ſecundum ſe non eſt abſolute actiua operum ſupernaturalium, & accedente auxilio ſupernaturali gratiæ redditur abſolute actiua, quin auxilium gratiæ ſit tota virtus abſolute actiua, ſed pars ſolum conſtituens virtutem naturalem partialiter efficientem, actiuam abſolute. Nam virtus identificata naturæ realiter eſt actiua immediata conditionata, quæ adueniente conditione ſit abſoluta, abſolutamque eſſentialiter conſtituit tanquam pars etherogenea illius. Exemplo ſit decretum efficax ſub conditione, quod accedente conditione efficaciam exercet abſolutam; quæ efficacia non eſt adæquate conditionis, ſed pars ſaltem eſt propria, & intrinſeca decreti. Quo differt ignis calefaciens à natura ſupernaturaliter agente, nam ignis neque actiuitatem immediatam abſolutam, neque cõditionatam calefaciendi externam mediatam continet, ſicut continet natura actiuitatem efficiendi actus ſupernaturales, conſtituẽtem actiuitatem abſolutam; quare neque ignis immediate calefacit, ſicut agit immediate natura, neque auxilium gratiæ ſeiunctum à natura poteſt adæquate efficere actum ſupernatu-

Quarta.

Solutio.

Digitized by Google

ralem, ſicut calor ſeiunctus à ſubſtantia ignis poteſt adæquate efficere calorem.

SECTIO SECVNDA.

An diſtinguatur ratione ratiocinata virtus efficiens actus ſupernaturales, à virtute naturali efficiente naturales.

Sententia affirmans.

11. EST identificata realiter naturæ rationali virtus actiua cognitionum, & affectuum naturalium, & virtus actiua ſupernaturalium; in noſtra ſententia virtus ſupernaturalium actiua ſub conditione; in aliorum vero actiua abſolute. Nunc inquiſitio eſt; an ratione ratiocinata, alia ab alia diſtincta ſit? Eſſe omnino diſtinctam, nullaque ratione actus ſupernaturales fieri virtute naturali, ac inſita naturę, ſed virtute obedientiali à naturali diſtincta, tuetur pugnaciter Pater Suarez pluribus in locis 1. to. in 3. p. d. 22. ſect. 1. §. *Dices fortaſſe aliquis*, & diſp. 31. ſect. 6. §. *dicunt vero aliqui*, & §. *atque hæ rationes*, & §. *atque hæc quidem*, & §. *mihi vero dicendum videtur*, & in metaph. diſp 30. ſect. 11. num. 46. lib. 3. de auxil. cap. 15. num. 20. 1. 2. q. 5. art. 2. quæſtiuncula 3. Pater Albertinus ſecundo principio philoſophico num. 14. & Pater Granadus controuerſia de gratia tract. 4. diſp. 8. num. 14. Necnon Nauarrete. 1. to. controuer. 37. §. 4. concl. 8. & Ledeſma de diuina perfectione q. 8. art. 8. §. *Secunda pars huius dicti*, & plures recentiores, qui addunt potentiam obedientialem diſtinctam à naturali, per quam natura rationalis efficit actus ſupernaturales, eſſe illam, quæ communis eſt cuiuis creaturę ad efficiendum effectus naturales, aut ſupernaturales excedentes virtutem naturalem ipſius.

P. Suarez. P. Albertinus. P. Granadus. Nauarrete. Ledeſma.

Sententia negans.

12. Sed indiſtinctam eſſe à virtute naturali facultatem, qua fiunt actus ſupernaturales probat Pater Vaſquez. 1. p. diſp. 43. c. 4. & diſp. 176. cap. 1. nu. 26. Item Pater Iamnerus, to. 1. diſp. 2. q. 6. num. 5. Pater Molina 1. p. q. 12. art. 4. & art. 6. diſp. 2. Pater Valentia to. 2. diſp. 1. q. 5. punct. 3. §. *Qua doctrina*. Puteanus 1. p. q. 12. art. 4. dubitatione 2. Quibus ſine dubio fauent Theologi antiquiores. Ricardus in 4. diſt. 49. art. 2. q. 3. & art. 3. q. 2. Paludanus in 3. diſt. 14 q. 5. art. 1. con. 3. Scotus in 4. diſt. 50. q. 4. 5. & 6. & in 3. diſt. 13. ad 4. q. Baſſolus in 3. diſt. 14. q. 1. art. 3. Enriquus quodlib. 6. q. 5. Maior in 4. diſt. 49. q. 10. ad 7. & Holcot in ſuis determinabilibus q. 8. ad 2. necnon Caietanus 3. p. q 10. art. 4. §. *In reſponſione ad ſecundum*. Item Albertus Pighius, & Stapletonius, Ruardus, Iaper, Tiletanus, Driedo, & alij, quos verbatim adduximus diſput. 30. ſect. 21. Eſt tamen inter hos autores nonnulla diſſenſio de voce. Alij enim poteſtatem naturæ indiſtinctam à poteſtate naturali vocant obedientialem. Alij vero mere naturalem, & non obedientialem eſſe contendunt.

P. Vaſquez. P. Iamnerus. P. Molina. P. Valentia. Puteanus. Ricardus. Paludanus. Scotus. Baſſolus. Enriquus. Maior. Holcot. Caietanus. Pighius. Stapletonius. Ruardus. Tiletanus. Driedo.

Aſſertio prima.

13. Ego aſſero primò. Virtus naturæ identificata ad actus ſupernaturales, indiſtincta eſt ratione ratiocinata à virtute naturali, qua efficit actus naturales. Ita ſentio cum autoribus ſecundæ ſententiæ, qui numero, & autoritate præcellunt primæ. Et probo. Virtus naturæ ad actus ſupernaturales non poteſt apprehendi abſque virtute naturæ ad actus naturales. Ergo illa virtus ab iſta indiſtincta eſt ratione ratiocinata. Nam ea, quæ ratione ratiocinata diſtinguntur, poſſunt cognitione, & apprehenſione præſcindi. Antecedens probatur. Non poteſt aliqua natura apprehendi vitaliter actiua, cognitionis, aut volitionis ſupernaturalis, quin ea prius apprehendatur rationalis, & intellectiua, ac volitiua. At natura non poteſt apprehendi rationalis, & intellectiua, ac volitiua, quin apprehendatur potens elicere aliquas cognitiones, & volitiones ſibi connaturales, & conſentaneas. Ergo non poteſt apprehendi actiua cognitionis, & volitionis ſupernaturalis abſque virtute naturali, ad volitiones, & cognitiones naturales. Conſequentia eſt clara. Minor non eget probatione; nam natura rationalis, & intellectiua, ac volitiua non apprehenditur diſtincta à natura irrationali, & non intellectiua, ac volitiua, quin apprehendatur ſuapte actiuitate, & conditione potens virtute natiua elicere aliquas cognitiones, & volitiones naturales. Maior inde conſtat, quia natura irrationalis omnino eſt incapax efficiendi vitaliter cognitiones, & volitiones ſupernaturales; quare ad videndum Deum, aut amandum per lumen gloriæ, & habitum charitatis non poteſt apprehendi eleuari potentiam, quæ non ſit intellectus, & voluntas, vt concors eſt omnium Theologorum ſententia. At natura non apprehenditur diſtincta ab irrationali natura, neque potentia aliqua concipitur eſſe intellectus, aut voluntas, quin apprehendatur ſuapte natura rationalis, & intellectiua, ac volitiua. Ergo natura non apprehenditur actiua cognitionis & volitionis ſupernaturalis, quin noſtro conceptu ſupponatur rationalis, & intellectiua, ac volitiua per intellectum & voluntatem, quæ ſunt facultates naturales efficiendi cognitiones, & volitiones naturales. Illuſtro hanc doctrinam teſtimoniis Auguſtini, ac Fulgentij, quæ adduximus diſputatione pręcedenti ſectione ſecunda, aſſerentium hominem ideo eſſe capacem actuum ſupernaturalium, credendi, & amandi Deum, non vero lapidem, aut lignum, quia homo eſt rationalis, & non lapis, aut lignum. Ergo ad capacitatem, ſeu actiuitatem actuum ſupernaturalium apprehendi neceſſario debet capacitas naturalis cognoſcendi, & amandi, per quam natura rationalis conſtituitur. Illuſtratur vlterius, quia Patres Eccleſiæ poteſtatem naturæ ad actus fidei, & charitatis vocant abſolute homini naturalem & inſitam, vt pluribus teſtimoniis oſtendimus diſp 30. ſect. 7. Ergo recte naturalis aſſeritur. Eodem modo etiam loquitur ſanctus Thomas adductus eadem diſput. ſect. 19. Ergo etiam inter ſcholaſticos talis facultas *naturalis* aſſerenda eſt. Omitto alia argumenta

Probatur. Illuſtratur.

Digitized by Google

quæ autores ſecundæ ſententiæ conficiunt, quæ mihi parum robuſta ſunt.

Obſeruatio prima. 14. Addo tamen duo. Primum, hanc facultatem naturę, ad actus ſupernaturales rectè vocari obedientialem. Quia vt facultas naturalis apprehendatur eleuari ad agendum actus ſupernaturales opus eſt adiungi auxilia ſupernaturalia ſibi indebita, & nulla ratione cum ipſarum entitate, ac virtute naturali connexa. Virtus autem obedientialis apprehenditur eſſe illa, quæ auxiliis ſibi debitis non poteſt exerceri, ſed indiget ad agendum ſubſidiis ſuperantibus exigentiam, & connexionem ipſius. Ergò talis virtus rectè dicitur obedientialis. Secundum. Alterum, virtutem naturalem rectè apprehendi poſſe abſque hac virtute obedientiali actiua operum ſupernaturalium; atque adeo virtutem naturalem ad actus naturales non diſtingui diſtinctione rationis mutua, ſed non mutua à virtute obedientiali actiua ſupernaturalium. Nam licet virtus obedientialis ad actus ſupernaturales, nequeat apprehendi abſque actiuitate inſita, & naturali cognoſcendi, & amandi; tamen virtus naturalis, & inſita cognoſcendi, & amandi per cognitionem, & amorem naturalem poteſt apprehendi abſque virtute actiua ſupernaturali. Nam cognitione mere naturali, ac philoſophica concipitur homo rationalis, & capax cognitionis, & amoris naturalis. Ea autem cognitione naturali, ac philoſophica non apprehenditur capax cognitionis, & amoris ſupernaturalis; ſed ad eiuſmodi notitiam neceſſaria eſt cognitio Theologica. Ergo virtus naturalis ad cognitionem, & amorem naturalem poteſt diuidi cognitione à virtute ad cognitionem, & amorem ſupernaturalem. Explicatur. Explicatur amplius. Ad diſtinctionem rationis ratiocinatæ alicuius perfectionis ab alia, ſufficit referri ad effectus cognitione ſeparabiles ab iis, ad quos alia refertur, vt in dialectica oſtendi, & in metaphyſica oſtendemus. At poteſt natura referri ad cognitionem, & amorem naturalem, quin referatur ad cognitionem, & amorem ſupernaturalem, imo etiam cenſeatur impoſſibilis talis cognitio, & amor ſupernaturalis, vt modo à plerisque cenſetur, & ab omnibus cenſeretur caſu, quo illi repugnarent, & natura ſuperſtes eſſet, quod diſputatione præterita ſtatuimus euenire potuiſſe iuxta prædicata eſſentialia naturæ. Ergo virtus naturæ ad cognitionem, & amorem naturalem poteſt ratione ratiocinata diſtingui ab eiuſdem virtute ad cognitionem, & amorem ſupernaturalem. Hinc poteſtas naturalis, & obedientialis diſtinguntur diſtinctione rationis inadæquata. Siquidem conceptus virtutis naturalis non complectitur conceptum virtutis obedientialis; conceptus vero virtutis obedientialis complectitur conceptum virtutis naturalis. Abſtraho nunc à diſtinctione rationis ratiocinatæ præſcindente ex parte obiecti, & præſcindente ſolum ex parte modi, quia mea opinione, quam docui in dialectica, doceboque in metaphyſica, ſufficit præciſio ex parte modi referens entitatem realem ad connotata, & effectus cognitione ſeparabiles, vt detur diſtinctio rationis ratiocinatæ. Quamquam ſi rectè noſtra doctrina calleatur, diſtinctio præciſiua ex parte obiecti etiam inadæquata, & non mutua inter has facultates neganda eſt. A quo modo ſuperſedeo, quia Theologi non eſt, conſiderationibus mere dialecticis detineri.

15. Aſſero ſecundo. Virtus obedientialis naturæ ad agendum vitaliter actus ſupernaturales, diſtinguitur ratione ratiocinata a virtute obedientiali communi omnibus creaturis ad agendum tranſeunter gratiam & alios effectus naturales, aut ſupernaturales, qui in virtute naturali creaturę contenti non ſint. Etiam hæc aſſertio eſt contra autores primæ ſententiæ. Et probatur primo. Nam virtus ad agendum tranſeunter apprehenditur ineſſe creaturę, quin apprehendatur ineſſe virtus ad agendum immanenter, in lapide enim prior virtus aſſeritur abſque poſteriori, nam licet lapis poſſit efficere gratiam, aut etiam actum fidei, & charitatis, tamen non poteſt credere, aut amare per illum. Item poteſt apprehendi ineſſe poteſtas ad agendum immanenter actum fidei, & charitatis, quin apprehendatur ineſſe facultas ad agendum tranſeunter gratiam, aut eumdem fidei & charitatis actum. Argumenta enim Theologica, quæ teſtantur competere naturæ rationali priorem facultatem, non teſtantur conuenire poſteriorem, vt manifeſtum erit perpendenti omnia, quæ contendimus diſp. 30. Etenim ea, quæ ex teſtimoniis ſacris, & Conciliis, ac Patribus Eccleſiæ, rationibuſque Theologicis deſumptis ex peculiari natura, & conditione actuum ſupernaturalium vitalium, confecimus, nulla ratione militant ad euincendam poteſtatem obedientialem naturæ rationalis ad efficiendum gratiam iuſtificantem, & alios ſimiles effectus, qui proceſſionem tranſeuntem vendicant, & efficientiæ naturæ annexi non ſunt; quare plures Theologi concedentes actiuitatem obedientialem ad actus vitales ſupernaturales, negãt facultatem obedientialem ad gratiam iuſtificantem, & ſimiles effectus tranſeuntes. Ergò notione talis poteſtatis immanentis deducta ex ſuperioribus argumentis poteſt abſtrahi facultas obedientialis immanens à facultate obedientiali tranſeunti. Quidquid ſit, an ex illa poſſit vlterius argumentum fieri ad ſuadendam obedientiam agendi tranſeunter. Plura enim prædicata ratione ab aliis diſtincta poſſunt argumento eſſe ad alia ſuadenda, vt natura ad colligendas proprietates. Secundo à priori. Nam virtus obedientialis naturæ rationalis ad agendum tranſeunter, communis reliquis creaturis, ſequitur in natura rationali ſolam formalitatem creaturæ, præterea refertur ad omnes effectus ſuperantes eius naturam, tam naturales, quam ſupernaturales, tam vitales, quam non vitales; denique completur ſolum extrinſece per omnipotentiam & volũtatem diuinam. Virtus autem obedientialis vitaliter operatiua actuum ſupernaturaliũ, non ſequitur in natura rationali ſolam formalitatem creaturæ, ſed differentiam determinatam naturæ intellectiuæ, quæ ſola, & non alia creatura poteſt vitaliter actus ſupernaturales

Aſſertio ſecunda.

Probatur primo.

Secundo.

efficere; inſuper ea virtus refertur ſolum ad actus ſupernaturales vitales, & non alios; completurque per auxilia ſupernaturalia diuerſæ omnino rationis ab auxilio extrinſeco neceſſario ad effectus tranſeuntes. At hæc connotata adeo diuerſa, & cognitione ſeparabilia ſufficiunt ad diſtinctionem rationis ratiocinatæ, vt nuper dicebamus. Ergo virtus obedientialis naturæ ad agendum immediate actus ſupernaturales vitales diſtincta eſt à virtute obedientiali naturæ ad agendum tranſeunter gratiam iuſtificantem, & alios ſimiles effectus. Certum quidem eſt, poſſe à virtute obedientiali agendi immanenter, & virtute obedientiali agendi tranſeunter abſtrahi rationem genericam, & communem virtutis obedientialis, quæ imbibita ſit in differentia ſpeciali vtriuſque virtutis. Tamen etiam concedi debet eam communem rationem virtutis obedientialis contrahi per differentias peculiares, & diſtinctas ratione ratiocinata ad virtutem obedientialem agentem immanenter, & virtutem obedientialem agentem tranſeunter. Quod ſolum hac aſſertione contendimus.

SECTIO TERTIA.

Opponuntur & ſoluuntur argumenta contra præcedentem doctrinam.

Primũ argumẽtum.

16. PRimum obijcitur. Ad diſtinctionem rationis ratiocinatæ duarum facultatũ ſufficit referri ad connotata adæquate diuerſa. Virtus naturæ agens opera naturalia, & virtus agens ſupernaturalia referuntur ad connotata adæquate diuerſa. Nam actus naturales, ac actus ſupernaturales adæquate differẽtes ſunt. Ergo virtus naturæ ad actus ſupernaturales ratione ratiocinata diſtinguitur à virtute naturæ ad actus naturales.

Deijcitur.

Reſpondeo, connotata omnino diuerſa ſufficiunt ad diſtinctionem rationis ratiocinatæ inter prædicata eiuſdem rei, quando conceptu formali vnius prędicati non apprehenduntur neceſſario cõnotata alterius; ſecus vero, quando, ea neceſſario apprehendũtur; ideoque dixi ſuperioribus connotata debere eſſe non ſolum diuerſa, ſed etiam cognitione ſeparabilia; quod in dialectica monſtraui. At conceptu formali virtutis obedientialis agentis vitaliter actus ſupernaturales, apprehẽduntur neceſſario actus naturales, quos connotat virtus naturalis; nam ea virtus obedientialis vitaliter agens ſolum apprehenditur in eſſe potentiæ naturaliter intellectiuæ, aut volitiuæ: quamuis è contra conceptu formali virtutis naturalis non apprehendantur neceſſario actus ſupernaturales, in quos refertur virtus obedientialis. Atque adeo virtus naturalis, & obedientialis non diſtinguntur ratione ratiocinata adęquata dumtaxat.

Secundum

17. Obijcitur ſecundo. Si natura ageret actus ſupernaturales virtute naturali, iam vires naturales poſſent in actus ſupernaturales. Quod cõtineret Semipelagianiſmum. Ergo non eos agit virtute naturali.

Diluitur.

Reſpondeo. Semipelagianiſmi ſolum eſt, agere actus ſupernaturales quoad aliquod deſiderium, aut initium ipſorum virtute naturæ ſola, non adiuta auxilio intrinſece ſupernaturali gratiæ, vt exponebamus diſp. 15. & 30. Nos autem non docemus, actus ſupernaturales fieri quoad aliquod ipſorum deſiderium, aut initium ſalutare ipſorum, ſola virtute naturæ, ſed adiuncto neceſſario auxilio gratiæ. Atque ita longe abeſt à ſemipelagianiſmo noſtra doctrina. Explicatur, virtus naturalis eſt duplex. Alia eſt virtus naturalis mere naturalis, quę refertur ad ſolos actus naturales, & auxilia debita naturæ, & ratione ratiocinata diſtinguitur à virtute obedientiali, vt dicebamus ſectione præcedenti. Alia eſt virtus obedientialis naturalis, quę refertur ad actus naturales, & ſupernaturales ſimul, & ad auxilia debita, & indebita naturæ, & ratione ratiocinata non diſtinguitur à virtute mere naturali, ſed illam eſſentialiter complectitur. Cum dicimus, fieri actus ſupernaturales virtute naturali, non eſt ea virtus, mere naturalis, quam ab obediẽtiali diſtinguimus, ſed virtus naturalis obedientialis, cui pręter virtutem naturalem agentem actus naturales adiungimus auxilia ſupernaturalia gratiæ, quibus eleuata, & roborata efficiat vlterius actus ſupernaturales ſuperantes priorem virtutem mere naturalem, agentemque auxiliis ſibi debitis, ac in ordine naturæ conſtituti. Semipelagiani initium actuum ſalutarium in ſolã priorem virtutem mere naturalem referebant. Nos vero in virtutem naturalem poſteriorem, quæ ſimul obedientialis eſt, & auxiliis gratiæ indebitis naturæ indiget ad perfectionem, & initium cuiuſcumque ſalutaris actionis.

18. Tertiò. Virtus naturæ efficit actus ſupernaturales, vt eleuata. Ergo non efficit vt eſt naturalis, ſed ſolum, vt eſt obedientialis. Nam virtutis naturalis non eſt agere, vt eleuata, ſed id ſolius eſt obedientialis facultatis. Confirmatur; Virtus naturalis, quã naturalis eſt, refertur ordine tranſcendenti in ſuos actus. Virtus naturæ agens ſupernaturales actus non refertur ordine tranſcendenti in illos. Ergo virtus naturæ non agit actus ſupernaturales, qua naturalis eſt. Confirmatur iterum; Actus ſupernaturales non ſunt connaturales ipſi naturæ. Ergo neque virtus ad illos connaturalis eſt. Nam, cui eſt connaturalis virtus, connaturales etiam ſunt actus virtutis. Hæc vocibus plena ſunt, & vacua rebus. Ex dictis facile elucidantur. Solum probãt, facultatem naturæ ad actus ſupernaturales, non eſſe mere naturalem, ſed naturalem obedientialem. Itaque facultas naturæ, vt mere naturalis eſt non agit eleuata; vt naturalis obediens eſt, agit eleuata. Similiter, vt mere naturalis eſt refertur ordine tranſcendenti in ſuos actus; Secus vero, vt eſt naturalis obediens auxilio gratiæ. Item virtus realiter identificata naturæ ad actus ſupernaturales eſt connaturalis naturæ (quid enim magis connaturale rei, quam ipſa rẽs?) connaturalitate facultatis obedientis, non connaturalitate facultatis exigentis auxilia ſibi debita ad operandum. Vnde non ſunt connaturales naturæ,

Tertium.

Prima confirmatio.

Secunda.

Elucidantur.

Digitized by Google

turæ actus ſupernaturalis, quia virtus ad illos non eſt mere naturalis naturæ, ſed naturalis obedientialis. Neque offendaris his vocibus; ſiquidem iam oſtenſum eſt, facultatem obedientialem non poſſe à naturali præſcindi, quanquam naturalis ab obedientiali præſcindi queat. Atque adeo recte coniungitur facultas *naturalis obedientialis*; quia obedientia eſſentialiter complectitur naturam, cuius eſt obedire imperio Dei, & obedientiam ad actus ſupernaturales intelligendi, & amandi facultatem naturæ rationalis propriam.

Quartum. 19. Quartò. Si facultas agendi actus ſupernaturales eſſet naturalis, & inſita naturæ deberentur illi auxilia neceſſaria ad illos; nam ea ratione debentur auxilia neceſſaria ad actus naturales, quia facultas ad illas naturalis, & inſita eſt naturæ. Etenim eſſe facultatem incompletam, & partialem, non obeſt, vt non debeatur illi integritas, & complementum. At auxilia neceſſaria ad actus ſupernaturales non ſunt debita naturę. Ergo facultas agendi illos non Confirmatur. eſt inſita, & naturalis. Confirmatur; Potentia paſſiua donorum ſupernaturalium, non eſt naturalis, ſed obedientialis; quare diſputatione octaua ſtatuimus dona ſupernaturalia eſſe ſupra potentiam paſſiuam naturalem, quia alias eſſent debita naturæ, ſaltem auxilia, quibus fierent ea dona. Ergo facultas actiua ſimiliter non eſt aſſerenda naturalis; ſed mere obedien- Occurritur. tialis. Etiam hæc lucem claram habent ex ſuperioribus. Ergo facultas agendi actus ſupernaturales non exigit ſibi debita auxilia neceſſaria ad illos, quia non eſt mere naturalis, quæ ordine tranſcendenti cum ſuis actibus connectitur, ſed naturalis obedientialis, quæ ab eo ordine abſoluta eſt. Vnde facultati agēdi actus naturales debentur auxilia neceſſaria ad illos, quia eſt mere naturalis, & connexa ordine trāſcendenti cum illis, non quia ſit naturalis obedientialis. Similiter ad confirmationem reſpondeo. Potentia paſſiua donorum ſupernaturalium reiecta eſt à nobis naturalis, quæ non ſit obedientialis, & abſoluta à connexione entitatiua, & ordine tranſcendenti, ad ea dona, non vero obedientialis naturalis. Ideóque obſeruauimus diſputatione octaua multum de voce inter auctores affirmantes, & negantes naturalem potentiam paſſiuam donorum ſupernaturalium intereſſe.

Poſtremū. 20. Denique obijcitur. Si exiſteret lumen gloriæ intenſionis infinitę poſſet natura elicere viſionem ſupernaturalem Dei intenſione infinitam. Si autem natura conaretur in viſionem ſupernaturalem virtute naturali, non poſſet elicere viſionem infinitam, quia virtus naturalis non poteſt connatum conferre infinitum in cognitionem naturalem. Ergo non connatur natura virtute naturali in viſionem ſuper- Satisfit. naturalem. Similiter reſpondeo. Solum probat argumentum, virtutem naturalem ab obedientiali diſtingui, non vero obedientialem à naturali; atque ita non influere in viſionem ſupernaturalem Dei virtutem mere naturalem, non vero virtutem naturalem obedientialem. Itaque clauſula noſtræ doctrinæ ſit. Virtus naturæ identificata ad agendum actus ſupernaturales ab aliis aſſeritur mere naturalis, & non obedientialis, ab aliis mere obedientialis, & non naturalis, quia diſtinctionem adæquatam inueniunt inter vtramque virtutem. A nobis tamen, neque mere naturalis, neque mere obedientialis adſtruitur, ſed naturalis obedientialis, quia licet detur virtus ad actus naturales, quæ poſſit præſcindi à virtute ad actus ſupernaturales, nulla tamen datur virtus ad actus ſupernaturales; quę à virtute ad actus naturales præſcindatur, quamuis ſupra illam addat facultatem ad vlteriores, & ſuperiores actus, quæ auxiliis ſuperioribus ſibi indebitis ad operandum indigeat.

SECTIO QVARTA.

Explicatio ſuperioris doctrinæ; & corollaria illius.

21. SVperioribus lucem dabis, ſi animum aduerteris ad ea, quæ colliguntur ex Collectio prima. illis. Colligitur primo ratio, quare poteſtas obedientialis ad agendum vitaliter actus ſupernaturales admittenda ſit in natura rationali, potiuſquam in irrationali, cum vtraque abſoluta ſit ab ordine tranſcendenti ad illos, vereque extitura foret eadem repugnantibus illis. Item quare actus ſupernaturales exigant potius proceſſionem immanentem à natura rationali, quam ab irrationali. Nempe quia poteſtas obedientialis actiua ad actus ſupernaturales conſtituitur eſſentialiter poteſtate naturali ad agendum vitaliter actus naturales, eamque eſſentialiter ſupponit. Hæc autem poteſtas ſoli ineſt naturæ rationali, non irrationali. Vnde duobus conceptibus opus eſt ad apprehendendum naturam aliquam poſſe efficere abſolute, actum ſupernaturalem. Alio, quo natura proponatur ſecundum ſe intellectiua, aut volitiua cognitione, & amore naturali. Alio, quo actus ſupernaturalis ſecundum ſua prædicata eſſentialia proponatur excludens implicantiam, & exigens proceſſionem ab illa. Igitur hi duo conceptus ſolum comparatione naturæ rationalis haberi poſſunt, non comparatione naturæ irrationalis. Atque ita ſola natura rationalis poteſt proponi obedientiali poteſtate actiua cognitionis, aut volitionis ſupernaturalis, quamuis cum eis actibus non ſit magis connexa, quam natura irrationalis.

22. Colligēs ſecundo. Rationem, quare viſus corporeus non poteſt eleuari ad videndum Secunda collectio. Deum, neque intellectus ad amādum. Nempe, quia viſus non continet poteſtatem naturalem, quæ requiritur ad obedientiam videndi Deum, neq; intellectus naturalē facultatē, quæ neceſſaria eſt ad amandū. Nam viſus nō poteſt naturaliter cognoſcere, cognitione intellectuali, ac ſpirituali, neque intellectus amare magis, quā lapis, aut planta. Igitur, ſicut lapidi, & plan-

Digitized by Google

tæ negatur obedientialis capacitas videndi, & amandi Deum, quia negauit illi natura facultatem intelligendi, & amandi aliqua cognitione, & amore naturali; pari ratione eadem capacitas neganda eſt intellectui, ad amandum, & viſui corporeo ad intelligendũ.

V getur. 23. Verum vrgebis. Capacitas naturalis, quæ in intellectu præſupponitur ad videndum Deum, non continet abſolute viſionem ſupernaturalem Dei, ſed cognitionem naturalem Dei, ſed cognitionem naturalem illi valde diſſimilem, & ſolum generice ſimilem. At etiam viſus corporeus continet poteſtatem naturalem efficiendi cognitionem illi generice ſimilem; nam in ratione actus vitalis, & cognitionis intuitiuæ præſcindentis à corporea, & incorporea ſimilis ſunt viſio ſenſitiua, & intellectualis. Ergo viſus corporeus continet poteſtatem naturalem eleuabilem ad videndum Deum. Similiter poteſt vrgeri poteſtas intellectus ad amandum? Reſpondeo. Poteſtas naturalis, quæ eleuari poteſt à Deo ad actum aliquem ſupernaturalem, debet ſupponi naturaliter potens efficere circa obiectum materiale, & formale actus ſupernaturalis, aliquam naturalem cognitionem, aut volitionem; vt ſic non extrahatur potentia naturalis, præter obiectum proprium ipſius. Intellectus autem poteſt circa Deum ſub ratione veri aliquam cognitionem naturalem immediatam, aut mediatam efficere. At vero viſus nulla cognitione naturali poteſt attingere Deum, neque intellectus ſub ratione boni aliquo actu in ipſum ferri. Ideo poteſt intellectus eleuari ad cognitionem ſupernaturalem Dei, non vero ad amorem, neque viſus ad viſionem ſupernaturalem eiuſdem. Plura, quæ huic doctrinæ obeſſe poſſunt, tractatu de viſione Dei explicanda ſunt. Nunc in genere ſufficiat iuxta communem Theologorum doctrinam expoſuiſſe facultatem naturalem, quam intrinſece cõprehendit facultas obedientialis.

Tertia. 24. Colliges tertio. Rationem, ob quam repugnantibus actibus ſupernaturalibus poſſit admitti aliqua ratio veræ potentiæ, quantum eſt ex ſe actiua ſupernaturalium actuum. Scilicet, quia maneret poteſtas abſolute actiua naturalium, quæ intrinſece conſtituit poteſtatem obedientialem, & quantum eſt ex ſe ſufficiens eſt ad ſupernaturales actus efficiendos, dum non repugnant actus intrinſece ſupernaturales, & auxilia neceſſaria ad illos, eodemque ordine quo cum actibus naturalibus connectitur, poteſt quantum eſt ex ſe ſupernaturales efficere, vbi ex parte ipſorum actuum, & auxiliorum Dei repugnantia defuerit.

Quarta. 25. Colliges quarto non eſſe neceſſarium conſequentiam poteſtatis obedientialis naturæ rationalis agentis ſupernaturales actus ad poteſtatem obedientialem actiuam eiuſdem naturæ, & alterius rei ad efficiendum gratiam iuſtificantem, & reliqua dona ſupernaturalia ſine diſcrimine. Quia ad actus ſupernaturales datur, tum poteſtas naturalis conſtituens potentiam obedientialem, tum exigentia intrinſeca ipſorum actuum ad procedendum à natura rationali. Ad gratiam iuſtificantem vero, & reliquos effectus ſine diſcrimine non datur ſimilis poteſtas naturalis, neque exigentia intrinſeca ipſorum effectuum ad procedendum à natura rationali, de quo redibat ſermo, cum agamus de potentia obedientiali naturæ ad formas ſupernaturales non vitales.

26. Colliges quinto poſſe ſimiliter dari in natura poteſtatem, quantum eſt ex ſe actiuam aliorum actuum naturalium differentium ab iis; qui modo abſolute poſſibiles ſunt, ita vt ex defectu poteſtatis actiuæ naturę rationalis illi non repugnent, ſed ex implicantia intrinſeca ipſorum actuum. Demus v. g. implicare affectum turpem, qui ſimul cum obiecto formali delectabili reſpiciat obiectum formale honeſtum, de cuius poſſibilitate eſt diſſidium probabile Theologorum. Si per impoſſibile talis effectus, qui modo repugnans eſt, fuiſſet non repugnans, poſſet natura ſua actiuitate naturali ipſum efficere. Nam ſicut exiſtit in natura rationali actiuitas ad actus ſupernaturales, quæ cum illis poſſibilibus connexa non eſt, & illis impoſſibilibus eadem permaneret, ita non inuenio repugnare actiuitatem naturæ rationalis, quę ſimiliter cum actibus naturalibus connexa non ſit, & illis impoſſibilibus maneat, quantum eſt ex ſe ipſorum actiua ſub conditione, quod intrinſece non repugnent. Quinta.

27. Verum huic collectioni obijci poſſunt duo. Primum eſt, eum actum non poſſe eſſe naturalem, ſed neceſſario eſſe ſupernaturalẽ. Tum quia is actus fieret per poteſtatem obedientialem, per quam fiunt actus ſupernaturales, cum quibus modo natura cõnexa non eſt. Tum quia is actus ſuperaret connexionem tranſcendentem naturę, quod ſufficere ad ſupernaturalitatẽ ſæpius ſtatuimus. Secũdum, nullam fore rationem, quare etiam modo non aſſeramus naturã rationalem deſtitutam eſſe ordine tranſcendẽti ad actus naturales modo poſſibiles. Siquidem ratio propterquam modo, naturam nectimus ordine tranſcendenti cum illis, potiuſquam cũ actibus ſupernaturalibus, ſolũ eſſe poteſt, quia naturales ſunt. Ergo implicat actus naturalis, cum quo natura non ſit ordine tranſcendenti connexa. Obijciuntur duo.

28. Hęc duo negantur. Primum; quia is actus non ſuperaret poteſtatem naturę, neque cognitionẽ quidditatiuã ipſius; quę duo, vt docuimus aliena ſunt ab ente ſupernaturali. Itaq; duobus diſcriminaretur is actus ab intrinſece ſupernaturali. Primò, quia actus ſupernaturalis non repugnans non poteſt fieri à natura rationali, niſi ei adiungatur auxilium ſupernaturale augens actiuitatem ipſius. Is actus vero fieret eadem cognitione, & actiuitate naturali, quæ modo ineſt naturę rationali, quin aliud auxiliũ ſpeciale naturæ indebitũ præter concurſum generalẽ Dei eſſet neceſſarium. Nam ſi aliud ſpeciale auxilium neceſſarium ponatur. Fateor, non naturalem, ſed ſupernaturalem fore eiuſmodi actum. Sed tale auxilium pone, neceſſarium non eſt ad omnem actum, cum quo actiuitas naturæ non eſt connexa. Nam recte cohæret, naturæ actiuitatem ex ſe ad actum ſuffice- Ad primũ.

re, ſi non repugnauerit, & cum eo poſſibili abſolute non connecti. Vnde ſi poſſibilis ſit, non fiet per facultatem obedientialem, quia ad obedientialem facultatem requiritur, vt ſuperaccreſcat illi actiuitas auxilij ſpecialis, & ſub conditione illius actum virtute contineat. Nota, deſiderari, à nobis auxilium ſpeciale, non auxilium indebitum; quia eo caſu forſan concurſus generalis non eſſet ad eum actum naturæ debitus ex defectu connexionis cum illo. Tamen, quia concurſus generalis ſemel præſtitus abſque alio ſpeciali auxilio, quod ad actum ſupernaturalem ſemper neceſſarium eſt cum ſola actiuitate naturæ ſufficeret, ideo is actus ſub ordine actuum naturalium continetur. Secundò, quia is actus poſſet quidditatiua notione naturæ diſtingui; actus ſupernaturalis vero eiuſmodi notionem excellit, vt diſputat. 3. 4. 5. 10. & 11. oſtendimus. Vnde licet ſuperaret ordinem tranſcendentem phyſicum naturæ non ſuperaret intentionalem, ſicut ad ſupernaturalitatem requiritur, vt ibidem expoſuimus. Negatur ſecundum, quia vt aliquis actus vitalis naturalis, aut ſupernaturalis exigat proceſſionem à natura, debet illa ſecundum eſſentiam ſupponi abſolute, & non conditionate intellectiua, & rationalis, vt ſæpius præmiſimus. Abſolute autem intellectiua, & rationalis ſecundum eſſentiam naturæ ſupponi non poteſt niſi per actiuitatem connexam cum actibus rationis; nam vt ſectione 1. ſtabiliuimus, actiuitas non connexa cum actu non eſt ſecundū eſſentiam abſolute productiua illius, ſed tantum ſub conditione. Ergo ſupponi natura debet ordine tranſcendenti connexa cum aliquibus actibus naturalibus. At nulla eſt ratio conſtituendi naturam connexam cum aliquibus, & non cum omnibus, qui modo abſolute ſunt poſſibiles. Ergo adſtruenda eſt cum omnibus modo poſſibilibus abſolute connexa. Confirmatur; Natura rationalis aſſeritur ab omnibus ex ſe ordinata ad actus rationis, ſicut ſol ad illuminationis actus; atque ita ſicut ſoli debetur concurſus ad illuminandum, ita naturæ rationali debentur facultates vitales, & alia principia neceſſaria ad rationis actus. At ſi ex ſe non eſſet ordine tranſcendenti relata ad illos, non eſſet ex ſe ordinata ad rationis actus, neque illi eſſent debitæ facultates vitales, & alia principia neceſſaria ad illos agendos, vt vt etiam diximus de actu ſupernaturali, & naturali; cum quo natura connexa non eſt. Ergo ſaltem ad actus modo poſſibiles ordine tranſcendenti referri debet. Cùm eo autem recte componitur ſibi ex ſe actiuitatem ſupereſſe ad alios, qui repugnant, ſub conditione, quod non repugnarent, ita vt ex defectu poteſtatis actiuæ modo repugnantes non ſiunt. Ergo recte poteſt actiuitas naturæ admitti conditionata comparatione alicuius actus naturalis.

Ad ſecundum.

DISPVTATIO TRIGESIMAQVARTA.

AN POSSIT NATVRA RATIONALIS EFFICERE actus ſupernaturales abſque auxilio intrinſeco ſupernaturali.

PLVRES eorum, qui naturæ tribuunt actiuitatem immediatam in actus ſupernaturales, negant, poſſe naturam ſine auxilio intrinſeco ſupernaturali, actum aliquem ſupernaturalem efficere. Ideo diſcutiendum; An actiuitas immediata naturæ egeat diuinitus auxilio ſupernaturali intrinſeco ad conferendum concurſum in actus ſupernaturales? Quæ diſputatio Theologis huius ætatis grauis, & ſolemnis eſt.

SECTIONES.

1. *Explicatur controuerſia.*
2. *Thomiſtæ ſuam ſententiam non probant.*
3. *Præcedens Thomiſtarum ſententia improbanda eſt.*
4. *Sanctus Thomas aduerſatur Thomiſtis.*
5. *Sententia P. Arrubal expenditur.*
6. *Examinatur ſententia Ægidij de præſentatione.*
7. *Vulgare reliquorum placitum deſeritur, noſtrumque concluditur.*

SECTIO PRIMA.

Explicatur controuerſia.

Notatio prima.

1. NOto primo, iam eſſe abſque controuerſia certum, infundi iuſto habitus intrinſece ſupernaturales, qui naturam iuuent ad efficiendum actus ſupernaturales; atque adeo à iuſto ex natura rei non fieri actus ſupernaturales ſine auxilio intrinſeco. Nam, vt oſtendimus lib. 4. Habitus infuſi eo donantur à Deo, vt partialem naturæ actiuitatem compleant, cumque ipſaque actus ſupernaturales efficiant. De quo attaginum diſput. 30. ſectione vltima. Quinimo exiſtentiam, & infuſionem habituum entitate ſupernaturalium eſſe de fide certam; nec pauci; nec in nobiles Theologi profitentur. Deo quo nobis erit diſputatio lib. 4. Interim conſule Patrem Suárez lib. 6. de gratia cap. 3. Patrem Aegidium Coninck. 2.2. diſp. 6. dub. 1. & 2.

P. Suarez. P. Coninck.

Notatio ſecunda.

2. Noto ſecundo etiam eſſe abſque controuerſia conſtans; poſſe naturam efficere actus ſupernaturales abſque his habitibus infuſis. Ex noſtris notat Pater Arrubal 1. p. d. 20. num. 3. Ex Thomiſtis Nazarius 1. p. qu. 12. art. 5. controuer. 2. con. 1. ex alijs Lorca 1. 2. diſputat. 30. dicto 2. Nam Moyſes, & Paulus plurium opinione viderunt in via diuinam eſſentiam; communi Theologorum conſenſu peccator elicit plures actus ſupernaturales virtutum moralium, quibus remote ad iuſtificationem diſponitur; infidelis vocatur ad fidem, & peccator ad iuſtitiam illuſtrationibus intellectus, & inſpirationibus voluntatis quidditatiue ſupernaturalibus. At neque Paulo, & Moyſi ad videndum in via Deum, neque peccatore ad actus virtutum moralium, neque infideli ad illuſtrationem, & inſpirationes naturales diſponuntur habitus permanentes infuſi; vt exploratum eſt. Ergo habitus permanens infuſus extra controuerſiam ponendus eſt non eſſe neceſſarius poteſtate abſoluta Dei ad actus intrinſecè ſupernaturales. Vnde videris quàm feruidè cenſuerit Aegidius de præſentat. lib. 9. de Beat. qu. 6. num. 2. Lorcam ſup. aſſerentem, omnes in eo connenire, vt poteſtate abſoluta Dei non ſit neceſſarium lumen gloriæ habituale, his verbis carpeus. *Sed profecto oſcitando, aut dormitando hoc ſcripſit; cum inter ſcribentes adeo celebris ſit hac de re controuerſia, vt quidem partem aſſerentem affirmant, quidam autem negantem:* Pungens ingenium Aegidij in hanc tulit parum oculatam cenſuram. Autores enim non contendunt, an habitus permanens ſit neceſſarius diuinitus ad actus ſupernaturales, ſed an auxilium intrinſecum ſupernaturale neceſſarium eſt, quod ab habitu præſcindit, vt mox notabimus. Itaque controuerſia non in neceſſitatem habitus, ſed alicuius principij intrinſeci, ſiue habitus ſit, ſiue qualitas tranſiens, aut aliqua motio, ſeu actus reuocatur? Tota enim difficultas ſtatuta eſt in eo, quod natura ex ſe intrinſece improportionata ad efficiendum actum ſupernaturalem fiat immediate potens per auxilium mere extrinſecum. Quare vbi intrinſecum aſſeratur; ſiue ſit habitus, ſiue aliaqualitas, tota eleuatur difficultas. Sapienter igitur poſuit Lorca cum aliis, non eſſe determinate de neceſſitate qualitatis habitualis contentionem, & inique Aegidius illi exprobrat oſcitantiam. Hanc vendicationem debebamus veritati, ſi non Lorcæ.

P. Arrubal. Nazarius. Lorca.

Aegidius.

Tertia notatio.

3. Noto propterea tertio; totam controuerſiam eò dirigi, vt explicemus, an ſolo auxilio extrinſeco Dei, ſine vllo principio ſupernaturali intrinſeco, ſiue habituali, ſiue actuali, ſiue permanenti; ſiue tranſeunti poſſit natura efficere actus ſupernaturales? Itaque auxilium intrinſecum diuinitus neceſſarium ad actus ſupernaturales aliud eſt habituale, quod eſt qualitas permanens ex ſe effectiua ſupernaturalium actuum; aliud actuale quod eſt qualitas tranſiens eiuſdem actiuitatis, ſed non durationis ſolum quippe durans quandiu animus operatur. Rurſus auxiliũ ſupernaturale actuale ab aliis aſſeritur qualitas mortua, & extrinſecus infuſa à Deo adæquate ipſam efficiente ante omnem actum intellectus, & voluntatis; ab aliis qualitas vitalis ab indeliberatis intellectus, & voluntatis actibus indiſtincta. Inſuper tale auxilium ab aliis motio diuina ab aliis impulſus, aliiſque ſimilibus appellatur. Igitur auxilium intrinſecum, quod inquirimus ab omnibus præſcindit, & auxilium extrinſecum non vnum, aut alterum, ſed omnia intrinſeca auxilia, quæcumque illa ſint, prorſus reijcit.

Quarta.

4. Noto quarto non vocare in noſtram diſputationem; an ſiue auxilio ſupernaturali intrinſeco ſola poteſtate extrinſeca Dei poſſint fieri in natura actus ſupernaturales nullam cõferente actionem actiuitate naturæ. Quod altetius operis eſt, & commune actibus naturalibus, noſque diſcuſſimus lib. de anima affirmantes non repugnare actus intellectus; & voluntatis, qui à ſolo Deo infundantur naturæ mere paſſiuè ſe habenti in eorum productionem. Sed inquiritur. An natura immediate agere queat, ſupernaturalem actum, niuens actu, ſeſeque libere exercens per illum, quin iuuetur actione alicuius principij ſupernaturalis inhærentis naturæ. Aliud enim eſt, actum ſupernaturalem fieri ſine auxilio intrinſeco ſupernaturali. Aliud eum fieri à natura ſine tali auxilio. Nam auxilium quod ad exiſtentiam actus ſimpliciter neceſſarium non eſt, poteſt eſſe neceſſarium ad efficientiam naturæ, ſeu ad proceſſionem actus à natura. Atque ita plures, qui affirmant poſſe fieri actum ſupernaturalem à ſolo Deo ſiue vllo auxilio intrinſeco ſupernaturali, negant poſſe etiam ita fieri, ſeu procedere à natura; quia Deus poteſt facere actum ſupernaturalem ſolus ſiue auxilio ſupernaturali, verum facere non poteſt vt natura actum ſupernaturalem efficiat ſiue auxilio ſupernaturali, quod eſt tota virtus, & poteſtas naturæ.

Digitized by Google

Explicatur diſputatio.

5. Relinquitur igitur diſputatio. An natura rationalis, quæ ex ſe ſuis viribus inſufficiens eſt ad efficiendos actus ſupernaturales, & de facto regulariter illos efficit per auxilium ſupernaturale intrinſecum, interdum habituale, & interdum actuale poſſit diuinitus reddi potens eos actus efficere, quin adſit inhærens naturę vllum principium ſupernaturale eorum, quæ Theologi naturæ inhærentia norunt; ſed eos efficiat natura, ſupplente actiuitate principij ſupernaturalis intrinſeci, aut decreto voluntatis diuinæ; aut diuina omnipotentia, aut vtroque ſimul, iuxta ea, quæ decernemus infrà ſect. 8.

SECTIO SECVNDA.

Thomiſtæ ſuam ſententiam non probant.

Sententia omnino negans.

6. CONſtanter tuentur Thomiſtæ huius ætatis, implicare actum aliquem ſupernaturalem fieri à natura rationali ſine vllo auxilio intrinſeco per ſolam eleuationem extrinſecam voluntatis, aut omnipotentię diuinæ. Ita Bannes 1. p. qu. 12. art. 5. dub. 3. §. *Nobis igitur placet* & 2. 2. qu. 23. art. 2. dub. 2. Ledeſma de diuina perfectione quæſt. 8. ſubart. art. 8. con. 2. pag. 593. con. 1. Nauarrete 1. tom. controu. 39. §. 1. concl. 1. §. 2. con. 3. Aluarez de Aux. diſputat. 67 Albelda 1. p. diſputat. 27. ſectione 3. Nazarius 1. p. quæſt. 12. art. 5. controuer. 1. Item Sotus, qui prius contrariæ opinioni deinde huic ſententiæ ſuffragium tulit in 4. diſtinct. 49. qu. 2. art. 4. §. *Caietanus quidem*. Quibus aggregantur ab Aegidio, & aliis Capreolus in 4. diſtinct. 49. quæſt. 4. art. 3. ad 4. Durandi fine fol. 210. colum. 1. Soncinas ibidem quęſt. 4. con. 2. ad 3. dub. eiuſdem Aureoli Caietanus 1. p. quęſt. 12. art. 5. Sylueſter in conflato ad 1. p. quæſt. 12. art. 5. Ferrara 3. contra gent. c. 54. ad 4. Scoti verum hi autores mihi incerti ſunt. Quia ſolum differunt de natura agente ex natura rei iuxta leges à Deo nunc ſtatutas. Capreolus expreſſit etiam miraculoſe non potuiſſe videri Deitatem ſiue qualitate intrinſeca permanenti, aut tranſeunti. Cęterum agebat de miraculo videndi Dei de facto in via, dum animus corpori, phantaſmatibuſque corporeis ligatus eſt. Cum quo miraculo ſeruari poterat communis, & ordinaria prouidentia Dei de non eleuanda natura rationali præſertim iuſti (qualis ſupponitur à Capreolo videns in via Deum) niſi per auxilium intrinſecum. Itaque non agebat de poteſtate abſoluta Dei omnibus legibus ſoluta tam eis, quas exigunt naturæ rerum, quàm eis, quas libera ſibi voluntas, & conſentanea prouidentia tulerunt; de qua noſtra differit diſputatio. Soli recentiores Thomiſtæ in hanc ſententiam iurarunt. Innumera congerunt argumenta in probationem illius. Omnia facile ad ſequentia principia reuocantur.

Bannes. Ledeſma. Nauarrete. Aluarez. Albelda. Nazarius. Sotus. Capreolus. Soncinas. Caietanus. Sylueſter. Ferrara.

Primum fundamentum.

7. Primum principium eſt. Natura ex ſe nullam fert actiuitatem immediatam in actus ſupernaturales, ſed ei tota virtus agendi eſt principium ſupernaturale ſibi inhærens. Ergo ſecluſo ex principio inhærenti repugnat agere naturam. Quia nulla cauſa poteſt agere ſine virtute agendi, vt ignis non poteſt calefacere ſine calore. Poterit quidem Deus efficere ſolus actum ſupernaturalem, cæterum efficere non poteſt, vt natura eum efficiat ſiue virtute efficiendi, quæ eſt auxilium ſupernaturale intrinſecum. Euerſum iam eſt. Sed hoc principium, quàm falſum ſit, vidimus tota diſp. 30.

Secundum fundamentum.

8. Secundum principium eſt. Natura eſt cauſa principalis actus ſupernaturalis. Cauſa principalis autem operatur per virtutem ſibi intrinſecam proportionatam effectui; qualis non eſt comparatione effectus ſupernaturalis, niſi ſupernaturalis. Ergo natura neceſſario operatur actum ſupernaturalem per virtutem ſibi intrinſecam ſupernaturalem. Firmatur primo. Confirmatur; ſi natura efficeret actum ſupernaturalem eleuata à Deo ſolum extrinſece; Deus quidem eſſet cauſa principalis, & natura inſtrumentalis; atque adeo Deus intelligeret, & vellet per eum actum, non vero natura: nam cauſa intelligens, & volens per actum vitalem principalis eſt, non inſtrumentalis. Secundo. Confirmatur ſecundo. Non poteſt actio oriri à cauſa principali, niſi conſtituta prius in actu ad operandum. At natura rationalis non eſt conſtituta in actu ad agendum actum ſupernaturalem per ſuam entitatem naturalem, nec per virtutem ſibi omnino extraneam Dei. Ergo erit in actu ad efficiendum actum ſupernaturalem per virtutem ſupernaturalem ſibi intrinſecam. Quod argumentum cenſet Bannes euidentem demonſtrationem. Ruit. Verum etiam hoc principium reiectum eſt diſputatione 31. vbi oſtendimus, naturam vt præciſe efficientem non eſſe cauſam principalem, ſed inſtrumentalem, etiamſi inſtructa habitu ſupernaturali agat; eſſe vero principalem, vt eſt vitalis & libera. Quo nullę ſunt confirmationes argumenti; quæ oppoſitum principium ſupponunt. Pręterea ad primam confirmationem nego, Deum fore cognoſcentem, & volentem per actus ſupernaturales; ſi ſolus ageret illos, vt cauſa principalis, naturaque ageret vt cauſa inſtrumentalis. Nam vt cauſa aliqua ſit intelligens, aut volens per actum ſupernaturalem, non ſufficit eſſe agens principale illius; ſed præterea requiritur, vt patiens ſit. Etenim habitus ſupernaturalis iudicio Thomiſtarum eſt cauſa principalis, nec non Deus agens cum illo actum ſupernaturalem. Tamen neque habitus, neque Deus ſit cognoſcens, aut volens per actum ſupernaturalem. Opus igitur eſt ad eum effectum formalem actus ſupernaturalis, imo mea opinione ſufficit, vt actus ſupernaturalis recipiatur in cauſa, tanquam in ſubiecto ſibi connaturali; quandoquidem intelligere, & velle non conſiſtit in actione, ſed in ſola cognitionis, & volitionis receptione vt in lib. de anima probauimus. Igitur cum natura agens inſtru-

Digitized by Google

mentaliter recipiat actum ſupernaturalem, Deus vero principaliter agens non recipiat, natura poterit cognoſcere, & appetere per actum ſupernaturalem, & non Deus. Ad ſecundam confirmationem reſpondeo. Natura rationalis ſecundum ſuam entitatem intrinſecam eſt in actu primo conditionato ad agendum actum ſupernaturalem, quia ſecundum ſe intrinſece potens eſt efficere eum ſub conditione quod à Deo eleuetur auxilio aliquo naturæ indebito, ſiue intrinſeco, ſiue extrinſeco. Cum auxilio vero extrinſeco eſt natura in actu primo abſoluto, partim intrinſeco, partim extrinſeco, quia ex actiuitate intrinſeca naturę in recto, & ex actiuitate extrinſeca auxilij diuini in obliquo coaleſcit virtus abſolute actiua naturæ, quæ ſufficiat ad efficiendum abſolute actum ſupernaturalem. De quo copioſe duabus diſputationibus præteritis.

Tertium. 9. Tertium principium. Natura ſecundum ſe eſt intrinſece impotens, & improportionata ad efficiendum abſolute actum ſupernaturalem. Ergo non poteſt illum abſolute efficere abſque principio ſupernaturali intrinſeco, per quod intrinſece proportionetur. Nam natura intrinſece impotens non poteſt reddi abſolute potens abſque aliqua intrinſeca mutatione ipſius naturæ; dum enim natura relinquitur intrinſece eadem, relinquitur impotens intrinſece, ac proinde nullatenus potens, ſiquidem res non poteſt extrinſecus accipere prædicatum contradictorium ei quod intrinſecus habet. Confirmatur. Voluntas extrinſeca Dei ſolum habet applicare omnipotentiam diuinam, vt ſola operetur effectum, vel vt iuuet creaturam illas intrinſece potentem illum efficere. Ergo voluntas extrinſeca Dei non poteſt applicare omnipotentiam ad iuuandum naturam intrinſece impotentem efficere actum ſupernaturalem, atque adeo non poteſt ſupplere actiuitatem principij ſupernaturalis intrinſeci.

Confirmatur.

Infirmatur. 10. Etiam hoc principium dilutum eſt ſuperioribus diſputatione 30. Natura quidem eſt intrinſece impotens efficere actum ſupernaturalem poteſtate abſoluta, quia hæc poteſtas abſoluta, vt vidimus diſputatione 33. ſectione 1. non poteſt eſſe adæquate identificata naturæ, ſed eſt partim naturæ identificata, partim diſtincta complectens tum actiuitatem conditionatam intrinſecam naturæ, partim actiuitatem auxilij ſupernaturalis ſiue intrinſeci, ſiue extrinſeci à natura diſtinctam. Quare natura non eſt intrinſece impotens poteſtate conditionata dependenti ad abſolutam actionem ab exiſtentia abſoluta principij ſupernaturalis intrinſeci, aut extrinſeci, quia vt ibidem oſtendimus, poteſtas conditionata adęquata, & intrinſeca, eſt identificata naturæ. Conſequenter poteſt natura conſtitui abſolute potens per auxilium extrinſecum Dei, ſub cuius conditione exiſtit intrinſece potens efficere actum ſupernaturalem. Vnde etiam vt fiat abſolute potens illum efficere non eſt opus mutatione aliqua intrinſeca naturæ, ſiquidem eſſe abſolute potentem non eſt denominatio omnino intrinſeca. Denominationes autem, quæ omnino intrinſecæ non ſunt, poſſunt aduenire rebus, abſque intrinſeca mutatione ipſarum ob ſolam variationem extrinſecam eorum, quæ eas denominationes conſtituunt. Vt eadem albedo modo exiſtit ſimilis, modo non exiſtit ſimilis ſola poſitione, aut deſtructione termini conſtituenti extrinſece ſimilitudinem albedinis. Eodem modo natura ſine concurſu generali Dei ſibi extrinſeco non eſt ſimpliciter, & proxime potens efficere actum naturalem; poſito autem concurſu generali extrinſeco redditur ſimpliciter, & proxime potens. Item virtus immediata naturæ, vt condiſtincta ab auxilio intrinſeco non eſt abſolute potens ſine auxilio intrinſeco efficere actum ſupernaturalem; exhibito autem auxilio intrinſeco illamet virtus redditur abſolute potens; quin ea vt condiſtincta ab auxilio aliter ſe habeat quoad entitatem intrinſecam. Ergo ſimiliter eadem abſque vlla mutatione intrinſeca poterit per auxilium extrinſecum reddi ſufficiens eumdem actum ſupernaturalem efficere. Ad confirmationem reſpondeo. Voluntas diuina applicare poteſt omnipotentiam adiuuandum creaturas duplici auxilij ſiue concurſus genere. Vel vt agant effectus concurſu generali, ac debito, vel vt agant concurſu, ſeu auxilio ſpeciali, ac indebito. Vtrumque enim auxiliandi, ſeu concurrendi genus ſpectat ad infinitam omnipotentię, in ratione potentiæ, perfectionem. Cum voluntas diuina applicat omnipotentiam ad iuuandum creaturas concurſu, ſeu auxilio generali, ac debito rebus, ſupponit ex parte rerum creatarum virtutem abſolute, ac intrinſece potentem cum effectibus ordine tranſcendenti connexam. Cum applicat omnipotentiam ad iuuandum creaturas auxilio, ſeu concurſu ſpeciali, ac indebito, quali iuuatur creatura ad efficiendum actum ſupernaturalem, tunc non ſupponit in rebus virtutem potentem intrinſece, & abſolute, ſed tantum conditionate, nimirum ſub conditione, quod omnipotentia diuina aſſiſtat ſuo ſpeciali concurſu: hęc enim poteſtas conditionata ſufficit, vt aſſiſtente abſolute omnipotentia diuina, reddatur creatura abſolute productiua effectus. Ad iuuandum autem naturam efficientem actus ſupernaturales non exhibet voluntas diuina ſolum concurſum omnipotentiæ generalem, & debitum, ſed ſpecialem etiam, ac indebitum. Atque adeo non erit opus ſupponi naturam abſolute, & intrinſece potentem, connexamque cum poſſibilitate ſupernaturalium actuum, ſed ſufficiet pręcedere potentem ſub conditione auxilij indebiti Dei, connexione tranſcendenti cum actibus ſupernaturalibus ſolutam.

Ad confirmationem.

Quartum fundamentum. 11. Quartum principium eſt. Actus ſupernaturalis eſt vitalis. At quia vitalis eſt, poſtulat procedere à principio intrinſeco ſibi proportionato, quia ſupernaturalis, à principio ſupernaturali. Ergo non poteſt non procedere à principio intrinſeco ſupernaturali. Confirmatur. Actus ſupernaturalis, quia vitalis poſtulat ex natura rei principiū intrinſecum ſupernatu-

Confirmatio.

ſe. Ergo illud requiritur etiam poteſtate abſoluta Dei. Nam actus vitalis, quo actualiter viuit natura, eſſe non poteſt ſine principio intrinſeco, quod ad rationem vitæ naturæ deſideratur. Aut enim natura agens cum auxilio extrinſeco viuit per actum ſupernaturalem, aut non? Si non viuit. Ergo actus, quo natura viuat, auxilium intrinſecum deſiderat. Si viuit. Ergo neque ex natura rei ad vitæ naturam deſideratur principium ſupernaturale intrinſecum. Iterum confirmatur.

Alia confirmatio.

Anima Chriſti ideo non poteſt intelligere per intellectionem increatam Dei, quia ea intellectio non eſt ab intrinſeco animæ Chriſtianæ. Ergo vt anima viuat, & intelligat per actum ſupernaturalem, requiritur, vt à principio intrinſeco ſupernaturali procedat.

Euertitur.

12. Huic principio facile occurritur. Vt actus ſupernaturalis ſit vitalis, ſufficit, quod immediate fiat actiuitate naturæ, in qua recipitur; vt autem ea ratione ſit ſupernaturalis, ſat eſt, non poſſe naturam ſuam actiuitatem exercere in illum, quin neceſſarium ſit auxilium extrinſecum indebitum naturæ, ſubſtituens actionem principij ſupernaturalis intrinſeci. Etenim ad ſupernaturalitatē actus ſufficit neceſſitas vnius principij ſupernaturalis, ad vitalitatē vero ſufficit immanentia alterius. Eo enim ipſo, quod vnum principium ſit neceſſario ſupernaturale, ſiue intrinſecum ſit, ſiue extrinſecum actus ſuperat continentiam naturæ ideoque erit ſupernaturalis; eo ipſo quod aliud principium immanenter operetur, ſcilicet, agēs immediate, ſimul recipiens actum, viuit per illum, atque ita actus eſt vitalis. Actus autem elicitus immediate à natura per auxilium extrinſecum ſit ab vno principio naturæ indebito, & ſupernaturali, & ab alio immanenter operanti. Ergo. Quæ ratio vrgebitur ſectione ſequenti.

Ad primā confirmationem.

Ad confirmationem fiet ſatis diſputatione ventura, ibi expendemus rationem, quare ex natura rei, potius quam poteſtate abſoluta Dei neceſſarium ſit principium ſupernaturale intrinſecum? An id in exigentiam actus, vel alterius rei reuocandum ſit?

Ad ſecundā

Ad ſecundam confirmationem reſpondeo. Ratio, ob quam anima Chriſti nequit fieri intelligens per intellectionem increatam Verbi, non eſt, quia deficit principium aliquod ſupernaturale intrinſecum proportionatum tali intellectioni, ſed quia animæ Chriſti, neque identificari neque tanquam modus adhærere poteſt prout requiritur, vt natura intellectualis fiat per aliquam cognitionem intelligens. De quo ex profeſſo 3. parte. Et vero ſi in defectum proceſſionis à principio intrinſeco impotentia intelligendi per cognitionem increatam reducendum eſt, plane is defectus non erit proceſſionis à principio ſupernaturali ſuperaddito naturæ, ſed ab ipſa entitate naturæ immediate, à qua actus ſupernaturalis procedit, & ad viuendum phyſice procedere neceſſe eſt. Nam ſi ab entitate naturæ creatæ immediate fluere poſſet ſuffulta auxilio extrinſeco naturæ diuinæ, poſſet ſane natura creata viuere per illum, & intelligere. Nihil igitur ad vitam obſtat auxilium extrinſecum. Vides, quam ſine negotio Thomiſtarum argumenta explicantur, quamque debilibus fundamentis nitantur. Prætereo alia, quæ leuioris conſiderationis ſunt, & ex dictis præoccupata, otioſum eſſet proponere.

SECTIO TERTIA.

Præcedens Thomiſtarum ſententia improbanda eſt.

Sententia affirmans.

13 VIdimus Thomiſtarum ſententiam non probari. Nunc videbimus improbari. Et quidem poſſe aliquem actum ſupernaturalem fieri immediate à natura rationali ſine auxilio intrinſeco ſupernaturali, communis eſt, & vera Theologorum ſententia. Ita primores illi Theologorum Scotus in 4. diſt. 49. q. 11. Paludanus quæſt. 1. art. 3. con. 2. nu. 34. Argentinas q. 2. art. 1. con. 1. Carthuſianus quæſt. 4. §. *In oppoſitum eſt*, Hiſpalenſis qu. 4. art. 3. notab. 5. & art. 5. ad 3. 4. & 5. Durandus qu. 2. num. 22. & 23. Maior cum Adamo q. 4. §. *Contra iſtam*, Gabriel ſupplem quæſt. 2. art. 3. & in 1. d. 1. q. 2. Bacconius q. 1. prologi art. 3. §. *Sequitur ergo*, Antoninus 3. p. ti. 30. cap 4. §. 1. *Poſt medium*, Ioannes de Neapoli in qq. varijs qu. 1. pun. 1. Baſſolius in 1. d. 17. qu. 1. & in 3. diſt. 14. qu. 1. art. 1. §. *Neutram*, Gregorius in 1. d. 17. quæſt. 1. con. 3. Rurſus Palatius in 4. d. 49. diſp. 1. §. *Hæc ſunt argumenta* aſſerēs nullum priſcorum Theologorum oppoſitum ſenſiſſe, Ouandus ibidem prop. 7. Angles de Beatitud. art. 2. diffici 7. Trigoſius 2. p. qu. 7. art. 5. dub. 5. Zumel 1. p. quæſt. 12. art. 5. diſp. 2. con. 3. referens victoriam, Lorca 1. 2. diſp. 30. dicto 2. Aragon. 2. 2. quæſt. 23. art. 2. §. *His ſuppoſitis*, Antonius Perez art. 6. Scholaſt. c. 10. Maſcarennas de aux. diſp. 1. p. 4. num. 6. Puteanus 1. p. quæſt. 12. art. 5. dub. 2. Monteſinus 1. 2. d. 39. qu. 2. Faber in 3. diſp. 32. cap. 3. Putatque probabile. Ripa 1. p. q. 12. art. 5. c. 1. Ioannes Vincentius relute de gratia Chriſti qu. 6. Ex noſtra Societate, Pater Fonſeca, 9. met. c. 1. qu. 4. ſect. 4. Pater Molina 1. p. quæſt. 12 art. 5. d. 1. §. *Contraria tamen ſententia*, & in concordia diſp. 26. fine. Pater Valentia tom. 1. diſp. 1. quæſt. 12. pun. 3. Pater Suarez lib. 2. de attrib. negat. c. 16. num. 5. Pater Vaſquez 1. p. diſp 46. c. 2. Pater Salas in tom. 1. in 1. 2. qu. 3. tr. 2. diſp. 5. ſect. 4. Pater Albertinus qu. 1. Theol. in 1. coroll. ad 4. §. *Quæres ſecundo*, Pater Beccanus 1. p. tract. 2. c. 9. quæſt. 4 nu. 9. Pater Arrubal 1. p. d. 20. c. 3. Pater Lorinus in Pſ. 35. ver. 10. Pater Turrianus in 2. 2. d. 38. dub. 2. & diſp. 77. dub. 2. Pater Erice 1. p. d. 47. c. 2. Pater Iannerus tom. 1. d. 2. qu. 6. dub. 3. Pater Faſolus 1. p. qu. 12. art. 5. num. 44. Pater Granadus 1. p. tract. de viſione Dei diſp. 6 ſect. 4. Pater Ruiz de prouid d. 36. ſect. 2. & 3. & communiter Recentiores in manuſcriptis.

Scotus. Paludanus. Argentinas. Cathuſianus. Hiſpalēſis. Durandus. Maior. Adamus. Gabriel. Bacconius. Antoninus. Ioannes de Neapoli. Baſſolus. Gregorius. Palatius. Ouandus. Angles. Trigoſius. Zumel. Lorca. Aragon. Antonius Perez. Maſcarennas. Puteanus. Mōteſinus. Faber. Ripa. Ioannes Vincent. P. Fonſeca. P. Molina. P. Valentia. P. Suarez. P. Vaſquez. P. Salas. P. Albertinus. P. Beccanus. P. Arrubal. P. Lorinus. P. Turrianus. P. Erice. P. Iannerus. P. Faſolus. P. Granadus. P. Ruiz.

Prima probatio ſententiæ.

14. Hæc ſententia communiter ſuadetur ex illo priſcis Theologis vulgari principio, quod Deus poteſt facere per ſe quidquid poteſt efficere per cauſas ſecundas non vitales. At

Digitized by Google

auxilium intrinſecum eſt cauſa efficiens ſecunda non vitalis. Ergo Deus poteſt efficere per ſe actum ſupernaturalem, quem poteſt efficere per auxilium ſupernaturale intrinſecum. Ergo vero hoc argumento non vtar. In ſententia namque Thomiſtarum conſtituente cognitionem, & amorem in actione Phyſica, & in noſtra eos actus conſtituente in qualitate, ſeu termino ſeipſo immediate, ac eſſentialiter pendenti à potentia vitali, & omnibus eius cõprincipijs efficientibus nullius plane roboris eſt. Nam ſi argumentum quidquam euincit, maxime poſſe Deum ſine auxilio intrinſeco efficere actum, qui fit cum auxilio intrinſeco. Quod in eis ſententijs minime probatur. Nam Deus non poteſt facere per ſe actionem cauſę ſecundæ. Actio enim, omnium Theologorum iudicio; eſſentialiter pendet à ſuo principio; atque adeo principium, cuius actio eſt, deſerere repugnat pendens per ſe immediate ab alio. Itaque proloquium illud priſcum, *Deus poteſt facere per ſe quidquid poteſt per cauſas ſecundas*, accipiendum eſt de effectibus cauſarum ſecundarum pendentibus à ſuis principijs efficientibus per actionem diſtinctam, quales ſoli ſunt effectus non vitales.

Probatio efficax à priori.

15. Duo mihi argumenta efficacia ſunt, alterum à priori, alterum à poſteriori. A priori igitur ſic arguo. Actus ſalutaris elicitus à natura rationali per auxilium extrinſecum nihil continet repugnans vitalitati, aut ſupernaturalitati actuali. Ergo poteſt fieri actus pietatis vitalis, & ſupernaturalis per auxilium extrinſecum. Nam ſola vitalitas, & ſupernaturalitas poſſunt obeſſe auxilio extrinſeco. Antecedens probatur. Ad vitalitatem actus non requiritur vt omnia principia efficientia actus ſint intrinſeca, & vitalia, ſed ſufficit, vt vnum illorum vitale ſit, vitaliterque operetur. Etenim omnium ſententia principia efficientia cognitionis vitalis ſunt Deus, & obiectum. Tamen, neque Deus, neque obiectum ſunt principia intrinſeca & vitalia naturæ. Sufficit ergo vt ipſa natura completa intrinſece; aut extrinſece immediate agat, & in ſe recipiat actum; nam eo ipſo operatur immanenter, & modo proprio viuentium prout à non viuentibus diſtincta eſt. Inſuper ad ſupernaturalitatem actus ſufficit, quod fiat immediate à natura indigente viribus ſibi indebitis, ſiue intrinſecus, ſiue extrinſecus; nam eo ipſo actus non continetur intra vires, & exigentiam naturæ, altiorque eſt, quàm vt connexio naturæ in illum pertingat, vt ſæpius docuimus, ſufficit enim vnicum principium excedens naturam neceſſarium ad actum, vt totus actus naturam vniuerſam excedat. At in actum pietatis elicitum immediate à natura per auxilium extrinſecum cõueniunt vnum principium vitale, & immanenter operans, nempe natura rationalis, & aliud ſupernaturale, excedens facultatem naturæ, nempe auxilium extrinſecum ſubſtituens virtutem auxilij intrinſeci, & indebitum naturæ. Ergo talis actus ſic elicitus nihil continet contradicens vitalitati, & ſupernaturalitati actuali. Confirmatur; actus pietatis elicitus immediate à natura per auxilium intrinſecum nihil continet repugnans vitalitati, & ſupernaturalitati actuali. Ergo etiam elicitus per auxilium extrinſecum. Antecedens ſtabiliuimus diſputatione 30. Probatur conſequentia. Actus procedens immediate à natura rationali per auxilium extrinſecum habet idem principium vitale, ac immanenter agens, quod actus procedens per auxilium intrinſecum, nempe naturam rationalem immediate agentem, nam ipſum auxilium ſupernaturale intrinſecũ vitale, ac immanenter agens non eſt. Item habet principium ſupernaturale æquiualens auxilio ſupernaturali intrinſeco nempe omnipotẽtiam diuinam influentem ſpeciali concurſu, quæ virtute continet omnem excellentiam, & poteſtatem auxilij ſupernaturalis. Ergo actus procedens à natura per auxilium extrinſecum poteſt coniungere vitalitatem & ſupernaturalitatem, quas coniungit actus procedens per auxilium intrinſecum.

Reſponſio.

16. Dices, argumento recte probari ſuppoſita proceſſione actus à natura per auxilium extrinſecum fore actum, & vitalem, & ſupernaturalem, & non probari ſuppoſitionem ipſam proceſſionis, quæ eſt aſſumptum totius diſputationis. Sed contra. Ea ratione putatur falſa abſoluta ſuppoſitio talis proceſſionis à natura per auxilium extrinſecum, quia, cum eſſe vitali, ac ſupernaturali actus non componitur talis proceſſio. At argumento probatur, cum eſſe vitali, & ſupernaturali actus componi proceſſionem actus à natura per auxilium extrinſecum, quia probatur, quod procedens per auxilium extrinſecum fieret vitalis, & ſupernaturalis. Ergo probatur argumento abſoluta ſuppoſitio proceſſionis actus à natura per auxilium extrinſecum.

Redargutio.

Vlterior reſponſio.

17. Dices, rationem, quare implicat actus procedens per auxilium extrinſecum non eſſe, quia actus ſic procedens non fieret vitalis, & ſupernaturalis, ſed quia fieret complectens contradicentia, nempe eſſe vitalem, & ſupernaturalem, & non eſſe vitalem, neque ſupernaturalem. At argumento probari quidem, vnam partem, ſcilicet fieri vitalem, & ſupernaturalem, non vero probari aliam ſcilicet ſimul etiam non fieri ſupernaturalem, & vitalem; quod opus erat ad rectam concluſionem argumenti? Sed contra. Nulla ratione poteſt colligi expoſitione actus procedentis à natura per auxilium extrinſecum, eum non eſſe vitalem, & non eſſe ſupernaturalem, niſi colligatur, eum non procedere ab vno ſaltem principio, vt immanenter agenti, & ab alio vt agenti ſupra omnem facultatem naturæ, vt non poteſt colligi Petrum non eſſe hominem, dum non colligitur non eſſe animal rationale, quod eſt definitio hominis; nam ſicut eſſe hominem, eſt hominis definitio, ita procedere ab vno principio immanenter agenti eſt definitio actus vitalis, & procedere ab alio agente ſupra omnem facultatem naturæ, eſt definitio actus ſupernaturalis. At dum ponitur in antecedente, actum procedere immediate à natura per auxilium extrinſecum, nulla ratione poteſt colligi actum non procedere ab vno principio immanenter

Reuincitur.

Digitized by Google

agenti, & ab alio agenti ſupra omnem facultatem naturæ, quia poni actum procedere, à natura, eſt poni procedere à principio immanenter agenti, & poni actum procedere per auxilium ſpeciale extrinſecum, eſt poni procedere à principio agente ſupra omnem facultatem naturæ. Ergo de actu procedente immediate à natura per auxilium ſpeciale extrinſecum, ita colligitur eſſe vitalem; & ſupernaturalem, vt nulla ratione colligi poſſit non eſſe ſupernaturalem, & vitalem. Rurſus ſic arguo. Si talis propoſitio contradicens vitalitati, aut ſupernaturalitati colligeretur, eſſet quidem aliqua ratione earum, quos aduerſarij in probationem ſuæ ſententiæ adducunt. At earum nulla quidquam efficaciter colligit, cum omnes vt vidimus ſectione præcedenti manifeſte explicentur. Ergo recte probatur non implicans contradicentia actus procedens immediate à natura per auxilium ſpeciale extrinſecum.

Ratio à poſteriori.

18. A poſteriori ſententiam facilius probabimus, ſi ex libro 5. præmittamus, gratiam præuenientem non eſſe qualitatem aliquam mortuam & ſuapte conditione tranſeuntem; ſed illuſtrationem intellectus, & affectionem ſimplicem voluntatis nobis ſine arbitrio noſtro infuſam à Deo. Id quod ex ſacris Concilijs, & Patribus Eccleſiæ, Theologicaque ratione copioſe, & manifeſte oſtendemus, oſtendimuſque anno 1628. tract. de gratia & auxiliante: Quinimo explicantes eſſe, haud improbanda ratione ſtatuemus. Ex quo ſic arguo. Illuſtrationes ſupernaturales intellectus, & affectiones ſupernaturales voluntatis, quibus infideles, & peccatores vocantur ad fidem, & iuſtificationem, fiunt de facto per auxilium extrinſecum. Ergo non repugnat proceſſio alicuius actus vitalis ſupernaturalis per auxilium extrinſecum. Etenim illæ illuſtrationes, & affectiones ſupernaturales vitales ſunt, & immanenti naturæ rationalis virtute productæ; vt contra plures antiquorum eodem libro euincemus. Probo igitur antecedens. Illi actus indeliberati non fiunt per habitum ſupernaturalem; neque per aliud auxilium à ſolo Deo productum ſuapte naturâ tranſiens; neque per alia auxilia vitalia illuſtrationis, & affectionis ſupernaturalis. Ergo non fiunt per auxilium intrinſecum. Nam præter auxilia propoſita in antecedenti nullum ſupereſt aliud auxilium ſupernaturale intrinſecũ; neque alterius Theologi meminerunt. Et quidem eos actus indeliberatos habitu ſupernaturali non fieri ab infideli; & fideli peccatore res eſt Theologis conſtantiſſima, cum ad plures virtutum actus vocentur, quorum habitus ſine gratia iuſtificante non extant. Inſuper eos non fieri per auxilium intrinſecum à ſolo Deo effectum, & ſuapte conditione tranſiens præmiſimus iam ex libro quinto. Rurſus fieri per alia auxilia vitalia concurſu efficienti naturæ rationalis producta prohibet proceſſio infinita eorum auxiliorum, quæ manifeſte infertur, ſiquidem ad eos actus ſupernaturales alij actus indeliberati ſupernaturales, & non ſolum naturales præcedere deberent, & ad illos alios, & alios ſine fine. Relinquitur igitur eos actus indeliberatos ſolo fieri auxilio ſupernaturali extrinſeco. Hoc argumentum non propoſui, vt alij ſolent, in actibus ſupernaturalibus deliberatis elicitis à peccatore; quoniam mea opinione, quam docui tractatu de gratia auxiliante, daboque lib. 5. actus deliberati intellectus, & voluntatis abſentibus habitibus fiunt concurſu efficienti auxiliorum actualium, quæ ſemper illos præcedunt.

Confirmatur.

19. Confirmatur. Simplex complacentia in bonitate diuina, quæ regulariter antecedit amorem efficacem Dei, per quem peccator cõſequitur iuſtificationem, efficitur ſine auxilio intrinſeco. Ergo. Probatur. Ille actus inefficax, & ſimplex non fit per habitum charitatis. Tum quia ille actus omni genere cauſalitatis antecedit amorem efficacem Dei. Siquidem ad complacendum in bonitate Diuina nulla ratione dependemus ab amore efficaci Dei. Habitus autem charitatis non antecedit omni genere cauſalitatis amorem efficacem Dei, quandoquidem intuitu amoris efficacis infunditur. Tũ quia in ſenſu compoſito illius complacentiæ ſimplicis poteſt habitus charitatis eſſe, & non eſſe in illo inſtanti iuſtificationis; nam in ſenſu compoſito illius poteſt eſſe, & non eſſe amor efficax Dei, ſine quo non poteſt eſſe extra ſacramentum habitus charitatis. Etenim ſæpe exiſtit ſimplex complacentia finis ſine amore efficaci finis; immo regulariter ſimplex complacentia tribus, vel quatuor inſtantibus pulſans voluntatem elicit tandem amorem efficacem Dei. Poteſt ergo in ſenſu compoſito ſimplicis complacentiæ eſſe, & non eſſe amor efficax Dei, atque adeo etiam habitus charitatis amori efficaci in peccatore connexus. At non poſſet, ſi ſimplex complacentia in bonitate Diuina fieret eo inſtanti per habitum charitatis; nam ſimplex complacentia non poteſt in eo inſtanti componi cum non eſſe ſui principij efficienti. Ergo principium efficiens illius complacentiæ non eſt habitus charitatis.

Vlterior cõfirmatio.

20. Item ſimplex effectibus in bonitatem Diuinam non efficitur per qualitatem trãſeuntem; ac per conſequens efficitur per auxilium extrinſecum, cum præter habitum, & qualitatem tranſeuntem in ſimplicem complacentiam ſupernaturalem aliud auxilium ſupernaturale non ſupereſt. Probatur aſſumptum ex principiis ipſorum Thomiſtarum. Amor efficax Dei in inſtanti iuſtificationis non efficitur per qualitatem tranſeuntem, cum in ſententia Thomiſtarum fiat per habitum charitatis. At ſi cõplacentia ſimplex fieret per qualitatẽ tranſeuntem, etiam amor efficax fieret per illam. Ergo ſimplex complacentia non fit per qualitatem tranſeuntem. Probatur minor. Qualitas efficiens ſimplicem complacentiam bonitatis Diuinæ ſuapte natura haberet vim efficientem amoris efficacis. Tum quia ſimplex cõplacẽtia, & amor efficax pertinent ad eandem virtutem charitatis, reſpiciuntque idem obiectum formale bonitatis Diuinæ. Eadem autem qualitas influens in actum vnius virtutis poteſt in omnes influere; vt eadem ſpecies ſubſtinens concurſum obiecti in ſimplicem apprehenſio-

Digitized by Google

nem, ſubſtituit concurſum in iudicium, & eadem qualitas fluens efficiens in peccatore effectus inefficaces virtutum moralium, efficit quoque efficaces. Tum quia ſi Deus decreuiſſet non donare gratiam habitualem peccatori diligenti Deum, vt reuera decernere potuit, ſiquidem dilectio efficax Dei non connectitur cum exiſtentia gratiæ habitualis connexione phyſica, & ex natura rei, ſed ſolum ex gratuita voluntate Diuina, tum plane fieret dilectio efficax Dei ex natura rei ſine habitu charitatis per qualitatem fluentem. Atque ita qualitati fluenti efficienti ſimplicem complacentiam bonitatis Diuinæ competere poteſt vis efficiens amoris efficacis. Tum ſic colligo. Ergo ſi exiſteret in inſtanti iuſtificationis qualitas fluens efficiens ſimplicem complacentiam efficeret quoque amorem efficacem Dei; atque adeo ſi non efficit, ideo eſt, quia reuera tum non exiſtit, nec efficit ſimplicem complacentiam. Probatur conſequentia. In eo inſtanti adeſſet qualitas illa potens efficere amorem efficacem, & ſuapte natura poſtulans Dei concurſum ad illum efficiendum non prohibente voluntate creata talem amorem. Quod enim in eo inſtanti exiſtat pro poſteriori naturæ habitus charitatis, non contingit ex natura rei, ſed ſolum ex lege Dei. Ergo ex natura rei ea qualitas non poteſt priuari concurſu efficienti amoris efficacis, ſi exiſteret. Explicatur; ſi Deus non promiſiſſet gratuito diligenti ſe habitum gratiæ conferre, efficeret qualitas tranſiens ex natura rei amorem efficacem Dei. Ergo etiam modo efficit illum, ſi admittatur exiſtens. Siquidem exiſtentia habitus gratiæ in eo inſtanti non contingit per ſe & ex natura rei, ſed per accidens, ex mero libito Dei. Quid; quod proceſſione amoris efficacis Dei ab illa qualitate omnino antecedente eum amorem vitantur plura abſurda quæ vrgent proceſſionem amoris efficacis Dei ab habitu charitatis ſubſequente talem amorem; quocirca ſi adeſſet in eo inſtanti potens efficere eum amorem, imprudens eſſet, qui efficientiam tribueret habitui charitatis, & non qualitati tranſeunti. Ergo negandum eſt re ipſa exiſtere, efficereque ſimplicem complacentiam bonitatis Diuinæ, vt negetur non efficere amorem efficacem.

Tertia ratio efficax.

21. Addo tertium argumentum. Potentia naturalis poteſt efficere actum ſupernaturalem completa per habitum ſupernaturalem ſibi extrinſecum. Ergo vt potentia naturalis actum ſupernaturalem efficiat, neceſſarium non eſt auxilium ſupernaturale ſibi inhærens, & intrinſecum, ſed ſufficit mere aſſiſtens, & extrinſecum. Conſequentia bona eſt. Antecedens probatur. De facto ſpecies impreſſa naturalis, intellectus diſtinctus ab anima, & ipſa ſubſtantia animæ efficiunt immediate actum ſupernaturalem fidei. Tamen habitus ſupernaturalis fidei, quo completur, & eleuatur actiuitas naturalis ſpeciei, intellectus, & animæ, non inhæret intellectui, & animæ, ſed tantum vni eorum, ſcilicet ſubſtantiæ animæ, vt ego puto, aut intellectui, diſtincto, vt alij. Ergo actiuitas naturalis poteſt eleuari & compleri per habitum ſupernaturalem mere aſſiſtentem, & extrinſecum, quin habitus inhærens, & intrinſecus neceſſarius ſit. Non ſolum intellectus, ſed etiam ſpecies impreſſa indiget complemento ſupernaturali, nec non & ſubſtantia animæ; cum tria hæc principia immediate influant in actum cognitionis, vt ex libro de anima pono; & principia naturalia ſint, quæ ex ſe proportionem & actiuitatem in actum ſupernaturalem habere non poſſunt abſque complemento, & auxilio eleuante ſupernaturali. Eadem enim ratione, qua intellectus indiget compleri, & eleuari per ſupernaturale principium ad actum ſupernaturalem fidei, indigent quoque ſpecies, & ſubſtantia animæ; nimirum, quia principia ſunt immediate efficientia talis actus, & entitate, ac virtute naturalia. Ergo ſi vnum illorum entitate ac virtute naturale immediate efficit cognitionem ſupernaturalem completum, & eleuatum per habitum ſupernaturalem ſibi mere aſſiſtentem, & extrinſecum; ſimiliter reliqua poſſunt; ac per conſequens principio naturali opus non erit principium inhærens ſibi, & intrinſecum, vt compleatur ad efficiendum actum intrinſece ſupernaturalem. Iterum probatur, & explicatur idem antecedens. Demus habitus fidei creatione produci, & extra ſubiectum exiſtentem penetrari intime cum intellectu. Sufficiet illa aſſiſtentia extrinſeca habitus ſupernaturalis fidei, vt intellectus efficiat cum habitu ſupernaturali actū fidei. Ergo non requiritur auxilium potentiæ inhærens, & intrinſecum. Nam reuera in caſu poſito habitus fidei non eſt magis inhærens, & intrinſecus intellectui, quam omnipotentia Diuina, cum nulla ſit vnio, & inhærentia habitus ſupernaturalis cum intellectu, & tam intima ſit penetratio, & aſſiſtentia omnipotentiæ Diuinæ, quàm aſſiſtentia, & penetratio illius habitus creatione producti. Antecedens plures Thomiſtarum negare non poſſunt, qui aſſerunt habitum charitatis in inſtanti iuſtificationis efficere dilectionem efficacem Dei diſponentem animum ad ipſum, prout quodā priori, præſcindit ab inhærentia, & receptione animi, ad quam dilectio charitatis diſponit, nimirum, quia ipſa inhærentia, & receptio ad efficiendum non eſt neceſſaria habitui ſupernaturali. Ergo habitus ſupernaturalis non inhærens, ſed aſſiſtens tantum poterit actum ſupernaturalem efficere.

Confirmatur.

22. Sed quidquid ſit de hac Thomiſtarum opinione ſic probo. Habitus ſupernaturalis nō indiget vnione cum animo, vt reipſa exiſtens operetur. Ergo ſine vnione per creationem exiſtens poterit operari, & cum animo actum ſupernaturalem efficere. Probatur antecedens. Habitus vnione cum animo ſolum indiget vt exiſtat in rerum natura; nam ſemel exiſtens ſecum defert totam virtutem, & actiuitatē ſuam, quæ ab ipſius entitate indiſtincta eſt. At hæc vnio quoad exiſtentiam ſuppletur per creationem, cum extra ſubiectum per creationem exiſtentiam obtineat. Ergo ſine vnione cum animo per creationem exiſtens eiuſdem actiuitatis eſt. Exemplo ſint accidentia Euchariſtica,

Digitized by Google

quæ à ſubiecto naturali obiuncta in eoſdem effectus actiua ſunt, in quos erant coniuncta. Pari ergo ratione erit de habitu ſupernaturali dicendum. Altius confirmatur; Animus, & habitus ſunt duæ cauſæ partiales efficientes actus ſupernaturalis. At vt vna cauſa efficiens partialis integretur per aliam non indiget vnione cum illa. Ergo, vt animus integretur, & compleatur per habitum ſupernaturalem non indiget vnione cum illo. Maior fuſe ſancita eſt ſuperioribus. Probatur minor pluribus exemplis. Deus, & creatura efficiunt partialiter plures effectus, duo ignes conueniunt in eandem combuſtionem, ſol, & terra in productionem plantarum, & ſimiles aliæ cauſæ, quæ nulla vnione coniunctæ ſunt. Vt quid igitur habitus ſupernaturalis coniungetur animo ad efficiendum actum ſupernaturalem? Cum ſine vnione ad animum per creationem exiſtētia patiatur, nullamque vnio cum ſubiecto habitui potius, quam alijs cauſis actiuitatem cōferat. Demum adde, ſi placet, commune argumentum. Non ſunt neganda poteſtati abſolutæ Dei, quæ non euincuntur implicare. At actum aliquem ſupernaturalem fieri per auxilium extrinſecum non euincitur implicare, vt explicatione argumentorum, quam tradimus ſectione præcedenti manifeſtum fit; quin vrgentioribus fundamentis ſtabilitur oppoſita ſententia, vt præmiſſis argumentis cernes. Ergo negandum non eſt poteſtati abſolutæ Dei poſſe fieri actum ſupernaturalem per auxilium extrinſecum.

Aliter confirmatur.

Quarta ratio.

SECTIO QVARTA.

Sanctus Thomas aduerſatur Thomiſtis.

S. Thomas.

23. Noſtræ ſententiæ patrocinatur ſanctus Thomas, ſuiſque refragatur Thomiſtis. Huius mentis ſentiunt eſſe ſanctum Thomam ex antiquioribus, quos adduximus num. 17. Durandus num. 23. *De poſſibili tenet Frater Thomas lib. 4. d. 45 quod beata viſio poteſt communicari homini exiſtenti in puris diſpoſitionibus viæ, & ita non habenti lumen gloriæ.* Durandus autem, licet doctrinam ſancti Thomæ non tueatur, recte tamen callebat illam. Idem iudicant Ioannes de Neapoli, & Carthuſianus. Ex recentioribus Palatius, Zumel, Victoriaque ab ipſo relatus, AEgidius de Præſentatione, Antonius Perez, & omnes ſocietatis Theologi nu. 13. relati.

Durandus. Ioannes de Neapoli. Carthuſianus. Palatius. Zumel. Victoria. AEgidius. Antonius Perez.

24. Omnium argumentum, illudque efficaciſſimum eſt teſtimonium ex 4 d. 49. q. 2. art. 7. *Contingit aliquando Diuina virtute, quod aliqua res miraculoſe perducatur in aliquod, in quod nullo modo poteſt, per aliquas diſpoſitiones ſibi inhærentes: ſicut quod virgo pariat, quod ignis in aqua comburat. Et ſimiliter miraculoſe fieri poteſt Diuina virtute, quod aliquis intellectus creatus non habens niſi diſpoſitiones viæ eleuetur ad videndum Deum per eſſentiam.* Præmiſerat autem diſpoſitiones viæ eſſe ſpecies à phantaſmatibus acceptas, per quas in ſe ſolū cognoſcit obiecta creata *Homo per diſpoſitiones omnes, quas habet in ſtatu viæ, non poteſt in aliquod amplius, niſi vt intelligat, quidquid intelligit per ſpecies a ſenſu abſtractas, quia phantaſmata ſunt intellectui noſtro, vt ſenſibilia ſenſui.* Nunc ſic arguo. Homo exiſtens ſolis diſpoſitionibus inhærentibus viæ poteſt diuinitus viſionem beatam elicere. At inter diſpoſitionem viæ non comprehenditur aliqua qualitas inhærens efficiens viſionem Dei, ſed collectio ſola ſpecierum, quæ à phantaſmatibus accipitur, & in referendis obiectis creatis dumtaxat occupatur. Ergo elici poteſt viſio Dei ſine vlla qualitate inhærente ſupernaturali, quæ in actionem talis viſionis deſtinetur. Maior eſt aperta ex primo teſtimonio. Minor ex ſecundo. Conſequentia optima eſt. Alioqui, aut homini exiſtenti cum ſolis diſpoſitionibus viæ non eſſet poſſibilis viſio Dei, cum neceſſaria ſit qualitas ſupernaturalis inhærens, quod eſt contra primum teſtimonium, aut ea qualitas quamuis non accepta per ſenſus, nec in cognitionem immediatam obiecti creati deſtinata inter viæ diſpoſitiones numeranda eſt, quod eſt contra ſecundum. Similia habet Angelicus Doctor q. 10. de veritate art. 11. vbi præmittit hanc doctrinam; *Aliqua actio poteſt alicui conuenire dupliciter, vno modo ſic, quod illius actionis principium ſit in agente, vel in operante, ſicut videmus in omnibus naturaliter operantibus. Alio modo ſic, quod principium illius operationis vel motus ſit à principio extrinſeco; ſicut eſt in motibus violentis, & ſicut eſt in operationibus miraculoſis, quæ non fiunt, niſi virtute Diuina, vt illuminatio cæci, ſuſcitatio mortui &c. Menti autem noſtræ in ſtatu viæ non poteſt conuenire viſio Dei per eſſentiam ſecundū primum modum.* Poſt adductam vero rationem excludendi priorem modum agendi per principium intrinſecum in ſtatu viæ, ſic ſtatuit de ſecundo modo agendi per principium extrinſecum. *Sicut autem Diuinæ omnipotentiæ ſubiecta ſunt corpora, ita & mentes. Vnde ſicut poteſt perducere aliqua corpora ad affectus, quorum diſpoſitio in prædictis corporibus non inuenitur, ſicut Petrum ſuper aquas ambulare, ſine hoc quod dotem agilitatis ei tribueret, ita poteſt mentem ad hoc perducere, vt Diuina eſſentia vniatur illo modo, quo ſibi vnitur in patria ſine hoc, quod à lumine gloriæ perfundatur.* Igitur poteſt omnipotentia Diuina humanam mentem perducere ad efficiendam viſionem Dei per principium extrinſecum. Conſequentia manifeſta eſt ex diſcurſu præmiſſo, & exemplis propoſitis à ſancto Thoma.

Teſtimonium ſancti Thomæ.

Illuſtratur.

25. Hinc præoccupata manet prior ſolutio, quæ his teſtimonijs adhiberi ſolita eſt; ſcilicet ſanctum Thomam eis ſolum negare qualitatem ſupernaturalem permanētem, non vero tranſeuntem. Quoniam teſtimonio adducto ex 40. ſentent. aperte docet hominem poſſe videre Deum exiſtentem ſolis diſpoſitionibus viæ, vt vidimus at vero inter diſpoſitiones viæ comprehendi non poteſt qualitas ſupernaturalis quamuis tranſiens efficiens viſionem Dei, quia illæ ſolum qualitates definitæ ſunt à ſancto Thoma eſſe diſpoſitiones viæ, quæ referunt obiecta creata, & medijs phantaſmatibus, ac-

Prior reſponſio deficit ut.

Digitized by Google

quiſitæ. Ruſus teſtimonio producto ex qu. 10. de veritate manifeſte diſtinguit duplicē modū agēdi viſionem, alterum ab intrinſeco alterum ab extrinſeco, reiecto autē priori ab intrinſeco conceſſit intellectui poſteriorem agendi ab extrinſeco. At modus agendi viſionem per qualitatem inhærentem, quamuis tranſeuntem, eſt agendi modus ab intrinſeco, ſicut is, quo agitur viſio per qualitatem permanentem, ſiquidem tam intrinſeca eſt intellectui qualitas trāſiens, ac permanens. Ergo. Demum exempla, quæ proponuntur, id ſuadent. Nam virtute Diuina abſque qualitate ſupernaturali inhærenti etiam tranſeunti poteſt virgo parere, homo calcare mare, cæcus viſionem elicere, & alia id genus poſſibilia ſunt. Ergo omne genus qualitatis intrinſece excluſum eſt à Diuo Thoma neceſſarium ad viſionem Dei.

Poſterior reſponſio infirmatur.

16. Alia ſolutione occurrunt Thomiſtæ, nimirum ſanctum Thomam correxiſſe, ac retractaſſe 2.2. quæſt. 175. art. 3. ad 2. priorem ſententiam, quam docuerat in 4. ſententiarum. Nam ibi ſic ait. *Diuina eſſentia videri ab intellectu creato non poteſt, niſi per lumen gloriæ. Quod tamen dupliciter poteſt participari. Vno modo, per modum formæ immanentis, & ſic beatos facit ſanctos in patria. Alio modo per modum cuiuſdam paſſionis tranſeuntis, ſicut eſt de lumine prophetiæ, & hoc modo lumen illud fuit in Paulo, quando raptus eſt.* Vbi etiam ad miraculoſam eleuationem intellectus in via requirit lumen gloriæ intrinſecum per modum cuiuſdam paſſionis tranſeuntis. Quæ ſolutio ab omnibus tribuitur Capreolo ibidem quæſt. 4. ad 4. Durandi fine? Libenter audio ſanctum Thomam tenuiſſe in 4. ſententiarum noſtram opinionem. Nunc probo non retractaſſe illam 2.2. teſtimonio ſuperiori. Primo, quia ſanctus Thomas ſcribit q. 13. de verit. art. 2. eadem, quæ ex 2.2. obiecta ſunt. At credibile non eſt ſanctum Thomam retractaſſe qu. 13. de verit. art. 2. quæ docuerat qu. 10. de veritate. Ergo neque illa retractauit 2.2. Bona eſt conſequentia. Maiorem probat hoc teſtimonium qu. 13. de verit. art. 2. ſimile illi ex 2.2. obiectum eſt. *Lumen gloriæ dupliciter menti infunditur vno modo per modum formæ materialis, & permanentis, & ſic facit mentem ſimpliciter beatam, & hoc modo infunditur beatis in patria. Alio modo contingit mentem humanam lumen gloriæ, ſicut quædam paſſio tranſiens, & ſic mens Pauli in raptu fuit lumine gloriæ perfuſa, vel illuſtrata.* Minor videtur perſpicua. Quis enim credat, tam citam, & breuem correctionem in Angelico Doctore profundè præuidente poſteriora, antequam ſtatuerit priora? Si enim in eadem quæſtione ferendum non eſt, quidquam ſibi contradicens docere, neque ego feram in qu. 10. quidquam præmittere quod in quæſt. 13. ipſius doctrinæ repugnet. Præſertim cum ipſi facile fuerit ante editum opus in lucem, quod minus ſibi probabatur, delere. Satius igitur eſt credere, ſanctum Thomam ſemper in eodem fuiſſe iudicio conſtantem. Quod ſecundo inde eſt apertum, quia ea, quæ opponuntur ex 2.2. recte cohærent cum ijs, quæ nos propoſuimus ex libro 4. ſentent. & qu. 10. de veritate vt mox

Capreolus

oſtendimus. Prætereo coniecturas illorum, qui arbitrantur commentaria in libros ſentent. elaborata fuiſſe poſt ſummam Theologicam, vt poſtremum Angelici Doctoris iudicium habeamus, quod Thomiſtæ vltro fatentur ſenſiſſe in 4. ſentent. de poteſtate eliciendi viſionem per auxilium extrinſecum, quia incertum per incertius ſtatuere non libet.

Aliud argumentum mentis Angelicæ.

27. Secundum argumentum huius ſuffragij ſancti Thomæ ſit, quod manifeſtum facimus diſp. 30. ſect. 19. nempe ab ipſo ſentiri, auxilium intrinſecum non eſſe totam virtutem agendi, ſed naturam rationalem ſeipſa immediate ſeorſim ab auxilio ſupernaturali partialē actiuitatem in actum ſupernaturalem conferre. Nam aduerſarij eo ſolum principio innituntur ad negandum actionem ſupernaturalem naturæ per auxilium extrinſecum, quia auxilium intrinſecum eſt naturæ tota virtus agendi actum ſupernaturalem, & natura nulla ex ſe actiuitate immediata viget in actum ſupernaturalem. Et quidem bene; nam admiſſa naturæ actiuitate immediata ſeorſim ab auxilio ſupernaturali nō eſt quod negetur naturæ actio immediata per auxilium extrinſecum; quidquid alij cum Caietano contendant. Et quidem conſentienter ad alia principia eiuſdem Præceptoris Angelici ea actio detrahi non poteſt. Docet enim 1. p. quæſt. 105. art. 5. corpore initio: *Erroneum eſt dicere, Deum non poſſe facere per ſe ipſum omnes determinatos effectus, qui fiunt per quamcunque cauſam creatam.* Ergo iuxta hanc doctrinam poterit Deus poteſtate ſua abſoluta efficere per ſe ipſum cum natura rationali actum ſupernaturalem, quem poteſt per auxilium ſupernaturale creatum. Animum aduerte, cum colligo ex ſancto Thoma, poſſe Deum facere per ſe ipſum actum ſupernaturalem, quem poteſt efficere per auxilium extrinſecum, non eſſe collectionem de eodem actu indiuiduo, ſed de eodem actu, quoad rationem ſpecificam, ſaltem eam, quæ ex obiecto, & alijs principijs extrinſecis, quæ efficientia non ſunt, deſumitur. Nam, vt vidimus ſuperioribus, actus indiuiduus elicitus per auxilium extrinſecum fieri non poteſt per extrinſecum, quia eſt actio tali principio eſſentialiter adſtricta, quamuis alius actus eiuſdem rationis quoad ſpecies deſſumptas ex obiecto, modo tendendi in illud, alijſque ſpecificantibus extrinſecis, à principio efficienti diuerſis, poſſit fieri per auxilium extrinſecū Dei. Neque Scopo S. Thomæ in eo articulo aliud eſt opus.

Reſponſio Thomiſtarum.

28. Reſpondent Thomiſtæ, poſſe quidem Deum efficere per ſe actum ſupernaturalem, quem poteſt per auxilium ſupernaturale creatum, verum id non poſſe, ſi natura rationalis in actionem concurſura ſit, cum tota agendi virtus ſit naturæ auxilium ſupernaturale creatum. Aliud enim eſt Deum efficere in natura actū ſupernaturalem per auxilium extrinſecū, aliud efficere per auxilium extrinſecū cum natura, ſiue efficere per auxiliū extrinſecū, vt natura faciat. Prius quidem Deo poſsibile eſt, & id ſolum aſſeritur eo teſtimonio à ſancto Thoma; poſterius & impoſſibile, & à ſancto Thoma minime aſſertum. Sed contra; S. Thomas

Improbatur.

tribuit

Digitized by Google

tribuit naturæ rationali virtutem immediatam agentem, per quam ſeorſim ab auxilio agat, vt oſtendimus diſp. 30. ſectione 19. Ergo poteſt Deus efficere, vt natura rationalis per ſuam actiuitatem agat opus ſupernaturale eleuata à Deo per auxilium extrinſecum. Nam ſicut pertinet ad infinitatem Dei eleuare poſſe naturam, vt agat per auxilium creatum, ita pertinet ad eius infinitatem eleuare poſſe per ſe ipſum, vt agat. Etenim ratio, qua ſanctus Thomas probat propoſitionem ſuperiorem eſt, quia quidquid continet perfectionis cauſa creata in genere cauſæ efficientis finitæ, continere debet cauſa increata infinita. At poſſe agere actũ ſupernaturalem cum natura rationali, perfectionis eſt in auxilio creato. Ergo id contineri debet in poteſtate infinita cauſæ increatæ. Conſentiens igitur eſt doctrinæ ſancti Thomæ proceſſio actus ſupernaturalis à natura rationali adiuta per auxilium extrinſecum.

Argumentum Thomiſtarum eneruatur.

29. Audiamus nunc Thomiſtas, & quibus præceptorem Angelicum ſibi patrocinantem plaudunt, videamus. Totam fidem conferunt in teſtimonium allatum num. 26. ex 2.2. quæſt. 125. art. 3. eoque plerique ipſorum putant in aliam deueniſſe mentem, priori, quam habuit in. 4. ſent. repugnantem. Verum ego altius ſentio de conſtantia mentis Angelicæ, facilluſque doctrinam vtrobique traditam cõpono. Aliud enim eſt, quid poſſet Deus poteſtate ſua omnino abſoluta à legibus rerum naturæ conſentaneis, & prouidentiæ, qua eas de facto moderatur; aliud quid re ipſa egerit de facto, cum rapit intellectum viatoris in ſui viſionem. Igitur libro 4. ſententiarum, & quæſt. 10. de veritate diſcernit ſanctus Thomas prius, atque ita ſtatuit, poſſe diuina virtute eleuari intellectum hominis in via, abſque vlla diſpoſitione, ſeu qualitate inhærente. Poſterius ſolum expendit 2.2. q. 13. & 30. de veritate, ideoque decernit reipſa Paulum raptum in viſionem Dei lumine gloriæ tranſeunte, illuſtrante intellectum Pauli. Recte autem componitur, Paulum adhuc viatorem de facto adductum in viſionem Dei per lumen gloriæ breuí durans, quod poſterius dixit ſanctus Thomas, & potuiſſe nihilominus virtute Diuina omnino abſoluta adduci, eleuariue ſine vllo lumine inhærenti, cum non omnia poſſibilia poteſtati abſolutæ Dei ſint re ipſa ſacta. Quod prius docuerat. Nos autem de poteſtate Dei omnino abſoluta quæſtionem habemus.

Opponuntur duo.

30. Sed oppones duo. Primum, ſanctum Thomam eo teſtimonio non ſolum definite Paulum raptum eſſe de facto ad viſionem Dei per lumen inhærens, licet cito tranſiens, verum etiam, eam viſionem aliter ſine lumine fieri non poſſe. Secundum, differere expreſſe ſanctum Thomam de poteſtate abſoluta Dei, quia agit de raptu viatoris miraculoſo, quæ ſola poteſtate abſoluta contingit. Libens equidem cogor huic oppoſitioni reſpõdere. Duobus illam facile ſuperabis, & totam iam capies Præceptoris mentem. Primo, ſi ponas ex natura rei iuxta conditionem ſubiecti, & prouidentiam præſentem ſupremi agentis, non poſſe fieri viſionem Dei ſine auxilio inhærenti, quidquid fit non habito reſpectu ad conditionem ſubiecti, & prouidentiam præſentem Dei. Ita dicemus diſputatione ſequenti. Deinde, ſi notes, poſſe quidpiam fieri miraculoſe, & poteſtate abſoluta Dei, quoad aliquem modum agendi, & poteſtate ligata, & rebus conſentanea, quoad alium; vt licet miraculum ſtatuat Deus eleuando viatorem in viſionem Dei, tribuendoque illam extra patriam: nolit tamen, talem viſionem fieri aliter, quam conditio ſubiecti, & ordinaria prouidentia poſſit, ex ſuppoſitione, quod viſio facienda eſt, ſcilicet per lumen inhærens, quamquam ſi vellet poſſet ſtatuere, vt viſio non ſolum à viatore, ſed etiam per auxilium extrinſecum fieret. Nũc ad primum, ideo abſolute dicitur non poſſe fieri viſionem ſine lumine, quia ex natura rei, & iuxta conditionem ſubiecti, & prouidentiam præſentem Dei aliter fieri repugnat, vt recte dicitur abſolute non poſſe fieri ſine concurſu actus intellectus; quamuis etiam opinione aduerſariorum poſſit fieri à ſolo Deo intellectu mere patiente, quia id ex natura rei, & iuxta præſentem prouidentiam repugnat. Ad ſecundum vero, ideo raptus Pauli miraculoſus eſt, quia licet ſuppoſita eleuatione viatoris ſeruatæ ſunt quoad modum agendi viſionem conditiones conſentaneæ, eiſque ligata operata fuerit potentia Dei, tamen ipſa eleuatio viatoris ad viſionem Dei, etiam per intrinſecum lumen miraculoſa eſt, & poteſtate Dei à legibus ordinarijs, & conſentaneis exigentiæ rerum abſoluta contingens. Itaque talis raptus Pauli miraculoſus fuit ſolum inadæquate, non adæquate, quia licet fuerit miraculum in eleuando viatorem in viſionem Dei, ſed tamen non fuit miraculum in modo eleuandi, ſed per lumen eleuatus fuit, prout connaturalis rerum conditio poſcit. Quare arbitror ſanctum Thomam idem ſentire, quod ego nũc ſentio. Scilicet non poſſe intellectum abſolute elicere viſionem Dei ſine lumine gloriæ, quia ex natura rei tale lumen neceſſarium eſt, cæterum poteſtate omnino abſoluta Dei poſſe eleuari ſine lumine gloriæ. Quamuis re ipſa nuſquam ita eleuatus ſit, licet miraculoſe fuerit Paulus in viſionem Dei perductus, quia miraculum Pauli non fuit effectum poteſtate omnino abſoluta, ſed partim abſoluta, quoad eleuationem intellectus in via, partim ligata rebus, quoad modum connaturalem eleuandi. Igitur illud prius docuit ſanctus Thomas in lib. 4. ſent. & q. 10. de veritate. Hoc poſterius nihilo priori repugnans, docuit 2.2. & q. 13. de veritate.

Ad primũ.

Ad ſecũdũ.

Ad reſponſionẽ prænotantur duo.

Expeditur Capreolus.

31. Nunc addo, cum Capreolus dicit ſanctum Thomam retractaſſe ſententiam, non eſſe intelligendam retractationem quoad poteſtatem abſolutam eleuandi intellectum humanum in viſionem Dei per auxilium extrinſecum, ſed quoad factum ſolum Pauli, & aliorum, qui in via ad videndum Deum rapti fuerint; de quo ſolum diſſeruit. Etenim putauit Capreolus, ſanctum Thomam in 4. ſententiarum de facto admiſiſſe eleuationem intellectus in viſionem Dei per auxilium extrinſecũ,

Digitized by Google

ea ſic correxiſſe 2.2. poſterius. Quare Capreolus nobis contrarius non eſt, vt attigi n.6. Idemque de alijs priſcis Thomiſtis ſentio, qui non egerunt de poteſtate Dei omnino, & adæquate abſoluta, ſed miraculoſe rapiente intellectum viatoris in viſionem Dei, iuxta conditionem tamen connaturalem rerum, vt eos legenti perſpicuum fiet.

Aliud Thomiſtarũ argumentum

32. Alijs teſtimonijs arguunt Thomiſtæ ſui Præceptoris mentem, nempe eis, quæ iudicant ſacramenta non efficere gratiam iuſtificantem, per virtutem ſibi identificatam, ſed per ſuperadditam qualitatẽ. Ergo idem ſentire credendum eſt de potentia rationali efficiente actus ſupernaturalis. Cum æque ſit Improportionata ad actus ſupernaturales virtus naturalis potentiæ rationalis, ac eſt ad gratiam iuſtificantem efficiendam virtus naturalis ſacramentorum. Item potentia naturalis eſt cauſa principalis; ſacramenta vero inſtrumentalis. Ergo ſi cauſa inſtrumentalis indiget virtute ſuperaddita, potius indigebit cauſa principalis. Antecedens oſtenditur ex 3. p. qu. 62. art. 4. *Ponendo quod ſacramentum eſt cauſatiuum gratiæ, neceſſe eſt ſimul ponere, quod in ſacramento ſit quadam virtus ſacramentalis ad inducendum ſacramentalem effectum.* Item qu. 78. art. 4. agens de verbis conſecrantibus. *Quidam dixerunt nullam virtutem creatam eſſe in prædictis verbis ad transſubſtantiationem faciendam, quod & dictis ſanctorum repugnat, & derogat dignitati ſacramentorũ nouæ legis. Vnde cum hoc ſacramentum ſit præ cæteris dignius, dicendum eſt, quod in prædictis verbis ſit virtus creata ad conuerſionem faciendam.* Ergo virtus creata ſacramentis inhęrẽs ad effectus ſacramẽtales cõcedenda eſt.

Prima ſolutio.

33. Primo ad antecedens reſpondeo. Ac imprimis teſtimonia adducta ad ſummum ſolum probant ineſſe ſacramentis virtutem creatam agentem gratiæ iuſtificantis, non vero eam eſſe ſuperadditam, nam in eorum ſententia, qui agnoſcunt virtutem obedientialẽ phyſice actiuam gratiæ, ineſt ſacramentis virtus creata ad efficiendum gratiam, non vero realiter ſuperadditam. Deinde virtutem realiter ſuperadditam ſolum probant nunc exiſtentem, quia is eſt modus magis connaturalis agendi per cauſas ſecundas, caſu quo talis virtus ſuperaddita poſſibilis ſit. At non probant aliter ſacramenta efficere nõ poſſe poteſtatę omnino abſoluta Dei. Quod erat probandum aduerſus noſtram ſententiam, quæ de facto tuetur actus ſupernaturales fieri per auxilium intrinſecum, poſſe tamẽ poteſtate omnino abſoluta Dei fieri per auxilium extrinſecum. Secundò ad conſequentiam reſpondeo. Diſcrimen eſt latum inter ſacramẽta, & potentiam naturalem rationalem. Nam vt potentiæ rationali demus virtutem obedientialem immediate agẽtem actuũm ſupernaturaliũ extant innumera argumenta Theologica, quæ non extant, vt eandem tribuamus ſacramentis agentem immediate gratię, vt euidenter cernere eſt ex ijs quæ in eius probationẽ adduximus diſp. 10. Quandoquidem ea, quæ ex ſacris litteris, SS. Patribus, Theologicisq; rationibus euincũt, actus ſupernaturales immediate fieri poſſe actione naturæ rationalis, non euincunt, gratiam iuſtificantem fieri actione immediata ſacramentorum. Igitur poteſt defendi opus eſſe ſacramentis virtute ſupernaturali ſuperaddita, quæ ſit virtus agendi actus ſupernaturales. Sufficiat nunc euidens proportionis diſcrimen. Etenim actus ſupernaturales eſſẽtialiter exigũt fieri immediate à natura rationali, gratia vero non exigit fieri à ſacramentis. Vnde ideo potius, quia potentia naturalis eſt cauſa principalis nõ indiget virtute ſuperaddita: & ſacramenta, quia ſunt cauſa inſtrumẽtalis indigent eiuſmodi virtute: nimirum, quia cauſæ principalis eſt agere virtute propria, inſtrumẽtalis vero agere virtute extrinſecus accepta. Præter quam quòd falſum eſt, potentiam rationalem eſſe cauſam principalem, cum probauerimus, quà efficiens eſt, inſtrumentalem eſſe diſputatione 31. De quibus omnibus plenius agemus diſputatione quadrageſima prima.

SECTIO QVINTA.

Sententia Patris Arrubal expenditur.

34. RElinquimus, contra Thomiſtas poſſe fieri diuinitus aliquem actum ſupernaturalem ſine auxilio ſupernaturali efficiente intrinſeco, ſequentibus examinãdum; an omnes ſupernaturales actus poſſint diuinitus fieri à natura rationali ſola actione auxilij ſupernaturalis extrinſeci? Qua in re Pater Arrubal 1. p. diſputatione 20. nu. 26. diſtinguit inter actus neceſſarios, & liberos: putatque actus neceſſitate elicitos poſſe effici ab animo ſine auxilio ſupernaturali efficienti intrinſecus; ſecus vero actus elicitos libere. Auxilium vero intrinſecum ſic efficiens docet eſſe habitum ſupernaturalem, cum adeſt; cum abeſt vero, gratiam eſſe præuenientem, ſcilicet illuſtrationem intellectus, & affectionem ſimplicem voluntatis, quæ omnem ſemper liberum voluntatis cõſenſum neceſſario antecedit. Sic probat. Voluntas illos tantum actus efficit libere, quos elicit à ſe inclinatione intrinſeca. At voluntas non habet ſibi naturalem, & innatam inclinationẽ intrinſecam in actus ſupernaturales. Ergo vt eos efficiat libere, habere debet infuſam; nã qui actus ab intrinſeca animi propenſione non procedunt, nequeũt reddi liberi à libertate intrinſeca voluntatis. Confirmarique poteſt ex Trid. ſeſſ. 6. c. 5. aſſerente *Hominem ſine gratia Dei mouere ſe ad iuſtitiam coram Deo libera ſua voluntate non poſſe*, quam gratiam præmiſerat eſſe intrinſecã, nimirum illam per quam *cor hominis tangitur Spiritus ſancti illuminatione, & inſpiratione.* Ergo ſine gratia intrinſeca illuminante non poteſt eſſe libera hominis motio in Deum. Item confirmari poteſt à S. Thoma 2.2. qu. 23. art. 2. dicente charitatem non eſſe Spiritum ſanctum extrinſece ſolum aſſiſtentem, *quia moueret voluntatem vt inſtrumẽtum, quod etſi ſit principium actus, non tamen eſt in ipſo agere, vel non agere, ſed in Spiritu ſancto mouẽte.* Ergo ſẽtit Angelicus Præceptor, repugnare libertatem, per quam ſit in noſtra

Explicatur.

P. Arrubal.

Probatur.

Confirmatur. Tridentin.

S. Thomas.

Digitized by Google

poteſtate agere, vel non agere, cum auxilio ſupernaturali Spiritus ſancti ſolum extrinſece aſſiſtente, atque ita ad libertatem neceſſarium eſſe auxilium intrinſece inhærens.

Reijcitur primo.

35. Hæc ſententia non placet. Primo quia abſque fundamento ſtatuit diſcrimen inter actum ſupernaturalem liberum, & neceſſarium, vt ille exigat auxilium intrinſecum efficiens, iſte verò patiatur ſolum aſſiſtens. Noto prius, auxilium actuale gratiæ, quod in ſententia Patris Arrubal non diſtinguitur ab illuminatione intellectus, & affectione ſimplici voluntatis, duplicem concurſum præſtare poſſe in conſenſum liberum voluntatis; alterum in genere cauſæ formalis alliciendo, & mouendo voluntatem, quemadmodum illuſtratio, & affectio naturalis, quę in conſenſum naturalem ſolo concurſu formali, & non efficienti mouent, vt ipſe Pater Arrubal admittit; alterum in genere cauſæ efficientis, ſubſtituendo concurſum habitus ſupernaturalis, qui efficiens eſt. Non eſt præſens diſputatio de priori concurſu in genere cauſæ formalis; de quo alibi diſſeremus, an ad omnem actum abſolutum ſupernaturalem neceſſaria ſit ſupernaturalis motio illuſtrationis, & affectionis ſupernaturalis? decernemuſque poſſe diuinitus fieri conſenſum voluntatis ſupernaturalem abſque illuſtratione, & affectione ſupernaturali, ſed illuſtrationem, & affectionem naturalem diuinitus ſufficere. Et nunc decerno, ſi ad liberum amorem cognitio ſupernaturalis neceſſaria eſt; neceſſarium quoque fore ſupernaturalem cognitionem ad amorem abſolutum neceſſario, & non libere elicitum. Nam indigentia cognitionis naturalis ad amorem ſupernaturalem non innititur in libertate amoris, ſed ex ea tendentia voluntatis, quæ ſiue libere, ſiue neceſſario non fertur in obiectum non cognitum cognitione ſibi proportionata, quæ ad amorem ſupernaturalem, ſupernaturalis eſſe debet. Hæc autem ratio communis eſt etiam ad amorem abſolutum neceſſarium. Ergo. Identidem iudico de ſimplici affectione ſupernaturali, quæ conſenſum voluntatis non antecedit neceſſario, quia liber eſt, ſed quia abſolutus, & efficax eſt. Igitur æque ad amorem abſolutum neceſſarium, ac liberum erit neceſſaria motio ſupernaturalis in genere cauſæ formalis. Hæc obiter dicta ſunt. Diſputatio igitur eſt de poſteriori concurſu efficienti, quidquid ſit de neceſſitate prioris concurſus formalis.

Probatio conficitur.

36. Et quidem concurſum efficientem auxilij ſupernaturalis intrinſeci ſine fundamento adſtrui à Patre Arrubal diuinitus neceſſarium ſic probo. Vt actus ſupernaturalis fiat libere, neceſſaria non eſt inclinatio intrinſeca poſitiua in eum actum. Totum autem fundamentum Patris Arrubal eſt inclinatio intrinſeca poſitiua neceſſaria ad actum liberum. Ergo tale fundamentum nullum eſt. Probatur maior. Ad libertatem actus ſufficit poteſtas indifferens ad agendum actum, & non agendum. Poteſtas autem indifferens ad agendum actum, & non agendum poteſt conuenire voluntati abſque inclinatione intrinſeca poſitiua auxilij intrinſeci efficientis actum. Ergo ad libertatem actus non eſt neceſſaria inclinatio poſitiua intrinſeca principij efficientis. Probatur minor. Poteſtas indifferens ad agendum & non agendum conſtituta eſt ex duplici poteſtate, altera agendi, altera non agendi. Poteſtas agendi per ſe poteſt conuenire ſine inclinatione auxilij intrinſeci, ſiquidem ad actum neceſſarium adeſt voluntati poteſtas agendi per ſolum auxilium extrinſecum, poteſtas vero non agendi actum ſupernaturalem, aut non conuenit voluntati ex gratia Dei; cum nolle actum ſupernaturalem poſſit competere voluntati ſine gratia, aut ſaltem non requirit inclinationem poſitiuam ad agendum, ſed potius ad non agendum. Ergo poteſtas indifferens ad agendum, & non agendum actum ſupernaturalem non vendicat inclinationem poſitiuam intrinſecam ad actum ſupernaturalem. Confirmatur. Voluntati eſt liberum non agere actum naturalem ſicut agere. Tamen voluntati non competit inclinatio poſitiua intrinſeca ad non agendum, ſed potius ad agendum. Ergo vt aliquod extremum ſit voluntati liberum, non requiritur inclinatio intrinſeca voluntatis, ſed ſufficit indifferentia.

Confirmatur.

Reijcitur ſecundo.

37. Secundo reijcitur præcedens opinatio. Quia eſto requiratur aliqua inclinatio intrinſeca volūtati in actum ad eius libertatem, non eſt opus auxilium intrinſecū efficiens, ſed ſufficit formale; etenim volūtatem inclinare per gratiā in actum ſupernaturalem non eſt effectus præſtitus à gratia in genere cauſæ efficientis, ſed formalis; nam hæc inclinatio, & motio intrinſeca gratiæ competit voluntati in actu primo antecedenti actualem efficientiam voluntatis, ex eo ſcilicet, quod bonum voluntati proponitur ab intellectu, & voluntas delectatur in illo, ideoque talis inclinatio, & motio eſt quaſi principium, à quo actus procedit, vt vere dicatur fieri actum ſupernaturalem ex inclinatione intrinſeca volūtatis. At motio, & inclinatio gratię antecedens, & mouens in actualem efficientiam voluntatis propoſitione, & delectatione boni præſtatur à gratia in genere cauſæ formalis; ad id namque ſufficit, illuſtrationem intellectus, & affectionem ſimplicem voluntatis vniri immediate animo. Ergo ad inclinationem poſitiuam gratiæ non requiritur concurſus efficiens, ſed ſufficit formalis. Cōfirmatur. Peccator eliciens dilectionem efficacē Dei ſine habitu charitatis efficiente, vt putat Pater Arrubal, non eſt minus propenſus in illum, quàm idemmet iuſtus eliciens alium actum continuo poſt iuſtificationem acceptam. Tamen principium efficiens actus ſupernaturalis eliciti à iuſto non eſt gratia præueniens, mouens & trahens voluntatem, ſed habitus infuſus, qui non eſt inclinatio potentiæ in actum ſupernaturalem, de quo infra. Ergo non requiritur inclinatio poſitiua principij efficientis, ſed ſufficit principij formalis, quod peccatori, & iuſto cōmune eſt, nimirum illuſtratio intellectus, & affectio ſimplex voluntatis; quæ peccato-

Confirmatur primo.

Digitized by Google

ri; & iuſto adſunt ad diligentum efficaciter Deum.

Secundo. Confirmatur ſecundo. Non minus eſt opus inclinatio intrinſeca voluntatis ad actum ſupernaturalem, quà voluntatiuis eſt, quàm ad actum, quà liber eſt, nam actus ſupernaturalis exigit eſſe ab intrinſeco quâ voluntarius, ſicut qua liber, vt manifeſtat definitio communis voluntarij actus. At in ſententia Patris Arrubal, vt actus ſupernaturalis ſit naturæ rationali voluntarius, non eſt neceſſarium auxilium intrinſecum efficiens, ſed ſufficit formale, nempe cognitio intellectus, & affectio voluntatis mouens, & eliciens ſolum in genere cauſæ formalis, ſiquidem actus neceſſitate elicitus eſt voluntarius: actus autem neceſſitate elicitus in ſententia huius autoris fieri poteſt ſine auxilio intrinſeco efficienti. Ergo vt actus fiat inclinatione requiſita ad libertatem non eſt neceſſarium auxilium intrinſecum efficiens.

Tertio deſeritur P. Arrubal.

38. Tertio deſeritur Pater Arrubal. Quia amor neceſſarius naturalis non indiget auxilio intrinſeco efficienti. Ergo neque eo indiget actus liber. Vt probemus conſequentiam, pone fieri neceſſario actum miſericordiæ, quia ſola proponitur honeſtas abſque malitia, aut quia efficaciter imperatur à voluntate, aut quia negatur à Deo concurſus ad actum oppoſitum. Item eum ſic elicitum neceſſario fieri ſine concurſu efficienti auxilij intrinſeci. Tum ſic arguo. Idemmet actus miſericordiæ, qui exiſtente imperio, & iudicio determinato eſt neceſſarius, poteſt tranſire in liberum, ſuperaddita ſolum cognitione malitiæ, aut detracto imperio efficaci illius. At quod propoſitio honeſtatis ſuperaddatur malitiæ propoſitio aut detrahatur nunc imperium efficax, quod prius inducebat talem actum, non eſt neceſſario variandus concurſus gratiæ in homine exiſtentis, ita vt ea, quæ prius ſolum conferebat concurſum formalem, poſterius neceſſario conferat efficientem: incredibilis enim eſt neceſſitas huius actus, præſertim in ſententia tribuente actibus voluntatis libertatem ſolum extrinſecam. Igitur gratia præueniens non efficit neceſſario actum ſupernaturalem liberum, potiuſquam neceſſarium.

Prima ſolutio argumenti.

39. Nunc plana eſt explicatio argumenti. Primo negando ad actum liberum requiri intrinſecam aliquam inclinationem voluntatis in illum.

Secunda. Secundo, eſto ea inclinatio neceſſaria ſit, aſſerendo talem inclinationem non eſſe neceſſario gratiæ intrinſece influentis efficienter, ſed ſufficere gratiæ eſſe influentis formaliter. Quæ duo ex dictis liquida ſunt. Ad Tridentinum reſpondeo. Primo differit de neceſſitate gratiæ influentis ex natura rei, non vero poteſtate abſoluta Dei. Secundo agit de neceſſitate concurſus gratiæ abſtrahentis, à concurſu efficienti, & formali, vt ſufficiebat ſcopo Concilij, non de neceſſitate gratiæ determinate efficientis.

Ad S. Thomam.

Ad ſanctum Thomam reſpondeo. Ibi Angelicus præceptor differit de Spiritu ſancto ita extrinſece aſſiſtente, & agente, vt nulla voluntati relinquatur actio immediata, & à ſe. Nam ſi ea relinquatur, poterit voluntas, quamuis inſtrumentum agens & extrinſecùs completum, operari libere.

SECTIO SEXTA.

Examinatur ſententia Ægidij de Præſentatione.

Proponitur & probatur

40. AEgidius de præſentatione tom. 2. de beatitudine libro nono, quæſt. 6. ſ. 5. iudicat omnes actus ſupernaturales fieri poſſe diuinitus ſine auxilio intrinſeco Dei, excepta viſione beata, quæ fieri non poteſt ſine lumine gloriæ. In quod iudicium adducitur AEgidius; Quia licet Deus poſſit ſupplere concurſum cauſæ ſecundæ efficientis, tamen ſupplere non poteſt concurſum cauſæ formalis. At reliqua principia habitualia intrinſeca naturæ rationali, & ex natura rei neceſſaria ad actus ſupernaturales ſolum concurrunt in genere cauſæ efficientis præter lumen gloriæ, quod in vtroque genere efficientis, & formalis influxum præſtat. Ergo quamuis reliqui actus ſupernaturales poſſint fieri diuinitus ſine auxilio intrinſeco, non poterit fieri viſio Dei ſine lumine gloriæ. Quare etiam in lumine gloriæ admittit AEgidius ſuppleri poſſe à Deo concurſum efficientem: verum quia ſuppleri non poteſt concurſus formalis, ideo abſolute negat fieri poſſe viſionem ſine lumine gloriæ. Formalem autem concurſum luminis ſic probat. Lumen non ſolum concurrit efficiendo viſionem, ſed etiam manifeſtando obiectum. Nam ad quamcumque viſionem neceſſaria eſt manifeſtatio obiecti per aliquod lumen præcedens, quare ad viſionem corpoream manifeſtatur obiectum per lumen cæleſte; ad apprehenſionem intellectualem, per phantaſma: ad iudicium per apprehenſionem: ad concluſionem per præmiſſas: denique ad actum fidei, qui interdum vocatur viſio, per illuſtrationem infuſam. Ergo etiam ad viſionem ſupernaturalem Dei neceſſaria eſt manifeſtatio præcedens per lumen ſupernaturale gloriæ. Tunc ſic. Hæc manifeſtatio ſpecialis luminis inter omnes actus ſupernaturali non fit à lumine in genere cauſæ efficientis, ſed formalis; tum quia exempla adducta ſolum in genere cauſæ formalis ſua manifeſtant obiecta; tum quia hæc manifeſtatio præſtatur ante omnem efficientiam viſionis. Igitur lumen gloriæ concurrit in viſionem Dei cauſalitate formali. Quod confirmat teſtimonijs Auguſtini, & Diui Thomæ aſſerentibus, nihil poſſe videri ab intellectu, ſine aliquo lumine naturali, aut ſupernaturali, manifeſtum faciente intellectui obiectum videndum.

Diſplicet. Primo.

41. Etiam hæc opinio diſplicet. Primo quia viſio Dei poteſt fieri ſine lumine gloriȩ efficienti; vt datur ab ipſo AEgidio, darique neceſſario debet, cû fateatur reliquos actus ſupernaturales poſſe fieri ſine habitibus, & alijs qualitatibus efficientibus, à quibus lumen concurſu efficienti non differt. Ergo abſolute poteſt fieri viſio

Digitized by Google

Dei ſine lumine gloriæ. Probatur conſequentia, quia lumen non exhibet in viſionem Dei concurſum formalem, ſed efficientem dumtaxat. Etenim manifeſtatio obiecti non fit à lumine gloriæ in genere cauſæ formalis, ſed efficientis, quatenus determinat intellectum ad efficiendum manifeſtationem formalem, quæ eſt ipſa viſio Dei. Nam manifeſtatio obiecti facta intellectui per lumen gloriæ non eſt in actu ſecundo; ſed ſolum in actu primo efficienti manifeſtationis formalis actualis. Manifeſtatio enim obiecti fieri intellectui non poteſt in actu ſecundo, niſi per actum ipſius intellectus proponentem ipſi, & repreſentantem formaliter obiectum; quo ſane modo manifeſtatur intellectui obiectum per apprehenſionem ad iudicium; & per iudicium præmiſſum ad concluſionem. Alius namque manifeſtandi modus formalis eſſe non poteſt in actu ſecundo, ſed in actu primo efficienti congnitionis actualis, quæ eſt formalis manifeſtatio in actu ſecundo: ita lumen materiale manifeſtat colorem viſus, quia coniunctum cum illo ſpeciem impreſſam efficit, exprimentem actualem viſionem coloris; eadem ratione phantaſma dicitur illuminare intellectum, & ſpeciem impreſſam illuſtrare potentiam cognoſcentem, quia inducunt intellectum in actualem repreſentationem, ſeu manifeſtationem formalem obiecti. Neque aliud re ipſa intelligibile eſt per iſtam manifeſtationem formalem factam intellectui per lumen. Nam ſi re ipſa obiectum prius occultum ſit in actu ſecundo intellectui manifeſtum, non poteſt non intellectui eſſe in actu ſecundo notum: obiectum enim in actu ſecundo manifeſtum intellectui, & notum idem eſt; abſque notione autem, ſeu cognitione obiectum intellectui notum eſſe non poteſt in actu ſecundo. Ergo ſola manifeſtatio in actu primo efficienti, non in actu ſecundo formali fieri poteſt per lumen gloriæ.

Explicatur probatio.

42. Explicatur; Angelus ad ſui viſionem non indiget aliquo lumine concurrente in genere cauſæ formalis, ſed ſolius efficientis, nam ſolo intellectu, & obiecto præſenti efficitur illa viſio. Ergo ſimiliter viſio Dei fiet intellectu roborato virtute efficienti, & virtute Diuina præſenti. Nam eſſe præſentiſſima eſt natura Diuina intellectui beati, ſicut eſt natura Angeli intellectui ipſius, & intellectus beati roboratus ſola virtute efficienti viſionis, tantum habet in viſionem Dei, quantum intellectus Angeli in ſui viſionem, in quam ſolum exercet munus efficiendi. Dicet AEgidius in viſionem Angeli concurrere lumen naturale intellectus Angelici. Bene; Lumen naturale intellectus Angelici non influit in viſionem in genere cauſæ formalis, ſed efficientis dumtaxat; nam hoc lumen eſt indiſtinctum realiter à virtute naturali ipſius intellectus, quæ in viſionem ſolum præſtat concurſum efficientem. Ergo abſque lumine concurrente formaliter efficitur ab Angelo viſio naturalis ſui. Ac per conſequens fieri etiam poteſt abſque lumine gloriæ formaliter concurrenti viſio ſupernaturalis naturæ Diuinæ. Confirmatur ſecundo. Habitus efficiens actum fidei dicitur lumen fidei, ſicut habitus efficiens viſionem dicitur lumen gloriæ; & ſicut comparatur habitus efficiens viſionem Dei cum ipſa viſione Dei, ita habitus efficiens actum fidei cum ipſo actu fidei. At habitus fidei cum actu fidei ſolum comparatur tanquam principium efficiens, & non formale. Quare ab ipſo AEgidio admittitur poſſe fieri actum fidei ſine habitu. Ergo etiam lumen gloriæ comparatur cum viſione Dei, ſolum tanquam principium efficiens, & non formale.

Secundo improbatur AEgidius.

43. Secundo eſto, Lumen conferat in viſionem Dei concurſum formalem; tamen viſio non eſt effectus formalis primarius luminis, ſed ſecundarius dumtaxat. Etenim lumen gloriæ realiter adæquate diſtinguitur à viſione Dei, effectus autem formalis non diſtinguitur realiter adæquate à forma. At poteſt effectus ſecundarius ſeparari diuinitus à forma, vt inductionem facienti per innumeras formas conſtare poteſt, præſertim eas, quæ ad explicationem ſuæ ſententiæ AEgidius ſuperius adduxit; poteſt enim iudicium eſſe diuinitus abſque apprehenſione formaliter manifeſtante obiectum; actus concluſionis ſecundum entitatem abſque præmiſſis; viſio corporea abſque lumine naturali ſolis, & abſque phantaſmatum illuſtratione apprehenſio intellectualis. Ergo ſimiliter eſſe poterit viſio Dei abſque lumine gloriæ, quamquam in genere cauſæ formalis manifeſtatione præuia obiecti præluceat. Explicatur; ſicut Deus non poteſt obire munus cauſæ formalis, ſic nec poteſt munus cauſæ materialis. Nihilominus poteſt efficienti concurſu ſupplere diuinitus concurſum materialem, vt cernimus in Euchariſtia. Ergo ſimiliter poterit concurſum formalem ſecundarium ſupplere.

Ad argumentum AEgidij.

44. Ex his prompta eſt reſponſio ad argumentum AEgidij. In primis nego lumen gloriæ præbere concurſum formalem, in viſionem Dei, quia manifeſtatio Deitatis facta per ipſum non eſt formalis, & in actu ſecundo, ſed ſolum efficiens, & in actu primo. Deinde eſto formalem concurſum præbeat, nego non poſſe ſine eo concurſu diuinitus fieri viſionem, quia eius concurſus non eſt viſio primarius effectus, ſed ſecundarius, quæ ſatis liquida ſunt impugnatione ſententiæ ſuperioris.

SECTIO SEPTIMA.

Vulgare reliquorum placitum deſeritur, noſtrumque concluditur.

Proponitur communis ſententia omnino affirmans.

45 IDeo reliqui Theologi fere omnes, qui contra Thomiſtas tuentur, poſſe aliquem actum ſupernaturalem effici ſine auxilio ſupernaturali intrinſeco, pariter tuentur omnes ſupernaturales actus fieri poſſe auxilio ſupernaturali extrinſeco, nullumque eſſe, in quem

auxilium intrinſecum diuinitus neceſſarium ſit: *Probatur primo.* Mouentur primo, quia nulla implicantia adduci poteſt, ad aliquam ſpeciem actuum ſupernaturalium, quæ vniuerſo generi communis non ſit. Ergo, aut omnis actus, aut nullus aſſerendus eſt dependens eſſentialiter ab auxilio intrinſeco. *Secundo.* Secundo, quia natura, vt condiſtincta ab auxilio ſupernaturali agit immediate omnem actum ſupernaturalem, quandoquidem auxilium intrinſecum ſupernaturale non eſt ad vllum tota agendi ratio; aliunde auxiliũ ſupernaturale intrinſecum ex natura rei neceſſarium ad actum ſupernaturalem non eſt principium vitale. Ergo poteſt natura immediate efficere actum ſupernaturalem ſine auxilio intrinſeco ſupernaturali. Nam Deus infinita ſua virtute ſupplere poteſt omnem concurſum efficientem non vitalem, vt ſupplet pleroſque, qui exiguntur à natura. Ita fere omnes relati numero 13.

Noſtra ſententia media.

46. Etiam ego huic ſententiæ ſubſcriberem, ſi cum eis Auctoribus ponerem, actum vitalem productum à potentia vitali eſſe qualitatem diſtinctam ab actione vitali, & non pendentem à potentia, & omnibus principijs efficientibus eſſentialiter, ac per ſe ſine actione diſtincta. Verum quia libro de anima docui, actus vitales productos à potentia vitali non eſſe diſtinctos ab actione, pendereque eſſentialiter, ac per ſe ab omnibus principijs efficientibus ipſius, ideo nunc conſequenter ſtatuendum puto, eſſe aliquod genus actuum ſupernaturalium, quod neque diuinitus fieri poteſt ſine auxilio intrinſeco, nempe illud, quod ex natura rei actionem terminat auxilij actualis ſupernaturalis intrinſeci. Roboratur. Actus ſe ipſo immediate, ac eſſentialiter pendens ab vno principio efficienti non poteſt diuinitus fieri ſine illo; nam ſi fieri ſine illo poſſet, non eſſet ſibi eſſentialis, & identificata dependentia, & proceſſio actualis ab illo, ſiquidem ſeparatio realis termini à dependentia actuali principij vnicum facit, idque euidens argumẽtum diſtinctionis realis termini à dependentia actuali talis principij. At datur certum genus actuum ſupernaturalium pendentium per ſe ac eſſentialiter per actionem ſibi identificatam à principio intrinſeco ſupernaturali, nempe illud quod re ipſa & ex natura rei fit concurſu efficienti auxilij intrinſeci: ſiquidem ponimus ex libro de anima, omnes actus vitales ex ſuis principijs efficientibus pendere eſſentialiter, ac per ſe per actionem ſibi identificatam. Ergo illud genus actuum ſupernaturalium, quod ex natura rei exigit principium ſupernaturale intrinſecum, non poteſt etiam diuinitus fieri ſine auxilio ſupernaturali intrinſeco.

Plena explicatio, & probatio noſtræ ſententiæ.

41. Vt autem mentem noſtram comprehendas, obſerua primo. In noſtra ſententia duplex eſſe genus auxilij ſupernaturalis intrinſeci efficienti concurſu influentis in actum ſupernaturalem; alterum eſt habituale, quo fiunt actus ſupernaturales eliciti à iuſto, in quo præſentibus habitibus ſupernaturalibus efficientia actuũ ſupernaturaliũ alio principio ſupernaturali deferenda non eſt, vt tract. de gratia auxiliante tradidi, & in hoc opere oſtendemus; alterũ actuale, nempe gratia præueniens, illuſtrationem intellectus, & affectionem voluntatis inefficacem complectens, quo fiunt abſentibus habitibus ſupernaturalibus actus eliciti à peccatore, vt eodem tractatu docui, oſtendamque fuſe libro 1. probans ex Concilijs, Patribus & Theologicis rationibus dandam gratiæ actuali efficientiam in actus ſupernaturales. Obſerua ſecundo, cum actus ſupernaturales damus eſſentialiter pendentes ab auxilio ſupernaturali intrinſeco, non tam eſſe eos, qui fiunt auxilio habituali, quam eos, qui fiunt auxilio actuali. Nam licet vtriq; ab auxilio ſupernaturali create eſſentialiter pendeant; tamen ab actuali pẽdent, vt animæ intrinſeco, ab habituali vero poſſunt pendere quamuis extrinſeco. Quippe à gratia præuenienti effici repugnat actus ſupernaturalis, quin ipſa animæ intrinſeca ſit; nam indiſtincta eſt ab illuſtratione intellectus, & ſimplici affectione voluntatis, quæ eſſentialiter ſunt animo intrinſecæ; ſaltem præuenientis gratiæ munus obire repugnat abſque vnione cum animo. At vero ab habitu intrinſeco fieri poſſunt actus ſupernaturales, quamuis intrinſecus non ſit, ſed per creationem productus animo aſſiſtat. Itaque pendent eſſentialiter ab habitu, ſed non vt inhærenti naturæ, cum & inhærentia ad agendum non ſit habitui diuinitus neceſſaria; ſed poſſit eodem modo, eademque actione efficere actum productus per creationem mere aſſiſtens, ac productus per eductionem intrinſece inhærens. De quo ſatis ſec. 3. Obſerua rurſus, poſſe nihilominus fieri actũ ſupernaturalem in abſentia habituum ſupernaturalium præcedente auxilio gratiæ actualis, quin principium ſupernaturale efficiens ſit intrinſecum, ſed extrinſecum. Nam poteſt gratia actualis ſolo concurſu formali influere in actum ſupernaturalem ſuplente Deo per auxilium extrinſecum concurſum efficientem habitus. Quare non in omnes actus in quos præſtat gratia actualis concurſum formalem, præſtat quoque efficientem, cum formalem conferat etiam in actus elicitos ab habitibus, in quos tamen nullum confert influxum efficientem; idcircoque poſſit eundem concurſum formalem exhibere abſentibus habitibus, præbente eorum concurſum efficientem auxilio ſolum extrinſeco. Solum igitur verum eſt, eos omnes actus, quorum gratia actualis efficiens eſt, non poſſe fieri ſine efficientia gratiæ actualis, quamuis poſſit gratia actualis præcedere in genere cauſæ formalis plures, quorum auxilium extrinſecum tantum efficiens eſt.

Ad primũ argumentũ communis ſententiæ.

48. Iam argumenta vulgaris ſententiæ diluta manent. Primum, quia tradita eſt manifeſta implicantia, quare actus eliciti concurſu efficienti gratiæ actualis non poſſunt fieri concurſu efficiẽti alterius principij extrinſeci; quia à principio eſſentialiter intrinſeco, eſſentialiter pendent tanquam ab efficienti principio. *Ad ſecundũ.* Secundum vero, quia ea ratione ſtatuitur manifeſtum diſcrimen inter actus vitales, & alios, qui vitales non ſunt, vt illis adeo ſuppleri non poſſit concurſus efficiens principij creati etiam

Digitized by Google

non vitalis, quia vitalis actus ſuapte natura habet pendere eſſentialiter per actionem ſibi identificatam, à quocunque principio efficienti, non vero reliqui effectus non vitales. Quod ex libris de anima ponendum eſt.

SECTIO OCTAVA.

Quæ colligantur ex dictis.

Primum corollarium.

49. EX quibus colligitur, cum agit natura actum ſupernaturalem per auxilium mere extrinſecum, robuſtiorem Deo concurſum conuenire in eum efficiendum, quam cum agit natura per auxilium intrinſecum. Ratio eſt, quia tunc in vnum Dei concurſum conueniunt concurſus duplicis cauſæ, nempe concurſus cauſæ vniuerſalis, ac primæ, & concurſus cauſæ particularis, ac principij ſupernaturalis intrinſeci, qui ad alios actus ſupernaturales neceſſarij ſunt. Quemadmodum Deus maiori influxu incumbit in efficiendum viſionem intuitiuam ſui, in quam confert, tum influxum cauſæ primæ communem, tum immediatum influxum obiecti particularem, quàm in efficiendum viſionem ſui, in quam ſolum præbet concurſum generalem cauſæ ſecundæ, relicto ſpeciei impreſſæ creatæ concurſu immediato obiectiuo, ſic ea ſpecies poſſibilis eſt. Item alio concurſu efficit ignem Deus conſortio alterius ignis, alio efficit ſolus. Ergo alio, eoque robuſtiori efficit actum ſupernaturalem ſine auxilio creato intrinſeco, alio cum auxilio intrinſeco. Quod explicatur manifeſtius; ſi actiones diuerſarum cauſarum in eundem effectum diuerſæ ſint. In ea enim philoſophia Deus agens ſolum per modum cauſæ primæ vnica tantum actione, agens vero per modum auxilij particularis extrinſeci duplici actione diſtincta in actum ſupernaturalem efficiendum incumberet. Quia vero ea philoſophia vera non eſt, ideo actio Dei agentis ſine auxilio ſupernaturali intrinſeco aſſeritur æquiualens duplici actioni, vel vnicæ à duplici principio procedenti.

50. At rogabis, quodnam ſit ex parte Dei hoc auxilium extrinſecum, ex quo robuſtior iſta actio procedit? an decretum; an omnipotentia diuina ſit? Reſpondeo ex vtroque coaleſcere. Ex omnipotentia, tanquam ex principio efficienti omnino indifferenti ad præſtandum vtrumque genus actionis, ſiue actus, (quoniam ad eius infinitatem ſpectat vtrumque genus actionis, ſiue actus continere,) & ex decreto libero Dei, tanquam ex principio formali determinante omnipotentiam, ad vnum actionis; ſeu actus ſupernaturalis genus potius quàm aliud. Aliud enim eſt decretum ſtatuens efficere actum ſupernaturalem cum auxilio intrinſeco, aliud ſtatuens efficere ſine illo, cum obiectum diuerſum ſit. Atque ita aliter omnipotentia ſuam actionem præſtabit imperio vnius decreti, aliter imperio alterius.

51. Colligitur ſecundò, iuxta noſtra principia de facto nullum fere voluntatis affectum ſupernaturalem, ſiue liberum, ſiue neceſſarium, ſiue ſimplicem, ſiue efficacem effici ex natura rei per auxilium extrinſecum. Nam iuxta noſtra principia efficiens eſt actus ſupernaturalis gratia actualis præueniens per ſe actum ſupernaturalem, ſiue ea ad intellectum, ſiue ad voluntatem pertineat. At nullus eſt voluntatis affectus, quem per ſe aliqua gratia actualis non præueniat, ergo. Dixi ferè; quia caſum excipio in quo voluntas vltra intenſionem, & virtutem habitus, & gratiæ actualis intendat affectum ſupernaturalem; quem puto poſſibilem ex natura rei, quamuis raro ſit. Itaque ex natura rei ſolæ illuſtrationes intellectus, quibus infideles, & peccatores fideles vocantur, dicendæ ſunt fieri per auxilium extrinſecum. Nam ad eas efficiendas nullum præcedit auxilium intrinſecum ſupernaturale, neque habituale, nec actuale. Secundum corollarium.

52. Colligitur tertio in eorum ſententia, qui gratiæ actuali negant efficientiam in actus ſupernaturales, fieri de facto per auxilium extrinſecum omnes actus virtutum moralium elicitos à peccatore. Quandoquidem ſ[illegible] excluſa gratia actuali efficienti nullum reſtat auxilium intrinſecum, quo fiant; nam qualitates naturâ fluentes omnino reſpuimus. Quare etiam contritio diſponens ad iuſtificationem efficietur auxilio extrinſeco, ſi vera eſt ſententia negans habitui charitatis influxum in illam. De quo diximus tract. de iuſtificatione. Tertium corollarium.

DISPVTATIO TRIGESIMAQVINTA.

AN EX NATVRA REI POSSIT NATVRA RATIOnalis efficere actus ſupernaturales ſine auxilio intrinſeco.

Controuerſia.

PRÆMISIMVS diſputatione ſuperiori ſect. 1. prouidiſſe Deum iuſtis habitus ſupernaturales, & ſect. 8. auxilia actualia gratiæ peccatoribus, vt actus ſupernaturales efficiant: atque ita vix vnum deliberatum, ac perfectum intellectus, aut voluntatis actum fieri, qui actio

Digitized by Google

ne auxilij intrinſeci non fiat. Quærimus nunc an ſi aliter eſſet prouiſum à Deo, fieret contra naturalem conditionem, & exigentiam rerum? ſiue an ex natura rerum prouideri potuit, vt auxilio extrinſeco efficerentur. Quod à nullo Theologo in diſputationem adducitur, ſed ab omnibus auxilium intrinſecum ex natura rei neceſſarium ſupponitur, cuius rationem efficacem diu ego apud Theologos deſideraui.

SECTIONES.

1. *Expenduntur momenta ſententiæ, affirmantis neceſſitatem naturalem auxilij intrinſeci.*
2. *Notationes ad explicationem veræ ſententiæ.*
3. *Vera ſententia explicatur.*
4. *Vlterior explicatio veræ ſententiæ.*

SECTIO PRIMA.

Expenduntur momenta ſententiæ, affirmantis neceſſitatem naturalem auxilij intrinſeci.

1. EX iis, quæ ſcriptores Theologici obiter attingunt, dum ſententiam affirmantem ſupponunt, ſequentia poſſunt confici argumenta pro illa, quorum aliud auxilium extrinſecum aduerſari ex natura rei exigentiæ actus, aliud conditioni potentię rationalis, vt agentis, aliud, vt patientis, aliud aſſueto, & connaturali ordini prouidentię diuinæ contendit. Vt enim actus ſupernaturalis fiat ex natura rei per auxilium extrinſecum, neque conditioni naturali actus, neque agentis, neque ſubiecti repugnare debet. Primum argumentum probat auxilium extrinſecum aduerſari exigentiæ naturali actus. Actus ſupernaturalis, quia vitalis eſt, exigit fieri à principio intrinſeco ſibi proportionato. Sed natura ſine auxilio ſupernaturali intrinſeco, non eſt intrinſece proportionata ad efficiendum actum ſupernaturalem. Ergo actus ſupernaturalis, quia vitalis eſt, exigit fieri auxilio intrinſeco ſupernaturali. Verùm hoc argumentum in hanc rem frequens nullam mihi facit vim. Quoniam actus ſupernaturalis procedens diuinitus per auxilium extrinſecum eſt vitalis. Tamen ille actus non exigit ſuapte natura fieri per auxilium intrinſecum. Ergo actus ſupernaturalis, qua vitalis, non exigit ex natura rei auxilium intrinſecum. Maior, & conſequentia probatione non egent. Probatur facile minor ex ſuperioribus principiis, quæ ex lib. de anima poſuimus. Actus procedens à natura per auxilium extrinſecum repugnat fieri per auxilium intrinſecum, cum eſſentialiter ſit pendens ab auxilio extrinſeco per actionem ſibi identificatam, & non poſſit variare actionem, quin varietur natura ipſius actus, à qua actio indiſtincta eſt. Ergo is actus non exigit ex natura rei auxilium intrinſecum. Item in aliorum ſententia diſtinguentiū actionem ab actu, actio ipſa ſupernaturalis procedens ab auxilio extrinſeco eſt vitalis. Tamen ea actio ex natura rei non poteſt fieri per auxiliū intrinſecum, ſed extrinſecum dumtaxat; à quo eſſentialiter pendet. Ergo vitalitas actus poteſt componi ex natura rei cùm auxilio extrinſeco.

Primum argumentum.

Eiei atun

2. Dices, actus, & actiones ſupernaturales procedentes per auxilium extrinſecum non poſtulare auxilium intrinſecum ſecundùm rationem indiuiduam, quia indiuiduæ actiones, ſeu actus eſſentialiter pendent ab auxilio intrinſeco: tamen poſtulare auxilium intrinſecum ſecundum rationem ſpecificam, quia ſunt eiuſdem ſpeciei cum actibus, qui exigunt auxilium intrinſecum. Sed contra. Actus ſupernaturales eſſentialiter pendentes ab auxilio extrinſeco diſtinguuntur ſpecie ab actibus, qui pendent ab auxilio intrinſeco. Ergo ſupernaturales procedentes ab auxilio extrinſeco, etiam ſecundum rationem ſpecificam, repugnant auxilio intrinſeco. Antecedens oſtendi lib. de anima, quia ſicut actus ſpeciem ſumunt ab obiectis, quæ reſpiciunt formaliter propter ſe, ita etiam à principiis, quæ formaliter propter ſe reſpiciunt; nam vterque reſpectus eſt formalis, & eſſentialis actui. At actus eſſentialiter pendentes à principio reſpiciunt illud formaliter, & propter ſe. Ergo ſpeciem ſumunt ab illo. Deinde eſto, ſint eiuſdem ſpeciei actus pendentes eſſentialiter à principio ſupernaturali intrinſeco, & extrinſeco; actus ſupernaturalis ſecundum rationem ſpecificam non exigit poſitiuè principium ſupernaturale intrinſecum, neque extrinſecum, ſed præſcindet ab vtroque. Nam ſicut actus exigentes principium extrinſecum, ſunt eiuſdem ſpeciei cum actibus exigentibus principium intrinſecum, ita actus exigentes principium intrinſecum ſunt eiuſdem ſpeciei cum actibus exigentibus principium extrinſecum. Ergo non eſt quare ratio ſpecifica vtriſque communis exigat principium intrinſecum, aut extrinſecum, ſed ab vtroque præſcindet. Sicut ratio generica animalis communis differentiæ æqui, & leonis non exigit determinate vnam differentiam, potius quàm aliam, ſed pręſcindit ab vtraque. Explicatur; Ratio ſpecifica communis duobus indiuiduis non poteſt intrinſece continere prædicatum aliquod repugnans differentiæ indiuiduæ ipſorum, nam ratio ſpecifica ſecundum ſe eſt indifferens ad vtrumque indiuiduum; ad vtrumque autem

Vrgebitur.

Redargutio.

Explicatur redargutio.

indifferens eſſe non poſſet, ſi contineret prædicatum aliquod eſſentiale alicui differentiæ ipſorum repugnans, vt animal non poſſet eſſe indifferens ad hominem, ſi contineret eſſentialiter irrationalitatem, aut aliud prædicatum repugnana differentię hominis. Sed exigentia determinata principij ſupernaturalis intrinſeci eſt prædicatum repugnans ineſſe actui exigenti ſolum principium extrinſecum, & excludenti poſitiue principium intrinſecum. Ergo ratio ſpecifica talis actus non poteſt complecti eſſentialiter exigentiam principij intrinſeci, ſed ab vtriuſque principij tam intrinſeci, quàm extrinſeci exigentia pręſcindit. Atque actus ſupernaturalis procedens per principium extrinſecum ſecundum rationem ſpecificam non erit exigens principium intrinſecum, licet eiuſdem ſpeciei aſſeratur cum actu procedente à principio intrinſeco.

3. Ratio à priori totius doctrinæ eſt, quia, vt actus ſit vitalis, ſufficit, quod principium viuens, quod ſola eſt potentia rationalis immanenter operetur, neque opus eſt, vt reliqua principia actus, præſertim non vitalia, ſint intrinſeca naturæ viuenti: cognitio enim perfectiſſima eſt vitalis, quamuis Deus, & obiectum ſolum extrinſece in eius efficientiam conueniant. At principium viuens immanenter operatur, licet auxilium ſupernaturale ſit extrinſecum, ſiquidem actio, quam confert potentia rationalis cum illo, manet in principio viuenti, à quo proficiſcitur. Ergo auxilium extrinſecum nulla ratione minuit vitalitatem actus. Itaque ad vitalitatem actus requiritur, illum procedere à principio intrinſeco, ſed non proportionato intrinſece adæquate, ſed intrinſece inadæquate. Potentia autem rationalis agens per auxilium extrinſecum intrinſeca eſt naturæ, & inadæquate proportionata intrinſece. Ergo.

Secundum argumentum.

4. Secundum argumentum probat auxilium extrinſecum obeſſe modo naturali agendi naturæ rationalis. Natura viuens poſtulat determinari ab intrinſeco ad agendum ſuum actum. Si autem auxilium ſupernaturale eſt extrinſecum, non determinatur ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco ad agendum ſuum actum, ſiquidem principium tribuens virtutem agendi, & determinandi extrinſecum eſt. Ergo auxilium extrinſecum eſt contra modum agendi naturæ viuentis.

Confirmatur.

Confirmatur; Deus prouidit de facto naturæ rationali auxilia intrinſeca ad agendum immanenter, quæ non prouidit naturæ irrationali Sacramentorum ad agendum tranſeunter. Ergo magis conſentaneum eſt naturę rationali operari ad actus procedentes ab auxilio intrinſeco, quam actus procedentes ab auxilio intrinſeco. Alioqui cur prouidiſſet Deus naturæ rationali principia intrinſeca ad efficiendum ſuos actus ſupernaturales, cum ea non prouiderit naturæ irrationali ad efficiendum gratiam. Itaque ex duplici genere actuum ſupernaturalium poſſibilium naturæ rationali, aliorum procedentium per auxilium extrinſecum, & aliorum per auxilium intrinſecum, magis erunt conſentanei illi, qui vendicant auxilium intrinſecum.

Diluitur.

5. Hoc argumentum, ſi quidquam euincit, maxime neque diuinitus poſſe naturam viuentem modo viuenti elicere actum ſupernaturalem per auxilium extrinſecum, cuius oppoſitum modo ſupponimus. Quare ſicut natura agens diuinitus per auxilium extrinſecum reuera agit ab intrinſeco, ita etiam agit ab intrinſeco, quamuis ex natura rei ſolo auxilio extrinſeco iuuetur; nam ſi ratio, quare non determinabitur ab intrinſeco natura, ſi compleatur ex natura rei per auxilium extrinſecum, ea eſt; quia per auxilium extrinſecum tribuitur illi virtus agendi, aut ſe determinandi, quando diuinitus per auxilium extrinſecum compleatur; non ſe determinabit ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco. Si vero cum auxilio extrinſeco præſtito diuinitus componitur determinatio ab intrinſeco, etiam componetur cum auxilio extrinſeco præſtito ex natura rei. Itaque recte cohæret, naturam ſe determinare ab intrinſeco, ea ratione, quæ naturæ viuentis propria eſt, licet eleuetur ad agendum per auxilium extrinſecum: nimirum, quia naturæ viuentis non eſt ſe determinare ab intrinſeco, virtute omnium principiorum efficientium actum vitalem, ſed virtute ſolum inadæquata propria viuentis, ipſiuſque naturę idemtificata, & ab auxilio ſupernaturali diſtincta. Hac virtute autem ſemper determinatur ab intrinſeco, ſit, vel non ſit auxilium extrinſecum; nam ea virtus partialis ſemper eſt naturæ viuenti intrinſeca. Ad confirmationem fiet ſatis ſect. 3. & 4. vbi trademus rationem diſponendi naturæ rationali auxilia intrinſeca, & non irrationali, eſſe aliam, quam conditionem agendi naturæ viuentis propriam.

Tertium.

6. Tertium argumentum contendit oſtendere naturæ rationali, vt patienti aduerſari auxilium extrinſecum. Non poteſt actus ſupernaturalis fieri à natura rationali ex natura rei, niſi ſubiectum digne diſpoſitum ſit. At ſubiectum actus ſupernaturalis non eſt digne diſpoſitum abſque auxilio intrinſeco ſupernaturali. Ergo.

Debile.

Sed hoc argumentum roboris non eſt ex dictis diſp. 26. vbi excluſimus neceſſariam diſpoſitionem intrinſecam ſupernaturalem ad receptionem actus ſupernaturalis.

Quartum.

7. Quartum argumentum nititur perſuadere, obſtare auxilium extrinſecum modo connaturali auxiliandi Dei. Modus naturalis agendi cauſæ primæ, & vniuerſalis eſt, vt non efficiat ſolus tanquam cauſa particularis effectus, quos poteſt efficere per cauſas ſecundas particulares. At Deus poteſt efficere actus ſupernaturales per auxilia ſupernaturalia creata, quæ cum ſint accidentia, ſemper ſunt inhęrentia naturæ. Ergo.

Infirmatur.

Etiam hoc argumentum facile explicatur. Tunc eſt proprium cauſæ vniuerſalis, ac primę agere effectus creatos per cauſas particulares ſecundas, quando cauſæ particulares ſecundæ re ipſa ex natura rei exiſtentes ſunt. Cæterum cum cauſę ſecundę ex natura rei non ſunt exiſtentes, non eſt, quare Deus cauſas ſecundas efficiat, quibus ij effectus efficiantur. Poſſunt autem plures cauſæ ſecundæ poſſibiles non eſſe exiſtentes ex natura rei, etiam actiuæ

Digitized by Google

eorum effectuum, qui à ſolo Deo emanationem habent; nam vt plures effectus ſunt ex ſe indifferentes, vt fiant ab vna cauſa ſecunda, vel alia, poſſunt ſimiliter eſſe indifferentes, vt fiant à cauſa ſecunda cum prima, vel à ſola cauſa prima. Effectus autem eius conditionis recte poſſunt terminare actionem ſolius Dei, & exiſtentes eſſe ex natura rei, quamuis ipſę cauſæ exiſtentes non ſint. Eius autem conditionis poſſunt eſſe actus ſupernaturales ſaltem quoad ſpeciem, aut ſaltem non probatur argumento alterius conditionis eſſe. Igitur quamuis diceremus, poſſe actus ſupernaturales effici ſine auxilio intrinſeco, nullo Theologico argumento poſſet oppoſitum comprobari, atque ita ſententia affirmans neceſſarium eſſe ex natura rei auxilium intrinſecum, potius videtur inter Theologos poſita, quàm probata.

SECTIO SECVNDA.

Notationes ad explicationem veræ ſententiæ.

Notatio prima. 8. VT rem iſtam explicemus, noto primò, dupliciter intelligi auxilium intrinſecum ex natura rei neceſſarium prę extrinſeco. Primò, quia eſt neceſſarium ex lege ſola, & prouidentia ordinaria Dei independenter ab exigentia intrinſeca rerum; quo pacto neceſſarius eſt ex natura rei actus contritionis ad iuſtificationem extra ſacramentum, & gratia habitualis ad remiſſionem peccati mortalis, plurium Theologorum, & mea opinione. Secundo, quia neceſſarium eſt ex intrinſeca exigentia rerum creatarum, quo pacto neceſſaria eſt illuſtratio ſupernaturalis ad ſupernaturalem amorem.

Notatio ſecunda. 9. Noto ſecundo, res creatas, quarum exigentiæ neceſſarium ſit auxilium intrinſecum, eſſe poſſe, primo ipſum actum ſupernaturalem, in quem efficiendum auxilium deſtinatur; Secundo ipſam naturam rationalem ſecundum ſe ſeorſim ab alio dono ſupernaturali gratię, habituali, aut actuali, in quam iuuandam auxilium dirigitur; nam cum ipſa natura ſecundum ſe ſeorſim ab omni dono ſupernaturali ſuum partialem concurſum exhibeat cum auxilio Dei, ipſa ſecundum ſe ratione huius partialis concurſus poteſt exigere compleri, ſeu integrari per auxilium intrinſecum potiùs quàm extrinſecum. Tertio eſſe poſſe donum aliquod ſupernaturale pręcedens actum ſupernaturalem, vt gratiam habitualem, aut actualem, per quam natura ſaltem remote eleuatur ad illum efficiendum; atque ita eſſe naturam ipſam non ſecundum ſe, ſed eleuatam per dona ſupernaturalia, quæ poſtulet proxime, & vltimo compleri per actionem principij intrinſeci, potius quàm extrinſeci.

Tertia. 11. Noto tertio, naturam rationalem in homine iuſto inſtructã per gratiã iuſtificantem ratione gratiæ iuſtificantis exigere habitus ſupernaturales, qui naturam ipſam iuuēt ad actus ſupernaturales efficiendos, quia ipſa gratia habitualis eſt, quaſi natura quędam ſupernaturalis, à qua velut ex radice manant habitus ſupernaturales, & habitus ſeu proprietates illam ſectantur. Expoſuimus hæc tr. de gratia iuſtificante. Item naturam rationalem in peccatore inſtructam neceſſario auxiliis gratiæ actualis, ſcilicet illuſtratione intellectus, & affectione ſimplici voluntatis, mouentibus in genere cauſę formalis voluntatem in conſenſum ſupernaturalem, exigere ratione gratiæ actualis præſentis, vt efficientia actus ſupernaturalis in abſentia habituum deferatur ipſi actuali gratiæ illuſtrationis, & affectionis ſupernaturalis. Et vero gratias iſtas actuales per ſe, & ex natura rei eſſe neceſſarias, vt peccator actum aliquem virtutis moralis, aut Theologicæ exerceat, & rurſus abſentibus habitibus exigere efficientiam actus ſupernaturalis, docuimus tr. de gratia auxiliante, docebimuſque lib. 5. cumulate.

12. Noto quartò, actus ſupernaturales elicitos à natura rationali in via, eſſe duplicis generis, alios ſimplices, imperfectos, & inefficaces neceſſitate elicitos: alios deliberatos, efficaces, & perfectos elicitos libere. Illi ſunt illuſtrationes ſupernaturales intellectus, & affectiones ſimplices voluntatis, quæ gratiam pręuenientem conſtituunt, & per ſe omnem conſenſum deliberatum præcurrunt. Iſti vero ſunt actus ſequentes motionem principiorum, qui plenam aduertentiam intellectus, ac liberum voluntatis conſenſum requirunt. Quarta.

SECTIO TERTIA.

Vera ſententia explicatur.

13. NVnc iam mentem noſtram variis aſſertionibus producemus; diſtinctione enim opus eſt in re, quam implicitam, & ſine luce tradunt autores. Aſſero primo. Nullus actus ſupernaturalis, ſiue neceſſarius, ſiue liber poteſt fieri ex natura rei per auxilium extrinſecum, ſi attendamus primariam intentionem prouidentiæ diuinæ; ſecus ſi ſecundariam ſpectemus. In hoc ſenſu à nullo Theologo poteſt negari aſſertio, in eoque explicari debent plures, qui abſolute negant poſſe fieri actum ſupernaturalem per auxilium extrinſecum: vt ſuum Scotum exponit Faber in 3. diſp. 32. num. 21. Ratio aſſerti eſt, quia primaria intentio prouidentiæ diuinæ eſt, vt omnis natura rationalis natiuitate ipſa conſequatur gratiam iuſtificantem, & habitus infuſos ſectantes gratiam, in eaque ſemper perſeueret; in quem finem prouidit naturæ rationali Deus omnia auxilia neceſſaria, & pręter Dei intentionem contingit non obtineri eum finem, vt ex tract. de prædeſt. pono. At natura inſtructa gratia iuſtificante, & habitibus infuſis nullum elicit actum ſupernaturalem, ſiue liberum, ſiue neceſſarium, cui Deus non prouideat auxilium intrinſecum: nam non ſolum actus deliberati, ſed etiam actus indeliberati, ac imperfecti Aſſertio prima. Scotus. Faber.

ſunt efficientia habituũ,vt oſtendi tr.de gratia auxiliante, & oſtendam lib. 5. quandoquidem ad eandem virtutem efficientem ſpectant actus imperfecti, & perfecti. Ergo. At vero, quia hominum negligentiâ, & malitiâ deſtituitur natura rationalis his auxiliis intrinſecis,ſpectat ad prouidentiam Dei prouidere hominibus vocationes internas, illuſtrationes, & affectiones ſupernaturales trahentes infidelem ad fidem, & peccatorem ad pœnitentiam, quæ vt vidimus diſputat. ſuperiori, numer. 18. ſolo poſſunt fieri auxilio extrinſeco. Ordinaria igitur prouidentia Dei quamuis ſecundaria, interdum elicit actus ſupernaturales per auxilium extrinſecum.

Obiectio prima.

13. Obijcies primò. Adeo variæ ſunt vocationes internæ hominum, illuſtrationes ſcilicet, & affectiones ſupernaturales, quibus homines alliciuntur, ac inuitantur ad fidem, pœnitentiam,& virtutum reliquarum officia,vt incredibile ſit ineſſe iuſtis tot habitus infuſos, quot exigit varietas illuſtrationum, & affectionum ſupernaturalium, quibus homo præuenitur. Ergo etiam iuxta prouidentiam Dei deſunt ad plures actus ſupernaturales indeliberatos auxilia ſupernaturalia intrinſeca, quibus fiant. Huius ſententiæ eſt Pater Granadus controuer. 8. de gratia tract. 5. diſput. 2. num. 40. Ego vero aliter cenſeo. Duo enim mihi conſtantia ſunt. Alterum, præter habitum fidei ſtrictæ ineſſe intellectui plures alios habitus ſupernaturales proponentes honeſtatem peculiarem cuiuſcumque virtutis voluntariæ, & dirigentem voluntatem in amorem ipſius. De quo fuſe lib. 4. Alterum, illuſtrationem,& affectionem per ſe neceſſariam,ac præcurrentem actus perfectos, ac deliberatos virtutum effici ab iiſdem virtutibus, à quibus actus perfecti, ac deliberati fiunt; de quo agemus lib. 5. Quia illi idem obiectum formale reſpiciunt cum iſtis, ſoloque differunt modo reſpiciendi illud, qui non ſufficit, vt actus indeliberati, ac imperfecti extrahantur extra virtutem efficientem eiuſdem habitus: Igitur omnes illuſtrationes, & affectiones per ſe præuenientes omnem conſenſum, & actum perfectum virtutis, fiunt auxilio intrinſeco, quo efficitur ipſe conſenſus, ac perfectus virtutis actus. Verum ſane eſt interdum præter eas illuſtrationes, & affectiones ſupernaturales per ſe neceſſarias ad eum conſenſum, plures alios, eoſque varios pulſare voluntatem, vt eum eliciant. Sed hæ illuſtrationes, & affectiones, quæ reſpiciunt aliud obiectum formale intrinſecum diſtinctum ab obiecto formali intrinſeco, quo mouetur actus perfectus, ac deliberatus virtutis, non mouent per ſe, neceſſario, & intrinſece, ſed per accidens contingenter, & extrinſece. Atque interdum erunt ſupernaturales pertinentes ad alias virtutes, quarum obiecta formalia poſſunt extrinſece mouere voluntatem ad aliarum virtutum actus: vt voluntas bene affecta in finem pœnitentiæ mouetur in actum miſericordiæ cognitione, & affectione honeſtatis pœnitentiæ, in quam videt miſericordiæ actum conferre. Interdum poſſunt eſſe cognitiones, & affectiones naturales, quæ conſortio ſupernaturalium per ſe præeuntium momentum habent in motionem efficacem voluntatis ad ſupernaturalem conſenſum; vt lib. ſeq. exponemus diſput. 49. Igitur propter varietatem illuſtrationum, & affectionum præeuntium conſenſum voluntatis, non eſt, quare recurramus ad auxilia extrinſeca, quæ illas efficiant, ſicut non recurrimus ad efficientiam ipſius conſenſus, & actus perfecti. Nam illæ, quæ neceſſario, ac per ſe præcedunt, poſſunt effici per habitus, quibus fiunt actus perfecti. Illæ autem, quæ per accidens, & extrinſece alliciunt, aut ſunt ſupernaturales pertinentes ad alias virtutes, quibus ipſæ fieri poſſunt, aut ſunt naturales, quæ auxilium ſupernaturale extrinſecum, quo efficiantur, non requirunt.

P. Granadus.

Soluitur.

Obiectio ſecunda.

14. Obijcies ſecundo. Plerumque contingit, adeo intendi à iuſto virtutis actum, vt ſuperet intenſionem habitus. Tunc autem illa maior intenſio non poteſt fieri ab habitu. Ergo fiet per auxiliũ extrinſecum. De hoc argumento agemus diſput. 39. Nunc reſpondeo. Poteſt habitus efficere actum vltra intenſionem ſui. At quia virtus efficiens intenſionis actus in habitu limitata eſt, poterit actus non ſolum vltra intenſionem habitus, ſed etiam vltra virtutem efficientem augeri. Tunc autem defectum habitus ſupplet affectio ſimplex voluntatis, cui etiam vim efficientem actus ſupernaturalis cõuenire, ſtatuimus ſuperioribus, & oſtendemus lib. ſeq. Si vero ſupra vim etiam efficiẽtem affectionis ſupernaturalis augeſcat intenſio actus (de quo iure dubitari poteſt, cùm maiori intẽſioni amoris efficacis reſpondere videatur ex natura rei maior intenſio affectionis ſimplicis, ac proinde virtus quoque efficiendi intenſior) tunc poteſt actio deferri illuſtrationi ſupernaturali, quam ibidem efficientem actus ſupernaturalis, cenſuimus. Si denique intenſio actus vim etiam agentem illuſtrationis ſupernaturalis excedat, euentus adeò rarus habendus eſt, vt licet admittatur actum ſupernaturalem tunc effici à natura eleuata extrinſece, generalis regula, ſtatuens per ſe, ac primaria intenſione Deĩ ſemper fieri actum ſupernaturalẽ à natura eleuata intrinſece, vera ſit. Tum quia rariſſimi caſus non falſificant regulas generales. Tum quia abſolute ille actus non fiet per auxilium extrinſecum, cum maior pars illius auxilio intrinſeco fiat, & minima ſit pars, quæ auxilio extrinſeco relinquatur. Imo ſic poteſt diſtribui actio auxiliorum intrinſecorum, vt in omnes actus partes actionem exerceant, licet pars virtutis, quæ illis deficit, ſuppleatur in omnes auxilio extrinſeco Dei. Sed de hoc iterum erit ſermo diſp. 39.

Reſponſio.

Aſſertio ſecunda.

15. Aſſero ſecundo, ſi præciſe ſpectemus exigentiam actuum ſupernaturalium, plures actus ſupernaturales fiunt ex natura rei per auxiliũ extrinſecum. Probatur; omnes actus, qui poſſunt fieri diuinitus, aut ex natura rei per auxilium extrinſecum, non exigunt auxilium intrinſecum. Plures autem ſunt, qui diuinitus, aut ex natura rei poſſunt fieri per auxilium extrinſecum, non ſolum imperfecti, ac indeliberati, ſed etiam deliberati, ac perfecti. Ergo ſpectata ſolum exigentia actus ſupernaturalis, plures

Digitized by Google

poſſunt fieri ex natura rei per auxilium extrinſecum. Conſequentia eſt bona, minor ex diſputatione anteriori conſtans, maior ex iam poſitis perſpicua. Nam actus eliciti per auxilium extrinſecum pendent eſſentialiter ab illo, quin ſuapte natura poſſint fieri per auxilium intrinſecum. Ergo eiuſmodi actus non exigunt auxilium intrinſecum. Atque ita ex actibus ſupernaturalibus poſſibilibus alij exiſtunt connaturaliter per auxilium intrinſecum, nempe omnes qui poſſunt fieri à natura eleuata dono intrinſeco, alij connaturaliter per extrinſecum, nempe omnes qui fieri à natura poſſunt eleuata ſolum extrinſece.

Opponit Sforcia. 16. Sed oppones cum Sforcia lib.4. Summæ Theol. num. 2. omnis actus ſupernaturalis ſuapte natura ſupponit gratiam habitualē, quæ in ordine ſupernaturali eſt prima radix totius ordinis ſupernaturalis. At actus ſuapte natura ſupponentes gratiam habitualem exigunt fieri per auxilium intrinſecum, vt aſſertione præcedenti dicebamus, & dicemus ſect. 4. Ergo omnis actus ſupernaturalis ſuapte exigentia vendicat auxilium intrinſecum. Reſpondeo. Omnis actus ſupernaturalis ſupponit gratiam habitualem in intenſione, aut exequutione, quia omnis actus ſupernaturalis, aut eſt operatio ſequens iuſtitiam habitualem; aut ad illam diſponens; non ſupponit omnis actus gratiam habitualem in exequutione, vt opus erat ad proceſſionem actus ſupernaturalis ab habitibus intrinſecis, qui gratiam habitualem ſectantur. Dicitur autem gratia habitualis prima radix totius ordinis ſupernaturalis, & forma ſubſtantialis dicitur prima radix proprietatum, & operationum compoſiti, nimirum, quia eius præſtantiæ eſt, vt ſi nihil ſupernaturale eius infuſionem præcedat, illam ſectabitur totus ordo ſupernaturalis; ſi vero quidquā antecedat, eius intuitu conferendum ſit, ideoque ad eius infuſionem diſponat. Vt contingit formæ ſubſtantiali, quæ in naturam inducit omnes proprietates, & operationes compoſiti, ſi ipſam non præueniant; cum autem præueniunt, vt plerumque contingit, v. g. calor intenſus, introductionem formæ ignis, intuitu diſponendi ſubiecti ad illam, inducuntur. Præuenire autem eas proprietates ex natura rei contingit, quia ſuapte natura eiuſmodi formę corruptibiles ſunt, atque ita indigent diſpoſitionibus præcedentibus, quæ alienas diſpoſitiones è ſubiecto depellāt, & ab incurſu aliarum ſubiectum tueātur. At ſimiliter gratia habitualis ex natura rei amiſſibilis eſt. Ergo ordo naturalis prouidentiæ ſupernaturalis, exigit vt ſint actus, qui viam ſternant ad recuperationem illius. Præſertim quod ex natura rei opus eſt diſpoſitio poſitiua ad introductionem gratiæ in anima peccatrice, vt docui tract. de gratia auxiliante.

Occurritur.

SECTIO QVARTA.

Vlterior explicatio veræ ſententiæ.

Aſſertio tertia. 17. Aſſero tertio; ſi præciſe conſideremus conditionem naturæ rationalis ſecundum ſe, nón erit contra illam actus procedens per auxilium extrinſecum, ſed ipſa ſecundum ſe adæquate fert actus exigentes auxilium extrinſecum, ac exigentes intrinſecum. Ex dictis videtur perſpicuum. Tum quia natura ſecundū ſe ſeorſim à dono ſupernaturali nulla propenſione fertur in aliquem actum ſupernaturalē, non ſolum abſolute, ſed etiam conditionate, nullaque cum eis actibus connexione tranſcēdenti ligatur, vt docuimus diſp. 9. ſect. 4. Ergo ex ſe nullum vendicat, potiuſquam alium. Tum quia ſi qua perfectio naturæ vendicaret ad agēdum actus ſupernaturales auxilium intrinſecū, potius quam extrinſecum, eſſet vitalitas. Hæc autem non vendicat; ſiquidem, vt vidimus, tota actus, & naturæ vitalitas ſalua, integraque conſiſtit concurſu immanenti naturæ, ſit, vel non ſit intrinſecum auxilium ſupernaturale iuuans. Ergo.

Obijcitur difficultas. 18. Dices, cur ergo ad efficiendum actus ſupernaturales prouidentur naturæ rationali auxilia intrinſeca, quæ naturę irrationali non prouidentur ad efficiendum gratiam? ſola enim naturalis conditio agendi vitaliter huius diſcriminis cauſa eſt. Reſpondeo. Non prouidentur à Deo auxilia intrinſeca ad omnes actus ſupernaturales. Illuſtrationes enim ſupernaturales, quibus vocantur peccatores ad fidem, pęnitentiam, & pleraque virtutum officia, agit natura, vt vidimus, per auxilium extrinſecum. Alios vero actus efficit per auxilium intrinſecum, non ob exigentiam naturæ rationalis ſecundum ſe, ſed donorum ſupernaturalium, quæ Deus illi gratuito largiri voluit, atque adęo etiam ob exigentiam naturæ, vt eleuatæ. De quo aſſertione ſequenti. Explicatur.

Aſſertio quarta. 19. Aſſero quarto. Natura vt eleuata, per aliqua dona ſupernaturalia reijcit ex natura rei auxilium extrinſecum, & exigit intrinſecum. Atque ita nullus fere poteſt fieri ex natura rei actus meritorius, aut liber ſupernaturalis ſine auxilio intrinſeco: ſecùs vero actus non meritorius, & neceſſarius. Explicatio aſſertionis erit manifeſta eiuſdē probatio. Eo ipſo, quòd Deus voluit euehere naturam rationalem ad conſortium diuinitatis per gratiam habitualem, ex natura rei donauit naturæ habitus infuſos, qui gratiā, velut naturales proprietates aſſectantur; iuxta præſtantiam enim naturæ, præſtātes quoque facultates, & proprietates naturæ ſunt. At habitus infuſi pręſentes exigunt, vt nullum efficiat natura rationalis actum ſupernaturalem, ſine concurſu efficienti ipſorum, quem enim concurſum natura ſecundum ſe non exigit, exigunt habitus præſentes, quorum pręſentiā exigit gratia habitualis. Ergo à natura rationali participe diuinitatis per gratiam nequeūt fieri ex natura rei actus ſupernaturales per auxilium extrinſecū. Ruſus eo ipſo quod decreuit Deus, naturam rationalem deſtitutā gratia habituali recuperare gratiam per actus ſupernaturales elicitos ab ipſa, ex natura rei neceſſarię ſunt vocationes ſupernaturales, quæ naturam agentem præueniant, & moueant. Vocationes autem ſupernaturales præuenientes naturam deſtitutam gratia, & habitibus ſupernaturalibus exi-

exigunt, præter motionem formalem præuenientem, concurſum efficientem comitantem cooperationis naturæ, vt ſæpius poſuimus. Ergo natura deſtituta gratia habituali, & à Deo vocata ad agendum actus conferentes in recuperationem ſalutis, nequit ex natura rei illos efficere per auxilium extrinſecum. At præter actus deliberatos, ac meritorios de condigno, aut de congruo elicitos à iuſto poſt gratiam, & peccatore ante gratiam, nulli fiunt alij ſupernaturales à natura rationali. Ergo nulli ſunt actus deliberati ſupernaturales, qui ſpectata exigentia donorum ſupernaturalium antecedentium ipſos poſſint effici ſine auxilio intrinſeco. Cęterùm ad omnes vocationes ſupernaturales, v.g. illuſtrationes neceſſarias, dona ſupernaturalia, non præcedunt in natura infidelium, & peccatorum fidelium, qui ipſas efficiát, vt ſuperioribus notauimus. Ergo eiuſmodi actus ſupernaturales neceſſarij, & imperfecti poſſunt fieri ex natura rei per auxilium extrinſecũ; etiam attentâ exigentiâ donorum ſupernaturalium. Itaque, neque natura iuſta, neque iniuſta vocata à Deo poteſt efficere actus ſupernaturales, niſi per auxilium intrinſecum. Natura vero ſecundum ſe, quę vocatur, poteſt ſaltem illuſtrationes ſupernaturales per auxilium extrinſecum efficere. Dixi *ſaltem illuſtrationes ſupernaturales*; quia affectiones ſimplices, ſemper fieri poſſunt concurſu efficienti illuſtrationum neceſſariò ipſas pręcedentium.

Obiectio prima.

20. Obijcies primo, quod illuſtrationes, & affectiones ſupernaturales præcedant neceſſariò actus deliberatos, oritur ex cõditione natiua naturæ rationalis, quæ non poteſt amore deliberato proſequi bonum, quod ſibi prius notum, ac placens non ſit. At præcedentibus illuſtrationibus, & affectionibus naturalibus fieri non poſſunt ex natura rei actus deliberati, niſi concurſu efficienti ipſorum. Ergo conſiderata naturali conditione naturæ rationalis nequeunt fieri actus deliberati per auxilium extrinſecum; quod eſt contra tertiam aſſertionẽ.

Diſſolutio.

Reſpondeo iuxta conditionem naturę rationalis eſt, vt illuſtrationes, & affectiones præcedát amorem deliberatum ipſius; verum quòd hę ſupernaturales ſint ad amorem ſupernaturalẽ, & efficientes etiam, cum habitus non adſunt, neque exigit, neque reſpuit natura, ſed quantũ eſt ex ſe cum vtroque extremo componitur; ita vt ſi per impoſſibile amorem ſupernaturalem præiret illuſtratio ſola naturalis, & pręcedentẽ ſupernaturali fieret amor ſupernaturalis ſine concurſu efficiẽti ipſius, nulla vis naturæ rationali ſecundum ſe inferretur. Atque ita tota neceſſitas naturalis illuſtrationis ſupernaturalis ad amorem ſupernaturalem reuocatur in exigentiam ipſius amoris, & neceſſitas efficientiæ in exigentiam ipſius illuſtrationis neceſſariò præſentis.

Secunda obiectio.

21. Obijcies ſecũdo. Nullus eſt actus liber ſupernaturalis, qui ſuapte natura, non vendicet præuiam illuſtrationem, & affectionem ſupernaturalem. At omnis illuſtratio, & affectio ſupernaturalis in abſentia alterius principij ſupernaturalis intrinſeci exigit efficientiã actus, quem præcedit. Ergo nullus eſt actus ſupernaturalis, qui ſuapte natura exigat fieri per auxiliũ extrinſecum, quod eſt contra ſecundã aſſertionem. Neque ſatisfacies, ſi dicas, poſſe actũ deliberatum, quem præcedit illuſtratio, poſtulare auxilium extrinſecum, quamuis ipſa illuſtratio præcedens illud reijciat. Nam nullus effectus poteſt exigere ex natura rei cauſam, quę non poteſt exiſtere ex natura rei; id enim quod ex natura rei impoſſibile eſt, neque ex natura rei exigi poteſt. At præſente illuſtratione ſupernaturali non poteſt ex natura rei adeſſe auxilium extrinſecum, nam auxilium extrinſecum ex natura rei iuuare naturam non poteſt, niſi abſente omni auxilio intrinſeco ſufficienti ad efficiendum cum natura rationali actum. Ergo nequit ab vllo actu ſupernaturali ſuapte natura ſupponente illuſtrationem exigi ex natura rei auxilium efficiens extrinſecum.

22. Reſpondeo. Hoc argumentũ rectè probat nullum actum ſupernaturalem liberũ exiſtere poſſe ex natura rei, qui exigat auxiliũ extrinſecum. Nam vt aliquis actus exiſtat ex natura rei, requiritur, vt eius exiſtentia non ſit cõtra exigentiam principiorum, quæ ex parte naturæ priuantur effectu ſibi naturali. Caſu autẽ, quo exiſteret actus ſupernaturalis per auxiliũ extrinſecum, & non per efficientiam illuſtrationis, fieret contra exigentiam illuſtrationis neceſſariò præcedentis quemcunque actũ, quæ priuaretur effectu ſibi naturali, & debito; ſiquidem illa præcedens exigebat, vt Deus ſibi pararet concurſum, & actus fieret exigens efficientiam ipſius. Cæterùm non probat, non poſſe actum eſſe ſupernaturalem, & liberum, qui ſuapte natura exigat auxilium extrinſecum, quod ſcilicet exigentiæ actus connaturale ſit, licet exigentię illuſtrationis nõ ſit cõnaturale; quod ſolum aſſertione ſecunda ſtatuimus. Nam caſu, quo Deus non attendens exigentiæ illuſtrationis, & contra eius naturam decerneret actũ ſupernaturalem elicitum per auxilium extrinſecum, vt potuit, is quidem actus vendicaret auxilium extrinſecum, quod auxilium non eſſet connaturale actui, licet eſſet illuſtrationi, quia eſſentialiter actus ab eo auxilio extrinſeco penderet. Vnde ex natura rei ſupponeret illuſtrationem, non vt efficientem, ſed vt mouentẽ, & ducentem voluntatem in genere cauſæ formalis dumtaxat. Nam actus exiſtens præternaturaliter, & contra exigentiam illuſtrationis rectę poteſt exigere principium, quod ſolum pręternaturaliter, & contra illuſtrationis exigentiam adeſſe poteſt. Neq; vis illuſtrationi fieret, quod priuaretur concurſu efficiẽti in eum actũ, quandoquidẽ ipſa iuxta principia, quæ ſuperius poſuimus, non poſtulat concurſum efficientem in eum actum, qui ab ipſa effici repugnat; ſed quia priuaretur ex actu ſibi connaturali, qui vendicat efficientiam ab ipſa. Vnde ſecundo reſpõdeo. Poteſt exiſtere actus liber ſupernaturalis ex natura rei elicitus per auxilium extrinſecum, quamuis is rarus, & irregularis ſit, ideoque aſſertione poſui nullum *fere* elici liberum actum ſupernaturalem niſi per auxilium extrinſecum. Quippe cum eadem illuſtratione

Explicatio.

Alia explicatio.

Digitized by Google

ſupernaturali poteſt peccator varios virtutis actus exercere, & in efficientia vnius totam ſuam virtutem efficientem exhaurire, quin ei vires effi.ientes,quæ limitatæ ſunt, reliquæ ſint ad efficiendum alium, qui per ſe illuſtrationem ſolum in genere cauſæ formalis ſupponat, atque adeo auxilium extrinſecum efficiens deſideret. Tunc enim efficientia auxilio intrinſeco non auffertur,ſed ſubſtituitur.

Exponuntur Autores communis ſententiæ.

23. Superiori aſſertione poſſunt exponi Theologi requirentes communiter ad actum ſupernaturalem ex natura rei auxilium extrinſecum. Scilicet illi loquuntur de actu ſupernaturali perfecto elicito ab homine iuſto, aut peccatore vocato ſupernaturaliter à Deo. Ideoque etiam mihi probatiſſima ſit ſententia, quã diſputatione præcedenti num. 28. retulimus ex diuo Thoma ſtatuente de facto Paulum raptum fuiſſe in viſionem Dei per lumen gloriæ, voluntate diuina tranſiens, quoniam viſio illa fuit elicita à iuſto, actus autem à iuſto eliciti exigente gratia iuſtificante, fiunt per auxilium intrinſecum, præſertim quia illa viſio fuit conditionis earum, quæ in patria fiunt, Deo ſic ſtatuente. Viſiones autem patriæ ex natura rei ſupponunt gratiam iuſtificantem, aut lumen gloriæ, quo fiant.

S. Thomas. S. Paulus.

DISPVTATIO TRIGESIMASEXTA.

AN PRO DIVERSITATE SPECIFICA NATVRÆ rationalis, ſint actus ſupernaturales ſpecie diuerſi?

QVAMVIS hæc diſputatio omnibus Theologis communis ſit; tamen nobis tribuentibus actiuitatem immediatam naturæ rationali in actus ſupernaturales, potiori iure incumbit declarare, quia frequenti argumento Thomiſtarum obijcitur contra illam diuerſitas ſpecifica actuum ſupernaturalium, procedentium à natura Angelica, & humana, quæ ex actiuitate immediata naturæ colligitur.

SECTIONES.

1. *Examinantur momenta ſententiæ negantis.*
2. *Expenditur commune fundamentum ſententiæ affirmantis.*
3. *Propria ſententia.*

SECTIO PRIMA.

Examinantur momenta ſententiæ negantis.

1. COmmunis ſententia negat actus ſupernaturales ſortiri diuerſitatem ſpecificam ex ſola diuerſitate facultatum naturalium; atque ita actus charitatis, & fidei viſioniſque beatæ elicitos ab homine, & Angelo eſſe eiuſdem ſpeciei, quia habitus ſupernaturales, quibus fiunt, ſunt eiuſdem ſpeciei. Ita Durandus in 4. diſt. 49 q. 6. nu. 5. & in 3. diſt. 14. q. 1. nu. 8. Marſilius in 3 q. 10. art. 2. prop 2. Magonius in 2. diſt. 3. qu. 1. §. *dicit Scotus.* Baſſolius ibidem qu 3. art. 2. §. *dico enim*, & ad tertium. Item Sotus in 4. diſt. 49. q. 5. art. 2. §. *his non obſtantibus.* Zumel. 1. p. q. 12. art. 6. qu. vlt. in principio. Nauarrete 1. to. controuer. 42. §. 1. Aluarez de auxiliis diſp. 63. & 64. Albelda & Nazarius 1. p q. 12. ad art. 6. Ex noſtris Pater Molina 1. p. q. 12. art. 6 diſp. 5. Pater Suarez 1. p. tract. 1. lib. 2. cap. 19. num. 4. & 1. 10 ad tertiam partem diſp. 26. in prefation. Pater Salas 1. 2. tract. 2. diſp. 3. ſect. 9. num. 36. Pater Enriquez lib. vlt. de fine hominis ca. 18. § 9. litt. A. Pater Becanus tract. 1. cap 9 qu. 8. Pater Vaſquez 1. p. diſp. 47 cap 5. & diſput. 50. num. 32. fine. Pater Valentia 1. 2. diſput. 1. qu. 1. puncto 3. Pater Faſolus 1. p. qu. 12. art. 6. num. 9 Pater Conninck de ſupernaturalitate diſp. 5. dub. 6. Pater Granadus 1. p. controuer. 1. tr. 5. diſp. 8. & Pater Arrubal 1. p. diſp. 22. cap. 3. Quibus annumerari ſolet Scotus in 2. diſt. 1. q. 6. ad 1. Cæterum ibi aperte ſtatuit viſiones Angelicas, & humana ſpecie differre abſolute, ſi effectiue procedant ab intellectu, & non fiant à ſolo Deo, quanquam ſecundum quid poſſint dici eiuſdem ſpeciei, videlicet ex parte obiecti formalis, quod omnibus commune eſt, vt bene interpretatur Angles in floribus ad lib. 2. diſt. 1. difficultate 17. dub. 4.

Negant Durandus. Marſilius. Magonius. Baſſolus. Sotus. Zumel. Nauarrete. Aluarez. Albelda Nazarius. P. Molina. P. Suarez. P. Salas. P. Enriquez. P. Becanus. P. Vaſquez. P. Valentia. P. Faſolus. P. Conninck P. Granadus. P. Arrubal. Scotus. Angles.

Prima probatio Thomiſtarum.

2. Thomiſtæ primo ſic probant. Facultates naturales non influunt immediate in actus ſupernaturales. Ergo non deriuant in illos diuerſitatem, quam habent. Sed antecedens falſum eſt, vt vidimus diſputatione 30. Item conſequentia eſt nulla. Nam actus ſupernaturalis reſpicit facultatem naturalem ſaltem vt ſubiectum immediatum. Eſto, illam non reſpiciat vt principium immediate efficiens. Reſpectus autem eſſentialis ad ſubiectum immediatum ſpecie diuerſum ſufficit diuerſificare

Non eſt momenti.

Digitized by Google

ſpecie actum, ſicut reſpectus eſſentialis ad principium efficiens ſpecie diuerſum. Nam reſpectus ad ſubiectum ſpecificatum extrinſece à ſubiecto, quod reſpicit, ſic reſpectus ad principium à principio. Reſpectus autem ad ſubiectum ſpecificari non poteſt à ſubiecto, quin etiam ipſe actus cui identificatus,& eſſentialis eſt reſpectus,ſpecificetur. Igitur adhuc,quamuis actus immediate fiat ab habitu tanquam à principio immediato adæquato, ſortiri poteſt diuerſitatem ſpecificam ex diuerſitate facultatum naturalium, quibus immediate inhæret.

Secunda probatio. 3. Secundo probant plerique noſtrorum. Habitus ſupernaturales inhærentes potentiis ſpecie diuerſis non ſunt ſpecie diuerſi. Ergo neque actus. Tum à paritate rationis. Tum quia potentiæ naturales non efficiunt actus ſupernaturales virtute naturali, ſed obedientiali, vt eleuatæ per habitus ſupernaturales. At virtus obedientialis, & eleuatio per habitus non eſt diuerſæ ſpeciei, nam diuerſitas ſpecifica naturalis potentiarum non attenditur ad virtutem obedientialem, & eleuationem ſupernaturalē, nihil enim refert, quòd potentia naturalis ſit humana,aut Angelica, ſed ſolum quod ſit rationalis,vt virtute obedientiali,& eleuata, Deū intueatur, & diligat. Ergo potentiæ naturales non influunt diuerſitatem ſpecificam in actus ſupernaturales.

Enervatur. 4. Etiam hæc conſequentia eſt nulla. Diſcrimen inter habitus ſupernaturales, & actus eſt apertum. Habitus ſupernaturales ſunt qualitates omnino abſolutæ,ex ſe indifferentes ineſſe potentiis ſpecie diuerſis; quare qui efficiūt potentiam humanam, ex ſe poterant efficere Angelicā. Actus vero ſuapte natura ſunt reſpectus eſſentiales potentię, ad obiectum omnino determinati ad eam ſolam potentiam, cui inhęrent, ita vt nequeant ex natura rei aliam potentiam ſpeciei diuerſę cognoſcentem, aut volentem cōſtituere; præſertim in noſtra & Thomiſtarum opinione cōſtituente cognitionem, & volitionem indiſtinctam ab actione phyſica vitalis potentiæ. At potentiæ vitalis ſpecie diuerſę non tribuunt diuerſitatem ſpecificam accidentibus ſibi inhærentibus, niſi determinato reſpectu ſibi inhæreant, ita vt inhærens potentiæ humanæ ex ſe non ſit indifferens ineſſe potentiæ Angelicæ. Ergo quanquam habitus efficientes potentias differentes ſpecie non ſortiātur ab illis diuerſitatem ſpecificā,poſſunt actus illarum eam diuerſitatem ſortiri. Explicatur ſpeciebus impreſſis, & viſionibus corporeis hominis,& equi. Species viſuales hominis, & equi ſunt eiuſdem ſpeciei,quia ita mittitur ſpecies ab albedine in viſum humanum, vt eadem poſſet immitti in viſum equinum, ſi in eo loco extitiſſet, viſiones vero ſunt ſpeciei diuerſæ, quia poſt impreſſam ab albedine ſpeciem ſic elicitur ab homine virtute natiua,ac vitali viſio albedinis, vt eadem elici ab equo repugnaret, & è cōtra ſic ab equo,vt eadem repugnaret fieri ab homine. Ergo ſimiliter poſſunt habitus ſupernaturales infuſi Angelo,& homini eſſe eiuſdem ſpeciei propter indifferentiam habituum: actus vero,ab eis eliciti eſſe ſpeciei diuerſę propter eſſentialem determinationem actuū. Quo prima probatio à paritate nulla eſt. Ad ſecundā reſpondeo. Virtus obedientialis,& eleuata hominis differt ſpecie à virtute obedientiali, & eleuata Angeli, nam hæc identificatur realiter entitati naturali,vt vidimus ſuperioribus, quæ ſpecie differens eſt. Cum facultas naturalis hominis dicitur agere opus ſupernaturale vt eleuata per habitum, non eſt intelligendum, ſolū habitum eleuantem agere immediate, ſed non poſſe facultatem naturalem in actum ſupernaturalem ſuam actionem immediatam conferre, niſi coniungatur habitui ipſam roboranti,& ſua actione immediata ad eum agendum iuuāti. Itaque illa reduplicatio *vt eleuata* non excludit facultatem naturalem ſpecie diuerſam ab Angelica immediate agentem, ſed ſolum notat coniunctionem neceſſariam illius cum habitu ſupernaturali, vt ſuam poſſit actionem exercere. Neque capio eos,qui dicunt,facultatem naturalem agere ſupernaturalē actum, ſecundùm rationem genericam potentiæ rationalis, non vero ſecundum rationem ſpecificam potentiæ humanæ,aut Angelicæ. Nam potentia naturalis realiter efficere nequit actum ſecundum rationem genericam,quin etiam efficiat ſuam rationem ſpecificam. Tum quia vtraque ratio realis eadem eſt. Tum quia actus etiam ſpecificæ differentiæ realiter affigitur, cum à potētia Angelica pendere illi repugnet. Illuſtratur hęc doctrina ſuperiori exēplo. Viſus hominis dicitur agere viſionē albi, vt illuſtratus ſpecie impreſſa albedinis;tamē viſus hominis, etiā vt diſtinctus ab ſpecie impreſſa exhibet ſuū concurſum immediatū in viſionē,quo viſio hominis differt ſpecie à viſione equi,quanquā ſpecies impreſſę vtriuſq; determinantes non ſint. Ergo ſimiliter facultas naturalis humana agens,vt eleuata per habitum ſupernaturalem eiuſdem ſpeciei cum habitu Angelico,cōferet ſuam actiuitatem immediatam in actum ſupernaturalem, qua actus humanus differat ſpecie ab Angelico.

5. Tertio probatur communiter. Potentiæ non refundunt ſuam diuerſitatem in actus, niſi quatenus ab illis habent obiectum formale,aut modum tendendi diuerſum. At actus fidei, verbi gratia eliciti ab homine, & Angelo, non habent obiectum formale, aut modum tendendi diuerſum; nam vtriuſque obiectum formale eſt reuelatio diuina, & vterque actus obſcure, & certo fertur in illud. Idem eſt de actibus charitatis, & viſionis beatæ. Ergo potentiæ naturales non refundunt diuerſitatem ſpecificam in actus ſupernaturales. Probatio tertia. Reſpondeo primo. Actus ſupernaturales fidei eliciti ab homine poſſunt habere modum tendendi, diuerſum ſpecie à modo tendendi eorum, qui ab Angelo fiunt. Et quia humani referunt obiecta dependenter à phantaſmatibus, à quibus Angelici ſuapte natura independentes ſunt. Et quia minus explicant prædicata rerum, quam Angelici. Similiter actus charitatis humani continent vim imperantem actionum externarum, pluriumque virtutum, quarum non ſunt imperantes Angelici. Quam diuerſitatem modi Prima reſponſio.

Digitized by Google

Secundò. arguam ſectione ſeq. Secundò; Cum eodem obiecto formali, & modo ſimili tendendi in illud poteſt eſſe diuerſitas ſpecifica actuum ex ſolo reſpectu diuerſo in potentiam ſpecie diuerſam. Nam actui, tā eſſentialis eſt reſpectus in potentiam, ac eſt reſpectus in obiectum. Ergo ſicut reſpectus diuerſus in obiectum variat ſpecie actum, ita etiam reſpectus diuerſus in potentiam. At cum potentia vitalis ſpecie differt ab alia, reſpectus determinatus in illā ſpecie differt à reſpectu determinato in aliā, ſicut reſpectus in obiectum differt, cum obiectum diuerſum eſt. Ergo licet obiectum formale idē ſit, poteſt actus humanus ab Angelico differre ex ſolo reſpectu determinato in potentiā ſpecie diuerſam. Vnde actus non ſpecificatur adæquate ab obiecto formali, & modo tendendi, quia poteſt aliunde etiam ſpecificari, nempe ab ipſa potentia ſpecie diuerſa. A qua etiam inadæquate ſolum varietatem nanciſcitur, quia poteſt aliunde, nempe ab obiecto formali, & modo tendendi varietatem ſpecificā nanciſci.

Quarta probatio. 6. Quarto ſic arguunt. Si actus ſupernaturales Angelici, & humani eſſent diuerſæ ſpeciei, eſſent quoque inęqualis perfectionis; nam omnis diuerſitas ſpecifica importat inæqualitatem. At non ſunt inęqualis perfectionis; quia non ſunt inæqualis meriti, nec beatitudinis. Ergo actus ſupernaturales Angelici, & humani non ſunt diuerſæ ſpeciei. Nego ſequelam; nam Reijcitur. oſtendi in metaphyſica, poſſe diuerſitatē ſpecificam cum ſumma rerum differentium æqualitate componi. Item nego maiorem, quia actus ſupernaturales Angelici, & humani eliciti ab eodem habitu ſupernaturali poſſunt eſſe inæqualis perfectionis ab inæqualitate potentiarum. De quo agemus diſp. ſeq. Hic tamen notare non deſinam inconſequentiam pluriū aduerſariorum, qui admittunt neceſſariam eſſe Inconſequentia aliquorum. inęqualitatem actuum ex inæqualitate potentiarum, & negant neceſſariam diuerſitatē ſpecificam, & eſſentialem ex diuerſitate ſpecifica earumdem. Etenim omnis inæqualitas importat diuerſitatem, & ea, quæ ex diuerſitate ſpecifica, & eſſentiali potentiarum deſumitur, aut nulla eſt, aut eſſe debet ſpecifica, & eſſentialis.

SECTIO SECVNDA.

Expenditur commune fundamentum ſententiæ affirmantis.

7. PRopterea ſecunda ſententia affirmat, diuerſitatem ſpecificam potentiarum inducere neceſſario in actus ſupernaturales diuerſitatem eandem; atque adeo actus fidei, & charitatis, viſioneſque beatas Angelorum, & hominum eſſe neceſſario ſpecie diuerſas. Ita Affirmant Maior. Maior in 4. diſt. 49. q. 11. in 20. argumento. Paludanus. Paludanus q. 1. art. 1. Angles in floribus ad liberum Angles. ſecundum diſt. 1. difficultate 17. dub. 4. referens Scotum in 2. diſt. 1. q. 5. ad primum, & bene, vt notauimus in quibus accedit Pater P. Herize. Heriſe prima parte diſput. 49. cap. 4. nec non Aegidius. Aegidius de præſentatione lib. 11. q. 5. art. 3. §. 15. num. 16. ſtareque videntur Nominales, Scotus. Nominal. & alij antiquorum, ideo aſſerentium intellectū creatum non concurrere actiue in viſionē beatam, ſed tantum paſſiue, quia aliter viſio beata Angelica eſſet diuerſæ ſpeciei ab humana; qui plane ſupponunt, in ſententia, quam nos ſupponimus, tribuente intellectui concurſum effectiuum in viſionem beatam, aſſerendum viſiones beatas ſpecie differre pro differētia ſpecifica potentiarum, atque adeo alios actus ſupernaturales diſtinctos à viſione beata, quam ipſi admittunt fieri à potentia naturali, & non à ſolo Deo, ſpecie differentes eſſe iuxta diuerſitatem ſpecificam potentiarum naturalium, à quibus effectiue procedunt.

8. Commune huius ſententiæ argumentū ſic conficio. Actus ſupernaturalis humanus cōtinet Argumentum. reſpectum eſſentialem ſpecie diuerſum ab Angelico. Ergo actus ſupernaturalis humanus eſt ſpecie diuerſus ab Angelico. Siquidem reſpectus eſſentialis indiſtinctus ab actu nequit ſpecie differre ab alio, à quo ipſe actus ſpecie non differat. Probatur antecedens. Actus humanus reſpicit eſſentialiter potentiam humanam, & Angelicus potentiam Angelicam: ſed reſpectus eſſentialis ad potentiam humanā eſt ſpecie diuerſus à reſpectu eſſentiali ad potentiam Angelicam. Nam reſpectus differunt pro diuerſitate terminorum, quos eſſentialiter reſpiciunt, quare etiam in actu ſupernaturali reſpectus ad obiectum formale eſt diuerſus pro diuerſitate ipſius obiecti. Ergo actus humanus continet reſpectum ſpecie diuerſum ab Angelico. Confirmatur. Actus naturalis humanus Confirmatio. diſtinguitur ſpecie ab Angelico, quòd reſpiciat potentiam naturalem diſtinctam ſpecie ab Angelica. Sed actus ſupernaturalis humanus tam eſſentialiter, ac naturalis actus reſpicit potentiam naturalem humanam; quia tam vitalis eſt, ac pendens à potentia naturali, quàm actus naturalis. Etenim non aduerſatur actui ſupernaturali referri eſſentialiter in facultatē naturalē; ſicut facultati naturali aduerſatur referri in actū ſupernaturalem. Ergo actus ſupernaturalis humanus tantam ſumit diuerſitatem ex potentia naturali, quantum ſumit actus naturalis.

9. Ceterum hoc argumentum in ſententia Argumento ſatisfit. communi cōſtituente actum vitalem in qualitate diſtincta ab actione potentię vitalis abſq; negotio explicatur. Nam in hac ſententia reſponderi poteſt, actum ſupernaturalem humanum non reſpicere eſſentialiter potentiam humanam reſpectu determinato, ſed indifferenti, quo, quantum eſt ex ſe, poſſet manare à potentia Angelica. Qui reſpectus non eſt ſufficiens ad conſtituendum actum humanum diſtinctum ſpecie ab Angelico, vt ſatis ſuperioribus euincimus. Etenim non repugnat, actus vitales reſpicere potentias vitales, eo reſpectu indifferenti, quo alij effectus non vitales ſuas cauſas reſpiciunt. Vt autem de facto aſſerantur actus ſupernaturales actus Angelici, & humani ſic indifferentes, ſufficit haberi ex Scriptura, Patribus, & Theologis poſſe actus ſupernaturales humanos excedere perfectione eſſentiali actus ſupernaturales Angelicos, nempe actus

Digitized by Google

ſupernaturales elicitos à Chriſto, & eius ſacratiſſima Matre. Quod difficile cõponitur, ſi actus ſupernaturales humani determinati procedunt à potentia humana, & Angelici ab Angelica, atque ratione indifferentes ſunt, vt immanenter ab alia potentia prodire queant, itavt humani fiant Angelici, & Angelici fiant humani. Ad confirmationem reſpondetur. Actus naturales, v.g. cognitiones hominis ideo ſunt ſpecie differentes ab actibus naturalibus Angeli, quia humani reſpiciunt determinate potentiã humanam, & Angelici, Angelicam. Cuius argumentum eſt, quia actus naturales, v.g. cognitiones naturales hominis, ſemper ſunt inæqualis, & inferioris perfectionis, quam Angelicæ. At vero cognitiones ſupernaturales humanæ, vt viſiones beatæ, & actus fidei, poſſunt eſſe æqualis & ſuperioris perfectionis. Nec refert actus ſupernaturales humanos eſſe tam vitales, ac tam eſſentialiter reſpicientes potentiam humanam, quam actus naturales. Quia eo ſolum probatur, reſpectum ad potentiam vitalem, & proceſſionem ab intrinſeco eſſe æque eſſentialem, & intrinſecam actibus ſupernaturalibus, & naturalibus; ſecus vero eſſe æque determinatam. Siquidem actus ſupernaturalis etiam indifferens ad potentiam Angelicam, & humanam, à qualibet potẽtia procedat, exigit vitaliter, & immanenter prodire. Quare hæc ſecunda ſententia ſic vniuerſaliter, & ſine diſcrimine affirmans omnes actus ſupernaturales hominis differre eſſentialiter ab actibus ſupernaturalibus Angeli, prout fertur à ſuis autoribus, omnino non placet.

Ad confirmationem.

SECTIO TERTIA.

Propria ſententia.

10. IDeo diſtinguendum arbitror inter ſententiam, quæ actum vitalem conſtituit indiſtinctum realiter ab actione potentiæ vitalis, & eam, quæ conſtituit ab actione potentiæ vitalis diſtinctum. Itaque aſſero primo. In mea, & Thomiſtarum opinione aſſerente actum vitalem eſſe indiſtinctum ab actione potẽtiæ vitalis, actus ſupernaturalis elicitus à potẽtia humana neceſſario diſtinguitur ſpecifice ab actu ſupernaturali elicito à potentia Angelica. Probatur manifeſte. In ea ſententia actus ſupernaturalis humanus continet reſpectum eſſentialem, & ſpecificum, quem non cõtinet actus ſupernaturalis Angelicus. Ergo actus ſupernaturalis humanus ſpecie differt ab Angelico. Conſequentia eſt aperta. Probatur antecedẽs. Actus ſupernaturalis humanus eſſentialiter, ac determinate reſpicit potentiam humanam, vt principium efficiens, à quo poſtulat immanẽter procedere, quã potentiã nullo modo reſpicit actus Angelicus, qui ab ea potentia procedere repugnat, cum eſſentialiter, ac determinate pendeat à ſola potentia Angelica. At reſpectus ad potẽtiam humanã eſt eſſentialis, & ſpecificus actui ſupernaturali humano, ſicut eſt reſpectus ad obiectũ. Nam ſicut cognitio, & amor ſupernaturalis eſſentialiter, ac determinate fertur in obiectum, ita in ea ſentẽtia eſſentialiter, ac determinate pendet à potentia vitali, in quam, vt principium eſſentiale refertur. Ergo in ea ſententia actus ſupernaturalis humanus continet reſpectum eſſentialem & ſpecificum, quem nõ continet Angelicus. Confirmatur. In ea ſententia actus fidei, & charitatis elicitus ab homine eſſentialiter eſt humanus, cum eſſentialiter pẽdeat à facultate humana, & eſſentialiter repugnet pendere à facultate Angelica. At actus eſſentialiter humanus ſpecie differt ab actu eſſentialiter Angelico; nam eſſe eſſentialiter humanum, & eſſe eſſentialiter Angelicum ſunt illis actibus differentiæ eſſentiales. Ergo actus fidei, & charitatis elicitus ab homine ſpecie differt ab actu elicito ab Angelo. Explicatur. Demus duos affectus in Deum procedentes ab eadem voluntate, & tendentes in eamdem bonitatem diuinam, quorum alter exigat eſſentialiter vires naturales, alter vires ſupernaturales. Amor Dei eſſentialiter naturalis, hoc eſt, exigens eſſentialiter vires naturales, ſpecie differt ab amore Dei eſſentialiter ſupernaturali, hoc eſt, exigente vires ſupernaturales. Ergo etiam actus eſſentialiter humanus, hoc eſt, exigens vires immediatas humanas ſpecie differt ab actu eſſentialiter Angelico, hoc eſt, exigente vires immediatas Angelicas. Probatur conſequentia. Quia ſicut eſſe amorem eſſentialiter naturalem habet effectus voluntatis à viribus efficientibus naturalibus, & eſſe eſſentialiter ſupernaturalem à viribus efficientibus ſupernaturalibus, quos eſſentialiter exigunt; ita eſſe eſſentialiter humanum, habet à viribus efficientibus humanis, & eſſe Angelicũ, à viribus efficiẽtibus Angelicis quas eſſentialiter depoſcũt. Et ſicut vires naturales, & ſupernaturales eſſentialiter differũt, ita etiã vires efficientes immediatę hominis, & Angeli. Ergo ex diuerſitate viriũ efficiẽtiũ, quas actus humanus, & Angelicus eſſentialiter depoſcunt, erũt hi actus ſpecie diuerſi.

Aſſertio prima.

Probatio.

Confirmatio.

Explicatio.

11. Obijcies contra hanc doctrinam. Actiones non differunt ſpecie pro diuerſitate ſpecifica agentium, vt probabile dedimus lib. 2. phyſicorum. Ergo nec actus vitales indiſtincti ab actione erunt ſpecie diſtinguendi pro diuerſitate ſpecifica potentiarum. Diſtinguo antecedens. Actiones à termino diſtinctæ non ſunt ſpecie diuerſæ pro diuerſitate ſpecificatiuâ agentium, tranſeat. Actiones indiſtinctæ à termino, quales ſunt vitales, nego. Diſcrimen inter actiones diſtinctas, & indiſtinctas à termino eſt huiuſmodi. Actiones diſtinctæ ab agente, & termino non reſpiciunt agens formaliter propter ſe, ſed materialiter propter terminum, in quem edendum deſtinantur. Reſpectus autem non ſortitur ſpeciem ex termino materiali, ſed tantum ex formali, vt actus non ſortitur ſpeciem ex obiecto materiali, ſed tantum ex formali, id quod lib. de anima docuimus. Atque ita actiones, à termino & agente diſtinctæ non ſortiuntur ſpeciem ex diuerſitate agentium, ſed terminorum. At actiones indiſtinctę à termino reſpiciũt agẽs formaliter propter ſe, quia reſpi-

Obijcitur.

Soluitur.

cere nequeunt materialiter propter terminũ, à quo indiſtinctæ ſunt. Nam reſpectus phyſicus rei non poteſt referri realiter in ſe ipſam, ac proinde reſpectus tranſcendens actionis indiſtinctæ à termino, ſiſtit in agente vt in termino formali, quin vlteriùs progrediatur in terminum, cui reſpectus idem eſt. Cum autem terminus formalis diuerſificet reſpectum, diuerſificabit agens actionem vitalem, quæ à termino, ſeu actu vitali indiſtinctus eſt.

Secunda probatio.

12. Secundo probatur aſſertio. In ea ſententia, quam ſupponimus, omnes actus fidei eliciti ab homine ſunt ex ſe pendentes à phantaſmatibus, fiuntque compoſitione, & diuiſione. Angelici vero ex ſe à phantaſmatibus independentes ſunt, & à compoſitione, & diuiſione immunes. At actus pendentes ex ſe à phantaſmatibus, & qui compoſitione, & diuiſione fiũt, differunt ſpecie ab actibus, qui ex ſe dependẽtiam à phantaſmatibus, compoſitionemque, ac diuiſionem reijciunt. Ergo actus fidei Angelici ab humanis differentes ſunt. Conſequentia perſpicua eſt. Maior in ea ſententia ſatis conſtans. Nam ſi actus Angelici ſuapte eſſentia repugnant animo, vnde poſſunt à phantaſmatibus pendere, & cõpoſitionem, aut diuiſionem induere? Maiorem, quis neget? Etenim differentia ſpecifica eſt, qua notabiliter vna res ſecundum eſſentiam differt ab alia. Actus autem ſecundùm eſſentiam phantaſmatibus, & compoſitioni, ac diuiſioni repugnans, notabiliter differt ab actu ſecundum eſſentiam phantaſmatibus, & compoſitioni, ſeu diuiſioni ſubiecto.

Confirmatur.

Confirmatur. Cognitiones ſupernaturales humanæ ſuapte conditione pendent ab ſpeciebus acquiſitis, & humanis, vnde & illarum productiuæ ſunt, & obiecta inadæquate, ac diminute exprimunt. Cognitiones Angelicæ pendent ab ſpeciebus inditis ab inſtanti creationis longe perfectioribus; vnde ſpecierum productiuæ non ſunt, & rebus ſunt magis adæquatę, earumque prędicata exprimunt longe pręſtantius, quam humanæ. V. g. actus fidei aſſentiens hominem eſſe mortalem, & peccatis obnoxiũ elicitus ab homine, longe imperfectius refert hominem, & peccatum, quàm elicitus ab Angelo. De quo plura diſp. ſeq. Ergo ſpecie differt aſſenſus fidei humanus ab Angelico. Inde etiam actus charitatis, & aliarum virtutum differentes ſunt. Tum quia ſupponunt per ſe cognitiones ſpecię differentes. Tum quia ex ſe vim habent imperantem actionum ſpecie differentium, nempe cognitionum, & motionum localium, quæ hominibus, & Angelis ſpecie differentes ſunt. Ergo ſicut aliæ res ex varietate diſpoſitionum, quas ſupponunt, & effectuum, quos inferunt, varias ſpecies ſortiuntur, ita effectus ſupernaturales angelici, & humani ex varietate cognitionum, quæ ipſis prælucent, & motionum, quæ ipſorum imperium ſequuntur, varietatem ſpecificam ſortientur. Hæc diſputatione ſequenti amplius vrgebimus ad inęqualitatem ſtatuendam.

Aſſertio ſecunda.

13. Aſſero ſecundo. In ſententia conſtituente actum vitalem diſtinctũ ab actione potentię vitalis, diſtinctio ſpecifica potentiarum non inducit neceſſario diſtinctionem ſpecificã actuum ſupernaturalium pertinentiũ ad habitũ ſupernaturalem eiuſdẽ ſpeciei; ſed poſſunt eſſe actus ſupernaturales fidei, & charitatis, viſioneſque beatę procedentes ab homine eiuſdem ſpeciei, cum iis quæ ab Angelo procedũt. Probatur. In ea ſententia poſſunt actus ſupernaturales procedentes ab homine eſſe ex ſe indifferentes, vt ſub eodem habitu procederẽt ab Angelo, item procedentes ab Angelo indifferẽtes eſſe, vt etiam immanenter ſub eodem habitu procederent ab homine. Sed actus ſupernaturales ſic procedẽtes ab homine, vt ex ſe poſſent procedere ab Angelo, non differunt ſpecie ab iis actibus, qui re ipſa ſic procedunt ab Angelo, vt poſſent procedere ab homine: nam eos actus non diſtinguit actualis proceſſio à principio ſpecie diuerſo, ſed exigentia determinata talis principij diuerſi: nam exigentia indifferens diſtinguere non valet, cum vtriſque cõmunis ſit, vt ſuperioribus ſtatuimus. Ergo in ea ſententia poſſunt eſſe eiuſdem ſpeciei actus procedẽtes à facultate humana, cum iis, qui re ipſa procedũt ab Angelica. Minor & conſequentia conſtant.

Probatur.

Probatur maior; quia in ea ſentẽtia conſtituẽte actum vitalem diſtinctum ab actione potentiæ vitalis, poſſunt actus ſupernaturales eſſe ex ſe indifferentes, vt ijdem à diuerſis principiis procedant, v. g. ab habitu permanenti, & qualitate trãſeunti, aut auxilio extrinſeco. Ergo ſimiliter etiam poſſunt eſſe indifferentes, vt ijdem & à potentia Angelica, & à potẽtia humana immanenter procedant. In eo enim nulla implicãtia apparet. Nam alij effectus ab actionibus diſtincti poſſunt à diuerſis cauſis originem indifferẽtem habere. Ergo etiam vitales. Nam vitalitati non aduerſatur hæc indifferentia, cum ab vtraque potentia immanentem proceſſionem exigant, vt ſiue ab Angelica, ſiue ab humana facultate fiant, ſemper ab intrinſeco, ſemper immanenter, nunquam tranſeunter, efficiantur. Actus autem ſemper exigens immanẽtem proceſſionem à quacunque potentia efficienter, vitalis ſemper eſt; cum proceſſio immanens vltra cõſtitutionem naturalem ſuppoſiti agentis ſit definitio vitæ actualis, vt lib. de anima docuimus. Ergo non repugnat actibus vitalibus ea indifferentia, ac proinde, neque actibus Angelicis, & humanis conuenientia ſpecifica.

Tertia aſſertio.

14. Aſſero tertio. In eãdem ſentẽtia diſtinguente actũ vitalem ab actione potentię vitalis poſſunt actus ſupernaturales ſpecie diſtingui pro diuerſitate ſola potentiarum, ita vt actus charitatis humani ſpecie differant ab actibus charitatis Angelicis. Probo. Etiã in ea ſententia

Probatur.

poteſt actus ſupernaturalis elicitus ab Angelo exigere determinate potentiam Angelicã, & nõ humanã, & actus ſupernaturalis elicitus ab homine exigere determinate potentiam humanã, & non Angelicam. At eiuſmodi actus ſumerent ſpeciem à potentiis quas exigũt. Ergo. Probatur maior, quę ſola probationẽ deſiderat. Actus ſupernaturalis, & naturalis, licet differãt in modo quo reſpiciuntur à facultate naturali, tamẽ non differunt in modo, quo ipſi facultatẽ naturalẽ reſpiciunt: quare actus ſupernaturalis,

Digitized by Google

tam eſſentialiter exigit vnionem, & actionem facultatis naturalis, quàm actus naturalis. Ergo ſicut poteſt actus naturalis Angelicus exigere determinate facultatem Angelicã, cui inſideat, & à qua efficiatur, ita poteſt actus ſupernaturalis, quin ex ſe poſſit facultati humanæ ineſſe, ab eaque immanẽter proficiſci. In eo enim quæ implicãtia? Planè actiones ſupernaturales, quibus tales actus fiunt, determinate exigunt potentias naturales, à quibus fluunt. Quid prohibet eamdem exigentiam ipſis actibus euenire? Si quidquam abeſſet, ſola quidem eſſet ſupernaturalitas, qua ab actibus naturalibus diſtant. Supernaturalitas obeſſe non poteſt, ſiquidem componitur ſupernaturalitas actionum cum exigentia determinata potentiæ humanæ. Ergo etiam poteſt componi ſupernaturalitas actuum cum eadem exigentia.

Quarta aſſertio. 15. Quin aſſero quartò. Veroſimilius eſt, etiam in eadem ſententia actus ſupernaturales Angelicos de facto differre ſpecie ab actibus humanis. Itaque poſſunt actus ſupernaturales procedentes à potentijs ſpecie diuerſis, & eſſe eiuſdem, & eſſe diuerſæ ſpeciei, quamuis vtrique habitu ſupernaturali eiuſdem ſpeciei efficiantur, vt aſſertionibus præcedentibus oppoſuimus. At actus reipſa ab homine, & Angelo procedentes non eiuſdem, ſed diuerſæ ſpeciei aſſerendi ſunt. Vnde, & idem de actibus elicitis ab Angelis differentibus ſpecie arbitrandum eſt. Ratio. Moueor, quia re ipſá actus Angelici determinate vendicant actionem facultatis, Angelicæ, & humani vendicant determinate actionem facultatis humanæ. Quod ex dictis ſufficit ad diſtinguendum ſpecie actus Angelicos ab humanis. Probatur aſſumptum; In quacunque ſententia veroſimile eſt, actus fidei elicitos ab Angelo eſſe ex ſe independentes à phantaſmatibus, à compoſitione, & diuiſione immunes, expreſſiores rerum naturalium, de quibus aliquod reuelatum enuntiant, quàm humanos; quippe ex ſe repugnantes pluribus erroribus naturalibus earum rerum, quibus adiungi poſſunt actus fidei humani. At actus fidei humani à phantaſmatibus pendentes ſunt, compoſitione, & diuiſione fiunt, pluribuſque erroribus naturalibus miſcentur, quibus ſua diſtinctione Angelici repugnant. Etenim ſi ruſticum credentem miſterium Incarnationis, & Euchariſtiæ roges explicitè aliqua, quæ implicite in obiectis reuelatis, & à ſe creditis continentur, proferet plura à veritate aliena, quæ Angelus cum modo cognoſcendi eadem per actum fidei proferre repugnat. De quo plenius diſp. ſeq. dicemus. Confirmatur. Accedit, actus ſupernaturales humanos ea communiter obiecta materialia reſpicere, quæ Angelis repugnant; & ea reſpicere Angelicos, quæ repugnant hominibus. Homines per actus charitatis volunt caſtigationem ſui corporis in ſatisfactionem culparum, & obſequium Dei, elargitionem nummorum, abſtinentiam ciborum, prædicationem vocalem, motuſque alios Angelis repugnantes. Angeli volunt motionem cælorum, loquutionem ſpiritualem cum alijs, & alia opera hominibus repugnantia. Vt autem, ſi actus Angelici ex ſe indifferentes ſint; procedere ab homine, & actus humani ab Angelo, neceſſarium erat vt obiecta materialia, quæ ſuo imperio efficaci ſubijciunt, non repugnarent ſuppoſito volenti per illos. Quid enim præſtaret Angelo volitio charitatis qua ego volo in obſequium Dei ieiunium, & corporis caſtigationem? Quid homini actus, quo in eiuſdem obſequium imperat motionem cælorum ſuperantem vires humanas, & manifeſtationem ſui cordis, & ſcientiæ excedentis hominis facultatem? Igitur ſi actus charitatis affixi ſunt homini, & Angelo, & non communes vtrique. Similiter actus fidei, quo ruſticus aſſentitur Angelum peccaſſe, ex parte ſubiecti poteſt referre plura, quæ Angelo aliena ſunt, & actui fidei Angelico repugnant. Ergo non eſt ijs actibus indifferentia tribuenda, vt indiſcriminatim, homini, & Angelo ineſſe poſſint. Erunt itaque determinate exigentes potentiam naturalem à qua efficiuntur, indeque ſecundum ſpeciem differentes. Quæ in hac ſectione ſtatuimus, firmiora dabimus diſputatione ſequenti.

DISPVTATIO TRIGESIMASEPTIMA.

AN ACTVS SVPERNATVRALES INÆQVALES ſint ex inæqualitate naturæ.

Cõtrouerſia explicatur. 1. PONIMVS actus ſupernaturales Angelicos determinate exigere facultatem naturalem Angelicam, & actus humanos facultatem naturalem humanam. Et quærimus, an actus ſupernaturales Angelici neceſſario ſint perfectiores humanis, quòd à facultate naturali procedant eſſentialiter perfectiori, etiam ſi cætera paria ſint, auxilium ſupernaturale, obiectum, & alia ſimilia. Item ponimus, poſſe duos

Digitized by Google

actus ſpecie differentes, eſſe perfectione æquales. Id quod fuſe docuimus, docebimuſque in metaphyſica. Atque ita quamuis ſuperiori diſputatione decreuimus, actus ſupernaturales ex diuerſitate facultatū naturalium eſſe diuerſos, recte in controuerſiam adducimus, an etiam ex inæqualitate earundem inæquales ſint?

SECTIONES.

1. *Theologorum iudicia.*
2. *Prior aſſertio verioris ſententiæ.*
3. *Argumenta contra præcedentem aſſertionem.*
4. *Poſterior aſſertio verioris ſententiæ.*
5. *Argumenta contra præteritam aſſertionem.*
6. *Poſtrema aſſertio verioris ſententiæ.*

SECTIO PRIMA.

Theologorum iudicia.

Sententia negans. 1. PRima ſententia negat, actus ſupernaturales edi perfectiores cum æquali principio ſupernaturali à perfectiori potentia naturali. Ita quotquot viſiones beatas, aut charitatis actus hominis, & Angeli renuunt admittere inæquales, cum inæqualitate habitus ſupernaturalis, ea ratione, quia naturæ inæqualitas nihil referre poteſt ad actus ſupernaturalis inæqualitatem. Hæc eſt communis recentiorum ſententia, quam tuentur Pater Suarez (P. Suarez.) tom. 1. ad 7. p. diſp. 22. ſect. 1. & diſput. 31. ſectione 6. ad tertium argumentum fine, & libr. 3. de auxilijs cap. 20. num. 9. & 1. p. lib. 2. de attributis negatiuis cap. 21. num. 4. Pater Vaſquez (P. Vaſquez.) 1. p. diſp. 47. cap. 6. num. 34. Pater Salas (P. Salas.) 1. tom. in 1. 2. quæſt. 3. tract. 2. diſp. 1. ſect. 7. Pater Enriquez (P. Enriquez.) de fine hominis cap. 10. §. 9. Pater Valentia (P. Valentia) 1. p. quæſt. 12. art. 6. puncto 4. ad finem, & 1. 2. quæſt. 5. diſp. 1. puncto 3. Pater Faſolus (P. Faſolus.) 1. p. quæſt. 12. art. 6. dubitatione 3. Pater Arrubal (P. Arrubal.) 1. p. diſp. 22. Pater Beccanus (P. Beccanus.) 1. p. tract. 1. cap. 9. quæſt. 10. Pater Granadus (P. Granadus.) 1. part. controu. 1. diſp. 8. Quibus accedunt Maſcarennas (Maſcarennas.) de auxil. diſp. 3. p. 5. num. 12. Bartholomeus Medina (Medina.) prima ſecundæ quæſt. 3. art. 2. ad 5. Bannes (Bannes.) 1. p. quæſt. 12. art. 6. in 2. dub. circa tertiam concluſionem. Nauarrete (Nauarrete.) ibidem controuer. 42. concluſione 1. Zumel (Zumel.) ibidem quæſt. 1. concluſione 1. & 2. qu. vltima, §. *Dico tertio.* Palatius (Palatius.) in 4. diſtinctione 49. qu. 1. fine. Velloſillus (Vellosillus) in aduertentijs ad tom. 9. Auguſtini quæſito 16. dub. 1. Lorca (Lorca.) 1. 2. diſput. 35. in ſecunda ſententia. Prætereo Sotum, Aluarez, Nazarium, & alios recentes Thomiſtas, qui negant potentiæ naturali immediatam actiuitatem in actus ſupernaturales, quia hæc diſputatio non habetur cum illis, ſed cum ijs, qui potentiæ naturali tribuunt, immediatam virtutem agendi actus ſupernaturales. Etenim ſi tota virtus immediata agens actus ſupernaturales, non eſt alia, quam habitus ſupernaturales, dubitari non poteſt, non poſſe actus ſupernaturales ab actione potentiæ naturalis inæqualitatem ſortiri cum habitus ſupernaturalis, omnino æqualis eſt: ſolos igitur aduocamus in hanc ſententiam, & diſputationem, eos qui admittunt potentiam naturalem immediata actione influere in actus ſupernaturales. Hac ratione fauent huic ſententiæ ex antiquioribus Argentinas (Argentinas.) in 3. diſtinct. 14. quæſt. vnica art. 2. & in 4. diſtinctione 49. qu. 2. art. 3. & Enricus (Enricus.) quodlibeto 11. q. 6.

Sententia affirmans. 3. Secunda ſententia docet, potentiam naturalem perfectiorem cum æquali principio ſupernaturali efficere neceſſario actus ſupernaturales perfectiores. Hic fuit communior inter antiquos Theologos conſenſus. Ita Scotus (Scotus.) in 3. diſt. 13. quæſt. 3. & diſt. 14. quæſt. 14. & in 4. diſt. 49. quæſt. 11. & diſt. 50. quæſt. 4. 5. & 6. & concl. 5. litt. F. Ricardus (Ricardus.) in 4. diſt. 49. art. 2. quæſt. 8. & art. 3. quæſt. 2. Maior (Maior.) in 4. diſt. 49. qu. 10. ad ſeptimum ſupplementum Gabrielis in 4. diſtinct. 49. quæſt. 2. art. 3. dub. 2. Holcot (Holcot.) in ſuis determinationibus quæſt. 8. art. 1. ad 4. Cartuſianus (Carthuſianus.) in 4. diſt. 49. quæſt. 3. §. *Concordat Petrus*, & §. *Amplius.* Palludanus (Paludanus.) in 3. diſtinct. 14. art. 1. ad 3. in fine. Baſſolus (Baſſolus.) in 3. diſt. 14. quæſt. 1. art. 3. Caietanus (Caietanus.) 3. parte qu. 10. art. 4. ad 2. Quibus ſuffragantur ex recentioribus Pater Molina (P. Molina.) 1. p. quęſt. 12. art. 6. diſp. 2. Pater Erice (P. Erice.) 1. p. diſp. 49. num. 60. Philippus Faber (Faber.) in 3. d. 34. c. 2. Et AEgidius (AEgidius.) de præſentatione lib. 12. de beatitudine quæſt. 11. art. 3. num 5. quamuis oppoſitum etiam cenſeat probabile. Ab hac ſententia ſtare videtur Alenſis (Alenſis.) 1. p. quæſt. 7. memb. 2. corpore, reuocans differentiam apprehenſionum Dei in patria, in differentiam intellectuum, & maiorem claritatem videndi Deum, in maiorem perſpicacitatem naturalem videntium.

Sententia media. Tertia ſententia media eſt, aſſerens actus ſupernaturales viæ eſſe inæquales cum auxilio ſupernaturalis æquali pro inæqualitate potentiarum, ſecus vero actus ſupernaturales patriæ. Ita Pater Læſſius (P. Leſſius.) de diuinis perfectionibus libro duodecimo, numero octuageſimo, cenſetque probabile Pater AEgidius Coninck (P. AEgidius Coninck.) de ſupernaturalitate, diſput. quinta, dubit. 6. concluſione tertia, inſinuatque Pater Beccanus (P. Beccanus.) ſupra.

SECTIO SECVNDA.

Prior aſſertio verioris ſententiæ.

Prima aſſertio.

4. MEa ſententia tres aſſertiones complectitur. Prior eſt contra primam ſententiam; cum æquali auxilio ſupernaturali, & ſub eodem obiecto formali poſſe, & reipſa fieri plures actus ſupernaturales perfectiores à potentia naturali perfectiori. Poſterior eſt cõtra ſecundam ſententiam, non eſſe neceſſarium, vt omnes actus ſupernaturales nobilioris potentiæ, cæteris paribus, edãtur nobiliores actibus elicitis à potentia naturali ignobiliori. Poſtrema eſt contra tertiam ſententiam, hanc inæqualitatem, & æqualitatẽ actuum ſupernaturalium procedentium à potentijs inæqualibus, conuenire poſſe actibus viatoris, & comprehenſoris. Probemus partitim noſtrum iudicium.

Secunda.

Tertia.

Aſſertio prima probatur.

5. Itaque aſſero primo. Poſſunt fieri, & re ipſa fiunt cum æquali auxilio ſupernaturali, & ſub eodem obiecto formali, plures actus ſupernaturales perfectiores à potentia naturali perfectiori. Et probo. Omnes cognitiones Angelicæ, & fidei, & prudentiæ infuſæ (quos habitus, hominibus, & Angelis æquales ineſſe pono) omnino ſunt à phantaſmatibus independentes, & plures eorum à compoſitione, & diuiſione immunes: cognitiones vero humanæ, & fidei, & prudentiæ infuſæ à phantaſmatibus dependentes, & componentes, aut diuidentes ſunt. At cæteris paribus nobiliores ſunt cognitiones à phantaſmatibus independentes, & à compoſitione, & diuiſione immunes, quam à phantaſmatibus pendentes, & componentes, aut diuidentes. Ergo cognitiones Angelicæ elicitæ habitibus fidei, & prudentiæ infuſæ æqualibus fidei, & prudentiæ humanæ, nobiliores ſunt cognitionibus humanis, quæ eis habitibus fiũt. Verbi gratia credit Angelus Deum incarnatum, aut hominem eſſe mortalem per actum elicitum ab habitu fidei æqualis perfectionis eſſentialis, & intenſiuæ cum habitu fidei, quo homo idem obiectum credit. Actus fidei Angelicus obtinet ab habitu ſupernaturali ipſum efficienti omnes perfectiones, quas obtinet humanus ab habitu efficienti ipſum; deinde à potentia naturali deſumit independentiam à phantaſmatibus, & immunitatem compoſitionis, & diuiſionis, quæ actui humano repugnant. Ergo actus fidei Angelicus ob nobilitatem potentiæ nanciſcitur perfectiones, quâ actu humano præſtantior eſt.

Confirmatur.

6. Confirmatur. Aſſenſus fidei, quo Angelus credit hominem eſſe mortalem, intra obſcuritatem fidei eſt longe explicatior, & clarior hominis, & mortis repræſentatio ex parte ſubiecti, & prædicati, quàm aſſenſus fidei, quo idem obiectum credit homo. Ergo ex perfectione potentiæ deriuatur in iudicium Angelicum maior perfectio, quam in humanum. Cõſequentia bona eſt. Antecedens probatur primo. Aſſenſus Angelicus exprimitur ex natura rei ſpeciebus impreſſis, clarius, & diſtinctius referentibus hominem, & mortem, quam aſſenſus humanus. Ergo clarior, & expreſſior repræſentatio eſt hominis, & mortis, quàm humanus. Antecedens negari non poteſt, quia vt videbimus diſput. 53. actus ſupernaturalis fidei exprimitur ſpeciebus naturalibus. At ſpecies naturales Angelicæ diſtinctiores, ac perfectiores ſunt, quàm humanæ, comparatione cuiuſcunque naturalis, de quo aliquid reuelatum enuntiatur. Conſequentia probatur, quia cognitio elicita ſpeciebus perfectioribus, & clarioribus perfectior, & clarior eſt comparatione ſubiecti, & prædicati, quæ ſpecies repreſentant, quamuis vnio vtriuſque per fidem propoſita obſcura ſit. Nam is qui vidit Philippum quartum Hiſpaniæ Regem, & Auguſtam Eſcurialem, propriaſque, ac quidditatiuas horum obiectorum ſpecies habet, audiens, Regem adiiſſe Eſcurialem, perfectiorem Regis, & Eſcurialis notionem concipit, etiam cum per fidem humanam, incertam, & obſcuram tale nuntium credat, quàm is, qui Regem, & Eſcurialem nunquam vidit. Ergo ſimiliter Angelus adæquate & comprehenſiue noſcens hominem & mortem, audiens à Deo hominem eſſe mortalem, cum credit per aſſenſum obſcurum fidei vnionem mortis cum homine, altius, & expreſſius ſibi proponit hominem, & mortem, quam homo, qui ea perfectione ſpecierum deſtitutus eſt. Poteſt enim actus fidei obſcurus eſſe comparatione vnionis prædicati cum ſubiecto, & clarus comparatione quidditatis prædicati, atque ſubiecti, vt tr. de fide exponemus. Quâ igitur parte prædicatum, & ſubiectum exprimitur, perfectior cognitio erit aſſenſus fidei Angelicus, quam humanus. Explicatur; Is eſt aſſenſus fidei Angelicus, vt ſecum non patiatur aliquem errorem quidditatis hominis, & mortis, is vero eſt aſſenſus humanus, vt cum illo plures errores quidditatis hominis, & mortis poſſint componi, vt ſæpe illiteratis, imò, & ſapientioribus contingit. Ergo perfectior elicitur aſſenſus fidei Angelicus quàm humanus.

7. Dices, maiorem claritatem, & perfectionem cognitionis ſupernaturalis Angelicæ non eſſe intrinſecam, ſed extrinſecam prouenientem ab apprehenſionibus perfectioribus. Reſponſio.

Sed contra. Apprehenſiones præcedentes iudicium ſupernaturale ſunt intrinſece ſupernaturales, vt lib. 3. oſtendemus. Ergo ſi apprehenſiones ſupernaturales potentiæ perfectioris ſunt perfectiores, iam aliquæ cognitiones ſupernaturales, ratione maioris perfectionis potentiæ ſunt perfectiores. Quo facile erit colligere aſſenſus quoque ſupernaturales fieri poſſe perfectiores. Secundo, aſſenſus ſequutus apprehenſiones perfectiores ex natura rei perfectior eſt, ſicut eſt perfectior concluſio ſequuta perfectiores præmiſſas; nam iudicium rei adæquatur apprehenſionibus, quibus rei prædicata proponuntur, referteque plures, aut perfectiores clarius, aut confuſius, prout apprehenſiones antecedentes plura, aut pauciora, clarius, aut confuſius proponunt. Ergo non ſolum apprehenſiones præcurrẽtes, ſed etiam aſſenſus Reuincitur.

Digitized by Google

ipſi Angelici diſtinctius, & clariùs referunt obiecta, quam humani. Quid ſi iudicium aſſeratur compoſitum ex apprehenſionibus? Tum enim non poteſt non eſſe perfectius, quo apprehenſiones ipſum conſtituentes perfectiores ſunt. Quid, ſi iudicium ſupernaturale Angelicum nullam ſupponat apprehenſionem, in quam maior diſtinctio, & claritas iudicij poſſit efferri. Tunc enim in ſolam iudicij naturam reuocanda eſt. Igitur poteſt aſſenſus ſupernaturalis Angelicus fieri perfectior, quàm humanus, ratione maioris perfectionis naturalis potentiæ. Ratio à priori ſit. Quia ſpecies impreſſa influit in iudicium Angelicum, ſicut in apprehenſionem humanam, & ſpecies perfectius referens obiectum in actu primo, confert cognitioni, in quam influit, perfectionem repræſentandi in actu ſecundo, quam continet, ſicut per ſe illam confert apprehenſionibus. At ſpecies Angelicæ, perfectius referunt, obiecta creata, quàm humanæ. Ergo efficiunt cognitionem ſupernaturalem modo repræſentandi perfectiorem. Explicatur; Cognitio fidei elicita ab homine ita confundit obiecta, vt non diſtinguat illa ab omnibus, quæ ab ipſis diſtincta ſunt, ſed interdum ſimilia, quaſi vnum cōcipiat. At cognitio Angelica ex parte ſubiecti diſtinguit illud ab omnibus quæ ipſum nō ſunt, quare ſi Angelum iudicantem per actum fidei hominem eſſe mortalem roges, an homo vtatur potentijs à ſe diſtinctis, reſpōdebit id quod reuera eſt, quia etiam per actum fidei concipit hominem ſicut eſt. Si verò hominem idem iudicantem per fidem roges, an potentiæ vitales à ſubſtantia hominis diſtinguātur, poterit à veritate declinare; quia etiam per actum fidei hominem confuſe, & implicite concipit. Ergo modo repræſentandi hominem præſtantior eſt cognitio ſupernaturalis Angelica, quam humana.

Vlterius confirmatur aſſertū.

8. Vlterius confirmatur aſſertio ſuperior in affectibus ſupernaturalibus voluntatis. Affectus ſupernaturales efficaces voluntatis Angelicæ continent effectus præſtantiores effectibus, quos continent effectus efficaces ſupernaturales humani: v. g. dilectio Dei efficax elicita à charitate Angelica in eadem intenſione graduali cum humana. Ergo cæteris paribus ex nobilitate potentię naturalis nobiliores ſunt affectus ſupernaturales Angelici. Nam perfectior eſt efficacia actus voluntatis, quo perfectiora ſunt opera, quæ illius imperio, & Energiæ ſubdita ſunt, ſicut perfectior eſt virtus cauſæ, quo perfectiores effectus poſſunt ab illa deriuari. Antecedens probatur; ſub efficacia, & imperio charitatis Angelicæ continentur actus naturales intellectus, & voluntatis, potentiæque loco motiuæ, & omnes actus ſupernaturales reliquarum virtutum, qui in Angelo ex parte nobilioris materiæ poſſunt eſſe nobiliores, quàm humani Ergo efficacia charitatis actualis in Angelo præſtantiora opera continet, quàm in homine. His lucem demus. Ponamus, Angelum, & hominem diligere ex charitate æquali Deum, volentes efficaciter opera implere, quæcumque Deo magis grata ſint. Affectus efficax Angelicus vi ſua poteſt inducere Angelum ad actus virtutum naturalium, motionem cælorum, debellationem hoſtium Eccleſiæ, manifeſtationem ſecretorum cordis, actus denique ſupernaturales fidei, & religionis, & alia ſimilia, quæ à Deo Angelo præcipi poſſunt, & virtute affectus humani nequeunt exequutioni mandari. At actus virtutum naturalium in Angelo perfectiores ſunt, quàm in homine, ſicut ſunt perfectiores naturales cognitiones: nam actus naturales ex perfectione inæquali potentiæ naturalis poſſunt eſſe inæquales. Item motio cælorum, & debellatio hoſtium Eccleſiæ, opera ſunt, quæ longe excedant virtutem humanam; actus etiam fidei, & religionis ſupernaturales ſaltem materialiter ab Angelo præſtantiores fiunt, quàm ab homine, cum præſtantius ſit captiuare in obſequium Dei intellectum Angelicum, & ſubdere Deo Angelicam excellentiam, quàm humanam. Ergo nobiliores actiones continentur ſub efficacia intrinſeca effectus charitatis Angelici, quam ſub efficacia effectus humani. Atque adeo intrinſece etiam ratione ſuppoſiti perfectioris effectus Angelicus erit perfectior, quàm humanus. Quandoquidem cauſa continens intrinſece effectus perfectiores ſemper eſt intrinſece perfectior.

9. *A* priori rem probo. Poteſt actus ſupernaturalis haurire aliquas perfectiones à potentia naturali. Ergo à maiori perfectione potentiæ naturalis poteſt cæteris paribus procedere perfectior. Nam inter eas perfectiones, quę in actum ſupernaturalem deriuantur à potentia naturali; deriuari poteſt aliqua illarum, quibus potētia naturalis Angelica excedit humanam. Quandoquidem actus ſupernaturalis capax eſt perfectionum communium naturæ, licet natura non ſit capax perfectionum, quæ ordinis ſupernaturalis propriæ ſunt. Antecedens probatur. Actus ſupernaturalis deſumit à potentia vitali Angelica vitalitatem, immunitatem à phantaſmatibus, compoſitione, & diuiſione, & alias proprietates repugnantes actibus humanis. Ergo ſimiliter poteſt deſumere alias perfectiones, quas potentia naturalis tribuit actibus naturalibus, excedentes humanos. Rurſus potentia naturalis, vt condiſtincta ab habitu ſupernaturali influit immediate in actū ſupernaturalem. Ergo influere in illum poteſt perfectiones proprias talis potentiæ. Nam illas influit in actus naturales, quia actione immediata tribuit eſſe. Ergo eadem actione immediata poteſt tribuere actibus etiam ſupernaturalibus excedentes perfectiones, quas continet. *Ratio à priori.*

SECTIO TERTIA.

Argumenta contra præcedentem aſſertionem diluuntur.

10. AVtores primæ ſententiæ ſic arguunt contra aſſertum præcedens. *Actus* ſupernaturalis procedit à facultate naturali *Prima impugnatio.*

Digitized by Google

iuxta menſuram concurſus, qui ei exhibetur à Deo; nam omnis operatio creaturæ, præſertim ſupernaturalis ſubordinata eſt concurſui Diuino. Sed concurſus exhibetur à Deo ſolum iuxta menſuram habitus ſupernaturalis, non autem potentiæ naturalis. Ergo actus procedit perfectus iuxta menſuram ſolius habitus ſupernaturalis, non autem potentiæ naturalis. Conſequentia bona eſt. Probatur minor. Concurſus Dei exhibetur iuxta exigentiam creaturarum. Sed ad actum ſupernaturalem efficiendũ nulla ineſt potentiæ naturali exigentia concurſus diuini, ſed ſoli habitui ſupernaturali. Ergo concurſus Dei ad actum ſupernaturalem ſolum exhibetur iuxta perfectionem habitus ſupernaturalis, non autem potentiæ naturalis.

Reſpondetur. 11. Reſpondeo. Concurſus exhibetur à Deo ſolum pro exigentia compoſiti, quod coaleſcit ex potentia naturali, & habitu ſupernaturali; quia neutri ſeorſim concurſus ad agendum actum ſupernaturalem debitus eſt. Complexum autem ex habitu ſupernaturali, & potentia naturali exigere poteſt concurſum ad actum perfectiorem pro maiori perfectione potentiæ naturalis, vt oſtendimus. Nam complexum ex potentia naturali, & habitu ſupernaturali eſt complexum ætherogeneum conſtans ex partibus longe diuerſis; atque adeo potens exigere quidpiam, videlicet perfectiorem actum, quod vnumquodque ſeorſim, v. g. habitus ſupernaturalis exigere repugnat. Etenim vt habitus ſeorſim à potentia nullum exigit cõcurſum ad actum ſupernaturalem, quem tamẽ exigit potentiæ coniunctus, ſic perfectiorem concurſum, quem habitus ſecundum ſe non vendicat, poteſt vendicare coniunctus potentiæ perfectiori, ſeu complexum ex habitu, & potentia perfectiori. Sic gratia iuſtificans ſecundum ſe ſeiunctim à natura non diligitur amore amicitiæ à Deo, neque natura rationalis ſecundum ſe ſeiunctim à gratia, complexum vero vtriuſque exigit dilectionem amicitiæ. Secundo reſponderi poteſt, eundem habitum ſecundum ſe exigere, vt coniunctus potentiæ humanæ efficiat actum ſupernaturalem tantæ perfectionis, & coniunctus naturæ Angelicæ actum ſupernaturalem perfectiorem efficiat; indeque eundem ſecundum ſe exigere, vt coniunctus inæqualibus potentijs inæquali concurſu ſocietur à Deo.

Secunda impugnatio. 12. Aliter ſecundo obijciunt. Si cum æquali habitu perfectior potentia perfectiores edat pietatis actus, exceſſus perfectionis, quo actus Angelicus ſuperaret actum humanum, eſſet referendus in natura, & non in gratiam, quandoquidem is exceſſus non à gratia, ſed à natura perfectiori procedit. At nihil actus ſupernaturalis, ac meritorij Catholice referri poteſt in ſolam naturam, & non in gratiam, quia Semipellagianorum error eſt, poſſe aliquid actus meritorij facultate ſolius naturę haberi. Ergo cum æquali habitu repugnat inæqualis perfectio actus ex ſola inæqualitate naturæ.

Philippus Faber non ſatisfacit. 13. Philippus Faber in tertio diſp. 33. c. 2. admittere non veretur, poſſe facile actum ſupernaturalem perfectiorem, qua perfectior eſt, in ſolam naturæ facultatem reuocari. Id ego non audeo. Itaque nullus exceſſus, gradusuè perfectionis actus ſupernaturalis, ac meritorij concedendus eſt, qui ſoli reſpondeat facultati naturæ nudæ, ſed inſtructæ habitu gratiæ. Quoniam nulla eſt formalitas, aut perfectio in actu ſupernaturali Angelico, quæ intrinſece ſupernaturalis non ſit, atque adeo non indigeat virtute ſuperaddita gratiæ, vt à natura rationali efficiatur; ſimiliter nullus eſt gradus habitus ſupernaturalis, qui ſuapte natura indifferens non ſit, vt cum potentia naturali perfectiori, & imperfectiori coniungatur, & cum potentia perfectiori, perfectiorem, cum imperfectiori imperfectiorem actum eliciat. Igitur non ſola natura Angelica ſecundùm ſe eſt perfectione inæqualis naturæ humanæ, verum etiam complexum ex natura Angelica, & habitu ſupernaturali, vt quatuor eſt inæquale complexo ex habitu ſupernaturali vt quatuor, & natura humana; nam vt complexum inæquale ſit, ſufficit partem complexi inæqualem eſſe. Inæqualitas ergo & exceſſus actus ſupernaturalis Angelici perperam reuocatur in æqualitatem, & exceſſum naturæ Angelicæ ſecundum ſe; optime vero in exceſſum, & inæqualitatem complexi, vt complexum eſt: ſiquidem vt complexum eſt, vere cõtinet principium ſupernaturale, & principium naturale excedens hominem mutua dependentia, & ſubordinata ad agendum actũ ſupernaturalem. Atque adeo actus ſupernaturalis Angelicus, etiam qua humano perfectior eſt, non à ſola natura, ſed etiam à gratia, à natura inquam inſtructa per gratiam, originem trahit, quin meriti, aut pietatis quicquam in ſolam naturam, aut in ſolam æqualitatem naturæ reuocetur, ſed in complexum inæquale. — Melius reſpondetur.

Tertia. 14. Tertio; ſi cum æquali lumine gloriæ viſio beata fieret perfectior ab intellectu perfectiori, homo & Angelus cum æqualibus meritis ſemper eſſent inæqualiter beati, quia Angelus perfectior eliceret neceſſario viſionem Dei eſſentialiter perfectiorem. *At* hoc non admittitur à Theologis. Ergo viſio beata non eſt perfectior ab intellectu perfectiori. Reſpondent aliqui lumen gloriæ non dari *Angelo* ſecundum merita æqualia omnino æquale, ſed habita ratione potentiæ intellectiuæ perfectionis. Itaque cum homo, & *Angelus* æqualiter merentur, tantò minus luminis gloriæ dari *Angelo*, quanto intellectus *Angelicus* ſuperior eſt intellectu humano: & tanto plus luminis gloriæ præberi homini, quantò inferior eſt intellectus humanus intellectui *Angelico*, vt ſeruata proportione intellectus & luminis vtriuſque æqualem vterque viſionem eliciat. Sed contra etiam lumen gloriæ eſt præmium reſpondens meritis. Ergo æqualibus meritis ęquale lumen tribuendum eſt. Nam ſi lumen glorię minus perfectum prębeatur *Angelo*, quàm homini, eo minus remuneratur *Angelus*, quàm homo. Quod item æqualibus meritis concedi non debet. Deinde etiam quia inde fieret tanto plus charitatis habitualis, & gratiæ iuſtificantis dandum eſſe homini, quanto imperfe-

Digitized by Google

ctiorem habet voluntatem, & naturam quam Angelus. Et tanto minus tribuendum Angelo charitatis, & gratiæ, quanto maior eſt perfectione entitatiua voluntas, & natura Angelica, quàm humana, ſiquidem viſio in patria ſequitur gratiam habitualem, & charitatem viæ, & amor Dei in patria, ſequitur intenſionem, & perfectionem viſionis. Hoc autē nullus Theologus facile conceſſerit. Ergo lumen gloriæ cum æqualibus meritis non donatur inæquale. Reſpondent alij Angelum, & hominem, cum pares ſunt in merito, pares quoque eſſe in lumine gloriæ; cæterum impares eſſe in concurſu diuino, quo intellectus vtriuſque iuuatur à Deo ad efficiendum viſionem, quia Deus maiori concurſu compenſat in homine defectum potentiæ intellectiuæ, vt poſſit æqualem cum Angelo viſionem elicere. Sed contra, quia hoc videtur gratioſe confictum, deinde quia ea ratione intellectus creatus non eleuaretur omnino per lumen gloriæ ad videndum Deum, ſed per concurſum extrinſecum Dei, quo ſuppletur actiuitas luminis, aut potentiæ intellectiuæ. *Concilium Vienneſe.* Quod videtur contra Concilium Vienneſe ſtatuens de facto ad videndum Deum neceſſarium eſſe lumen gloriæ. Tertio, quia maior ille concurſus Dei exhibitus homini præ Angelo, vel eſt debitus lumini, vel non? Si debitus eſt. Ergo minor concurſus, qui confertur Angelo habenti lumen æquale auffertur ex debito. Si indebitus eſt. Ergo eleuatur homo per eum cōcurſum miraculoſe præter exigentiam rerum creatarum, non eleuandus caſu contingenti, quo Angelus non bearetur cum ipſo. Quod *S. Thomas confirmat.* admitti non debet. Confirmatur ex S. Thoma 1. p. qu. 12. art. 6. vbi ſtatuit totam perfectionem viſionis beatæ refundi in ſolam perfectionem luminis gloriæ, & non in perfectionem potentię naturalis, his verbis. *Dicendum quod videntium Deum per eſſentiam, vnus alio perfectius eum videbit: ſed hoc erit per hoc quod intellectus vnius habebit maiorem virtutem, ſeu facultatem ad videndum Deum, quam alterius: facultas autem videndi Deum non competit intellectui creato ſecundum ſuam naturam, ſed per lumen gloriæ, quod intellectum in quadam Dei conformitate conſtituit. Vnde intellectus plus participans de lumine gloriæ perfectius Deum videbit.* Vnde etiam in ſolutione ad tertium ait. *Diuerſitas videndi Deum erit per diuerſam facultatem intellectus, non quidem naturalem, ſed glorioſam.* Ergo ex ſola perfectione luminis gloriæ, tota inæqualitas deſumenda eſt.

Prima ſolutio. 15. Reſpondeo primo negando ſequelam, nimirum Angelum æqualem homini in merito fore inæqualem in perfectione viſionis beatæ, etiam ſi æquale lumen vtrique præbeatur. Nam vt oſtendemus aſſertione ſecunda, non omnes actus eliciti à potentia perfectiori cum æquali perfectione habitus ſupernaturalis debent eſſe neceſſario perfectiores, ſed plures poſſunt eſſe æquales, & plures perfectiores. Vnde Angelus & homo poſſunt cum facultate naturali inæquali elicere viſiones beatas omnino æquales, quia inæqualitas earum facultatum non deſumitur ex inæqualitate omnium effectuum illarum, ſed aliquorum dumtaxat, cum quo non repugnat poſſe aliquas operationes æquales habere, atque adeò viſiones intuitiuas Dei eſſe æquales, licet abſolute facultates inæquales ſint. Deinde eſto, viſiones inæquales ſint inæqualitate deſumpta ex inæqualitate potentiarum, poſſunt in ratione beatitudinis eſſe omnino æquales. *Secunda.* Nam viſio intuitiua Dei non eſt beatitudo perfectione deſumpta ex potentia naturali, ſed deſumpta ex obiecto, quod eſt ſummum bonum, apprehenſione intuitiua poſſeſſum; nam beatitudo formalis eſt intuitio explicata naturæ Diuinæ, quæ eſt beatitudo obiectiua; atque ita viſio in ratione beatitudinis non perficitur, niſi in ordine ad apprehendendum ſummum bonum perficiatur. Quare ſi viſio Angelica non ſit intuitio naturæ Diuinæ magis explicita, quam humana, non erit perfectior in ratione beatitudinis, quamuis excedat humanam virtute productiua alicuius effectus, cuius humana productiua non eſt, quia ea perfectio in ordine ab obiectum non eſſet maior, ſed in ordine ad effectum. Ergo ſimiliter quamuis ſit perfectior in ordine ad principium perfectius, ſi in ordine ad obiectum ſit æqualis, non erit propterea beatitudo perfectior, quia Angelum non beat principium, ſed obiectum. At poteſt creſcere perfectio cognitionis alio ex capite, quam ex ordine ad obiectum, cum cernamus cognitionem fidei eſſe perfectiorem cognitione euidenti naturali, quamuis euidentia cognitionis naturalis ſit perfectio ſuperior, quam obſcuritas fidei ſupernaturalis, quia fides ſupernaturalis exigit principium ſupernaturale, & perfectius. Item amor naturalis, & ſupernaturalis tendunt cum inæquali perfectione in eandem bonitatem Diuinam, quia principia inæqualia ſunt. Igitur ſimiliter poteſt viſio Angelica admitti perfectior, quam humana, ex ordine ad potentiam perfectiorem, quin in ordine ad obiectū perfectior ſit, atque adeo quin viſio Angelica perfectius beet, quam humana: ſiquidem in ratione beatitudinis ſolum perficitur ordine, quem habet ad obiectum.

16. Ad confirmationem ſimiliter reſpondeo. Primo, poſſunt viſiones beatæ eſſe omnino æquales cum inæqualitate potentiarum, *Ad confirmationem primo.* quia inæqualitas potentiarum non exigit vt omnes earum actus inæquales ſint, ſed ſufficit aliquos eorum inæquales eſſe, vt ſectione ſequenti exponemus. Inter actus vero æquales numerari poſſunt actus viſionis beatæ propter autoritatem. Præceptoris Angelici. Secundò *Secundo.* ſanctus Thomas ſolum colligit ex æqualitate luminis, æqualitate viſionis beatæ in ratione beatitudinis, quæ per ordinem ab obiectum perficitur, non vero in ratione perfectionis, quæ deſumitur per ordinem ad potentiam. Nam reſpectus ad potentiam perfectiorem poteſt aliunde quam ex obiecto conſtituere actum perfectiorem, vt nuper dicebamus. Perfectio autem beatitudinis ſolum per reſpectum ad obiectum maior, aut minor eſt. Tertio ſanctus *Tertio.* Thomas ſolum affirmat ex maiori perfectione luminis eſſe viſionem magis perfectā, & negat

ex ma-

Digitized by Google

ex maiori perfectione potentiæ ſecũdum ſe ſeorſim à lumine magis perfectam eſſe; quæ duo & nos fatemur. At nihil decernit, an ex maiori perfectionẽ potẽtiæ, prout complectitur æquale lumen, perfectior ſit, de quo nos diſſerimus. Fatemur quidem maiorem perfectionem potentiæ, ſecundum ſe non poſſe refundere in actum ſupernaturalem altiorem perfectionem, quia potentia naturalis ſecundum ſe ſeorſim à lumine, ſicut non eſt actiua viſionis, ita nec perfectionis collatiua. At aſſerimus complexum ex potentia naturali nobiliori, & lumine gloriæ æquali poſſe nobiliorem edere viſionem, itaut maior viſionis nobilitas neque in lumen ſecundum ſe, neque in potentiam naturalem ſecundũ ſe, ſed in vtrumque ſimul, prout indiuidue agũt, & complexũm inæquale conſtituunt, reducatur. Quod S.Thomas eo teſtimonio non negauit. Imo affirmare videtur, dum inæqualitatem reuocat in facultatem intellectus, prout glorioſam; nam ea re duplicatione non excludit omnino facultatem naturalem, ſed ſolum vt ſeorſim à lumine gloriæ conſideretur, comprehenditq; illam vt cauſam inæqualitatis, prout cum lumine gloriæ complexum efficit. Quod non parum cõfirmat commune teſtimonium, quod affirmantes adducunt ex 3.p. q. 10. art. 4. ad 2. dum ait, *perfectionem viſionis magis ſumi à gratia, quam à natura*, & idcirco animam Chriſti, licet inferiorem natura quàm Angeli, perfectius videre Deum, quia dono gratię ſuperior eſt. Nam dum ſic confert naturam, & gratiam in ordine ad perfectionem viſionis, ſupponere videtur, naturam aliquid conferre ad excellentiam viſionis, licet non tãto momento, quo gratia confert. Nec refert interpretamentum negantium, quo aiunt, illud *magis* non eſſe ſumendum comparatiue, ſed aduerſatiue, ita vt faciat ſenſum negantem, quem in ſacro textu ſæpe facit. Nam licet interdũ in ſacro textu ſenſus aduerſatiuus, per aduerbium *magis* explicetur; tamen communis, ac propria eius ſignificatio comparatiua eſt, & S.Thomas intelligendus eſt vſus fuiſſe illo aduerbio in communi, ac propria, & vſitatã omnium ſignificatione.

S.Thomas. Confirmatur. S.Thomas.

SECTIO QVARTA.

Poſterior aſſertio verioris ſententiæ.

Secunda aſſertio.

18. POſterior aſſertio eſt. Poſſunt plures actus ſupernaturales ab inæquali facultate naturæ cum æquali habitu ſupernaturali procedere æquales. A priori ſic probo. Vt aliqua potentia naturalis ſit perfectior, quam alia, non eſt opus vt omnes effectus potentiæ perfectioris ſint perfectiores, ſed cum eo exceſſu perfectionis componitur plures effectus potentiæ perfectioris eſſe ęquales, & inferiores effectibus potentiæ imperfectioris. Ergo poteſt facultas naturalis perfectior efficere actus ſupernaturales equales actibus potentiæ imperfectioris. Nã ſi aliqua ratione eſſent neceſſario perfectiores, ſolum eſſet, quia exceſſus perfectionis potentiæ id vendicaret. Id autem vendicare non poteſt exceſſus potentiæ, ſi is exceſſus ſaluari integer poteſt, quamuis aliqui actus vtrique facultati communes æquales ſint. Antecedens probatur. Vt aliqua res ſit ſimpliciter præſtãtior alia, non requiritur vt vndequaque omnibus proprietatibus, perfectionibus, & effectibus præſtantior ſit, ſed ſufficit, vt ex vno, vel alio capite ſit præſtantior; nam eo ipſo quod ex vna vel duplici proprietate, aut effectu celſior ſit, quamuis in alijs æqualiter comparetur, iam abſolute ſuperior exiſtit. Sicut facies abſolute eſt pulchior, quæ cæteris paribus oculos venuſtiores habet, & compoſitum ſubſtantiale abſolute eſt perfectius alio, licet materia prima coaleſcat æquali cum materia alterius, quia alia pars, ſcilicet forma ſubſtantialis perfectior eſt. Item equus perfectior eſt cælo, licet cælum proprietate incorruptibilitatis ſuperet equum, quia alijs pluribus maioris æſtimationis ſuperatur ab equo: ſimiliter equus nobilior eſt cane, quãuis canis olfaciendi facultate prior ſit equo. Ergo vt aliqua potentia naturalis præſtantior ſit quã alia, non requiritur, vt in ordine ad omnes effectus præſtantior ſit, ſed ſufficit potiores effectus eſſe præſtantiores, ac proinde alij inæquales, & ignobiliores eſſe poſſunt.

A priori oſtenditur.

19. Aliter ſic arguo. Solus reſpectus intrinſecus termini ad cauſam perfectiorem, non conſtituit cæteris paribus terminum perfectiorem, niſi ex tali reſpectu deriuetur in terminum aliqua perfectio ab eo mero reſpectu diſtincta. Sed plures ſunt actus ſupernaturales Angelici, qui differunt ab humanis ſolo reſpectu intrinſeco ad potentiam perfectiorem, quin ex eo reſpectu deriuetur in ipſos aliqua perfectio ab eo reſpectu diſtincta. Ergo plures ſunt actus ſupernaturales Angelici, qui non ſunt humanis actibus perfectiores. Conſequentia eſt legitima. Probatur nũc maior. Calefactio procedẽs à ſolo Deo non eſt perfectior calefactione procedente à Deo, & creatura ſimul: nam ſi à Deo hauriret aliquam excellentiam, excederet ea calefactio omnem actionem creaturæ, quamtumuis perfectiſſimam; & in terminum ſubſtãtialem, ac perfectiſſimum: vt cognitio, & amor reſpicientes immediate ſolum Deum vincunt perfectione omnem cognitionem, & amorem creaturæ. Item productio phyſica, & vnio gratiæ habitualis procedens in baptiſmo à ſubſtantia aquę, non eſt perfectior productione, & vnione phyſica gratiæ à vocibus abſoluentis in ſacramento pœnitentiæ, quãuis ſubſtantia aquę eis vocibus perfectior ſit. Tunc ſic. Hæ actiones ideo perfectiores nõ ſunt, quamuis à cauſa adæquata perfectiori eſſentialiter pendent; quia vna actio non habet præ alia à cauſa perfectiori adæquata ſpecialẽ aliquam perfectionẽ, præter reſpectum eſſẽtialem ad cauſam perfectiorem. Ergo ſolus reſpectus ad cauſam perfectiorem non conſtituit rem perfectiorem, cum in eam cauſam non deriuet aliam peculiarẽ perfectionem præ alia, præter reſpectum eſſentialem ad eam cauſam. Ratio à priori huius principij maioris ſit. Quia poteſt reſpectus reſpicere agẽs perfectius, quin in ſe contineat, ſuſcipiatue totam perfectionem agentis, cum videamus plu-

Alia ratio à priori.

Digitized by Google

ra agentia perfectiſſima efficere pleroſque effectus ignobiliores ijs, quos efficiunt agentia minus perfecta, vt viuentia ignobiliora, ſenſiones videndi, audiendiuè præſtantiores ijs, quas eliciunt viuentia nobiliora. Vnde petendum eſt diſcrimen; quare agens ſit perfectius ſolo reſpectu ad effectus perfectiores, effectus autem non ſit perfectior ſolo reſpectu ad agens perfectius. Quippe agens reſpicit effectum conferẽdo effectui totam perfectionẽ, quam habet effectus: effectus vero reſpicit agens, accipiendo ab agẽte ſuam perfectionem. Agens autem non poteſt conferre totam perfectionem effectus, quin totam illam contineat in ſe, effectus vero poteſt ſuſcipere perfectionem ab agente, quin contineat, ſuſcipiatuè totam perfectionẽ agẽtis.

Illuſtratur.

20. Vnde etiam probatur minor ſuperioris argumenti, videlicet plures eſſe poſſe actus ſupernaturales à potẽtia perfectiori, quin ab ea hauriant aliquam perfectionem, qua excedant actus potentiæ imperfectioris. Nam licet cauſę ſit continere perfectionem effectus, non eſt tamen effectus continere totam perfectionem cauſæ, quare interdũ cauſæ perfectiores motus efficiunt imperfectiores motibus cauſæ imperfectioris. Ergo poſſunt actus ſupernaturales à potentia perfectiori nullam peculiarem excellentiam haurire, qua excellant actus potentiæ imperfectioris. Explicatur. Poſſunt actus, & actiones naturales reſpicere eſſentialiter agentia ſuperiora, quin perfectionem deſumant ſuperiorem ea, quàm deſumunt actus, & actiones naturales percipientes eſſentialiter agentia inferiora, vt conſtat ex duobus numeris præcedẽtibus. Ergo etiam poſſunt actus ſupernaturales pendentes eſſentialiter à potẽtia ſuperiori, non deſumere perfectionem ſuperiorem. Nam ſi in omnes actus potentiæ naturalis nobilioris deriuanda eſſet neceſſario maior nobilitas quam in alios potentiæ ignobilioris, eſſet in actus naturales. Ergo ſi in naturales actus non deriuatur neceſſario, neque in ſupernaturales neceſſario deriuari credendum eſt.

Confirmatur.

Aliæ confirmatio.

21. Eiuſdem minoris probatio pleriſque eſſe poteſt æqualitas neceſſaria inter viſiones Angelicas, & humanas. Quippe æquales ſunt ſupernaturalitate, vitalitate, independentia à phantaſmatibus, immunitate à compoſitione, & diuiſione, perpetuitate, ac deniq; claritate, qua obiectum reſpiciunt. Probantur æquales claritate, de qua dubium eſſe poteſt, nam de reliquis perfectionibus conſtat. In primis, quia ſi cum æquali lumine, & meritis æqualibus eſſent inæquales charitate, cum hæc perfectio maior ſit in ordine ad apprehendendum ſummum bonum, ſane cum æquali lumine, & æqualibus meritis beatior eſſet Angelus, quam homo. In quod firmandum efficacia ſunt obiecta n. 14. Ergo viſio Angelica, & humana ſolum inæquales ſunt reſpectu intrinſeco ad potentias inæquales. At vt vidimus ad maiorem propoſitionẽ nu. 18. ſolus reſpectus intrinſecus ad principium perfectius, dum ex eo reſpectu nõ deriuatur in effectũ alia perfectio à reſpectu diſtincta, non ſufficit cõſtituere actum abſolute perfectiorem. Ergo viſio Angelica, & humana æquales perfectione ſunt.

Confirmatur; ſicut viſio eſt reſpectus intentionalis potentiæ in obiectũ, ita actio eſt reſpectus phyſicus principij efficientis in terminũ. At neceſſe nõ eſt, vt actio pẽdens eſſentialiter à principio efficienti perfectiori, terminum reſpiciat modo perfectiori, vt ſuadẽmus n. 18. Ergo neque neceſſe eſt vt viſio pendens à potentia perfectiori obiectum reſpiciat modo perfectiori.

Rurſus alia.

Explicatur; viſio ſenſitiua animalis rationalis poteſt eſſe clara, imo clarior quàm viſio ſenſitiua hominis, quamuis animæ, à quibus immediate fiunt, inæquales ſint. Quin in eodem homine apprehenſio intuitiua viſus corporei, & intellectualis illi reſpondens ſunt claritate æquales, quãuis intellectualis ſit ſpiritualis, & perfectior, quam materialis, ab alijs perfectioribus quas mutuatur à ſuo principio. Ergo etiã viſio beata Angelica, & humana poſſũt eſſe claritate ęquales, quamuis à potentijs inæqualibus pendẽtes. Aliunde reliquæ perfectiones inæquales non ſunt. Ergo omnino æquales eſſe põſſunt. Idemtidem omnino æquales eſſe poſſunt cognitiones ſupernaturales ſciẽtiæ infuſæ, elicitæ ab homine, & Angelo habiribus, & ſpeciebus ſupernaturalibus æqualibus. Quia poſſunt in homine & Angelo, eſſe æque ſupernaturales, æquè euidentes, æquè ſimplices, &c. quin aliæ præ alijs habeant aliud prędicatum diuerſum, quam reſpectum intrinſecum ad potentiam inæqualem, qui non ſufficit actus conſtituere inæquales, cũ à principio inæquali non hauriat aliam perfectionem diſtinctam, vt vidimus. Ergo cum inæqualitate potentiarum poſſunt actus ſupernaturales fieri omnino æquales.

22. *Dices*, omnes cognitiones ſupernaturales Angelicas fore perfectiores humanis, quia mouere poſsũt voluntatẽ ad effectus perfectiores, nẽpe imperãtes actus naturales perfectiores. Sed contra. Poſſunt eſſe plures cognitiones ſupernaturales, quibus non poſſunt excitari eiuſmodi effectus inęquales, videlicet, quę non repręſentant actus naturales imperabiles à voluntate. Ergo poſſunt eſſe plures cognitiones Angelicæ nullo ex capite perfectiores humanis.

Vindicatur à prima reſponſione,

23. Dicas ſecundo, his argumentis fieri etiã actus naturales Angelicos eſſe poſſe æqualis perfectionis cum humanis, ſi quidem poteſt componi maior perfectio potentiæ cum æqualitate actuũ. Diſtinguo cõſequens. Eſſe aliquos actus naturales Angelicos æqualis perfectionis cum humanis, cõcedo conſequentiam. Eſſe poſſe omnes, nego çonſequentiam. Quia nos aliquos tantum contendimus ęquales perfectione humanis. Et quidem aliquos eſſe poſſe quis inficietur? Cum cernamus plures brutorũ actus humanis præſtantiores, non obſtante excellentia animæ rationalis ſupra animas brutorum. Et ratio à priori ſuperius propoſita etiam actus naturales conuincit. Nimirum, quia vt aliqua potentia ſit abſolute excellentior, non eſt opus, vt omnes actus eius potẽtiæ excellẽtiores ſint, ſed ſufficit aliquos pręſertim pòtiores, excellẽtiores eſſe, quamuis alij minus præcipui ſint æquales.

Item à ſecunda.

24. At rogabis; Vnde naſcatur, vt cum æquali habitu ſupernaturali, & facultate naturali inæquali, alij actus fiant inæquales, alij vero

Quæſitio.

Digitized by Google

Reſponſio. æquales? Reſpondeo. Naſcitur, quia alij actus diuerſum potentiæ concurſum vendicant à concurſu aliorum, nimirum alij, cum quo potentia ſecundum totam ſuam perfectionem influat, alij vero ſecundum aliquam dumtaxat, quam habet cum facultate inferiori communẽ. Quod ex varia ipſorum actuũ conditione, atq; natura petendum eſt. Item quia potentia excellentior non eſt ex omni parte neque ordine ad omnes actus excellentior, ſed ſolum ex vna, aut alia perfectione, & ordine ad aliquos dumtaxat; & non omnes, vt vidimus nu.17. quod ex limitatione potentiæ naturalis procedit, quæ aliquas dumtaxat, & non omnes perfectiones vendicat ſuperiores, quam alia.

SECTIO QVINTA.

Argumẽta contra præteritam aſſertionem.

Primum. 24. PRæteritam aſſertionem oppugnant argumenta ſecundę ſententiæ. Primũ eſt. Actus omnes ſupernaturales procedentes à potentijs inæqualibus ſunt ſpecie differẽtes, vt diſputatione antecedenti ſtatuimus. Ergo omnes ſunt inæquales. Nam diuerſitas ſpecifica eſſe nõ poteſt ſine inęqualitate. Diluitur. In primis nego abſolute conſequentiam. Quia pono ex Metaphyſica (quam in lucẽ paramus) poſſe indiuidua ſpecie differentia eſſe perfectione æqualia. Deinde diſtinguo conſequens, ſunt inæquales cum excellentia neceſſaria actus procedentis à potentia perfectiori ſupra actum procedentem à potentia imperfectiori, nego. Cũ excellentia contingenti actus procedentis à potentia imperfectiori ſupra actum procedẽtem à potentia perfectiori, concedo. Itaque nunc ſolum contendimus omnes actus elicitos cum æquali auxilio ſupernaturali à facultate nobiliori non eſſe neceſſario nobiliores, ſed eſſe poſſe, aut ignobiliores, aut æquales; vnde ſi ignobiliores concedantur, obtinuimus rem. At diuerſitas ſpecifica actuum procedentium à facultatibus inæqualibus non arguit neceſſario præſtantiã actus procedentis ab vna facultate, potius quam alia, ſed præſtantiam alicuius illorum dumtaxat. Poſſe autem præſtantiam conuenire alicui actui elicito à potentia minus pręſtanti ſupra actum elicitum à potentia præſtantiori, ſuperioribus reliquimus.

Secundum. 25. Secundum argumentum. Potentia naturalis influit immediate in actus ſupernaturales. Ergo tribuit illis inæqualitatem, quam habet compoſita cum alia potentia. Soluitur. Nego conſequentiã, quia potentia in actu primo perfectiori poteſt eſſe influxus in actu ſecundo, etiam in vnum, vel alterum actum ęqualis, aut minor influxu, quam in vnum, vel alterum præſtat potentia imperfectior, quia non omnis actus potentiæ vendicat omnem perfectionem, & influxum potentiæ, ſed pro varia eorum conditione, alij maiorem, alij minorem. Id enim quod in voluntate libera cernimus, quæ eadem perſeuerans poteſt nunc hoc influxu actum charitatis imperfectiorẽ, nunc alio perfectiorem edere, cernere etiam eſt in potentia neceſſaria, quę iuxta variam actuum potentiæ naturam, nunc tantæ perfectionis influxum, nunc tantæ vendicare poteſt, quo vnum vel alterum actum perfectiorem ſupra actum potentiæ perfectioris edere poſſit: ſic determinante Deo iuxta continentiam actuum, quos potentia in ſua virtute limitata complectitur.

Tertium. 26. Tertium. Aliqui actus ſupernaturales ſunt cum æquali auxilio gratiæ pro maiori nobilitate potẽtiæ, nobiliores, vt aſſertione prima expoſuimus. Ergo omnes ſemper nobiliores eſſe debent. Nam ratio præſtantiæ ſemper eſt eadem actibus potentiæ nobilioris. Explicatur. Nego conſequentiam. Nam ratio præſtantiæ aliquorum actuum ſupernaturaliũ non eſt ſola dependentia actuum à potẽtia nobiliori, ſed etiam neceſſitas potentiæ, vt in ordine ad aliquos nobilior conſtituatur. Inter eos autem actus poſſunt numerari ſupernaturales. Neq; refert, ſi opponas, ſufficere maiorem perfectionem actuum naturalium ad maiorẽ potentiæ naturalis perfectionem. Nam licet verum ſit, ſemper naturalem potentiam eſſe perfectiorem in ordine ad actus naturales perfectiores, & non ſupernaturales directe, quia in actus ſupernaturales ordine tráſcendenti directe non refertur: tamen maior potentiæ perfectio in ordine ad actus naturales perfectiores comparari poteſt, etiam in ordine ad perfectiores ſupernaturales, non quia potentia naturalis exigat eos actus, neque concurſum ad illos, ſed quia actus ſupernaturales ratione ſuæ conditionis, atque naturæ poſſunt exigere perfectionem, & concurſum potentiæ naturalis, ſecundum quod alteri potentiæ inæqualis eſt, eoſq; peculiares perfectiones à potẽtia naturali haurire, quas hauriunt ab eadem actus naturales perfectiores: ſiquidem earũ capaces ſunt actus ſupernaturales, qui plures capiunt perfectiones actibus naturalibus cõmunes, vt probatione noſtræ ſententiæ vidimus.

SECTIO SEXTA.

Poſtrema aſſertio verioris ſententiæ.

Tertia aſſertio. 21. TErtia aſſertio eſt. Non ſolum actus ſupernaturales viatoris, ſed etiam cõprehenſoris, & beati poſſunt eſſe cũ æquali auxilio gratiæ ab inęquali potentia inæquales. Ex dictis hæc aſſertio conſectaria eſt. A priori ſuadetur. A priori quidẽ, quia etiam actus ſupernaturales patriæ fiunt immediato influxu potentiæ naturalis. Ergo à perfectiori potentia poſſunt deſumere maiorem aliquam perfectionem. Nam, vt vidimus n.9. ratio à priori propter quã poſſunt actus viatoris maiorem perfectionẽ haurire à potẽtia perfectiori eſt influxus immediatus, quo ab illa deriuantur, capax perfectionũ, quas actus naturales ad eadẽ hauriũt. A poſteriori. A poſteriori verò, quia viſio beata Angelica poteſt intrinſece dirigere affectus volũtatis, & actiones naturales perfectiores, quã viſio humana. Ergo intrinſece poteſt eſſe perfectior.

Digitized by Google

Nā cauſa continens effectus perfectiores ſēper eſt perfectior. Antecedēs cōſtat, quia viſio Angelica poteſt dirigere effectus ſupernaturales charitatis, religionis, & obedientiæ, imperantes actuum naturalium interiorū, & exteriorum, qui in Angelo perfectiores ſūt, quam in homine, & à viſione beata humana dirigi repugnant. Ergo poteſt viſio Angelica ratione principij, & ſuppoſiti à quo eſſentialiter pendet, peculiarem aliquam perfectionem deſumere, qua vincat viſionem humanam. Recole quæ diximus n.8.

Prima obiectio.

Obijciunt autores tertiæ ſententiæ, primo. Actus ſupernaturalis in via procedit iuxta conatum naturæ, qui confertur in actum ſupernaturalem æqualiter, ac in naturalem, quod eſt in cauſa, vt non poſſimus diſcernere actum naturalem à ſupernaturali. At vero actus ſupernaturalis in patria procedit, iuxta impetum gratiæ, quo fertur neceſſario natura. Ergo licet actus ſupernaturalis in via perfectior eſſe poſſit pro natura perfectiori, in patria tamen ſolum eſt perfectior pro perfectiori gratia.

Eleuatur.

Reſpondeo. In primis plures actus ſupernaturales fiunt in patria cum omnimoda libertate, & iuxta conatum naturæ ſicut in via: verbi gratia, actus religionis, & obedientiæ, quos dirigere poteſt viſio beata, & etiam actus charitatis, quos poteſt dirigere ſcientia infuſa, nec non etiam beata. Deinde argumentum ſolum probat inæqualitatem intenſiuam gradualem, non vero ſpecificam; & eſſentialem, de qua nunc diſſerimus. Nam inæqualitas, quam inducit maior, vel minor conatus naturæ, ſolum eſt intenſiua, & gradualis, non vero ſpecifica & eſſentialis. Quare hæc inæqualitas viatoris, & beati poteſt reperiri in eodem homine viatore, & beato, iuxta conatum liberum, aut neceſſarium naturæ.

Secunda.

Secundò. Angeli minimo temporis ſpatio amplius ſunt promeriti gloriæ, quam meremur. Nos tractu plurimorum annorum. At hoc tribui non poteſt in maiorem intenſionem actuum. Ergo tribui debet neceſſario in maiorem excellentiam actuum, qui ex perfectiori vſu gratiæ prouenienti à natura perfectiori eliciti ſunt longo interuallo actibus humanis perfectiores. Probatur minor; quia credibile non eſt tantam fuiſſe intenſionem gradualem in actibus Angelicis, vt non poſſint eos æquare multiplicatione actuum homines iuſti, continuo incumbentes in officia virtutum. Ergo tanta inæqualitas non in intenſionem gradualem, ſed in ſpecificam, & entitatiuā perfectionem reuocanda eſt.

Eneruatur.

Hoc argumentum nobis repugnat, quatenus concludit actus viatoris neceſſario eſſe inæquales quoad entitatiuam perfectionem; nos autem tuemur, tum in patria, tum in via poſſe fieri à potentia perfectiori actus ſupernaturales, tum perfectiores, tum æquales. Ad illud reſpondeo. Probabile eſt, actus Angeli viatoris fuiſſe perfectione entitatiua inæquales. Cæterum propterea non repugnat, plures fieri poſſe æquales: ſiquidem cum æqualitate illorum poteſt cohærere inæqualitas Angeli, & hominis. Deinde negari poteſt inæqualitatem fuiſſe ſpecificam, ſed gradualem. Quippe gratia actualis illis diſtributa fuit, vt operarentur iuxta perfectionem entitatiuam ipſorum, atque ita proxime in intenſionem gratiæ reuocari poteſt perfectio eorum actuum. Quæ tamen tanta credenda non eſt, vt plures homines ſanctiores, & beatiores non ſint, quam Angeli. Homines enim vincere poſſe ſanctitate, & beatitudine Angelos, concors eſt Theologorum ſententia. Quamuis certa menſura definiri non poſſit, quā eos vincant.

Tertia.

Tertio. Si actus beati poſſent fieri perfectiores pro maiori perfectione naturæ, beatitudo Angelica eſſet perfectior, quam humana, etiamſi lumen gloriæ eſſet æquale; reſpondens meritis hominis æqualibus. Hoc autem admitti non debet. Ergo.

Infringitur.

Huic argumento facile occurritur ex dictis. Nimirum viſio Angelica poteſt eſſe perfectior in ordine ad effectus, quam humana, non vero in ordine ad obiectum. Vt autem perfectior ſit in ratione beatitudinis neceſſe erat, vt ordine ad obiectum eſſet perfectior. De quo vide dicta nu.13.

DISPVTATIO TRIGESIMAOCTAVA.

AN POTENTIA NATVRALIS SVO CONATV POSSIT efficere actum intenſiorem auxilio ſupernaturali actualis gratiæ.

AD perfectam notionem actiuitatis naturæ rationalis in pietatis actus, expedit noſſe, an ſua actiuitate poſſit voluntas actum ſupernaturalem efficere, qui intenſione ſuperet auxilium gratiæ? Cum autem auxilium ſupernaturale gratiæ neceſſarium ad actum, aliud ſit habituale, aliud actuale, de vtroque auxilio diſſeri poteſt; an conatu potentiæ poſſit fieri actus excedens intenſionem auxilij? Nunc de ſolo auxilio actuali diſputatio eſt. Ventura diſputatio erit de habituali.

Digitized by Google

SECTIONES.

1. *Status controuerſiæ, & iudicia Theologorum.*

2. *Poteſt intenſio actus vincere intenſionem actualis gratiæ.*

3. *Aduerſariorum argumenta enodãtur.*

SECTIO PRIMA.

Status cõtrouerſiæ, & iudicia Theologorũ.

Quæſtio. 1. ITaque ponimus iuſtum inſtructum habitu charitatis aut fidei, intẽſo vt octo, & gratia auxiliante intenſa ſolum vt quatuor. Quæritur; an poſſit volũtas efficere actum charitatis; aut fidei, intenſum vt octo? Quippe ſic actus ſuperabit intenſionẽ auxilij actualis, quidquid ſit de habituali, de quo nunc inquiſitio nõ

Poſitio prima. eſt. Ante omnia pono primo diſcrimen concurrendi vtriuſque auxilij. Auxilium habituale per ſe inſtitutũ eſt ad concurſum efficientem actus; complendo actiuitatem, & iuuando actionem naturæ rationalis. Actuale vero ad concurſum formalem mouendo, & excitando illam ad agẽdum, quem præſtat gratia, etiam ſi voluntas nihil agat; neque volũtate agente, gratia actualis efficientiam confert, cum habitus adeſt, ſecus ſi abeſt, vt expediuimus tr. de gratia auxiliante, & expediemus lib. 5. Vnde difficultas præſens non eſt de principio adiuuante voluntatem in genere cauſæ efficientis; ſed iuuante in genere cauſæ formalis; nam concurſus efficiens gratiæ actualis eidem iudicio ſubiacet, cui cõcurſus efficiens habitus ſupernaturalis, de quo an poſſit ſuperari ab intenſione actus, examinabimus diſputatione ſequenti. Nunc igitur ſolus concurſus formalis mouendi, & excitandi voluntatem

Secunda. examinandus eſt. Pono ſecũdo, gratiam actualem non eſſe diſtinctam ab illuſtratione intellectus, & affectione voluntatis. Expoſuimus fuſe, & illuſtrauimus tr. de gratia auxiliante, & eidem operi incumbemus lib. 5.

Tertia. 2. Pono tertiò, poſſe à Deo conferri vocationem, & gratiam actualem minoris intenſionis, quàm ſit habitus infuſus iuſtorum. A priori quidem, quia intenſio vocationis, ſicut eius collatio, pendet immediate à largitate, & libito Dei diſtribuentis ſingulis gratias, & vocationes, prout voluerit; aut à proportione vocationum naturalium, quas conatus Eccleſiæ, & miniſtrorum Chriſti excitare ſolet. Quæ interdum intẽſæ, interdum remiſſæ diſponũtur peccatoribus, & iuſtis. A poſteriori vero, quia plerumque iuſti cum habitibus valde intẽſis actus pietatis eliciunt vocationibus proportionatos valde remiſſos. Neque credibile eſt, iuſtos, qui tractu plurimorum annorum, iuſtitiæ, & ſanctitati incumbentes, intenſiſſimos habent habitus ſupernaturales iuxta intenſionem gratiæ iuſtificãtis, poſtremo vitę curſu præueniri ſemper ad agendum vocationibus, illuſtrationibus, & inſpirationibus eiuſdem intenſionis cum habitibus, quos toto vitæ tempore cõtinuo auxerunt. Po-

no quarto, licet regulariter loquendo voluntás **Quarta.** eliciat actum iuxta intenſionẽ vocationis, quia actus intenſio regulariter ſequitur vehementiã, & impulſum vocationis; cæterum poſſe voluntatem intra intenſionem vocationis actũ elicere, aut vocationi æqualem, aut illa remiſſiorem. Nam in poteſtate voluntatis eſt non ſolum exiſtentia actus, verum etiam intenſio, aut remiſſio ipſius; & ſicut potuit volũtas vocata, & excitata à Deo, actum non elicere, ita potuit non elicere in ea intenſione, in qua eſt vocatio, ſed in minori. Itaq; diſputatio relinquitur, an poſſit actũ efficere intenſione ſuperiorẽ vocatione, & motione Dei iuxta intenſionem habitus ſupernaturalis, aut alterius qualitatis ſupplentis actiuitatem habitus, quam ponimus intenſione ſuperiorem vocatione.

3. Negant intenſionem vocationis excedi **Negant.** poſſe ab intenſione actus, Vega lib. 6. in Trid. **Vega.** à cap. 6. ad 9. Sotus 1. de nat. & grat. cap. 16. Al- **Sotus.** uarez de auxilijs, diſp. 62. nu. 4. & lib. 2. reſpon- **Aluarez.** ſionum, cap. 4. n. 15. quibus adhæret Maſcarẽ- **Maſcarennas.** nas de auxilijs diſp. 3. p. 5. n. 12. aſſerens oppoſitam ſentẽtiam eſſe improbabilem. Venia tamẽ tanti viri, duobus plane fallitur. Primò, quòd **Duobus fallitur Maſcarennas.** eam ſententiam improbabilem cenſeat, quã ipſo fatente tuentur Scotus, Durandus, Ricardus, Maior, Caietanus, & Molina cum pluribus recentioribus, & non ſine fundamentis maximi momẽti, nullaque oppugnat firma ratio Theologica, aut probabilis Conciliorum & Patrum autoritas, vt diſput. ſuperiori vidimus. Secundò quòd inæqualitatem actus, de qua nunc diſſerimus, confundat cum inæqualitate actus prouenienté ex nobilitate potentiæ naturalis. Etenim ab illa longiſſime diſtat; tum quia illa inæqualitas eſt tantum gradualis, & numerica; hæc vero formalis, & ſpecifica. Tũ quia alia à maiori perfectione potẽtiæ præciſe deſumi putatur, alia à maiori conatu potẽtiæ viribus ſupernaturalibus agentis deſumitur, vt mox exponemus. Quę inæqualitas ab ipſo Maſcarẽnas negari nõ poteſt; cum intra quantitatẽ auxilij fateatur, poſſe pro maiori vel minori conatu potentiæ, actũ ſepernaturalem fieri magis vel minus intenſum.

4. At affirmant P. Molina in Concordia, **Affirmant P. Molina.** diſp. 39. & P. Suarez opuſc. 5. diſp. 2. nu. 5. quos **P. Suarez.** ſequitur P. Ianherus, exiſtimans, hanc doctrinã **P. Iannetus** eſſe eamdem cum illa, quæ tenet, poſſe actus ſupernaturales pro maiori conatu potentiæ eſſe intenſiores habitibus, qui eos antecedunt. Sed non recte Pater Iannerus. Nam concurſus habituum ſupernaturalium eſt ſolum efficiens, qui cum ad intenſionem actus non peruenerit, ſuppleri poteſt per aliud auxiliũ ſupernaturale, vel per habitus intenſionem denuò aduenientem, vt voluit Bannes; vel per qualitatem tranſeun- **Bannes.** tem, vt alij Thomiſtæ, vel per auxiliũ extrinſecum, vt P. Suarez, & P. Moncæus cum alijs ſocietatis Theologis, vel per ipſum auxilium actuale, vt ego cẽſeo: de quo decernemus diſp. ſequenti. Concurſus vero vocationis, & gratiæ actualis, de quo nunc contendimus, ſolum eſt formalis, & moralis, qui per auxilium aliquod extrinſecum, aut aliud intrinſecum, quod vitale & actuale non ſit, ſuppleri non poteſt.

Digitized by Google

Ideoque actus charitatis fieri poteſt à peccatore non præcedente habitu charitatis, nequit vero fieri non præcedente vocatione. Igitur licet concurſus efficiens vocationis & gratiæ actualis eiuſdem ſuffragij ſit cum habitus ſupernaturalis concurſu, tamen moralis, & formalis ipſius vocationis concurſus, alterius difficilioriſque conſiderationis eſt, in quam nunc incumbimus.

SECTIO SECVNDA.

Poteſt intenſio actus vincere intenſionem actualis gratiæ.

Probatur aſſertum. Primo.

5. EGo Patribus, Molinæ, & Suario aſſentio. Primo, quia poteſt eſſe gratia actualis, quæ cum minori intenſione magis impellat, eliciatque voluntatem ad agendum quam aliæ gratiæ maioris intenſionis. Ergo ſi poteſt voluntas cum gratia vt quatuor elicere actum intenſum, vt quatuor, etiam poterit cum gratia vt duo æque impellente, ac mouente. Intenſio enim gratiæ actualis eatenus confert ad intenſionem actus, quatenus confert voluntati maiorem impulſum, & motionem ad agendum. Probatur antecedens in gratia illuſtrationis. Illuſtratio vt duo poteſt clarius proponere bonitatem obiecti, quam illuſtratio, vt quatuor. At quo illuſtratio eſt clarior, magis impellit, & mouet voluntatem. Ergo illuſtratio minus intenſa poteſt voluntati conferre maiorem impulſum, & motionem ad amandum bonum, quam magis intenſa. Probatur, & explicatur antecedens. Maior claritas, & diſtinctio illuſtrationis proponentis bonitatem obiecti, & mouentis voluntatem ad eius amorem, non ſolum prouenit ex maiori intenſione graduali, ſed etiam poteſt prouenire ex modo eſſentiali tendendi in obiectum perfectiori; vt ſi alia illuſtratio pertineat ad ſcientiam infuſam euidenter referentem obiectum, alia vero ad fidem obſcure proponentem illud. Item ex maiori extenſione obiectiua formalitatũ, ſeu perfectionum obiecti quas refert; vt ſi minus intenſa referat honeſtatem obiecti cum ipſius voluptate, intenſior vero eandem honeſtatem obiecti cum moleſtia; minus intenſa duas bonitates ſeu perfectiones Dei, intenſior vero vnicam tantum; illa honeſtatem ſpecificam diſtinguentem obiectum ab alijs, hæc honeſtatem genericam confundentem cum alijs: vna honeſtatem magis conſentaneam inclinationi naturali ſubiecti, alia honeſtatem illi repugnantem. Poſſe enim cognitionem intendi, circa vnicam tantum formalitatem, & perfectionem obiecti, & poſſe abſque intenſione primum gradum cognitionis ad plures formalitates extendi, mihi cum alijs Theologis conſtantiſſimum eſt. Ergo poteſt illuſtratio minus intenſa æquali impulſu mouere voluntatem ad vehementiam amoris, quam magis intenſa. Cõfirmatur ex actibus naturalibus. Proponatur diligendus amicus, à cognitione eiuſdẽ intenſionis diligendus inimicus; intenſius à voluntate diligitur amicus, quam inimicus. Occurrat ambitioſo procuranda dignitas media, & ſumma, ſibi conſequibiles, & vtraque cognitione æquali; ardentius expetit ſummam, quam mediam. Ergo ſimiliter poſſunt occurrere æquali illuſtratione duo obiecta honeſta, & in alterum vehementiori affectu ferri voluntatem, quam in alterum, ductam non ſola intenſione illuſtrationis, ſed etiam inæquali bonitate, æqualiter ſibi proportionata.

Confirmatur.

Secundo.

6. Secundo idem oſtẽdo in gratia affectionis ſupernaturalis. Poteſt iuſtus pia motione voluntatis remiſſa affici in actum feruentiſſimũ charitatis; nam actus feruentiſſimus poteſt, ſicut aliud quoduis bonum, remiſſam & intenſam voluntatis affectionem terminare. Experimento enim notum eſt, ſæpe tepidè, ſæpe ardenter actus feruentiſſimos virtutum expeti à iuſto. Ergo poteſt volũtas motione remiſſa gratiæ ad virtutis intenſionem promoueri. Nam poſſe voluntatem actione perficere intenſionem virtutis, in quam à Deo afficitur, & mouetur, quis neget? Explicatur. Poteſt actus charitatis remiſſus efficaciter imperare actum intenſum; nam actus efficax voluntatis capere poteſt intenſionem, & remiſſionem, quam alij actus volũtatis capiunt: quare communis ſententia Theologorum docet, amorem efficacem Dei, & deteſtationem efficacem peccati, in quacunque remiſſione diſponere hominem ad iuſtificationem, tam intra, quam extra ſacramentum pœnitentiæ. Demus igitur, imperium efficax remiſſum habere pro obiecto actum intenſum, videlicet actum charitatis, vt duo efficaciter imperare actum intenſum, vt quatuor. Tunc voluntas motione remiſſa reducitur ad agendum intenſum, & ſane maiori impulſu, quam ſi affectione ſimplici intenſa vt quatuor tangeretur. Ergo poteſt intenſio actus ſuperare intẽſionem motionis. Id enim quod in motione ex ſe efficaci vidimus, contingere poteſt in motione ex ſe inefficaci. Præter quam quod Aluarez, & alij Thomiſtæ, quorum eſt contraria ſententia, motionem voluntatis ponunt ex ſe efficacem.

Tertio à poſteriori.

7. Tertio à poſteriori ſic probo. Iuſtus motus, & excitatus à Deo ad augmentum charitatis & iuſtitiæ, poteſt ſuo conatu, & actione complere omnem intenſionem habitus ſupernaturalis præcedentis; cum ad totam illius intenſionem vires efficientes habeat, moneaturq; à Deo ad agendum quantum ſuis viribus agere poteſt. At non ſemper intenſio vocationis iuſtorum æquat intenſionem habituum ſupernaturalium. Ergo poteſt iuſtus vocatus à Deo vltra vocationis intenſionem actum virtutis intendere. Minor poſita eſt num. 2. & conſtat, quia plures iuſti cum maximo incremento habituum ſæpe remiſſe, & ſegniter in opera pietatis mouentur. Neque credibile eſt, iuſtum toto vitæ decurſu continuis actibus augentem gratiam iuſtificantem, & virtutes infuſas in cumulum immenſum graduum, in vltimis curſibus vitæ pulſari neceſſario ſemper illuſtrationibus, & inſpirationibus æquantibus tam ingentem intenſionem habituum. Maior etiam

Digitized by Google

certa eſt, & ex ratione ſequẽti amplius cõſtabit.

8. Quarto à priori ſic arguo. Cum illuſtratione, & affectione obiecti, vt quatuor, poteſt voluntas elicere amorem obiecti, vt quatuor. Ergo etiã poterit amorem vt quinque, & ſic in maiori intenſione. Probatur cõſequentia. Ponimus voluntatem inſtructam habitu intenſo vt octo, & relictã viribus efficientibus, conari volentem ad actus intenſionem vt octo, ad quam in aduerſariorum ſententia conari poſſet, ſi vocatione vt octo moueretur. Aliunde ad quintum gradum amoris eliciendum propoſita eſt voluntati bonitas obiecti digna amari tota intenſione amoris poſſibili; nam etiam illuſtratione vt quatuor Deus proponitur dignus toto amore poſſibili voluntatis. Ergo vt voluntas poteſt elicere amorem vt quatuor, poterit elicere vt quinque. Nam quintus gradus amoris, neque ex defectu propoſitionis, ſeu applicationis obiecti eſt impoſſibilis magis, quàm quartus. Quòd enim ex cognitione vt quatuor procedant quatuor gradus amoris, non reddit impoſſibilem quintũ; cum virtus efficiens, ad quintum & vltra ſufficiens eſt. Nam licet virtus efficiens cognitionis poſſit intenſione effectus exhauriri, virtus formalis mouens, & applicans non exhauritur, neque aliunde, quam ex virtute actiua potentiæ poteſt limitari. Qua ratione, ſi eadem cognitio bonitatis diuinæ ineſſet infinitis hominibus, poſſet ex natura rei in illis excitare formaliter infinitos amores, quamuis in eis non poſſet infinitas ſpecies ſimul efficere. Sicut idem calor inhærens infinitis ſubiectis frigidis, poſſet in eis ex natura rei depellere frigiditatẽs infinitas, licet non poſſet efficere ſimul calores infinitos; quia calores inducit in genere cauſæ efficientis, cuius virtus multitudine effectuum exhauriri poteſt; frigus vero depellitur in genere cauſæ formalis, cuius virtus ſolis limitibus potentiæ actiuæ, atque paſſiuæ limitatur. Similiter, quamuis applicatio localis eſſet capax intenſionis, ſi in eadem intenſione applicaretur ſubiecto capaci calor vt octo, & calor vt duo, ſane alius calorem vt octo, alius calorem vt duo in ſubiectum induceret; quia iuxta quantitatem virtutis actiuæ vis applicationis formalis ad effectus quantitatem limitatur. Cum igitur cognitio ſolum formaliter, & non efficienter influat in amorem, mouendo, & applicando voluntatem ad agendum, ſi voluntas inſtructa eſt virtute agente habitus ſupernaturalis vt octo, poterit agere actũ intenſum vt octo, quamuis propoſitio formalis ſit tantum vt quatuor. Confirmatur. Cognitione bonitatis diuinæ vt quatuor poteſt voluntas elicere actum charitatis vt quatuor, quo velit propter Deum ſubuenire egeno miſericordiam deprecanti; rurſus, ſi cum eadem cognitione, & actu occurrat obligatio ieiunij, poteſt per alium actum vt quatuor velle propter Deum præcepto ieiunandi ſatisfacere. Ergo etiam poterit cum eadem cognitione priorem actum intenſum vt octo elicere. Nam ſicut quatuor gradus actus prioris non exhauriunt vim eius cognitionis, vt non poſſit excitare ſimul alium actum charitatis vt quatuor circa idem obiectum formale, & aliud materiale, ita neque exhauriunt, vt circa idem obiectum formale, & materiale nequeat actum charitatis crementẽ aliorum quatuor graduum elicere. Vt enim cognitionis motio ſupereſt ad alios quatuor gradus alterius actus, ſupereſſe poterat ad alios quatuor eiuſdem actus.

[Margin: Quarto à priori.] [Margin: Confirmatur.]

9. Neque munimento autoritatis ſacræ deſtituta eſt doctrina noſtra. Primo, quia tractatu de gratia auxiliante, autoritate Conciliorum, & Patrum ſtabiliuimus, ſanctam affectionem voluntatis, eſſe nouam gratiam ab illuſtratione intellectus diſtinctam; non quia poſitã illuſtratione poſſit omnino deficere aliquã pia voluntatis affectio, quæ neceſſario, conſequitur illuſtrationem boni, ſed quia iuxta beneficium Dei poteſt delectatio ſancta eſſe maior, vel minor. At ſicut comparatur affectio ſimplex voluntatis cum illuſtratione intellectus, ita comparatur cum illuſtratione, & affectione ſimplici voluntatis, conſenſus deliberatus ipſius. Ergo poteſt vltra intenſionem ipſarum augeri. Secundò, quia id inſinuat Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 7. definiens, vnumquemque accipere ſuam iuſtitiam ſecundum menſuram gratiæ Spiritus ſancti, & propriam cuiuſque cooperationem. Ergo non ſolum gratia Spiritus ſancti, ſed etiam cooperatio propria cuiuſque augere poteſt diſpoſitionem iuſtitiæ. Tertiò indicant parabolæ illæ Mathæi 20. & Lucæ 17. de talentis, & pecunijs, quæ ſeruis traditæ ſunt, vt propriã negociatione, & induſtriã, accepta dona augerent, quas optime expendit in rem præſentem Pater Molina ſupra.

[Margin: Illuſtratur primo.] [Margin: Secundo. Tridentinum.] [Margin: Tertiò. Mathæi 25 Lucæ 17.] [Margin: P. Molina.]

SECTIO TERTIA.

Aduerſariorum argumenta enodantur.

10. PRimum deſumunt ab Auguſtino, & aliis Patribus tribuentibus Deo totum pietatis opus, & non partim nobis, & partim Deo. At ſi conatu potentiæ augeſceret intenſio operis vltra augmentum gratiæ actualis, non totum Deo, ſed partim nobis, nempe quoad exceſſum intenſionis gratiæ, eſſet tribuendum. Ergo intenſio operis excedere non poteſt quantitatem gratiæ. Confirmatur autoritate diui Thomę 2. 2. qu. 24. art. 3. corpore aſſerentis; *quantitatem charitatis non pendere ex capacitate naturalis virtutis, ſed ſolum ex voluntate Spiritus ſancti, diſtribuentis ſua bona prout vult.* Et ſolutione ad primum; *conatum voluntatis humanæ preueniri Spiritu ſancto mouente mentem hominis plus vel minus, ſecundum ſuam voluntatem.* Ergo intenſio operis menſuratur quantitate motionis Spiritus ſancti, & voluntate diuina. Reſpondeo. Oſtendimus diſp. 30. ſect. 10. pietatis opus non ita eſſe Dei proprium, vt noſtræ etiam voluntatis non ſit præuentæ viribus gratiæ, & ſectione 22. & 24. explicuimus fuſe teſtimonia Patrum, quæ videntur Deo totum negotium adſcribere, quin excluderetur partialis etiam influxus voluntatis. Quo voluntas recte poteſt

[Margin: Primum.] [Margin: Confirmatio. D. Thomas] [Margin: Occurritur.]

augere actum, non ſolum quoad priores gradus æquales vocationi, ſed etiam quoad ſuperiores, adiuta viribus gratię. Quippe ad omnes intenſiones gradus iuuatur per virtutem efficientem habitus ſupernaturalis, & per motionem formalem vocationis, vt ex ſuperioribus ſatis eſt manifeſtum. Atque ita nihil nobis tribuitur agentibus ſine gratia, ſed cum auxilio gratiæ diuinæ; qua ratione Eccleſiæ Patres non negant, poſſe noſtræ actioni ſalutis opera dari, vt locis relatis fecimus manifeſtum.

Secundum

11. At ſecundo ſic obijcitur, & ſolutio ſuperior redarguitur. Vires gratiæ non continent totam intenſionem actus, cum ipſa gratia in ſe totam illam intenſionem non contineat. Ergo voluntas valens ad illam intenſionem, non agit viribus gratiæ, ſed facultate naturæ. Nego antecedens.

Reſpondetur.

Nam tota illa intenſio continetur in virtute actiua habitus ſupernaturalis, qui ponitur æqualis intenſionis cum actu. Aliunde auxilium actuale intenſum vt quatuor, ponitur à nobis mouens voluntatem ad totam intenſionem actus, quę in virtute actiua voluntatis cum habitu ſupernaturali continetur; atque adeo mouens formaliter ad intenſionem actus ſuperiorem propriâ intenſione gratiæ actualis. Igitur tota operis intenſio continetur in voluntate inſtructa viribus gratiæ.

Vrgetur.

12. At rurſus vrgebit Aluarez. Præter concurſum efficientem habitus, etiam requiritur concurſus efficiens auxilij actualis, qui certa aliqua intenſione actus limitari debet, ſicut limitatur concurſus efficiens ipſius habitus. Ergo ſi auxilium actuale non habet totam intenſionem actus, intenſio ſuperans non prouenit à concurſu auxilij.

Explicatur.

Verùm hoc antecedens falſum eſt, vt oſtendimus tract. de gratia auxiliante, & oſtendemus lib. 5. Deinde eſto, auxilia actualia pręſentibus habitibus efficiant, inconueniens non eſt, vltra ſui intenſionem, augere intenſionem actus. Tum quia cauſæ æquiuocæ poſſunt in minori intenſione agere effectum intenſione ſuperiorem, vt lux intenſa vt duo, calorem vt quatuor. Tum quia auxilium actuale iuuatur concurſu efficienti habitus infuſi, quô rectè poteſt vltra ſui intenſionem concurſum porrigere. De quo agemus diſputatione ſequenti.

Tertium.

13. Tertiò. Mouens, & mobile correlatiua ſunt, vt mobile moueri non poſſit, pluſquam à mouente mouetur. Ergo ſi motio mouentis eſt tantum vt quatuor, non poteſt mobile moueri vt ſex. At auxilium actuale eſt motio Dei mouentis. Ergo vltra intenſionem auxilij non poteſt voluntas moueri per actum.

Satisfit.

Reſpondeo. Auxiliũ vt quatuor, quamuis formaliter phyſicè ſit intenſionis vt quatuor, moraliter tamen, & virtualiter poteſt eſſe in actu primo virtutis vt octo; quia in virtute habitus infuſi poteſt mouere ad actum vt octo; quô voluntas non mouetur, pluſquam agens illam moueat. Secundo motio adęquata voluntatis non eſt ſola excitatio moralis auxilij, ſed etiam actio habitus infuſi, quæ cooperationi, & conatui voluntatis identificatur. Etenim motio Dei incoatur per excitationem gratiæ actualis, & completur, ac perficitur per actionem habitus infuſi: licet autem intenſio actus ſuperet motionem incoatam auxilij excitantis, tamen non ſuperat motionem completam per actionem auxilij adiuuantis; nam cum intenſio actus eſt vt octo, etiam actio habitus infuſi, cui voluntatis conatus cooperatur, eſt vt octo.

Quartum.

14. Quarto; vis motiua vocationis habet ſphæram limitatam, ſicut vis actiua, nam vis moralis eſt maior, vel minor, ſicut vis phyſica. Ergo in auxilio vt quatuor limitanda eſt ad actum vt quatuor. Confirmatur.

Confirmatur.

Viſio beata intenſa vt quatuor tantum, mouet ad amorem Dei vt quatuor, impotens excitare amorem intenſione infinitum. Ergo vis motiua cognitionis iuxta ipſius intenſionem finita eſt. Rurſus confirmatur,

Iterum cõfirmatur.

poteſt cognitio ſupernaturalis adeo debiliter reprę́ſentare bonum, vt voluntas nequeat bene moraliter operari, ſicut poteſt eſſe adeò debilis propoſitio mali, vt cum illa voluntas non delinquat. Ergo pro maiori vel minori intenſione illuſtrationis, poteſt eſſe maior, vel minor actus moralis intenſio. Reſpondeo.

Ad quartũ

Virtus moraliter motiua vocationis limitatur in actu primo virtute actiua habitus infuſi, aut alterius principij ſupernaturalis efficientis cum voluntate actum ſupernaturalem; nam vocatio in quauis intenſione mouet ex ſe in actu primo, vt agat voluntas quantum viribus efficientibus datum eſt. Ergo ad tantum opus poteſt ex ſe mouere, ad quantum vis actiua ſe poteſt extendere. Atque adeò poteſtate actiua auxilij efficienter iuuantis metienda eſt vis motiua in actu primo auxilij mouentis. Vnde eadem vocatio voluntatem inſtructam habitu ſupernaturali actiuo intenſionis vt octo, mouebit in actu primo ad actum vt octo; voluntatem vero inſtructam habitu ſupernaturali actiuo intenſionis vt quatuor, mouebit in actu primo ad actum intenſum vt quatuor. Vnde facile primam confirmationem ſic ſolues.

Ad primam confirmationem.

Ea ratione viſio beata, vt quatuor mouet voluntatem tantum ad amorem, vt quatuor; quia habitus charitatis, quo Dei amor efficitur, eſt tantum intenſionis vt quatuor; ſemper enim habitus charitatis habitui luminis gloriæ, & gratiæ iuſtificantis æqualis eſt. Cæterùm, ſi cum viſione vt quatuor, eſſet voluntas inſtructa habitu charitatis vt octo, amaret neceſſario Deũ actu charitatis intenſo vt octo; ſiquidem viſio beata in quacumque intenſione cogit voluntatem amare Deum totis viribus, quas habet. Ad ſecundam confirmationem reſpondeo.

Ad ſecundam.

Debilitas cognitionis non volentis inducere amorem moralem honeſti, non eſt referenda ad remiſſionem gradualem, de qua loquimur; ſed ad entitatiuam, & eſſentialem remiſſionem, in qua remiſſione cogitatio ſancta non obtinet rationem auxilij moralis, cum ad opus morale voluntatem auxiliari non valeat. Præterea eſto, ea debilitas cogitationis ad gradualem remiſſionem pertineat, noſtra doctrina eſt, cogitationem, aut affectionem ſanctam in eo gradu, in quo poteſt voluntatem mouere ad actum moralem, poſſe mouere illam ad omnem intenſionem, cuius eſt capax virtus actiua volun-

Digitized by Google

tatis viribus ſupernaturalibus præuentæ; vt ea cogitatio, quæ excitare poteſt odium morale, vt duo, poteſt excitare vt octo. Itaque cogitatio, quam noſtrum aſſertum comprehendit, debet eſſe moralis, ad eamque intenſionem peruenire, in qua actum moralem excitare valeat.

DISPVTATIO TRIGESIMANONA.

AN, ET QVOMODO POTENTIA NATVRALIS POSSIT ſuo conatu actum edere intenſiorem auxilio habitus infuſ.?

PRoclive eſt, hanc difficultatem examinare, in qua duo continentur. Alterum, an poſſit actus ſupernaturalis augeſcere intenſione, ſupra intenſionem habitus. Alterum, quâ ratione, ſiue quo auxilio gratiæ maior illa intenſio actus efficiatur. Quæ duo breuiter declarabo.

SECTIONES.

1. *Poteſt ſupernaturalis actus conatu potentiæ fieri intenſior, quàm habitus.*
2. *Quo auxilio gratiæ fiat actus ſupernaturalis ſupra intenſionem habitus.*

SECTIO PRIMA.

Poteſt ſupernaturalis actus conatu potentiæ fieri intenſior, quàm habitus.

1. COmmunis ſententia Theologorum ſupponit, poſſe actum ſupernaturalem fieri intenſiorem habitu infuſo, qui ipſum præcedit. Ita apud eos, qui differunt de auxilio efficienti maioris intenſionis actus, quos iam refero. Itaque Bannes 2.2.q.24.art.6. dubio 2. ad ſeptimum docet, maiorem actus intenſionem procedere ab augmento habitus ſupernaturalis, quod actus intenſior meretur; ſicut actus charitatis elicitus à peccatore fieri cenſetur ab habitu charitatis qui intuitu talis actus donatur. At alij apud Patrem Turrianum infra volunt, fieri ſecundum totam intenſionem ab habitu ſupernaturali præcedenti, quia in quouis intenſionis gradu omnem actus intenſionem continere valet. Quibus accedit Pater Vaſquez 1.2.diſput. 220.cap. 5. ad finem. Cæterùm Pater Aegidius Conninck 2. 2. diſput.6. num.107. & Pater Moncæus diſput. 8. cap.4. & alij plures aſſerunt, actum ſecundum augmentum intenſionis ſuperius habitu ſupernaturali effici ab auxilio extrinſeco. Rurſus Pater Turrianus 2. 2. diſput. 77. dubio 2. arbitratur exceſſus intenſionis actus ſupra intenſionem habitus, poſſe fieri ab habitu præcedenti quoad aliquam determinatam quantitatem graduum, quam habitus præcedens cum minori intenſione continere poteſt; cum vero exceſſus intenſionis actus eſt ſupra iſtam quantitatem, ſuppleri habitum ſupernaturalem per auxilium extrinſecum Dei.

Bannes. P.Vaſquez P. Conninck. P.Moncæus P.Turrianus.

2. Aſſero primo. Poteſt actus ſupernaturalis ſuperare intenſionem habitus præcedentis ipſum. In hoc aſſenſu concors eſt omnium Theologorum conſenſus. Et probatur. Poteſt actus charitatis fieri à peccatore nullo præcedente habitu ſupernaturali. Ergo etiam præcedente habitu poteſt fieri ſupra intenſionem habitus. Nam ſicut ſe habet actus comparatione habitus, ita ſe habet maior actus intenſio comparatione intenſionis habitus. Ergo ſicut ad exiſtentiam actus non requiritur, vt præceſſerit habitus independens ab actu, ita ad intenſionem actus non requiritur, vt præceſſerit intenſio habitus illi reſpondens, independens ab intenſione actus. Confirmatur. Iuſtus, qui per actum charitatis acquiſiuit habitum charitatis poteſt poſt ſuam iuſtificationem actum charitatis elicere intenſiorem eo, quo iuſtificationem obtinuit. Nam ſi ante iuſtificationem potuit primum actum charitatis elicere intenſiorem, non eſt ratio, quare poſt iuſtificationem non poſſit intenſiorem efficere ſecundum. At is ſecundus actus intenſior primo fieret ſupra intenſionem habitus præcedentis. Nam habitus præcedens donatus fuit iuxta menſuram actus prioris diſponentis hominem ad iuſtificationem, vt expreſſit Tridentinum ſeſſ.6. cap. 7. Ergo poteſt actus charitatis fieri intenſior, quàm habitus. Rurſus probatur. Iuſtus habens habitum charitatis vt duo, poteſt elicere actum æquè intenſum, ac iuſtus habens habitum charitatis vt quatuor. Sed iuſtus habens habitum charitatis vt quatuor poteſt efficere actum vt quatuor. Ergo etiam iuſtus habens habitum charitatis vt duo. At hic actus

Aſſertum primum. Probatur. Confirmatur. Tridentinum. Secundo.

Digitized by Google

vt quatuor, ſuperaret intenſionem habitus vt duo. Ergo. Probatur maior. Cuilibet iuſto adeſt gratia diuina ad efficiendum actus feruentiſſimos alterius iuſti, quin ex parte Dei deſit auxilium, quo poſſit illos efficere. Ergo ſi conetur voluntas humana, poterit ad feruorem actuum alterius iuſti peruenire. Aliàs in Deum eſſet referendus defectus eius feruoris in iuſto habente charitatem vt duo. Quod credendum non eſt iuxta dicta diſput. 19. ſect. 7. & 8. Demum à priori, ſi aliquo capite non poſſet voluntas ſuo conatu edere actum ſuperioris intenſionis quàm habitum, eſſet ex defectu principij ſupernaturalis efficientis. At quamuis habitus ſit minoris intenſionis, quàm actus, adeſt principium ſupernaturale efficiens maioris intenſionis, vt conſtabit aſſertionibus ſequentibus. Ergo poteſt actus fieri maioris intenſionis, quàm ſit habitus ſupernaturalis præcedens. Contra hanc doctrinam nullum opponitur argumentum. Et ego ſuperſedeo ab aliquibus, quæ occurrebant opponenda.

Tertiò à priori.

SECTIO SECVNDA.

Quo auxilio gratiæ fiat actus ſupernaturalis ſupra intenſionem habitus.

Secundum aſſertum.

3. ASſero ſecundò contra Bannes. Maior intenſio actus non efficitur ab augmento habitus, quod tanquam præmium actus confertur. Ita communiter omnes Theologi iuxta illud commune proloquium, principium meriti non poteſt cadere ſub meritum, à quibus ſua nouitate, vel, vt ipſe ait, ſubtilitate receſſit Bannes. Primò, quia aliàs eodem modo poſſet vnio hypoſtatica eſſe principium actus de condigno merentis ipſam, & prima gratia actualis, quæ eſt primus effectus prædeſtinationis, poſſet ſui meritum efficere. At hoc eſt contra omnem receptam Theologorum doctrinam. Ergo non poteſt augmentum habitus, acquiſitum merito condigno intenſionis actus, eſſe ex natura rei principium talis intenſionis. Minor, & conſequentia conſtant. Maior probatur; quia nulla eſt alia ratio, quare non poſſit ex natura rei vnio hypoſtatica, & primus effectus prædeſtinationis cadere ſub meritum condignum procedens ab ipſis, niſi quia non poteſt ex natura rei præmium meriti condigni eſſe principium ipſius meriti. Ergo ſi augmentum habitus ſupernaturalis acquiſitum merito condigno intenſionis actus poſſet eſſe principium efficiens ipſius intenſionis, poſſet ex natura rei vnio hypoſtatica, & primus effectus prædeſtinationis eſſe primùm acquiſitum merito condigno actuum procedentium ab ipſis. Secundo à priori, quia præmium debet eſſe ex natura rei ſeparabile à merito, & omnibus principiis neceſſariis ad meritum. Ergo augmentum habitus, quod eſt præmium intenſionis actus, non poteſt eſſe principium efficiens neceſſarium talis intenſionis. Antecedens oſtendi fusè tractatu de merito ex propria conditione præmij, quod debet eſſe connexum cum merito ex ſola promiſſione diuina, & ſecluſa promiſſione poteſt negari. Si autem eſſet ex natura rei connexum cum merito tanquam principium neceſſarium ipſius, non eſſet connexum cum merito ex vi ſola promiſſionis diuinæ, neque ſecluſa promiſſione poſſet merenti negari; nam ridicula eſt promiſſio boni, quod operanti neceſſariò adeſſe debet ſecluſa promiſſione. Ergo præmium debet ex natura rei eſſe ſeparabile à merito, & principiis neceſſariis ipſius.

Probatur.

Iterum à priori.

Prima obiectio Bannes.

4. Sed opponit Bannes primò. Actus charitatis diſponens ad gratiam, & habitum charitatis, efficitur ab habitu charitatis ſubſequenti actum. Ergo intenſio actus meritoria augmenti gratiæ, & habitus charitatis poteſt fieri ab augmento habitus ſubſequenti talem intenſionem. Secundò, non poteſt maior actus intenſio fieri per auxilium extrinſecum Dei, quod poſſit efficere talem intenſionem. Probatur antecedens. Tum quia aliàs maior intenſio actus non eſſet meritoria de condigno. Nam ad meritum de condigno requiritur, vt procedat à gratiâ iuſtificante. A gratia autem iuſtificante non procederet, ſi non fieret per habitum charitatis, ſed per auxilium extrinſecum: cum gratia iuſtificans ſolum operetur actum per habitum connexum cum ipſa. Tum quia aliàs voluntas non ageret talem intenſionem, tanquam cauſa principalis, ſed tanquam inſtrumentalis; cum non ageret per virtutem ſibi propriam, & inhærentem, ratione cuius ſibi tribueretur operatio talis intenſionis. Voluntas autem agit omnem actum meritorium, tanquam cauſa principalis, cum per illũ reddatur ipſa volens, & merens. Ergo non poteſt agere talem intenſionem per auxilium extrinſecum. Tertio, poteſt dari mutua prioritas in diuerſo genere cauſæ. Ergo poteſt augmentum habitus eſſe principium efficiens intenſionis actus, à qua ipſum pendet ſolum in genere cauſæ diſpoſitiuæ, & moralis.

Secunda.

Tertia.

Ad primũ.

5. Tamen hæc argumenta abſque negotio explanantur. Ad primum, nego actum charitatis fieri à voluntate per habitum ſubſequentem, vt tractatu de iuſtificatione expediui. Deinde diſcrimen eſt; quia augmentum gratiæ, & charitatis confertur vt præmium meriti condigni, ſiue quia merito condigno debitum eſt. At in ſententia conſtituente charitatem principium contritionis in peccatore, prima gratia, & charitas non confertur vt præmium contritionis, ſiue quia contritioni debitum eſt, ſed vt medium, quo fiat contritio, & obtineatur remiſſio peccatorum, & iuſtificatio. Ad ſecundum, In primis negatur conſequentia; quia præter augmentum habitus ſupernaturalis, & auxilium extrinſecum, ſunt alia principia, quæ poſſunt efficere maiorem intenſionem actus, vt aſſertionibus ſequentibus exponemus. Deinde negatur antecedens, non poſſe auxilium extrinſecum ſupplere actiuitatem habitus ſupernaturalis. Ad primam probationem negatur ſequela; quia vt maior intenſio actus ſit meritoria, & de condigno, neceſſarium non eſt, vt efficienter procedat à gratia iuſtificante, ſed

Ad ſecundum.

Digitized by Google

ſufficit, vt moraliter ab illa deriuetur, quatenus intuitu gratiæ præcedentis tribuantur auxilia, quæ efficiunt talem intenſionem, vt explicuimus tractatu de merito. Id autem euenire poteſt, quamuis augmentum habitus ſupernaturalis concurſu efficienti non influat in eam intenſionem, cum auxilium extrinſecum poſſit intuitu gratiæ præcedentis parari voluntati. Præterquam quòd ſimul cum auxilio extrinſeco poteſt influere habitus ſupernaturales præcedens ad maiorem actus intenſionem, modo, quo ſequentibus exponemus. Ad ſecundam probationem conſtat ex diſput. 31. vbi diſſeruimus de cauſalitate principali voluntatis in actum ſupernaturalem.

Ad tertiũ. Ad tertium argumentum nego mutuam prioritatem cauſarum etiam in diuerſo genere, vt lib. 2. phyſicorum negaui, & in metaphyſica oſtendemus. Deinde eſto, poſſit dari mutua prioritas, inter cauſas phyſicè influentes, neganda eſt inter cauſas influentes, morali, & meritorio concurſu, propter ſpecialem conditionem meriti, & præmij, quæ huic naturæ prioritati repugnat, vt arguebamus num. præcedenti.

Aſſertum tertium.

6. Aſſero tertio contra Patrem Vaſquez, & alios. Non poteſt habitus remiſſus ad omnem intenſionem actus ſufficere. Nam licet verum ſit poſſe habitum ſupernaturalem ſufficere ad aliquam intenſionem actus, ſuperantem intenſionem habitus, tamen non poteſt omnem actus intenſionem continere. Nam virtus actiua habitus ſupernaturalis finita, & limitata eſt; atque adeo poteſt actus ad eam maximam intenſionem peruenire, quæ excedat actiuitatem remiſſionis habitus ſupernaturalis. Etenim intenſio habitus momenti eſſe debet ad intenſionem actus. Nullus autem momenti eſſet intenſio habitus ad intenſionem actus, ſi habitus in quauis remiſſione valeret omnem actus intenſionem efficere. Ergo præter concurſum habitus remiſſi deſiderari aliquando poteſt aliud principium efficiens ad ingentem intenſionem actus.

Quartum.

7. Aſſero tertio contra Patrem Conninck & Patrem Moncæum. Non requiritur ad quamcunque maiorem actus intenſionem aliud auxilium efficiens præter habitum ſupernaturalem. Quoniam habitus eſt cauſa æquiuoca comparatione actus, & nobilior quàm actus. Cauſa autem æquiuoca, & nobilior effectu poteſt interdum producere intenſiorem ipſa, vt lux vt duo, poteſt producere calorem vt quatuor. Ergo aliquod poteſt eſſe augmentum actus ſupra habitum, in quod ſufficiat virtus actiua ipſius habitus.

Quintum.

8. Aſſero quarto contra Patrem Turrianum. Quantitas intenſionis actus excedens virtutem actiuam habitus remiſſi, non ſemper efficitur per auxilium extrinſecum. Nam auxilia actualis gratiæ, quæ mea opinione ſunt illuſtrationes, & affectiones ſupernaturales, influunt efficienter in actus ſupernaturales, quando deficit concurſus habitus; quare actus virtutum moralium in peccatore fiunt concurſu efficienti auxiliorum actualium; de quo plena erit diſputatio lib. 5. Ergo deficiente virtute actiuâ intenſionis habitus ad intenſionem actus, poſſunt auxilia actualia concurſu efficienti iuuare voluntatem ad illam. Atque adeo non erit in eo caſu neceſſarium auxilium extrinſecum, quod ſolum ad ſupplendum defectum alicuius auxilij intrinſeci ſubſtitui ſolet.

Sextum.

9. Aſſero denique ſexto. Si intenſio actus tanta ſit, vt excedat actiuitatem habitus, & auxiliorum gratiæ, tunc ad illud auctarium actus concurrit auxilium extrinſecum. Itaque duo ſunt ponenda ad auxilium extrinſecum. Alterum, poſſe actum ſupernaturalem vincere intenſione intenſionem auxiliorum gratiæ. Quod diſputatione anteriori manifeſtum fecimus. Alterum, poſſe intenſionem actus ſuperare intenſionem habitus, & auxiliorum gratię. Quod ex aſſertione ſecunda facile conſtabit. Nam etiam virtus efficiens auxiliorum actualium eſt finita, & limitata, ſicut efficiens virtus auxilij habitualis. Ergo ſicut actus poteſt ad illud intenſionis augmentum peruenire, quod excedat actiuitatem auxilij habitualis: ita etiam ad illud, quod excedat actiuitatem auxilij actualis. Nunc aſſertum probo. Præter auxilium habituale, & actuale, nullum reſtat aliud, quod poſſit efficere augmentum actus, niſi auxilium extrinſecum. Ergo cum auxilium habituale, & actuale non ſufficiunt ad augmentum actus, neceſſarium eſt auxilium extrinſecum.

Obijciuntur tria.

10. Huic poſtremæ aſſertioni oppones primo, repugnare auxilium extrinſecum iuuans voluntatem ad actum ſupernaturalem. Secundo, non poſſe augeſcere actum ſupra augmentum actualis gratiæ. Tertiò, præter auxilium extrinſecum rectam qualitatem tranſeuntem, quę defectum intenſionis habitus, & gratiæ actualis ſupplere poſſit.

Repelluntur. Tamen hæc principia vera non ſunt. Primum eſſe falſum, conſtat ex diſp. 34. Secundum ex diſputatione præcedenti. Tertium ex tractatu de gratia auxiliante, conſtabitque ex lib. 5. vbi qualitates mortuas ſuapte conditione tranſeuntes, vicarias habituum ſupernaturalium, pluribus improbabimus, non ſolum exiſtentes, ſed etiam poſſibiles. Notauerim tamen contra Bannes, qui eas non diffitetur, perperam recurriſſe ad augmentum ſubſequens ipſius habitus infuſi, vt daret augmento actus principium efficiens, ex eo quod auxilium extrinſecum eleuare non poterat voluntatem ad illud. Siquidem præter auxilium extrinſecum, quod renuebat admittere, adeſſe poterant qualitates tranſeuntes, quæ id muneris implere facile poſſent.

SECTIO TERTIA.

Notationes duæ.

Prima notatio.

11. AD plenam explicationem eorum, quæ ſectione præcedenti aſſeruimus, duo accuratè notanda ſunt. Primo adnotandum, cum ad maiorem intenſionem actus deſideramus aliud principium efficiens præter habitum, ſiue illud ſit intrinſecum, ſiue extrinſecum, non ita eius principij efficientiam intel-

ligendam, vt voluntas efficiat actum cum ſolo habitu quoad gradus habitus æquales, & cum ſolo principio ſuperaddito quoad gradus excedentes actiuitatem habitus, ſicut volunt Theologi relati ſectione prima; ſed actionem ita inter habitum præcedentem, & aliud principium ſupernaturale adueniens partiendam eſſe, vt habitus præcedens, & illud auxilium ad omnes intenſionis actualis gradus tanquam duæ cauſæ partiales, non partialitate effectus, ſed ſola partialitate cauſæ, conferant efficientiam, ſuperioreſque ac inferiores gradus ab vtroque principio indiuiſo concurſu efficiantur. Ratio eſt; quia intenſio qualitatis non poteſt fieri per gradus æthereogeneos æthereogeneitate ſpecificâ, ſed tantum indiuiduali; hoc eſt, licet poſſit admitti aliqua differentia, & inæqualitas inter gradus intenſionis intra eandem ſpeciem, admitti non poteſt intra ſpeciem eandem, vt vnus gradus ſpecie differens ſit ab alio. Ita docuimus libris de ortu, & interitu, probabimuſque in metaphyſica. Atſi gradus intenſionis actus, æquales habitui procederent à voluntate cum ſolo habitu, reliqui ſuperiores à voluntate cum auxilio ſuperaddito, conſtaret intenſio actus æthereogeneitate ſpecifica graduum. Nam actus vitales pendentes à principiis efficientibus ſpecie diuerſis, ſunt ſpecie diuerſi, quia dependentia à principio efficienti, eſt illis eſſentialis, & identificata; vt probatum reliquimus diſp. 34. ſect. 7. Ergo omnes gradus intenſionis actus indiſcriminatim procedunt ab vtroque auxilio ſupernaturali, vt ea ratione omnes idem principium efficiens indiuidue reſpiciant, & omnes intra eandem ſpeciem, ac dependentiam eſſentialem conſtituantur. Neque obſtat habitum ſolum abſque alio auxilio ſupernaturali poſſe efficere actum intenſione ſibi æqualem. Nam cum totus actus intenſione æqualis eſt actiuitati habitus, poteſt ſolus in totum actum influere. Cum autem ſolus habitus in totum actum ſufficiens eſt, ex natura rei conſortium alterius principij non eſt neceſſarium, neque admittendum. At vero cum habitus in totum actum quoad omnem ſui intenſionem non ſufficit, neque ſufficit quoad partem illius, quia cum vna pars non ſit ſpecie differens ab alia, & alia ſit dependens eſſentialiter à principio ſupernaturali ſpecie diuerſo ab habitu, omnes intenſionis partes, ab eodem principio eſſentialiter pendere debent. Vnde ſicut habitus vt duo efficere non poteſt actum vt duo elicitum à peccatore per auxilium extrinſecum, quamuis alium actum vt duo exigentem ipſius efficientiam elicere queat, ita non poteſt efficere priores duos gradus actus intenſi vt octo, qui exigunt dependentiam ab alio principio ſupernaturali diſtincto ab habitu, quas exigunt ſuperiores gradus, licet poſſit alios duos gradus actus intenſi ſolum vt duo abſque conſortio alterius principij ſolus efficere.

Prima collectio. 12. Vnde colliges primo, actum vt duo elicitum concurſu efficienti habitus vt duo, ſpecie differre ab actu vt ſex elicito ab eodem habitu cum auxilio extrinſeco, aut concurſu efficienti gratiæ actualis, non ſolum quoad gradus excedentes intenſionem vt duo, ſed etiam quoad duos priores gradus illi intenſione æquales. Quia etiam illi duo gradus eſſentialiter pendent à principio ſupernaturali ſpecie diuerſo ab habitu vt duo, à quo ſolo pendent duo gradus actus vt duo. Colliges ſecundo, actum excedentem intenſione actiuitatem habitus, ideoque exigentem aliud principium efficiens præter illum, non poſſe eundem conſeruari, continuarive concurſu efficienti illius augmenti habitus: quod merito talis actus comparatum eſt, licet cum eo augmento poſſit habitus ſolus ſine alio auxilio alium actum eiuſdem intenſionis efficere; ſed neceſſario conſeruandum priorem actum concurſu efficienti prioris auxilij habitui adiuncti. Quia ille actus eſſentialiter pendet ab eo principio, & pendens ab alio eſſentialiter, diuerſus eſt. Colliges tertio, non poſſe voluntatem ſucceſſiue augere intenſionem prioris actus, cum actus præcedens exhaurit totam actiuitatem habitus; ſed vehementiori conatu ſucceſſiuo potentiæ alium omnino diuerſum actum edi, nullâ ratione præcedenti coniunctum. Quoniam maior illa intenſio fieri debet per gradus ſpecie diuerſos à gradibus prioris actus, quippe pendentes ab alio principio ſupernaturali ſpecie diuerſo. Intenſio autem coaleſcere nequit ex gradibus ſpecie diuerſis. Ex quibus plura alia ſimilia deprehendes, quibus ea, quæ noſtram doctrinam oppugnare poſſunt, præoccupentur. Secunda. Tertia.

Notatio ſecunda. 13. Secundo notandum eſt, reiectum à nobis augmentum ſubſequens habitus ſupernaturalis, principium efficiens exceſſus intenſionis actus, ſolùm eo modo, quo à Bannes aſſertum eſt. Nam alio modo id poſſibile arbitramur. Duos modos explicui in tract. de iuſtificatione, quibus poſſet actus charitatis diſponens ad gratiam fluere efficienter ab habitu charitatis, quos nunc attingo. Primo, ſi Deum cogitemus eo prouidentiæ ordine ſeriem iuſtificationis diſponere, vt prius voluntatem peccatoris auxiliis efficacibus gratiæ actualis ad contritionem promoueat; deinde præſciens voluntatem infallibiliter conſenſuram, ad contritionem efficiendam habitum charitatis prouideat; ac tandem poſt elicitam contritionem gratiam iuſtificantem infundat. Secundo ſi tueamur, Deum priori quodam decreto præfinire efficaciter contritionem, voluntatiſque iuuamen ad illam per auxilium extrinſecum, aut per habitum intrinſecum ſub diſiunctione; præuidentemque in eo decreto exiſtentem abſolute contritionem, ex tali præuiſione, & complacentia contritionis moueri ad determinandam prioris decreti indifferentiam, ſtatuendo, vt ex illis duobus principiis ſub diſiunctione decretis, atque præuiſis, perfectius, ac nobilius principium, ſcilicet habitus gratiæ, & charitatis contritionem eliciat. Quos duos dicendi modos à pluribus argumentis, quæ in eos obijci poſſunt, ſaluis omnibus principiis Theologicis ibidem liberauimus. Quanquam conſentienter ad alia principia Theologica, cum proui-

Digitized by Google

prouidentiæ ordinem exiſtentem negauimus. Igitur ſimili ratione poſſet ita diſponi diuinæ prouidentiæ ſeries, vt augmentum charitatis annexum augmento gratiæ, iuſtificanti comparato, per maiorem intenſionem actus, poſſet in talem actus intenſionem influere. Quanquam conſentienter ad alia principia Theologica talis ordo prouidentiæ exiſtens re ipſa non ſit. Itaque potuit alio modo, quàm à magiſtro Bannez aſſeritur, augmentum habitus ſupernaturalis efficere maiorem intenſionem actus, licet re ipſa illam non efficiat. Quod ſolum nunc animaduerſum volumus, dum diſputationes de diſpoſitione ad gratiam iuſtificantem in lucem publicam paramus.

DISPVTATIO QVADRAGESIMA.

AN CONVENIAT NATVRÆ POTENTIA OBEDIENTIALIS phyſice actiua formarum ſupernaturalium non vitalium.

PRÆTER actus cognitionis, & amoris, ſunt aliæ qualitates, & modi intrinſece ſupernaturales, vt gratia iuſtificans, character ſacramentalis, habitus infuſi, dotes animæ & corporis ſectantes beatitudinem ſupernaturalem. Ergo nunc inquirimus; an etiam ad efficienda hæc dona poſſit eleuari natura. Sicut autem de virtute actiua formarum vitalium diſſerimus duo; primò an hæc virtus immediata ſit, & idemtificata naturæ; ita nunc in controuerſiam vocamus; primò, an natura poſſit formas ſupernaturales phyſice efficere, de quo diſputatione præſenti: ſecundò an hæc virtus ſit naturæ immediata, de quo diſputatione ſequenti.

SECTIONES.

1. *Sententia negans reijcitur.*
2. *Sententia affirmans eligitur.*
3. *Corollaria ex dictis.*

SECTIO PRIMA.

Sententia negans reijcitur.

1\. NVllam ineſſe poſſe naturę poteſtatem etiam diuinitus actiuam ad alias formas ſupernaturales, quàm vitales, tuentur Pater Vaſquez 1.p.diſp.176.cap.3.& 3 p.diſp. 57.cap.5. & diſp. 132. à cap. 3. Pater Raguſa to.1. in 3.p. diſp.9. num. 12. Pater Conninck 3.p.quæſt.62. art. 4. dubio vnic. Pater Gaſpar Hurtado de incarn.diſput.9. num. 11.& Pater Ioannes Præpoſitus 3.p.qu.13.art.2. à nu. 13. & qu. 62. art. 4. dubio vnic. & plures alij recentiorum. Mouentur primo, quia nulla cauſa poteſt influere in effectum, in quo illi non reſpondeat ſpecialis aliqua formalitas, ratione cuius vel effectus exigat actionẽ cauſæ, vel cauſa exigat influxum in effectũ. Sed in qualitatibus ſupernaturalibus non vitalibus non reperitur talis formalitas, quæ exigat proceſſionem à cauſa naturali, vt reperitur in formis ſupernaturalibus vitalibus, videlicet vitalitas, & ratio intellectionis, & volitionis, ratio voluntarij & liberi; neque aliunde cauſa naturalis poteſt exigere influxum in formas ſupernaturales. Ergo cauſa naturalis non poteſt eleuari ad efficiendum formam ſupernaturalem nõ vitalem.

P. Vaſquez. P. Raguſa. P. Conninck P. Gaſpar Hurtado. P. Ioannes Præpoſitus.

Hæc ratio momenti non eſt. Primo, quia vt docui lib.2.phyſicorum ad influxum cauſę non requiritur ſpecialis aliqua formalitas effectus exigens actionem cauſæ. *Primum fundamentum debile.* Deinde ea formalitas ſolum ad cauſalitatem principalem deſiderari debet, non vero ad inſtrumentalem. Tertio ea correſpondentia formalitatum requirenda eſt ſolùm ad cauſam agentem virtute naturali, non vero obedientiali, & eleuata per poteſtatem abſolutam Dei. Quarto etiam in formis ſupernaturalibus non vitalibus exiſtere poteſt formalitas ſimilis formalitatibus qualitatum vitalium exigentem proceſſionem à cauſa naturali, vt diſcurſu diſputationis oſtendemus.

2\. Secundo arguunt. Cauſa naturalis non poteſt efficere qualitatem ſupernaturalem non vitalem per virtutem obedientialem immediatam, ſibi idemtificatam, neq; per virtutem ſibi ſuperadditã, ſiue ea motio diuina ſit, ſiue qualitas ſupernaturalis tranſiens, aut permanens. *Secundum fundamentum.* Ergo nulla virtute poteſt cauſa naturalis conferre actionem in formam ſupernaturalem non vitalem. Conſequentia videtur bona; quia præter virtutem idemtificatam naturę, & ab ea realiter diſtinctam, non ſupereſt virtus, qua natura poſſit agere formas ſupernaturales nõ vitales. Antecedens diuiſim probant quoad omnes eius partes pluribus argumentis. Verum antecedens eſt falſum; *Facile ſoluit.* nam vt diſp. ſeq. videbimus, poteſt natura per potentiã obedientialem, ſibi idem-

Digitized by Google

tificatam efficere formas ſupernaturales nō vitales. Vbi etiam diluemus argumenta, quæ talem facultatem obedientialem oppugnant.

Tertium. 3. Tertiò; ſi poſſet natura influxu phyſico concurrere ad formas ſupernaturales non vitales, poſſet natura creata aſſumi, vt inſtrumentum ad creandum. Tum quia gratia iuſtificans, & conſequenter reliquæ formæ ſupernaturales fiunt per creationem; Tum quia poteſtati abſolutæ Dei non minus eſt efficere formas ſupernaturales, quàm creare naturales, atque ita ſi poteſt aſſumere inſtrumentum ad efficiendū formas ſupernaturales, etiam poterit ad creandum naturales. Hoc autem eſt contra communem ſententiam ſcholaſticorum. Ergo non poteſt natura aſſumi vt inſtrumentum ad efficiendas formas ſupernaturales non vitales. Quæratur primo. In primis libris de anima oſtendi non repugnare Deo, vti inſtrumento creato ad creandum. Secundo. Deinde diſputatione ſeptima ſtatuimus, neque gratiam iuſtificantem, neque reliqua dona ſupernaturalia fieri per veram creationem, ſed per eductionem. Vnde ſi ratione aliqua ſpeciali continet implicationem inſtrumentum creationis, non eſt quare inde repugnet inſtrumentum efficiens dona ſupernaturalia, quæ per eductionem fiunt. De quo fortaſſe redibit ſermo diſputatione ſequenti.

Quartum. 4. Quartò; ſi poſſet natura efficere formas ſupernaturales non vitales, poſſet ſimiliter efficere quidquid non implicat contradictionem; nam ſi aliquis effectus repugnaret efficientiæ naturæ, maxime qui intrinſece ſupernaturalis, & extra eius ſphæram collocatur. Vnde naturæ competeret virtus abſolutè infinita, quippe quę contineret ſua virtute effectus infinitos. At naturæ repugnat virtus abſolute infinita. Ergo & virtus actiua formarum ſupernaturalium non vitalium. Instantiam. Reſpondeo. Naturæ poteſt competere virtus infinita extenſiue, hoc eſt, quæ ad effectus infinitos poſſit extendi; non vero virtus infinita intenſiue, hoc eſt, quæ modo agendi, & poteſtate perfectionis infinitæ illos efficiat. Nam intellectus Angelicus poteſt continere cognitiones infinitas ſpecie diuerſas, referentes creaturas infinitas ſpecie diuerſas; ſimiliter voluntas amores infinitos. Tamen quia eos actus continet modo agendi omnino finito, ſcilicet cum dependentia in eſſendo, & operando, à cauſalitate cauſæ primæ, ideo abſolute ea virtus intenſiue finita eſt. Simili igitur & potiori ratione virtus inſtrumentalis naturæ actiua effectuum ſine fine poſſibilium, erit quoad perfectionem intenſiuam finita. Tum quia ea virtus principalis non eſt, tum quia ſemper eſſet in eſſendo, & agendo dependens à cauſa prima. Quanquam aliqua ratione poſſet eſſe extenſiue infinita, quia finito modo poſſet porrigi ad effectus infinitos. Quod creaturæ non repugnat. Alia argumenta, quę poſſunt contra hanc ſententiam contendi, proponemus, & diluemus diſputatione ſequenti, agentes de modo quo natura poteſt eleuari ad efficiendum formas ſupernaturales non vitales.

SECTIO SECVNDA.

Sententia affirmans eligitur.

4. Ideo ſententia affirmans mihi probabilior eſt. Quam ſectantur ex antiquioribus, & recentioribus fere omnes Theologi, præter relatos n. 1. Pater Suarez, Pater Molina, Pater Valentia, Pater Arrubal, Pater Iamnerus, Pater Didacus, P. Ruiz, Pater Granadus, Pater Albertinus, Pater Fonſeca, Pater Enriquez, Pater Becanus, Pater Sayrus, Pater Hurtadus de Mendoza, & Illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus. Extra noſtram ſocietatem Paludanus, Capreolus, Herueus, Ferrarienſis, Caietanus, Sotus, Aluarez, Nauarrete, Ledeſma, Nazarius, Albelda, Ioannes Vincentius, Zumel, Aegidius de preſentatione, Cabrera, Curiel, Lorca, Marchio Sforcia, & alij plures, quos dabimus ſuis locis, diſp. ſeq. examinantes modum, quo natura ad formarum ſupernaturalium productionem eleuari poteſt. Quibus patrocinatur aperte Alenſis 4. p. qu. 34. memb. 1. art. 2. ad 7. in antiquis, in nouis vero qu. 10. memb. 4. art. 2. §. 6. qu 2. ad vlt. aſſerens, *virtutem creatam per ſe non habere, quod poſſit in aliquid, quod eſt ſupra communem naturam, id tamen poſſe, vt adiutam à virtute increata*. Necnon S. Thomas in 4. diſt. 8. qu. 2. art. 3. ad 4. ibi. *ſicut creaturæ ineſt obedientia potentia, vt in ea fiat, quidquid creator diſpoſuerit; ita etiam vt ea mediante fiat, quæ eſt ratio inſtrumenti*. Vbi euidenter ſtatuit, non ſolam potentiam obedientialem paſſiuam, in qua fiant, quæ creator diſpoſuerit, ſed etiam actiuā, qua mediante tanquam inſtrumento fiant. Item aliis in locis, quæ expendemus diſp. ſeq.

P. Suarez. P. Molina. P. Valentia. P. Arrubal. P. Iamnerus. P. Ruiz. P. Granadus. P. Albertinus. P. Fonſeca. P. Enriquez. P. Becanus. P. Sayrus. P. Hurtado. Bellarminus. Paludanus. Capreolus. Herueus. Ferrarienſis. Caietanus. Sotus. Aluarez. Nauarrete. Ledeſma. Nazarius. Albelda. Ioannes Vincentius. Zumel. Aegidius. Cabrera. Curiel. Lorca. Marchio ſforcia. Alenſis. S. Thomas. S. Auguſtinus.

6. Prima probatio ſit Auguſtini de geneſi ad litt. cap. 17. vbi poſtquam præmiſerat cōuenire rebus creatis virtutem agendi iuxta vſitatū curſum naturæ, ſubdit. *Super hunc autem motum, curſumque rerum naturalem, poteſtas creatoris habet apud ſe, poſſe de his omnibus facere aliud, quàm eorū ſeminales rationes habent: non tamen id, quod in eis poſuit, vt de his fieri, vel abſque ipſo poſſit*. En plane Auguſtinus ſtatuit, adeſſe rebus poteſtatē ſupra id quod ſeminales, ſeu naturales vires poſſunt. Quod adeo certum crediderit, vt prænotauerit hanc doctrinā ad fidei principia pertinere, ibi, *Dicam quid mihi videatur ſine affirmandi temeritate, quod tamen cum dixero fortaſſe prudenter iſta conſiderantes, quos iam chriſtiana fides imbuit, etiāſi nunc primitus iſta cognoſcunt, non eſſe dubitandum iudicabunt*. Ergo qui Chriſtiana fide imbuti ſunt, de hac rerum creatarum poteſtate ſupra curſum naturalem dubitare non poſſunt.

7. Duobus huic teſtimonio occurri poteſt. Primò, Auguſtinum loquutum ſolum de poteſtate paſſiua rerum ſupernaturalium. Secundò loquutum de poteſtate actiua rerum ſupernaturalium ſolum quoad modum; nam exempla, quæ ſubiungit in ligno arido florente, & ferente fructum, in fœmina ſterili pariente, in aſina loquente, & ſimilibus, non aliud euincunt. Negantes autem poteſtatem obedientialem actiuam formarum intrinſece ſupernaturalium, in genere fatentur, poteſta- Duę reſpōſiones.

Digitized by Google

tem paſſiuam illarum,& etiam actiuam eorum, quæ ſolùm quoad modum ſupernaturalia ſunt.

Verum hæ ſolutiones facile reuincuntur. Prima ex eo frigida eſt, quia Auguſtinus tribuit rebus creatis poteſtatem ad ea, quæ ſunt ſupra curſum naturalem rerum, quam præmiſerat conuenire ad ea, quæ ſunt iuxta vſitatum curſum naturæ. At poteſtatem ad ea,quæ ſunt iuxta vſitatum curſum naturæ, tribuerat actiuam, & non mere paſſiuam, vt eius exempla demonſtrant,in herba germinante, homine loquente, femina in iuuentute pariente. Ergo etiam conceſſit virtutem actiuam ad ea, quæ ſunt ſupra diſpoſitionem naturę. Deinde id perſuadent exempla, quibus explicat poteſtatem naturæ ſupra curſum naturalem rerum, vt lignum aridum gignens fructum, ſterilis fęmina pariens, & aſina loquens; quæ abſque actione ipſarum rerum creatarum non fiunt. Denique quia poſt ſtatutam talem facultatem rerum creatarum, obſeruat, eam ſine adiutorio agente Dei exerceri non poſſe, ibi; *non tamen id, quod in eis poſuit, vt de his fieri, vel abſque ipſo poſſit.* Friuola autem eſſet iſta obſeruatio, ſi non præmiſiſſet, virtutem rerum creatarum eſſe actiuam; id namque de virtute mere paſſiua obſeruatione indignum erat. Ergo manifeſte diſſeruit de poteſtate actiua. Secunda ſolutio vero ſimilior eſt; ſed à veritate aberrans. Nam non ſolū adhibuit exempla Auguſtinus in iis, quæ ſunt ſolum quoad modum ſupernaturalia, ſed etiam in iis, quæ ſunt ſupernaturalia quoad ſubſtantiam. Nam mox ſubdidit; *Habet ergo Deus in ſe ipſo abſconditas quorundam factorum cauſas, quas rebus conditis non inſeruit, eaſque implet, non illo opere prouidentiæ, quo eas ſubſtituit, vt ſint; ſed illo, quo eas adminiſtrat, vt voluerit, quas vt voluit, condidit, ibi eſt & gratia, per quam ſalui fiunt peccatores.* Ecce ad eam poteſtatem rerum creatarum reuocat Auguſtinus gratiam iuſtificantem, & ea, quæ prouidentiæ ſupernaturalis ordine diſponuntur, quæ intrinſece ſupernaturalia ſunt. Præterea inter ea, quæ quoad modum ſunt ſupernaturalia, neceſſe eſt interuenire plures modos intrinſece ſupernaturales, vt infra oſtendemus. Vbi autem natura poteſt eleuari ad modos intrinſece ſupernaturales, etiam poterit eleuari ad alias formas intrinſece ſupernaturales; cum eiuſdem rationis ſit excellentia formarum modalium intrinſece ſupernaturalium, & formarum realium.

Prima friget.

Secunda errat à vero.

8. Secunda probatio deſumitur ex perfectione dominij diuini, & maxima ſubiectione creaturarum ad Deum. Nam perfectio dominij diuini,& ſubiectio,ac obedientia creaturarum eſt ſumma & maxima omnium, quæ excogitari poſſunt. Sed ad ſummam perfectionem dominij diuini, & obedientiam creaturarum ſummam, & maximam omnium, quæ excogitari poſſunt, pertinet, poſſe Deum vti creaturis, tanquam inſtrumentis ad productionem formarū ſupernaturalium. Nam maior excogitatur perfectio diuini dominij,& obedientia creaturarū cum ea poteſtate vtēdi rebus creatis, tanquam inſtrumentis ad productionem earum formarum, quā ſine illa; ſiquidem extēditur ad plures actus dominium Dei,& creaturarum obedientiā. Ergo prædicanda eſt cum ea perfectione poteſtas dominij Dei, & obedientia creaturarum. Similiter tertia probatio fieri poteſt ex perfectione omnipotētię diuinæ. Nam in omni actuum genere, quò agens principale excellentius eſt, eò ineptius,& imperfectius inſtrumentum ad opus perficiendum aſſumere poteſt; rectius enim ſcribit, aut pingit excellēs ſcriptor, aut pictor calamo, aut penicillio inerti, quàm imperitus ſcriba, aut pictor calamo, aut penicillo optimo. Ergo cum Deus ſit agens infinite perfectum, cui ſumme obtemperant omnes creaturæ, nullum poteſt eſſe inſtrumentū tam vile, ſuaque natura tam ineptum, quo non poſſit facere quidquid libet. Quare hæc ſententia pertinet maxime ad commendationem diuinæ potentiæ, ſiquidem ſpectat ad præſtantiā artificis,& potentiam principalis agentis: poſſe etiā per qualiacumque inſtrumenta quantumuis vilia, & inepta, operari magna, vt pede pingere, ſcribere, & ſimilia agere. Ergo vt digne Deo prædicemus potentiam Dei, dicendū eſt, poſſe quocumque inſtrumento vti ad efficiendum quodlibet, quantumuis excellens naturalem inſtrumenti aptitudinem, & facultatem. Hæc ratio deſumpta eſt ex S. Thoma, de potentia Dei, q.6. art.1. ad 12. *Quanto aliqua virtus actiua eſt altior, tanto poteſt eamdem rem perducere in effectum altiorem. Vnde natura poteſt ex terra facere aurum aliis elementis commixtis, quod ars facere non poteſt; & inde eſt, quod res aliqua eſt in potentia ad diuerſa ſecundum habitudinem ad diuerſos agentes. Vnde nihil prohibet, quin natura creata ſit in potentia ad aliqua fienda per diuinam potentiam, quæ inferior potentia facere non poteſt, & iſta vocatur potentia obedientiæ, ſecundum quam qualibet creatura obedit creatori.* Nihil illuſtrius adduci potuit ad noſtrum diſcurſum confirmandum. Vnde opportune conficitur quarta probatio ex cōmuni principio Theologorum, quod non ſunt denegandæ omnipotentiæ diuinæ, quæ nō apparent repugnare. At vt vidimus ſolutione argumentorum non apparet repugnare eleuatio naturæ, ad efficientiam formarum ſupernaturalium nō vitalium. Et aliunde poteſtas eleuandi cōmedat excellentiam omnipotentiæ diuinæ. Ergo non eſt neganda Deo poteſtas eleuandi naturam ad efficientiā formarū ſupernaturalium nō vitaliū.

Alia probatio.

S. Thomas.

9. Rurſus ad hominem arguitur. Aduerſarij fatentur, poſſe naturam eleuari ad aliquos effectus naturales extra ſphæram actiuitatis naturalis ipſius, cum in effectu reſplendeat aliqua formalitas ſimilis illis, quæ inſunt effectibus comprehenſis ſub actiuitate naturali; quia ad eos effectus habent virtutem aliquam inchoatam, quæ compleri poteſt per poteſtatem abſolutam Dei; v.g. calor vt vnum poteſt eleuari ad efficiendum calorem vt duo, etiamſi ſecundus gradus caloris, ſit inæqualis perfectione primo,& ſimiliter ad efficiendum ignem, quē virtute naturali non poteſt; quia poteſt ſua naturali virtute inchoare intenſionem caloris vt duo,& productionem ignis. Ergo iam poterit natura aſſumi inſtrumentum ad actionem intrinſece ſupernaturalem. Nam actio, quæ

Alia ad hominem.

Digitized by Google

ignis efficitur à calore, & ſecundus gradus caloris à primo, intrinſece exigit eleuationem Dei, & ſuperat omnes vires naturę ſolitariè ſumptas. Quod ſufficit ad ſupernaturalitatem intrinſecam. Vnde ſimiliter calor vt duo poterit eleuari ad vniendũ duos gradus caloris inter ſe, & cum ſubiecto, vnione intrinſece ſupernaturali. Nam hæc vnio eſt poſſibilis, ſicut eſt poſſibilis obiectio intrinſece ſupernaturalis inter partes extenſionis; vt fatentur communiter Theologi in Sacramento Euchariſtiæ; nam poſſunt diuinitus duo gradus caloris vniri inter ſe, & cum ſubiecto vnica & indiuiſibili vnione, vt oſtendi lib. 2. phyſicorum. Quæ vnio eſſet intrinſece ſupernaturalis, cum excederet virtutem naturæ, & poſſet fieri actione alterius caloris, cum virtute naturali poſſit aliquam caloris vnionem efficere, quamuis adeò non excellentem; vt intellectus poteſt efficere viſionem Dei, quia virtute naturali poteſt elicere aliquam eius cognitionem. Conſequenter etiam poterit ſol eleuari ad producendum lucem corporum beatorum, quæ plurium Theologorum iudicio intrinſece ſupernaturalis eſt, vt videre eſt apud Patrem Salas 1. 2. qu. 5. tract. 2. diſput. 14. ſect. 16. num. 132. & Patrem Thireum lib. de glorioſa Chriſti apparitione in Thabor num. 23. & ſequentibus; ſiquidem etiam in illa luce ſupernaturali inuenitur formalitas ſimilis illis, quæ inſunt luci naturali, quæ continetur ſub ſphæra naturali actiuitatis ſolis. Pariter poterit eleuari ad ſubſiſtentiam ſupernaturalem, quæ mea opinione poſſibilis eſt, vt vidimus diſput. 23. ſect. 3. videlicet, quæ ſit indiuiſibilis etiam comparatione naturæ corporeæ, & diuiſibilis; quandoquidem inter eam ſubſiſtentiam ſupernaturalem, & naturalem exiſtit ſimilitudo formalitatum, ſufficiens ad eleuationem naturæ. Igitur etiam eleuari poterit, ad efficiendum gratiam iuſtificantem, & alias formas ſupernaturales non vitales. Probatur conſequentia, quia natura ex ſe æque impotens exiſtit ad modos & formas ſupernaturales, deductas in conſequenti, & ipſæ formæ ſecundùm ſe æque reijciunt exigentiam proceſſionis à natura. Ergo, vt natura poteſt extendi ad formas ſupernaturales non vitales, in quibus non reperitur potiſſima ratio, quare formæ vitales à natura proceſſionem habent, quippe formæ vitales exigunt talem proceſſionem: formæ vero ſupernaturales propoſitæ in antecedenti talem proceſſionem non exigunt; ſimiliter poterit extendi virtus naturæ ad alias formas ſupernaturales non vitales, vt gratiam iuſtificantem, & ſimiles, quæ excedunt virtutem natiuam cauſarum naturalium, & non exigunt influxum illarum. Nam eadem proportio apparet in natura ad vtrumque formarum genus.

P. Salas.

P. Thireus.

Præoccupatur ſolutio.

10. Quod enim dicitur, naturam continere virtutem inchoatam ad prius formarum genus, friuolum eſt. Etenim virtus naturæ non eſt incoata ad formas ſupernaturales, niſi quia formæ ſupernaturales poſtulant actionem facultatis naturalis; non verò, quia ineſt naturæ virtus naturalis ad formas naturales ſimiles ſupernaturalibus. At formæ, & modi ſupernaturales annumerati in antecedenti non exigunt actionem facultatis naturalis, magis quàm gratia iuſtificans, & ſimiles formæ ſupernaturales. Ergo virtus naturę, quæ poteſt extendi ad priores formas, etiam poterit extendi ad poſteriores. Maior probatur, quia hæc ſimilitudo formarum non eſt ſpecifica, ſed pluſquàm generica, nam inter vnionem, ſubſiſtentiam, & lucem ſupernaturales, & vnionem, ſubſiſtentiam, & lucem naturales, pluſquam generica diſſimilitudo eſt; quin maior exiſtit ſimilitudo inter ſenſionem externam, & internam naturales, & inter cognitionem, & amorem etiam naturales, quam inter eas formas ſupernaturales, & naturales: cum tamen non poſſit in aduerſariorum ſententia ſenſus externus eleuari ad efficiendum ſenſionem internam, & intellectus ad efficiendum amorem. Ergo aut perperàm reuertitur ad ſimilitudinem formalitatum, vt priores formæ poſſint fieri actione naturę, aut poſteriores etiam pares ſunt, in terminando actionem cauſarum naturalium. Et quidem, ſi aliqua ſimilitudo formarum quantumuis remota ſufficiens eſt, inueniri ea poteſt in natura ad gratiam, & reliquas formas efficiendas, cum hæ formæ ſimiles ſint accidentibus naturalibus, quę continentur ſub actiuitate naturę in ratione qualitatis ſpiritualis, aut corporeæ; perficientis, & exigentis ſuſtentationem naturę, eamque iuuantis ad plures actiones ipſius. Ergo aut non eſt expectanda ſimilitudo, aut ſufficere debet illa, quæ inter gratiam iuſtificantem, & formas naturales interuenit. Vnde etiam poterit adſcribi naturæ virtus inchoata ad gratiam iuſtificantem, & alias formas; quia natura ſecundum ſe aliquarum formarum ſaltem naturalium actiua eſt, & merito talis actiuitatis poterit eleuari, ad gratiam, & ſimiles formas ſupernaturales agendas; ſicut poteſt eleuari ad alios, quæ eius natiuam efficacitatem excedunt, etiam ſi non exigant proceſſionem ab illa. Nam ſi virtus naturæ dicitur inchoata, ad agendam vnionem, lucem, & ſubſiſtentiam ſupernaturalem, quia ſub eius efficacitate naturali clauduntur formæ naturales genere remotiſſimo conuenientes: cur pariter eadem non erit inchoata, ad agendum gratiam iuſtificantem, & ſimiles, quia ex ſe intrinſece continet actiuitatem ad aliquas formas naturales, quamuis ſolùm remote ſupernaturalibus ſimiles. Imo licet actiuitate naturali non polleat, poterit eſſe inchoata virtus ad agendum, quia intrinſece eſt ſubiecta dominio, ac poteſtati Dei, quæ ipſam ad agendum aſſumere valet, vt inferioribus exponemus.

11. Vrgetur; & explicatur amplius ratio ſuperior, & vlterius noſtra ſententia fulcitur. In ſententia Patris Vaſquez, & plurium aduerſantium, poteſt accidens coniunctum ſubſtantiæ efficere virtute natiua ſubſtantiam, aut ſaltem diuinitus poteſt ad eius productionem eleuari; quamuis ſubſtantia excedat perfectionem accidentis; quia agens principale, cuius inſtrumentum eſt, continet peferctionẽ

Fulcitur aſſertum.

P. Vaſquez.

ſubſtantialem: quare calor coniunctus igni poteſt efficere ignem, & coniũctus viuenti poteſt efficere ſubſtantiã viuentis iuxta perfectionem agentis principalis, cui natura ſua coniunctus, & ſubordinatus eſt. Ergo cum omnes creaturę ſuapte natura ſint cõiunctę, & ſubordinatę omnipotentiæ diuinæ, poterunt eius poteſtate eleuari ad efficiendum ea, quæ ipſius poteſtati ſubiecta ſunt. Nam ſicut eſt perfectio agentis creati, vti inſtrumentis ignobilibus, quæ ſibi natura ſubiecta ſunt, ad productionem nobilium effectuum, qui ipſius perfectionem non excedunt; ita erit maximæ perfectionis omnipotentiæ diuinæ, poſſe vti qualibet creatura ad productionem effectuum ſupernaturalium, qui creaturæ perfectionem excedunt, & poteſtate omnipotentiæ diuinæ fieri poſſunt. Nec obſtat, repugnare obiecto creato operari per qualemcunque qualitatem omnes effectus ipſius, v. g. per calorem repugnãte viuenti, agere omnes functiones vitales ipſius; quia id non poſſe, in limitatam eius poteſtatem refertur. Deus autem poteſtatis illimitatæ eſt. Item quia agens creatum nihil poteſt efficere poteſtate abſoluta à legibus, & exigentiis naturæ. Deus autem poteſtate pollet abſoluta à legibus, & exigentiis naturæ. Ergo ratione poteſtatis illimitatæ, & abſolutæ Dei tribui ipſi debet facultas vtendi rebus ſibi natura ſubiectis, ad cuiuſcunque effectus productionem. Prætermitto argumenta, quæ fieri ſolent ex virtute naturæ ſuſceptiua earum formarum, & ex facultate actiuã formarum vitalium; quia earum vis exponenda eſt diſputatione ſequenti. Item ea, quæ torquentur ex virtute actiua humanitatis Chriſti, ad patranda miracula, & ſacramentorum, ad efficiendum phyſice gratiam; quia illorum examen pertinet ad tertiam partem, qu. 13. & quæſt. 62. Negari tamen non poteſt, noſtram ſententiam maxime commendari poſſe ex eo, quod eiuſmodi facultates dignius, & planius explicentur; & iuxta Patrum mentem præſtantius. Et quidquid ſit de ſingularibus argumentis, quæ eorum efficientiam confirmant, ſufficiunt argumenta in genere ſuperius confecta, vt eorum poteſtatem actiuam colligamus.

SECTIO TERTIA.

Corollaria ex dictis.

12. VNde colligere eſt primo, humanitati Chriſti Domini tribui poſſe virtutem phyſice actiuam miraculorum. Nam ea potentia ſolum ex repugnantia eleuandi naturam ad effectus ſupernaturales negari poteſt. Hæc autem repugnantia ſuperioribus reiecta eſt. Neque parum confirmant talem poteſtatem teſtimonia Patrum, quæ congerunt ad tertiam partem q. 13. Pater Suarez, Pater Valentia, Pater Iamnerus, & Nazarius cũ aliis. Num autẽ hęc miracula fieri poſſunt à Chriſto abſente localiter, aut nõ exiſtẽte, nõ eſt huius loci examinare. Primum corollarium.

13. Collige ſecundò, poſſe ſacramẽta phyſice cauſare gratiam iuſtificantem. Cum hæc poteſtas ſolum adimi poſſit ex implicantia eleuationis naturæ ad formas ſupernaturales non vitales. Hęc autem implicantia, vt vidimus, non ſatis apparet. Quod etiam ſuadent teſtimonia, quæ Theologi expendunt ad tertiã partẽ q. 62. An autem gratia fiat à Sacramento ſecundùm omnes eius partes ſucceſſiue, aut ſecundũ vltimum terminatiuum ipſorũ inſtantane, an cum phyſice exiſtunt, aut cum exiſtunt ſolùm moraliter, inſtitutũm eſt alterius laboris. Secundum

14. Colliges tertiò, poſſe dæmones torqueri igne corporeo, quamuis virtute naturali non poſſint actione ignis vſtulari. Nam etiam ad id negãdum nullũ argumentũ eſt, niſi, quod ex impoſſibilitate eleuationis naturæ ad effectus ſupernaturales deſumitur. Quam iam vidimus nullã eſſe. Qua autẽ ratione ignis eleuatus conferre poſſit ad vſtionem Angelorũ, an efficiendo ſpeciem aliquam, an apprehenſionem, an dolorem, & triſtitiam, an qualitatem aliquam mortuam diſconuenientem naturæ Angelicæ, indagandum eſt 1. p. qu. 64. art. 3. quo pertinet Angelorum cruciatus. Tertium.

DISP. QVADRAGESIMAPRIMA.

QVA RATIONE ELEVETVR NATVRA AD efficiendum formas ſupernaturales non vitales.

ACTIVITAS naturæ ad agendum quidpiam ſupernaturale non vitale, maximè pendet à modo, quo eleuari natura poteſt ad agendum, & virtute, per quam agit ſupra ſuam naturam. Quod hac diſputatione examinandum eſt, vbi explicabimus, an virtus actiua naturæ ad agendum formas ſupernaturales non vitales, ſit immediata, & identificata naturæ; ſicut eſt virtus actiua formarum ſupernaturalium vitalium, vt ſtabiliuimus diſputatione 30.

Digitized by Google

SECTIONES.

1. *Reijcitur eleuatio naturæ per virtutem omnino extrinſecam.*
2. *Expenditur eleuatio naturæ per qualitatem impreſſam.*
3. *Noſtrum iudicium de eleuatione naturæ per qualitatem ſuperadditam.*
4. *Expenditur ſententia de eleuatione naturæ per motionem virtuoſam.*
5. *Improbatur eleuatio naturæ per potentiam obedientialem abſolute actiuam.*
6. *Proponitur noſtra ſententia.*
7. *Explicantur argumenta contra priorem partem noſtræ ſententiæ.*
8. *Aliorum argumentorum explicatio contra priorem partem noſtræ ſententiæ.*
9. *Diluuntur argumenta contra poſteriorem partem noſtræ ſententiæ.*
10. *Noſtra ſententia non eſt contraria S. Thomæ, nec priſcis Theologis.*

SECTIO PRIMA.

Reijcitur eleuatio naturæ per virtutem omnino extrinſecam.

Prænotatio prima.

1. ANte omnia nota primo, naturam præter concurſum generalem Dei indigere, ad agendum quidpiam ſupernaturale non vitale, auxilio ſpeciali, quò eleuetur ad eius actionem. Ita Auguſtinus lib. 19. de geneſi ad litter. cap. 17. obſeruans talem poteſtatem tribuendam rebus creatis, ad operandum ſupra motum naturalem rerum, quæ abſque auxiliò diuino agere non poſſit. Præterea, quia natura ad agendum formas ſupernaturales vitales, indiget tali ſubſidio gratiæ, vt fuſè oſtendimus diſputat. 30. Ergo etiam ad agendum formam ſupernaturalem non vitalem. Nam ad formas ſupernaturales nō vitales non eſt natura magis ſufficiens, & completa, quam ad formas vitales. Denique, quia ſi ad actionem earum formarum ſufficeret ſolus concurſus generalis Dei, iam illæ formæ non eſſent intrinſecè ſupernaturales, ſed naturales; nam formæ intrinſecè ſupernaturales excellunt virtutem naturæ, relictam cum ſolo concurſu generali debito omnibus agentibus creatis. Igitur diſputatio noſtra eſt; quâ virtute, ſeu auxilio eleuetur natura, ad efficiendam gratiam, & ſimiles formas ſupernaturales non vitales.

Auguſtinus

Secunda prænotatio.

2. Noto ſecundò, cum natura ſit abſoluta ab ordine tranſcendenti, & connexione entitatiuâ cum formis ſupernaturalibus, quibus ſubinde repugnantibus, adhuc non repugnaret natura, vt late diſſeruimus diſput. 32. naturam duplici conſideratione eſſe actiuam formarum ſupernaturalium. Primò eſt actiua ſub conditione eleuationis, prout nullam connexionem complectitur cum formis ſupernaturalibus. Secundò eſt actiua abſolutè, prout mediâ eleuatione abſolutè poſſibili, aut exiſtenti, cum formis ſupernaturalibus connexa eſt. Non diſſerimus de actiuitate naturæ, ſub conditione eleuationis, ſed de actiuitate naturæ iam abſolute eleuabili, aut eleuatâ; & inquirimus, quâ virtute natura eleuetur, & abſolute agat formas ſupernaturales non vitales. Etenim virtus conditionata naturæ, qualis ſit, an immediata, an remota, conſtare debet ex virtute eiuſdem abſoluta; omneſque Theologi admittentes, naturam eleuari poſſe, ad phyſice agendum formas ſupernaturales non vitales, ſupponunt eſſe intrinſece actiuam earum formarum ſub conditione eleuationis, & diſſentio ſolùm eſt in modo, quo talis conditio, ſeu eleuatio abſolute conſtituenda eſt.

Explicatur primus dicendi modus.

3. Itaque primus dicendi modus ſtatuit, naturam eleuari, & abſolute potentem conſtitui, per virtutem adæquate ab ipsâ diſtinctam, & omninò extrinſecam, nimirum per virtutem omnipotentem Dei aſſiſtentem creaturæ; & applicatam ad agendum decreto efficaci ſuæ voluntatis, quo ſtatuit, vt res creata conferat actionem phyſicam in effectum ſupernaturalem, quin ex parte rei creatæ reſpondeat aliqua virtus intrinſeca, & inchoata actiua talis effectus, ſed mera non repugnantia, & ſubordinatio ad extrinſecam eleuationem Dei. Ita Pater Fonſeca 9. metaphyſicæ cap. 1. qu. 4. ſect. 3. & 4. & alij apud Patrem Suarez to. 1. in tertiam p. diſp. 31. ſect. 5. & 6. & apud Ledeſmam lib. de perfectione Dei q. 8. art. 8. in ſubarticulo §. *tertius modus*, & Gonzalez 1. p. diſp. 27. nu. 29. In quod inclinat Ioannes Vincentius relectione de gratia Chriſti q. 6. §. *in ſumma*. Ergo, aſſerens ex recentioribus plures viros doctiſſimos hunc explicandi modum approbaſſe. Nec longe abeſt Bannes 1. p. q. 45. art. 5. ad ſecundam concluſionem ſancti Thomæ, poſt concluſionem quartam §. *Pro quo notandum*, & §. *ad quartum*.

P. Fonſeca. P. Suarez. Ledeſma. Gonzalez. Ioannes Vincentius. Bannes.

Reijcitur prout communiter traditur.

4. Hæc ſententia ſi recte exponatur, meo iudicio vera eſt, & reipſa non diſſentit ab ea, quam nos trademus ſect. 5. quamuis vocibus ab illâ diſſideat, vt ibi explicabimus. Nihilominus prout communiter refertur, negans omnem actiuitatem, etiam partialem, & inſtrumentalem intrinſecam, probanda non eſt, vt nos probauimus illam diſputatione 33. ſectione 1. agentes de actiuitate naturæ ad formas ſupernaturales vitales. Primo, quia actio phyſica, qua efficitur forma ſupernaturalis non vitalis, pendet intrinſece immediate ab inſtrumento creato. Ergo ineſt ipſi aliquid virtutis intrinſecum, à quo actio pendeat. Antecedens

Primo.

Digitized by Google

negari non poteſt, in ſententia conſtituente creaturam agentem phyſice gratiæ iuſtificantis, & ſimilium formarum, quam ex diſputatione præterita cum Auctoribus huius explicationis ſupponimus. Tum quia, ſi actio adæquate, & immediate ſolum pendet à Deo, & mediate ſolum à creatura, vere quidem creatura non agit phyſice gratiam; nam agere phyſice non poteſt actionem adæquate pendentem ab alio ſuppoſito, ſed ab ipſa entitate creaturæ pendere actionem, neceſſe eſt. Qui enim ſolam cauſalitatem moralem tribuunt inſtrumētis creatis in formas ſupernaturales; ſolum negant actionē pendentem adæquate à Deo, & ratione ſolum extrinſeca ex lege, promiſſione, aut decreto Dei conuenientem creaturæ. Neque qui conſulit, aut iubet, phyſice influit in opus, ſed moraliter dumtaxat; licet ipſi tribuatur operatio; quia actio exequens opus non ab ipſo intrinſece, ac immediate, ſed extrinſece, ac mediate, per virtutem exequentem alterius, procedit. Tum quia Deus in hoc dicendi modo decernit, vt natura vere, ac phyſice efficiat gratiam iuſtificantem, aut aliam ſimilem formam. Obiectum autem talis decreti intelligi non poteſt eſſe aliud, quam actio peculiaris, qua gratia iuſtificans, aut forma ſimilis fit intrinſece, ac immediate dependens ab inſtrumento creato, quæ non eſſet caſu, quo Deus decreuiſſet ſolus ſine inſtrumento creato efficere talem formā. Nunc iam conſequentia probanda eſt, quam ex dictis diſputatione 33. num. 4. facile probabis, quia actio non poteſt immediate, & intrinſece ab vllo principio, ſiue inſtrumentali, ſiue principali, pendere, in quo non reſpondeat virtus aliqua ſibi intrinſeca principalis, aut inſtrumētalis. Nam actio eſſentialiter eſt actus ſecundus qui neceſſario ſupponit primum. Ergo actio immediata, tam creaturæ, quam Dei eſſentialiter ſupponit actum primum, tam ex parte creaturæ, quam Dei. At actus primus agendi eſt idem, quod virtus. Ergo actio immediata tam creaturæ, quam Dei, eſſentialiter ſupponit virtutem, tam ex parte creaturæ, quam Dei. Explicatur. Ab actu ad potentiam legitima eſt conſequentiā. Actu immediate non ſolum agit Deus, ſed etiam creatura, vt diſtincta à Deo. Ergo potentia agendi non ſolum eſt in Deo, ſed etiam in creatura. Nam ſi agit immediate tanquam cauſa inſtrumētalis, vt condiſtincta à Deo. Ergo natura, vt diſtincta à Deo, inſtrumentaliter actiua eſt. At creatura, vt diſtincta à Deo, non eſt inſtrumentaliter actiua per actiuitatem Dei. Nam vt diſtincta à Deo non cōplectitur virtutem Dei; præſertim cum ea virtus ſit principalis, & non inſtrumentalis. Ergo propria actiuitate actiua eſt. Cōfirmatur. Omnis paſſio ſupponit in quouis ſubiecto vim paſſiuam ſubiecto intrinſecam. Ergo etiam omnis actio in quouis agente vim actiuam agenti intrinſecam. Iterum confirmatur, in diuinis ſolum quia datur realis productio, colligitur potentia realiter productiua. Ergo vbicunque datur realis productio, datur quoque virtus productiua. Rurſus ſi creatura ad effectus ſupernaturales poſſet cōſtitui potens per virtutem Dei omnino extrinſecam, etiam poſſet ad effectus naturales ſibi debitos, cùm exigentia concurſus diuini ſufficeret, vt eorum eſſet naturaliter actiua, ſicut ſufficit, vt obedientialiter actiua ſit effectuum ſupernaturalium, talis ſubordinatio abſque exigentia concurſus diuini. Atque ita omnis actiuitas intrinſeca creaturæ poſſet negari. Quo à Philoſopho nihil poteſt excogitari abſurdius.

Explicatur. *Confirmatur.* *Iterum.* *Rurſus.*

5. Aliter idem probatur. Natura non eſt agens ſolum per virtutē extrinſecam Dei. Ergo non eſt potens ſolum per virtutem extrinſecam Dei. Nam ea ratione eſt potens agere, qua actu agens eſt. Ergo ſi actu non eſt agens ſolum per virtutem extrinſecam Dei, neque eſt potens ſolum per extrinſecam virtutem. Antecedens probatur. Si ſolum ageret per virtutem extrinſecam Dei, proprie ſolus Deus attingeret phyſice effectum ſupernaturalem, & natura ſolum per denominationem extrinſecam à Deo agēte; quod non eſt proprie agere naturam, ſed Deum, neque agere phyſice, ſed tantum moraliter, vt agit cauſa moralis per virtutem exequentem cauſæ phyſice; v. g. dominus per virtutem exequentem ſerui. Quod eſt contra id, quod nos cum aduerſarijs ſupponimus ex diſputatione præcedenti. Tertio denique. Natura eſt intrinſeca aptitudo, vt ab illa phyſice, & efficienter pendeat, & procedat gratia iuſtificans. Ergo intrinſeca illi eſt aliqua capacitas agēdi, quæ capacitas agendi, ab omnibus intelligitur actiuitas, & virtus ſaltem incompleta. Antecedens negari non poteſt; nam intrinſeca naturæ eſt ſubordinatio, & non repugnantia poſitiua, vt accedente decreto Dei, gratia phyſice, & efficienter procedat ab ipſa. Subordinatio autem, & non repugnantia poſitiua, vt accedente decreto Dei, gratia pendeat phyſice, & efficienter ab ipſa, eſt aliqua aptitudo, & capacitas agendi. Plura dabimus ſectione 5. *Secundo.*

6. Obijcitur primo, commune dogma eſſe, inſtrumentum non agere virtute propria, ſed virtute principalis agentis. Natura eſt inſtrumentum agendi ſupernaturalia, Deus eſt cauſa principalis. Ergo natura non agit virtutē propria, ac proinde neque ſibi intrinſeca, ſed ſolum virtute extrinſeca Dei. Atque adeo omnis virtus intrinſeca naturæ ad agendum ſupernaturalia non vitalia, reſpuenda eſt. Reſpondeo; inſtrumentum dicitur agere in virtute principalis agentis, quamuis præter virtutem principalis agentis aliqua ſibi virtus intrinſeca conueniat. Primo; quia ex virtute ſibi intrinſeca non agit nomine proprio, ſed alterius, cuius vicarium eſt; vt ſpecies impreſſa, & ſemen viuentis. Secundo; quia ea virtus inſtrumento intrinſeca, eſt deriuata, ac impreſſa ab agente principali, in agendum effectum præcipuum ſuæ intentionis, vt calamus, & ſerra, ac omnia artis inſtrumenta. Tertio quia ea virtus inſtrumenti, prout abſolute actiua eſt, complectitur eſſentialiter virtutem cauſæ principalis, quia ſecundum eſſe intrinſecum inſtrumenti ſolum eſt actiua ſub conditione, & ſecundum eſſe abſolute productiuum, eſt partim intrinſeca, & partim extrinſeca. Igitur quia eſſe abſo-

Prima obiectio. *Imbecillis.*

Digitized by Google

lute actiuum inſtrumenti conſtituitur, ſaltem inadæquate; per virtutem principalis agentis, ideo recte dicitur inſtrumentum agere in virtute principalis agentis. Sic conſtituitur virtus inſtrumentaria naturæ ad formas ſupernaturales. De quo plura progreſſu.

Secunda.

7. Obijcitur ſecundo. Plures cauſæ creatæ redduntur actiuæ per aſſiſtentiam, & coniunctionem aliarum cauſarum, v.g. phantaſma corporeum redditur actiuũ ſpeciei ſpiritualis, & intelligibilis, per coniunctionem & aſſiſtentiam intellectus agentis; calor eſt productiuus viuentis, per coniunctionem cum animo; ſol plantarum, per coniunctionem cum terra. Ergo ſimiliter natura v.g. aqua, reddi poteſt actiua gratiæ inſtificantis per coniunctionem & aſſiſtentiam Dei.

Nullius roboris.

Reſpondeo. Vt cauſæ creatæ, v.g. phantaſma, calor, & ſol, fiant potentes agere aſſiſtentia aliarum, præcedit ex parte ipſarum virtus aliqua intrinſeca, ſaltem incompleta, quæ conſortio aliarum aſſiſtentium compleatur, & adæquate potens conſtituatur. Atque ita etiam aqua, vt virtute efficiente Dei exiſtat potens agere gratiam, aliqua etiam virtus intrinſeca ſaltem incompleta præcedat, neceſſe eſt. Quod ſolum nunc contendimus.

Tertia.

8. Tertio, virtus naturæ intrinſeca ad effectus ſupernaturales non poteſt eſſe realiter ſuperaddita, ſeu diſtincta, neque poteſt eſſe identificata. Ergo nulla virtus poteſt adeſſe intrinſeca.

Infirma.

Nego antecedens, de quo ſequentibus decernemus, & argumenta, quæ oppoſitum ſuadent, diluemus.

SECTIO SECVNDA.

Expenditur eleuatio naturæ per qualitatem impreſſam.

Secunda ſententia.

9. SEcundus explicandi modus eſt, naturam efferri, ad agendum ſupernaturalia per virtutem intrinſecam, realiter naturæ ſuperadditam, quæ ſit qualitas ſupernaturalis actiua formarum.

Alenſis. Paludanus. Capreolus. Soncinas. Hiſpalẽſis. Ferrara. Hæruæus. Viguerius. Ægidius de Præſent. Lorca.

Ita Alenſis 4. p. qu. 10. art. 2. § 1. *Quæſito* 1, in nouis fol. 41. colum 4. §. *Reſponſio circa hoc*, & §. *Propter quod*, Paludanus in 4. diſt. 1. quæſt. 1. concluſione 3. num. 35. Capreolus ibidem art. 1. concluſ. 4. & art. 3. ad argumenta contra 4. concluſionẽ, & Socinas ibidem concl. 4. ad 4. Hiſpalenſis ibidem quæſt. 1. art. 3. notabili 6. & art. 4. ad argumenta contra 4. & ad 5. Durandi, Ferrarienſis 4. contra Gen. cap. 56. §. *Aduertendum circa hoc*, & in fine commenti ad 4. Scoti, nec non Hærueus in 4. diſt. 1. qu 1. fol. 2. colum. 3. Viguerius in ſuis inſtitutionibus cap. 16. de ſacramentis in genere verſ. 11. Ægidius de præſentatione lib. 10. quæſt. 2. art. 15. §. 4. Lorca 2. 2. qu. 23. art. 2. diſp. 4. nu. 20. & plures Magiſtri Salmanticenſes, & Complutenſes.

Diſſentio aſſertorum.

Quamquam in modo ſtatuendi hanc qualitatem eleuantem naturæ ad effectus ſupernaturales non vitales, non conueniunt auctores. Alij enim illam aſſerunt eſſe ſpiritualem, etiam cum eleuat naturam corpoream alij materialem, alij vnicam ad omnes effectus ſupernaturales, alij pro multiplicitate, & differentia effectuum, differentem, & multiplicem, alij ſuapte natura permanentem, alij tranſeuntem, alij adæquate actiuam, alij ſolum inadæquate, indigentem concurſu immediato partiali naturæ.

Improbant. Caietanus. Sotus. Ledeſma. Cabezudo. Nauarrete. Ioannes Vincentius. Oxomẽſis. Cabrera. Durandus. Bonauentura. Maior. Marſilius. Gabriel. Hocamus. Scotus. Alanus. Bellarminus. P. Valentia. P. Vaſquez. P. Suarez. P. Coninck. P. Iannerus. P. Raguſa. P. Ioannes Præpoſit.

Hanc tamen opinionem improbant plures Theologi. Ex Thomiſtis, Caietanus 3. p. q. 13. art. 2. §. *Ad euidentiam horum*, & q. 62. art. 4. §. *Aduerte hic*, Sotus in 4. diſt. 1. q. 3. art. 4 §. *Hac autem*, Medina 3. p. q. 13. art. 2. ad 3. difficultatem in 4. documento, Martinus Ledeſma in 1. p. 4. q. 3. art. 4. in 2. opinione, Didacus Cabezudo ad 5. p. qu. 62. art. 4. §. *Circa concluſionem vero*. Nauarrete 2. tom. controuer. 15 §. 6. propoſitione 1. 2. & 5. Ioannes Vincentius de gratia Chriſti, qu. 6. Epiſcopus Oxomenſis ad 3. p. qu. 62. art. 1. 2. 3. & 4. Cabrera ibidem art. 2. diſput. 4 § 8. colum. 2. Ex alijs, Durandus in 4. diſt. 1. qu. 4. num. 13. Bonauentura ibidem, art. 7. quæſt. 4. Maior qu. 3. Marſilius qu. 1. art. 3. p. 3. Gabriel quæſt. 1. art. 2. Hocam quæſt. 1. necnon Scotus, qu. 5. Alanus de Sacramentis in genere cap. 36. Ex noſtris, Bellarminus lib. 2. de effectu Sacramentorum cap. 15. §. 3. *Igitur* Valentia tom. 4. diſp. 5. qu. 3 puncto 1. §. *Et quidam putauerunt*, Pater Vaſquez 1. p. diſp. 176. cap. 3. num. 10. & diſp 216. cap. 4. num. 17. & 3. p. diſp. 57. cap. 5. num. 18. & diſp. 132. cap. 3. num. 35. Pater Suarez 1. tom. ad 3. p. diſp. 31. ſect. 5. §. *Hac tamen opinio*, & ſect. 6. §. *Secundum principium eſt*, & tom. 3. in 3. p. quæſt. 62. art 4. in commentario, Pater Coninck, 3. p qu. 62. art. 4. dub. vnic. num. 110. Pater Iannerus 3. p. diſp. 1. q. 5. num. 194. P. Raguſa 3. p. q. 13. art. 3. diſp. 107. §. 4. Pater Ioannes Præpoſitus 3. p. q. 13. art. 4. n. 10. Et communiter Recentiores.

Prima impugnatio ſine vi.

10. Argumenta, quibus hanc qualitatem reijciunt, plura ſunt. Primo, quia hæc qualitas non poteſt eſſe materialis, cum phyſice attingat formam ſpiritualem, vt gratiam iuſtificantem; nec ſpiritualis, cum intrinſece inhæreat naturæ corporeæ, vt aquæ baptiſmali. Inter qualitatem autem ſpiritualem, & corpoream non eſt qualitas media. Ergo talis qualitas repugnat. Hoc argumentum non maximi pendo.

Capreolus. Soncinas. Hiſpalẽſis. Ferrara. Viguerius. S. Thomas.

Eam qualitatem eſſe ſpiritualem etiam efficientem corpus, volunt Capreolus, Soncinas, Hiſpalenſis, Ferrara, Viguerius, & Recentiores Salmanticenſes, & Complutenſes cum S. Thoma 3. p. q. 62. art. 4. ad 1. & in 4. d. 1. qu. 1. art. 4. quæſtiunc. 2. & de veritate qu. 27. art. 4. ad 4. quia poteſt forma indiuiſibilis informare ſubiectum diuiſibile, & extenſum.

Paludanus. Herbæus.

Eſſe corpoream placet Paludano, Hærbæo, & alijs; quia poteſt forma materialis attingere productionem rei ſpiritualis, vt phantaſma productionem ſpeciei intelligibilis. Ego arbitror, qualitatem poſſe dari ſpiritualem, quamuis inhærentem corpori. Non ſolum, quia inhærens corpori poteſt eſſe inextenſa, quod etiam formæ materiali conuenire poſſe, v. g. animæ ſentienti brutorum, oſtendi libris de anima. Sed quia poteſt inhærere corpori, quin determinate à corpore pendeat, ſed ex ſe indifferens ſit ineſſe corpori, &

Digitized by Google

ſpiritui, v.g. aquæ, & animo rationali, aut Angelo. Neque enim repugnat qualitas ex ſe potens informare ſubiectum corporeum, & ſpirituale. Eſſe autem corporeum, & ſpirituale mea opinione, quam docui lib. de anima, deſumitur ex dependentia, aut independentia intrinſeca, & determinata à quantitate. Igitur qualitas efficiens corpus, & ſecundum ſuam naturam potens conſeruari extra corpus in ſubiecto incorporeo, poterit eſſe incorporea; ſicut animus rationalis incorporeus eſt, quamuis intrinſece vniatur corpori, quia extra corpus conſeruari poteſt. Deinde poteſt qualitas ſupernaturalis eſſe corporea quamuis inextenſa ſit; quia poteſt inhærere corpori, determinata ad informationem corporis. Neque illi repugnabit, actionem conferre in formam ſpiritualem; quia inſtrumento agenti virtute ſibi connaturali, poteſt conuenire actiuitas in effectum ipſa nobiliorem, vt mea opinione conuenit calori in ſubſtantiam ignis, & ſemini in ſubſtantiam viuentis. Vnde qualitas ſupernaturalis actiua formæ ſupernaturalis, interdum erit corporea, ſi efficiat determinate naturam corpoream; interdum ſpiritualis, ſi efficiat naturam ſpiritualem, & incorpoream.

Secunda. 11. Secundò arguitur contra iſtam qualitatem. Repugnat qualitas continens virtutem ad omnes formas, & effectus ſupernaturales; quia effectus ſupernaturales ſunt adeo multiplices, & varij, vt ſine fine poſſint ſpecie multiplicari. In vna autem, & indiuiſibili qualitate repugnat, inueniri virtutem naturalem ad tot, tantoſque effectus ſine fine poſſibiles. Ergo repugnat, eleuari naturam per qualitatem ad agendum ſupra naturam. Nam cum vni omnipotentiæ diuinæ competat virtus principalis ad omnes illos effectus, qualitati inſtrumentariæ talis potentię competeret virtus actiua illorum omnium effectuum, Vnde eſſet infinitæ virtutis, ſicut eſt omnipotentia diuina. Facile ſoluitur. Etiam hoc argumentum momenti non eſt. Nam non eſt neceſſe, conſtituere vnam qualitatem eleuantem naturæ, ad omnes effectus ſupernaturales poteſtate diuina poſſibiles; ſed multiplicem pro multiplicitate effectuum poſſibilium. Itaque; ſicut ad agendum actus ſupernaturales vitales, non datur naturæ rationali vna qualitas actiua omnium, ſed alia datur ad actus charitatis, alia ad actus fidei; item ad effectus naturales artificis, aliud inſtrumentum aptum eſt ad vnum effectum, v.g. calamus ad ſcribendum, aliud ad alium, v.g. penicillus ad pingendum, & ferra ad ſcindendum. Ita ad effectus ſupernaturales poteſt Deus varias cõferre qualitates, quarum vna deſeruiat ad efficiendum gratiam, alia ad agendum characterem, alia ad torquendum ſpiritum per ignem. Ergo ex hoc capite non repugnat, naturam per virtutem ſuperadditam eleuari.

Tertia. 12. Tertio; ea qualitas nõ poteſt agere virtute cõpleta, neq; incompleta. Virtute cõpleta; tum quia alias eſſet cauſa principalis, & nõ inſtrumẽtalis; tum quia ignobilior eſt gratia iuſtificante, & lumine gloriæ, & alijs ſimilibus effectibus ſupernaturalibus. Virtute vero incompleta; quia alia indigeret eleuari, & compleri à Deo. Quod illi qualitati repugnaret; nam ſi hæc eleuatio, & complementum fieret per aliam qualitatem, daretur proceſſus infinitus qualitatum ſupernaturalium ad agẽdum vnum effectum ſupernaturalem; ſi vero hæc eleuatio & completio fieret per auxilium extrinſecum Dei, poſſet ſimiliter ipſa natura immediate eo pacto eleuari abſque qualitate ſuperaddita, atque adeo fruſtranea eſſet talis qualitas ſuperaddita ad eleuandum naturam. Non conuincit. Neque hoc argumentum conuincit. Tum quia poteſt virtus illius qualitatis eſſe incompleta, ſicut incompleta eſt virtus accidentis ad producendam ſubſtãtiam, & ſeminis virtus ad generandum viuens; quin tamen propterea ad ſui complementum indigeat eleuatione Dei, quia concurſus ſpecialis, quo complenda eſt, debitus eſt illi qualitati, ſicut eſt debitus accidenti ſpecialis concurſus, quo completur ad producendam ſubſtantiam: ad eleuationem autem requiritur cõplementum concurſus ſpecialis, indebitũ cauſæ, quæ eleuatur ad agendum: vnde non eſt eadem ratio, vt natura immediate eleuetur ad efficiendũ formam ſupernaturalem, quia ex parte naturæ nulla præcedit virtus incompleta, cui debeatur complementum per concurſum ſpecialem Dei. Itaque diſcrimen qualitatis incompletæ, & naturæ eſt, quod qualitati ſupernaturali poteſt conuenire virtus partialis proportionata ad effectum ſupernaturalem, nimirum exigens complementum neceſſarium ad productionem effectus ſupernaturalis. Naturæ vero ſecundum ſe poteſt talis virtus denegari, cum non ſit in eodem ordine conſtituta cum effectu ſupernaturali, vt volunt aſſertores huius ſententiæ. Neque obeſt, naturæ ſecundum ſe conuenire virtutem incompletam ad actus vitales, quamuis non exigat complementum ſupernaturale ad illos. Quia ſaltem præcedit ex parte naturæ actiuitas ad actus naturales, quam exigunt actus vitales ſupernaturales, ad quos natura eleuatur; ad formas vero ſupernaturales non vitales non præcedit ex parte naturæ actiuitas quam exigant ipſæ formæ, atque ita conſentaneum eſt, vt præcedat actiuitas ſupernaturalis, quæ exigat productionem ipſarum. Tum etiam quia virtus talis qualitatis poteſt adſtrui completa, cui ſolus concurſus generalis Dei ſufficiat ad productionem formarum ſupernaturalium non vitalium. Nam in ſententia diſtinguente potentias à ſubſtantia animæ, voluntas eſt inſtrumentum animæ ad effectus naturales, vt ſtatuimus diſp. 31. nu. 22. & plures alij tuentur, & nouiſſime Pater Faſolus 1.p.q.12.art.5.num.53. P. Faſolus. Tamen continet virtutem adæquatam ad agendum effectus naturales, cui ſolus concurſus generalis ſufficiat. Item in plurium aduerſantium ſententia, quam ego probabilem iudico, accidens eſt cauſa adæquata immediata ſententiæ, quin ſubſtantia vllam actionem conferat, præter illam, quam accidens confert. Ergo ſimiliter qualitas ſupernaturalis, quamuis ignobilior effectu ſupernaturali, poteſt in illum adæquate influere tanquam cauſa inſtrumentalis. Vt igitur accidens

Digitized by Google

eſt inſtrumentum ſubſtantię ad efficiendum adæquate ſubſtantiam, quia non efficit ſubſtantiam titulo, ſeu nomine proprio, ſed alterius ſubſtantiæ exigentis talem virtutem vicariam ſui in ordine ad formam, quæ exigit in cauſa principali perfectionem, quæ tali formæ media virtute cauſæ principalis tribuenda eſt: vnde poteſt accidens perfectionem ſubſtautialem tanquam inſtrumentum conferre, licet illam in ſe non contineat, quia inſtrumentum ex ſe non eſt deſtinatum ad tribuendum perfectionem propriam, ſed alienam; atque ita quamuis inſtrumentum illam non habeat, conferre poterit, dum habeat illam cauſa principalis, cuius vicaria cauſa eſt. Ita qualitas ſupernaturalis quamuis cauſa adæquata ſit, poteſt eſſe inſtrumentalis, & quia actiua eſt formæ exigentis procedere à cauſa præſtãtiori, & quia ipſi actiuitas in eam formam non competit, niſi in defectum concurſus illius, quem ſuapte natura ſubſtituit. Item quamuis ignobilior ſit, quam effectus, poteſt eſſe adæquata cauſa; quia ex ſe collatiua eſt perfectionis alterius cauſæ ſuperantis effectum, in qua effectus, & qualitas inſtrumentaria æqualem aut ſuperiorem perfectionem eſſentialiter ſupponunt.

Vlterius eleuatur.

13. Ad hæc. Poteſt eſſe qualitas actiua gratiæ iuſtificantis, & conſequenter aliarum formarum, æqualis perfectione eum ipſa; imo & ſuperior, vt oſtendi tract. de iuſtificatione & attigi diſp. 23. num 72. inde colligens poſſibilem cauſam principalem gratiæ iuſtificantis. Vbi etiam notaui, cauſam abſolute principalẽ poſſe comparatiue eſſe inſtrumentalem; vt habitus infuſus comparatione Dei à pleriſque dicitur inſtrumentalis in actione, quam præſtat ad actum ſupernaturalem, licet aliqua vſurpatione principalis ſit, vt obſeruaui diſp. 31. num. 4 & præcipue num. 23. cum pluribus Theologis, quos ibi recenſui. Vnde qualitas ſupernaturalis poteſt eſſe cauſa, perfectione abſoluta principalis, & actiuitate reſpectiua inſtrumentalis, comparatione quidem Dei, quia ab illo virtutem agendi nanciſcitur in ordine ad formam, quæ præcipue ab ipſo vendicat proceſſionem; comparatione vero naturæ, quia ipſam ſecundum ſe improportionatam ad agendum, conſtituit agentem per virtutem acceptam ab alio. Neque obſtat, quod Pater Conninck, & plerique alij opponunt, repugnare creaturæ virtutem iuſtificandi hominem. Quia licet virtus actiua gratiæ iuſtificantis principalis ſit in qualitate creata, id abſurde non colligi, oſtendi tr. de iuſtificatione & diſp. 23. num. 72. Minus abſurde colligetur, ſi mere inſtrumentalis ſit, vt nunc aſſeritur.

Quarta oppugnatio.

14. Quarto oppugnatur virtus ſuperaddita naturæ per qualitatem ſuperadditam ab ingenioſis recenſioribus. Virtus inſtrumentalis connaturalis eſt illa, qua cauſa principalis cõſtituitur proxime actiua effectus; ſic calor eſt virtus inſtrumentalis ignis, ſemen viuentis, & ſpecies impreſſa obiecti; quia ignis per calorem viuens, per virtutem ſeminis, & obiectum per ſpeciem impreſſam, tanquam per virtutes vicarias concurſus ipſorum, redduntur cauſæ proxime actiuæ effectuum, quos ratione abſentiæ, aut alterius improportionis non poſſunt ipſæ immediate producere. At repugnat qualitas creata ſuapte natura conſtituens Deum proxime, ac immediatę actiuum formæ ſupernaturalis. Ergo repugnat qualitas, quæ ſit virtus connaturalis inſtrumentaria & vicaria Dei ad efficiendum formam ſupernaturalem. Probatur minor, Deus ſe ipſo eſſentialiter eſt proxime, ac immediate actiuus formæ ſupernaturalis, quin ratione abſentiæ, aut defectus proportionis, & applicationis, alteriuſue conditionis ſit impotens efficere immediate, ac proxime talem formam. At cauſa, quæ ſe ipſa eſſentialiter eſt proxime, ac immediate actiua effectus, & nulla ratione etiam diuinitus poteſt eſſe improportionata & impotens efficere immediate, & proxime effectum, non poteſt etiam diuinitus reddi potens per aliam virtutem ab ipſa diſtinctam vicariam ſui, quia hæc eſſentialiter deſtinatur ad ſupplendum deffectum poteſtatis proximæ, & expeditæ cauſæ principalis: & repugnat virtus deſtinata ad ſupplendum defectum etiam diuinitus impoſſibilem. Ergo repugnat qualitas ſuapte natura conſtituens Deum proxime, & immediate actiuum formæ ſupernaturalis. Confirmatur primo. Repugnat qualitas ſpeciei impreſſæ conſtituens Deum proxime intelligibilem à Beato, quia Deus ſe ipſo eſſentialiter eſt ſumme intelligibilis, vt ait S Thomas 1. p. qu. 12. & 1. contra Gen. c. 26. rat. 4. Species vero ſuapte natura eſt qualitas conſtituens obiectum proxime intelligibile, & immediate actiuum cognitionis. Ergo ſicut repugnat qualitas ſpeciei, conſtituens Deum proxime intelligibilem, & actiuum viſionis beatæ, quia ſe ipſo eſſentialiter eſt intelligibilis, & per modum obiecti actiuus viſionis beatæ, ita repugnabit qualitas conſtituens Deum proxime actiuum formæ ſupernaturalis non vitalis, quia ſe ipſo eſſentialiter eſt potens agere immediate talem formam. Confirmatur ſecundo, repugnat qualitas, qua calor conſtituatur calefactiuus, quia ſe ipſo eſſentialiter calefactiuus eſt. Ergo ſimiliter repugnabit qualitas, qua Deus fiat actiuus formæ ſupernaturalis non vitalis, quia ſe ipſo tam eſſentialiter eſt actiuus talis formæ, quam calor eſt actiuus alterius caloris.

Confirmatur primo.

S. Thomas.

Secundo.

Prima repulſa.

15. Huic argumento reſpondeo primo. Ad rationem virtutis inſtrumentariæ ſufficit, ſuapte natura deſtinari primario ad ſupplendum concurſum actualem, quem cauſa principalis conferre debeat, & ſecundario ad conſtituendam eam proxime actiuam effectus, quando eſſentialiter ipſa actiua non eſt, vt ſubſtantia ignis, & obiectum non ſunt eſſentialiter actiuę proxime effectus principalis. Vnde cum poſſit Deo deficere concurſus actualis in formam ſupernaturalem non vitalem, poterit dari qualitas inſtrumentaria ad illam efficiendam, ſuapte natura deſtinata ad ſupplendum concurſum actualem, quem in eam Deus conferre debeat, quamuis per eam qualitatem non conſtituatur actiuus illius formæ, quia ſe ipſo eſſentialiter actiuus eſt. Quod explicatur in ſententia ipſo-

Digitized by Google

rum recentiorum, & communi admittenti. Angelum poſſe ſe ipſum intueri diuinitus per ſpeciem impreſſam, quamuis ſe ipſo eſſentialiter ſit immediate intelligibilis, & actiuus per modum obiecti ſuæ intuitionis. Tunc enim ſpecies, quæ eſt virtus inſtrumentaria obiecti, obiret munus, in quod à natura deſtinata eſt, cum tamen non ſuppleret impotentiam obiecti, ſed defectum dumtaxat actionis obiectiuæ, neque Angelum conſtitueret actiuum immediate viſionis, cum ſe ipſo immediate ſit intelligibilis, & actiuus illius. Reſpondeo ſecundo. Poteſt Deus conſtitui proxime, & immediate actiuus gratiæ iuſtificantis, & alterius formæ ſupernaturalis per qualitatem creatam, quia poteſt non eſſe proxime, & immediate actiuus illius ex libito ſuæ voluntatis. Nam ſicut cauſæ creatæ poſſunt non eſſe immediate, & proxime actiuæ ex defectu approximationis, & applicationis localis, ita Deus poteſt non eſſe immediate, & proxime actiuus ex defectu applicationis liberæ. Sicut enim obiecta creata deſiderant ad agendum applicationem, & approximationem localem, ita Deus deſiderat applicationem, & determinationem liberam ſuæ voluntatis. Ergo ſicut poteſt dari qualitas, quæ reddat cauſam creatam proxime, & immediate actiuam effectus ob defectum applicationis localis, quæ ad agendum proxime, & immediate neceſſaria eſt, ita poterit exiſtere qualitas Deum conſtituens proxime, & immediate actiuum gratiæ iuſtificantis: quia ad agendum illam neceſſaria eſt Deo applicatio libera ſuæ voluntatis. Vnde Deum conſtitui immediate, & proxime effectiuum formæ ſupernaturalis per qualitatem creatam, non denotat imperfectionem, quam denotat in cauſa creata, reddi effectiuam proxime per aliam. Nam in creatura denotat abſentiam, aut improportionem realem ſibi neceſſariam, in Deo vero ſolum defectum applicationis omnipotentiæ ſibi liberum. Quo defectu libere poſito, perfectionis diuinæ eſt, poſſe cauſis vicarijs ſuam actionem delegare, & inſtrumentorum miniſterio ad agendum vti, ſicut perfectionis creatæ eſt, vicarias qualitates poſſe ad actionem cauſæ creatæ ſubrogari, & per inſtrumenta agere, quod per ſe efficere non valet. Rurſus reſpondeo tertio. Quamuis Deus neceſſario, ac eſſentialiter ſit immediate productiuus gratiæ iuſtificantis, poteſt adhuc productiuus immediate conſtitui per virtutē creatam: nam id, quod res obtinet per eſſentiam, poteſt alio modo, alioue titulo habere per aliquod ab eſſentia diſtinctum: vnio enim hypoſtatica habet per eſſentiam ius ad gloriam, & ſimul poteſt illud obtinere per gratiam habitualem, ab vnione hypoſtatica diſtinctam. Ratio eſt, quia Id, quod conuenit rei per eſſentiam, & quod eidem conuenit per virtutem diſtinctam, ſolum generice idem eſt, non vero ſpecifice: cum forma, & modus habendi tale prædicatum principij productiui gratiæ iuſtificantis, longiſſime diſcrepent. Atque ideo virtus producendi gratiam poteſt conuenire Deo per qualitatem diſtinctam, & mediam, quamuis eidem conueniat virtus producendi eandem gratiam immediatè per eſſentiam, vt ea ratione duplici via, ſeu titulo, non ſine maxima perfectione Dei, gratiæ productiuus ſit. Vnde ad primam confirmationem reſpondeo. Non repugnat ſpecies impreſſa ad videndum Deum ex vi ſola huius rationis, vt lib. de anima oſtendi. Num autem alia ratione talis ſpecies implicet, & ratio ſancti Thomæ in ſuperiorem reuocanda ſit, decernendum eſt 1. p. q. 12. Ad ſecundam confirmationem reſpondeo. Calor poteſt reddi per aliam qualitatem calefactiuus immediate, ac proxime, quia vt exiſtat virtus alicuius cauſæ, conſtituens ipſam actiuam effectus, ſufficit quod cauſa non ſit per eſſentiam proxime productiua effectus, vt ipſi arguentes fatentur. At calor non eſt per eſſentiam proxime calefactiuus, cum poſſit abeſſe paſſum, quod calefaciat. Ergo poterit dari qualitas vicaria calefactionis caloris, quæ qualitas non erit alius calor, nam calor eſt nomine proprio calefactiuus, & non alterius, ac proinde non poteſt eſſe calor, virtus deſtinata ad reddendum calefactiuum calorem. Erit ergo alia qualitas, quæ formaliter non ſit calor, ſed virtualiter dumtaxat. Alia argumēta obijciuntur contra virtutem ſuperadditam animæ, ad agendum formam ſupernaturalem non vitalem, atque minoris momenti, quare vim eorum non expendo.

Secunda. | Ad primā confirmationem. | Ad ſecundā

SECTIO TERTIA.

Noſtrum iudicium de eleuatione naturæ per qualitatem ſuperadditam.

16. HInc mihi perſuadeo, non repugnare qualitatem, qua natura formas intrinſece ſupernaturales efficiat. Cæterum eam minime iudico neceſſariam. Prior pars colligitur ex ſectione præcedenti; vbi nullam talis qualitatis repugnantiam inuenimus. Poſterior inde ſuadetur. Primo; quia natura poteſt eleuari ad agendum per ſe immediate gratiam iuſtificantem, & ſimiles formas ſupernaturales cum ſolo auxilio extrinſeco ſupernaturali, vt eleuari poſſe ad agendum actus ſupernaturales vitales, ſtabiliuimus diſputatione 34. Ergo ad facultatem obedientialem naturæ, agentem gratiæ iuſtificantis, & aliarum formarum, talis qualitas neceſſaria non eſt. Conſequentia eſt bona. Antecedens ſtatuemus ſect. 6. Proponitur & probatur

17. Dices, inde ſolum oſtendi, eam qualitatem non eſſe requiſitam de potentia abſoluta; non vero ex natura rei; cum habitus per ſe infuſi ſint ex natura rei requiſiti ad actus vitales ſupernaturales, quamuis diuinitus poſſint actus fieri ſine habitibus infuſis. Sed contra; vt expendimus diſputatione 35. Habitus infuſi per ſe non ſunt neceſſarij, etiam ex natura rei ad agendum actus ſupernaturales, niſi aut ex lege Dei, aut exigentia extrinſeca gratiæ iuſtificantis; quia ſecluſa hac neceſſitate extrinſeca, poſſunt actus abſque ipſorum, & naturæ rationalis violentia elici per ſolum auxilium extrinſecum. At ſuperaddere hanc qualitatem ſuper- Reſpondetur. Redarguitur.

Digitized by Google

naturalem naturæ irrationali, & omni vniuerſim creaturę agenti ſupernaturaliter, neque exigit lex diuina, neque gratia iuſtificans; cum lex diuina nullo ſacræ paginæ, aut Eccleſiæ teſtimonio conſtet; & gratia iuſtificans naturæ irrationali, & omni vniuerſim creaturæ non inſit. Ergo ſine fundamento aſſeritur ex natura rei talis qualitas neceſſaria. Secundo ſi ab ijs, qui agnoſcunt poſſibilem actum ſupernaturalem per ſolum auxilium extrinſecum, aliqua ratione aſſeritur neceſſarium ex natura rei auxilium intrinſecum: illa quidem eſt, quia actus ſupernaturales ſunt vitales, exigentes procedere ab intrinſeco naturæ viuentis, ac proinde ſupponere naturam intrinſece completam ad illas. At formæ ſupernaturales, de quibus nunc diſſerimus vitales non ſunt. Ergo quãuis actus ſupernaturalis ex natura rei præcedat auxilium intrinſecum; formas ſupernaturales non vitales antecedere, neceſſe non eſt. Tertio denique, quia modo non ſolum indagamus eleuationem naturæ neceſſariam ex natura rei, ſed etiam diuinitus poſſibilem, quare aſſertores huius qualitatis etiam diuinitus neceſſariam arbitrantur qualitatem ad eleuationem naturæ.

Secunda probatio.

18. Præterea ſecundo neceſſitas eius qualitatis reſpuitur. Plures ſunt effectus potentiæ obedientialis, ad quos talis qualitas neceſſaria non eſt. Ergo ad nullum eſt neceſſaria. Nam eo ipſo quod vnus effectus potentiæ obedientialis fieri queat ſine qualitate intrinſeca, fieri omnes queunt. Ea enim ratione, qua natura ad vnum effectum ſupernaturalem conſtituitur potens, poterit ad alios cõſtitui. Antecedens probatur. Inter effectus ſupernaturales potentiæ obedientialis, ad quos agendos eleuari poteſt natura, exiſtit vnio hypoſtatica, quare Deiparam & humanitatem Chriſti potuiſſe aſſumi inſtrumentum ad efficiendum illam, non recuſant admittere aſſertores potentiæ obedientialis actiuæ. At vnio hypoſtatica fieri per qualitatem non poteſt. Ergo. Probatur minor. Qualitas ſuperaddita naturæ ad agendum effectus ſupernaturales, eius conditionis adſtruitur vt ei exiſtenti debita ſit efficientia, & exiſtentia effectus, quia virtute connaturali independenti à noua eleuatione actiua eſt: non eſſet autem virtute connaturali independenti à noua eleuatione effectus ſupernaturalis actiua, ſi efficientia, & exiſtentia effectus eſſet indebita: ſiquidem eleuatio cauſæ ſemper eſt ad effectum, qui indebitus eſt virtuti connaturali cauſæ. At nulla eſt qualitas creata cui debita ſit efficientia, & exiſtentia vnionis hypoſtaticæ, nam ratione ſuę excellentiæ ſupremæ exiſtere ſemper debet ſupra omne debitum creaturæ: vt enim repugnat debitum morale quod obliget Deum ad ſui incarnationem, repugnare videtur debitum phyſicum, quod eiuſmodi obligationem inducat. Ergo nulla poteſt exiſtere qualitas, connaturaliter eleuans naturam ad agendum vnionem hypoſtaticam. Rurſus: ſunt plures effectus ſupernaturales quoad modum, qui ægre apprehendũtur fieri virtute connaturali alicuius qualitatis, vt ſuſcitatio mortuorum, morborum curatio, conſeruatio contrariorum ſimultanea, & alij huiuſmodi, quorum ſupernaturalitas ſtatuta non eſt in vnica indiuiſibili actione ſupernaturali, ſed in cumulo, & aggregatione plurium actionum naturalium exiſtenti ſimultanèè, aut ſucceſſiue, præter exigentiam cauſarum naturalium, vt explicui diſputatione 1. ſectione 4. At hæc aggregatio actionum naturalium, interdum ſimultanea, interdum ſucceſſiua, ægrè apprehenditur prouenire ab actiuitate alicuius qualitatis influentis in illam. Ergo ſolum prouenit ab eleuatione extrinſeca Dei, ſic coniungentis actiones. Vt igitur natura ſupra ſui exigentiam, & actiuitatem eleuetur à Deo, ſine qualitate ſuperaddita ad agendum effectus intrinſece naturales, & extrinſece ſupernaturales, quos ſua virtute non contineat, poterit ſimiliter ad effectus intrinſece ſupernaturales eleuari.

Roboratur

19. Dices, ſicut natura creata, Deo extrinſecus eleuante, poteſt immediate influere in eos effectus, cur qualitas ſuperaddita influere non valebit? Addes cum Ægidio de Præſentatione lib. 10. q. 2. art. 15 num. 82. ſicut poteſt entitas intrinſece ſupernaturalis contineri in qualitate creata, cur non poterit ſupernaturalis modus? Reſpondeo facile. Modus iſte ſupernaturalis non eſt intrinſecus, ſed extrinſecus, rebus naturalibus conueniens ex tali locatione partium, coexiſtentia, aut ſucceſſione actionum, diſpoſitione agentium, & ſimilibus. At ægre apprehenditur qualitas creata valens ſua actione comprehẽdere totam iſtam varietatem rerum; facile autem decretum Dei complectens omnia ſimul, & ſtatuens, vt omnia ſimul exiſtant, concurrente humanitate Chriſti varijs actionibus ad illa. Ergo cum eleuatio extrinſeca fiat per decretum Dei, intrinſece vero per qualitatem creatam, recte apprehenditur eleuatio extrinſeca naturæ ad effectus ſupernaturales quoad modum, licet intrinſeca difficilis ſit. Nam Deus vnico decreto poteſt decernere plures actiones diſſimiles compluriũ agentium naturalium, & conſortium humanitatis cum illis; vnica autem qualitas non apparet qua ratione poſſit accumulare tantam varietatem actionum, & in modum mere extrinſecum actionem conferre. Vnde conſtat diſcrimen effectuum ſupernaturalium quoad ſubſtantiam, & quoad modum. Nam res intrinſece ſupernaturales capaces ſunt terminare actionem quoad ſuam ſubſtantiam; res vero extrinſece ſupernaturales incapaces ſunt actionẽ terminare quoad ſuum extrinſecum modum. Aliunde decretum extrinſece eleuans poteſt conferre extrinſecè ſupernaturalitatem, quam res intrinſece non habent, complectendo ſimultatem loci, temporis, & ſimilium, ex modo ſtatuendi concurſum rerum creatarum: qualitas vero creata, hanc coniunctionem ſupernaturalem rebus extrinſecam modo concurrendi ferre non poteſt. Ergo inter eleuationem naturæ per decretum Dei, & eleuationem per qualitatem creatam latum diſcrimen eſt. Explicatur; non poteſt qualitas creata coniungere incendium ignis Romæ, & inundationem aquæ Salmanticę, nam hæc coniunctio non poteſt

Confirmatur.

Ægidius de præſent.

an

necti qualitati creatæ, ex vi alicuius actionis phyſicæ, aut intentionalis, tendentis ſimul in vtrumque effectum. At decretum Dei poteſt efficaciter inducere horum effectuum coniunctionem, quia vnica actione intentionali ferri poteſt efficaciter, ac indiuidue in vtrumque, ſtatuens, vt vterque ſimul Romæ & Salmanticæ contingat. Similiter poteſt nectere inter ſe effectus duratione diſtantes, vt hodie moriatur Petro filius, cras eidem comburatur domus, die ſequenti decedat vxor, & ſic miraculoſa quadam ſucceſſione euentus alij infelices contingant; quos tamen connectere inter ſe, vt vnus abſque alio euenire repugnet, impoſſibile eſt efficaciæ alicuius creaturæ. Ergo ab eleuatione extrinſeca naturæ per decretum Dei ad eleuationem intrinſecam per qualitatem creatam arguere non eſt.

Tertia probatio.

20. Tertio; natura potentiæ obedientialis actiuæ poteſt eſſe vera, ac propria cauſa, & per ſe gratiæ iuſtificantis, & ſimilium formarum ſupernaturalium. Agens natura per qualitatem ſuperadditam non eſt vera ac propria cauſa, & per ſe formarum ſupernaturalium. Ergo natura poteſt agere formas ſupernaturales ſine virtute ſuperaddita. Conſequentia bona eſt. Maior datur ab aduerſarijs, qui humanitatem Chriſti aſſerunt eſſe cauſam veram, ac per ſe agentem miracula, & ſacramenta nouæ legis gratiam iuſtificantem. Probatur minor. Corpus non eſt vere, ac proprie actiuum ſentionis, quamuis ſuſtentet animum aut ſenſum immediate agentem ſenſionis: neque aër eſt vere ac proprie illuminans, quamuis ſuſtentet lucem illuminantem; neque aqua eſt vere ac proprie calefaciens, quamuis foueat calorem per ſe calefacientem: neque lapis vere ac proprie ſe mouet ſurſum, quamuis ſecum ferat impulſum, quo mouetur ſurſum. Ergo neque lapis, aqua, aut aër erit vere, ac proprie agens gratiam iuſtificantem, quamuis ſuſtentet qualitatem per ſe agentem gratiæ iuſtificantis. Probatur conſequentia; quia lapis, aqua, & aër eodem modo comparantur cum actione ſupernaturali gratiæ procedente à qualitate in ipſis recepta, quo comparantur cum alijs actionibus naturalibus procedentibus à qualitatibus in ipſis receptis. Siquidem in effectum ſupernaturalem maiorem influxum non obtinent, quam in effectum naturalem; cum in vtrumque ſolum mediate per qualitatem ſibi inhærentem, concurſum præſtent, quatenus ſuſtentant qualitatem immediate influentem in illum.

Præoccupatur reſponſio.

21. Neque ſatisfacies, ſi dicas, aquam ideo non eſſe calefacientem per ſe, & lapidem ideo non eſſe ſurſum mouentem, quia qualitates agentes calefactionis, & motus ſurſum violentæ ſunt naturæ lapidis, & aquæ. In primis, quia lux non eſt violenta aëri, neque ſenſus corpori. Tamen aër non eſt vere, ac proprie agens illuminationis, neque corpus ſenſionis: quamuis aër, & corpus ſuſcipiant facultates immediate ac per ſe agentes illuminationis, & ſenſionis. Rurſus: lapis non ſe mouet deorſum, cum per impetum extrinſecus impreſſum, celerius quam fert grauitas ipſius, deijcitur deorſum. Tamen tunc impetus impreſſus non eſt contra naturalem inclinationem ipſius. Item lignum calidum non calefacit per ſe, ſed per accidens, & denominatiue ſolum, quamuis calor non ſit repugnans inclinationi ipſius. Ergo. Deinde virtus data ſupra naturam, reddit ipſam agentem ſupra naturam, quia illi intrinſeca eſt. Ergo etiam virtus violenta naturæ reddet ipſam agentem cōtra ſuam inclinationem, quia eidem intrinſeca eſt. Vrgeo hanc rationem. Indubitatum eſt, poſſe Deum eleuare aquam, vt ſe calefaciat, aut lignum, & lapidem, vt ſe moueat ſurſum, cum minus hoc ſit, quàm à lapide aut aqua produci gratiam. At non alia ratione id efficeret Deus iuxta aduerſarios, niſi imprimendo lapidi, & aquæ qualitatem calefactiuam, & ſurſum motiuam contra inclinationem lapidis & aquæ. Ergo nihil refert, virtutem impreſſam eſſe contra inclinationem naturæ, vt illa reddatur actiua per illam, ſi ſemel datur natura vere, ac proprie agens per qualitatem actiuam, ab ipſa natura diſtinctam. Etenim lapis, & aqua agentes per qualitatē eleuātem, eo modo agerent contra ſuam inclinationē, & per virtutē realiter ſuperadditam, quo agūt modo per qualitates naturales eorundem motuum actiuas.

22. Ratio à priori eſt. Illa dicitur cauſa per accidens, & ſolum denominatiue influens, qua ſublata eodem modo poteſt perſeuerare actio, ac ea realiter exiſtente. At ſublata natura eodē modo perſeueraret actio qualitatis impreſſæ, ac natura realiter exiſtente; nam conſeruata per creationē tali qualitate extra ſubiectum, eodem modo poſſet qualitas agere, ac inhærens ſubiecto; vt conſtat in qualitatibus Euchariſticis, & probauimus diſp. 30. nu. 83. Ergo natura agens ſolum per qualitatē impreſſam, non erit cauſa per ſe, ſed ſolum denominatiue, ac per accidēs. Vnde neque proprie dicetur eleuari natura ad agendum: nam eleuari naturam ad agendum, proprie eſt; eiuſdem naturæ actiuitatem immediatam efferri ad actionem ipſi naturæ indebitam, & excedentem vires immediatas ipſius. Naturæ autem actiuitas immediata non effertur ad aliquā actionem, ſi ipſa immediate nihil actionis conferr, ſed tota agendi vis ſuperadditur naturæ, vt expendebamus eadem diſp. 30. n. 56. Cōfirmatur: Iuxta Patres Tridentinos ſi natura rationalis non conferret actionem immediatam in actus vitales, ſed tota agēdi virtus conueniret gratiæ, mere paſſiue ſe haberet natura in actione illorū actuum, atq; ideo vt natura ſit per ſe, ac vere actiua eorum, decernunt, totam agendi virtutem non eſſe gratiæ, ſed partialem immediatam conuenire quoque naturæ, vt fuſe illuſtrauimus diſp. 30. ſect. 5. & 21. Ergo vt natura irrationalis nō ſe habeat mere paſſiue in productione gratiæ, vereque ac proprie agēs ſit, requiritur vt tota agendi virtus nō conueniat illi per qualitatem ſuperadditam. Addo; licet aliquando ſit natura agens proprie ac per ſe per qualitatem ſuperadditam, vt ignis calefaciens per calorem ſuperadditum, & ſol illuminans per lucem ab ipſo diſtinctam; tamen opus eſt, vt talis virtus inhæreat per ſe naturæ, hoc

Ratio à priori.

Confirmatur.

eſt, vt ſit natiua ipſius proprietas, atque facultas, vt eſt calor comparatione ignis, & lux comparatione ſolis; quandoquidem per qualitates non cõuenientes hac ratione perſeitatis naturæ, non eſt natura proprie agens, ſed tantum denominatiue, ac per accidens, vt ſuperiora exempla conuincunt. At qualitas ſupernaturalis non conuenit per ſe hac ratione perſeitatis naturæ, cui imprimitur, vt manifeſtum eſt. Ergo natura per qualitatem ſupernaturalem non eſt agens proprie ac per ſe.

Salmanticenſium ſolutio.

23. Dices cum doctiſſimis Recentioribus Salmanticenſibus, id diſcriminis eſſe inter qualitates naturales à nobis oppoſitas, & qualitatem ſupernaturalem impreſſam naturæ ad agendum, quod qualitates naturales non ſunt eſſentialiter actiuæ, qualitas vero ſupernaturalis eſſentialiter actiua eſt, ſicut eſt intellectus eſſentialiter actiuus; atque ita non poſſe tribui ſubiecto, quin illud vere, ac propriè reddat actiuum, ſicut intellectus non poteſt tribui ſubiecto, quod vere, ac proprie non reddat intellectiuum. Inſuper qualitates naturales argumento obiectæ, non ſunt applicationes, & motiones ſubiecti ad agendum: qualitas vero ſupernaturalis, non ſolum eſt eſſentialiter actiua, ſicut intellectus, ſed etiam ſimul eſt applicatio, & motio eius, in quo eſt, ad agendum ſupra naturam.

Repellitur primo.

Hæc diſcrimina non capio. Etenim tam eſſentialiter eſt calefactiuus calor, & illuminatiua lux; ac intellectus intellectiuus. Nam intellectus eſt eſſentialiter intellectiuus, quia vis actiua intelligendi ipſi idemtificata, & eſſentialis eſt. Etiam vis actiua caloris, & lucis eſt idemtificata, & eſſentialis calori, & luci. Ergo ſicut intellectus eſſentialiter actiuus eſt, calor, & lux ſunt qualitates eſſentialiter actiuæ. Vrgeo; calor inhærens igni eſt eſſentialiter actiuus caloris, & lux inhærens ſoli eſt eſſentialiter actiua lucis, ſiquidem calor per ſe reddit calefacientem ignem, & lux per ſe illuminantem ſolem, ſicut intellectus per ſe intelligentem animum, & qualitas ſupernaturalis per ſe agentem gratiæ naturam. Sed calor inhærens ligni, & lux inhærens aëri, eiuſdem ſpeciei, & eſſentiæ ſunt cum calore ignis, & luce ſolis. Ergo calor ligni, & lux aëris ſunt qualitates eſſentialiter actiuæ. Neque obſtat calorem præter vim calefaciendi reddere ſubiecto eſſe calidum. Nam eidem formæ poteſt eſſe eſſentialis vis formalis comparatione ſubiecti, & vis efficiens comparatione effectus, vt omnino eſſentialis eſt vis formalis conſtituendi hominem, & vis efficiens operationem hominis; & gratiæ iuſtificanti eſt eſſentialis virtus formalis depellendi peccatum, & ſimul virtus quaſi efficiens inducendi habitus infuſos; & ſi habitus charitatis aſſeratur formaliter iuſtificans, eſſentiale illi eſt, tum iuſtificare hominem, tum eundem reddere potentem ad actum charitatis. Ergo quamuis luci, & calori eſſentiale ſit reddere ſubiectum calidum, & lucidum, poteſt ſimul eſſe eſſentiale, reddere calefactiuum, & illuminatiuum.

Secundo.

Quid? quod vix poteſt diſtingui eſſe ſubiectum calidum, & lucidum ab eſſe calefactiuo, & illuminatiuo; nam eo præciſe, quod ſubiectum apprehendamus formaliter calidum, & lucidum, apprehendimus poſſe per calorem, & lucem calefacere, & illuminare ſubiectum aptum, quod illis applicetur.

Tertio.

Præterea: eſto id in calore, & luce poſſet diſtingui, cæterum in alijs qualitatibus diſtingui non poteſt, vt in impetu impreſſo lapidi, ad ſe mouendum, & in ſenſu materiali vnito corpori, cum hæ qualitates eſſentialiter actiuæ ſint motus localis, & ſenſionis: tamen non reddunt ſubiectum, in quo ſunt, agens per ſe ſenſionis, & motus.

Quarto.

Poſterius diſcrimen ex eo nullum eſt, quia qualitas ſupernaturalis non eſt motio, & applicatio ſubiecti ad agendum ſecundum virtutem aliquam propriam ſubiecti, cum ea virtus ſubiecto non inſit; atque ita ſolum erit motio, & applicatio ſui ipſius: quippe quæ ſola eſt tota agendi virtus ſubiecti. At hac ratione etiam qualitates naturales ſunt motiones, & applicationes ſui ad agendum, nam in qualitate ſupernaturali eſſe motionem, & applicationem ſui ad agendum, non eſt aliud, quam eſſe determinationem agendi ſuppoſito ſubiecto apto, & concurſu generali Dei. Hac autem ratione etiam qualitates naturales ſunt ſe ipſis determinatæ ad agendum ſuppoſito ſubiecto apto, & concurſu generali Dei, cum eis ſuppoſitis non poſſint non agere, ſicut qualitas ſupernaturalis, quæ etiam, ſicut qualitates naturales, poteſt priuari diuinitus actione, ſi à Deo denegetur concurſus actualis neceſſarius ad illam. Ergo ex hoc capite qualitates naturales non diſcrepant à qualitate ſupernaturali. Si autem velint hi Theologi, ad agendum neceſſariam eſſe, præter virtutem actiuam in actu primo, phyſicam prædeterminationem & motionem pertinentem ad actum ſecundum, & in qualitate ſupernaturali vtramque rationem idemtificatam conſtituant, iam habemus vnde magis diſpliceat hoc diſcrimen. Quippe phyſica agendi prædeterminatio pluribus fundamentis, noſtræ ſocietati familiaribus, à nobis reſpuitur. Inſuper: qui phyſicas prædeterminationes neceſſarias volunt ad agendum cauſis naturalibus, illas plane diſtinguunt à virtute agendi in actu primo, & prædeterminationem ſemper conſtituunt conſequentem illam; vnde etiam ad actus ſupernaturales vitales, præter habitus infuſos conferentes ſimpliciter poſſe, ſuperaddunt neceſſarias phyſicas prædeterminationes, diſtinctas ab illis. Ergo perperam confunditur in eadem qualitate vtrumque munus. Deinde hæc motio ſectione ſequenti reijcienda eſt, atque adeo etiam qualitas ſupernaturalis, quæ ſimul cum virtute agendi rationem motionis cõplectatur.

Poſtrema probatio.

24. Denique quarto. Superflua eſt qualitas iſta ſupernaturalis. Quia communiter adſtruitur à ſuis auctoribus ſuapte natura tranſiens. At mea opinione, quam vberi diſputatione dabimus libro quarto, repugnat qualitas ſuapte natura tranſiens. Si autem

Digitized by Google

aſſeratur permanens, videtur fruſtranea, cum à Deo eleuetur natura ad vnam tantum, vel alteram actionem diſcretam, & incontinuam. Ad vnam autem, vel alteram actionem ſupernaturalem fruſtra confertur qualitas diu perſeuerans, quam, aut præter exigentiam rerum creatarum deſtruere illico neceſſe eſt, aut otioſam omnino retinere, cum nullum ſit contrarium, quo ex natura rei euaneſcat. Ergo cum præter qualitatem ſuapte natura fluentem, & perſeuerantem, non detur qualitas media, ſuperflua erit qualitas ſupernaturalis ad agendum. Neque ſunt ad ſuadendam iſtam qualitatem alia argumenta ab ijs, quæ contra virtutem intrinſecam naturæ torquentur, quæ proponemus, & diluemus ſectione 7.

SECTIO QVARTA.

Expenditur ſententia de eleuatione naturæ per motionem virtuoſam.

Tertia ſententia.

25. Tertia ſententia aſſerit, naturam eleuari ad agendum gratiam iuſtificantem, & reliquas formas ſupernaturales non vitales, per motum quemdam virtuoſum; quemadmodum inſtrumenta artificis per motum ab artifice impreſſum agunt formas ſecundum artem. Refertur Caietanus 3. part. quæſt. 13. art. 2. §. *Ad euidentiam*, & quæſt. 62. art. 4. §. *Aduerte*. Eam expreſſe tuetur Scotus in 4. diſtinct. 1. quæſt. 3. art. [illegible] §. *Eſt ergo*. Medina 3. part. quæſt. 13. art. 2. ad 4. difficultatem, Martinus Ledeſma in 1. part. quarti, quæſt. 3. art. 4. Ripa 1. part. quæſt. 45. art. 5. dubit. 2. §. *Quænam iſta ſint*, Cabezudus 3. part. q. 62. art. 4. & ſupponit art. 1. difficultate 7. ſolutione argumentorum, Cabrera fuſe 2. tom. in 3. part. quæſt. 13. art. 2. diſputat. 4. §. 6. obſer. 2 num. 61. & §. 10. colum. 4. num. 121. Nauarrete tom. 2. controuer. 15. §. 6. propoſitione 1. & 5. Oxomenſis 3. part. quæſt 62. art. 1. 2. 3. & 4. Accedunt Bellarminus tom. 3. libr. 2. de effectu ſacramentorum cap. 11. §. tertio *Igitur*, Alanus de Sacramentis in genere capite trigeſimo ſexto. Valentia tomo quarto, diſputatione tertia, quæſtione tertia, puncto 1 §. *Eſt igitur*, §. *Vertitur igitur*, & puncto ſecundo, §. *Hæc ſententia*. Hic dicendi modus à præcedenti diſtrepat duobus. Primò quia præcedens ſententia virtutem intrinſecam naturæ aſſerit eſſe qualitatem realem ab ipſa natura creatione ſeparabilem; ſicut gratia, per illam producta, qualitas naturalis eſt: hæc ſententia vero, eſſe modum quemdam eſſentialiter naturæ affixum. Secundo præterita ſententia virtutem naturæ conſtituit terminum motus præcedentis; actionem naturæ, à ſolo Deo præcedentis, ita vt motus ſeu actio præuia à ſolo Deo procedens, in illa qualitate ſiſtat, & vlterius per ſe immediate non progrediatur, ſed per terminum, ſeu qualitatem ab ipſa productam in natura. Præſes ſententia vero virtutem iſtam docet eſſe eſſentialiter viam ad actionem tranſeuntem naturæ in alio ſubiecto, aqua verbi gratia, in animo baptizati. Itaque motum iſtum conſtituit quaſi actionem, nullum habentem terminum in natura, quæ mouetur per illam, ſed in alio ſubiecto, quia eſt eſſentialiter actio faciens agere naturam in alio. Vnde ipſam actionem impreſſam naturæ à ſolo Deo, videntur ponere actiuam formæ ſupernaturalis tranſeunter; quemadmodum motus ipſe localis (aiunt aduerſarij) interdum eſt cauſa actiua caloris, & pulſatio fidium in cythara eſt immediate cauſa actiua concentus in aëre. Quare perperam Magiſtri quidam Salmanticenſes eleuationem naturæ per qualitatem, confundunt cum eleuatione per motionem, dicentes alteram ab altera non diſtare. Quod minime cenſuiſſent, ſi exacte perpendiſſent ſcriptorum mentem.

Caietanus. Scotus. Medina. Ledeſma. Ripa. Cabezudus. Cabrera. Nauarrete. Oxomenſis. Bellarminus.

Deſerunt merito. P. Suarez. P. Vaſquez. P. Raguſa. P. Iannerus. P. Præpoſitus. Ledeſma. Ioannes Vincent. Ægidius.

26. Hanc opinionem oppugnant Pater Suarez, 3. part. diſput. 31. ſect. 5. Pater Vaſquez diſput. 132. num. 26. & 39. Pater Raguſa, diſp. 107. §. 3. Pater Iannerus, diſput. 1. quæſt. 5. num. 195. Pater Præpoſitus 3. part. quæſt. 13. art. 2. num. 10. Petrus de Ledeſma, de diuina perfectione quæſt. 8 in ſubart. Ioannes Vincentius de gratia Chriſti quæſt. 6. pag. 801. Ægidius de Præſent. lib. 10. quæſt. 2. art. 15. §. 3. Neque mihi vnquam probata fuit, quia ſemper intelligibilis viſa eſt, & captu difficilis. Quod, lucem & planam rerum explicationem inquirenti, ſatis, ſuperque eſſe debet. Neque ſatisfacit, quod habet Cabezudus 3. part. quæſt. 62. art. 1. ad 5. Replicam argum. 5. dicens, hanc motionem eſſe mirabilem, & ideo non eſſe inquirendam ſufficientem rationem, qua perſuadeatur; eſſe ſingularem, & ideo non quærendum aliquod exemplum, quo explanetur. Id enim eſſet optimum conſilium, ſi fides Catholica talem motionem teſtaretur, in cuius obſequium ſanctiſſime datur captiuus intellectus creatus denſiſſimis tenebris, quibus interdum eius obiecta velantur. At vbi fides nihil reuelat, & alijs clarioribus poſſunt principijs Catholicæ, & Theologicæ veritates defendi, parum cordati Theologi eſt, ad obſcura, & ignota ſacramenta recurrere.

Cabezudus.

Cabrera reijcitur.

27. Percurramus aliqua, quæ de motione iſta docuerunt, qui accuratius illam exponere conati ſunt. Cabrera aſſerit, motum iſtum, per quem agit ſacramentum gratiam, eſſe indiſtinctum à motu illo ſacramenti; qui ab homine miniſtrante ſacramentum deriuatur, verbi gratia, in baptiſmo, ab ipſa ablutione aquæ, quæ vt à baptizante eſt motus quidam ſecundum naturam producens in baptizato gratiam, ſicut motus fidium, vt procedit à manu cytharædi eſt mere naturalis, qualis eſſet ab eo, qui non eſſet peritus pulſandi cytharam: vt vero ab arte procedit, artificioſus eſt, & producit concentum muſicum, quem non efficeret, ſi cytharædus imperitus eſſet. Quod etiam indicant reliqui aſſertores huius ſententiæ, aſſerentes, motionem iſtam non diſtingui ab vſu ipſo paſſiuo Sacramenti, ſeu inſtrumenti naturalis. Hæc doctrina difficilis eſt. Primo

Primo.

Digitized by Google

quia vel iſta motio ſacramenti, verbi gratia, ablutio aquæ, eſt naturalis, vel intrinſece ſupernaturalis? ſi intrinſece naturalis eſt, non poterit efficere gratiam iuſtificantem, ſi eſt intrinſece ſupernaturalis, non poterit deriuari à miniſtro ſacramenti. Nam in illo nō præcedit alia motio, qua fiat potens ad efficiendum ablutionem ſupernaturalem. Si autem miniſter ad eam motionem procedentem ab ipſo conſtituitur potens per eleuationem extrinſecam Dei, aut per aliam virtutem intrinſecam diſtinctam à motione, fruſtra requiritur motio iſta ſupernaturalis ad efficiendum gratiam, cum ſimili modo poſſet aqua reddi potens ad gratiam, quo miniſter ad eam ſupernaturalem motionem. Secundo. Poteſt aſſumi inſtrumentum naturale ad producendum gratiam independenter à motione præuia naturali ipſius inſtrumenti: verbi gratia, aqua ſeorſim ab ablutione, cum neque gratia talem ablutionem deſideret, neque ablutio ſecundum ſe quidquam conferat ad productionem gratiæ. Ergo motio iſta eleuans naturam ad efficiendum gratiam, aut nulla eſt, aut diſtincta ab ipſa motione procedente ab agente naturali.

Secundo.

Sotus etiā.

20. Sotus motionem iſtam à motione naturæ, verbi gratia, ablutione aquæ, diſtinguit, & à ſolo Deo deriuatam fatetur: cæterum air, informare motionem naturalem, tanquam ſubiectum, vt ea motione ſupernaturali informatus naturalis motus poſſit efficere effectum ſupernaturalem. In primis parum philoſophicum eſt, & captu difficillimum, motum eſſe ſubiectum alterius motus. Deinde id fruſtra confingitur, cum aptius poſſet talis motio ſupernaturalis ſtatui inhærens aquæ ſecundum ſe, quam ipſi ablutioni aquæ. Denique quia aqua ſeorſim à motione naturali poterat efficere gratiam, vt nuper dicebamus. Ergo neceſſaria non eſt motio ſupernaturalis informans naturalem.

Item Nauarrete.

29 Nauarrete, & alij volunt, motionem iſtam eſſe intrinſecam inſtrumento, in eo tamen nullum terminum efficere, ſed in alio ſubiecto, in quod forma ſupernaturalis inducitur, quia non eſt actio agens in inſtrumento, ſed faciens, vt inſtrumentum agat in alios atque ita tranſire motionem ab inſtrumento in terminum exiſtentem in alio ſubiecto. Etiam hæc motionis conditio vix percipi poteſt. Etenim, aut motio inhærens inſtrumento, eadem formaliter tranſit in ſubiectum termini, aut ea ſiſtens formaliter in inſtrumento, tranſit ſolum virtualiter in ſubiectum termini, quatenus per aliam actionem ab ipſa fluentem, in aliud ſubiectum inducitur terminus. Eadem motio tranſire formaliter non poteſt in ſubiectum termini; tum quia eſſentialiter inhærere non poteſt duobus ſubiectis, non ſolum realiter diſtinctis, ſed etiam diuerſis, verbi gratia, aquæ, quæ eſt inſtrumentum & animo baptizati, qui eſt ſubiectum termini ſupernaturalis per motionem producti; tum quia productio gratiæ in animo baptizati eſt poſterior natura, procedenſque à motione aquæ, quæ eſt cauſa phyſica talis productionis; actio autem poſterior diſtincta eſt à cauſa priori, à qua procedit. Inſuper virtualiter tranſire non poteſt in ſubiectum termini per aliam actionem à motione inſtrumenti fluentem; quia nulla actio, ſeu motio actiua eſt per actionem, ſeu motionem ab ipſa diſtinctam, præſertim eius termini, cum quo ipſa eſſentialiter connectitur: ſicut vnio non affigitur extremo, à quo eſſentialiter indiuiſa eſt, per vnionem ab ipſa diſtinctam, neque cognitio eſt repræſentatiua obiecti per cognitionem diſtinctam ab ipſa, neque relatio relatiua per relationem ab ipſa diſtinctam. Motio autem ſupernaturalis eſſentialiter connectitur cum termino ſupernaturali, quem producit, quin diuinitus poſſit exiſtere ſine illo. Ergo per actionem, aut motionem ab ipſa diſtinctam non erit termini ſupernaturalis actiua. Neque valet aſſerere, motum localem eſſe cauſam productiuam caloris, & pulſationem fidium in cythara eſſe actiuam concentus muſici in aëre. Nam motus localis non eſt cauſa caloris, efficiendo ſe ipſo calorem, ſed diſponendo alia agentia quæ illum efficiunt; ſimiliter motus fidium in cythara non efficit immediate concentum, ſed diſponit fides, & aërem, vt colliſa mutuo, concentum producant.

Alia repugnatio.

30. En tibi quam obſcura implicent aſſertores huius motionis ad tuendum illam, & quam merito has tenebras recuſet omnis cordatus Theologus, vbi poteſt clariori luce difficultatem iſtam illuſtrare. Ad hæc; aut natura habet virtutem aliquam inchoatam ſibi propriam, qua efficiat formam ſupernaturalem, aut non? ſi habet, poterit diuinitus ſine tali motione intrinſeca agere formam ſupernaturalem per ſuam virtutem intrinſecam; ſicut poteſt natura rationalis actus vitales ſupernaturales ſine auxilio intrinſeco, vt oſtendimus diſputatione trigeſima quarta. Nam actus vitales ſupernaturales magis pendent à virtute proportionata naturæ, quam eſſentialiter exigunt, quàm formæ ſupernaturales non vitales, quæ non exigunt illam. Si vero natura virtute, etiam partiali ſibi intrinſeca deſtituta eſt, fruſtra mouetur ad agendum; moueri enim ad agendum non poteſt, quod abſque vlla virtute actiua præſupponitur, vt ad volendum aut aſſentiendum moueri repugnat agens, quod nulla virtute volendi, aut aſſentiendi præcedit: ſimiliter neque moueri ad calefaciendum agens, quod ex ſe calefactiuum non eſt. Talis igitur motio potius erit ſuimet motiua, quàm naturæ ad agendum, cum natura ex ſe nullam actiuitatem ferat, præter eam, quam ſecum adducit motio.

31. Addo, motionem iſtam, etiamſi poſſibilis eſſet, non fore neceſſariam ad eleuationem naturæ. Hoc ſuadent omnia argumenta, quæ expendimus ſectione præcedenti ad oſtendendum, non eſſe neceſſariam qualitatem ſuperadditam ad eleuationē naturę, etiamſi poſſibilis ſit. Omnia enim idē euincunt de eleuatione per motionem. Dixi autē, *etiamſi motio poſſibilis eſſet*; quia forſan impoſſibilis non eſt, ſi recte explicetur, & aliter, quam à ſuis auctoribus

Digitized by Google

tibus tradita eſt. Nempe modus eſſentialiter affixus naturæ, & aliunde eſſentialiter non ſolum actiuus, ſed agens formæ ſupernaturalis; quia non ſolum vis agẽdi, ſed etiam ipſa actualis actio eſſentialis, & idemtificata illi eſt. Nam non repugnare qualitatem aliquam realem, aut modalem, quæ eſſentialiter ſit actiua, & ſimul agens per identitatem actionis cum ipſa, quin ipſa ſit alterius rei actio, mihi probabile eſt. Itaque ſicut in diuinis potentia productiua cõſtituitur, plurium Theologorum iudicio, actuali productione actiua, diſtincta realiter à paſſiua, ita poteſt in creatis eſſe qualitas ſaltem modalis, quæ ſimul cum virtute agendi idemtificet ſecum actionem, & nõ ſit actio alterius ab ipſa diſtincti, ſed ſuimet ſolius; ſicut poteſt eſſe forma modalis, quæ eſſentialiter non ſolum ſit informatiua, ſed etiam actu informans, quia idẽtificat ſibi vnionẽ, qua iungitur ſubiecto, quin alterius formæ vnio ſit. In hoc enim nulla mihi occurrit implicantia. Igitur larga quadam ſignificatione poſſet talis modus dici motio, quia eſſentialiter habet, non ſolum reddere naturam actiuam, ſed etiam actualiter agentem formas ſupernaturales. Quanquam talis modus non eſſet neceſſarius ad eleuationem naturæ, propter ea quæ attigimus ſectione præcedenti ad excludendam neceſſitatem qualitatis realis per actionem diſtinctam agentis. Quæ ſane eadem vi excludunt neceſſitatem qualitatis modalis agentis per actionem ſibi idemtificatam. Diſcrimen ſolum intereſſe poterat in eo, quod per qualitatem modalem eſſentialiter agentem poteſt eſſe natura vera, ac propria cauſa ſupernaturalis, cum inter naturam & formam ſupernaturalem ſola interijcitur actio; quod habere non poteſt per qualitatem realem, vt ſectione præterita, tertia noſtra argumentatio colligebat. Verum neque qualitatem modalem ſufficere, vt natura vera ac propria cauſa formæ ſupernaturalis conſtituatur, inde argui poteſt; quia modus ille non eſſet actio naturæ, cum non efflueret à natura: nam ſi eſſet actio naturæ, ab illaque flueret, iam natura immediate eſſet actina formæ ſupernaturalis, cum interceſſio actionis non tollat immediatam actiuitatem cauſæ. Quod autem actio alterius cauſæ ſit immediata naturæ, non ſufficit, vt ipſa vere, & proprie per illam reddatur efficiens effectus. Nam etiam cum lapis proijcitur ſurſum, aut deorſum impetu extrinſecus impreſſo, inhæret immediate lapidi non ſolum impulſus, ſed etiam motio actiua talis impulſus. Tamen ipſe lapis non eſt vere, ac proprie agens talis motus; quare idem contingeret, quamuis motio actiua impulſus idemtificaretur qualitati impulſus. Ergo neque natura erit verè, & proprie cauſa agens formæ ſupernaturalis, quamuis actio ſupernaturalis idemtificetur qualitati modali ipſi inhærenti, ſiquidem talis actio, & modus non effluerent immediate à natura, cui immediate inhæret, & ſolum per denominationem talis qualitatis, receptæ in natura, denominaretur ipſa agens formæ ſupernaturalis. Atque ita etiam exiſtenti tali modo eſſentialiter agenti, non eſſet natura vera, & propria cauſa formæ ſupernaturalis, vt contendebat tertia probatio facta ſectione præcedenti contra qualitatem naturalem.

Primum contra nos argumentũ

32. Argumenta ad probationem eleuationis per motionem ſunt duo. Primum deſumptum ex varijs teſtimonijs ſancti Thomæ, qui videtur referre actionem phyſicam ſacramentorum, & aliorum inſtrumentorum in gratiam iuſtificantem ob ſolam motionem Dei.

Secundum

Secundum depromptum ex ſimilitudine inſtrumentorum naturalium, quæ agunt mota ab agentibus principalibus. Sed teſtimonia ſancti Thomæ expendemus ſectione decima.

Vtriuſque vindicatio.

Inſtrumenta veró naturalia non poſſunt perſuadere motionem iſtam. Tum quia plura agunt abſque præuia motione, vt calor in ignem, & ſemen in ſubſtantiam viuentis. Tum quia inſtrumenta artis non agunt per motionem, tanquàm per virtutem agendi, ſed tanquam per applicationem, & conditionem requiſitam, vt natiua ipſorum actiuitas applicetur ad agendum. Quare inſtrumenta, quæ natiua efficacitate prædita non ſunt, nequeunt operari formas artificioſas, licet ab agentibus principalibus moueantur, vt lignum non poteſt ſecare, neque lapis formare litteras, neque lana terram ſcindere. Vnde cum contraria ſententia neget naturæ omnimodam actiuitatem immediatam in formas ſupernaturales, fruſtra mouebuntur à Deo ad agendum illas. Præterquam quod ſi hæc paritas quidquam euincit, maxime neceſſariam eſſe motionem localem, vtpote, quæ ad inſtrumenta artis neceſſaria eſt. At Deus poteſt aſſumere naturam ad actionem ſupernaturalem abſque præuia aliqua motione locali; neque cum hæc de facto præcedit actionem ſacramentorum, aut humanitatis Chriſti Domini, talis motio localis præcedit tanquam virtus agendi ſupra naturam, vt contra Cabreram oſtendimus ſupra.

SECTIO QVINTA.

Improbatur eleuatio naturæ per potentiam obedientialem abſolute actiuam, idemtificatam naturæ.

Quarta ſententia.

33. PRopterea quarta ſententia ſtatuit, omnem creaturam eleuari ad agendum formas ſupernaturales non vitales per quamdam incompletam actiuitatem intrinſecam, & idemtificatam entitati cuiuſque rei; quam vocant obedientialem, quia per obedientiam & ſubiectionem ad Deum integratur, & completur adiutorio ſpeciali extrinſeco omnipotentiæ diuinæ. Inſuper talem actiuitatem, ſeu potentiam partialem volunt conſtituere naturam abſolute, & intrinſece actiuam partialiter cuiuſcunque effectus, non implicantis contradictionem, ſecũdum eſſe intrinſecum, & entitatiuum naturæ agentis, quamuis

P. Suarez. P. Albertinus. P. Iannerus. P. Beccanus. P. Arrubal. P. Ruiz. P. Faſolus. P. Granadus. P. Hurtado. Sayrus. Puteanus. Peſantius. Philiarcus. Bonacina. AEgidius. Marchio Sforcia. Curiel.

virtus adæquata, & completa comprehendat etiam concurſum indebitum, & ſpecialem omnipotentiæ diuinæ. Ita Pater Suarez pluribus in locis, ſed præcipue tom. 1. in 3. p. diſp. 31. ſect. 6. Pater Albertinus quæſt. 1. Theologica ex principio ſecundo philoſophyco dub. 1. 2. & 3. Pater Iannerus tom. 4. diſp. 1. quæſt. 5. dub. 7. num. 199. & diſp. 3. quæſt. 3. dub. 3. Pater Beccanus de Sacramentis in communi c. 3. qu. 4. con. 3. & quæſt. 5. con. 4. Pater Arrubal. 1. p. d. 181. c. 3. Pater Didacus Ruiz de voluntate Dei diſp. 1. num. 7. & diſp. 46. ſect. 2. num. 15. Pater Faſolus 1. p. quæſt. 12. art. 5. num. 27. Pater Granadus 1. 2. controuer. 4. de habitu in communi diſp. 3. num. 4. Pater Petrus Hurtado de Mendoza Phyſic. diſp. 9. ſect. 14. Sayrus lib. 5. de Sacramentis in communi cap. 3. art 9. Puteanus 3. p. quæſt. 13. art. 2. dubit. 3. con. 2. & quæſt. 62. art. 1. dub. 4. Peſantius 3. p. quæſt. 62. art. 1. diſp. 1. concl. 3. Philiarchus 2. p. lib. 1. cap. 4. Bonacina de Sacramentis diſp. 1. quæſt. 4. puncto 4. num. 4. AEgidius de præſent. lib. 10. quæſt. 2. art. 9. §. 4 Marchio Sforcia lib. 8. ſummæ Theol. num. 35. Curiel. 1. 2. quæſt. 5. art. 5. dub. 5. §. 5. & communiter Recentiores noſtræ Societatis. Quorum alij hanc facultatem partialem abſulate actiuam docent omnino intrinſecam naturæ, quia volunt, naturam ſe ipſa immediate referri ordine tranſçendenti ad effectus ſupernaturales poſſibiles. Alij vero, quia ſine ordine trãſcendenti agnoſcunt denominationes omnino idemtificatas rebus, quamuis interitu connotatorum ſeparabiles. De quo adeundæ ſunt diſp. 32. & 33. in quibus diſſeruimus de ordine tranſcendenti naturæ rationalis ad actus ſupernaturales, & de idemtitate, ac diſtinctione actiuitatis immediatæ ad eos actus ab entitate naturæ.

Improbant

34. In hanc ſententiam irruunt toto impetu quotquot negant, poſſe naturam attingere phyſice productionem gratię iuſtificantis, & alterius formæ ſupernaturalis non vitalis, Pater Vaſquez, Pater Coninck, Pater Raguſa, Pater Gaſpar Hurtado, & alij, quos retulimus diſp. præcedenti num. 1. Ex affirmantibus Cabrera tom. 2. in 3. p. quæſt. 13. art. 2. diſp. 4. §. 7. Ledeſma lib. de Perfect. Dei quæſt. 8. art. 8. Lorca 2. 2. quæſt. 23. art. 4. diſp. 4. à num. 2. Nazarius 3. p. qu. 13. art. 2. controuer. 4. Ioannes Vincentius relectione de grat. quæſt. 6. pag. 798. & plerique doctiſſimi Salmanticenſes Magiſtri.

P. Vaſquez. P. Coninck. P. Raguſa. P. Gaſpar Hurtado. Cabrera. Ledeſma. Lorca. Nazarius. Ioan. Vincentius.

Non placet omnino.

35. In hac ſententia vnum mihi placet aduerſus hos oppugnatores actiuitatis obedientialis immediatæ, & aliud diſplicet. Placet, aliquid actiuitatis immediatæ, & indiſtinctæ conuenire naturæ ad efficiendum gratiam iuſtificantem, & alias formas ſupernaturales non vitales; de quo ſectione ſequenti. Diſplicet, hanc actiuitatem idemtificatam naturæ eſſe abſolute productiuam gratiæ iuſtificantis, & formarum ſupernaturalium ſimilium. Porro potentia dupliciter dicitur abſolute productiua alicuius effectus ſecundum entitatem intrinſecam. Primo prout opponitur potentiæ productiuæ, ſecundum quid, & ſignificat potentiam ſimpliciter productiuam. Secundo prout opponitur potentiæ productiuæ conditionate tantum, & ſignificat potentiam connexam ſecundum aliquod ſibi intrinſecum cum effectu abſolute poſſibili, itaut effectu abſolute repugnanti aliquid intrinſecum, & identificatum potentiæ repugnaret. Prior ſignificatio potentiæ abſolute productiuæ diſſidio vocum ſubiecta eſt. Poſterior rem continet, de qua vera poteſt eſſe diſſenſio. Omnis potentia ſecundum ſuum eſſe intrinſecum abſolute productiua in ſenſu poſteriori, eſt ſecundum eſſe intrinſecum abſolute productiua in priori, quamuis inadæquata & partialis ſit; nam eo ipſo quod ſit intrinſece connexa cum effectu poſſibili, continet intrinſece veram rationem potentiæ, licet partialis, quæ ſimpliciter potentia eſt. Quare intellectus eſt abſolute, & ſimpliciter intellectiuus ſecundum ſuum eſſe intrinſecum, quamuis præditus non ſit poteſtate adæquata ad efficiendum intellectiones naturales, ſed indigeat actiuitate ſpecierum impreſſarum, quæ ab entitate intellectus diſtinctæ ſunt; & eadem ratione omnis potentia naturalis, quamuis ſit partialis, abſolute productiua eſt ſecundum eſſe intrinſecum, quod habet. Tamen omnis potentia ſecundum ſuum eſſe intrinſecum abſolute productiua in ſenſu priori, non eſt abſolute productiua in poſteriori, quia omnipotentia diuina ſecundum eſſe intrinſecum, & eſſentiale omnipotentiæ eſt abſolute, ac ſimpliciter productiua creaturarum, quamuis ſecundum illud eſſe non ſit connexa cum abſoluta poſſibilitate earum, vt notauimus diſp. 33. num. 7. Ratio eſt, quia omnipotentiæ diuinæ non deficit connexio cum creaturis abſolute poſſibilibus, ex defectu perfectionis, & poteſtatis, ſed quia perfectio, & poteſtas diuina adeo ſibi adæquata eſt, & ſufficiens, vt etiam repugnantibus creaturis poſſet abſolute exiſtere, quare euentu, quo repugnarent creaturæ; omnipotentiam ſolum ſub conditione eſſe productiuam, & non abſolute non ex defectu potentię, ſed ex defectu termini proueniret. Agens autem abſolute, & ſimpliciter productiuum eſt, quod ex defectu poteſtatis, & perfectionis non poteſt non eſſe productiuum. Cæterum potentia partialis, & inadæquata, quæ ex defectu perfectionis, & poteſtatis non eſt abſolute, ſed tãtum conditionate productiua, iuxta priorem vſurpationem, non eſt abſolute, & ſimpliciter productiua iuxta vſurpationem poſteriorem, quia ſimpliciter eſſe productiuam denotat perfectionem intrinſecam potentiæ, quæ aut in ſe habet adæquatam actiuitatem effectus, aut ſaltem cum illa intrinſece connexa eſt. Atque adeo in entitate naturæ coniuncta eſt potentia abſolute productiua, in priori acceptione cum potentia abſolute productiua in acceptione poſteriori.

36. Igitur natura ſecundum ſuum eſſe intrinſecum non eſſe abſolute productiuam gratiæ iuſtificantis, & aliarum formarum ſupernaturalium non vitalium, inde mihi perſpicuum eſt, quia natura non eſt intrinſece connexa cum formis ſupernaturalibus non vitalibus, vt tota

Improbationis ratio.

Digitized by Google

diſputatione 32. elucidauimus, oſtendentes non eſſe ordine tranſcendenti connexam cum vitalibus. Ergo abſolute non eſt productiua illarum ſecundum ſuum eſſe intrinſecum naturæ. Conſequentia conſtat ex diſp. 33. ſect. 1. Etenim quidquid deficit actiuitati naturæ rationalis in actus intrinſece ſupernaturales vitales, à fortiori deficere debet in formas ſupernaturales, quæ vitales non ſunt; cum in actus vitales potenſior ſit, quam in non vitales: & vitales formæ ſecundum ſe magis vendicent actiuitatem naturæ, quam non vitales. Ergo ſi in vitales deficit naturæ actiuitas, etiam partialis intrinſeca abſolute productiua, & tantum ineſt productiua ſub conditione, & ſecundum quid, potiori ratione non erit intrinſeca naturæ actiuitas, abſolute productiua formarum ſupernaturalium non vitalium. Vnde neceſſario conſulendæ ſunt diſputationes 32. & 33. in quibus auctoritate, & ratione antecedens, & conſequentiam huius probationis accuratè diſcuſſimus. Rurſus idem confirmabimus ſequentibus, ſtabilientes ſententiam noſtram.

SECTIO SEXTA.

Proponitur noſtra ſententia.

Explicatur. 37. IAm noſtra ſententia ſit, virtutem, qua natura exiſtit abſolute productiua formæ ſupernaturalis non vitalis etiam in genere cauſæ partialis, eſſe partim intrinſecã & identificatam ipſi naturæ, partim extrinſecam, & à natura diſtinctam; partim entitatem ipſius naturæ ſecundum ſe ſubiectam Deo, partim auxilium ſpeciale omnipotentiæ diuinæ, eleuans inſufficientiam & imbecillitatem naturæ. Virtutem inquam abſolute productiuam, prout virtus abſolute productiua contraponitur, tum virtuti productiuæ ſimpliciter, tum productiuę mere conditionatę, & abſque connexione abſoluta cum effectu poſſibili, vt exponebamus ſectione præcedenti. Itaque ex parte naturæ nulla præcedit virtus etiam partialis, identificata naturæ, qua natura ſit ſimpliciter, & connexione aliqua abſoluta, & non actiuitate mere conditionata potens efficere gratiam Iuſtificantem, & reliquas formas ſupernaturales. Sed omnis virtus abſoluta naturæ complectitur eſſentialiter, tum entitatem ipſam naturæ, tum auxilium extrinſecum omnipotentiæ, & voluntatis diuinæ. Ergo noſtra ſententia duas continet partes. Prima eſt, naturam ipſam ſecundum ſe aliquid actiuitatis immediate conferre, licet non abſolutę, ſed conditionatæ. Secunda, hanc actiuitatem conditionatam fieri abſolutam, & ſimpliciter potentiam per extrinſecum adiutorium, & complementum dico. Quoad priorem partem fauent noſtræ ſententiæ omnes auctores quartæ relati nu. 33. Quoad poſteriorē auctores primæ, relati nu. 3. Et quidem meo iudicio primæ ſententiæ aſſertores re non diſcrepant à noſtra opinione. Nam cum ipſi vltro fateantur, naturam per ſe im- (Duas cõplectitur partes.)

mediate influxu phyſico efficere gratiam, & alias formas ſupernaturales, negare omnino non poſſunt, aliquid ſaltem facultatis conditionatæ præcedere ex parte naturæ intrinſecus ad actionem ſupernaturalem. Nam ſi adueniente eleuatione extrinſeca Dei, actio phyſica ſupernaturalis immediate oritur à natura, vt condiſtincta ab omnipotentia aſſiſtenti Dei, Ergo ex parte naturæ datur capacitas intrinſeca ad agendum immediate ſub conditione eleuationis diuinæ. Cęterum quia id, quod præcedit ex parte naturæ, non ſufficit ipſam abſolute conſtituere actiuam, ſed abſolute actiua redditur per eleuationem extrinſecam Dei, ideo totam virtutem abſolute agendi tribuunt eleuationi diuinæ. In quo minus congrue loquuntur, cum poſſent eleuationem deſiderare ſolum inadæquate ad virtutem abſolute productiuam. Sicut corporeo ſecundum ſe exiſtente non eſt homo, & accedente animo rationali exiſtit homo; tamen corpus pertinet inadæquate ad eſſentiam hominis. Quod in omni conſtitutione rei ex partibus ætherogeneis reperitur. Similiter igitur ex eo, quod natura ſecundum ſe non contineat poteſtatem abſolute actiuam formæ ſupernaturalis, argumentum non eſt, virtutem abſolute actiuam eſſe adęquatè extra entitatem naturæ immediate agentis, ſed ſolum inadæquate, vt noſtra ſententia ſtabilit.

38. Hæc opinatio manifeſte colligitur ex omnibus huc vſque ſcriptis. Nam vt vidimus ſect. 1. contra primam ſententiam; hæc virtus abſolute actiua non eſt omnino, & adæquate extrinſeca, ſed neceſſario importat aliquid actiuitatis naturæ intrinſecum. At vt vidimus ſect. 3. & 4. non eſt intrinſeca per additionem alicuius qualitatis realis, aut modalis diſtinctæ à natura; neque, vt vidimus ſect. 5. intrinſeca eſt per identitatem adęquatam cum natura. Ergo erit intrinſeca per identitatem inadæquatam, ac proinde erit talis virtus partim intrinſeca, & identificata naturæ; partim extrinſeca, & diſtincta. Cum reliqua non ſit alia conſtitutio talis virtutis abſolutę. Diſcurſus legitimus eſt, & omnino conſtans. (Quoad vtramque probatur.)

39. Deinde confirmatur auctoritate Auguſtini, lib. 6. de geneſi ad litt. cap. 17. & 18. vbi ſtatuens poteſtatem obedientialem actiuam, vt expendimus diſputatione ſuperiori, totum poſſe naturæ in entitatem creaturarum ſubiectam Deo, & in poteſtatem extrinſecam Dei referre videtur. Sic illud aggreditur poſt explicatũ poſſe naturale rerum; *ſuper hunc autem motum, curſumque rerum naturalem, poteſtas creatoris habet apud ſe poſſe de his omnibus facere aliud, quam eorum, quaſi ſeminales rationes habent; non tamen id, quod in eis potuit, vt de his fieri, vel abſque ipſo poſſit.* In primis tale poſſe creaturarum explicat per poteſtatem, quam Deus apud ſe habet. Deinde aſſerens illud potuiſſe Deum in creaturis, continuo ſubdit, tale eſſe, vt abſque ipſo Deo nihil abſolute poſſit. Quod de auxilio concurſus generalis Dei nequit intelligi, cum illud etiam ad effectus poteſtatis naturalis neceſſarium ſit, & ſtatuens pręcedentibus pote- (Alia explicatio. Auguſtinus)

Pp 4

Digitized by Google

ſtatem naturalem, non meminerit talis auxilij. Erit ergo ſpeciale auxilium, quod ad complementum potentiæ obedientialis per ſe requiſitum eſt. Vnde deinceps adductis nonnullis operibus huius potentiæ in rebus creatis, ſic obſeruat. *Veruntamen alio modo dedit, vt non hoc haberent in motu naturali, ſed in eo, quo ita creata eſſent, vt eorum natura voluntati potentiori amplius ſubyceretur.* Renuit admittere, poſſe obedientiale rerum, licet naturam comprehendat, acceptum eſſe creatione naturæ, ſed voluntate prouidentiæ ſupernaturalis, qua ſibi naturam ſubiecit ad agendum per illam ſupra motum naturalem eiuſdem. Vnde concludit, *Habet ergo Deus in ſe ipſo abſconditas quorundam factorum cauſas, quas rebus conditis, non inſeruit, eaſque implet non illo opere prouidentia, quo naturas ſubſtituit, vt ſint, ſed illo, quo eos adminiſtrat, vt voluerit.*

Illuſtratur

40. Has cauſas factorum ſupernaturalium exiſtentes in Deo, intelligo decreta voluntatis diuinæ, quibus præmiſerat ſubiacere naturam. In has ergo cauſas extrinſecas naturæ, & intrinſecas Deo reuocat Auguſtinus totum poſſe creaturarum ſupra naturam. Ergo tale poſſe creaturarum abſolute, ac ſimpliciter complectitur intrinſece aliquid creaturis extrinſecum. Probo. Auguſtinus accurate differens potentiam obedientialem actiuam rerum creatarum, vt diſtinctam à potentia naturali, tanquam rem fidelibus nouam, & inauditam, vt oſtendimus diſput. 24. num. 3. & diſputatione præcedenti num. 6. duo perſpicue tradit; alterum, in rebus creatis poſuiſſe Deum hoc poſſe, tribuendo illis naturam ſubiectam Deo; alterum, res creatas non accepiſſe illud omnino in ſola natura, ſed in aliquo alio ſuperaddito naturæ per ſpecialem prouidentiam Dei. Quod rurſus exponens, refert illud in poteſtatem, quam Deus apud ſe habet, vt conſtat ex primo teſtimonio, in voluntatem potentiorem Dei, vt conſtat ex ſecundo teſtimonio, in cauſas in ipſo Deo abſconditas, vt ex tertio, quin alterius rei meminerit Auguſtinus. Ergo ex natura creaturarum ſubiecta Deo, & ex ipſo Deo aſſiſtenti creaturis coaleſcit omnis poteſtas obedientialis creaturarum. Confirmatur vlterius; Auguſtinus docet, rationem, qua natura poteſt agere ſupra motum naturalem rerum, eſſe in Deo, & apud Deum, vt diſcerneret illam à ratione, qua natura agit iuxta curſum naturalem, quam præmiſerat inditam, & intrinſecam eſſe creaturis. Nam allatis effectibus poteſtatis naturalis creaturarum ſubdit; *Horum, & talium modorum rationes non tantum in Deo ſunt, ſed ab illo etiam rebus creatis indita, atque concreata.* Quippe decernit, vires, quibus opera naturæ fiunt, non ſolum eſſe in Deo, ſed etiam rebus ipſis creatis intrinſecas, quæ res creatas ſecundum eſſe intrinſecum reddunt abſolute actiuas. At verò rationes, quibus fiunt opera ſupra naturam, non eſſe ſeminales, & inditas hoc modo, ſed eſſe exiſtentes in Deo, poſtea ſubiungit, vt ſuperiora teſtimonia exprimunt. Ergo manifeſte voluit Auguſtinus rationem per quam creaturæ agunt opera ſupernaturalia cum Deo, non eſſe ipſis intrinſecam, neque quidquam eis identificatum ſeorſim ab extrinſeca aſſiſtentia Dei, poſſe abſolute reddere illas ſupernaturaliter actiuas, atque adeo eſſentialiter complecti talem rationem aliquid ab ipſis diſtinctum. At non tanquam virtutem adæquatam, cum aſſerat ipſis rebus creatis competere hoc poſſe. Neque eſſe diſtinctum per additionem qualitatis intrinſecæ, cum talis virtutis non meminerit, ſed ſolius poteſtatis, & voluntatis diuinæ omnino extrinſecæ rebus. Ergo eo differt poteſtas naturalis creaturarũ à poteſtate obedientiali, quod rebus creatis intrinſeca eſt poteſtas, qua abſolute, ac ſimpliciter ſint iuxta naturam actiuæ, non vero poteſtas, qua ſupra naturam actiuæ ſunt, ſed comprehendens aliquid in Deo exiſtens, rebus creatis extrinſecum.

Auguſtinus.

41. Dices, Auguſtinum agere de poſſe rerum completo, non de incompleto & partiali. Sed contra. Agit Auguſtinus de poſſe ſimpliciter. At hoc poſſe ſimpliciter non agnoſcit in ea parte naturæ, quæ illud conſtituit, ſicut agnoſcit in illa poſſe ad effectus naturales. Ergo ſentit naturam ſecundum ſe, quæ pars eſt talis poteſtatis, non continere ſimpliciter poſſe ad effectus ſupernaturales, niſi prout complectitur complementum poteſtatis diuinæ; atque adeo ex parte naturæ non eſſe poſſe ſimpliciter completum diſtinctum à completo. Itaque ſicut homo ſimpliciter non eſt diuiſibilis in hominem partialem, qui ſit corpus, & in hominem completum, qui ſit compoſitum ex animo, & corpore, quia pars corporis non eſt ſimpliciter homo; ita poſſe ſimpliciter obedientiale non eſt diuiduum in poſſe ſimpliciter mere partiale, quod ſit ſola natura, & in poſſe ſimpliciter totale, quod ſit aggregatum ex natura, & poteſtate Dei, quia naturæ ſecundum ſe conuenit ſimpliciter, & abſolute poſſe, vt ad argumenta dicemus.

Vlterius illuſtratur.

42. Deinde vtramque partem noſtræ aſſertionis ſeorſim oſtendamus, & explicemus. Priorem de actiuitate immediata naturæ ſaltem conditionata, & non connexa cum effectu ſupernaturali nõ vitali, probaui primo ex actiuitate immediata naturæ rationalis ad actus vitales. Sed non bene; quia argumenta, quæ euincunt actiuitatem immediatam naturæ rationalis ad actus vitales, non euincunt actiuitatem immediatam ad formas non vitales. Nam quæ ex ſacris teſtimoniis, Conciliis ac Patribus fiunt, expreſſe differunt de ſolis actibus vitalibus. Quæ vero rationibus à priori, & à poſteriori fundantur, promuntur ex attributis, ac prędicatis eſſentialibus actuum vitalium, quà vitales, voluntarij, ac liberi ſunt. Vt cernere eſt diſput. 30. in qua omnes probationes ex ſolis differentiis actuum vitalium collegimus. Ergo momenti illę eſſe non poſſunt ad formas, quę vitales non ſunt. Rurſus actiuitas obedientialis naturę rationalis ad actus ſupernaturales vitales vendicat eſſentialiter actiuitatem naturalem ad actus naturales vitales circa obiecta actuum ſupernaturalium, illamque eſſentialiter complectitur. At actiuitas obedientialis ad alias formas ſimilem actiuitatem naturalem

Prior pars non probatur recto ex potentia obedientiali vitali.

Digitized by Google

non deſiderat. Inſuper formæ vitales eſſentialiter exigunt proceſſionem immediatam potentiis naturalibus, quam non exigunt formæ non vitales. Ergo ab actibus ſupernaturalibus vitalibus ad formas ſupernaturales non vitales arguere non eſt.

Rectior probatio prioris partis.

43. Rectius argues ſecundo ex potentia obedientiali immediate paſſiua formarum ſupernaturalium non vitalium. Quippe gratia iuſtificans, character ſacramentalis, & ſimiles qualitates ſupernaturales immediate inſunt naturæ. Ergo etiam ab illa immediate inſtrumentaliter effici poſſunt. Nam etiam potentia obedientialis paſſiua aliquam proportionem & connexionem deſiderat cum forma, quam recipit: ſicut potentia obedientialis actiua, quæ etiam cum inſtrumentalis eſt, non debet continere perfectionem effectus, ſicut non continet paſſiua. Quinetiam potentia paſſiua aliqua ratione continet formam, cum potentiæ paſſiuæ ſit, vt ex poteſtate ipſius educatur forma. Educi autem ex poteſtate potentiæ non poteſt, quod aliqua ratione in ipſa incluſum, ſeu contentum non eſt. Verum quidem eſt ad hoc genus continentiæ non requiri tantam perfectionem in cauſa conſtituente, quanta reperitur in effectu contento; cæterùm etiã ad genus continentiæ inſtrumentalis æqualis perfectio cauſæ continentis, cum effectu contento neceſſaria eſt. At dices, cauſæ agentis eſſe dare perfectionem effectus, patientis verò ſolum recipere; atque adeo cauſam agentem perfectius continere effectum, quam patientem. Sed hæ voces ſunt. Cauſæ inſtrumentaliter agentis non eſt dare effectui perfectionem propriam ipſius cauſæ inſtrumentalis, ſed alienam cauſæ principalis: eſt enim eius munus miniſtrare cauſæ principali cauſalitatem, per quam ſuam cauſa principalis perfectionem deriuet in effectum. Ergo quanquam ipſa imperfectiſſima ſit, poterit eſſe inſtrumentalis cauſa ad efficiendum effectum. Nam ad dandum perfectionem alienam non requiritur tanta perfectio; quanta requiritur ad dandum propriam.

Alia eiuſdem probatio.

44. Tertio, omnia argumenta quæ probant, poſſe Deum aſſumere naturam ad efficiendum formas ſupernaturales non vitales, identidem probant, poſſe aſſumere ad efficiendum immediate. Nam ſi perfectionis diuini dominij, ac omnipotentiæ eſt; poſſe vti creaturis ad productionem earum formarum, plane eiuſdem perfectionis eſt, eis immediate vti poſſe. Præſertim cum creaturæ, proprie, ac per ſe agentes eſſe repugnent, ſi virtute adæquata ipſis ſuperaddita agentes ſint, vt ſect. 3. arguebamus. Ergo aut nulla actiuitas, aut ea quidem immediata ad eiuſmodi effectus ſupernaturales creatis rebus tribuenda eſt. Vide ſuperiorem diſputationem ſect. 2. & applica omnes probationes virtutis phyſice actiuæ naturæ ad eiuſdem actiuitatem immediatam.

Plenior explicatio noſtræ ſententiæ.

45. Porro actiuitas iſta naturæ non eſt ſimpliciter potentia, & virtus abſolute actiua formarum ſupernaturalium, ſed ſecundũ quid, & ſecundum aliquid potentia; nempe conditionata dumtaxat, quæ accedente eleuatione diuina abſolute fit potentia, & virtus illarum actiua, vt ad poſteriorem partem noſtræ ſententiæ dicemus. Eſt autem illa ex parte naturę ipſa entitas poſitiua naturæ, ſecundum ſe ſubiecta dominio, ac omnipotentię diuinæ. Quæ quia intrinſece connexa non eſt cum forma intrinſece ſupernaturali, atque repugnanti, poſſet ſecundum ſuam entitatem eadem perſiſtere, ideo à pleriſque Theologis per non repugnantiam explicatur, videlicet aptitudinem, ſecundum ſe ita ſubditam Deo, vt ſi ab ipſo eleuetur, poſſit miniſtrare actionem: ſi vero non eleuetur eius entitas ſecundum ſe, eadem remanebit, quin aut exigat, aut reijciat poſitiue exiſtentem, aut poſſibilem talem eleuationem Dei. Vnde non repugnantia non eſt negatiua, ſed poſitiua, quia negatio non aſſumitur ad agendum, ſed entitas poſitiua creaturæ.

Pars poſterior ſuadetur.

46. Quoad poſteriorem partem noſtra ſententia ſic explicatur. Natura ſecundum ſe, ac ſeorſim ab omni alio ab ipſa diſtincto, non eſt abſolute, ac ſimpliciter potens efficere formam ſupernaturalem; quia ſecundum ſe, ac ſeorſim ab omni alio ab ipſa diſtincto, non eſt abſolute connexa cum forma ſupernaturali, ſed eadem ſecundum entitatẽ maneret, quamuis per impoſſibile forma ſupernaturalis repugnaret: quare vt natura ſecundum ſe, & repugnanti forma ſupernaturali, non eſſet abſolute, ac ſimpliciter potens illam efficere, quia forma repugnantis effectiua abſolute eſſe non poteſt, ſic natura, modo forma ſupernaturali repugnante, non eſt ſecundum eſſe intrinſecum abſolute effectiua talis formæ, cum ſecundum eſſe intrinſecum non amplius contineat, quam forma repugnanti contineret. Ergo ſecundum eſſe intrinſecum non eſt natura abſolute, ac ſimpliciter potens. At accedente eleuatione extrinſeca Dei fit abſolute, ac ſimpliciter potens, nam cauſa, quæ ſub aliqua conditione actiua eſt, poſita abſolute conditione redditur abſolute, ac ſimpliciter actiua. Ergo natura fit abſolute, ac ſimpliciter actiua per eleuationem extrinſecam Dei, tanquam per compartem poteſtatis abſolutæ, ſub cuius conditione intrinſece actiua eſt. Explicatur exemplis. Primo, effectus voluntatis conditionatus non eſt abſolute efficax ſecundum eſſe intrinſecum ipſius, quia abſoluta efficacia talis effectus vendicat eſſentialiter exiſtentiam abſolutam conditionis, quam effectus ſecundum ſuum eſſe intrinſecum non exigit. At poſita abſolute conditione redditur abſolute efficax. Item potentia naturalis, quæ intrinſece eſt abſolute potens, quia exigit comprincipia neceſſaria ad agendum, non eſt proxime potens; etiam in genere cauſæ partialis, in abſentia concurſus generalis Dei, aut alterius comprincipij neceſſarij. Poſita tamen exiſtentia talis concurſus, aut alterius comprincipij neceſſarij, redditur proxime potens, etiam in genere cauſæ partialis. Tertio intellectio diuina ſeorſim à Paternitate non eſt abſolute, ac ſimpliciter potentia productiua Verbi: coniuncta vero Paternitati,

Explicatur primo.

Secundo.

Tertio.

Digitized by Google

illamque complectẽs, potentia productiua eſt. Similiter ergo poteſt natura, quæ ſecundum ſuum eſſe intrinſecum non eſt abſolute actiua formæ ſupernaturalis, conſtitui abſolute actiua per coniunctionem cum poteſtate, & eleuatione extrinſeca Dei, vt ex natura, & poteſtate, & eleuatione Dei coaleſcat potentia abſolute productiua talis formæ, quin ex parte naturę etiam in genere cauſę partialis vlla adſit virtus abſolute productiua.

Diſcrimen inter potẽtiam obedientialẽ, & naturalem partialem.

47. Vnde conſtat diſcrimen inter potentiam actiuam, obedientialem, & naturalem, etiam in genere cauſæ partialis. Nam potentia partialis naturalis, licet intrinſece non contineat omnem actiuitatem neceſſariam ad effectum, tamen ſecundum eſſe intrinſecum eſt abſolute potens efficere illum, quia intrinſece connectitur ordine tranſcendenti cum effectu poſſibili, & aliis principiis ad effectum neceſſariis. At potentia obedientialis creaturæ ſecundum eſſe intrinſecum naturæ non eſt abſolute potens, etiam in genere cauſæ partialis, quia neque continet actiuitatem neceſſariam ad effectum, neque cum effectu poſſibili ſupernaturali, & comprincipiis neceſſariis ad ipſum ordine tranſcendenti connexa eſt. Quare impoſſibili effectu, & comprincipiis neceſſariis ad illum, non poſſet exiſtere, etiam ſecundum entitatem potentia naturalis; poſſet vero exiſtere ſecundum entitatem potentia obedientialis, vtpote, quæ intrinſece mere conditionata eſt, & cum conditione intrinſece connectitur. Inde etiam potentiæ naturali deberi poteſt aliquando complementum, quo re ipſa efficiat effectum, potentiæ vero obedientiali nulla ratione complementum debitum eſt. Atque ita potentiæ obedientiali erit gratioſum poſſe ſimpliciter, & abſolute efficere formam ſupernaturalem, potentiæ vero naturali tale poſſe gratioſum non eſt. De quo diſcrimine & explicatione potentiæ obedientialis naturæ plura dabimus ſolutione argumentorum.

SECTIO SEPTIMA.

Explicantur argumenta contra priorem partem noſtræ ſententiæ.

49. DVabus partibus conſtituimus potentiam, & virtutem obedientialem naturæ, abſolute productiuam formæ ſupernaturalis; altera, actiuitate immediata ipſius naturę, quæ non ſit abſoluta, ſed mere conditionata; altera, eleuatione, & poteſtate extrinſeca Dei. Vnde duplici genere argumentorum oppugnari poteſt noſtra ſententia; aliorum, quę omnem actiuitatem immediatam naturæ etiã conditionatam impugnent; aliorum, quæ impugnent conditionem poteſtatis abſolutæ in genere cauſæ partialis per extrinſecam eleuationem Dei. In hac ſectione prius argumentorum genus expendemus, quippe ea, quæ contra ſententiam Patris Suarez communiter torquẽtur. In ſequenti examinabimus poſterius argumentorum genus.

49. Igitur arguitur primo contra actionem immediatam naturæ in formas ſupernaturales non vitales. Repugnat qualitas creata, per quam natura eleuetur ad omnes effectus ſupernaturales ſine fine poſſibiles, quia ſicut eſt limitatæ perfectionis, ita limitatæ virtutis eſſe debet. Quo argumento reijcitur communiter eleuatio naturæ per qualitatem ſuperadditam. Ergo etiam repugnabit actiuitas naturæ creatæ communis ad omnes effectus ſupernaturales ſine fine poſſibiles. Nam etiam entitas aquæ verbi gratia, ſicut finitæ perfectionis, ita, & virtutis finitæ eſſe debet, quemadmodum qualitas ſuperaddita. Neque enim apparet, cur magis poſſit conuenire aquæ actiuitas ad omnes effectus poſſibiles, quam ſupernaturali qualitati. Ergo ſicut hęc actiuitas negatur qualitati ſupernaturali, neganda eſt entitati naturali aquę, & alterius cuiuſuis entis creati. Confirmatur. Perfectio inſtrumenti agentis actiuitate ſibi propria, & identificata, & non virtute deriuata ab agente principali, ſumitur ex perfectione effectus, in quem actionem confert. At perfectio effectus in quem actiuitas immediata naturæ actionem ſupernaturalem confert, eſt illimitata, & infinita. Ergo actiuitas naturę agentis virtute ſibi identificata, & propria erit illimitata, & infinita. Primum argumentum.

50. Hoc argumentum vi caret omnino contra actiuitatem immediatam naturæ mere conditionatam, & non abſolutam, qualis ſolum à nobis conceditur. Vi caret. Ergo, negatur conſequentia. Nam inter qualitatem ſupernaturalem eleuantem naturæ ad omnes effectus poſſibiles, quę communiter reijcitur, & actiuitatem obedientialem naturę identificatam magnum diſcrimen eſt. Quia talis qualitas ponitur abſolute actiua effectus ſupernaturalis, cum ſolo concurſu generalis Dei, qui debitus ſit ad eius actionem, & connexa ordine tranſcendenti cum omnibus effectibus, quorum actiua eſt. At natura ſecundum ſe non aſſeritur à nobis abſolute actiua, ſed ſolum conditionate. Item non eſt actiua ſolo concurſu generali Dei, ſed ſpeciali, & extraordinario auxilio omnipotentiæ diuinę, ſupplente imbecillitatem naturæ. Inſuper tale auxilium adſtruitur naturę indebitum, & gratioſum. Denique natura cum eo auxilio, & effectu ſupernaturali componitur, abſque vlla connexione, & ordine tranſcendenti. Ergo longiſſime diſtat actiuitas immediata naturæ in effectus ſupernaturales ab actiuitate talis qualitatis. Atque adeo repugnanti tali qualitate poteſt non repugnare actiuitas immediata naturę, quæ à nobis adſtruitur. Explicatur, quamuis repugnet qualitas ſupernaturalis potens eleuare naturam rationalem ad omnes actus ſupernaturales vitales ſine fine poſſibiles; tamen non repugnat actiuitas immediata naturæ rationalis, potentis per varia, & infinita auxilia ſupernaturalia intrinſeca, aut extrinſeca, efficere eos actus ſine fine poſſibiles, vt concedunt arguentes, inter quos precipuus eſt Pater Raguſa. Ergo ſimiliter quamuis P. Raguſa.

Digitized by Google

repugnet qualitas ſupernaturalis eleuans naturam irrationalem ad effectus ſine fine poſſibiles, non repugnabit actiuitas naturæ potentis eos efficere per varia auxilia ſpecialia Dei intrinſeca, aut extrinſeca ſine fine poſſibilia. Item repugnat potentia paſſiua naturalis receptiua immediate omnium formarum poſſibilium, tam naturalium, quam ſupernaturalium: tam ſubſtantialium, quam accidentalium, quæ nimirum cum omnibus formis poſſibilibus ordine tranſcendenti connexa ſit, & actiuitatem exigat agentium illarum. Tamen non repugnat potentia obedientialis paſſiua earum omnium formarum, quæ abſque ordine tranſcendenti ad illas formas, & exigentia actiuitatis illarum per extrinſecam eleuationem Dei ſuſceptiua ſit. Ergo latiſſima intereſt differentia inter virtutem naturalem, & obedientialem cauſæ ad omnes effectus generales, vt cauſa naturaliter productiua repugnanti, repugnet quoque ſolum obedientialiter productiua. Ratio à priori eſt, quia actiuitas obedientialis non datur naturæ ex perfectione ipſius naturæ, ſed ex perfectione omnipotentiæ diuinæ eleuantis naturam, & potentis vti quocunque inſtrumento, quamuis inepto ex ſe ad productionem effectus quamuis nobiliſſimi, atque altiſſimi. At actiuitas naturalis qualitatis ſupernaturalis datur ex perfectione ipſius intrinſeca. Quare cuicunque entitati quamuis viliſſimæ poteſt conuenire actiuitas obedientialis; actiuitas vero naturalis in formam ſupernaturalem conuenire non poteſt cuicunque entitati, ſed ſupernaturali, eique perfectiſſimæ in eo genere. Ergo licet actiuitas naturalis per ſe connexa cum effectu teſtetur infinitatem, cum perfectionis collectio, in quam poteſt influere, infinita eſt, minime teſtabitur illam actiuitas obedientialis, quæ ſolum conditionata eſt, & nulla ratione cum effectu connexa. Vnde ad confirmationem reſpondeo. Perfectio inſtrumenti immediate agentis actiuitate ſibi propria ſumitur ex perfectione effectus, quando inſtrumentum eſt ex ſe actiuum abſolute illius, & cum effectu intrinſece connexum: ſecus vero, quando inſtrumentum eſt abſolute actiuum ex eleuatione extrinſeca principalis agentis, & cum effectu minime connexum. Quale eſt inſtrumentum naturale ad productionem formæ ſupernaturalis.

Secundum. 50. Secundo arguitur. Potentia immediate actiua formæ intrinſece ſupernaturalis debet eſſe intrinſece ſupernaturalis, quia natura potentiæ ſpecificatur ab obiecto, & effectu quem reſpicit. At potētia intrinſece ſupernaturalis repugnat idemtificari naturæ. Ergo potentia immediate actiua formæ ſupernaturalis repugnat idemtificari naturæ. Diſtinguo *Explicatur.* maiorem; Si potentia ſit abſolute actiua formæ ſupernaturalis ſecundum eſſe intrinſecum ipſius, & connexa ordine tranſcendenti cum illa, tranſeat. Si ſecundum eſſe intrinſecum non ſit abſolute actiua talis formæ, neque cum illa intrinſece connexa, nego. Nam potentia non ſpecificatur ab obiecto, ſeu effectu, quem intrinſece, & ordine tranſcendenti non reſpicit. At potentia immediate actiua formæ ſupernaturalis, quæ in noſtra ſententia idemtificatur naturæ, non eſt abſolute actiua formæ ſupernaturalis ſecundum eſſe intrinſecum ipſius, ſed ex eleuatione extrinſeca Dei, neque ordine tranſcendenti cum illa connectitur, vt ſuperioribus ſtatuimus. Inſtatur argumentum in actiuitate naturæ rationalis ad actus ſupernaturales vitales, quę immediata eſt, & intrinſece ſupernaturalis, prout eſt virtus partialis diſtincta ab actiuitate habitus ſupernaturalis, quia in eos actus ordine tranſcendenti non refertur.

51. Tertio. Actiuitas productiua gratiæ iuſtificantis, & reliquarum formarum ſupernaturalium eſt participatio Dei ſecundum eſſe actiuum ſupernaturale ipſius. Ergo debet eſſe neceſſario ſupernaturalis. Sicut ipſa gratia iuſtificans ſupernaturalis eſt, quia participat Deum ſecundum modum eſſendi ſupernaturalem ipſius. Nam Deus non ſolum eſt ſupernaturalis quoad modum eſſendi, ſed etiam quoad modum operandi. Ergo vt participatio modi eſſendi eſt ſupernaturalis, ita & participatio modi operandi. Reſpondeo. Etiam hoc argumentum inſtantiam habet in actiuitate naturæ rationalis ad actus intrinſece ſupernaturales, quæ cum immediata ſit, non eſt intrinſece ſupernaturalis, qua parte naturę idemtificatur, & ab habitu ſupernaturali diſtinguitur. Deinde ſola actiuitas principalis abſolute productiua gratiæ iuſtificantis, & ſimpliciter formarum ſupernaturalium, quę non agit per eleuationem alterius agentis principalis, eſt participatio Dei, vt auctoris ſupernaturalis quoad modum agendi; non vero actiuitas inſtrumentalis, quę agit per eleuationem alterius agentis principalis. Sola autem actiuitas inſtrumentalis per eleuationem extrinſecam agentis principalis, abſolute productiua datur à nobis naturæ irrationali ad efficiendum gratiam iuſtificantem, & alias formas intrinſece ſupernaturales. *Tertium.* *Diluitur.*

52. Quarto arguitur à Salmanticenſibus nonnullis. Magis potentia ſunt Sacramenta ad efficiendum gratiam, quam lignum, aut ignis. Ergo non ſunt potentia actiuitate obedientiali ſibi idemtificata. Antecedens eſt certum; nam actiuitas Sacramentorum cognoſcitur à Patribus, & Theologis tanquam virtus ipſis ſpecialis, & ex ſanguine & inſtitutione Chriſti illis conueniens. Conſequentia videtur bona, quia actiuitas obedientialis idemtificata naturæ, communis eſt ligno, & igni cum ablutione aquæ baptiſmalis, & reliquis Sacramentis. Ergo poſſe producere gratiam non conuenit rebus ex virtute ſibi idemtificata, ſed illis intrinſecè ſuperaddita. Confirmatur; Sacramenta dicuntur continere gratiam ratione actiuitatis, qua pollent ad efficiendum illam; lignum autem, & ignis non dicuntur continere gratiam. Ergo actiuitas Sacramentorum non idemtificatur entitati naturali ipſorum, quę igni, & ligno communis eſt. Reſpondeo. Sacramenta ſecundum eſſe ipſorum non ſunt magis potentia ad efficiendum gratiam, quam lignum, & ignis; ſecundum eſſe extrinſecum *Quartum.* *Confirmatur.* *Ad quartum.*

Digitized by Google

eleuationis diuinæ magis potentia ſunt. Quia ſecundum eſſe intrinſecum vtraque ſunt ſolum ſub conditione potentia, ſecundum eſſe extrinſecum vero Sacramenta ſunt potentia abſolute, non vero ignis, & lignum; quia omnipotentia diuina ex decreto diuinæ voluntatis parata eſt eleuare Sacramenta ad efficiendum gratiam, non vero ignem, aut lignum. Ergo cum potentia abſolute actiua coaleſcat ex entitate intrinſeca naturæ, & ex eleuatione extrinſeca Dei; hæc autem eleuatio adſit Sacramentis parata, & non aliis entibus naturalibus, ſolis Sacramentis adeſt potentia abſolute, & ſimpliciter productiua, & non aliis entibus naturalibus. Idem dicito ad confirmationem. Nempe Sacramenta ſecundum aliquod ipſis intrinſecum pręciſe non continent gratiam, ſed ſecundum eſſe intrinſecum coniunctum cum eleuatione extrinſeca, quæ ſolis Sacramentis lege diuina adeſt parata, & non aliis entibus naturalibus. Atque ita ſola Sacramenta ſimpliciter continent gratiam, & non alia entia naturalia. Vrgent, rem, quæ ſecundum eſſe intrinſecum non eſt abſolute potens, neque continens effectum, non poſſe reddi potentem neque continentem effectum per aliquod extrinſecum. Sed diſtinguo, non poteſt per extrinſecum adæquate reddi potens, & cōtinens effectum, concedo, inadæquate nego, vt ſectione ſequenti ad argumenta contra poſteriorem partem noſtræ ſententiæ exponemus.

Ad confirmationem.

Quintum.

53. Quinto arguunt iidem. Actiuitas identificata naturæ non eſt in ſuo genere incompleta, neque completa. Ergo nulla eſt. Non eſt incompleta. Tum quia alias eſſet principalis, cum virtus Dei, per quam in ſuo genere completur, principalis ſit. Tum quia alias exigeret auxilium neceſſarium ad productionem formæ ſupernaturalis, cum omnis virtus incompleta ſuapte natura exigat compleri. Neque eſt completa. Tum quia alias omnis creatura totaliter in ſuo genere contineret gratiam, cum etiam inſtrumentis competat continere effectum: nam Tridentinum Seſſ. 6. c. 7. decernit baptiſmum eſſe inſtrumentum iuſtificationis, & ſeſſ. 7. can. 6. docet, Sacramenta continere gratiam. Tum quia aliàs entitas naturalis ordine tranſcendenti referretur, & inclinaret in effectum ſupernaturalem; cum hæc ſit differentia potentiæ actiuæ, atque paſſiuæ, vt actiua ſit ad dandum perfectionem effectui, atque adeo ex ſe inclinat in illum; paſſiua verò ad recipiendum, atque adeo ex ſe in illum non inclinat, cum ex ſe recipere poſſit plures formas, quæ naturæ ipſius potentię contrariæ ſunt iuxta efficacitatem agentium, quæ illas in ſubiectum inducunt. Ergo neque completa, neque incompleta eſſe poteſt virtus actiua formæ ſupernaturalis identificata naturæ. Reſpondeo. Argumentum duabus inſtantiis eneruatur. Altera eſt; virtus naturæ rationalis ad actus ſupernaturales, quæ in arguentium opinione eſt immediatè actiua illorum. Nam ſi incompleta eſt, poſtulabit compleri per auxilia intrinſece ſupernaturalia, quæ ſubinde erunt debita naturæ. Si completa eſt, continebit totaliter eos actus, & ordine tranſcendenti referetur, & inclinabit in illos, præſertim cum eorundem exiſtimatione talis actiuitas principalis ſit. Quæ duo negari debent naturæ rationali agenti actus ſupernaturales, ſicut naturæ irrationali agenti gratiam neganda ſunt. Altera eſt virtus immediate paſſiua gratiæ iuſtificantis, quæ ſi incompleta eſt, vendicabit complementum virtutis actiuæ; ſi vero completa eſt ordine tranſcendenti referri debet, & inclinare in gratiam iuſtificantem; Nam licet potentia paſſiua non propendeat in formas ſibi repugnantes, tamen in formas ſuæ naturæ conuenientes propendere poteſt. Formæ autem ſupernaturales naturæ creatę conuenientiſſimæ ſunt, vtpotę, quæ ipſam altiſſime perficiunt, etiam in ordine ad finem naturalem, in quem deſtinantur. Deinde nullam virtutem abſolute actiuam completam, aut incompletam damus naturæ ad efficiendum quidpiam intrinſece ſupernaturale; ſed virtutem actiuam ſecundum quid, ſcilicet mere conditionatam, quæ cum exiſtentia conditionis, hoc eſt, cum extrinſeca eleuatione Dei virtutem aliquam abſolute productiuam rerum ſupernaturalium conſtituat. Hæc autem virtus in ſuo genere incompleta, & completa vario ſignificato dici poteſt. Incompleta quidem, quia ſola non ſufficit efficere gratiam, aut potentiam abſolute effectiuam gratiæ conſtituere, ſed indiget acceſſione alterius ſuperioris, at eminentioris actiuitatis, vt efficiat gratiam, eiuſque abſolute effectiua reddatur. Completa vero in ſuo genere, quià actiuitas, quæ ad agendum illi accedit, alterius generis, ac ſuperioris actiuitatis eſt. Vnde voces ſolæ ſunt, quæ hoc argumentum conficiunt.

Tridentinum.

Eleuatur.

54. Neque iam nunc quidquam efficiunt probationes vtriuſque membri. Quæ haberent vim, ſi actiuitas naturæ eſſet abſolutè productiua effectus ſupernaturalis, cum illoque ordine tranſcendenti connexa. Non tamen vbi ſolum mere conditionata eſt, & nullo ordine tranſcendenti cum effectu connexa. Etenim explicato ſenſu incompleta eſſe poteſt; quamuis ſit inſtrumentalis, & completa per virtutem principalem; nam ex virtute inſtrumentali, & principali non obſtat integrari vnam virtutem completam, præſertim cum inſtrumentalis ſolum, ſub conditione virtutis principalis actiua eſt: plura enim in cauſando diſtantiſſima conueniunt in compoſitionem vnius, vt corpus, & ſpiritus, ſubſtantia, & accidens, res, & modus. Ergo etiam plura in agendo diſtantia conuenire poſſunt in conſtitutionem vnius cauſæ integrè, & completè agentis. Neque propterea virtus incompleta vendicabit complementum alterius partis, quia non eſt virtus abſolute productiua, neque ex natura ſua pars conſtitutiua virtutis completæ, cum ob imbecillitatem ſuæ virtutis, & perfectionis non ſit connexa cum effectu, neque cum alia parte complente abſolute actiuitatem ipſius. Sola autem

Plenior explicatio argumenti.

virtus

Digitized by Google

virtus incompleta, quæ abſolute productiua eſt effectus, cum illoque connexa, & ſuapte natura pars conſtituens virtutem completam, exigit compleri per aliam. Similiter poteſt eſſe virtus naturæ explicato ſenſu in ſuo genere completa, quin ſecundum ſuum eſſe intrinſecum abſolute contineat effectum ſupernaturalem; nam abſolute non continetur effectus niſi in virtute abſolute productiua illius: virtus autem naturæ ſecundum eſſe intrinſecum non eſt abſolute productiua effectus ſupernaturalis; ſed vt coniuncta cum virtute extrinſeca Dei dumtaxat. Ac tandem in effectum ſupernaturalem neque ordine tranſcendenti referri, neque innata inclinatione ferri debet, quia id ſolius eſt virtutis ſecundum eſſe intrinſecum abſolute productiuæ, non vero virtutis, quæ ſecundum eſſe intrinſecum, non eſt abſolute ſed ſolum conditionate productiua, effectuque repugnanti eadem ſecundum eſſe intrinſecum ſupereſſet. Qualis à nobis aſſerta eſt actiuitas immediata naturæ in effectus ſupernaturales.

Sextum. 55. Sexto ab eiſdem obijcitur. Virtus immediata naturæ aſſeritur à ſuis autoribus inſtrumentalis, quia concurrit ad effectus ordinis ſuperioris. Vnde ſequuntur duo inconuenientia. Alterum, aquam efficientem calorem non eſſe cauſam inſtrumentalem, cum calor non ſit ordinis ſupernaturalis. Neque obeſt, eius proceſſionem ab aqua eſſe ſupernaturalem quoad modum; nam viſus efficiens viſionem in abſentia obiecti, cum miraculoſe conſeruatur ſpecies à Deo, non eſt cauſa inſtrumentalis, quamuis talis actio quoad modum ſupernaturalis eſt. Alterum voluntatem, & intellectum eſſe cauſas inſtrumentales in actus intrinſece ſupernaturales. Quod dici non debet, cum habitus ſupernaturalis in noſtra ſententia ſit cauſa partialis principalis, atque ita altera cauſa compartialis principalis debeat eſſe potentia vitalis. Item quia habitus ſupernaturalis eſt virtus data potentiæ vitali, vt agat ſuos actus, atque ita habitus ſolum agens *vt quo*, & cauſa principalis agens *vt quod*, debet eſſe potentia vitalis.

Occurritur. Reſpondeo. Virtus naturæ eſt inſtrumentalis, quia non eſt ſecundum eſſe intrinſecum abſolute actiua effectus, in quem eleuatur, ſed ſolũ per eleuationem extrinſecam Dei. Vnde aqua eſt cauſa inſtrumentaliter efficiens calorem, nõ vero viſus efficiens in abſentia obiecti viſionẽ, quia aqua ſecundũ eſſe intrinſecum non continet calorem per virtutem abſolute productiuã illius, & ordine tranſcendenti connexam cum illo, viſus vero abſolute continet viſionem per virtutem intrinſecam abſolute productiuam ipſius, & ordine tranſcendenti connexam cum illa. Quare actio aquæ in calorem intrinſece ſupernaturalis eſt; actio vero potentiæ viſiuæ in viſionem obiecti abſentis eſt intrinſece naturalis. Item potentia vitalis eſt cauſa inſtrumentalis actus intrinſece ſupernaturalis, quã efficiẽs eſt, propter eandem rationem, vt ſtabiliuimus cum pluribus Theologis diſp. 31. quamuis quã vitalis eſt, ſit cauſa principalis, vt ibidem expoſuimus. Neque obſtat, habitũ eſſe cauſam principalem, & partialẽ, nam ex cauſa principali, & inſtrumẽtali integrari optime poteſt vna cauſa completa, vt nuper dicebamus. Neque etiam obſtat, habitum eſſe virtutem agentem *vt quo*; tum quia habitus non eſt virtus potentiæ, ſed Dei, cuius ſemen aſſeritur à ſacris ſcriptoribus, vt eadem diſputatione mõſtrauimus; tum quia ea ratione ſolum colligitur potentiam eſſe cauſam principalem mediatam, non vero immediatam, aut eſſe principalẽ, qua vitalis eſt. Quæ noſtræ doctrinæ aduerſaria non ſunt. Prçterea habitus etiam inter cauſas inſtrumentales Dei numerari poteſt, vt eadem diſputatione oſtendimus.

SECTIO OCTAVA.

Aliorum argumentorum explicatio contra priorem partem noſtræ ſententiæ.

57. Rurſus ſeptimo arguitur contra immediatam actionem naturæ in formas ſupernaturales non vitales. Cum creaturæ per obedientialem actiuitatem ponantur in actu primo actiuæ, non habent vnde determinentur ad actum ſecundum. Nam à Deo determinari non poſſunt, cum voluntas extrinſeca Dei nihil ad extra conſtituat, quo creaturæ determinentur. Abſque aliquo autem creaturis intrinſeco per meram extrinſecam aſſiſtentiam Dei determinari non poſſunt. Ergo obedientiali actiuitate non poſſunt creaturç in actum ſecundum exire? Reſpondeo. Hoc argumentum inſtantiam habet in actiuitate naturali, quæ in actu primo potens determinatur à Deo ad agendũ hunc indiuiduum effectum, potius quàm illũ voluntate extrinſeca Dei, quin aliquod prçuiũ creaturæ intrinſecum imprimatur illi. Determinatur ergo creatura, v.g. aqua ad productionem gratiæ iuſtificantis; quia gratia producibilis eſt à Deo duplici genere actionis; altera, quæ à ſolo Deo pendens ſit; altera, quæ pendeat à Deo, & creatura ſimul. Deus autem decernit, vt gratia efficiatur ea actione, quæ eſſentialiter ab ipſo Deo, & ſimul entitate aquæ pendens eſt, non vero ea, quæ eſſentialiter pendet à ſolo Deo. Sicut determinat hunc calorem indiuiduum præ alio, quia licet ignis ſecundum ſe indifferens ſit ad plures indiuiduos calores, Deus tamen decernit vt ignis efficiat calorem actione; quæ ad hunc indiuiduum calorem determinata ſit. Nam eo ipſo; quod vna cauſa determinat actionem, reliquæ cauſæ ad eandem determinantur, vna enim cauſa determinata ad agendum cum alia ſecum trahit actionem alterius, eo ipſo quod ad actionem ab vtraque pendentem determinetur; vt voluntas creata determinat actionem habitus, quamuis nihil antecedens imprimat habitui: quia eo ipſo, quod voluntas ſuam actionem eſſentialiter pendentem ab habitu determinat, illicò habitus ad eandem determinatur, quia ea actio ab vna cauſa procedere non poteſt, quin ſimul procedat ab alia.

Septimum. Inſtatur. Euertitur.

Digitized by Google

Octauum. 58. Octauo. Quæuis creatura non poteſt eleuari ad intelligendum, & volendum. Ergo neque eleuari poteſt ad efficiendum gratiam, & quemuis alium effectum non contentum in virtute naturali ipſius. Nulla enim apparet ratio quare lapis poſſit eleuari ad efficiendum gratiam, & non ad intelligendum, & volendum, cum ex ſe tam improportionata ſit ad efficiendum gratiam, & ad efficiendum intellectionem, & volitionem. Reſpondeo. Hoc argumentum omnibus ſoluendum eſt. Ab iis quidem, qui admittunt potentiam obedientialem agentem per virtutem ſuperadditam; quia ſicut datur lapidi virtus ſuperaddita ad efficiendum gratiam, videtur eadem ratione poſſe dari virtus ſuperaddita ad intelligendum, & volendum. Ab iis vero, qui negant omnino actiuitatem obedientialem; quia ab eiſdem admittitur potentia obedientialis immediata paſſiua gratiæ, & aliarum formarum ſupernaturalium non vitalium. At intelligere, & velle, vt fert communis ſententia philoſophorum, non conſiſtit in actione, ſed in paſſione qualitatis vitalis intelligendi, & volendi. Item quia ab eiſdem conceditur intellectui, & voluntati actiuitas immediata ad actus vitales ſupernaturales, qui ſuperant actiuitatem potentiarum vitalium. Nihilominus viſus, & auditus corporeus non poſſunt eleuari ad intelligendum, & volendum, quamuis virtutem naturalem contineant aliquo modo inchoatam ad intelligendum, & volendum, cum potentiæ vitales ſint, & aliqua ratione cognoſcentes obiectorum. Igitur ea ratione lapis non poteſt intelligere, & velle, quia non eſt ſubiectum connaturale intellectionis, & volitionis, nempe quod ab intellectione, & volitione exigatur intrinſece. Non eſt autem intelligens, & volens niſi ſubiectum quod ab intellectione & volitione naturaliter exigitur, licet intellectio, & volitio à ſubiecto non exigantur. Sunt enim plures effectus formales, qui non tribuuntur à formis cuicunque ſubiecto, ſed ſubiecto determinatæ conditionis, atque naturæ, vt vnio hypoſtatica tribuit animæ Chriſti domini eſſe gratam, & animam Dei, quod non tribuit vnio hypoſtatica corpori Chriſti domini, cui inhæret: eiuſmodi eſt effectus formalis intelligendi, & volendi, qui non exhibetur cuicunque ſubiecto per intellectionem, & volitionem, ſed naturæ rationali dumtaxat, quam intellectio, & volitio connaturaliter exigunt. Item cum intelligere, & velle conſiſtat in actione, & lapis poſſit eleuari ad agendum intellectionem, & volitionem, ideo non poteſt lapis intelligere, & velle, quia cui actiuitas obedientialis vitalis non eſt; tum quia nō exigitur ab intellectione, & volitione, vt exigitur ab actu charitatis, & viſionis beatæ actiuitas intellectus, & voluntatis. Tum quia lapidis actiuitas obediētialis non eſt determinata ad agendū immanenter, cum æquè poſſit tranſeunter efficere. Actiuitas vero vitalis debet eſſe ab intrinſeco determinata ad agendum immanenter, ſicut eſt actiuitas intellectus, & voluntatis, vt lib. de anima definiuimus.

Repellitur

Nonum. 59. Nono arguunt Recentiores. Si poſſet quæuis creatura immediate agere gratiam, & alium quemuis effectum abſque virtute ſuperaddita, poſſent ſimiliter relationes diuinæ, quę ex ſe non ſunt actiuæ ad extra, efficere creaturas immediate per actionem tranſeuntem, cum omnipotentia diuina poſſit illis aſſiſtere abſque vlla imperfectione, ſicut aſſiſtit creaturis. Vnde poſſet vna perſona agere aliquid ad extra, quod alia perſona non efficeret. Hoc autem eſt contra commune Theologorum aſſertum, ſtatuentium omnes actiones ad extra eſſe communes tribus perſonis.

60. Dices primo, cum Patre Albertino qu. 1. Theol. 2. prin. phil. dub. 1. num. 7. diſcrimen eſſe inter relationes diuinas, & creaturas; quod creaturæ, cum ſint inferioris naturæ, & conditionis quàm Deus, poſſunt obedire imperio diuino, eiuſque eleuationi ſubeſſe; ſecus vero relationes diuinæ, cum ſuapte natura ſint realiter æquales cum Deo. Sed contra. Hic poteſt differi de voce, aut de re. De re eſt, an re ipſa Paternitas diuina auxilio omnipotentiæ poſſit efficere quidpiam creatum, in quod Filiatio non influat, per actionem eſſentialiter pendentem ab omnipotentia diuina, & Paternitate ſimul, & non à Filiatione. De voce eſt, an ea poteſtas dicenda ſit obedientialis. Quidquid ſit de voce talis poteſtatis, cur non poteſt Paternitas diuina ex ſe non actiua, reddi actiua per poteſtatem omnipotentiæ diuinæ, & decretum diuinæ voluntatis, ſtatuentis, vt actio tranſiens etiam à Paternitate pendeat, & non à Filiatione. Non ratione ſubiectionis, & inferioritatis, ſed ratione coniunctionis cum omnipotentia diuina, & maximæ perfectionis omnipotētiæ, quæ ſicut effertur per actionem creaturæ intrinſece non actiuæ, efferri poteſt per actionem Paternitatis ad extra nō actiuæ, vt id quod creaturæ datur titulo ſubiectionis, detur Paternitati titulo coniunctionis; ſiquidem eo pacto latius ac perfectius porrigitur ſphæra modi agendi omnipotentiæ diuinæ. Explicatur. Poteſt Paternitas diuina, poteſtate abſoluta Dei concurſum obiectiuum efficientem conferre in viſionem beatam creaturæ, quem non cōferat realiter Filiatio; nam mihi probabiles ſunt duæ ſententię Theologis frequētes; altera poſſe videri naturam diuinam ſine relationibus, & vnam relationem directe, & immediate ſine alia directe, & immediate viſa; altera, concurſum efficientem per modum obiecti non præſtari ab omnipotentia diuina, qua omnipotentia eſt, ſed à natura, & reliquis perfectionibus diuinis immediate viſis. Quibus poſitis conſequens eſt, poſſe Paternitatem concurſum efficientem obiectiuum exhibere, quin eum exhibeat Filiatio, nempe ſi immediate, & directe videatur Paternitas, quin immediate, & directe videatur Filiatio. Ergo ſimiliter poterit poteſtate abſoluta Dei præſtare actionem immediatam in productionem gratiæ, quam Filiatio non præſtet per omnipotentiam, decreto libero Dei aſſiſtentem Paternitati, & non Filiationi. Inſuper; potentia obedientialis creaturarum non ſolum eſt acti-

P. Albertinus non recte ſoluit.

Digitized by Google

ua, & paſſiua, ſed etiam terminatiua, vt infra dicemus. Tamen poteſtate abſoluta Dei poteſt vna relatio terminare vnionem hypoſtaticam, quam alia non terminat. Ergo etiam poterit agere.

Neque recentiores ſoluunt.

61. Dices ſecundo cum recentioribus, relationem diuinam ex ſe non actiuam vnionis hypoſtaticæ, non poſſe agere illam actiuitate principali, ſed inſtrumentali dumtaxat. At inſtrumentalem actiuitatem repugnare relationi diuinæ in aliquid creatum; tum quia perfectior eſt quocunque ente creato; tum quia ratio inſtrumenti continet imperfectionem potentię. Sed contra. In primis res perfectior poteſt aſſumi inſtrumentum ad producendum imperfectiorem, quam in virtute naturali intrinſeca non continet, vt gratia iuſtificans ad efficiendum immediate actum fidei, & habitus charitatis ad efficiendum actum religionis, & Angelus ad efficiendum vbicationem Euchariſticam. Deinde imperfectio cauſæ inſtrumentalis ſita eſt in eo, quòd poteſtate à ſe diſtincta reddatur potens efficere id, quod actiuitas ſibi intrinſeca efficere non poteſt. At paternitas non redderetur potens poteſtate à ſe realiter diſtincta, cum omnipotentia diuina, & decretum liberum Dei realiter identificentur Paternitati. Ergo abſque imperfectione poſſet munus cauſæ inſtrumentalis obire. Explicatur; paternitas imperfecta non eſt, quòd ſecundum eſſe relatiuum virtualiter ab omnipotentia diſtinctum virtute careat agendi res creatas, cum de facto aſſeratur ſecundum eſſe relatiuum non actiua illarum. Aliunde poſſe efficere creaturas virtute omnipotentiæ diuinæ, ſibi realiter intrinſeca, & virtualiter ſolum extrinſeca, nullam præ ſe fert imperfectionem, ſed potius ſecundum eſſe poſitiuum talis poteſtatis perfectionem notat. Ergo. Quin potes, ſi velis, relationem excludere à ratione cauſæ inſtrumentalis, quia non ageret virtute accepta ab alio ab ipſa realiter diſtincto, provt videtur deſiderari communiter ad rationem cauſę inſtrumentalis, & etiam potentię obedientialis. Ergo reipſa poterit relatio diuina abſque vlla imperfectione conſtitui actiua creaturarum.

Neque tertio alij.

62. Dices tertio cum aliis, fere imperfectionem omnipotentiæ diuinæ poſſe relationes efficere creaturas auxilio ſuę poteſtatis, quia omnipotentia diuina eſt virtus Dei, deſtinata ad agendum creaturas omnimodo, quo illę producibiles ſunt. Si autem creaturæ poſſent fieri ab alio attributo, quàm ab ipſa omnipotentia diuina, detraheretur omnipotentiæ modus ille producendi; qui tribueretur relationi, aut alio attributo diuino. Sed contra. Primo, quia relationi diuinę, & reliquis perfectionibus Dei conuenit concurſus obiectiuus efficiens viſionis beatæ, qui non præſtatur immediate à ſola omnipotentia diuina, ſed ab omnibus perfectionibus Dei immediate viſis per illam. Ergo omnis concurſus efficiens Dei in creaturas non eſt ſolius omnipotentiæ diuinæ. Secundo modus agendi relationis per auxilium omnipotentiæ diuinę non minuit perfectionem omnipotentiæ, ſed potius auget, ſicut auget illam modus agendi creaturæ per obedientialem potentiam eleuatam auxilio omnipotentię. Tum quia eo pacto vlterius extenditur actiuitas omnipotentiæ, cum extendatur ad agendum creaturam ſimul cum relatione. Tum quia ea actiuitas non datur relationi ex actiuitate intrinſeca relationis, ſed ex actiuitate virtualiter extrinſeca omnipotentię diuinæ, reddentis ipſam abſolute actiuam creaturarum, vt eadem datur creaturæ ad efficiendum gratiam ex virtute omnipotentiæ diuinę, & non ex virtute creaturæ abſolute productiua ipſius. Ergo abſque decremento perfectionis omnipotentiæ diuinę poteſt relatio conſtitui actiua ad extra per auxilium ipſius omnipotentiæ.

63. Propterea mihi, ſtando rationi, improbabile non ſit, poſſe relationes diuinas poteſtate abſoluta Dei reddi actiuas creaturarum, ſicut creaturæ conſtituuntur actiuæ eorum, quæ virtute ſibi naturali, & intrinſeca efficere nequeunt. Quamquam omnino affirmare non auſim, dum alicuius grauis Theologi iudicium deſidero. Ergo ad negandum ratio eſſe poteſt; quia relationes diuinæ ſecundum ſuum eſſe relatiuum intrinſecum non ſunt abſolute actiuæ creaturarum. Si autem eſſent actiuæ ſub conditione poteſtatis omnipotentiæ diuinæ, eſſent abſolute actiuæ, ſiquidem ſecundum ſuum eſſe intrinſecum connexa ſunt abſolute cum omni perfectione poteſtatis diuinæ; res autem, quæ eſt actiua effectus ſub conditione aliqua, cum qua abſolute connexa eſt, actiua eſt abſolute effectus; cum ſecundum ſuum eſſe intrinſecum exigat abſolutam exiſtentiam conditionis. At relationes diuinas eſſe abſolute connexas cum omni perfectione poteſtatis omnipotentiæ exploratum eſt, cum ex ſe identificentur realiter omni perfectioni omnipotentiæ diuinæ. Ergo relationes diuinæ ſecundum ſuum eſſe intrinſecum non ſolù ſub conditione, verum etiam abſolute eſſent actiuæ creaturarum. Scio plura reſponderi poſſe ad hanc rationem. Sed de iis ſermo erit ſectione ſequenti, cum expendamus actiuitatem abſolutam partim extrinſecam creaturarum.

Verior reſponſio.

Decimum, Cabrera.

64. Decimo arguit Cabrera. Nulla virtus propria alicuius agentis deriuatur in aliud, niſi per facultatem intrinſecam realiter illi ſuperadditam, vt virtus calefactiua propria ignis non conuenit aquæ, niſi per calorem illi intrinſece inhærentem. At virtus productiua gratiæ iuſtificantis, & aliarum formarum intrinſece ſupernaturalium, non eſt propria naturę, ſed Dei autoris ſupernaturalis. Ergo cõmunicari creaturæ non poteſt, niſi per virtutem aliquã intrinſecã realiter ſuperadditam. Atque adeò non poterit eſſe immediata. Confirmatur; Magis potens eſt natura rationalis ad actus vitales intrinſece ſupernaturales, quã natura irrationalis ad gratiã iuſtificantẽ, & alias formas non vitales. Tamen iuxta Concilia, ac Patres Eccleſiæ neceſſaria eſt gratia intrinſeca ad actus ſupernaturales vitales. Ergo etiã erit neceſſaria aliqua virtus ſuper-

Confirmatio.

Digitized by Google

naturalis intrinſeca ad gratiam iuſtificantem, & reliquas formas non vitales. Ad argumentum. Reſpondeo diſtinguendo maiorem; Virtus principalis, & abſolute actiua, propria alicuius agentis non deriuatur in aliud, niſi per aliquid ipſi ſuperadditum, tranſeat. Virtus inſtrumentalis, & ſolum actiua ſub conditione, & non abſolute, nego. Virtus calefactiua conueniens aquæ per calorem eſt principalis, & abſolute actiua; virtus vero naturæ actiua gratiæ iuſtificantis eſt merè inſtrumentalis, & actiua ſolum ſub conditione. Iterum; virtus ad agendum effectum aliquem proprium vnius cauſæ creatæ, & finitæ non poteſt conferri; niſi addita aliqua facultate ipſi inhærenti, tranſeat. Virtus ad agendum effectum aliquem proprium cauſæ increatæ, & infinitæ, nego. Nam virtus cauſæ creatæ, cum finita ſit, non habet facultatem vtendi quocunque inſtrumento, niſi ex ſe intrinſece apto ad efficiendum illum. Virtus vero cauſæ increatæ, cum ſit infinita, poteſt, quo voluerit inſtrumento quamuis intrinſece inepto, vti, ad productionem ſui effectus, vt dicebamus diſputatione præcedenti num. 8. Ad confirmationem. Ad confirmationem. In primis non eſt neceſſaria gratia intrinſeca ad omnes actus ſupernaturales vitales; nam illi, qui indeliberati, ac ſimplices, ſeu inefficaces ſunt, fiunt per auxilium extrinſecum, vt oſtendimus diſputat. 35. Deinde actus deliberati intrinſece ſupernaturales fieri poſſunt diuinitus abſque auxilio gratiæ intrinſece ſupernaturalis, præcedentibus ſolis cogitationibus, & affectionibus naturalibus, vt oſtendemus diſp. 48. Nam Eccleſiæ Patres, & Concilia ſolum diſſeruerunt de auxiliis; quæ ex natura rei neceſſaria ſunt, non vero de iis, quæ diuinitus deſiderantur. Rurſus eſto, illuſtrationes, & affectiones ſupernaturales etiam diuinitus ſint neceſſariæ ad actus deliberatos. Tamen non ſunt neceſſariæ influentes in genere cauſæ efficientis, ſed formalis, ac moralis dumtaxat. Nam poſſe eos actus fieri per auxilium efficiens ſolum extrinſecum, ſtatuimus diſput. 34. At nunc ſolum agimus de virtute efficiente neceſſaria ad agendum gratiam iuſtificantem, & alias formas non vitales. Denique eſto gratia ſupernaturalis intrinſeca, & efficiens diuinitus requiratur ad eos actus, tamen non requiritur tanquam virtus adæquata, ſed partialis, ita vt præter illam etiam ipſa natura immediatum influxum conferat in eos actus, vt manifeſtum fecimus diſp. 30. Ergo ex neceſſitate gratiæ internæ influentis in actus ſupernaturales vitales male arguitur neceſſitas virtutis ſuperadditæ influentis in gratiam iuſtificantem, & ſimiles formas.

Poſtremũ.

65. Demum ab omnibus opponitur. Vt naturæ conueniat actiuitas immediata in gratiam iuſtificantem, aut aliud donum ſupernaturale, requiritur virtus aliqua inchoata, & incompleta naturæ intrinſeca, quæ per eleuationem diuinam compleatur. At ad efficiendum gratiam iuſtificantem, aut aliud donum ſupernaturale nulla præcedit virtus inchoata, & incompleta naturæ intrinſeca. Nam ea debet eſſe virtus aliqua naturalis actiua effectiuum ſimilium effectibus ſupernaturalibus, qualis reperitur in intellectu, & voluntate ad efficiendum cognitionem, & amorem ſupernaturalem. In lapide autem, & ligno nulla talis virtus inuenitur, quę ad efficiendum gratiam, aut aliam formam ſupernaturalem conferre poſſit. Ergo naturæ non conuenit actiuitas immediata in eiuſmodi formas ſupernaturales. Sed huic argumento, & aliis ſimilibus, quæ æque oppugnant phyſicam actiuitatem intrinſecam immediatam, ac mediatam naturæ in eas formas ſupernaturales, ſatisfecimus diſputatione præterita ſectione 1. Reiicitur ex dictis.

SECTIO NONA.

Diluuntur argumenta contra poſteriorem partem noſtræ ſententiæ.

66. Iam argumenta contra ſecundam noſtræ ſententiæ partem diluamus; nimirum præter actiuitatem conditionatam naturæ, conſtitui eſſentialiter actiuitatem abſolutam etiam partialem, eleuatione extrinſeca omnipotentiæ, & voluntatis diuinæ. Obiectio prima. Obijci primo poteſt. Res nulla ratione potens non poteſt reddi potens per virtutem omnino extrinſecam, vt contra primam ſententiam arguebamus ſectione 1. Ergo neque natura abſolute, & ſimpliciter impotens etiam partialiter, reddi poteſt abſolute, ac ſimpliciter potens per virtutem omnino extrinſecam. Nam ſicut non poteſt acquiri potentia abſolute, & ſimpliciter per aliquid extrinſecum naturæ, ita nec poterit augeri. Nam ſi poteſt natura abſolute, ac ſimpliciter impotens, fieri abſolute, ac ſimpliciter potens per virtutem aſſiſtentem Dei, etiam nulla præcedente actiuitate ex parte naturæ poſſet extrinſece fieri potens. Etenim eâ ratione, qua natura poteſt reddi magis potens, etiam poterit reddi ſimpliciter, & abſolute potens. Confirmatur; natura colligitur intrinſece actiua contra primam ſententiam, quia actu agit actione eſſentialiter pendenti ab entitate intrinſeca naturæ. Ergo quia abſolute, & ſimpliciter agit actione abſolute, & immediate pendenti ab entitate intrinſeca naturæ, colligi debet abſolute, ac ſimpliciter actiua ſecundum entitatem intrinſecam. Nam ſicut valet conſequentia ab actu agendi ad potentiam intrinſece actiuam, valere debet ab actu agendi abſolute ad potentiam intrinſecam abſolute actiuam. Rurſus confirmatur. Res intrinſece impotens non poteſt reddi potens abſque aliqua mutatione intrinſeca; quoniam eſſe potentem notat perfectionem intrinſecam rei. Ergo ſi eleuatione extrinſeca Dei non imprimitur naturæ aliquid intrinſecum, præcedit natura ſeorſim ab eleuatione intrinſece potens aliquo genere potentiæ abſolute actiuæ. At per conſequens non conſtituitur virtute extrinſeca aſſiſtenti Dei abſolute, ac ſimpliciter potens.

Digitized by Google

Explicatione terminorum eleuatur.

67. Hoc argumentum explicatione terminorum diluitur. Virtus actiua intrinſeca non eſt aliud, quàm aptitudo intrinſeca rei, vt ab eius entitate phyſice, & eſſentialiter pendeat aliqua actio effectus. Virtus verò intrinſeca, abſolute actiua inſuper deſiderat connexionem entitatiuam cauſæ cum effectu. At repugnat rem aliquam efficere gratiam, verbi gratia, quin actio aliqua, qua gratia efficitur, pendeat phyſice, & eſſentialiter ab illa; nam vbi actio gratiæ ab entitate intrinſeca illius non pendet, nequit res phyſice influere in gratiam. Poteſt tamen actio aliqua gratiæ pendere eſſentialiter ab entitate rei creatæ, quin entitas talis rei connexa ſit entitatiue cum gratia, ſicut paſſio gratiæ pendet eſſentialiter ab entitate naturæ rationalis, quin entitas talis naturæ cum gratia connexa ſit. Etenim ad dependentiam eſſentialem actionis gratiæ à lapide, ſolum requiritur connexio eſſentialis actionis gratiæ cum entitate lapidis. Poteſt autem actio gratiæ connecti cum lapide, quin mutuo lapis cum actione gratiæ connexus ſit; nam inter effectum, & cauſam poteſt eſſe connexio eſſentialis non mutua, vt inter vnionem, & extrema, inter decretum efficax creandi quantitatem, & ipſam quantitatem. Vnde rem intrinſece potentem ſolùm ſub conditione, fieri abſolute potentem, non eſt fieri magis potentem eodem genere potentiæ, ſed diuerſo, nempe ſupra capacitatem obedientialem intrinſecam, vt ab ea pendeat actio, obtinere connexionem aliquam cum illa. Quam connexionem habere poteſt extrinſecam quando ei adiungitur aliud comprincipium cum actione connexum; vt res ſecundum ſe indifferens, poteſt à principio determinato extrinſecè ad actionem determinari: verbi gratia potentia cognoſcitiua indifferens ad varias cognitiones poteſt determinari ab obiecto præſenti ſibi extrinſeco ad cognitionem ſingularem ipſius. Sicut enim cauſa non connexa intrinſece cum exiſtentia effectus poteſt extrinſece cum illa connecti, ita non connexa intrinſece cum poſſibilitate effectus, poteſt extrinſecè obtinere connexionem cum illa. Itaque res non poteſt conſtitui phyſice potens per virtutem adæquate extrinſecam, quia res phyſice potens debet ſecundum entitatem ſibi intrinſecam terminare dependentiam eſſentialem actionis; poteſt tamen conſtitui abſolute potens per virtutem inadæquatam ſibi extrinſecam, quia ex coniunctione cum alio principio poteſt acquirere connexionem cum effectu poſſibili, quam eius natura intrinſece non habet. Vnde ad primam confirmationem reſpondeo, ab actu agendi phyſice recte inferri aliquam rationem intrinſecam potentiæ ſaltem inadæquatæ, & conditionatæ, quia ab entitate intrinſeca rei agentis debet eſſentialiter pendere actio; ab actu vero agendi abſolute ſolum deprehendi potentiam abſolute actiuam, non vero adequate intrinſecam, quia connexio cum effectu, quam potentia abſolute actiua complectitur; poteſt rei agenti conuenire ab extrinſeco. Similiter ad ſecundam confirmationem. Natura ſecundum ſe eſt intrinſece impotens ad agendum immediate quidpiã ſupernaturale cum principiis naturalibus, non vero ad agendum immediate cum principiis ſupernaturalibus, & eleuatione extrinſeca Dei, ſub qua ratione intrinſece potens eſt. At res intrinſece impotens ad agendum cum principiis naturalibus, potens vero intrinſece ad agendum ſub conditione eleuationis diuinæ, poteſt reddi abſolute potens abſque intrinſeca mutatione, ſola poſitione extrinſeca eleuationis diuinæ. Res tota declaratur exẽplò affectus abſolutè inefficacis, & efficacis ſub conditione. *Declaratur* Affectus voluntatis abſolute inefficax nõ poteſt reddi efficax per efficaciã adæquate ſibi extrinſecã, quia aliqua vi ſibi intrinſeca in exiſtentiã effectus, motionẽ, aut impulſum confert; poteſt tamen abſolute reddi efficax per efficaciam inadæquate extrinſecam, nimirũ per exiſtentiam abſolutã cõditionis ad effectũ requiſitæ, cum qua effectus connexus non eſt. Quare affectus abſolutè inefficax, quia merè conditionatus eſt, poſita conditione quoad efficaciam, tranſit in abſolutum, quanquam ipſi nihil intrinſecum accedat. Itidem in eo affectu ab actuali ipſius effectu recte colligitur aliqua efficacia intrinſeca, ſaltem conditionata; non vero efficacia omnino intrinſeca abſoluta. Quia efficacia abſoluta præter vim inferendi effectum deſiderat connexionem cum illo, quam affectus poteſt non ferre ex ſe, ſed ex poſitione alicuius ſibi extrinſeci, cum quo intrinſece connexus non eſt.

68. Secundo obijci poteſt. *Secunda obiectio.* Natura eſt intrinſece potens efficere gratiam ſub conditione poteſtatis diuinæ, cum qua intrinſece connexa eſt. Ergo eſt abſolute potens. Nam abſolute connexa eſt cum exiſtentia conditionis, à qua pendet vt ſit abſolute potens. Cauſa autem abſolute connexa cum conditione, à qua pendet abſoluta actiuitas ipſius, abſolute actiua eſt. Reſpondeo. *Infringitur* Natura creata connexa non eſt intrinſece cum poteſtate diuina, vt eſt abſolute actiua gratiæ iuſtificantis, & aliarum formarum ſupernaturalium, ſed vt eſt actiua ſub conditione non repugnantiæ ipſarum. Nam mea opinione omnipotentia diuina non connectitur abſolute, & ordine tranſcendenti cum creaturis. Atque adeo repugnantibus formis ſupernaturalibus poſſet manere eadem quoad entitatem, tum omnipotẽtia diuina, tum etiam natura creata; quæ in dona ſupernaturalia intrinſece non refertur.

69. Vrgebis. *[illegible]* Relationes diuinæ eſſent abſolute actiuæ creaturarum ſecundum ſuum eſſe relatiuum intrinſecum, ſi eſſent actiuæ ſub conditione poteſtatis diuinæ, quia cum poteſtate diuina intrinſece connexę ſunt, vt dicebamus nu. 63. Ergo etiam creaturæ; actiuæ formarum ſupernaturalium ſub conditione poteſtatis diuinæ erunt abſolute actiuæ, quia intrinſece connexę ſunt cum poteſtate diuina. Reſpondeo. *Eneruatur.* Creaturis non repugnantibus relationes diuinæ connexæ ſunt intrinſece cum omnipotentia diuina, vt eſt abſolute productiua creaturarum. At non repugnantibus formis ſupernaturalibus creaturæ actiuæ illarum de-

Digitized by Google

pendenter à poteſtate diuina, non ſunt connexæ intrinſece cum omnipotentia diuina, vt eſt abſolute productiua formarum ſupernaturalium. Nam creaturis non repugnantibus identificatur omnipotentiæ diuinę poſſe abſolute creaturas producere, licet tale poſſe abſolute creaturas producere, contingens ſit entitati omnipotentiæ diuinæ; ſicut identificatur entitati voluntatis diuinæ velle abſolute creaturas efficere, licet tale velle entitati voluntatis diuinæ contingens ſit. Vnde etiam tale poſſe abſolute creaturas producere identificatur relationibus diuinis, nam quidquid realiter identificatur omnipotentiæ diuinę, realiter identificatur relationibus, quæ realiter ab omnipotentia diuina indiſtinctæ ſunt. Relationes autem identificatæ cum tali poſſe, connexæ ſunt vnione identitatis cum illo, vt idem, quod realiter competit illi, realiter intrinſece conueniat relationibus, ac proinde relationes ſecundum eſſe reale intrinſecum ſint abſolute actiuæ creaturarum; connexio enim duorum eſt ipſorum coniunctio, & vnio: identitas autem perfectiſſima vnio, & coniunctio eſt. At creaturæ actiuę formarum ſupernaturalium ſub conditione poteſtatis diuinæ abſolute actiuæ illarum, non identificantur tali poteſtati abſolute actiuæ. Atque ita neque connexione identitatis, neque connexione ordinis tranſcendentis cum poteſtate diuina, vt abſolute actiua talium formarum erunt intrinſece connexæ.

Roboratur vlterius.

70. Vrgebis rurſus. Relationes diuinæ actiuæ creaturarum ſub conditione poteſtatis omnipotentiæ non ſolum eſſent abſolute actiuæ creaturarum identitatiuè, de quo dubitatio nulla eſt; ſed etiam formaliter, ſecundum eſſe relatiuum virtualiter ab omnipotentia diſtinctum, de quo erat controuerſia ſuperior. At ſecundum eſſe relatiuum virtualiter ab omnipotentia diſtinctum non haberent, quo eſſent abſolute actiuæ, pluſquam creaturæ, quę ſunt actiuæ formarum ſupernaturalium dependenter ab omnipotentia diuina. Reſpondeo. Relationes diuinæ, ſi eſſent actiuæ ad extra ſub conditione, etiam eſſent actiuæ abſolute ſecundum eſſe relatiuum virtualiter ab omnipotentia diſtinctum; quia ſecundum tale eſſe illis eſſet intrinſecum, & poſſe abſolute identificari omnipotentiæ abſolutè potenti iuuare actionem ipſarum, & poſſe abſolute cum illa concurrere ad extra. Nam ſicut omnipotentiæ diuinæ ſecundum primarium conceptum potenti producere creaturas ſub conditione non repugnantiæ ipſarum, ratione ſuæ infinitatis identificatur poſſe abſolute illas producere, cum creaturæ abſolute repugnantes ſunt; ita relationibus ſecundum ſe potentibus eaſdem efficere auxilio omnipotentiæ, ſub conditione, quòd omnipotentia abſolute ſit productiua illarum, ratione eiuſdem infinitatis identificatum ipſis erit etiam, vt ab omnipotentia diſtinctis, poſſe abſolute concurrere auxilio omnipotentię diuinæ ad productionem creaturarum, cum omnipotentia abſolute eſt potens creaturas poducere, relationeſque diuinas iuuare. Atque ita aſſerta actiuitate conditionata relationibus intrinſeca, aſſerenda quoque eſſet omninò intrinſeca actiuitas abſoluta. Secùs vero aſſerta actiuitate conditionata creaturarum, quæ eius infinitatis, & identitatis incapaces ſunt.

Infirmatur.

Illuſtratur explicatio argumenti.

71. Porro omnipotentiam ſecundum ſe abſolutam ab ordine tranſcendenti in creaturas poſſibiles, identificare ſibi rationem potentis abſolute producere creaturas, cum re ipſa abſolute creaturæ poſſibiles ſunt, præter infinitam perfectionem Dei, id ſuadet; quia creaturis non repugnantibus poteſt Deus velle efficaciter productionem creaturarum, & mea opinione neceſſaria eſt Deo, tum cognitio practica, tum ſimplex complacentia abſolutæ poſſibilitatis illarum. At poſſe abſolute decernere exiſtentiam creaturarum, & cognitio practica, & ſimplex complacentia poſſibilitatis illarum, (quamquam, vt tales ſunt, poſſint omnipotentia permanenti deeſſe) identificantur omnipotentiæ diuinæ, eamque cum creaturis abſolute poſſibilibus connexam reddunt, vt tract. de voluntate Dei oſtendi. Ergo omnipotentiæ diuinæ non connexæ cum creaturis poſſibilibus ſecundum rationem omnipotentiæ, poteſt aliunde talis connexio ſibi identificata conuenire.

72. Si verò omnipotentiam diuinam liberam ab ordine tranſcendenti in creaturas poſſibiles tuearis abſolute productiuam illarum per actionem extrinſecam abſolute poſſibilem, vt plerique Recentiorum opinantur, tum ſecundo ad argumentum reſpondeo. Natura creata non eſt actiua formarum ſupernaturalium ſub conditione ſolius poteſtatis diuinæ, ſed etiam ſub conditione decreti liberi diuinę voluntatis ſtatuentis, vt creaturæ miniſterio fiat gratia, aut alia ſupernaturalis forma. Quamuis autem natura creata intrinſecè connexa ſit cum poteſtate omnipotentiæ diuinæ, cæterum connexa non eſt cum eleuatione libera diuinæ voluntatis, ſtatuentis actionem ſupernaturalem miniſterio rei naturalis; quoniam defectu ordinis, & connexionis tranſcendentis cum forma ſupernaturali poteſt exiſtere natura creata non exiſtenti, immò & repugnanti forma ſupernaturali, & eleuatione abſoluta voluntatis diuinæ. Vnde natura creata per aliquod ſibi extrinſecum reddi debet abſolute actiua formę ſupernaturalis. Verùm relationes diuinæ, ſi actiuæ forent creaturarum ſub conditione talis eleuationis, eſſent abſolute actiuæ per aliquod ſibi intrinſecum, quippe talis eleuatio ipſis intrinſeca, & identificata eſt. Atque ita ad eleuationem relationum neceſſaria eſſet acceſſio auxilij intrinſeci, quæ contenditur neceſſaria ad eleuationem creaturæ contra potentiam obedientialem, quam hæc argumenta oppugnant. Num autem acceſſione huius auxilij intrinſeci poſſint fieri relationes actiuæ ad extra, ſicut fiunt creaturæ per virtutem creatam ipſis impreſſam; difficultas eſt communis

Digitized by Google

etiam ijs, qui actiuitatem obedientialem negant. Ideoque modo nobis explicanda non eſt ad ſtabiliendum creaturam agentem formæ ſupernaturalis per auxilium extrinſecum.

73. At vero ſi omnipotentia Diuina ponatur ordine tranſcendenti relata in omnes creaturas poſſibiles, ac proinde natura connexa intrinſece cum poteſtate abſolute actiua formarum ſupernaturalium, & cum eleuatione poſſibili voluntatis diuinæ, adhuc tertio ad argumentum dicito. Natura creata non eſſet connexa cum forma ſupernaturali immediate, ſed mediate ſolum, nempe ratione ſolius connexionis immediatæ cum omnipotentia diuina; quare repugnante forma ſupernaturali non colligeretur immediate repugnans natura, ſed media repugnantia omnipotentiæ: nam ſi repugnante forma ſupernaturali maneret per impoſſibile omnipotentia, non eſſet, vnde deduceretur repugnantia naturæ, quæ in formam ſupernaturalem immediate non refertur, & eodem modo cum illa confertur quoad connexionem entitatiuam, quo confertur in ſententia negante naturæ actiuitatem phyſicam in formam ſupernaturalem. Atque ita non eſſet natura connexa cum forma ſupernaturali; neque cum omnipotentia Diuina ratione actiuitatis in formam ſupernaturalem, ſed ratione dependentiæ eſſentialis, quam omnis creatura, quæ non eſſet actiua formæ ſupernaturalis habet ab omnipotentia diuina. Quo differret actiuitas naturalis ab obedientiali, quia naturalis actiuitas immediate connexa eſt cum effectu abſolute poſſibili, & ratione talis connexionis, & virtutis actiuæ cum omnipotentia connexa eſt; obedientialis vero ſolum mediate cum effectu poſſibili connexa eſt ratione connexionis, qua tanquam effectus omnipotentiæ diuinæ pendet eſſentialiter ab illa. Quod ſufficeret vt natura obedientialiter potens ſecundum eſſe intrinſecum non eſſet abſolute actiua, ſicut eſt abſolute actiua potentia naturalis, ſiquidem ratione ſuæ actiuitatis non eſt intrinſece connexa cum effectu ſupernaturali, & poteſtate diuina, ſicut eſt potentia naturalis cum effectu poſſibili naturali. Aliquis forſan non improbabiliter his adiunget, naturam creatam non eſſe intrinſece connexam cum potentia diuina, vt eſt productiua formarum ſupernaturalium, formaliter, & immediate, ſed materialiter, & mediate, quia virtualiter diſtinguitur in Deo virtus productiua rerum naturalium à virtute productiua ſupernaturalium; & in Deo ratione ſuæ infinitatis poteſt vna perfectio terminare ordinem tranſcendentem creaturæ, quin terminet alia; vt poteſt terminare vnionem, & viſionem intuitiuam iuxta probabilem grauium Theologorum opinionem. Porro relationes diuinæ diſcerni poſſunt à creatura obedientialiter actiua, etiam poſito ordine tráſcendenti omnipotentiæ diuinæ. Tum quia relationes diuinæ cum identificatæ ſint omnipotentiæ, realiter immediate cum creaturis connexæ ſunt. Tum cum ſint infinitæ, exigunt formaliter omnipotentiam etiam productiuam rerum ſupernaturalium. Vereor ne nimis metaphyſica hæc ſint. Sed debitores ſumus pluribus, preſertim recentioribus, qui hæc nimio acumine in diſputationem adducunt.

74. Tertio obijci poteſt. Omnipotentia eſt abſolute actiua rerum ſupernaturalium, & omnium creaturarum, quamuis non ſit connexa tráſcendentaliter cum creaturis. Ergo etiam poterit natura ſecundum entitatem ſibi intrinſecam eſſe abſolute actiua formarum ſupernaturalium, quamuis ordine tranſcendenti non ſit connexa cum illis. Reſpondeo primo. Omnipotentia quamuis non ſit connexa ordine tranſcendenti cum creaturis, identificat ſibi poteſtatem abſolute productiuam à mere conditionata diſtinctá, quamuis ſibi contingétem, ratione ſuæ infinitatis, vt dicebamus ſupra. Natura vero non poteſt talem poteſtatem abſolute productiuam à mere códitionata diſtinctam ſibi contingentẽ identificare. Secundo omnipotentia mere conditionate productiua abſolute, prout virtus abſolute productiua notat ſimpliciter productiuam, quia non eſt conditionate productiua ex defectu perfectionis, & poteſtatis, vt eſt natura creata comparatione formarum ſupernaturalium, ſed ex infinita perfectione ſuæ potentiæ, vt diſputatione 33. ſect. 1. latius expoſuimus. Tertia obiectio. Repellitur.

75. Denique obijci poteſt. Natura eſt incomplete potens producere formas ſupernaturales. At vt incomplete potens non poteſt complecti eſſentialiter auxilium omnipotentiæ; quia ea ratione non ſolum incomplete, verum etiam complete potens eſt. Ergo virtus incompleta naturæ abſolute productiua formarum ſupernaturalium non complectitur eſſentialiter auxilium extrinſecum omnipotentiæ diuinæ. Huic argumento dedimus explicationem diſputatione 33. nu. 18. ſtatuentes actiuitatem abſolutam naturæ rationalis in actus ſupernaturales, partim intrinſecam, & partim extrinſecam naturæ rationali. Quam diſputationem conſule ad plenam lucem eorum, quæ pro noſtra ſententia ſuperioribus tradita ſunt. Quarta. Excutitur.

SECTIO DECIMA.

Noſtra ſententia non eſt contraria ſancto Thomæ, nec antiquioribus Theologis.

76. POſtremum contra noſtram ſententiam argumentum ſit, quia illa noua eſt, & contraria ſancto Thomæ, & alijs priſcis Theologis. Primum opponitur ſanctus Thomas pluribus in locis aſſerens, inſtrumenta creata, vt ſacraméta agere gratiam per motum Dei principalis agentis, ac mouentis. Quibus indicat aliquid intrinſecum imprimi ſacramentis, vel gratiam, & alios ſimiles effectus operentur. Ac proinde non agere illos per actiuitatem ſibi immediatam, & extrinſecam eleuationem Dei. Ita refertur 3. p. quæſt. 62. art. 1. corp. & ad 2. art. 4. ad 3. & de veritate quæſt. 27. art. 4. de pot. quæſt. 3. art. 7. in 4. diſt. 8. quæſt. 2. art. 3. ad 4. & 2. 2. quæ. 178. art. 1. ad primam. Sed reſpondeo. Motus, quo inſtrumentum mouetur à S. Thomas obijcitur. Exponitur.

Digitized by Google

Deo, non eſt aliquid inhærens inſtrumento, ſed ipſa actio inſtrumenti creati procedens à Deo principaliter, & ab inſtrumento creato inſtrumentaliter, quatenus ab inſtitutione, & ordinatione diuina inſtrumento extrinſeca conſtituitur potens agere effectum principalem. Itaque ſanctus Thomas duo conſtituit in inſtrumento creato, vt agat gratiam, aut alium effectum ſupernaturalem. Primum virtutem inchoatam, ſeu incompletam, antecedentem actualem actionem, & eam coaleſcentem extrinſece ex voluntate diuina. Secundum actualem motum, & vſum talis virtutis, qui eſt actualis actio pendens eſſentialiter ab inſtrumento creato, qua Deus facit, vt inſtrumentum creatum iuxta præcedentem inſtitutionem, ſeu eleuationem extrinſecam operetur effectum, in quem à Deo ordinatum, & inſtitutum eſt. Ita expreſſe in 4. d. 1. quæſt. 1. art. 4. quæſtiuncula 2. ad 2. *Inſtrumento datur virtus agendi inſtrumentaliter dupliciter. Vno modo quaſi inchoatiue, quando inſtituitur in ſpecie inſtrumenti, & ideo dicit Hugo, quod continet gratiam ex ſanctificatione. Alio modo datur complete, quando actu monetur à principali agente; & ſimiliter complete datur virtus ſacramentis in ipſo vſu ſacramentorum.* En virtus incompleta datur ſacramentis per ipſam inſtitutionem extrinſecam Dei. Completa vero, per actualem motum, qui eſt vſus actualis ſacramentorum, indiſtinctus ab actuali operatione, ſeu actione ipſorum. Quod amplius conſtabit inferioribus. Confirmatur ex Caietano 3. part. quæſt. 62. art. 1. ad 3. Scoti, qui motum illum ſacramentorum explicat eſſe *actionem, & viam per quam fit, & acquiritur terminus.*

Opponitur ſecundo.

77. Iterum obijcitur ſanctus Thomas 3. part. quæſt. 62. art. 1. & 4. & de veritate quæſt. 27. art. 4. ad 4. generaliter affirmans *cauſam inſtrumentalem, & ſacramenta non agere per virtutem ſuæ formæ.* Ergo negat inſtrumentis obedientialibus actiuitatem ſibi propriam, & intrinſecam, quæ procul dubio eſt actiuitas propriæ formæ? Reſpondeo. Sanctus Thomas negat agere inſtrumenta, & ſacramenta per actiuitatem ſibi intrinſecam præciſe ſumptam, ſed coniunctam virtuti principalis agentis ſibi extrinſece, qua conſtituitur eſſentialiter virtus abſolute actiua inſtrumenti. Tum quia idem docet de inſtrumentis naturalibus. Inſtrumenta autem naturalia quidquam conferunt in effectum per actiuitatem ſibi intrinſecam. Tum quia ex teſtimonio obiecto quæſt. 27. de veritate negans inſtrumenta agere per virtutem propriæ formæ, ſubdit, agere per virtutem principalis agentis in eis exiſtentem; *Sacramenta non operantur ad gratiam per virtutem propriæ formæ, ſed per virtutem principalis agentis in eis exiſtentem.* At virtus Dei principalis agentis non exiſtit in eis intrinſece, ſed extrinſece, vt modo exponemus ex mente eiuſdem Præceptoris Angelici. Neque obſtat loco relato ex q. 62. excluſa virtute propria cauſæ inſtrumentalis addere, *ſolum agere per motum; quo monetur à principali agente.* Vbi per *ſolum* videtur excludere omnem virtutem, quæ non ſit motus.

Etiam exponitur.

Tum quia plerique putant, non legendum *per motum*, ſed *per modum*; quo monetur à principali agente. Tum quia agit de virtute omnino completa in actu ſecundo, & actu agente, vt in præcedenti exponebamus, quam per actionem ipſam vltimo compleri, & conſtitui, noſtræ etiam exiſtimationis eſt. Ideoque continuo colligit, *& hoc modo ſacramenta nouæ legis gratiam cauſabant, adhibentur enim ex diuina ordinatione hominibus ad gratiam in eis cauſandam.* Perpende duo. Alterum, non dicere hoc modo ſacramenta eſſe potentia cauſare, ſed actu cauſantia, vt per motum illum non poteſtas in actu primo incompleto, ſed completo per actum ſecundum conſtituatur. Alterum, talem cauſalitatem gratiæ in ſacramentis referri in diuinam ordinationem extrinſecam, tanquam in actum primum, qua abſolute potentia ſunt cauſare gratiam, vt expendemus infra.

78. Rurſus opponitur Diuus Thomas de potentia quæſt. 6. art. 4. ſic aſſerens de inſtrumentis obedientialibus. *Non quaſi aliqua virtute habitualiter in eis permanente, vel gratuita, vel naturali in actum miraculi poſſint; ſed virtus ad cooperandum Deo in miraculis, in ſanctis colligi poteſt ad modum formarum, quæ non permanent, niſi ad præſentiam agentis principalis.* Ergo reijcit virtutem identificatam inſtrumentis, quæ tum permanens, tum naturalis eſſet, ſicut ipſorum entitas, & permanens, & naturalis eſt. Ergo virtutem illis ſuperadditã tribuit ſupernaturalem, & fluentem? Reſpondeo. Hic ſolum excludit virtutem aliquam permanentem ab inſtrumentis creatis, quę continuo operentur miracula, ſtatuitque virtutem ad modum formarum tranſeuntium. Quippe virtus diuina, qua abſolute potentia fiunt, non aſſiſtit illis continuo, & permanenter, quoniam decretum Dei non ſtatuit, vt continuo, ac ſemper operentur, ſed certis quibuſdam temporibus, quibus fluentibus non agant. Ideoque non ait, talem virtutem eſſe abſolute fluentem, ſed habere ſe ad modum formarum fluentium. At ſi eſſet virtus aliqua creata, inſtrumentis inhærens, abſolute eſſet fluens, & non ad modum formarum, quæ non permanent. Item ait, ſolum agere ad præſentiam principalis agentis, quia præſentia, & aſſiſtentia Dei conſtituuntur extrinſece potentia agere certis illis temporibus, quibus agunt. Deinde poſſumus interpretari doctorem Angelicum agere de virtute completa, per actum ſecundum, ſeu actu agente; quam conſtitui actiuitate ipſa, & motu principalis agentis, quæ fluens eſt, præteritis ſtatuimus.

Tertio.

Elucidatur.

79. En planum, Doctorem Angelicum nihil docere nobis contrarium. Videamus plura docere, quæ noſtræ ſententiæ fauent. Ac in primis virtutem ſacramentorum, & aliorum inſtrumentorum obedientialium non eſſe omnino intrinſecam, ſed conſtitutam ex eleuatione, & inſtitutione extrinſeca Dei, ſic probo. Explicans S. Thom. 3. p. quæſt. 62. art. 4. ad 1. virtutem ſacramentorum ſic habet. *Sicut in voce ſenſibili eſt quædam vis ſpiritualis ad excitandum intellectum hominis in quantum procedit à conceptione mentis: hoc modo vis ſpiritualis eſt*

Primum S. Thomæ ſuffragium

Digitized by Google

in ſacramentis in quantum ordinantur à Deo ad effectum ſpiritualem. Similiter in 4. diſt. 1. quæſt. 1. quæſtiuncula 2. ad quartum. *In re corporali non poteſt eſſe virtus ſpiritualis ſecundum eſſe completum, poteſt tamen ibi eſſe per modum intentionis, ſicut in inſtrumentis motis ab artifice eſt virtus artis, & ſermo audibilis exiſtens cauſa diſciplinæ continens intentiones animæ quodammodo.* Sed in voce ſenſibili nihil realiter inhæret, ratione cuius ſignificet, & contineat intentiones, & conceptiones animæ, ſed ſola denominatio extrinſeca veniens ab imperfectione hominum, & conceptione mentis. Ergo vis ſpiritualis ſacramentis competit per ſolam denominationem extrinſecam, ab inſtitutione, & ordinatione Dei. Quare ait Caietanus quæſt. 61. art. 4. ad 1. ex verbis relatis S. Thomæ, *Vis ſpiritualis conſiſtit in hoc, quod ſacramenta ordinantur à Deo ad effectum ſpiritualem.* Et S. Thomas ibidem art. 1. corp. probat ſacramenta cauſare gratiam. *Quia adhibentur ex diuina ordinatione hominibus ad cauſandam in eis gratiam.* Item in 4 ſupra quæſtiunc. 3. *Efficacia inſtrumentorum ſiue ſacramentorum, vel virtus eſt ex inſtitutione diuina.* At ordinatio, & inſtitutio diuina eſt ſacramentis extrinſeca. Ergo vis ſpiritualis ad cauſandum gratiam conuenit ſacramentis ab aliquo ſacramentis extrinſeco.

Caietanus.

Confirmatur.

80. Confirmatur; virtus & motio ſacramentorum ſpectat ad illud genus entium, quæ *conſueuerunt intentiones nominari, & habent aliquid ſimile cum ente, quod eſt in anima, quod eſt diminutum, vt dicitur ſexto methaphyſicæ.* Ita loquitur S. Thomas in 4 ſententiarum diſt. 1. art. 4. quæſt. 1. corp. & ſtatim ad 1. ex eodem loco metaphyſicæ notat hoc genus entis, *quod eſt in anima, diuidi contra ens diſtinctum per decem genera.* Conſtat autem lib. 6. metaphyſicæ ex 4. & 8. diſerere Ariſtotelem de ente ſeu de eſſe, quod non eſt realiter, & vere ens in ſubiecto, ſed ſolummodo ens rationis, ſeu extrinſeca denominatio entis. Ergo virtus ſacramentorum pertinet ad extrinſecam aliquam denominationem, & non ad aliquam entitatem veram, & realem, illis intrinſece inhærentem. Quare ibidem, & de veritate quæſt. 27. art. 4. ad 4. & alibi ſæpe vocat *eſſe intentionale, & per modum intentionis.* Confirmatur. Non ſolum in 4. ſent. & quæſt. 3. de potentia ſupra, ſed etiam vbicunque Angelicus Doctor agit de motione, per quam inſtrumenta mouentur à Deo, obſeruat habere incompletum eſſe. At non vocat eſſe incompletum, eo quod ſit complementum intrinſecum alicuius entis realis. Sed incompletum appellat propter duo. Primo, quoniam quodlibet ens extrinſecum, & ens rationis, ſeu intentionale, eo quod ſit ens diminutum, & ſecundum quid, appellatur incompletum, vt obſeruat in 4 ſentent. ſupra quæſtiuncula 2. & 4. vbi motionem inſtrumentorum gratiæ appellat *intentionem, ens in anima diminutum, non completum, ſed incompletũ.* Secundo, quia forma realis præbens hãc denominationem extrinſecam ſupponit aliquid virtutis in natura, quam complet, vt colligere eſt ex 4. diſt. 1. quæſt. 1. art. 4. quæſtiunc. 2. *Virtus inſtrumenti, in quantum huiuſmodi ſecundum quod agit ad effectum vltra id quod competit ſibi ſecundum ſuam naturam, non eſt ens completum, habens eſſe fixum in natura id incompletum.* Ergo virtus, & motio ſacramentorum non eſt qualitas aliqua realis inſtrumentis inhærens.

Iterum.

Euaſio.

81. Dices ſpecies colorum eſſe qualitates reales aëri intrinſece inhærentes, & ad inſtar illarum notare ſanctum Thomam, eſſe intentionem illam habentem eſſe incompletum. Ergo putat eſſe intrinſece inhærentem inſtrumentis creatis. Reſpondeo: ſanctus Thomas duo diſtinguit in ſpeciebus colorum. Aliud eſt eſſe phyſicum, per quod intrinſece inhærent aëri, ſicut reliquæ qualitates ſuis ſubiectis. Et quoad hoc ſpecies ſunt qualitates prædicamentales, & habentes eſſe completum & fixum. Aliud eſt eſſe intentionale, quatenus colores aliqua ratione, & intentionaliter ſunt in ſpeciebus, tanquam obiecta in ſuis repræſentationibus, & imaginibus, & tanquam virtus principalis in virtute inſtrumentali ad eliciendam viſionem intuitiuam, quæ eſſentialiter poſtulat præſentiam colorum. Hoc autem eſſe intentionale formaliter importat denominationem extrinſecam à præſentia, & actione colorum, quæ deriuatur per ſpecies, tanquam per inſtrumenta. Igitur ad hoc ſignificandum S. Thomas non dixit, motionem eſſe in inſtrumentis per modum, quo ſpecies ſunt in aëre, ſed *per modum, quo colores ſunt in aëre,* in quo tamen colores intrinſece non exiſtunt, ſed tantum extrinſece. Ergo modus loquendi S. Thomæ nobis contrarius non eſt.

Præcluditur.

Aliud ſuffragium S. Thomæ.

82. Secundo colligitur ex mente Diui Thomæ actiuitas inſtrumentorum obedientialium immediata, & ipſis idẽtificata ex 4. diſt. 8. q. 2. art. 3. ad 4. ibi; *ſicut creaturæ ineſt obedientia potentia, vt in ea fiat quidquid creator diſpoſuerit, ita etiam vt ea mediante fiat; quæ eſt ratio inſtrumenti.* Vbi ſtatuit conuenire rebus creatis potentiam obedientialem actiuam; ſicut conuenit paſſiua. At paſſiua conuenit rebus immediata, & identificata. Ergo etiam conuenit actiua. Quare inter creatorem, & effectum principalem docet ſolum mediare entitatem inſtrumenti, quo vtitur ad productionem effectus ſupernaturalis. Ergo non mediat alia entitas ſupernaturalis ipſis inhærens, quæ ſit qualitas, aut motio antecedens actionem ſupernaturalem.

Alenſis obijcitur.

83. Etiam obijcitur Alenſis 4. p. quæſt 8. memb. 3. art. 5. §. 1. in antiquis, in nouis vero quæſt. 5. memb. 3. art. 5. §. 1. pag. 52. colum. 3. aſſerens *corpus non agere in ſpiritum ex ſua virtute naturali primitus data.* Ergo negat corpori virtutem actiuam identificatam naturæ ad agendum in ſpiritum. Item in dicto §. 4. ad finem; in nouis vero in dicta quæſt. 3. memb. 3. art. 5. §. 4. ait *virtutem aquæ, & olei non eſſe ex principijs ipſius aquæ, & olei, & actionem non habere principium naturam, ſed gratiam.* Reſpondeo. Alenſis negat recte, virtutem naturalem corporis ad agendum in ſpiritum, & aquæ, & olei ad agendum gratiam. Tum, quia principijs naturæ debitis eos effectus agere non poſ-

Explicatur.

Digitized by Google

ſunt. Tum, quia differit de virtute abſolute productiua, quæ mea opinione non idemtificatur omnino naturæ, ſed includit virtutem aliquam extrinſecam prouenientem ex eleuatione diuina. Quam quidem virtutem adſtrui ab Alenſi conijcio. Primo, quia in primo teſtimonio addit corpus agere in ſpiritum, *virtute ſanctificationis mirabiliter collata*, quod repetit §. 2. fol. 13. colum. 1. ibi *Sacramenta cauſa dicuntur ratione ſanctificationis, quæ ſpiritualis eſt.* Sanctificatio autem ſacramentis extrinſeca eſt. Tum quia ſecundo teſtimonio adiungit, *Hoc enim intelligitur de accidentibus naturalibus intrinſecus contingentibus, quæ vero extrinſecus contingunt, & non habent principium naturam, ſed gratiam, non ſic ſe habent.* Ergo virtutem agnoſcit extrinſecus contingentem. Rurſus art. 5. §. 1. *Prædictis addendum, quod in huiuſmodi actione non operatur ſolum virtus creata, ſed cooperatur increata.* Ergo virtus creata cooperante increata immediatam actionem confert. Inſuper ibidem quæſt. 34. memb. 1. art. 2. In antiquis: in nouis vero quæſt. 10. memb. 4. art. 2. §. 5. quæſtio 1. pag. 142. col. 1. *Cum ergo obijcitur, quod virtus creata non poteſt in aliquid, quod eſt ſupra communem naturam; dicendum quod hoc forte verum eſt per ſe: habet tamen, vt adiuta à virtute increata.* At virtus creata cooperari, & adiuuare vere non dicitur virtutem creatam, nihil per ſe immediate agentem, vt fuſe expoſuimus diſp. 30. ſectione 9. ſtabilientes actiuitatem immediatam naturæ rationalis in actus ſupernaturales vitales. Ergo ex mente Alexandri virtus creata immediate actionem præſtat adiutorio virtutis increatæ in effectus ſupra naturam.

Richardus non eſt cótrarius.

84. Similiter opponitur Ricardus in 4. diſt. 1. art. 4. quæſt. 3. ſic ſcribens. *Cum ergo ſacramenta ſint inſtrumenta diuinæ miſericordiæ, non tamen in eis eſt virtus, quam habent ex ſua conditione. Sed alia, quæ eis inſit tantummodo, dum ſunt in vſu, hoc eſt, dum diuina miſericordia eis vtitur.* Reſpondeo idem quod ſuperiori teſtimonio Alexandri. Quippe differit de virtute abſolute actiua, quæ virtus in noſtra ſententia ſacramentis non competit ex conditione naturæ, ſed ex miſericordia diuina, & ex eleuatione extrinſeca, & gratuita Dei.

Neque Caietanus.

85. Demum nobis aduerſarium prædicant Caietanum 3. p. quæſt. 13. art. 2. & quæſt. 62. art. 4. dum aſſerit ſacramentis non conuenire actiuitatem miraculorum, & gratiæ per virtutem ſuæ formæ, ſed per motionem Dei, atque adeo talem virtutem non eſſe permanentem, ſed tranſeuntem. Quod non eſſet verum, ſi eis ineſſet virtus aliqua ſibi idemtificata, & immediata, cum ea eſſet virtus propriæ formæ, & permanens, & non fluens? Reſpondeo, Parum refert Caietanum nobis eſſe contrarium. Præterea Caietanũ nomine motionis intellexiſſe credo actionem ipſam, qua virtus obedientialis inſtrumenti reducitur in actum, quæ inſtrumento non eſt intrinſeca, ſed extrinſeca, & virtutem ſacramentorum conſtituit in actu ſecundo completam, non vero incompletam in actu primo, vt ad ſanctum Thomam dicebamus. Quã Caietani mentem colligo primo, quia dicta quæſt. 13. art. 2. §. *Ad euidentiam*, exponens hanc motionem, ſic habet. *Cum mouere nihil aliud ſit, quam educere de potẽtia ad actum, & moueri ſit, educi de potentia ad actum, clare reſtat, quod inſtrumentum tunc mouetur à principali agente, cum educitur de ſecunda potentia ad actum, cum ſit cooperans ipſi principali agenti, cum ſit exequens operationem principalis agentis. Quod ſit per hoc, quod principale agens vt ſic, vtitur illo ad opus ipſius principalis agentis.* Ex qua doctrina mox colligit: *ita ex hoc ipſo, quod Deus vtitur aliqua re, vt inſtrumento ad opus miraculoſum, eleuatur res illa, in ordinem cauſæ inſtrumentalis & ipſe paſſiuus vſus, quo Deus illa vtitur ad hoc opus, eſt motus, quo à principali agente inſtrumentorum mouetur: reducitur enim res illa de potentia obedientiali ad actum.* At actio ipſa miraculoſa, & ſupernaturalis eſt, qua res de potentia obedientiali reducitur in actum. Ergo motus iſte, quo inſtrumentum in eſſe inſtrumenti conſtituitur, non eſt aliquid ſacramentis inhærens præuium ad actionem, ſed ipſa actio. Atque ita non agit Caietanus de virtute inſtrumentali incompleta, & odedientiali, ſed completa omnino in actu ſecundo, actualiterque agente, quam & nos per actionem ipſam inſtrumentis extrinſecam libenter conſtituimus. Secundo ſic colligo ex 1. p. quæſt. 14. art. 17. §. *Nec ſuſtinendus*, & quæſt. 19. art. 8. §. *Ad primam autem*, fine; vbi differens de motione, qua cauſa ſecunda mouetur à prima, diſtinguit duplicem motionem; *aliam præuiam actioni creaturæ*; aliam *cooperantem intrinſece actioni creaturæ*, & deſerta motione præuia docet, motionem Dei aſſerendam cooperantem creaturæ, atque ita ab ipſa Dei actione indiſtinctam. Neque obſtat, doceri à Caietano, per motionem inſtrumentum fieri actiuum. Nam ſæpe actiuum, & actu agens idem re ipſa ſignificant, nempe actionem excludentem repugnantiam agendi, vt potentia rationalis in Deo productiua dicitur, licet productione actuali intrinſece conſtituatur. En Caietanus non aduerſatur nobis.

86. Quin fauere aſſertis noſtris, duo mihi argumenta ſunt. Primum eſt, quia Caietanus 3. part. quæſt. 13. art. 2. §. *Ad euidentiam*, agnoſcit in inſtrumentis creatis ante actionem, & motionem actualem potentiam obedientialem actiuam, cum expreſſe doceat, per motionem, ſeu actionem Dei *reduci* inſtrumentum *de potentia obedientiali in actum.* Et quidem rem, quam fatetur actualiter agentem, & diſtinctam, ac priorem realiter ipſa actione, neſcio, qua ratione pro illo priori negare queat potentem ad agendum. At actiuitas iſta obedientialis rerum antecedens motionem, & actionem actualem ex mente Caietani non adfert quidquam intrinſece ſuperadditum ipſis rebus agentibus, & actioni vt conſtat ex quæſt. 62. art. 4. vbi §. *Aduerte* hic excitata quæſtione, *An in ſacramentis nouæ legis eſt aliqua virtus ſuperaddita motiui, quo mouetur à principali agente, & hæc virtus eſt qualitas habens eſſe fluens?* §. Sequenti, *ſed quoniam* negat cum ſancto Thoma talem virtutem, & qualitatem inhærẽtem, & diſtinctam ab actione, *quod ab inſtrumento excludit autor omnem agen-*

Nobis fauet.

Digitized by Google

di rationem ſuperadditam motui, qua mouetur à principali agente. Exgo ex mente Caietani actiuitas obedientialis antecedens actiuitatem, de qua nunc contendimus, non eſt aliquid phyſice inſtrumentis inhærens, ſed ipſorum entitas habilis, & potens ex inſtitutione, & eleuatione extrinſeca Dei. Secundum argumentum eſt; quia ibidem improbans vim ſacramentorum antecedentem ipſorum actionem, quæ ab aliqua inhærente qualitate proueniat, præmittit hæc D. Thomæ verba art. 1. eiuſdem quæſtionis. *Vis ſupernaturalis eſt in ſacramentis, in quantum ordinantur à Deo ad effectum ſupernaturalem.* Vnde ſic colligit; *Vides vim ſpiritualem conſiſtere in hoc, quod ſacramenta ordinantur à Deo ad effectum ſupernaturalem.* Ergo vis antecedens actionem ſacramentorum conſiſtit in ordinatione extrinſeca Dei. Atque ita mox in confirmationem ſic addit. *Et confirmatur ex eo, quod ſecundum Autorem, ſacramentum baptiſmi virtutem hanc inchoatiue accepit in ſui inſtitutione (ſcilicet quando Chriſtus eſt baptizatus) tunc enim aqua ſanctificata eſt, accipiendo vim regeneratiuam: ſed conſtat, nihil tunc aquam accepiſſe, niſi habilitatem, vt ſit materia baptiſmi: factum eſt enim tunc, vt non oleum, non vinum, &c. ſed aqua idonea eſſet ad regenerandum.* Ex quibus duo colliges; alterum, ex mente Caietani habilitatem, & actiuitatem ſacramentorum antecedentem actionem, ſeu motionem actualem ipſis conuenire ex inſtitutione, & eleuatione extrinſeca Dei. Alterum; in eam ſententiam conuenire ſanctum Thomam, ſiquidem hæc deprehendit Caietanus ex doctrina Angelici Præceptoris. Ac tandem concludo, tantum abeſſe, vt nobis contradicant antiqui Theologi, qui noſtræ ſententiæ obijciuntur, vt potius illam manifeſto ſuffragio confirment.

DISP. QVADRAGESIMASECVNDA.

EXPLICANTVR ALIQVOT DIFFICVLTATES DE actiuitate naturæ in formas ſupernaturales non vitales.

1. AD exactam explicationem potentiæ obedientialis, quam præteritis ſtatuimus, breuiter enodandæ ſunt aliquot difficultates, quæ in cõtrouerſiam vocantur à ſcriptoribus de actiuitate obedientiali naturæ. Prima eſt, an potentia obedientialis actiua dicenda ſit naturalis, an ſupernaturalis? De quo diſſenſio vocum eſt inter Theologos. Etenim actiuitas mere conditionata entitatiue, & intrinſece naturalis eſt; extrinſece vero ſupernaturalis. Nam entitas, cui talis actiuitas conditionata idemtificatur, eſt intrinſece naturalis; auxilium vero, & terminus, quæ connotat extrinſece, ſunt quidditatiue ſupernaturalia. At actiuitas abſoluta partim eſt naturalis; & partim ſupernaturalis; quia complectitur intrinſece, & eſſentialiter partim entitatem naturæ, partim auxilium omnipotentiæ ſupernaturale, quod licet naturæ extrinſecum ſit, tamen non eſt extrinſecum, ſed intrinſecum, & eſſentiale actiuitati abſolutæ ipſius, vt diſputatione præcedenti probatum reliquimus.

Prima difficultas.

Explicatur.

2. Secunda difficultas eſt; an hæc potentia obedientialis actiua conueniat omnibus creaturis, etiam non actiuis naturaliter, vt materiæ primæ, quantitati, & relationi? In qua negant Pater Fonſeca, Pater Arrubal, AEgidius de Præſentatione, Cabrera, & alij ſupra. Affirmant Pater Suarez, Pater Albertinus, Pater Iannerus; & Recentiores cum alijs, quibus ego aſſentior. Nam ad agendum gratiam, & alios effectus ſupernaturales nihil confert actiuitas naturalis, ſed entitas creata nude ſumpta, ſubiecta omnipotentiæ diuinæ valenti ratione ſui dominij, ac poteſtatis infinitæ vti quocunque inſtrumento, quamuis inepto, ad effectionem cuiuſcunque rei non implicantis contradictionem. Quid enim refert creaturam eſſe actiuam caloris, aut peccati; vt ea fiat actiua gratiæ iuſtificantis, aut vnionis hypoſtaticæ? Dominium autem Dei; & poteſtas infinita omnipotentiæ æque continet ſub ſe creaturam naturaliter actiuam, ac non actiuam, & in vtraque agente effectus ſupernaturales æque commendatur perfectio infinita dominij, ac poteſtatis diuinæ. Ergo vtraque poteſt obedire Deo eleuanti ad productionẽ effectus ſupernaturales. Relege quæ adduximus diſp.40.ſect.2.ad ſtatuendum potentiam obedientialem actiuam, & deprehendes, eam, aut nulli creaturæ, aut omnibus conuenire.

Secunda eluci datur

P.Fonſeca. P. Arrubal. AEgidius de Præſen. Cabrera. P.Suarez. P. Albertinus. P.Iannerus

3. Tertia eſt. An potentia obedientialis actiua ſit eſſentialiter paſſiua? Qui enim volunt creaturam eleuari ad agendum per qualitatem, aut motionem inhærentem, volunt, potentiam obedientialem actiuam à paſſiua eſſe diſtinctam, ſed actiuam conſtituunt capacitate ſuſcipiendi in ſe virtutem creatam realiter ſuperadditam, qua res creata actiue potens efficitur. At nos, qui eis refragamur, aliter in re præſenti ſentimus. Etenim cum virtus obedientialis actiua ſeorſim à paſſione alicuius intrinſece ſuperadditi rebus creatis conueniat, non eſt quare potentia obedientialis actiua paſſiuam intrinſece comprehendat, aut ſupponat. Vt enim creaturæ agentes ſunt abſque paſſione virtutis intrinſece ſuperadditæ, ita poſſunt eſſe actiuæ, quin paſſiuas apprehendi, neceſſe ſit.

Tertia.

Propria ſententia.

4. Quarta difficultas eſt; an potentia obedientialis actiua ſit diſtincta ratione noſtra ab

Quarta.

Digitized by Google

entitate rei creatæ? Non eſt controuerſia de actiuitate abſoluta, quam etiam realiter inadæquate ab illa diſtingui, iam ſtatuimus diſput. præterita. Eſt ergo quæſtio de ſola actiuitate conditionata, quam rebus creatis realiter idẽtificatam tuemur. Pater Albertinus, Pater Granadus, AEgidius de Præſentatione, & alij formalitatem aſſerunt ex parte obiecti diſtinctam, & veluti proprietatem conſequutam entitatem creaturæ. Quin plures eorum prædicant proprietatem formaliter, & intrinſece ſupernaturalem, ſpectantem formaliter ad genus entium intrinſece ſupernaturalium; quia omnis potentia ſumit ſpeciem ab obiecto, ſeu termino, quem intrinſece reſpicit. Potentia autem obedientialis intrinſece reſpicit obiectum, ſeu terminum intrinſece ſupernaturalem.

P. Albertinus. P.Granadus. AEgidius.

Noſtrum iudicium.

5. Ego vero vt ab hoc vltimo initium ſumam, oſtendi diſp. 8. ſect. 1. eiuſmodi potentiam eſſe non poſſe formalitatem intrinſece ſupernaturalem. Item diſp. 32. non eſſe ordine aliquo tranſcendenti, ac ſibi intrinſeco relatam in terminum quidditatiue ſupernaturalem. Ex quibus deprehenditur, nullo fundamento adſtrui potentiam formaliter ſupernaturalem. Vnde item quæſtionem dirimo negando, eſſe formalitatem ex parte obiecti conſequutam, & diſtinctam ab eſſentia, ſeu entitate rei creatæ. Nam in re creata non eſt aliqua formalitas, quę ordine ſibi intrinſeco terminum ſupernaturalem reſpiciat potius, quam alia, nec quæ à termino ſupernaturali potius, quàm alia reſpiciatur. Ergo nulla eſt formalitas, quæ conceptu quidditatiuo ſit obedientialis potentia potius, quam alia. Explicatur; creatura non eleuatur ad agendum ſupra naturam, quia naturaliter actiua eſt, ſed quia entitas creata eſt, vt numero 2. exponebamus. At omnis formalitas creata, vt virtualiter, & ex parte obiecti diſtincta ab alia, entitas creata eſt. Ergo nulla eſt ſpeciali ratione obedientialiter actiua. Iterum; ſecluſo quouis alio etiam virtualiter, & ratione obiectiue præſcindente diſtincto entitas creaturæ eſt ſubdita dominio, & poteſtati Dei, ab eaque, proxime eleuabilis apprehenditur, cum per ſuperadditam formalitatem naturalem, & creatam ſibi realiter identificatam nequeat eleuationi, & actioni ſupernaturali aptior reddi, quam per ſe ipſam immediate exiſtit, ſiquidem ex ſe omnis formalitas naturalis, & creata æque diſtat à proportione cum termino, & actione intrinſecè ſupernaturali. Ergo entitas creaturæ, ſe ipſa ex parte obiecti immediate, ac proxime obedientialiter actiua eſt.

Obiectæ.

6. At obijcies primo Auguſtinum de gen. ad litt c. 17. & 18. aſſerere potentiam obedientialem eſſe rationem, ſeu cauſam à Deo inditam rebus creatis vltra primam conditionem ipſarum. Secundo Ariſtotelem collocare omnem potentiam in ſpecie qualitatis, ideoque nullam rationem potentiæ tranſcendere poſſe omnia prædicamenta. Tertio potentiam obedientialem non eſſe conceptum eſſentialem creaturæ, ſed conſequutam ad eius eſſentiam; cum poſſit apprehendi eſſentia creaturæ abſque potentia obedientiali, vt Gentiles Philoſophi apprehendunt. Hæc tamen facile expediuntur. Ad primum dico. Auguſtinus agit de potentia obedientiali, vt eſt abſolute actiua; qua ratione ab entitate creaturæ, non ratione ſolum, ſed etiam realiter, ego quoque illam diſtinguo. Non agit de potentia obedientiali, vt eſt actiua ſub conditione, de qua modo diſſerimus. Ad ſecundum, etiam Ariſtoteles agit de potentia abſolute actiua, eaque naturali; non de obedientiali, & ſolum actiua ſub conditione. Immo diſſerit de potentia, quæ eſt facultas, & proprietas rei, ex natura rei ab eius entitate diſtincta, vt eſt calor comparatione ignis. Item mea opinione poteſt eadem res ad diuerſa prędicamenta pertinere ſola diſtinctione rationis ex modo concipiendi, & non ex parte obiecti formalitates diuidente. Qua diſtinctione etiam potentia obedientialis diſtinguitur ab eſſentia creaturæ particularis, vt aſſertione ſequenti ſtabiliemus. Ad tertium; potentia obedientialis, ſub conditione actiua, non eſt eſſentia creaturæ ex modo concipiendi intellectus; eſt tamen eſſentia creaturæ ex parte obiecti.

Solutiones

Aſſertum ſecundum.

7. Quare aſſero ſecundo. Potentia obedientialis actiua diſtinguitur ex modo concipiendi ab eſſentia cuiuſlibet creaturæ in particulari. Nam ad diſtinctionem rationis ex modo concipiendi, ſufficit, eandem actiuitatem, ſeu formalitatem obiectiuam referri ad connotata diuerſa, cognitione ſeparabilia, vt in dialectica expoſuimus. At differentia cuiuſlibet creaturæ, & potentia obedientialis actiua referuntur ad connotata diuerſa, cognitione ſeparabilia. Ergo diſtinguuntur ratione ratiocinata ex modo concipiendi. Probatur minor, differentia creaturæ refertur ad effectus naturales, v. g. homo ad actus cognoſcendi, & amandi; ignis ad calorem, & ſol ad lucem; potentia obedientialis vero ad effectus ſupernaturales non vitales, vt gratiam iuſtificantem, lumen gloriæ, & ſimiles. At hi effectus naturales, & ſupernaturales non vitales cognitione ſeparabiles ſunt. Neque enim qui apprehendit entitatem producentem calores aut luces, tenetur apprehendere gratiam, neque qui apprehendit entitatem efficientem gratiæ, tenetur apprehendere calorem, aut lucem. Ergo differentia creaturæ, & potentia obedientialis referuntur ad connotata diuerſa.

Explicatur.

7. Dixi, potentiam obedientialem diſtingui ex modo concipiendi ab eſſentia creaturæ in particulari. Quoniam ab eſſentia creaturæ ſecundum omnem rationem creaturæ non diſtinguitur, etiam ex modo concipiendi; quanquam communis ratio creaturæ eo modo à potentia obedientiali diſtincta ſit. Nam potentia obedientialis apprehendi nequit, quin ea apprehenſione obijciatur explicite entitas pendens à Deo, & ſubdita dominio ipſius, quæ eſt ratio formalis, & eſſentia creaturæ. At vero apprehendi poteſt entitas pendens à Deo, & ſubdita dominio ipſius quin eo conceptu obijciatur explicite entitas eleuata, aut eleuabilis in actionem aliquam ſupernaturalem, vt eam apprehendunt gentiles philoſophi, & quotquot

negant

negant virtutem obedientialem phyſice actiuam. Quamuis enim actio ſupernaturalis pendens à re creata tanquam ab iſtrumento, quem connotat potentia obedientialis, diuidi nequeat apprehenſione intellectus à dependentia creaturæ à Deo, quam connotat ratio formalis creaturæ: tamen depēdentia creaturæ à Deo ſeparari apprehēſione poteſt ab actione ſupernaturali poſſibili, etiam ſub cōditione propoſita. Ergo ratio creaturæ, & potentia obedientialis diſtinguitur ratione ratiocinata ex modo concipiendi ſolum inadæquate, non vero adæquate, vt ratio creaturæ à ratione potentiæ obedientialis, non vero è contra ratio potentiæ obedientialis à ratione creaturæ diſtincta ſit.

Additio. 9. Vnde conſentienter addo. Licet potentia obedientialis ſecundum rationem potentiæ obediētialis cōmunem homini, & lapidi poſſit ex modo apprehendēdi ratione ratiocinata diuidi à differentia hominis, & lapidis; cæterum ſecundum rationem potētiæ obedientialis hominis, & lapidis propriam ab eorum differentijs diuidi nequit, quamquam differentiæ eorū à potentia obedientiali ſibi propria diuiſibiles ſint. Nam cum potentia obedientialis hominis realiter ſit indiſtincta ab entitate hominis, & potentia obedientialis lapidis ab entitate lapidis, & entitas hominis differat ſpecie ab entitate lapidis, & potentia obedientialis hominis à potentia obedientiali lapidis ſpecie differens eſt, quare vna referibilis eſt ad actiones ſupernaturales differentes ab ijs, ad quas alia eſt referibilis, quod actiones pendentes eſſentialiter ab vna repugnent pendere ab alia. At potentia obedientialis hominis ſecundum differentiam ſpecificam, qua à potentia obedientiali lapidis diuiſa eſt, complectitur eſſentialiter differentiam entitatiuam hominis, ſicut complectitur rationem communem entitatis creatæ ſecundū rationem potentiæ obedientialis vtrique communem, cum talis differentia contrahat rationem communem per aliquod prædicatum naturale, homini eſſentiale, ac proprium, aliudq; non ſit à differentia entitatiua hominis diſtinctum. Ergo ſecundum talem differentiam potentiæ obedientialis diuidi nequit potētia obedientialis hominis ab entitatiua differentia hominis. Verumtamen differentia entitatiua hominis ab ea differentia potentiæ obedientialis modo concipiendi præſcindibilis eſt, quia & complete apprehenditur cōceptu referente ipſam ad operationem naturalem propriam naturæ humanæ, quin ad ſupernaturales referri neceſſe ſit. Ergo diſtinctione rationis non mutua differentia entitatiua hominis, & differentia potentiæ obedientialis diſtinctæ ſunt.

Primo obijcitur. 10. Obijcies primo. In homine ſunt plures formalitates obiectiue diſtinctæ, vt ratio eſſentialis diſcurſiui, & proprietas admiratiui aut riſiui, ac loco motiui, & omnes iſtæ formalitates, vt ab alijs diſtinctæ ex parte obiecti ſunt eſſentialiter actiuæ, cum omnes, quia creatæ ſunt, & dominio diuino ſubiectæ, ſint ratione ſui immediate eleuabiles in actionem ſupernaturalē. At vt potentia obedientialis, homini propria, ac differens à potentia obedientiali lapidis apprehendatur, ſufficit apprehendi prædicatum admiratiui, aut aliud proprium non eſſentiale homini. Ergo opus non eſt apprehendi differentiam eſſentialem; ac proinde potentia obedientialis ab ea differētia poteſt diſtingui, etiam ſecundum rationem potentiæ obedientialis, homini propriam? Reſpōdeo, ſi in homine exiſtunt plures potentiæ obedientiales virtualiter, & obiectiue diſtinctæ, quia ratio potentiæ obedientialis, ſicut ratio entitatis creatæ, obiectiue tranſcendit omnes formalitates humanas, vt argumentum ſopponit, ita accipiendum eſt, potentiam obedientialem hominis, ſecundū quod differt à potentia obedientiali lapidis, non diſtingui etiam ex modo concipiendi à prędicato eſſentiali hominis, vt ea potentia obedientialis, quæ obiectiue tranſcendit differentiam eſſentialem, etiam ex modo apprehendendi tranſcēdat illam, ſecundum quod à potentia lapidis diuiſa eſt, & ea, quæ tranſcēdit obiectiue proprietatem logicàm admiratiui, & ex modo apprehendendi in eadem conſideratione tranſcendens ſit, & ratio potentię obedientialis hominis propria, omnibus formalitatibus humanis cōmunis, eſſentialiter complectatur etiam ex modo cōcipiendi prædicatum hominis proprium, commune differentiæ eſſentiali, & proprietatibus logicis ipſius. Quo ſemper verum eſt, rationem potentiæ obedientialis, ſecundum quod hominis propria eſt, & à potētia lapidis differt, non poſſe etiam ex modo apprehendendi diſtingui ab entitate hominis, ſecundum quod ab entitate lapidis differt. Quod ſolummodo curamus.

Reſpondetur.

11. Obijcies ſecundo. Potentia obedientialis conuenit creaturis ſeorſim à dependentia, quam habent à Deo, nam etiamſi per impoſſibile non eſſent creaturæ à Deo, ſed à ſe ipſis productæ, poſſent ſubiacere dominio Dei, & Deus poſſet ratione ſuæ poteſtatis infinitæ eis vti tanquam inſtrumentis ad agendum ſupra ipſarum naturam. Ergo ex modo concipiendi poteſt diſtingui ratio potentiæ obedientialis à ratione creaturæ? Tranſeat antecedens; & nego conſequentiam. Nam ea etiam conſideratione res creatæ apprehenduntur creaturæ, hoc eſt, contingenter productę ab alio, & à Deo realiter diſtinctæ, ac proinde dominio, ac poteſtati ipſius ſubiectæ. Ratio autem creaturæ, à qua, neque ex modo concipiendi præſcindo potentiā obedientialem, ea ſolum eſt, qua res conſtituitur inferior Deo, ab eoque diſtinguitur, & ipſius dominio ac poteſtati ſubijcitur. Quidquid ſit de eſſentiali dependentia in eſſendo ab actuali actione Dei.

Secundo obijcitur

Occurritur

Vrgetur. 12. Vrgebis. Relationes diuinæ ſecundum eſſe relatiuum virtualiter ab eſſe abſoluto diſtinctum ſunt obedientialiter actiuæ. Tamen potentia obedientialis illarum non complectitur rationem creaturæ. Ergo ratio communis potentiæ obedientialis poteſt abſtrahi ex modo concipiendi à ratione creaturæ. In primis negaui ſuperioribus, relationes diuinas ſecundum eſſe relatiuum, eſſe actiuas creaturarum ad extra, etiam poteſtate abſoluta Dei. Inſuper, caſu quo aſſerantur actiuæ ad extra, non fore actiuas

Satisfit.

Per obedientialem potentiam proprie dictam, de qua modo diſputamus. Denique addo, eſto relationibus diuinis conueniat potentia obedientialis proprie dicta, aliam eſſe potentiam obedientialem competentem relationibus à potentia obedientiali creaturis communi. Nūc autem à nobis diſſertum eſſe de ratione potentiæ obedientialis propria ſolis, & communi omnibus creaturis, prout à potentia obedientiali rerum, quæ dominio Dei ſubiectæ non ſunt, differens eſt. Qua ratione ex dictis liquidum eſt, communem conceptum potentiæ obedientialis, neque ex modo concipiendi poſſe præſcindi à conceptu creaturæ.

Quinta difficultas. 13. Quinta difficultas eſt; An potentia obedientialis ratione ratiocinata diſtinguatur à potentia naturali, nempe, quæ effectuum naturalium actiua eſt? Non eſt quæſtio de potentia obedientiali abſolute actiua, ſed actiua ſolum ſub conditione, vt notauimus difficultate præcedenti. Qui potentiam obedientialem negant rebus naturaliter non actiuis, non diſtinguunt adæquate potentiam obedientialem à potentia naturali, quam eſſentialiter complectitur, vt nos non diſtinguimus potentiam obedientialē ad actus vitales à potentia naturali, quam eſſentialiter exigit, diſput. 33. ſect. 2. Ego vero, qui communem arbitror potētiam obedientialem non vitalem, rebus etiā naturaliter non actiuis, puto in primis, ratione ratiocinata ex modo concipiendi diſtingui poſſe adæquate, & mutuo à potentia naturali. Conſtat ex nu. 7. Nam potentia naturalis, & obedientialis connotant effectus diuerſos cognitione ſeparabiles; quippe potentia obedientialis gratiam iuſtificantem, characterem, & ſimiles qui poſſunt apprehendi abſque luce, calore, aut frigore, quos connotāt potentia illuminatiua ſolis, calefactiua ignis, & frigefactiua aquæ. Potentię autem, quæ connotant effectus diuerſos cognitione ſeparabiles, poſſunt ex modo cōcipiendi ab inuicem ratione pręſcindi. Neque obſtat, potentiam obediētialem vitalem, ad cognitiones, & effectus ſupernaturales non poſſe ea ratione diuidi à potentia naturali cognoſcendi, & amandi. Nam potentia obedientialis vitalis ad eos actus communis non eſt rebus non cognoſcētibus, & volentibus naturaliter, ſicut potentia obedientialis non vitalis rebus naturaliter nihil agentibus communis eſt. Quippe effectus vitales ſua peculiari conditione poſtulant fieri ab eis potentijs naturalibus; effectus vero non vitales à ſolo Deo poſtulant proceſſionem, & non ab aliqua creatura naturaliter agente, potius quam à natura agente. Dixi potentiam obedientialem vitalem ad cognitiones, & effectus ſupernaturales non poſſe ex modo concipiendi diſtingui à potentia naturaliter cognoſcente, & volente. Quoniam potentia obedientialis non vitalis, etiam ad eos actus diſtingui poteſt. Puta ſi lapis eleuetur ad efficiendum eos actus, & eadem ratione potentia cognoſcitiua, & relatiua humana ad cognitiones, & volitiones Angelicas. Talis enim obedientialis potentia non vendicat eſſentialiter vim naturaliter cognoſcentem, & volentem, ſed ijs etiam qui naturaliter cognoſcentes, & volentes non ſunt, communis eſſe poteſt.

primū pronuntiatum.

14. Inſuper puto, à potentia naturali diuidi non poſſe ratione ratiocinata præſcindente ex parte obiecti potentiam obedientialē ipſi realiter identificatam. Nam ſi facultates naturales diſtinguantur realiter à ſubſtantia rei agētis per illas, vt calor à ſubſtantia ignis, & intellectus, & voluntas à ſubſtantia animæ, diſtingui poteſt, non ſolum ratione præſcindente ex parte obiecti, ſed etiam realiter potentia obedientialis identificata ſubſtantiæ à potentia naturali eiuſdem ſubſtantiæ, quæ à ſubſtantia ipſa realiter diſtincta eſt. Nam etiam ipſa ſubſtantia immediate poteſt aſſumi inſtrumentum ad agendum gratiam, aut aliam formam ſupernaturalem, quin eius potentia naturalis realiter diſtincta ad eam actionem aſſumatur. Tunc autem potentia obedientialis ſubſtantiæ identificata ſubſtantiæ, realiter eſſet diſtincta à potētia naturali, quæ non identificatur ſubſtantiæ. At vero ſi ipſa ſubſtantia naturalis actiua eſt abſq; facultate ſuperaddita, aut facultas ſuperaddita obedientialiter agat formam ſupernaturalem, potentia obedientialis ipſis identificata non diſtinguitur ex parte obiecti ab actiuitate naturali ipſarum. Colligitur ex dictis num. 5. Etenim potentia obedientialis non eſt aliqua formalitas obiectiua diſtincta ab entitate, & eſſentia rei agentis. At potentia naturalis eſt entitas, & eſſentia rei agentis per potentiam obedientialem ſibi identificatam. Ergo ex parte obiecti non diſtinguitur potentia obedientialis à potentia naturali. Recole dicta difficultate quarta. Secundum.

P. Albertinus refragatur. Auguſtinus 15. Oppoſitum ſentit Pater Albertinus ſupra. Primo, quia Auguſtinus de gene. ad litt. cap. 17. docet, præter ſeminales rationes (quæ ſunt facultates naturales) indidiſſe Deum rebus creatis alias rationes ad agendum ſupra naturā, (quę ſunt facultates obediētiales.) Ergo ratione ratiocinata ex parte obiecti alia eſt facultas obedientialis à facultate naturali. Reſpondeo. Auguſtinus loquitur ibi de facultate obedientiali abſolutè actiua, quam nos libenter diſtinguimus à facultate naturali, tum ratione, tum etiam realiter: non vero de facultate obedientiali conditionata, de qua nunc pugnamus. Deinde confert facultates naturales diſtinctas à rebus creatis cum facultate obedientiali ipſis identificata. Denique aliam docet facultatem obedientialem à naturali, abſtrahendo ab alietate rationis obiectiua, & formali ex modo concipiendi ſolum: qua ratione, & nos aliam cenſemus potentiam obedientialem à naturali, vt aſſerto præcedenti ſtatuimus. Exponitur.

Secundo opponitur. 16. Secundo. Potentia obedientialis, & naturalis referuntur cognitione noſtra ad effectus longe diuerſos. Ergo poſſunt ratione præcindente ex parte obiecti diſtingui. Nego conſequentiam. Nam, vt docui in dialectica, & exponam in metaphyſica, non ſufficit diuerſitas effectuum, & connotatorum ad diſtinctionem rationis præſcindentis ex parte obiecti. Quod conſtat in ente, & attributis ipſius, quæ connotant terminos extrinſecos diuerſos abſq; Obuiamitur.

Digitized by Google

diſtinctione præciſiua ex parte obiecti.

Tertio. 17. Tertio argui poteſt. In re creata naturaliter actiua ſunt plures formalitates obiectiue diſtinctæ à potentia naturali. At potentia obedientialis talis rei naturaliter actiuæ poteſt obiectiue identificari formalitati obiectiue diſtinctæ à potentia naturali. Ergo opus non eſt obiectiue identificari potentiæ naturali.

Dilutio. Tranſeat maior. Et diſtinguo minorem; potentia obedientialis adæquata rei poteſt identificari formalitati obiectiue diſtinctæ à virtute naturali; nego minorem. Potentia obedientialis inadæquata; concedo minorem. Itaque in re creata continente plures formalitates obiectiuas potentia obedientialis tranſcendit omnes formalitates illius, cum eadem ratio ſit, vt omnibus conueniat potentia obedientialis, quæ conuenit vni, nempe eſſe entitatem creatam ſubditam dominio, & poteſtati diuinæ: atque ita cum res creata eleuatur ad agendum aliquid ſupernaturale, omnes rei formalitates conferunt immediate actionem, quin vna ſit, quę realiter obedientialiter agens non ſit. Ergo cum potentia naturalis ſit etiam formalitas creata identificata rei obedientialiter agenti, etiam potentiæ naturali erit obiectiue identificata potentia obedientialis, quæ alijs formalitatibus obiectiue identificatur.

DISPVT. QVADRAGESIMATERTIA.

AN POTENTIA OBEDIENTIALIS RECTE, ET ADÆQVATE diuidatur in actiuam, & paſſiuam.

Aureolus negat. 1. AVreolus in 1. diſtinct. 42. art. 3. §. *In ſecunda vero inquiſitione*, negat recte diuidi potentiam obedientialem in actiuam, & paſſiuam. Quia potentia obedientialis non eſt potentia proprie dicta, ſed improprie, & tranſumptiue. Potentia vero paſſiua, & actiua eſt proprie potentia. Aſſumptum probatur, quia potentia obedientialis non eſt aliquid poſitiuũ, ſed negatiuum, nempe non reſiſtentia actioni diuinæ. Negatio autem non eſt proprie potentia. Quare potentiam obedientialẽ non agnoſcit in rebus exiſtentibus ad agendum, aut patiendum; ſed in rebus non exiſtẽtibus ad eſſendum, quæ vere dicuntur eſſe ſub obedientiâ Dei, quia imperium diuinum extenditur, vt res poſſibiles de non eſſe traducantur ad eſſe, & res creatæ imperio diuino ſubſunt, obediuntque, terminando actionem exequutiuam ipſius.

Capreolus affirmat. 2. Quam ſententiam pluribus refert, & reijcit Capreolus eadem diſtinctione 42. q. 1. §. *Quantum ad ſecundum*, & §. *Ad argumenta Aureoli*.

Merito. Et quidem ab omnibus Theologis deſeritur, cum omnes planiſſime tueantur, potentiam obedientialem agentem, & patientem, vt omnibus, quæ præteritis diſputationibus præmiſimus, ſatis exploratum eſt. Equidem Aureolum ſolum vocibus diſſidere à reliquis Theologis puto. Verum in quæſtionibus de voce ſtandum eſt cõmuni ſcholaſticorum ſignificationi; quippe illis licitum eſt ſignificationes congruentes ad vſum diſputationum pro libito definire. At voce potentiæ obedientialis ab illis accepta, iam eſt ratio potentiæ, etiam actiuam, & paſſiuã comprehendens. Et merito; quoniam ſpecialis eſt ratio potentiæ agentis, & patientis formas, & effectus ſupernaturales, qui non continentur in virtute naturæ, neque principiorum, quæ naturæ debita ſunt longe differens ab ea, quę conuenit potentiæ agenti, & patienti formas, & effectus naturales, quæ in virtute naturæ, & principijs ipſi debitis continentur, vt præteritæ diſputationes, quæ in eius potentiæ explicationem incubuerunt, ſatis manifeſtum efficiunt. At hæc ſpecialis potentiæ ratio ſignificabilis eſt aliqua voce, & ad diſputationes Theologicas expedit illam ſignificari. Nulla autem voce ſignificatur aptius, quam voce potentiæ obedientialis; cum ratio potentiæ actiuæ, atque paſſiuæ formarum naturalium ſignificetur congruenter voce potentiæ naturalis. Ergo recte comprehenditur potentia actiua, atque paſſiua ſub potentia obedientiali.

Aureolus examinatur. 3. Neque ſcio, cur Aureolus creaturas terminantes actionem imperij diuini agnoſcat obedientes Deo, & renuat admittere obedientes, potentias exequentes imperium, vt vere illius exequentes ſunt potentia agens, & patiens. Dices, hac ratione etiam potentiam naturalem poſſe dici obedientialem; quia etiam potentia naturalis exequitur imperium Dei. Reſpondeo. Aureolus potentiam obedientialem tribuit creaturis, non ſolum ad terminandũ actionem ſupernaturalem; ſed etiam ad terminandum actionem naturalem. Atque ita lata quadam ſignificatione poſſet tribuere potentię naturali exequenti imperium diuinum rationẽ potentię obedientialis. Verum ſtricta ſignificatione, qua nunc vtuntur Theologi, excluditur potentia naturalis à ratione potentiæ obedientialis. Quia potentia naturalis conſequitur imperium Dei facultate ſibi propria, atque notiua; potentia obedientialis vero dicitur, quæ illud exequutione implet, facultate ſibi extrinſecus à Deo imperante conceſſa. Quare hæc differentia exequendi imperium Dei ſignificatur vſurpatione potentiæ obedientialis, & potentia obedientialis accipitur iam potentia, prout à potentia naturali diſtinguitur. Neque argumẽtum Aureoli quidquam efficit. Tum quia potentia obedientialis non eſt negatio, & non reſiſtentia pure negatiua, ſed poſitiua. Tum quia licet negatione conſtituatur, vt plures arbitrantur, non conſtituitur ſolâ negatione, quam fundat creatura capax terminare actionem, ſed ea

Digitized by Google

LIBER TERTIVS.

ACTVS SVPERNATVrales in genere.

EXPOSITIS principijs, quæ omni enti ſupernaturali communia ſunt, proximum eſt, vt ad aliqua entis ſupernaturalis genera deſcendamus. Ens ſupernaturale primo didi poteſt inſubſtantiale, & accidentale. De ente ſupernaturali ſubſtantiali nihil occurrit diſcerendum præter ea, quæ diſputatione vigeſima tertia diſſerimus; neque plura attingunt Theologi, neque plura expedit à nobis diſcuti; cum talis ſubſtantia ſupernaturalis fere ab omnibus cenſeatur repugnans, & ſaltem exiſtens non ſit, neque obiectum Sacræ paginæ, nec Conciliorum, aut Patrum Eccleſiæ, neque alijs Theologiæ ſubiectis cognoſcendis acuratior eius notitia neceſſaria. Accidens vero ſupernaturale negotium fuit totius laboris præteriti. Quod rurſus diuiditur in actuale, & habituale. Actuale comprehendit ſub ſe omnes actus ſupernaturales elicitos à natura rationali; tam perfectos, & abſolutos, quam imperfectos, inefficaces, ac ſimplices; ad quos attinent auxilia gratiæ actualis, quos ego ab illuſtrationibus, & affectionibus ſanctis non diſtinguo. Habituale complectitur omnes virtutes permanentes, tam Theologicas, quam morales.

Digitized by Google

Durandus. Baſſolius. Paludanus. Okamus. Gabriel. Almainus. Niſſe. Maior. Capreolus. Caietanus. Decanus Louanienſis. Panthuſa.

dere ſiue ſit ex virtute deſuper infuſa, hoc eſt, gratuita, ſeu Theologica, ſiue ex probatione, ſiue ex ſuaſione, ſiue ex natura, ſiue aſſuefactione, vnum eſt ſpecie. Durandus in 1. diſt. 17. qu. 2. præſertim nu. 22. in 2. d. 28. q. 1. n. 6. & 7. & q. 4. & 5. in 3. d. 23. q. 6. & d. 31. q. 4. nu. 10. & 11. Baſſolius in 3. d. 23. q. vnic. & d. 27. q. vnica. Paludanus ibidem qu. 3. circa finem §. *Tertio videndum eſt*, in 4. d. 14. qu. 2. & d. 49. q. 1. art. 1. con. 4. & inſtantia 2. & 3. nu. 8. 12. & 13. Okamus addition. ad 4. dub. 1. & quodl. 3. q. 7. Gabriel in 3. d. 23. q. 2. art. 1. ad finem, & art. 2. con. 2. & diſt. 27. qu. vnica art. 3. dub. 2. in 4. d. 14. qu. vnica art. 2. con. 5. referens Illiacum, & Okamum. Idem tenere videntur Almainus in 3. d. 23. q. 3. poſt concl. dub. 1. & d. 27. q. 1. Niſſe in reſolut. fol. 326. & 334. Maior in 4. d. 14. qu 1. Accedit eidem ſententiæ Capreolus in 1. d. 17. q. vnica art. 2. ad argumenta Aureoli contra 1. con. & in 2. d. 28. ad argumenta contra 1. con. & in 3. d. 24. ad 1. & 4. Scoti contra 2. Videtur etiam Caietanus 1. 2. q. 109. art. 4. §. *Obuiat ſecundo*, & 2. 2. qu. 171. art. 2. ad 3. & to. 1. opuſc. 4. de contrit. qu. 1. Sotus 1. de natura & grat. c. 22. corol. 2. ſub finem, & lib. 2. c. 16. ad 1. & c. 14. prope finem. Clarius Decanus Louanienſis art. 7. contra Caluinum pag. 293. *& poteſt homo per liberum arbitrium*, & Panthuſa opuſc. de prædeſt. & grat. c. 3.

Aureolus. Victoria. P. Molina. Iniquе aggregatur P. Molina negantibus.

2. Eiſdem annumerant Recentiores Aureolum apud Capreolum ſup. ſed apertius fauet contrariæ ſententiæ in 1. d. 17. art. 3. §. *Prima quidem*, & §. *Secunda vero propoſitio*, exigens ad entitatem actus charitatis habitum infuſum. Item Lorca d. 9. de grat. aggregat Victoriam relect. 1. de poteſt. Eccleſ. q. 1. n. 9. & Molinam in concord. q. 14. art. 13. diſp. 14. & 15. Sed apertiſſime fallitur. Nam Victoria ibi de hac re quicquam non agit. Molina vero, eis in locis, ſolum docet, credere, ſperare, & diligere Deum, ac pœnitere peccatorum hominem poſſe per actus quoad ſubſtantiam naturales ex eodem obiecto formali, ex quo homo credit, ſperat, & diligit Deum, ac peccatorum pœnitet per actus elicitos ab habitibus infuſis. At actus intrinſece ſupernaturales admitti recte poſſunt, quamuis obiecto formali non differant ab actibus entitate naturalibus, vt cum eodem Lorca docebimus diſputatione ſequenti. Et quidem Molina aperte diſtinguit ſpecie actus entitate naturales, ab actibus elicitis per virtutes infuſas in concord. qu. 14. art. 13. diſp. 7. §. *Noſtram ſententiam*, fine diſp. 14. memb. 1. §. *In eadem ſententia*, & memb. 2. §. *Deinde*, & frequentiſſime in eadem, & ſequenti diſp. præſertim dicto 3. & diſput. 38. in editione Antuerpienſi præſertim §. *Denique*. §. *Illud circa*. §. *Illud deinde*, & §. *Hinc illud*, & alibi paſſim. Ergo tuetur Molina actus entitate ſupernaturales; quandoquidem, fatente eodem Lorca, in re actus intrinſece ſupernaturales non ſunt alij, quàm actus eliciti virtute ſupernaturali, ſpecie differentes ab actibus elicitis virtute naturali. Alij ſuperioribus adiungunt ſanctum Thomam, & Scotum. Quorum mens expendenda eſt à numero 5.

Qui aſſerant. Alenſis. Bonauentura. Henricus. Altiſiodorenſis. Argentinas. Marſilius. Richardus. Aureolus. Abulenſis. Angles. Almainus. Caietanus. Driedo. Palatius. Ouandus. Vega. Catherinus. Oſſorius. Camerarius. Albertus Pigius. Medina. Conradus. Canus. Petrus de Soto. Nauarrus. Martinus Ledeſma. Bannes. Zumel. Lorca. Aragon. Herrera. Stapletonius. Aluarez. Bellarminus. P. Henriquez. P. Valentia. P. Molina. P. Suarez. P. Vaſquez. P. Conninck. P. Iannerus. P. Turrianus. P. Granadus. P. Ruiz. P. Salas. P. Albertinus.

3. Actus vero entitate ſupernaturales aſſerere videntur ex priſcis Theologis Alenſis 3. p. qu. 74. memb. 2. & 4. p. qu. 74. memb. 4. Bonauentura in 3. d. 23. art. 2. q. 2. & d. 26. q. 1. Henricus quodl. 9. q. 13. Altiſiodor. 2. ſummæ tr. 1. c. 4. Argentinas in 3. d. 29. q. vnica art. 2. Marſilius in 3. qu. 15. in principio. Richardus in 4. d. 14. art 4. q. 1. & in 3. d. 23. art. 3. q. 1. & 2. & art. 7. q. 2. & diſt. 26. art. 4. q. 6. Aureolus relatus numero præcedenti, Abulenſis Math. 19. q. 178 179. Angles in 4. q. de contrit. art. 4. & in 2. d. 28. q. de neceſſit. gratiæ art. 3. & 4. cenſetque probabile Almainus in 3. d. 23. q. 3. dub. 1. poſt concl. 5. Cui ſententiæ magis fauet Caietanus, quàm oppoſitæ, vt prodit 3. p. q. 76. art. 7. §. *Ad euidentiam*, his verbis; *Naturale, & ſupernaturale ſunt & differentia entis, & differentia modi*; & inter ſupernaturalia quoad entitatem mox refert charitatem, & virtutes. Ex Theologis noſtri ſæculi Driedo de gratia, & libero arbitrio tr. 2. cap. 4. p. 2. Palatius in 4. diſt. 17. diſp. 1. Ouandus in 3. diſt. 23. prop. 3. & qu. 2. art. 2. dub. 1. Vega de iuſtific. q. 8. & 6. in Tridentinum cap. 33. vſque ad vndecimam, Catherinus lib. 5. contra Caietanum de Sacramento pœnitentiæ, Oſſorius 4. de Iuſtitia, Camerarius lib. 1. de gratia, & libero arbitrio cap. 10. Albertus Pigius 3. de libero arbitrio, Medina 1. 2. qu. 109. art. 3. & 4. & qu. 62. art. 2. Conradus 1. 2. qu. 109. art. 3. & 4. Victoria in manuſcriptis 2. 2. q. 62. art. 1. Canus de pœnitentia p. 3. ante medium. Petrus de Soto lectione 9. de pœnitentia, Nauarrus in ſumma cap. 27. num. 290. Martinus Ledeſma 1. p. qu. 33. art. 3. Bannes 2. 2. q. 23. art. 2. & qu. 44 art. 2. Zumel 1. 2. q. 109. art. 1. diſp. 1. & 2. & art. 4. diſp. 3. Lorca de gratia diſp. 9. Aragon 2. 2. q. 1. art. 4. & q. 4. art. 2. & q. 23. art. 2. Herrera to. 1. diſp. 1. q. 1. 2. 3. & 5. Stapletonius in prologo lib. 5. de iuſtificatione, Aluarez de auxiliis d. 65. Item ex noſtra ſocietate Bellarminus 1. de pœnitentia cap. 6. §. 21. & lib. 6. de gratia, & libero arbitrio cap. 7. Pater Henriquez 1. de pœnitentia cap. 19. & 21. Valentia 1. 2. qu. 1. puncto 4. & latius qu. 5. puncto 4. §. 2. Pater Molina relatus numero antecedenti, Pater Suarez to. 4. in 3. p. diſp. 3. ſect. 6. lib. 3. de auxiliis cap. 1. & copioſius lib. 2. de gratia per totum, Pater Vaſquez 1. 2. diſput. 187. cap. 2. Pater Conninck 2. 2 diſp. 4. dub. 3. Pater Iannerus to. 2. diſput. 6. qu. 3. num. 151. & ſequentibus. Pater Turrianus de fide diſp. 46. dub. 3. Pater Granadus 1. 2. contr. de gratia diſp. 4. ſect. 1. Pater Ruiz de prædeſtinatione diſp. 46. ſect. 5. Pater Salas 1. 2. tom. 1. qu. 3. tract. 2. diſput. 3. ſectione 1. pag. 202. Pater Albertinus q. 1. Theol. corol. 5. pag. 253.

4. Cui ſententiæ adeo recentes ſectatores adhærent, vt oppoſitam opinionem grauibus cenſuris carpant. Canus ait, non ſolum eſſe falſam, & periculoſam, ſed erroneam, *ne quid*, addit, *acerbius dicam*. Sotus non eſſe tutam, & à diuo Thoma iudicatam Pellagianam. Zumel eſſe improbabilem, ac ſanæ doctrinæ diſſonam. Medina vero, oppoſitum eſſe de fide Catholica. Mitius noſtri doctores

Digitized by Google

loquuti ſunt; Vaſquez, ſolum probabiliorem; Suarez non eſſe tantis cenſuris dignam. Quid ego ſentiam, probationes ſententiæ aperient.

SECTIO SECVNDA.

Sententiæ affirmanti annumerandus Angelicus Præceptor, & ſubtilis Doctor.

5. At prius ſtatuendum, quæ fuerit hac in re mens Angelici Præceptoris, & Doctoris ſubtilis. Sunt enim, qui iudicent, ſanctum Thomam non agnouiſſe actus quoad ſubſtantiam ſupernaturales. Ita Capreolus, & Decanus Louanienſis. Illos ſaltem negaſſe 2. 2. q. 171. art. 2. ad 3. fatentur Medina, & Albertinus. Reliqui vero Theologi, præſertim Recentiores, alienam fuiſſe ab ea ſententia mentem Doctoris Angelici, ſtudioſè tuentur. De Scoto maior eſt dubitandi ratio. Neganti ſententię annumerantur ferè omnes ſcriptores noui. Affirmanti verò, Ouandus, Conradus, Lorca, & alij.

Capreolus. Decanus. Medina. P. Albertinus. Ouandus. Conradus. Lorca. S. Thomas Affirmanti ſententiæ adhæret.

6. Equidem ſanctum Thomam ignorantem actuum entitate ſupernaturalium non fero. Primò, quia 1. p. q. 12. art. 5. expreſſe docet, viſionem beatam excedere virtutem intellectus creati, atque adeo indigere lumine gloriæ intrinſece ſupernaturali. Secundò, 1. 2. q. 62. art. 1. corpore diſtinguit ſpecie actus perducentes hominem in fælicitatem ſupernaturalem ab actibus perducentibus eundem in fælicitatem naturalem, ideoque tribuit homini virtutes infuſas diſtinctas à virtutibus acquiſitis. Tertiò ibidem q. 109. art. 3. in corpore, & ad primum, & tertium diſcernit dilectionem naturalem, & ſupernaturalem ex obiecto, & ratione diligendi. Rurſus dilectionem ſupernaturalem nec in ſtatu originalis iuſtitiæ haberi potuiſſe ſine dono ſuperaddito gratiæ. Inſuper q. 114. art. 2. nullam naturam creatam eſſe ſufficiens principium actus meritorij, niſi ſuperaddatur aliquod donum ſupernaturale. Demum 2. 2. q. 24. art. 2. manifeſtum eſſe, quod actus charitatis excedit naturam potentiæ voluntatis, & inde neceſſarium eſſe habitum infuſum. Ex quibus hæc principia deduco manifeſte arguentia intrinſecam, & entitatiuam ſupernaturalitatem actuum. Primum eſt, dari actus excedentes vires naturæ, & exigentes principia infuſa, & intrinſece ſupernaturalia; Nam actus excedens quoad entitatem vires naturæ, & indigens viribus ſupernaturalibus, intrinſece ſupernaturalis eſt, vt initio diſputationis præmiſimus. Secundum eſt, actus virtutum infuſarum ſpecie differre ab actibus virtutum naturalium; Nam hæc differentia ſpecifica, & eſſentialis, eſt in re ſupernaturalitas entitatiua, quam quærimus; eſt enim eſſentialis connexio actuum cum principijs ſupernaturalibus, & excellentia intrinſeca ſupra actus mere naturales, & principijs naturalibus elicitos. Tertium eſt, actus ſupernaturales differre ex obiecto, & ratione formali obiectiua ab actibus naturalibus; Nam reſpectus ad obiectum, & rationem formalem obiectiuam eſt intrinſecus, & eſſentialis actibus. Ergo admittit ſanctus Thomas actus quoad eſſentiam, & entitatem ſupernaturales, ab actibus entitate naturalibus diuerſos. Omitto argumentum, quod alij promunt ex 1. 2. q. 109. vbi frequenter docet, aliquos eſſe actus, qui fieri non poſſunt ſine auxilio gratiæ. Quoniam communi Theologorum, & ipſorum arguentium opinione, ibi non ſolum loquitur ſanctus Thomas de actibus intrinſece ſupernaturalibus, ſed etiam intrinſece naturalibus, & de gratia etiam intrinſece naturali; quare etiam ad dilectionem efficacem naturalem, & obſeruantiam totius legis naturalis requirunt cum ſancto Thoma ibi auxilium gratiæ. Ergo non bene deducitur ſupernaturalitas entitatiua actuum. Cæterum collectio optima erit, ſi ponatur mea ſententia, ſingularis inter Recentes Theologos, aſſerens, ſanctum Thomam ibi, & reliquos Eccleſiæ Patres requirentes gratiam ad bene agendum, differere ſolum de gratia intrinſece infuſa, & ſupernaturali, & non alia. Inde enim rectè deprehenditur, actus eam gratiam exigentes eſſe intrinſece ſupernaturales; quippe intrinſece excedunt vires naturales, & vendicant ratione ſuę perfectionis eſſentialis vires ſupernaturales. Quod eſt in re ſupernaturalitas ſubſtantialis, quam contendimus; alia enim de voce ſunt, vt bene notauit Lorca diſp. 9. de gratia, & Aluarez d. 65. n. 1.

Primum argumentum. Secundum. Tertium.

Lorca Aluarez

7. Sed obijcitur primo. Sanctus Thomas in 2. diſt. 41. q. 1. art. 2. diſtinguens bonitatem moralem ſupernaturalem actus à bonitate ex obiecto, & circunſtantijs deſumptum, ex eo quod actus fiat ex habitu gratiæ informante; vbi indicat, ſupernaturalitatem eſſe denominationem extrinſecam ab habitu gratiæ. Secundo in primo diſtinctione 17. q. 1. art. 4. & in 2. diſt. 5. q. 2. art. 1. in corpore, & ad primum, & in 4. diſt. 17. q. 2. art. 5. quæſtiuncula 1. ad 6. docens, actum charitatis conferentem in ſalutem, ex ſpecie, & ſubſtantia ſua non excedere virtutem potentiæ naturalis. Quod cum ſubſtantia, & entitate ſupernaturali minime cohæret. Tertio q. 10. de veritate art. 10. ad primum, voluntatem ſuis viribus elicere actus ſimiles ijs, quos elicit ex gratia. Ergo actus eliciti ex gratia ſpecie non differunt ab actibus factis virtute naturæ. Demum 2. 2. q. 171. art. 2. ad 3. aiens, diligere Deum, & cognoſcere ipſum in ſpeculo creaturarum non eſſe ſupernaturale quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum; ſecus videre Deum, cognoſcere futura, & facere miracula. Eadem habet q. 24. de veritate art. 14. in corpore, & ad 1. & 2. dicens, bonum naturale, & ſupernaturale non differre ſecundum ſubſtantiam actus, ſed ſecundum modum agendi, & ita ſubſtantiam actus non excedere facultatem arbitrij, ſed modum, qui auxilium gratiæ requirit. Ergo ſentit actus charitatis, & ſimiles non eſſe ſubſtantia, ſed modo tantum ſupernaturales.

Obijcitur S. Thomas primo. Secundo. Tertio. Quarto.

8. Tamen hæc abſque negotio explicantur. Primum teſtimonium ſolum ſuperaddit extrinſecam actui bono ex obiecto bonitatem

Explicatur primum teſtimonium.

Digitized by Google

ſupernaturalem meriti, vt conſtat ex illis verbis; *& hac eſt bonitas ſecundum quam actus meritorius dicitur.* At etiam in noſtra ſententia actus intrinſece ſupernaturalis fit extrinſeca bonitate gratię iuſtificantis, & charitatis meritorius. Deinde non diſtinguit varias bonitates, tanquam perfectiones aſthomas eiuſdem actus, ſed tanquam ſuperiores, & inferiores, quæ diuerſas actuum ſpecies intrinſece conſtituunt; vnde alium docet bonum ſola bonitate phyſica, vt actum peccati; alium inſuper bonitate phyſica & morali, deſumpta ex obiecto; alium deinde bonum, bonitate phyſica, & morali, non qualicunque, ſed eâ, quæ Deum reſpicit, & à charitate originem trahit. Quas bonitates ita confert, vt deficiente poſteriori poſſit in alia ſpecie actus inueniri prior, quæ ipſam bonam reddat; *ſicut quamuis equus* explicat Angelicus Doctor, *deficiat à rationalitate, non tamen ideo malus eſt, ſed habet bonitatem deficientem à bonitate hominis.* Rationalitas autem, bonitas eſt quidditatiua hominis. Ergo differit de bonitate ſupernaturali quidditatiua actui.

Secundum. Secundum teſtimonium ex libris ſententiarum volunt retractatum à ſancto Thoma 1.2.q. 109. Caietanus, & Sotus relati diſp. 18. n. 60. (Caietanus. Sotus.) Deinde ibidem expoſuimus, conſentire præſenti doctrinæ & iis, quę ſanctus Thomas 1.2. docuit. Tertium. Tertium ſolum ſtatuit inter actus dilectionis naturalis, & ſupernaturalis ſimilitudinem ex obiecto, & quoad diſcretionem extrinſecam cognitionis experimentalis diſtinguentis vnam ab alia. At poſſe actum intrinſece ſupernaturalem ſpecie differre à naturali, quamuis cum illo conueniat obiecto formali, & ab illo cognitione naturali diſcerni non poſſit, oſtendemus inferioribus. Quartum. Quartum, quod vrgentius eſt; nihilo differt ab aliis, quæ Recentes ſcriptores fatentes palam actus intrinſece ſupernaturales tradiderunt. Bannes. Bannes enim 1.p. quæſt. 10. art. 5. dub. 4. ad vlt. & Zumel ibidem qu. 4. ad vlt. arg. aluiit, viſionem beatam habere ſubſtantiam naturalem. (Zumel.) Tamen non negant illam eſſe quidditatiue ſupernaturalem. Ergo neque D. Thomas cenſendus eſt negare actum charitatis intrinſece ſupernaturalem, quòd aſſerat, quantum ad ſubſtantiam eſſe naturalem. Medina. P. Vaſquez. Medina, Vaſquez, & plures alij volunt, ſanctum Thomam per ſubſtantiam actus charitatis accipere rationem genericam dilectionis Dei, communem dilectioni naturali; quæ planè ſupernaturalis non eſt: per modum vero, differentiam actus charitatis infuſæ, quæ intrinſece ſupernaturalis eſt. Aluarez. Aluarez arbitratur, ſanctum Thomam egiſſe de actu charitatis imperato, & externo; qui quantum ad ſubſtantiam naturalis eſſe poteſt; quamuis modus, quo ab actu interno dirigitur in Deum, intrinſece ſupernaturalis ſit. Diſſimulo harum interpretationum vim. Rectiùs, & planiùs expono mentem Angelici Magiſtri. Nimirum ſubſtantiam actus intelligit reſpectum ad obiectum formale, quia naturali, & ſupernaturali præſcindit; quia idem obiectum formale poſſunt actus naturalis, & ſupernaturalis verſari, vt diſputatione ſequenti expendemus. Sed quia modo reſpiciendi eſſentialiter differunt, ideo modum actus charitatis intrinſecum docuit ſupernaturalem. Atque ita ſanctus Thomas actum charitatis reliquit intrinſece ſupernaturalem; quandoquidem modus, quem tradit ſupernaturalem, à ſubſtantia actus indiſtinctus eſt. De quo modo agemus diſputatione 46.

9. Expendamus Scoti mentem, quæ ſubobſcura eſt. (Scotus iſtius affirmantis ſententię eſt.) Mihi probabile fit, admiſiſſe actus entitate ſupernaturales. Id conijcio primò; (Prima coniectura.) quia in primo diſt. 17. quæſt. 2. §. *Ad ſolutionem* habet, *ad actum meritorium non ſufficere voluntatem, ſed requiri influentiam ſpecialem, non formæ permanentis, ſed mouentis, ſicut inſtrumentum habet ab agente principali vltra formam.* Igitur admittit actus meritorios fieri non poſſe ſola facultate voluntatis abſque influentia ſpeciali gratiæ mouentis. Quod eſt actum eſſe entitate ſupernaturalem. Item inferius; *actum, qui eſt meritum, eſſe in poteſtate mea ſuppoſita influentia generali, ſi habeo vſum liberi arbitrij, & gratiam.* Atque adeo videtur ſentire, cum actum abſque gratia non eſſe in poteſtate arbitrij. Secundò, quia in 3. diſt. 23. (Secunda.) quæſt. vnica §. *Ad quæſtionem,* ait, *habitum fidei infuſæ non ſolùm eſſe propter intenſionem actus, ſed etiam propter aſſenſum, & certitudinem,* quam fides acquiſita obtinere non poteſt. Igitur cenſet, ipſam aſſenſus ſubſtantiam indigere auxilio gratiæ ſupernaturalis infuſo. Tertiò, (Tertia.) quia tum in primo diſt. 17. quæſt. 2. §. *Ad ſolutionem,* tum in 3. diſt. 23. quæſt. vnica. §. *Ad quæſtionem,* docet, actum charitatis in patria, & in via eſſe eiuſdem rationis atque ſubſtantiæ. At actus charitatis in patria adſtruitur ab ipſo intrinſece ſupernaturalis, cum beatitudinem noſtram ſupernaturalem conſtituat in ipſo actu charitatis, cumque aſſerat entitate nobiliorem viſione intuitiua Dei. Ergo credibile eſt, conceſſiſſe Scotum actus Theologicos entitate, & ſubſtantia ſupernaturales. Quarto quia in 3. diſt. 23. quæſt. vnic. §. (Quarta.) *Contra quia ſic dicendo,* videtur ſupponere ex §. antecedenti, fidem infuſam tribuere intellectui ſimpliciter poſſe credere. Atque ideo ſibi obijcit, inde fieri, fidem infuſam eſſe potentiam. Reſpondetque, fidem infuſam non eſſe potentiam, quia ad ſimpliciter poſſe non ſe tenet ex parte potentiæ, ſed ex parte obiecti credibilis, ſupponens ſimpliciter eſſe neceſſarium ad aſſenſum fidei quoad eius ſubſtantiam. Denique ibidem §. *ſecundo de fide infuſa* exponens, quare habitus infuſus ſit ſupernaturalis, ait; *Ideo fides aſſentiens reuelanti, quia aſſentit veracitati reuelantis, eſt habitus ſupernaturalis.* At etiam actus aſſentit veracitati reuelantis. Ergo etiam actus eſt ſupernaturalis, ſicut habitus.

10. Sed difficilem reddunt mentem Scoti. (Primum Scoti teſtimonium obijcitur.) Primò quòd in 1. diſt. 17. quæſt. 2. §. *Ad ſolutionem,* & in 2. diſt. 23. quæſt. vnica. §. *de tertio dico,* doceat, habitum charitatis non eſſe neceſſarium ad ſubſtantiam actus, ſed ad eius meritum, & intenſionem. Secundo, quia in (Secundum.)

Digitized by Google

3. diſt. 23. quæſt. vnica. §. *Contra quia ſic dicendo*, videtur aſſerere actum fidei infuſæ eſſe eiuſdem rationis cum acquiſita.

Tertium.

Tertiò quia ibidem §. *Ad quæſtionem*, tamen fine concludit, *fidem infuſam eſſe propter perfectionem gradus actus ſecundi, & ſi propter aliquam certitudinem velitis dicere, ſoluatis argumentum.* Ergo ſentit Scotus, actum fidei infuſæ quoad ſubſtantiam etiam eſſe naturalem.

Quartum.

Quartò, quia Scotus in genere docet pluribus in locis non dari formas intrinſece ſupernaturales, ſed eas per ordinem ad agens dici ſupernaturales. Ergo ſolum extrinſece, & non intrinſece tuetur ſupernaturales.

Exponitur primum.

11. Hæc tamen abſque vi explicari poſſunt conſentienter ad ſuperiora. Ad primum reſpondeo. Licet habitus charitatis non ſit neceſſarius ad ſubſtantiam actus, poteſt actus charitatis eſſe quoad ſubſtantiam ſupernaturalis; quia neceſſaria eſt gratia actualis tranſiens, & non permanens ad efficiendum illam, vt ex mente Scoti adduximus. Ad ſupernaturalitatem autem actus charitatis non requiritur neceſſarius habitus, ſed ſufficit, neceſſarium eſſe aliquod auxilium ſupernaturale, ſiue actuale, ſiue habituale, vt, mea opinione, actus charitatis; & reliqui meritorij ſunt intrinſece ſupernaturales, quamuis non ſit neceſſarius influxus habitus ſupernaturalis, ſed ſufficiat influxus gratiæ actualis, quo ſolo peccatores eliciunt actus intrinſece ſupernaturales. Igitur Scotus excluſit ad ſubſtantiam actus charitatis neceſſarium habitum ſupernaturalem, quia ſine illo poterat fieri actiuitate gratiæ actualis non permanentis in animo. Quia tamen habitum charitatis non diſtinguit à gratia iuſtificante, & illum aſſerit potentiorem, quàm gratiam actualem, ideò voluit, neceſſarium eſſe tum ad meritum actus, quod gratiam iuſtificantem deſiderat; tum ad actus intenſionem, quæ maiorem actiuitatem potentiæ vendicat. Et quidem eo ipſo quod habitum charitatis aſſerat neceſſarium ad intenſionem actus, conſequenter ſupponit, primum gradum eius intenſionis, & actus, qui ſine habitu fieri poteſt, eſſe intrinſece ſupernaturalem. Nam ſi gradus ſecundus exigit neceſſario concurſum habitus ſupernaturalis, debet eſſe intrinſece ſupernaturalis, nam omnis res exigens virtutem intrinſece ſupernaturalem, intrinſece ſupernaturalis eſt. At eo ipſo quod ſecundus admittitur ſupernaturalis, etiam primus ſupernaturalis ſupponitur, nam gradus intrinſece ſupernaturalis non poteſt intendere gradum intrinſece naturalem. Ergo ſupponitur ab Scoto primus gradus ſupernaturalis ab alio auxilio gratiæ actualis ſupernaturali.

Secundum.

Ad ſecundum nego, aſſerere Scotum actum fidei infuſæ, & acquiſitæ eſſe abſolute eiuſdem rationis. Tum quia ad argumentum, quo vtriuſque actus conuenientia obijcitur, ſic reſpondet; *ſed hoc forte conceditur, quia non eſt conueniens multis; ſicut de actibus intelligendi reſpectu obiectorum formaliter diſtinctorum.* Tum quia vtriuſque actus conuenientiam non fatetur omnimodam, & ex parte principij requiſiti ad ſubſtantiam eorum, ſed ſolum ex parte obiecti formalis. Quin, ibi manifeſte ſupponit, habitum infuſum eſſe ſimpliciter neceſſarium ad ſuos actus; atque ideo obijciens argumenta ad probandum fidem infuſam non eſſe habitum, ſed potentiam, ſupponit, non ſolum ad facile, verum etiam ad abſolute poſſe requiſitam eſſe, quod argumentis obiectis non negat; ſed affirmat, abſolutam eius neceſſitatem, non tam ratione potentiæ, quàm ratione obiecti credibilis adſtruendam eſſe. In quo Scotum non probo. Sed ne eum inconſequentiæ arguamus, vt arguitur à pleriſque, puto, ibi nomine fidei infuſæ non intelligere determinate habitum, qui ad ſubſtantiam aſſenſus fidei non eſt ponendus magis neceſſarius, quam habitus charitatis ad ſubſtantiam actus dilectionis Dei, ſed intelligere indeterminate habitum, aut aliud auxilium ſupernaturale ſubſtituens vicem ipſius habitus, videlicet gratiam actualem, aut qualitatem ſupernaturalem tranſeuntem, quæ ad aſſenſum fidei abſente habitu neceſſaria eſt, ſicut ab Scoto aſſeritur neceſſaria ad actum charitatis abſente habitu, vt oſtendimus numero ſuperiori. Et vero nomine fidei infuſæ comprehenditur, potius quam gratia actualis influens in dilectionem Dei nomine charitatis, quia facultatem præſtat ad credendum, quin ſit forma iuſtificans; charitas autem forma iuſtificans eſt in ſententia Scoti, quæ ratio formæ iuſtificantis non poteſt gratiæ actuali conuenire.

Tertium.

12. Ad tertium reſpondeo. Scotus ibi præmiſerat argumentum contra aſſertum, quo ſtatuerat, fidem infuſam ad aſſenſum, & certitudinem actus neceſſariam eſſe, & non ſolum ad intenſionem actus, ex eo quod fides infuſa non magis indeceptibiliter adhæret obiecto, quam fides acquiſita. Et huic argumento duobus reſpondet. Primo, habitum infuſum eſſe neceſſarium ad ſubſtantiam intenſionis, quæ debet eſſe ſupernaturalis, ſicut primus gradus remiſſus, qui ſine habitu infuſo auxilio gratiæ actualis haberi poteſt. Secundo, eſſe neceſſarium propter maiorem certitudinem, & indeceptibilitatem aſſenſus fidei infuſæ, quàm acquiſitæ. Neque prætermittit Scotus argumentum ſine ſolutione, vt ſiniſtre intelligunt plerique. Etenim non ſolum ait *ſoluatis argumentum*, aliis ſolutionem relinquens, ſed addit *ſoluatis argumentum factum, quòd non.* Hoc eſt, ſolutio ſit, negando fidem acquiſitam eſſe æque certam, & indeceptibilem, ac infuſam, quod erat argumento ſuperiori obiectum. Itaque ſemper retinuit fidem infuſam ad aliquid ſupernaturale, quod ſine auxilio ſupernaturali haberi non poteſt, neceſſariam eſſe.

Quartum.

Ad quartum reſpondeo. Aliud eſt, ſupernaturalitatem deſumi per ordinem ad ſolum agens ſupernaturale, & non ad obedientiale, aut ſupernaturale patiens; aliud ſupernaturalitatem eſſe extrinſecam. Nam per ordinem ad ſolum agens ſupernaturale poteſt adſtrui ſupernaturalitas rebus intrinſeca, ſi talis ordo eſt intrinſecus, & ſubſtantialis

Digitized by Google

entitati formarum. Ergo Scotus admiſit, ſupernaturalitatem eſſe perfectionem intrinſecam; verùm eam voluit, non eſſe aliam, quam ordinem intrinſecum ad agens ſupernaturale. Sicut communis Theologorum ſententia formas tuetur entitate intrinſeca ſupernaturales per ordinem ad agens, & patiens virtute ſupernaturali, & obedientiali; quia talis ordo rebus intrinſecus eſt.

Capreolus & alij ex priſcis Theologis pro affirmatiua ſententia recenſeri poſſunt.

13. Addo cum Scoto illuſtrari poſſe Capreolum, & alios antiquorum Theologorum, qui communiter recenſentur inter authores negantes actus intrinſece ſupernaturales. Nam eo ſolum fundamento ſententiæ negantis ſuffragatores cenſentur; quia aſſerunt, actum elicitum per habitum infuſum, fieri poſſe à potentia naturali ſine habitu. At cum hoc aſſerto ſtat, actum eſſe intrinſece ſupernaturalem; quia præter habitum dantur auxilia gratiæ ſupernaturalia, quæ plerique eorum ad eum actum efficiendum non reijciunt, vt videre eſt apud ipſos in 2. diſtinctione 27. & 28. agentes de neceſſitate gratiæ ad non peccandum, ad ſuperandum tentationes, & obſeruandum legem: & in 1. diſtinctione 17. & in 3. diſtinctione 23. agentes de neceſſitate habitus charitatis, & fidei. Ad ſupernaturalitatem autem alicuius actus ſufficit, neceſſarium eſſe ad illum aliquod auxilium gratiæ ſupernaturale, ſiue actuale, ſiue habituale. Ergo quamuis habituale neceſſarium reijciatur, poteſt actus quoad ſubſtantiam doceri intrinſece ſupernaturalis. Ego quidem ſic ſentio, plures eſſe actus intrinſece ſupernaturales, qui neque ex natura rei fiunt, neque fieri exigunt habitu ſupernaturali, vt actus eliciti à peccatore, de quo diſſerui diſputatione 35. Tamen quia præter habitum requirunt neceſſario auxilium gratiæ intrinſece ſupernaturale, ideo cum ſententia communi Theologorum ſtatuo eſſe intrinſece ſupernaturales. Quin argumenta, quæ ex Conciliis, & Patribus conficiunt Theologi ad ſupernaturalitatem actus fidei, & charitatis, non tam ex neceſſitate habitus, quàm ex neceſſitate gratiæ actualis contenduntur; quippe Eccleſiæ Patres aduerſus Pellagianos potiſſimum horum auxiliorum; nempe illuſtrationum, vocationum, & inſpirationum ſupernarum ad eorum ſupernaturalitatem meminerunt.

SECTIO TERTIA.

Probantur in genere actus intrinſece ſupernaturales.

Arguitur ſupernaturalitas intrinſeca actuum ex quatuor capitibus.

14. DVo nobis explicanda ſunt in hac diſputatione. Alterum dari in genere actus entitate ſupernaturales. Alterum, quinam ſint in ſpecie huiuſmodi actus. Hoc ſecundum ex primo colligendum eſt; nam argumenta, quæ genus actuum intrinſece ſupernaturalium concludunt, ſpeciebus eorumdem accommodata conueniunt pariter entitatiuam ſupernaturalitatem earum. Vnde etiam ea, quæ in probationem ſpecierum adducemus, confirmabunt principia, ex quibus genus eorum actuum arguemus. Ea autem quatuor ſunt. Primum, dari gratiam iuſtificantem, cum qua aliqui actus intrinſece, & quidditatiue connexi ſunt. Secundum, dari habitus intrinſece ſupernaturales. Tertium, dari auxilia gratiæ actualis intrinſece ſupernaturalia. Quartum, naturam rationalem deſtitutam eſſe virtute naturali ſufficienti ad efficiendum genus aliquod actuum, quos virtute gratiæ elicit. In iſta enim capita reuocatur tota doctrina, quam & ſacris literis, Conciliis, ac Patribus Eccleſiæ haurire poſſumus ad notionem horum actuum intrinſece ſupernaturalium. Nam vocem iſtam *actus intrinſece ſupernaturalis*, vix alicubi vſurparunt ſcriptores ſacri, atque adeo ſupernaturalitas intrinſeca actuum ex aliis ipſorum ſanctionibus Theologiæ venanda eſt.

Primum argumentum ex gratia iuſtificante.

15. Ergo ex primo capite ſic arguo. Sunt actus intrinſece connexi cum gratia ſanctificante, mediate, aut immediate, antecedenter, aut conſequenter, per modum diſpoſitionis, & meriti congrui, aut per modum effectus, & meriti condigni. Ergo ſunt actus intrinſece ſupernaturales. Antecedens certum faciunt innumera teſtimonia Sacrarum literarum, Conciliorum, & Patrum, quæ præſcribunt actus conducentes in ſalutem, alios, quibus peccator ad iuſtificationem diſponitur, & alios, quibus iuſtus augmentum gratiæ, & gloriæ promeretur. Etenim eam conditionem, ac proprietatem promouendi hominem in ſalutem in excellentiam intrinſecam ipſorum actuum referunt, cum propterea ad eos quoque efficiendos auxilia gratiæ requirant; eoſque diſcriminent ab aliis actibus; qui facultate naturæ fieri poſſunt; & in vitam ſolum temporalem, ac præmia naturalia conferunt. Conſequentia probatur; quia, vt vidimus diſputatione 4. & 5. excellentia propria rerum intrinſece ſupernaturalium conſtituta eſt in connexione aliqua mediata, aut immediata cum gratia iuſtificante; quæ radix eſt totius ordinis ſupernaturalis, ac diuini. Confirmatur. Eſt

Roboratur.

poſſibile genus actuum, ita ſanctitatis habitualis, filiationis, & amicitiæ diuinæ proprium, vt extra prouidentiam naturæ eleuatæ ad ſtatum ſanctitatis, filiationis, & amicitiæ diuinæ in natura puris ſuis viribus relicta connaturaliter, & intrinſece repugnet; in hoc enim actuum genere, quæ implicantia contineri poteſt? imò id ſibi vendicat connaturaliter ratio ſanctitatis, filiationis, & amicitiæ habitualis cum Deo; vt radix ſit per modum naturæ operationum, quæ ſint propriæ iuſtorum, filiorum, & amicorum Dei, aut eorum, qui ad iuſtitiam, filiationem, & amicitiam diuinam promouentur: neque aliò dirigitur hic diuinus ſtatus in creatura rationali, niſi vt opera edat eius conditionis propria. At eiuſmodi actus ea proprietate connexi cum ſtatu gratiæ ſanctificantis, filiationis, & amicitiæ diuinæ ſunt intrinſecæ ſupernaturales, cum natura ſuopte genio ferre non poſſit opera tam

Digitized by Google

altæ conditionis, & excellentiæ propria. Ergo reipſa exiſtunt actus intrinſece ſupernaturales.

Prima euaſio. 16. Dices primo, vt actus boni morales connectãtur per modum diſpoſitionis, aut meriti cum gratia iuſtificante non requiri entitatem ſupernaturalem, ſed ſufficere naturalem cum extrinſeca relatione Dei in finem ſalutis ſupernaturalis. Sed contra. Pellagiani, & ſemipellagiani, qui tribuebant actibus naturalibus vim perducendi hominem in ſalutem, non diffitebantur relationem extrinſecam Dei in eum finem. Nihilominus damnabantur à Patribus Eccleſiæ, & Conciliis Mileuitano, Arauſicano, & aliis, tanquam depreſſores excellentiæ operum perducentium hominem in ſalutem. Ergo ſola entitas naturalis cum ea relatione extrinſeca Dei non ſufficit ad opera ſalutaria. Præterea relatio extrinſeca alterius ſuppoſiti ab ipſo operante diſtincti non poteſt conferre actibus conditionem diſpoſitionis, impetrationis, aut meriti, quam ex ſe ſeorſim ab ea relatione non ferunt; ſicut eam obtinere non poſſunt mei actus, quòd à meo ſuperiore dirigantur in finẽ ſupernaturalem; quia actus ſuppoſitorum diuerſorum nullam inter ſe vnionem moralẽ habent, qua ab inuicem informentur, & dignificentur; aliàs mei actus extrinſece relati à Chriſto, aut Deo in aliquem finem poſſent obtinere dignitatem meriti infinitam à dignitate infinita actuum referentium, ſicut actus externi Chriſti domini eam conſequuntur. Ergo extrinſeca Dei relatio non poteſt conſtituere moraliter impetratorios, aut meritorios actus, qui tales non ſint ſeorſim ab ea intenſione. De quo vide dicta diſp. 1. ſect. 4. & diſp. 15. 16. & 17.

Præcluditur.

Secunda. 17. Dices ſecundo, ad eam connexionem actus impetratorij, aut meritorij cum gratia iuſtificante ſufficere entitatem naturalem actus cum auxilio gratiæ intrinſece ſupernaturali, quia eo pacto actus ipſe prout moralis, & liber à libertate extrinſeca voluntatis conſtituta per auxilium gratiæ, continet quidpiam intrinſece ſupernaturale, quamuis entitas actus intrinſece naturalis ſit. Sed cõtra. Virtutum actus, in quos influit auxilium gratiæ intrinſece ſupernaturale, vt condiſtincti ab ipſo auxilio ſunt conducentes in ſalutem, & connexi cum gratia iuſtificante. Ergo etiã vt ab auxilio condiſtincti ſunt ſupernaturales; ac proinde non extrinſece ſolum ab auxilio. Antecedens probatur. Ideo exigitur à Patribus auxiliũ gratiæ ad illos, quia in ſalutem conferunt: Ergo ſeorſim ab auxilio in ſalutem conferentes ſunt. Alias auxiliũ exigeretur ad illos, quia procedunt ab auxilio, ſiquidem conducentia in ſalutem, quæ eſt ratio exigendi auxilium, non eſt actibus intrinſeca, ſed extrinſeca, quia ab auxilio gratię procedũt. Præterea virtutum actus non ſunt effectus, & opera propria gratiæ quoad denominationem extrinſecam prouenientem ab ipſa gratia, ſed quoad entitatem intrinſecam; nam ſecundum eam denominationem effectus gratię non ſunt, atque adeo neque effectus proprij illius. At effectus proprij gratiæ debent eſſe ſupernaturales, & non communes naturæ ſuis facultatibus relictæ. Ergo ſunt ſupernaturales vt ab ipſa gratia diſtinguuntur. Rurſus non repugnat genus actuum intrinſece conducentium in ſalutẽ, vbi non repugnat genus auxiliorũ gratiæ actualis intrinſece ſupernaturalium, vt colligemus nu. 19. Ergo vbi dantur in actu primo libertatis auxilia gratiæ actualis intrinſece ſupernaturalia, dari quoque debent in actu ſecundo virtutũ actus intrinſece ſalutares, & ſupernaturales, & non ſolum extrinſece. Etenim ea auxilia gratiæ continent actus intrinſece ſupernaturales naturæ rationali poſſibiles, & in eos inclinant. Ergo ex natura rei exigunt concurſus ad illos efficiendos. Ac proinde non erunt ſupernaturales, & ſalutares extrinſece per ſolam denominationem libertatis conſtitutæ per auxilium gratię ſupernaturale intrinſece. In hanc rem plura dabimus ſolutione argumentorum.

Reuincitur.

Secundum ex habitibus entitate ſupernaturalibus. 18. *Ex ſecundo capite arguo. Exiſtunt habitus entitate ſupernaturales. Ergo etiam actus. Antecedens non diffitentur aduerſarij; atque eſſe de fide teſtantur plures Theologi, Gabriel in 3. diſt. 23. qu. 2. art. 2. concl. 3. Pater Suarez lib. 6. de gratia à cap. 4. Pater Valentia 1. 2. diſp. 4. q. 3. punct. 4. Vega in Tridentinum lib. 7. ca. 24 Pater Granadus 1. 2. controu. 4. de habitibus diſp. 2. n. 4. Pater Coninck. 2. 2. diſp. 6. dub. 1. Peſantius 1. 2. qu. 10. art. 1. diſt. 2. conc. 4. & pleriqué alij. Cõſequentia probatur. Tum quia habitus infuſi donantur ad efficiendos actus. Ad efficiendos autem actus entitate naturales opus non erant habitus entitate ſupernaturales, cum vires, & habitus naturales, ad eos efficiendos, & augendos ſufficerent, tum quia in mea ſententia actus, qui fiunt habitibus entitate ſupernaturalibus, pendent eſſentialiter ab illis, vt oſtendimus diſp. 33. ſect. 7. & diſput. 34. ſect. 3. nam actiones quibus fiunt ab illis, ab ipſis actibus indiſtincti ſunt; actiones autẽ eſſentialiter pendent à ſuis efficientibus principiis. Ergo ſunt actus eſſentialiter pendentes à principiis entitate ſupernaturalibus, ac per conſequens eſſentialiter ſupernaturales. Nam actus eſſentialiter naturales non poſſunt exigere eſſentialiter principia intrinſece ſupernaturalia, & vires entitate naturalibus ſuperiores, vt lib. 2. ſæpius expoſuimus.

Gabriel. P. Suarez. P. Valentia. Vega. P. Granadus. P. Coninck. Peſantius.

Tertium ex auxilijs gratiæ actualis intrinſece ſupernaturalibus. 19. Ex 3. capite donantur ad agendum ſalutem auxilia gratiæ actualis intrinſece ſupernaturalia, quæ ab illuſtrationibus intellectus, & piis affectionibus voluntatis indiſtincta ſunt. Ergo exiſtunt actus intrinſece ſupernaturales. Antecedens cumulatiſſime oſtendemus lib. 5. ex teſtimoniis ſacræ paginæ, Conciliorum, & Patrum Eccleſiæ. Conſequentia probatur. Primò, quia illuſtrationes, & affectiones gratiæ exiſtentis ſunt quędam inchoationes imperfectę actuum intellectus, & voluntatis perfectorum, reſpicientes idem obiectum, quod actus perfecti reſpiciunt. Credibile autem non eſt inchoari opus ſalutis actibus intrinſece ſupernaturalibus, & illud perfici actibus intrinſece naturalibus, naturamque poſſe imperfectionem operis, & impotẽtem eſſe in eius inceptionem, cum inceptio actibus imperfectioribus fiat, quàm operis perfectio. Secundò, quia eiuſmodi auxilia donantur tãquam neceſſaria ad agendum.

Digitized by Google

dum. At auxilium intrinſece ſupernaturale nequit eſſe neceſſarium ad actũ intrinſece naturalẽ; cum omnis actus intrinſece naturalis ſolis auxiliis intrinſece naturalibus fieri queat, vt lib. præcedenti non ſemel oſtendimus. Tertio, quia auxilia gratiæ actualis in abſentia habituum ſupernaturalium ſunt principia efficientia actuũ, vt lib. 5. authoritate, & ratione ſtabiliemus. Ergo actiones ipſorũ ſunt intrinſece ſupernaturales, ſicut ipſa auxilia. At actiones, mea opinione identificantur realiter ipſis actibus quoad ſubſtantiam. Ergo ſubſtantia actuum, in quos influunt, eſt intrinſece ſupernaturalis.

Quartum ex inſufficientia naturæ rationalis ſecũdum ſe.

20. Denique ex 4. capite ſic arguo. Sunt actus, ad quos natura omnibus ſuis viribus inſufficiens eſt, & non ſolũ efficaciam agendi, verũ neque ſufficientiam facultate naturali obtinere poteſt. Ergo ſunt actus intrinſece ſupernaturales. Conſequentia videtur bona; quoniam ad actus intrinſece naturales ſaltem vires ſufficiẽtes negari naturæ non poſſunt. Quid enim intrinſece ſupernaturalius, quàm opus exigens actiuitatem naturæ inſufficientis ſuis viribus abſque eleuatione Dei ad illud agendum? Antecedens ſatis oſtendunt, quæ adduximus diſp. 17. & manifeſtum deprehendet, qui euoluerit monumenta Conciliorũ, & Patrũ, qui cum Pelagianis, & ſemipelagianis contenderunt. Etenim illi nõ tam pro actuali actione naturæ, quã pro ipſius poſſe dimicauerũt, volentes naturam ſuis viribus relictam abſolute impotentem, & inſufficientem eſſe abſque auxilio diuinæ gratiȩ cogitare, velle, aut agere quidpiã ſalutare, vtenteſque in eius probationẽ illo Ioannis 15. *Sine me nihil poteſtis facere*, & illo Pauli 2. Corint. 3. *non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*, & aliis ſimilibus, quȩ euidenter conuincunt, non ſolũ ad exiſtentiam, verumetiã ad ipſam poſſibilitatem actuum prædicare naturã inſufficientem, & auxilium diuinæ gratiæ neceſſarium. Videantur Concilium Mileuitanum can. 4. & 5. Africanũ can. 80. Arauſicanum à can. 3. vſque ad fin. Tridentinum tota ſeſſ. 6. præſertim cap. 5. 6. & can. 2. 3. & 4 & epiſtolæ decretales Cȩleſtini, Innocentij, & Leonis, quæ cõtra Pelagianos ſcriptæ ſunt; Item Auguſtinus epiſt. 106. & 107. ſerm. 13. de verbis Apoſtoli, & toto libro de natura, & gratia, & aliis innumeris in locis, Proſper lib. contra Collatorem cap. 3. 19. & 28. Fulgentius de incarnatione, & gratia cap. 6. Bernardus de libero arbitrio, & alij Patres, qui adeo expreſſe ſufficientiam, & poteſtatem ſimpliciter negant viribus, & principiis naturæ ad agendum actus ſalutares, de quibus cum Pelagianis confligebant, vt mirum mihi ſit, fuiſſe Theologum, qui hac de re dubitare potuerit.

Ioan. 15.
2. Cor. 3.

Concilium Mileuitanum. Africanum. Arauſicanũ. Tridentinum. Cæleſtinus. Innocentius. Leo. Auguſtinus. Proſper. Fulgentius. Bernardus.

SECTIO QVARTA.

Præcluduntur ſolutiones probationis præcedentis.

Prima ſolutio.

21. HVic probationi reſpondere poſſunt oppoſitum ſentientes, ideo naturam inſufficientẽ eſſe ſuis viribus ad actus ſalutares, quos diſputatio Patrum cum Pelagianis comprehendebat, ideoque auxilium ſupernaturale, tam habituale, quàm actuale neceſſarium eſſe, quia natura eos actus quoad modũ ſupernaturalem ſuis viribus non cõtinet, licet quoad ſubſtantiam contineat. Quem modum hi autores non vno modo declarant. Ac primo quidem Durandus in 2. diſt. 28. q. 1. & 2. & in 3. diſt. 23. q. 6. n. 8. eum modũ intelligit eſſe facilitatem & promptitudinem, qua actus fiunt. Sed contra primò, quia vt actus naturalis ſecũdum ſubſtantiã exerceatur facile, non eſt opus gratia ſupernaturalis Dei, ſed ſufficit habitus acquiſitus, qui tribuit facilitatẽ ad actus intrinſece naturales. Item ad eam facilitatem præſtãdam, & difficultatem tollendam ſufficerent auxilia naturalia magis intenſa, & vehementia. Ergo ratione facilitatis actus non exigitur auxilium ſupernaturale. Secundò, quia difficultas operis componitur cum poteſtate ſimpliciter actiua illius. At Patres Eccleſiæ tollunt naturæ poteſtatẽ ſimpliciter actiuam. Ergo principio ſupernaturali neceſſario ad agendum plus tribuunt, quàm facilitatem. Tertio, quia actus charitatis, ac fidei, etiamſi difficillime fiant, diſponũt ad iuſtificationem, & fiũt viribus ſupernaturalibus gratiæ. Ergo vires gratiæ non ſunt neceſſariæ ſolum ad facilitatem, ſed etiam ad ſubſtantiam actus. Quarto quia alias non eſſet neceſſaria gratia ad actus charitatis, ac fidei in natura integra, neque etiam in lapſa, vbi obiecta facilia ſufficienter proponuntur credenda, aut amplectenda. Id autem impune dici non poteſt. Ergo.

Durandus. Refellitur primo. Secundò. Tertio. Quarto.

22. Denique quia Concilium Mileuitanũ, & Arauſicanum cum Auguſtino damnant, eos, qui auxilia gratiȩ ſolum deſiderant ad facile, & non ad abſolute poſſe actuum ſalutarium. Mileuitanum ſic habet cap. 5. *Quicũque dixerit, ideo nobis dari gratiam iuſtificationis, vt quòd facere per liberũ iubemur arbitrium, facilius poſſimus implere per gratiam; tanquam, & ſi gratia non daretur, non quidem facile, ſed tamen poſſimus etiam ſine illa implere diuina mãdata, anathema ſit.* En quomodo negatur contra Pelagium ſine gratia non ſolum facile, verũ etiã ſimpliciter poſſe aliquod mãdatũ impleri. Accedat Auguſtinus lib. de gratia Chriſti cap. 26. *Gratiam Dei, qua charitas diffunditur in cordibus ſic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, vt omnino nihil boni ſine illa, quod ad puritatem pertinet, veramque iuſtitiam fieri poſſe non dubitet. Non quomodo Pelagius, qui cum dicit propterea dari gratiam, vt quod à Deo præcipitur facilius impleatur; quid de illa ſentiat ſatis oſtendit, ſcilicet quod etiam ſine illa, etſi minus facile, fieri tamen, quod diuinitus præcipitur poteſt.* Expende illud, *omnino nihil boni fieri poſſe non dubitet*, vt mox concludat, non dari gratiam vt facile, ſed vt abſolute diuinum præceptum implere poſſimus. Etenim, qui poteſtate phyſica quidpiam boni fieri poſſe ſine gratiã concedit, non omnino nihil poſſe fieri tuetur. Quapropter adiungit Auguſtinus; *Volens vtique credi tantas eſſe naturæ vires, quas extollendo præcipitat, vt etiam ſine auxilio Spiritus ſancti, & ſi minus facile, tamen aliquomodo nequam ſpiritui reſiſtatur.* Igitur aliquomodo nequam ſpiritui reſiſti non poteſt ſine gratia. Ergo nec poteſt reſiſti poteſtate phyſica, & cum aliqua difficultate modo, quo Auguſtinus intendit.

Quinto. Concilium Mileuitanum. Arauſicanum. Auguſtinus.

Auguſtinus confirmat.

23. Concludamus argumentum illuſtri teſtimonio Auguſtini lib.de natura,& gratia cap. 7. vbi diſtinguens Pellagius inter eſſe, & poſſe hominẽ eſſe ſine peccato, vult Pellagius ratione difficultatis naturæ corruptæ hominẽ abſq; gratia ſine peccato non eſſe, contendit tamen viribus arbitrij ſimpliciter eſſe poſſe. *Nos* (inquit) *de ſola poſſibilitate tractamus;de qua niſi quid certum conſtiterit tranſgredi ad aliud grauiſſimum eſſe,atque extra ordinem ducimus. Idem uerũ repeto; ego dico poſſe eſſe hominem ſine peccato,non dico hominem ſine peccato eſſe. De poſſe,& non poſſe,non deeſſe, & non eſſe contendimus.* Quam doctrinam reijcit ibi Auguſtinus,& Hieronimus ad Cteſiphontẽ. At eodem modo loquitur Pellagius de poteſtate credendi ſine gratia Dei,& quidpiam boni ſalutaris agendi, quo de poteſtate non peccandi ſine gratia differit. Ergo.

S Hieronimus.

Secunda ſolutio. Paludanus. Almainus. Gabriel. Aliacus. Okam. Prima impugnatio.

24. Secũdo afferere videtur Paludanus ibidem,q.3.Almainus etiam,q.3.dub.21.Gabriel q.2.art.1.ad fin. & art.2.concl.2.& diſt.27.q. vnic.art.3.dub.2.& in 4.diſt.14. q.vnic. art.2. concl.5.referens Aliacum,& Okam,eum modũ eſſe intenſionẽ actuum.Sed cõtra primò; quia actus charitatis,ac fidei conducunt ad iuſtificationem,etiamſi intenſi non ſint.Vt autem conducunt ad iuſtificationem ſuperãt vires naturæ. Ergo non ſolum ſecundum intenſionẽ,ſed etiã ſecundum ſubſtantiam ſuperant vires naturæ. Secundò,quia vires naturę præſertim,ſi iuuẽtur auxiliis,& habitibus intenſis naturalibus,valent efficere actus naturales intenſos; nam intenſio actus naturalis fit gradibus entitate naturalibus. Ergo intenſio non conſtituit actum ſupra vires naturæ ſimpliciter.

Secunda.

Tertia ſolutio. Capreolus. Durandus. Gabriel Reijcitur primo.

25. Tertiò reſpondere videtur Capreolus in 1.diſt.17 q.1.ad argumenta Aur.cum Durãdo, Gabriele,&aliis ibidem,modũ,quo actus excedit naturã,eſſe rationem meriti,ad quã neceſſarium eſt principium ſupernaturale. Sed contra primò;quia gratia actualis non poteſt conferre actui dignitatem ad præmiũ,niſi vel quia ei cõfert entitatem intrinſece nobiliorem, vel quia cõfert perſonæ operanti dignitatem præſtatiorem,vt eam confert gratia habitualis dignificãs actus meritorios. At gratia actualis in iſta ſententia non confert actui entitatẽ intrinſece nobiliorem,nec perſonæ operãti dignitatem præſtantiorem,cum eam relinquat ſemper inuiſam Deo. Ergo gratia actualis in hac ſententia non poteſt conferre actui dignitatem ad præmium. Secũdò;actus fidei diſponens adultũ ad habitũ fidei eſt impetratorius doni ſupernaturalis, vt aperte ſentit Auguſtinus epiſt.105.&de prędeſt. cap.5.Tamen non procedit ab habitu.Ergo nõ requiritur habitus ad impetrationem actus.

Secundo. Auguſtinus

Quarta ſolutio. Eneruatur primo.

26. Quartò reſpondent alij,eum modum eſſe fieri ipſius actus,ſiue actionẽ, qua producitur. Sed cõtra primò;quia in noſtra ſententia actionem eſſe ſupernaturalem idẽ prorſus eſt,ac eſſe ſupernaturalem ſubſtantiã actus, quæ indiſtincta eſt ab actione. Secundo,quia eo pacto auxilium gratiæ nõ erit neceſſariũ, vt ſit ſimpliciter actus charitatis,ac fidei, ſed tantum vt ſit ſecũdum quid, videlicet cum tali actione:ſiquidem actus naturalis ſecundum ſubſtantiã poteſt fieri ſimpliciter, imo magis per ſe actione naturæ.

Secundo.

Tertio.

Tertio, quia auxilia diuina nõ prouidentur naturæ rationali propter actiones, ſed propter actus; credibile namq; non eſt totã prouidentiã ſupernaturalem Dei,attentã ſolũ eſſe,vt actus, qui poſſunt fieri actione naturæ, fiant ſpeciali actione gratiæ, & non potius vt fiant actiones gratię,quia ipſi actus ſuperãt vires naturę. Alias ratio cõmunis,propterquam Concilia,ac Patres expoſcunt gratiam ad actus charitatis,& fidei,& pleroſq; alios actus, redderetur omnino friuola: nam gratiam docẽt neceſſariã,vt fiant actus conducentes in vitam æternam. At ſunt conducentes in hoc dicendi modo ſolum extrinſece, quia fiunt ex gratia. Ergo ideo gratia doceretur neceſſaria ad eos actus,quia fiũt ex gratia,quod eſt friuola petitio principij. Ipſi igitur actus,vt cõdiſtincti à gratia debẽt eſſe intrinſece ſupernaturales,ac cõducentes in vitam æternam. Explicatur; Pellagiani adeo ſtolidi non erant, vt negarent, gratiam eſſe neceſſariam ad actionẽ ſpecialem pendentem eſſentialiter ab ipſa gratia,ſiue neceſſariam eſſe, vt actus ſecundũ ſubſtantiã naturalis fiat actione gratiæ. Solũ igitur negabant gratiã ſupernaturalem eſſe neceſſariã ad entitatem actuum;atq; adeo Patrũ cõtentio erat,vt actus ſecundum ſubſtantiam indigerent viribus gratiæ ſupernaturalibus, ac per conſequẽs ſecundũ ſubſtantiã eſſent ſupernaturales.

Confirmatur.

Quinta ſolutio.

27. Denique dicunt alij;Patribus cum Pellagio ſolum diſputationem fuiſſe de impotẽtia conſequenti naturę,prouenienti ex defectu cogitationis congruę naturalis,quæ eſt gratia ſpecialis per Chriſtum,non de impotentia antecedenti exigẽte auxiliũ intrinſece ſupernaturale. Sed contrà;Patres agebãt de impotentia naturę ſimpliciter, & abſolute dicta, vt eorũ teſtimonia tradunt. At impotentia conſequens proueniens ex defectu cogitationis congruæ non eſt impotentia ſimpliciter, & abſolute dicta, cum poſſit componi cum potẽtia peccandi,& adimplendi præceptum,quæ eſt potẽtia ſimpliciter; & ſolum proueniat ex ſuppoſitione libera, qua voluntas cum illa cogitatione operatura nõ ſit. Ergo non agebant Patres de impotentia conſequenti cogitationis incõgruæ. Explicatur;Pellagiani adeo hebetes non erant, vt vellent, voluntatem præuentã cogitatione incongrua,atq; adeo potentiã cõſequenti impotẽtem ad agendum,poſſe agere ex tali ſuppoſitione opus. Ergo potentia,quam Pellagiani tribuebãt naturæ ſuis viribus relictæ, & Patres negabant abſque auxilio Dei,erat antecedens,& non cõſequens. Neque credibile eſt,totam Patrum contentionem cum Pellagio, ſolũ fuiſſe de gratia cogitationis cõgruæ naturalis, quæ his tẽporibus non modica diſſenſione de voce inter recentiores diſcutitur. Præterea quæ tractatu de gratia auxiliante adduxi ad probandum longe alienã eſſe Conciliorum, ac Patrũ mentem, à gratia cogitationis congruę naturalis,quia ea vberius, & illuſtrius producemus lib. 5. Item omitto quæ ibidem expendi ad oſtendendum cogitationem congruam naturalem non eſſe gratiam ſpecialẽ naturæ rationalis,& alia plura,quæ hãc ſolutionem euertũt, quia ad ſui explicationem latiorẽ campum deſiderant,& alibi ſuam diſputationẽ vendicant. Expende ſincero animo teſtimonia,

Eleuatur.

Roboratur argumentum.

Digitized by Google

quæ retulimus n.20.& nu.22.& ſufficiet cuiuis Theologo ad improbandam ſolutionem iſtam. In qua diſſimulare non libet apertam inconſequentiam Theologorum, qui eâ vtuntur; nimirũ dari aliquos actus elicitos ex gratia requiſita contra Pellagium intrinſece ſupernaturales, & negare omnes ſic elicitos intrinſece ſupernaturales; cum eadẽ prorſus ratio ſit ad omnes actus quę ad aliquos eſſe poteſt; eadẽq; ſit ad aliquos actus factos ex gratia, explicatio patrũ, quæ ad omnes: cum Patres ſine diſcrimine, eodemque tenore doctrinæ, ad omnes actus ſalutares, gratiæ neceſſitatem, & imbecillitatem naturæ proponant, vt expendemus progreſſu.

SECTIO QVINTA.

Probantur intrinſece ſupernaturales actus virtutum Theologalium.

Deprehenditur virtutum Theologicarum actus eſſe intrinſece ſupernaturales.

28. EX dictis manifeſte deprehenditur, virtutum Theologicarũ actus eſſe intrinſece ſupernaturales, videlicet luminis gloriæ, fidei, ſpei, & charitatis actus. Nam ſi in genere aliqui ſunt actus entitate ſupernaturales, vt pręteritis ſtatuimus, nulli quidẽ verius, quàm præcedentes actus entitate ſupernaturalibus annumerandi ſunt; cum inter omnes principem locũ teneant, primumque ſacrarum literarum, Conciliorum, & Patrum ſermonem, exigentem ad agendum auxilia gratię, occupare ſoleant. In illos enim veriſſime conueniunt quatuor principia, ex quibus entitatiua actuum ſupernaturalitas arguitur. Primum, eos actus connexos eſſe aliquo ordine tranſcẽdenti mediato, aut immediato cum gratia iuſtificãte; etenim viſio beata, ex natura rei illam ſupponit; actus fidei, ſpei, & charitatis eliciti à peccatore diſponunt ad infuſionem illius; eliciti verò à iuſto augmentũ eius promerentur; & ſiqui ſunt conditionis iuſtorũ, & filiorum, ac amicorum Dei maxime proprij, illi certe eſſe debent, qui à virtutibus Theologicis eliciuntur, vtpote, qui tantæ dignitati creaturæ, & dignationi creatoris propius accedunt. Secundum, ad eos actus efficiẽdos dari virtutes infuſas, vt poſt Tridentinum ſeſſ.6.cap.7. de fide tradunt Theologi relati nu.18. Tertium, auxilia gratiæ actualis neceſſaria eſſe ad agendum eos actus. Quartum denique, naturam ſuis permiſſam facultatibus impotentem eſſe ad illos.

Tridentinum.

Plura ad horum confirmationem congeri poſſunt. Pauca ſeligam, quibus illuſtrentur. Ac in primis viſionem beatã per vires naturæ acquiſibilem non eſſe, & abſq; auxilio eleuante naturæ indebito impoſſibilẽ, recte probat ſanctus Thomas 1.p.q.12.art.4. argumento *ſed cõtra* ex illo Rom.6. *Gratia Dei vita æterna.* Etenim ibi communi interpretatione vita æterna intelligitur viſio beata, quia vt docet Dominus Ioannis 17. *Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te, ſolum Deum verum.* At hæc viſio dicitur gratia, tum in ſenſu formali, quia eſt beneficium creaturæ rationali naturaliter indebitũ, tum in ſenſu cauſali, quia ſola gratia creaturæ indebita, non virtus naturę edere poteſt fructus dignos vitæ æternæ; vt exponit Auguſtinus vtrumq; ſenſum complectẽs epiſt.105. ante medium, in Enchirid. c.107. de gratia & libero arbitrio cap.8. & 9. Ergo viſio beata ſecundum eſſentiam eſt impoſſibilis ſoli facultati naturæ abſque auxilio ſupernaturali gratiæ.

Suadetur id primo de viſione beata.
S. Thomas.
Rom. 6.
Ioannes 17
S. Auguſtinus.

Præterea idem colligitur ex illo Mathæi 11. *Nemo nouit filium, niſi Pater; neque patrem quis nouit niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Nã, vt notant Pater Suarez 1.p.tr.1.lib.2.cap.8.n.5. Sotus in 4.diſt.49.q.2. art.2. concl.5. & alij cũ Auguſtino lib.1.q.Euang. cap.1.& lib.7. de Trinit.cap.3. Hic locus intelligitur etiã de notitia, & reuelatione intuitiua, & clara Trinitatis, vel eſto intelligatur de obſcura notione Dei per fidẽ, tamen idem probat à fortiori de intuitiua; nam ſi obſcura hęc cognitio haberi nõ poteſt niſi diuinitus auxilio gratiæ donata, ideoq; ſupernaturalis eſt, multo magis auxilio gratiæ indigebit clara Dei notitia, & ſupernaturalis erit. Quo etiã venit illud 1. ad Timot.6. *Lucem habitat inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt.* Vtique per ſolas vires naturæ, vt frequens eſt expoſitio Theologorum, & Patrum. Propterea Eccleſia in Concilio Vienneſi, quod refertur Clemen. *Ad noſtrum* de hæret. inter alios errores, quos Beguardi, & Beguinæ in regno Alemaniæ docebant, damnant his verbis quintum: *Qualibet intellectualis natura in ſeipſa naturaliter eſt beata, & anima non indiget lumine gloriæ ipſam eleuante ad Deum videndum, & eo beate perfruendum.* Igitur ſanctum eſſe debet, ad viſionem intuitiuam Dei, intellectualẽ naturã naturaliter inſufficientem eſſe, & lumine glorię eleuante indigere, atque adeo ſecundum entitatem eſſe ſupernaturalem. Quod iam tanquam de fide certum nullus non docet. 1.p.q.12.art 4.& 5.& 1.2.q.2.art.5.

Secundo. Matth. 11.
P. Suarez.
Sotus.
1 ad Timot. 6.
Conc. Vienenſe.

29. Deinde idem de actibus fidei, ſpei, & charitatis ſimul, & ſeorſim ſtatuerunt canones Eccleſiaſtici. Simul eos actus cõplectitur Arauſicanũ 2.cap.25. *Nullus aut diligere Deum, ſicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum eſt, poteſt, niſi gratia eum & miſericordia diuina præuenerit.* Item Trident. ſeſſ.6. can.3. *Si quis dixerit ſine præueniẽte Spiritus ſancti inſpiratione, & adiutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Similiter Cæleſtinus 1. epiſt.1. ad Epiſcopos Gallię cap.12. ad medium, quem expendemus ad ſupernaturalitatem aliorũ actuum ſect.7. etiã Proſper contra Collatorem cap.36. *Habebant Epheſij fidem, habebant & opera charitatis, quæ neque laude poterant carere, neque merito, ſed pro his virtutibus gratias Deo agere non ceſſat ſciens à Patre luminum, hæc dona veniſſe, à quo ſe etiam proteſtatur petere, vt quibus dedit fidem, quæ per dilectionem operatur, det ſpiritum ſapientiæ, & intellectus, vt inde ſe Epheſij noverint accepiſſe, quod habebant, à quo diſcunt ſperare quod non habent.* Igitur virtutum Theologalium actus ſolis viribus naturæ abſque diuina gratia, & inſpiratione, atque illuminatione Spiritus ſancti repugnant. Ac per conſequens cum hæc gratia intrinſece ſupernaturalis ſit, vt ponimus ex lib.5. ipſi actus, ad quos agendos docetur neceſſaria, etiam erunt intrinſece ſupernaturales iuxta collectionem factam ſect.3.

Item de actibus fidei ſpei, & charitatis ſimul acceptis.
Concil. Arauſicanum.
Tridentinum.
Cæleſtinus
Proſper.

Digitized by Google

Præterea de fide ſeorſim. 30. Seorſim de ſingulis actibus idem ſanciunt præclara teſtimonia ſacræ papinæ, Conciliorum, & Patrum. Ac in primis de actu fidei impoſſibili viribus naturæ abſque auxilio gratiæ, eſt teſtimoniũ Chriſti
Ioannes 6. Ioannis 6. *Nemo poteſt venire ad me niſi Pater meus traxerit eum*; nam ſtatim exponit venire ad Chriſtũ eſſe, credere: *ſunt quidam ex vobis, qui non credũt. Propterea dixi nemo poteſt venire ad me, niſi ei datum fuerit a Patre meo.* Inde mox colligit; *Hoc eſt opus Dei vt credatis in ipſum.* Itẽ Paulus pluribus in locis; expreſſe
Epheſ. 2. ad Eph. 2. *Saluati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, donum enim Dei eſt, ne quis glorietur.* Conſonat
1. Cor 7. 1. Corinth. 7. *Miſericordiam conſequutus ſum, vt ſim fidelis*; quippe præueniens miſericordia neceſſaria erat, vt fidelis eſſem. Vnde Concilium
Arauſicanum. Arauſicanũ ca. 5. fine ait. *Qui fidem, qua in Deum credimus, dicunt eſſe naturalem, omnes eos, qui ab Eccleſia Chriſti alieni ſunt, quodammodo fideles eſſe diffiniunt.* Eadem veritas de neceſſitate gratiæ ad actum fidei, & impoſſibilitate fidei per ſolas vires naturæ definita eſt contra Pellagiũ in Con-
Conc. Milleuitanum. cilio Milleuitano cap. 4. & 5. in Africano can.
Africanum. 17. & 18. traditaque eſt à Cæleſtino epiſt. 1. ad
Cæleſtinus Epiſcopos Galliæ cap. 10. Leone Papa epiſt.
Leo. 88. alias 86. Innocentio 1. epiſt. 25. quæ apud
Innocentius. Auguſtinum eſt 93. Rurſus omnes Eccleſiæ Patres, qui manus conſeruerunt cum Pellagio il-
Auguſtinus. lam ſcitiſſime illuſtrarunt; præſertim Auguſt. de ſpiritu & lit. cap 31. & ſeq q. 2. ad Simplici. epiſt. 90 & ſequentibus toto libro de prædeſtinatione Sanctorum, & de bono perſeuerantiæ, & lib.
Proſper. 1. de gratia Chriſti, & aliis in locis. Proſper lib. 1. de vocatione gentium cap. 8. & 9. contra Collatorẽ cap. 6. & 36. lib. de ingratis cap. 19 Ful-
Fulgentius gentius de Incarnatione, & gratia cap. 17. & ſequẽti, & lib. 1. ad Monim. cap. 15. & alij Patres quorum teſtimonia verbatim referre non expedit; nam pauca non ſufficient, & multa faſtidioſa erunt. Sat ſit ſcire, totam pugnam Patrum Eccleſiæ cũ Pellagio eo intentã fuiſſe, vt præter vocem, & eruditionem hominũ ad fidem diuinã neceſſaria ſit gratia interna à Spiritu ſancto infuſa, & ſola naturæ rationalis facultas abſque ſupernaturali ſubſidio gratiæ inſufficiens ſit.

De actu ſpei. 41. De actu ſpei accipe illud Rom. 4. *Deus*
Rom 4. *autem ſpes det vobis gaudium, & pacem in credendo, vt abundetis in ſpe*; vbi Apoſtolus ſpem docet do-
Rom. 5. num, & opus ſpeciale Dei. Item cap. 5. *Perquem* (ſcilicet per Chriſtũ) *habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloria filiorum Dei*; vbi inter dona impetrata per
1. Petri 5. Chriſtum ſpem collocat. Rurſus illud 1. Petri 5. *Secundum miſericordiam ſuam regenerauit nos in ſpem viuam*; vtique quia opus gratiæ, & miſericordiæ diuinæ, ſpes noſtra eſt. Quo accedunt plura teſtimonia, quę ſpei tribuunt ſanctificationẽ, & ſalutem noſtrã, ad quam proculdubio gratia diuina neceſſaria eſt, & natura rationalis
1 Ioannes 3 ſine illa prorſus inſufficiẽs, vt 1. Ioannis 3 *omnis*
Rom. 8. *qui habet hanc ſpem in eo ſanctificat ſe*, & Rom. 8.
Pſal 60 *ſpe ſalui facti ſumus*, & Pſal. 60. *Quoniam in me*
6. Auguſtinus. *ſperauit, liberabo eum.* De quo videantur Auguſt.
S Bernardus ſerm. 29. de verbis Apoſtoli, Bernardus ſerm. 3 de Annunciat. & ſerm. 7. & 9. in Pſalm. *Qui*
S Chryſoſtomus. *habitat*, & Chryſoſtomus homilia de fide, & lege, & reliqui Patres ad loca ſacræ paginæ ſuperius adducta.

32. De actu charitatis frequentes ſunt ſan- Tandem de
ctiones Pauli. Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in* actu charitatis.
cordibus noſtris per Spiritum ſanctum. Ad Epheſ. 6. Rom. 5.
Pax, & charitas cum fide a Deo Patre, & Domino Epheſ 6.
Ieſu Chriſto. Ad Galat. 5. *Fructus autem ſpiritus* Galat. 5.
eſt charitas. Item 1. Ioannis 4. *Charitas ex Deo eſt* 1. Ioannis 4
quippe ſpeciali auxilio gratiæ. Quare Conciliũ Conc. Mil-
Milleuitanum cap. 4. ſic ait: *Cum dicat Apoſto-* leuitanum.
lus ſcientia inflat, charitas vero ædificat, valde impium eſt, vt credamus ad eam quæ inflat, nos habere gratiam Chriſti; & ad eam, quæ ædificat non habere.
Item Arauſicanum 2. cap. 25. *Prorſus donum Dei* Arauſica-
eſt, diligere Deum. Ipſe, vt diligeretur, dedit, qui non num.
dilectus diligit. Et paucis interpoſitis decernit; *nullum poſſe prout oportet Deum diligere, niſi gratia eum, & miſericordia diuina præuenerit.* Cõſequen-
ter Auguſtinus lib. 21. de ciuitate cap. 16. tunc Auguſtinus
vitia vere ſuperari ait cum Dei amore vincuntur; *quem* (addit) *niſi Deus ipſe non donat, nec aliter niſi per mediatorem Dei, & hominum hominem Ieſum Chriſtum.* Et lib. 12. cap. 9 *Deus Angelos cum bona voluntate, ideſt, cum amore caſto, quo illi adhærerent, creauit, ſimul in eis & condens naturam,*
& largiens gratiam. Proſper lib. 3. de vita con- Proſper.
templatiua cap. 14. fine; *Quando magna bona aliquos poſſe videmus, nouerimus non eos magnitudine virtutis ſua poſſe quod volunt ardenter, & faciũt; ſed de beneficio illius charitatis, quæ non eſt ex nobis, ſed diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctũ qui datus eſt nobis.* Ideo contra Collatorẽ cap. 30 tanquam Caſſiani errorem refert. *Et tanta eſt ſecundum iſtum liberi arbitrij vel incolumitas, vel facultas, vt charitatem, quæ in omnium arce virtutum eſt, non ex Dei munere, ſed ex ſola habeat voluntate.* Igitur charitatis actus non ex facultate naturæ, ſed ex munere diuino, & auxilio ſupernaturali gratiæ haberi poteſt; ac proinde intrinſece ſupernaturalis eſt. Hęc conſequentia conſtat ex ſect. 3. Item cõſtat ex ſect. 4. quę ſolutiones excogitatæ ſint ab auctoribus, & qua ratione poſſint redargui. Neque enim eadem repetere in eadem diſputatione fas eſt, cum ideo ad actus ſupernaturales in genere pręmiſſa ſimul fuerint, vt ad actus ſupernaturales in ſpecie pluries repetere opus non ſit.

SECTIO SEXTA.

Actus virtutum moralium intrinſece ſupernaturales.

33. COlligitur ſecundò, etiam virtutũ mo- Collectio
ralium actus eſſe entitate ſupernatu- ſecunda.
rales. Quæ collectio eâdẽ mihi certitudine vera eſt, qua præcedẽs; neque ſcio cur virtutũ Theologalium actus potius, quàm virtutum moraliũ intrinſece ſupernaturales adſtruendi ſint. Etenim ſupernaturalitas entitatiua actuum argui non poteſt ex principiis naturalibus, ſed Theologicis, quæ in ſacris literis, Conciliis, & Patribus continentur. At principia Theologica eodem modo fauent ſupernaturalitati intrinſecæ actuum moralium, quo actuum Theologa-

lium. Ea enim principia ſunt illa quatuor, quæ
recenſuimus ſect. 3. nempe cõnexio cum gratia
iuſtificante, infuſio habituum intrinſece ſuper-
naturalium, collatio auxiliorũ gratiæ actualis,
etiam intrinſece ſupernaturalis, & inſufficientia
virium naturaliũ. Hæc autem omnia æque con-
ueniunt actibus virtutum moralium, atque vir-
tutum Theologalium, neque aliomodo loquũ-
tur ſacræ literæ, & Eccleſiæ Patres de vno gene-
re actuum, quàm de alio, neque alia explicatio
poteſt dari argumentis factis pro vno, quàm ar-
gumentis factis pro alio. Ergo æque adſtruenda
eſt ſupernaturalitas intrinſeca actuũ moraliũ,
atque Theologaliũ. Conſtabit minor propoſi-
tio diſcurrendo per ſingula capita probationis.

Prima pro-
batio. 34. Probatur primo ex connexione cum
gratia iuſtificante. Nam alij actus præter Theo-
logales conferunt in peccatore ad conſequen-
dum iuſtificationem, & in iuſto ad augendum
meritorie iuſtitiam. At cõnexio actuum Theo-
logalium, & aliorum in genere cum gratia iuſti-
ficante ſolùm colligitur ex diſpoſitione pecca-
toris ad iuſtificationem, & merito iuſti ad aug-
mentum gratiæ. Et quidem pænitentiã, oratio-
nem, eleemoſinam, remiſſionem iniuriarum, &
alia id genus ad iuſtificationem peccatoris diſ-
ponere, plenæ ſunt ſacræ literæ, & paginæ Pa-
Origenes. trum. Origenes hom. 2. in Leuit. proponit ad iu-
ſtificationem peccatoris eleemoſinam: ex Da-
nielis 4 remiſſionem iniuriarũ: ex Math. 6. cor-
Auguſtinus rectionem fratris à via mala: ex Iacob 1. Auguſt.
epiſt. 105. timorem Dei, & orationis affectum;
item contra Creſconium, verbum veritatis, ſa-
crificium contriti cordis, eleemoſinam, & cha-
Chryſoſto-
mus. ritatem; Chryſoſtomus homil. 22. ad populum
Antiochenum, eleemoſynam, & moderationẽ
linguæ, homil. 4. in 2. ad Corint. in fine partis
moralis refert, ſubmiſſionem, & humilitatem
animi, gratiarum actionem, eleemoſynã, iniu-
riarum obliuionem; & precationem aſſiduam.
Similiq; modo loquuntur alij Patres. Ergo alij
actus virtutum præter Theologales conferunt
ſaltem remote in iuſtificationem peccatoris. In
iuſto verò ad merendum de condigno augmẽ-
tum iuſtitiæ, & gloriæ eoſdem moralium virtu-
tum actus prodeſſe, prædicant ſacræ ſcripturæ,
quæ his operibus vitam æternam promittunt.
Math. 5. Mathæi 5. *Beati pauperes ſpiritu quoniam ipſorum*
Math. 19. *eſt regnum cælorum. Beati miſericordes, &c.* Math.
19. interroganti; *quid boni faciam, vt habeam vi-
tam æternam?* reſpõdet Chriſtus Dominus; *ſerua
mandata*; continuoque ſubiungit præcepta mo-
ralia, vt opera miſericordiæ Paulus 1. ad Timo-
Timoth. 6. theum 6. *diuitibus huius ſæculi præcipit, bene agere,
diuites fieri bonis operibus, facile tribuere, communi-
care, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futu-
Rom. 13. rum, vt apprehendant vitam æternam.* Ad Rom. 13.
*Beneficentiæ, & communionis nolite obliuiſci, talibus
enim hoſtiis promeretur Deus.* Rurſus quid expreſ-
Math. 25. ſius, quàm forma iudicij deſcripta Math. 25.
*Venite Benedicti Patris mei, poſſidete paratum vo-
bis regnum à conſtitutione mundi, eſuriui enim, & de-
diſtis mihi manducare, &c.* Hoc enim regnũ om-
nes ſancti Patres intelligunt præmium gloriæ
eſſentialis iuſtis paratum, & illud operibus mi-
ſericordiæ diſpoſitum refertur. Ne verò ſolis
operibus miſericordiæ imperatis à charitate
crederetur conceſſum, inducuntur iuſti admi-
rantes iudicium Dei; *Domine quando te vidimus
eſurientem, & pauimus te.* Nam ſi eſurientes paſiiſ-
ſent propter amorem Chriſti, facile agnoſceret
opera pauperibus exhibita acceptari à Chriſto,
quaſi exhibita ſibi, nihilque mirarentur Chriſtũ
dicentem, *eſuriui enim & dediſtis mihi manducare.*
Mirum enim non eſt, hoſpitalitatẽ legato Prin-
cipis exhibitam, in gratiam & reuerentiã Prin-
cipis, tanquam ſibi exhibitam ab ipſo Principe
compenſari. Vnde hanc doctrinam cõtinet Tri- Tridenti-
dentinum ſeſſ. 6. cap. 10. *Si qui iuſtificati, & ami- num.
ci Dei, & domeſtici facti, euntes de virtute in virtu-
tem renouantur, vt Apoſtolus inquit, de die in diem
mortificando membra carnis ſuæ, & exhibendo ea ar-
ma iuſtitiæ in ſanctificationem per obſeruationem mã-
datorum Dei, & Eccleſiæ in ipſa iuſtitia per Chriſti
gratiam acceptata cooperante fide bonis operibus,
creſcunt, atque magis iuſtificantur, ſicut ſcriptum eſt,
qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc.* Etenim amici Dei
non ſolum per opera virtutum Theologalium,
ſed frequentiùs per opera virtutum moralium
eunt de virtute in virtutem mortificando mem-
bra carnis, & obſeruando præcepta Dei, & Ec-
cleſiæ, quorum pleraque ad virtutes morales
ſpectant. Ergo virtutibus moralibus iuſtiores
euadunt. Denique frequens eſt doctrina Patrũ
prouocantium fideles ad virtutum moralium
opera, miſericordiæ, pænitentiæ, obedientiæ, &
ſimilia, propoſito illis præmio iuſtitiæ, & gloriæ
æternæ. Sentiunt igitur, eis operibus hominem
ad augmentum gratiæ, atque gloriæ promoue-
ri. Ergo ex hoc capite cõnexionis mediatæ, aut
immediatæ cum gratia iuſtificante, recte poſ-
ſunt virtutũ moraliũ actus entitate ſupernatu-
rales, ſicut fidei, ſpei, & charitatis actus referri.

35. Secundò probatur ex infuſione habi- Secunda.
tuum. Etenim ad actus virtutum moralium in-
funduntur habitus intrinſece ſupernaturales,
ſicut ad actus virtutum Theologaliũ. Ergo erũt
actus morales intrinſece ſupernaturales; ſicut
Theologales. Conſequentia probata eſt nu. 18.
Antecedens nunc ponimus ex lib. 4. vbi ex pro-
feſſo examinandum eſt. Interim vide Patrem
Suarez in lib. 6. de gratia cap. 9. Patrem Con- P. Suarez.
ninck 2.2. diſp. 6. dub. 2. & Patrem Salas 1.2. P. Con-
to. 2. tr. 11. diſp. 6. ſect. 1. ſtando quidem auto- ninck.
ritati certius eſt, dari virtutes infuſas Theologi- P. Salas.
cas, quàm morales. Tamen ſtando rationi æqua
mihi videtur vtrarũque probatio: De qua lib. 4.
Nunc illis ſuppoſitis negari non poſſunt actus
virtutum moraliũ intrinſece ſupernaturales; &
quia ad ſolos actus entitate ſupernaturales in-
fundi poſſunt; & quia actibus ab eis virtutibus
eliciti eſſentialiter pendẽtes ſunt à principiis in-
trinſece ſupernaturalibus, vt arguebamus n. 18.

36. Tertio probatur ex neceſſitate auxi- Tertia.
liorum gratiæ, & imbecillitate, ac impotentia
virium naturæ. Nam auxilia gratiæ propter im-
becillitatem naturæ eodem modo exiguntur
ad actus virtutum moralium, quo ad actus vir-
tutum Theologalium. Ergo vt ex neceſſitate
auxiliorum gratiæ colligitur ſupernaturalitas
intrinſeca actuum Theologalium, colligi etiam
debet ſupernaturalitas intrinſeca actuum mo-

ralium. Collectionem eſſe bonam oſtendimus nu.19.& 20.Nunc probemus antecedens ex ſacris literis,Conciliis,& Patribus Eccleſię, qui non alio modo ad hos actus, quàm ad illos auxilium gratię requirunt.Sacræ literæ paſſim referunt in auxilium,& ſpiritumDei,obſeruantiã mandatorum, quorum pleraq; ad virtutes morales ſpectãt.

Ezechiel. 11 & 39. Ezechiel.11.& 39. *Spiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis.*

Hierem.31. De Pænitentia, Hierem.31. *poſtquam conuertiſti me,egi pænitentiam*.

Actorũ 11. Actorum 11. *Ergo & gentibus dedit Deus pænitentiam.*

Eccleſiaſtici 25. De timore Eccleſiaſtici 25. *Beatus homo,cui donatum eſt habere timorem Domini.*

Pſalm.70. De patientia Pſal.70. *Patientia mea tu es.*Item,*ab ipſo eſt patientia mea.*

Philippenſis. ad Philippenſes 1. *quia vobis datum eſt, pro Chriſto non ſolum vt credatis in eum, ſed etiã vt patiamini pro eo.*

Sapientię 8 De continentia ſapientiæ 8. *Scivi quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapientia ſcire cuius eſſet hoc donum.* Similia de aliarum virtutum actibus reperies; quę eadem ſunt cum iis, quæ ſacræ literæ tradunt de actibus fidei,ſpei,& charitatis.

Quartũ ex Conciliis Mileuitanum. 37. Eodem modo loquuntur Concilia,Milenitanum cap.4. *Quiſquis dixerit eandem gratiã Dei per Ieſum Chriſtum dominũ noſtrum tantũ nos adiuuare ad non peccandum,quia per ipſam nobis reuelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, vt ſciamus quod appetere, quod vitare debeamus, non autem per illam nobis præſtari, vt quod faciendum cognouerimus, etiam facere diligamus, atque valeamus,Anathema ſit.* At mandata Dei,ad quæ nobis datur poſſe per gratiam Chriſti, pertinent etiam ad virtutes morales. Quare cap.5. Anathema etiã decernit in eum, *qui dixerit ideo nobis gratiam iuſtificationis dari, vt quod facere per liberum iubemur arbitrium,facilius poſſimus implere per gratiam, tanquam etiam ſi gratia non daretur, non quidem Arauſicanum facile,ſed tamen poſſimus etiã*

Arauſicanũ *ſine illa implere diuina mandata.* Item Arauſicanũ cap.6.*ſi quis ſine gratia Dei credentibus,volentibus, deſiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus,ſtudentibus,petentibus, quærentibus, pulſantibus nobis miſericordiam dicit conferri,non autem diuinitus, vt credamus,velimus, hæc omnia ſicut oportet agere valeamus per infuſionem, & inſpirationẽ Sancti ſpiritus in nobis fieri confitetur, aut humilitati, aut obedientiæ humanæ ſubiungi gratiæ adiutorium, nec ipſius gratiæ donum eſſe conſentit,reſiſtit Apoſtolo &c.* Cernis ſimul cum fide numerari, orationem, deſiderium, & conatum omnem ſalutarem, vt in gratiam Dei ſicut fides ipſa referantur. Quare [illegible]. *Diuini muneris eſſe,* decernit, *cum pedes [illegible] ab iniuſtitia tenemus. Quoties enim bona agimus,Deus in nobis, atque nobiſcum, vt operemur, operatur.* Item cap.10. *nulla facit homo bona,quæ non Deus præſtet,vt faciat homo.* Vbi quis neget comprehendi opera bona virtutum moralium.Conſequenter cap.11.ad impletionem votorum,& cap.17.fortitudinem chriſtianorũ ſancit haberi per gratiã Chriſti.

Tridentinum. RurſusConcil. Trident.ſimul cum fide,ſpe,& charitate cõprehendit pœnitentiam Seſſ.6.can.3. *Si quis dixerit ſine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione, & adiutorio,hominem credere,ſperare,diligere, aut pænitere poſſe,ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, Anathema ſit.* Vbi ſatis exprimit eandem pænitentiæ cõuenire ſupernaturalitatem, quę conuenit actibus fidei,ſpei,& charitatis. Similiter Seſſ.14.cap.4. circa medium declarat, attritionem, quæ ex turpitudine peccati, vel pænarum metu concipitur, *eſſe donum Dei, & Spiritus ſancti impulſum non adhuc inhabitantis,ſed tantum mouentis,quo pænitens adiutus viã ſibi ad iuſtitiam parat.* Non aliter agunt Concilia,& Patres de actibus fidei,ſpei,& charitatis.

Accedit Cæleſtinus primus epiſt.1.ad Epiſcopos Galliæ cap.12.ad medium,relatis Pontificum, & Conciliorum decretis ita concludens: Cæleſtinus
Sic ergo Eccleſiaſticis regulis, ſumptis autoritate documentis,ita adiuuante Domino confortati ſumus,vt omnium bonorum affectuum, atque operum,& omniũ ſtudiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum fateamur authorem, & non dubitemus,ab ipſius gratia omnia hominis merita præuenire, per quem fit,vt aliquid boni,& velle incipiamus, & facere. Expende non aliud genus ſupernaturalitatis,& gratiæ poſtulari ad actum fidei,quam ad reliquos virtutum actus, quibus ab initio fidei tendimus in ſalutem.

38. Similiter hanc veritatem confirmant Eccleſiæ Patres. Quinta ex Patribus.
Auguſtinus lib.de gratia Chriſti cap.26. decernit, gratiam Dei neceſſariam eſſe ad obſeruandũ diuina mandata. Auguſtinus.
Epiſt.130. docet, continentiam ex ſolo Dei dono haberi poſſe. Lib.contra Iulianum Pellagium cap.3. opera virtutum moralium elicita à Gentilibus non eſſe veras virtutes, quia ſecundum Iulianũ fiunt ſine gratia, & ideo neque fieri amore virtutis,ſed commodi temporalis, quia cum fiunt amore virtutis, ſine gratia per Chriſtum effici non poſſunt.Rurſus lib.1.de gratiaChriſti cap.24. manſuetudinem adſcribit auxilio diuinæ gratiæ. De verbis domini ſermone 31. cap.2. veracitatem.Item lib.de patientia paſſim refert patientiam in auxiliũ gratiæ diuinæ, ſicut charitatem cap.23. *à quo nobis eſt charitas, ab illo eſt patientia.*cap.26.*Vnde nequaquam dubitante pietate ſicut charitas ſanctè amantium,ita patientia pie tolerantium Dei donum eſt.* Denique peculiariter notanda ſunt ex lib.de bono perſeuerantię cap.17.illa verba.*Quod autem dixi de caſtitate,hoc de fide,hoc de pietate,de charitate, de perſeuerantia, & ne pergam per ſingula, hoc de omni obedientia, qua obeditur Deo, veraciſſime dici poteſt.* Nempe ad omnia iſta virtutum moralium opera, præuenientem Dei gratiam neceſſariam eſſe,vt ſuperiorum contextus referebat.

Fulgentius ad Moniminum ca.14.gratiæ Dei adſcribit omnia opera, quibus adimplemus præcepta; & cap.10. opera miſericordiæ; quibus ab initio mundi paratum eſt regnum cælorum.Item de incarnatione, & gratia cap.17. omnem pænitentiam etiam illam,quæ antecedit fidem,docet haberi ſolo auxilio gratiæ. Fulgentius

Sed omnium clariſſime hãc doctrinam illuſtrat Proſper pluribus in locis. Proſper.
Ad excerptaGenuenſium,reſponſione ad dub.3. *Cum non haberemus continentiam, niſi Deus daret, neque ſapientiam, concilium, & certitudinem, ſcientiam, & pietatem niſi has virtutes Spiritus ſanctus daret, quomodo fides in Adam perdita in quoquam filiorum eius inueniretur, niſi eam idem ſpiri-*

Digitized by Google

tus inſunderet? Expende, non ſolum eamdem gratiæ neceſſitatem, & ſupernaturalitatem tribui virtutibus moralibus & fidei, verùm etiam ex gratia, & ſupernaturalitate virtutum moralium, quaſi ex magis expreſſa, & nota argui gratiam, & ſupernaturalitatem fidei. Illuſtrius contra Collatorem cap. 38. *Charitas ex Deo eſt diffuſa per Spiritum ſanctum in cordibus noſtris. Hoc de fide, hoc de tolerantia paſſionum, hoc de pudicitia coniugali, hoc de continentia virginali, omnibuſque virtutibus ſine exceptione profitemur, quod ſi donata non eſſent nobis, non inuenirentur in nobis.* Vides non diſcerni virtutes morales à charitate, & fide quoad neceſſitatem gratiæ diuinæ. Inſuper ad Demetriadem pag. 7. *Si conditor naturarum, nulla pulchra, nulla ſublimia naturis rationalibus contuliſſet, unde ſe extollerent, non haberent. Nunquam gloriatur de ſobrietate temulentus, neque de beneuolentia inuidus, aut de lenitate ſæuus, vel de caſtitate extollitur impudicus. Ipſa ſe à virtutibus vitia ſecernunt; & cum in peccatis agitur, propria diliguntur; cum autem ex bonis, & rectis actibus laudabilis vita ducitur, Dei eſt, quod geritur, Dei eſt, quod amatur.* Cernis virtutes morales, niſi Deo conferente in homine inueniri non poſſe. Rurſus libro tertio de vita contemplatiua agens de quatuor virtutibus Cardinalibus. *Hoc in primis noſſe, & tenere debemus, quod iſta quatuor virtutes, vel omnes quæ ex illis exiſtunt, dona ſint Dei, & quod nullus eas habet, habuit, aut habebit, niſi cui Deus, qui eſt omnium virtutum proprietas, & origo, contulerit. Quoniam quicunque, quocunque tempore, in quacunque gente in Deum credentes ex fide vixerunt, illius dono temperantes, ac prudentes, iuſti, ac fortes fieri vtique potuerunt.* Conſentienter contra Collatorem cap. 19. continentiam, & certitudinem, obedientiam, & alias virtutes ſimul cum fide, & charitate per peccatum docet amiſſas, quia ſicut fides, & charitas à Deo infuſæ, & donatæ erant Adamo. Eademque repetit cap. 21. Item, de libero arbitrio, columna quarta, opera miſericordiæ, temperantiæ, & orationis Cornelij Centurionis aſſerit facta per gratiam Dei. Eademque docent alij Patres Hieronimus ad Galatas 3. non multum à principio, Bernardus ſerm. 78. in Cantica, Hugo de Sancto Victore in Epiſt. ad Rom. quæſt. 266. Igitur non alia de ſupernaturalitate virtutum moralium, quam de Theologalium ſententia ferenda eſt, cum eædem prorſus ſint ſanctiones Conciliorum, & Patrum, quæ earum ſupernaturalitatem arguere poſſunt. Quibus in validam confirmationem adiunge omnia, quæ congeſſimus diſput. 20. à ſect. 4. probantes, omnes conatus voluntatis in virtutum moralium actus præueniri auxilio gratiæ diuinæ; quæ ſane ad ſtatuendam hanc veritatem, & conuenientiam virtutum moralium cum Theologalibus illuſtria, & plane conuincentia ſunt.

Hieronymus. Bernardus. Hugo de S. Victore.

Clauſula.

39. Concludamus igitur, virtutum moralium actus intrinſece ſupernaturales eſſe. Nam auxilia gratiæ Theologicæ à Patribus, & Concilijs contra Pellagium requiſita ſunt intrinſece ſupernaturalia, vt libro quinto, vberi diſputatione oſtendemus. Ea autem ſunt neceſſaria ad actus virtutum moralium. Ergo actus virtutum moralium ſunt intrinſece ſupernaturales. Vide conſequentiam num. 19. Confirmatur; actus fidei, ſpei, & charitatis cenſentur entitate ſupernaturales, quia phraſi Conciliorum, & Patrum non poteſt natura rationalis illos efficere abſque gratia Dei, abſque illuſtratione, & inſpiratione Spiritus ſancti, abſque dono Dei, niſi munere diuino, & alijs ſimilibus loquendi rationibus. At ſimili phraſi vtuntur Concilia, & Patres dum loquuntur de actibus moralibus. Ergo eadem ratione morales actus cenſeri debent entitate ſupernaturales. Etenim neque Sacræ literæ, neque Concilia, & Eccleſiæ Patres meminerunt vocum ſupernaturalitatis intrinſecæ, aut extrinſecæ quoad ſubſtantiam, aut quoad modum; ſed actuum dumtaxat fidei, ſpei, & charitatis, quos natura ſuis viribus agere non valet ſine gratia Dei, & inde Theologi vſurparunt eos actus intrinſece ſupernaturales. Ergo cum ſimiliter meminerint actuum moralium; ſimili prorſus conſequutione eos intrinſece ſupernaturales colligere, & vſurpare, fas eſt.

Confirmatur.

SECTIO SEPTIMA.

Omnes actus ſalutares ſunt intrinſece ſupernaturales.

40. SVperioribus etiam conſentaneum eſt, non ſolum dari actus virtutum Theologalium, & moralium intrinſece ſupernaturales, verum etiam nullum virtutum actũ dari intrinſece naturalem, qui ſalutaris ſit, aut ſalutarem dari, qui ſit intrinſece naturalis. Sunt enim plerique Theologi qui admittentes actus virtutum Theologalium, & moralium intrinſece ſupernaturales, volũt inſuper, etiam actus virtutum naturalium eſſe ſalutares, hoc eſt, diſponentes ſaltem remote ad iuſtificationem in peccatore, & merentes de condigno gratiam iuſtificantem, & gloriam in iuſto. Ita Theologi, contra quos egimus diſput. 15. ſect. 5. explicantes, etiam in iuſto actus ſolis naturæ viribus elicitos non eſſe meritorios. Item plures alij, quos referemus libro 5. volentes, etiam cogitationem congruam naturalem eſſe gratiam, quam ad actus ſalutares neceſſariam contendunt Canones Eccleſiaſtici, & conſequenter etiam actus intrinſece naturales eſſe ſalutares, nimirum diſponentes ad iuſtificationem, impetratorios, & meritorios gratiæ. Nos tamen conſentienter ad præterita ſancimus, omnem actum moraliter conferentem in ſalutem, ſiue per modum diſpoſitionis, ſiue impetrationis, ſiue per modum meriti eſſe intrinſece ſupernaturalem, nullumque eſſe intrinſece naturalem, qui in ſalutem conferens ſit.

Tertia collectio.

41. Hæc concluſio manifeſta erit recte conſideranti conſequutionem noſtræ doctrinæ. Etenim in actum ſalutarem conueniunt præcipua capita, ex quibus aliorum actuum intrinſeca ſupernaturalitas deprehenditur. Primo

Prima ratio

Digitized by Google

enim adeſt connexio cum gratia iuſtificante. Nam hæc connexio in alijs actibus Theologice quidem inde ſolùm colligitur, quòd in peccatore rationem diſpoſitionis, aut impetrationis, & in iuſto rationem meriti conſequantur. At omnis actus ſalutaris eamdem meriti, impetrationis, aut diſpoſitionis moralis rationem conſequitur; nam eum actum moraliter ſalutarem cenſemus, qui aliqua morali cauſalitate, nempe diſpoſitiua, aut impetratoria, aut meritoria hominem promouet in ſalutem. Ergo ex connexione cum gratia iuſtificante, aut nullus

Secunda. actus, aut omnis ſalutaris colligendus eſt intrinſece ſupernaturalis. Secundo adeſt neceſſitas gratiæ Theologicæ, quam Patres contra Pellagium exquiſierunt. Et tertio conſequenter impotentia naturæ ſuis viribus relictæ ad eum actum ſalutarem. Nam vt vidimus diſput. 15. ſect. 5. ad omne opus meritorium de condigno requiritur gratia Theologica, & diſput. 17. per totam, nullus actus viribus naturæ elicitus abſque auxilio gratiæ Theologicæ rationem meriti congrui obtinere poteſt; & diſput. 18. & 19. nullam diſpoſitionis, aut impetrationis rationem. Ad quæ comprobanda vſi ſumus Sacris literis, Conciliorum Canonibus, & Patrum Decretis, quibus vſi ſumus in hac diſputatione ad comprobandum ſupernaturalitatem actuum Theologalium, atque moralium ex neceſſitate gratiæ auxiliantis Theologicæ, & impotentia antecedenti naturæ. Ergo aut nullus actus Theologalis, & moralis arguitur intrinſece ſupernaturalis ex neceſſitate gratiæ Theologicæ, & impotentia naturæ, aut omnis actus ſalutaris ſimiliter arguendus eſt. Quandoquidem eadem loquendi ratione tradunt Sacræ literæ, Concilia, & Patres neceſſitatem gratiæ auxiliantis, & impotentiam naturæ ſecundum ſe ad actum ſalutarem in genere, atque ad actum fidei, ſpei, charitatis, miſericordiæ, & alios ſimiles in ſpecie. Ergo eadem conſequutione aut omnis actus ſalutaris in genere aſſerendus eſt intrinſece ſupernaturalis, aut nullus Theologicus, & moralis actus intrinſece ſupernaturalis eſt adſtruendus. Etenim, vt expendebamus ſectione præterita, Patres, & Concilia non meminerunt actuum ſupernaturalium quoad ſubſtantiam, aut quoad modum ſub his vocibus, & diſcriminis rationibus; ſed ſolummodò actuum exigentium vires gratiæ ſuperiores facultate naturæ. At cum Patres, & Concilia diſſerunt de actibus ſalutaribus, & bonis operibus conducentibus in ſalutem genericè ſumptis, loquuntur de illis quoad neceſſitatem gratiæ Theologicæ, & impotentiam naturæ, eodem modo, quo de actibus fidei, ſpei, & charitatis. Ergo omnes actus ſalutares ſine diſcrimine adſtruendi ſunt intrinſece ſupernaturales.

Confirmatur. 42. His lucem demus. Conferamus inter ſe actum intrinſece naturalem, & actum intrinſece ſupernaturalem dilectionis Dei, pænitentiæ, aut religionis. Vterque actus per te eſt conducens in ſalutem, vterque elicitus auxilio gratiæ diuinæ, ex ſacris literis, & Conciliis requiſitæ, vterque, meâ, & aliorum plurium opinione, reſpiciens idem obiectum formale. Ergo aut vterque eſt intrinſece naturalis; aut vterque intrinſece ſupernaturalis. Nam eadem argumenta euincunt vtriuſque ſupernaturalitatem, aut eadem ad vtrumque actum argumentorum ſolutio eſt. Etenim ſacræ literæ, & decreta Conciliorum, & Patrum non faciunt diſcrimen inter actus naturales, & ſupernaturales, vocibus *actus naturalis*, atque *ſupernaturalis*, ſed ſolum inter actus conducentes in ſalutem, & elicitos viribus gratiæ, & actus non conducentes in ſalutem, & elicitos viribus naturæ; inde tamen Theologi colligunt, dari actus intrinſece naturales, & intrinſece ſupernaturales. At iſta collectio Theologorum erit prorſus nulla, ſi vere exiſtunt actus intrinſece naturales, qui ſalutares ſint, & eliciti viribus gratiæ; nam ad colligendum actum aliquem ſiue fidei, ſiue charitatis, ſiue pænitentiæ intrinſece ſupernaturalem, aliud indicium non extat, quam actum ſalutarem eſſe, & viribus gratiæ elicitum. Ergo aut nullus, aut omnis eius conditionis actus intrinſece ſupernaturalis admittendus eſt. Vrgeo; ſi actus intrinſece naturales ſunt ſalutares, & eliciti auxilio gratiæ Theologicæ, poteſt quis libere tueri, cum peccator iuſtificationem cõſequitur, actus fidei, ſpei, & dilectionis Dei, atque pænitentiæ, quibus ad illam diſponitur, eſſe intrinſece naturales, ſimiliter cum iuſtus augmentum gratiæ, & gloriæ promeretur, atque adeò nunquam fieri actum intrinſece ſupernaturalem. Nam vt eos actus argueres intrinſece ſupernaturales, vti debebas hac ratione; nimirum illi actus ſunt conducentes in ſalutem; illi ſecundum Sacras literas, Concilia, & Patres fiunt ex gratia Dei, ex illuſtratione, & inſpiratione Spiritus ſancti; ex munere diuino; &c. At hæc ratio frigida eſſet; ſi poſſent actus intrinſece naturales eſſe conducentes in ſalutem, fierique ex gratia Dei, ex illuſtratione, & inſpiratione Spiritus diuini, &c. Siquidem per te antecedens non eſt connexum cum conſequenti, ſed indifferens ex ſe ad eius oppoſitum, cum eoque compoſſibile. Ergo vt aliquis actus tutò detur intrinſece ſupernaturalis, omnes ſalutares, & eliciti viribus gratiæ ſupernaturalis admitti debent intrinſece ſupernaturales.

43. Dices primò cum Patre Vaſquez, & Reſponſio prima P. Vaſquez
alijs aſſeclis ipſius, actus ſalutares intrinſece ſupernaturales colligi ex auxilio gratiæ intrinſece ſupernaturali; actus ſalutares vero intrinſece naturales ex auxilio gratiæ intrinſece naturali. Sed contra primo; nulla eſt gratia Theologica intrinſece naturalis, vt nunc ponimus; & Reijcitur ſolutio primo.
lib. 5. contra Patrem Vaſquez; fuſo calamo probabimus. Ergo ex auxilio gratiæ intrinſece naturali non poteſt probari actus ſalutaris intrinſece naturalis. Secundo eſto; ſit auxilium Reijcitur ſecundo.
gratiæ Theologicæ intrinſece naturale; tamen apud Sacros ſcriptores, Conciliorum Sanctiones, & Scripta Patrum non eſt inuenire hoc diſcrimen gratiæ intrinſece naturalis, & gratiæ intrinſece ſupernaturalis, ſed nullo facto diſcrimine ſtatuuntur actus eliciti ex illuſtratione Dei, ex infuſione Spiritus ſancti, ex dono, at-

Digitized by Google

que munere diuino; ſub qua loquendi ratione per te continentur gratiæ intrinſece naturales. Ergo nullo fundamento Sacræ paginæ, Conciliorum, & Patrum diſcrimen facis inter actus, & gratias intrinſece ſupernaturales, & naturales; ſed omnia argumenta ex his capitibus deſumpta poſſunt explicari de gratia, & actu intrinſece naturali, atque ita libere aſſeri fas erit, omnes actus ſalutares eſſe intrinſece naturales.

Reſpondetur ſecũdo.

44. Dices ſecundo cum Patre Suares, & alijs, actus ſalutares intrinſece ſupernaturales eſſe eos, qui per ſe ſupponunt auxilium gratiæ intrinſece ſupernaturale, actus ſalutares vero intrinſece naturales, qui per accidens illud ſupponunt. Sed contra. Nullo fundamento colligitur hoc actuum diſcrimen; quia Sacræ literæ, Concilia, & Patres ſolum docent, actus fieri auxilio gratiæ, qui viribus naturæ fieri non poſſunt. Ergo aut omnes debent colligi ſic fieri per ſe, aut nullus. Nam exigentiam talis auxilij per ſe eadem loquendi phraſis, eademque exigendi gratiam ratio ſuadet. Quare qui omnes actus velit tueri per accidens elicitos ex gratia, aut omnes elicitos per ſe, ex Sacris quidem literis & Canonibus Conciliorum, & Patrum conuinci non poteſt ad ſtatuendum diſcrimen. Aut igitur omnes, aut nullus ſalutaris, & ex gratia elicitus actus admitti debet intrinſece ſupernaturalis, & exigens per ſe auxilium gratiæ. Et quidem omnes per ſe illud exigere indicant duæ rationes. Altera, quia tale auxilium ſtatuitur tanquam neceſſarium; auxilium autem ſolum per accidens concurrens abſolute neceſſarium non eſt. Altera, quia natura abſque illo auxilio docetur omnino impotens ad actum ſalutarem efficiendum. Actus autem per ſe requirit auxilium, quod ad ipſam efficiendum tribuit ſimpliciter poſſe. Quæ rationes non poſſũt explicari ad aliquod genus actuum, quin ad omne genus actuum, ad quos auxilium gratiæ concurrit, eamdem explicationem non habeant. Vide plura num. 41 & 42.

Euertitur ſolutio.

Occurritur tertio. P. Torres.

45. Dices tertio cum Patre Torres, apud Sacros ſcriptores, Concilia, & Patres nullum inueniri actum ſalutarem intrinſece ſupernaturalem, ſed eum à Theologis probabili tantum diſcurſu deduci; atque adeo non omnes ſalutares actus adſtrui debere intrinſece ſupernaturales. Sed contra primo, quia licet Sacri ſcriptores, & Eccleſiæ Patres non doceant actus intrinſece ſupernaturales his vocibus *actus intrinſece ſupernaturalis*; tamen reipſa illos definiunt, cum principia Theologica, quæ ſuperioribus expendimus, ſtabiliunt; nam illa, vt oſtendimus, cohærere non poſſunt cum actu ſolum extrinſece naturali. Secundo eſto, ſolum probabiliter colligatur actus intrinſece ſupernaturales à Theologis; contendimus nos, principia, ex quibus illos deprehendunt, æque teſtari ſupernaturalitatem intrinſecam omnium actuum ſalutarium; atque ita aut collectionem probabilem Theologorũ nullam eſſe, aut eam ad omnes actus ſalutares porrigi debere. Nam imbecillitas naturæ, & neceſſitas auxilij gratiæ, quæ ſunt potiſſima fundamenta ſtabiliendi actus intrinſece ſupernaturales, omnibus actibus ſalutaribus ſine diſcrimine communis eſt.

Prima impugnatio.

Secunda.

Alia euaſio præcluditur.

46. Neque refert, ſi addas, præter imbecillitatem naturæ, & neceſſitatem gratiæ extare aliud fundamentum ſtatuendi actus intrinſece ſupernaturales, nempe infuſionem habituum ſupernaturalium: quod omnibus actibus commune non eſt, quoniam fundamentum ſtatuendi actus intrinſece ſupernaturales ex imbecillitate naturæ, & neceſſitate gratiæ ſufficiens eſt ad probabilitatem ſententię, vt oſtendimus ſect. 3. vbi illud expendimus; imo non alio potiſſimum vtuntur Theologi ad arguendum actus Theologales intrinſece ſupernaturales. At hoc fundamentum eodem modo probat ſupernaturalitatem intrinſecam omnium actuum ſalutarium. Ergo ſufficienti fundamento ſtatuimus actus omnes ſalutares intrinſece ſupernaturales. Præterea ex habitibus infuſis non poteſt fieri argumentum ad actus intrinſece ſupernaturales antecedentes infuſionem habituum; nam illi habitibus non fiunt. At Theologi admittentes actus fidei, ſpei, charitatis, & pænitentiæ intrinſece ſupernaturales, etiam eos, qui antecedunt infuſionem habituum, aſſerunt intrinſece ſupernaturales. Ergo non ex habitibus intrinſece ſupernaturalibus, qui in eos influant, ſed ex auxilio gratiæ actualis, & inſufficientia naturæ ſupernaturalitas ſubſtantialis eorum ſtatuenda eſt. At hoc fundamentum omnibus actibus ſalutaribus commune eſt. Ergo omnes actus ſalutares ſtatuendi ſunt intrinſece ſupernaturales. Rurſus eadem conſequutio, quæ fit ex habitibus, fieri debet ex auxilio gratiæ intrinſece ſupernaturali; nam vt lib. 5. vberrime explicabimus, auxilia gratiæ actualis cõcurſum efficientem præſtant in actus ſalutares. At ex concurſu efficienti principij intrinſece ſupernaturalis fit conſequutio habituum intrinſece ſupernaturalium ad actus intrinſece ſupernaturales; quippe principium efficiens intrinſece ſupernaturale, niſi ad actus intrinſece ſupernaturales neceſſarium non eſt. Ergo conſequutio facta ex habitibus ad actus fieri poteſt ex auxilijs gratiæ intrinſece ſupernaturalibus. Igitur cum modo ex lib. 5. ſupponamus auxilia gratiæ ad actus ſalutares neceſſaria eſſe intrinſece ſupernaturalia; & probatum iam ſit, ea eſſe omnibus actibus ſalutaribus communia, efficitur plane, legitime deprehendi omnes actus ſalutares eſſe intrinſece ſupernaturales.

Secundo.

Tertio.

SECTIO OCTAVA.

Explicatio eorum, quæ poſſunt obijci contra actus intrinſece ſupernaturales.

47. TRiplex argumentorum genus poteſt contendi contra actus intrinſece ſupernaturales. Primum eorum, quæ oppugnant neceſſitatem gratiæ Theologicæ, & principij ſuperadditi naturæ ad actus ſalutares efficiendos. Hæc argumenta objiciuntur ab hæreticis

Capita, ex quibus euerti poteſt ſupernaturalitas intrinſeca actuum.

Digitized by Google

Pellagianis, & Semipellagianis, & diſſoluta ſunt à nobis diſp. 17. ſect. 8. Secundum eorum quæ probant auxilia gratiæ requiſita à Concilijs, & Patribus ad actus ſalutares agendos non eſſe ſupernaturalia quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum. Hæc argumenta torquentur à Catholicis, qui volunt, cogitationes congruas naturales cõprehendi ſub gratia auxiliante Theologica, quam Patres Eccleſiæ exquiſierunt à Pellagio, & eius reliquijs. Ea nobis expendenda ſunt lib. 5. vbi de hac re fuſe diſſerendum eſt, & probandum, ſola auxilia gratiæ quoad ſubſtantiam ſupernaturalia, Patrum diſputatione contineri; atque adeo importune nunc difficultatem illam præſens diſpoſitio anteuerteret. Semper tamen ante oculos habendum eſt, hoc argumentorum genus ita euertere actus intrinſece ſupernaturales, vt nullos relinquat actus ſalutares, qui intrinſece ſupernaturales ſint, atque adeo Catholici vtentes hoc argumento, inconſequenter aſſerere actuum ſalutarium alios eſſe intrinſece ſupernaturales, alios intrinſece naturales, vt arguebamus ſectione præcedenti. Tertium argumentorum genus eſt eorum, quæ poſitis principijs intrinſece ſupernaturalibus, & infuſis adhuc contendunt, actus ſalutares eorum cauſalitate elicitos eſſe intrinſece naturales, & eiuſdem ſpeciei cum illis, qui fiunt ſola facultate naturæ abſque vllo principio ſupernaturali, & gratuito. Hæc argumenta opponuntur à Theologis antiquioribus, qui admittentes habitus ſupernaturales, nihilominus volunt efficere actus eiuſdem rationis, & ſpeciei cum actibus habituum naturalium; itẽ à Recentioribus, qui admittentes auxilia gratiæ intrinſece ſupernaturalia aiunt, ea deſeruire ad actus intrinſece naturales ſalutares efficiendos. Quamquam etiam in hac Recentiorum doctrina conſequentiam deſiderem, cum aliunde ex ipſa neceſſitate gratiæ colligant, & adſtruant, dari actus intrinſece ſupernaturales. Ideo argumenta, quæ probent; aliquos fieri actus ſalutares auxilio gratiæ intrinſece naturales, noſtris aſſertis repugnabunt.

Primo arguitur. 48. Ac primo contra noſtrum modum arguendi actus intrinſece ſupernaturales, ſic objiciunt quidam Salmanticenſium cum nonnullis Scotiſtarum. Poſſunt fieri actus quoad ſubſtantiam viribus diuinis, quin ſint intrinſece ſupernaturales. Ergo non bene colligitur eſſe intrinſece ſupernaturales, quod fiant viribus diuinis. Probatur antecedens quia Angelus exigit fieri ſolis viribus diuinis. Tamen Angelus non eſt intrinſece ſupernaturalis. Reſpondeo.

Reſpondetur. Actus ſalutares ſunt intrinſece ſupernaturales, quod fiant viribus diuinis indebitis exigentiæ totius naturæ. At Angelus non fit viribus diuinis indebitis exigentiæ totius naturæ; nam vt expoſuimus diſp. 3. & 5. Angelus continetur in ambitu naturæ, & exigentiæ ipſius Angeli debitæ ſunt vires, quibus efficitur à Deo. Præterea actus ſalutares exigunt fieri à natura non valente ſuis viribus ipſos actus ſalutares efficere abſque viribus gratiæ diuinæ eleuantibus naturam. At Angelus, cum non exigat fieri à natura, neque exigit fieri viribus diuinis eleuantibus impotentiam naturæ. Hoc diſcrimen autem ſufficit, vt actus ſalutares ſint intrinſece ſupernaturales, obtineantque ſpecificam diſtinctionem, & excellentiam præ actibus intrinſece naturalibus; nam eo ipſo quod actus ſalutares ſecundum entitatem exigant fieri à natura eleuata per principia ſupernaturalia, exiſtunt diuerſæ entitatis, & altioris perfectionis ſecundum ſpeciem, quam actus ſimiles, qui ſolis naturæ viribus abſque eleuatione fieri poſſũt, ad quam diuerſitatem, & altitudinem actuum ſalutarium, exprimendam, congrue intrinſece ſupernaturales vocantur. Cum autem hæc duo in Angelum non conueniant, & Angelum exigere fieri à natura creata, & naturam creatam ſuis viribus efficere ſubſtantiam intellectiuam ſimilem Angelicæ; ideo Angelus inter entia entitate ſupernaturalia collocari non debet, ſicut actus ſalutaris collocatur.

49. Secundo obijci poteſt. Sunt aliqua opera intrinſece naturalia, quæ ſine gratia Theologica à Patribus requiſita fieri non valent, vt contemptus diuitiarum, & honorum cum deſiderio paupertatis, & contumeliæ propter ſolam honeſtatem naturalem propoſitam lumine naturæ, diuturna perſeuerantia actionis honeſtæ, reſiſtentia grauiſſimæ tentationis, & collectio plurium operum, atque obſeruantia naturalium præceptorum; hæc enim omnia actibus intrinſece naturalibus euenire poſſunt, & non abſque gratia Theologica à Patribus cõtra Pellagium requiſita. Ergo ex neceſſitate gratiæ Theologicæ perperam colligitur ſupernaturalitas intrinſeca actuum. Nam in opera propoſita quamuis intrinſece naturalia conueniunt loquendi rationes Patrum, ex quibus arguimus ſupernaturalitatem intrinſecam aliorum. Ergo argumentum ex illis factum ad opera intrinſece ſupernaturalia nullum eſt. Vide quæ expendimus duabus anterioribus ſectionibus ad probandum, aut actus virtutum moralium, & in genere omnes ſalutares actus eſſe intrinſece ſupernaturales, aut nullum eſſe etiam virtutis Theologicæ actum, qui intrinſece ſupernaturalis ſit. Secundo opponitur.

50. Huic argumento reſpondet P. Ruiz de prouidentia diſp. 23. ſect. 5. num. 18. & ſequentibus, actus naturales propoſitos non indigere per ſe auxilio gratiæ Theologicæ, ſed per accidens ſolum ratione difficultatis, quæ fiunt in natura lapſa: ideoque ſubſiſtere rationem ex Patribus, & Concilijs confectam; quia Patres, & Concilia diſſerunt de actibus, qui per ſe ratione ſuæ quidditatis, & entitatis auxilium gratiæ requirunt; nam proprius ſenſus eorum comprehendit actiones, quæ per ſe tale auxilium gratiæ deſiderant. Sed non acquieſco. Nam vel ſanctiones Conciliorum, & Patrum comprehendunt ſolum opera, quæ per ſe auxilium gratiæ requirunt, vel etiam opera, quæ requirunt tale auxilium per accidens? Si opera ſolum complectuntur, quæ per ſe indigent auxilio gratiæ, perperam aſſeritur ex ſanctionibus Patrum talia opera naturalia fieri auxilio gratiæ Theologicæ, quod intrinſece ſupernaturale eſt, cum ea opera ſolum per accidens à tali P. Ruiz nõ ſatisfacit.

Digitized by Google

auxilio procedere queant, & per ſe fieri poſſint auxilio gratiæ naturalis, magis intenſo, atque perfecto, quod extra diſputationem Patrum fuit. Si etiam comprehendunt opera per accidens requirentia gratiam, non eſt, quare ex Decretis Patrum, & Conciliorum Eccleſiæ ſtatuas, opera eſſe intrinſece ſupernaturalia, & per ſe exigentia auxilium intrinſece ſupernaturale, cum talem diuiſionem operum apud Patres non inuenias, ſed indiſcriminatim doceant, omnes actus moraliter bonos fieri auxilio gratiæ. Confirmatur; ſi quis tueatur, omnes actus ſalutares etiam Theologales eſſe intrinſece naturales, quamuis auxilio gratiæ intrinſece ſupernaturali fiant, quia auxilium gratiæ non per ſe, ſed per accidens influit in illos, nulla ratione ex ſacris literis, & monumentis Conciliorum, & Patrum hanc ſententiam redarguere poteris; nam ſi iuxta illorum ſenſum fiunt auxilio gratiæ aliqua opera intrinſece naturalia, per accidens requirentia gratiam, non eſt, quare omnia eodem pacto non fiant, & eorum explicatio ad alia opera in ſenſum ſupernaturalitatis intrinſece, ad alia in ſenſum ſupernaturalitatis extrinſece detorqueantur, ad omniaque vna & eadem expoſitio communis non ſit. Ergo aut omnia opera intrinſece, ac per ſe ſupernaturalia, aut omnia ſupernaturalia extrinſece, ac per accidens ex Sacrorum ſcriptorum, Conciliorum, & Patrum mente ſtatuenda ſunt.

Confirmatur.

Iterum cõfirmatur.

51. Iterum confirmatur; Canones Eccleſiaſtici non ſtabiliunt concurſum gratiæ ſupernaturalis ratione difficultatis operum; tum quia id ſatis exprimunt Concilium Mileuitanum, Auguſtinus, & modus loquendi Patrum, vt oſtendimus n. 22. & 23. tum quia doctrina Patrum ad omnia opera difficilia, atque facilia communis eſt; quare actus fidei, ſpei, & charitatis Theologicæ etiam faciles fiunt in natura lapſa auxilio gratiæ, & intrinſece ſupernaturales, & iidem fiunt eodem auxilio ab Angelo, & in natura integra ab homine abſque vlla difficultate intrinſece ſupernaturales. Ergo auxilium, quod ſola ratione difficultatis neceſſarium eſt, non eſt auxilium gratiæ Theologicæ intrinſece ſupernaturale, à Patribus requiſitum. Sed auxilium mere naturale, quod extra aſſerta Patrum eſt. Rurſus aut opera naturalia argumento obiecta, ſunt ſalutaria in vitam æternã, aut non ſunt ſalutaria? Si ſalutaria ſunt, quamuis ſine difficultate fierent, exigerent auxilium gratiæ Theologicæ. Si ſalutaria non ſunt, quamuis ſint difficillimã, nõ influet in illa auxilium gratiæ, nam auxilium gratiæ ſolum deſideratur, vt fiant opera prout oportet ad ſalutem, vt Tridentina, & Arauſicana definitio decernunt. Si autem propterea dicas, ad opera naturalia ſuperius propoſita non aſſeri requiſitum auxilium gratiæ ex definitione Conciliorum, & Patrum; ſed ſolum ex ratione, quam fundat ipſa difficultas operum. Contra eſt, quia ad ſuperandam difficultatem operum naturalium ſufficit multitudo, & intenſio auxiliorũ naturalium, quippe multiplicatis, & intenſione auctis illuſtrationibus, & affectionibus naturalibus poteſt voluntas in opera naturalia efficaciter induci,

Conc. Mileuitan. Auguſtin.

Rurſus tertio.

in quæ alias communibus illuſtrationibus non erat inducenda. Neque Theologicum eſt aſſerere exiſtentia auxilia gratiæ intrinſece ſupernaturalia, quæ ſola luce ſcripturarum, Conciliorum, & Patrum nobis innoteſcunt, vbi lux iſta non prælucet. Præterea auxilia gratiæ ſolũ exiſtunt ad tribuendum ſimpliciter & ſufficienter poſſe voluntati, vt ſect. 3. & 4. vidimus. At ad opera naturalia non tribuunt auxilia intrinſece ſupernaturalia ſimpliciter, & ſufficienter poſſe voluntati, quia per auxilia naturalia obtinet ſimpliciter, ac ſufficienter poſſe, quamuis poſſe difficile. Ergo auxilia gratiæ intrinſece ſupernaturalia non conferunt concurſum in opera intrinſece naturalia. Vide alia in hanc rem num. 21.

Quarto.

52. Reſpondeo igitur argumento. Ad actus intrinſece naturales quamuis heroicos, & difficiles, neque neceſſaria ſunt, neque reipſa directe influunt auxilia gratiæ Theologicæ à Patribus, & Concilijs requiſita, ſed auxilia gratiæ naturalis, quæ extra Patrum conſiderationem fuerunt. Nam auxilia gratiæ Theologicæ, vt ſæpius poſuimus ex lib. 5. ſunt intrinſece ſupernaturalia. Auxilia autem intrinſece ſupernaturalia, neque neceſſaria ſunt, neque reipſa directe influunt in actus naturales, etiam difficiles, & heroicos. Neceſſaria non ſunt, quia nullum principium intrinſece ſupernaturale poteſt eſſe neceſſarium ad opus intrinſece naturale, cum per ſola auxilia naturalia ſufficienter, & efficaciter poſſit exiſtere. Reipſa directe nõ influunt; tum quia ex doctrina Conciliorum, & Patrum, hæc auxilia donãtur propter imbecillitatem, & inſufficientiam naturæ, tanquam neceſſaria ad poſſe ſimpliciter voluntatis; neceſſaria autem non ſunt ad poſſe ſimpliciter voluntatis in opera naturalia, vt nuper dicebamus, tum quia ex eadem inſtitutione Patrum, æque ad omnes actus faciles, atque difficiles conferuntur, cum difficultas non ſit ratio conferendi illa, vt expoſuimus ſect. 4. Ad actus autem faciles naturales, aduerſarij ipſi fatentur, auxilia intrinſece ſupernaturalia non concurrere, tum quia ex eadem Patrum, & Conciliorum ſanctione ſolum ad actus ſalutares influunt: actus autem naturales ſalutares non ſunt, quod difficiles, aut intenſi fiant, cum difficultas, & intenſio poſſit eidem numero operi ſolis naturæ viribus elicito contingenter aduenire, indeque poſſent vires naturæ aliquod initium ſaluti noſtræ dare, tum denique à priori, quia quoties voluntas præuenitur auxilio gratiæ intrinſece ſupernaturali, & voluntas eis adiuta operatur circa virtutum obiecta, actus elicit intrinſece ſupernaturales, in quos directus auxiliorum ſupernaturalium concurſus intendit, vt ſatis fuſe docuimus diſp. 10. Quinimo nuſquam voluntas agit actum intrinſece naturalem alicuius virtutis, quin ſimul cum illo etiam actum agat intrinſece ſupernaturalem, vt ibidem illuſtrabimus. Vnde verum abſolute eſt, quoties voluntas heroice ſpernit temporalia, diuque perſiſtit in officio alicuius virtutis, quoties grauiſſimæ tentationi reluctatur, præceptiſque diuinis collectiue obtemperat, neceſſarium eſſe auxilium gratiæ, quia mo-

Vera ſolutio.

Digitized by Google

do lege Dei, hæc opera ſiunt actibus intrinſece ſupernaturalibus, in quos tale auxilium per ſe neceſſarium eſt. Cæterum ſi ſolitarie exerceretur voluntas per actus intrinſece naturales, nō eſſet tale auxilium neceſſarium: quippe ad ea opera tale auxilium non requiritur, niſi prout conducunt in ſalutem: in ſalutem autem non conducunt, niſi actibus intrinſece ſupernaturalibus exerceantur. De quo plura diximus diſp. 20. ſect. 21. & diſp. 17. ſect. 9. & plurima dicemus lib. 5. agentes de auxilijs gratiæ intrinſece ſupernaturalis.

Tertio obijcitur.

53. Tertio obijcies. Auxilia gratiæ non ſunt neceſſaria ad actus virtutum quoad ſubſtātiam, ſed quoad modum. Ergo virtutum actus non ſunt ſupernaturales quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum. Probatur antecedēs. Tridentinum, Arauſicanum, & Auguſtinus, cum ſtabiliunt neceſſitatem gratiæ ad agendum virtutum actus, notanter adiungunt, ad eos prout oportet ad ſalutem agēdos, gratiam neceſſariam eſſe, vt vidimus diſp. 17. ſect. 4. At hæc adiectio toties obſeruata à Concilijs, & Patribus notat, ſolum quoad eum modum agēdi actus, prout oportet ad ſalutem, non quoad ſubſtantiam actuum, ab eo modo ſeparabilem, gratiam eſſe neceſſariā. Ergo. Reſpondeo. Modus agendi actus, prout oportet ad ſalutem, eſt modus ſubſtantialis, & intrinſecus actui, atque adeo auxilia gratiæ ſunt neceſſaria ad actum virtutis quoad modum ſubſtantialem, & intrinſecum actui. Concilia autem, & Patres Eccleſiæ adiungunt notāter eum modum, non quia poſſit eſſe ſubſtantia actus in quem influit gratia, ſine illo modo: ſed quia opinione Theologorum ſunt alij actus virtutū naturales circa obiecta virtutum infuſarum, eliciti ſine gratia, qui eodem ſibi ſubſtantiali non ſiunt, ſeu qui huiuſmodi differentiæ ſubſtantialis non ſunt: atque adeo conſultum fuit notare, quonam differentiæ entitatiuæ modo eſſe debeant actus, in quos gratia Theologica requiritur, nempe ſalutares, ſicut cum dicimus, Deum prout veracē eſſe obiectum formale ſpei, prout in ſe bonum obiectum formale charitatis, plane per has voces adiunctas Deo nolumus ſignificare, veracitatem, ſeu bonitatem, ſiue conuenientem nobis, ſiue Deo eſſe modos contingētes naturæ diuinæ, ſed ex perfectionibus ſubſtantialibus Dei notamus cuiuſmodi ſunt, quæ ſunt obiectum formale harum virtutum. Similiter igitur gratia influere dicitur in actus virtutum, prout oportet ab ſalutē, non quia per has voces *prout oportet ad ſalutem* ſignificetur modus aliquis ſuperueniens entitati ſpecificæ actuum virtutis, ſed quia ex duabus ſpeciebus actionum quæ circa idem obiectum verſantur, aliarum ſalutarium, aliarum non ſalutarium, exprimi opus fuit, in ſolas intrinſece ſalutares auxilium gratiæ requiri.

Conc. Tridentinum Arauſicanū Auguſtinus

Sati fit.

Quarto.

54. Quarto omnium efficaciſſime. Mea opinione pura omiſſio actus prohibiti poteſt eſſe meritoria doni ſupernaturalis, & procedere ab auxilio gratiæ intrinſece ſupernaturali. Tamen pura omiſſio actus prohibiti eſt intrinſece naturalis; tum quia actus prohibitus eſt intrinſece naturalis; tum quia ea omiſſio actus procedens ab auxilio gratiæ poteſt exiſtere virtute ſolius principij naturalis. Ergo ſimiliter poteſt actus poſitiuus virtutis procedere meritorius, & naturalis intrinſece ab auxilio gratiæ? Reſpondeo. Si vera eſt ſententia iuniorum aſſerentium, omiſſionem actus prohibiti procedentem à principio ſupernaturali, eſſe diuerſam ſpecie ab omiſſione procedenti à principio naturali, quia vnaquæque ſuo principio eſſentialiter adſtricta eſt, prompta eſt reſponſio; Quippe omiſſio actus prohibiti ſuo modo intrinſece ſupernaturalis eſt, cum principio ſupernaturali eſſentialiter ſit annexa, & ſpecie differat ab omni omiſſione actus, qui virtute principij naturalis poteſt exiſtere. Quia vero hæc ſententia mihi diſplicet, accipe diſcrimen apertum inter puram omiſſionem, & actum poſitiuum. Nimirum voluntas creata præuenta auxilio gratiæ intrinſece ſupernaturali mouente ad poſitiue agēdum circa obiectum alicuius virtutis, continet in ſua poteſtate libera actum intrinſece ſupernaturalem, quem ex ſuppoſitione quòd conatū conferat in amorem talis obiecti, non poteſt non illum edere intrinſece ſupernaturalē; nam obiectum formale actus honeſti naturalis, & ſupernaturalis idem prorſus eſt, & conatus voluntatis in actum naturalem indiuiduus à conatu in actum ſupernaturalem: ergo voluntas proxime conſtituta potens ad actum ſupernaturalem, & concurſum conferens in amorem obiecti honeſti non poteſt non illum efficere intrinſece ſupernaturalem. Vide quæ de hac re diximus diſput. 20. ſect. 3. At vero voluntas in actu primo conſtituta ad omittendum actum prohibitum non continet in ſua poteſtate omiſſionē aliquam intrinſece ſupernaturalē, cum omiſſio actus prohibiti non poſſit eſſe intrinſece ſupernaturalis, vt nunc ponimus, atque adeo talis poteſtas omittendi ſolum poteſt exerceri per aliquid naturale. En igitur manifeſtum diſcrimen, quare ab auxilio ſupernaturali poſſit effluere omiſſio naturalis, nō vero actus poſitiuus naturalis, quia omiſſio non eſt poſſibilis ſupernaturalis, actus poſitiuus vero eſt poſſibilis intrinſece ſupernaturalis, & eo ipſo quod poſſibilis ſit, aut nullus, aut neceſſario ſupernaturalis edēdus eſt, ſuppoſitione quod auxilio voluntās conſentiat. Hinc etiam teſtimonia Patrum differentia de auxilio ad poſitiue agendum poſſunt, ac debent exponi de actu intrinſece ſupernaturali: differentia vero de pura omiſſione non poſſunt aliter exponi quam de omiſſione intrinſece naturali, quia omiſſio intrinſece ſupernaturalis repugnat, quando eſt actus intrinſece mali: actus vero poſitiuus non repugnat intrinſece ſupernaturalis, & vbi poſſibilis eſt, locutiones Patrum proprio ſenſu intelligi non poſſunt, niſi de actu intrinſece ſupernaturali, vt oſtendimus.

Occurritur.

55. Vrgebis. Poteſt voluntas cum auxilio intrinſece ſupernaturali cohibere actum prohibitum per nolitionem poſitiuam ipſius, quæ poteſt eſſe ſupernaturalis. Ergo auxilium gratiæ ad omittendum collatū exerceri poteſt per conſenſum intrinſece ſupernaturalem? Reſpondeo. Non poteſt ſemper facultas libera omittendi exerceri per nolitionem poſitiuam

Vrgetur.

Reſpondetur.

reflexam.

Digitized by Google

reflexam. Nam vt ea poteſtas per nolitionem poſitiuam reflexam exerceatur, neceſſaria eſt cognitio, & aduertentia reflexa ipſius amoris prohibiti. At non ſemper, ac voluntas poteſt cohibere libere amorem prohibitum adeſt neceſſario hæc cognitio, & aduertentia reflexa amoris. Nam vt poſſit voluntas libere cohibere amorem prohibitum, ſufficit cognitio indifferens ipſius obiecti amoris, qua nempe obiectum, vt bonum, & malum proponatur. Hæc autem obiecti propoſitio exiſtere poteſt abſque reflexa cognitione ipſius amoris. Præterea eſto, poteſtas pure omittendi ſit neceſſario coniuncta cum poteſtate poſitiue nolendi actum prohibitum, poteſt adhuc voluntas pure omittere ſine actu, quia electio omittendi pure ſine actu, aut omittendi poſitiue per actum conſtituta eſt in poteſtate, & arbitrio voluntatis, diuidendo libere vnum exercitium ab alio. Cæterum electio amandi poſitiue obiectum honeſtum per actum intrinſece naturalem, & non ſupernaturalem, aut è contra, non eſt in arbitrio voluntatis conſtituta, ſed ex ſuppoſitione quod ſtatuat amare obiectum, & poſſit per actum ſupernaturalem: non poteſt illum cohibere, & præferre naturalem, cum ſolius Dei ſit diſtinguere inter eos actus, & volente arbitrio amare, determinare amorem, quem tunc continet in ſua poteſtate. Ex natura rei autem dum voluntas poteſt agere actum intrinſece ſupernaturalem, & facit quod in ſe eſt, ad eum agendum, (vt reipſa agit, quando amat obiectum honeſtum, cum conatus voluntatis in amorem naturalem non ſit diuiſibilis ex parte voluntatis à conatu in amorem ſupernaturalem) non ſtat per Deum, præuenientem ſua gratia voluntatem ad amorem ſupernaturalem, vt amorem ſupernaturalem, & ſalutarem non eliciat. Eliciet igitur ex natura rei intrinſece ſupernaturalem, ac ſalutarem. Si autem rurſus vrgeas, Deum inde non poſſe voluntatem præuenire auxilio gratiæ ad pure omittendum, quia pura omiſſio non poteſt eſſe intrinſece ſupernaturalis. Reſpondeo. Nunc ſupponimus puram omiſſionem ex auxilio gratiæ eſſe poſſibilem, non quia aliter pura omiſſio eſſe non poſſet, ſed quia non poſſet eſſe ſalutaris, ac meritoria. Quare ideo Deus auxilium gratiæ confert ad cohibendum actum prohibitum, vt reſiſtentia tentationis per omiſſionem amoris turpis fiat à voluntate eleuata in finem ſupernaturalem per omiſſionem meritoriam, ac ſalutarem. De quo diſp.70.agentes de pura omiſſione meritoria.

Aliâ ſolutio.

56. Ad hæc argumento ſuperiori aliter reſpondeo. Omiſſio actus prohibiti prout bona intrinſece ſupernaturalis eſt. Nam bona non eſt, prout ſolum eſt defectus actus prohibiti, ſed prout continet motionem ex obiecto formali honeſto propter ſe. At hac ratione intrinſece continet illuſtrationem, & affectionem ſimplicem honeſtatis intrinſece ſupernaturalem, vt exponimus diſp. 70. Quare cum auxilia gratiæ dentur ad exercitium voluntatis, qua bonum eſt, ſemper dantur ad exercitium intrinſece ſupernaturale. Eſt autem hoc diſcrimē inter omiſſionem bonam, & actum virtutis poſitiuum bonum, quod reſpectus in obiectum formale honeſtum, ex quo bonitas formalis deſumitur, eſt intrinſecus, & identificatus actui poſitiuo, & adæquate diſtinctus ab ipſis auxilijs gratiæ, quæ ad eum actum conferuntur; at vero omiſſioni ſecundum ſe, vt diſtinctæ ab ipſis auxilijs gratiæ talis reſpectus, non eſt adæquate identificatus, & intrinſecus. Hæc amplius lucebunt diſp. 70. cum diſſeramus de pura omiſſione moraliter bona, & doni ſupernaturalis meritoria.

SECTIO NONA.

Senſiones, & appetitiones internæ intrinſece ſupernaturales.

Poſſibiles ſunt.

57. ADdidimus ſuperioribus etiam in ſenſu interno, & appetitu ſenſitiuo, poſſe, & reipſa dari actus entitatiue ſupernaturales. Itaque aſſero primo. Poſſibiles ſunt ſenſiones, & appetitiones internæ entitatiue ſupernaturales. Ita quotquot eos actu exiſtentes admittunt, quos aſſertione ſequenti referemus. Probatur primo, quia poſſunt dari obiecta ſupernaturalia, quæ per hos actus ſentiri poſſint. (Primum fundamentum.) Nam obiecta ſenſionum externarum ſentiuntur per actus ſenſus, & appetitus interni; obiecta autem ſenſionum externarum poſſunt eſſe intrinſece ſupernaturalia, vt ſect. ſeq. exponemus. Secundo quia poſſunt dari actus intrinſece ſupernaturales in obiecta intrinſece naturalia. (Secundum.) Ergo etiam actus materiales interni intrinſece ſupernaturales. Antecedens oſtendemus diſputatione ventura. Conſequentia probatur; quia ex nullo alio capite poterant implicare hi actus entitate ſupernaturales, niſi quia implicat eorum obiectum intrinſece ſupernaturale. Tertio agentia non vitalia poſſunt eleuari ad actiones ſuæ actiuitati accommodatas intrinſece ſupernaturales, (Tertium.) ſicut ignis ad vſtionem ſpirituum intrinſece ſupernaturalem, vt reliquimus diſput.39.ſect.3. Ergo etiam potentiæ ſenſitiuæ, quæ vitales ſunt & ad agendum ſupernaturaliter non minus capaces, quam potentiæ non vitales. Quarto non repugnat ſentiri, (Quartum.) & appeti per vnicum actum ea, quæ ex natura rei per plures appetuntur, & ſentiuntur, vt ſi ponas, idolum hominis, & leonis ex natura rei non poſſe per vnicum phantaſma formari, diuinitus quidem poteſt vnico phātaſmate vtriuſque idolum effingi: nam hoc phantaſma non fertur extra obiectum adæquatum ſenſus interni. At tale phantaſma eſſet intrinſece ſupernaturale: quippe excederet omnem actiuitatem naturalem, & exigentiam ſenſus interni. Ergo ſenſio interior poteſt intrinſece ſupernaturalis eſſe. Denique quia nulla occurrit implicantia, quæ facili negotio non explicetur: vt ad ea, quæ obijciemus ſec.11. videbimus.

Exiſtunt actu P. Molina.

58. Aſſero ſecundo. Vero ſimile eſt exiſtere actu aliquas ſenſiones, & appetitiones internas entitate ſupernaturales. Ita P. Molina

Digitized by Google

in Concordia diſputatione quadrageſima ſecunda, P. Salas. Pater Salas 1. 2. tomo ſecundo, tractatu vndecimo, diſputatione ſexta, ſectione quarta, numero quinquageſimo quinto. Pater P. Granad. Granadus tomo ſecundo, controuerſia quinta, de virt. tractatu primo, diſputatione tertia, numero octauo, & controu. octaua, de grat. tract. 3. diſputatione ſecunda, numero decimo P. Lorinus. Medina. nono. Pater Lorinus in Pſalm. 83. verſ. 3. Medina 1. 2. quæſtione ſexageſima tertia, art. 3. fine, & quotquot in appetitu ſenſitiuo admittunt virtutes infuſas ad moderandas paſſiones. Probo. Hi actus ſunt poſſibiles, vt aſſertione præterita oſtenſum eſt; Aliunde maxime conferunt ad finem ſupernaturalem, in quem homo euectus eſt; nam actus ſupernaturales intellectus, & voluntatis plurimum pendent ab actibus appetitus, & phantaſiæ, eòque intenſius, & promptius aguntur à voluntate, quo phantaſia perfectius ſpeculatur bonum, & appetitus dulcius, ac ſuauius fertur in illa. Inſuper Sacræ paginæ teſtimonia indicare videntur dum ſanctæ, ac piæ deuotionis affectus per ſenſibilem dulcedinem, ac guſtum ex-Pſ. 33. ponunt vt Pſalm. 33. *Guſtate, & videte, quo-Pſ. 30. niam ſuauis eſt Dominus.* Pſalm. 30. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſ-Pſ. 83. condiſti timentibus te*, & Pſalm. 83. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Vbi meliori, & communi interpretum expoſitione per cor ſignificatur voluntas agens affectus ſpirituales, & per carnem appetitus corporeus experiens in exercitio virtutum ſupernaturalium ſenſibilem voluptatem à Deo dona-Theodor. tam, & infuſam. Theodoretus ibi; *Non modo anima lætatur, ſed etiam corpus letitiæ particeps* Lyra. *fit.* Liranus, *Fortes motus animæ redundant ad corpus, & ideo cum anima fortiter exultat in Deo,* Bernardus. *fit quædam redundantia in ſenſu corporeo.* Bernardus ad fratres de monte Dei: *Vbi caperit ſpiritus reformari ad imaginem creatoris ſui, mox etiam refloreſcens caro incipit cor formari* Idiota. *imagini reformati ſpiritus.* Idiota in Pſalm. 15. tomo quinto, Bibliotecæ Patrum tunc aſſerit, *Hominem eſſe perfectum, cum non ſolum anima eius, ſed etiam caro in Deum fertur.* Quam loquendi rationem communem eſſe omnibus Interpretibus Sacræ paginæ, præſertim Au-P. Lorinus. guſtino, Hieronimo, & Apollinario docet Pater Lorinus in Pſalm. 62. verſic. 2. En Eccleſiæ Patres lætitiam animo infuſam, corpori quoque communem profitentur, atque adeo intrinſece ſupernaturalem, & infuſam, ſicut animi lætitia ſupernaturalis, & infuſa eſt. Igitur reipſa actus ſenſitiui interni admittendi ſunt intrinſece ſupernaturales. Neque enim larga Dei prouidentia in diſpenſandis ſupernaturalibus donis limitanda ſolum eſt ad animum, ſed ad corpus quoque comitem animi indiuiduum extendenda. Præſertim vbi poſt carnis mortalitatem induerit immortalitatem, & gloriæ ſupernaturalis animi particeps fuerit in cæleſti Hieruſalem. Nam cum animus fælicitate intrinſece ſupernaturali potiatur omni bonorum genere refertiſſima, pars quoque ſentiens quæ ad beatitudinis conſortium admittitur, & eleuatur, eiuſdem generis fœlicitatem, cum poſſibilis ſit, participare, æquum eſt. Equidem aliud ego non credam. Saltem de parte ſentiente humanitatis Chriſti domini, cuius excellentiæ nullum donum ſupernaturale non debetur: parum pium, quin & parum Theologicum eſt, aliud ſentire. Accedit in confirmationem, plures Theologo- Confirmatur. rum, quos referemus ſectione futura, arbitrati, claritatem, & alias qualitates corporeas, quæ pertinent ad affectiones beatitudinis, eſſe intrinſece ſupernaturales. Ergo phantaſmata, & appetitiones corporeæ æquius erunt ſupernaturales, cum magis conferant ad beatitudinem, quam aliæ qualitates corporeæ non vitales. Exiſtentia igitur ſenſionum, & appetitionum internarum entitate ſupernaturalium, ſtatuenda eſt. Quod libro quarto vberius, & illuſtrius ſtabiliemus, cum de habitibus infuſis partis ſentientis animi diſſeramus.

SECTIO DECIMA.

Senſiones externæ intrinſece ſupernaturales.

59. Aſſero primo. Non repugnant ſen- Aſſertio prima. ſiones externæ entitate ſupernaturales, verbi gratia, actus videndi, actus guſtandi, & ſimiles. Conſtat ex aſſertione prima ſectionis præteritæ. Tum quia non repugnant qualitates corporeæ intrinſece ſupernaturales, lux, color, ſapor, & aliæ huiuſmodi, quæ beatitudini ſupernaturali annexæ ſint, & actiuitate, atque exigentia naturæ minime contineantur; nam vt naturam rationalem poteſt Deus accidentibus perficere ſupra ipſius exigentiam, & facultatem, ſic naturam ſentientem accidentibus corporeis illuſtrare poſſe, quis non credat? Tum quia poſſunt eſſe actus intrinſece ſupernaturales circa obiecta formalia intrinſece naturalia. Tum quia potentiæ non vitales euehi poſſunt in actiones intrinſece ſupernaturales. Tum quia vnico actu poſſunt diuinitus ſentiri qualitates diuerſæ ſpeciei, quæ ex natura rei duplici actu ſentiuntur. Tum denique quia nulla apparet implicantia. Conſule ſuperiora ſectione præterita.

60. Aſſero ſecundo. Aliquæ ſenſiones Secunda. externæ intrinſece ſupernaturales, reipſa exiſtunt. Ita Richardus in 4. diſt. quadrageſi- Richardus. ma nona, artic. quarto, quæſt. ſexta, aſſerens lucem, qua corpora Beatorum, & humanitas Chriſti elucent in cælo, eſſe ſupernaturalem, & viſum corporeum indigere eleuatione, qua confortetur ad cernendum illam. Indicat Du- Durandus. randus in 3. diſtinct. 16. quæſtione 2. aſſerens, lucem, qua Chriſtus in Transfiguratione reſ- Pariſienſis. plenduit, quamuis eſſet naturalis, & eiuſdem rationis cum luce ſolis, non potuiſſe à Diſci-

Digitized by Google

ſulis videri, niſi prius confortarentur oculi eorum, vt exponemus inferius. Quod etiam probabile cenſet Pariſienſis 1. de vniuer. part. ſecunda, folio centeſimo ſexageſimo ſecundo, columna ſecunda. Neque diſſentit Pater Iannerus tertia parte, diſputatione ſecunda, quæſtione ſecunda, numero 163. Affirmat expreſſe Pater Granadus 1. 2. controu. 4. de habitibus diſputatione ſexta, numero ſeptimo, quibus accedunt Sanctus Thomas, Alenſis, Marſilius, Bonauentura, Scotus, Vualdenſis, Victoria, Sotus, & communiter Thomiſtæ apud Patrem Suarez, tertia parte, tomo tertio, diſputatione quinquageſima tertia, ſectione quarta, aſſerentes, Chriſtum Dominum ſub modo ſacramentali Euchariſtiæ non poſſe naturaliter videri oculis corporeis; poſſe tamen miraculoſe, & ſupernaturaliter, reque ipſa ſæpe à Beata Virgine, & oculis glorificatis videri.

P. Iannerus. P. Granad. S.Thomas. Alenſis. Marſilius. Bonauent. Scotus. Vualdenſis. Victoria. Sotus.

Oſtenditur aſſertio ex viſu.

61. Probatur aſſertum. Probabilis eſt ſententia Theologorum, quæ docet claritatem corporis beati eſſe lucem intrinſece ſupernaturalem. Ita Richardus, & Pariſienſis ſupra, Scotus in 4. diſt. 49. q. 15. Sotus q. 4. ar. 8. quamuis nonnihil formidans, P. Suarez to. 2. in 3. p. art. diſp. 32 ſect. 1. & diſp. 48. ſect. 2. P. Salas 1. 2. tract. 2. diſputat. 14. ſect. 16. nu. 130. Pater Thireus libro de Transfiguratione Chriſti nu. 23. & ſequenti, & plerique alij, quibus accedit Sanctus Thomas in 3. diſt. 16. quæſt. 2. art. 1. ad 2. & 4. Ergo datur viſio corporea intrinſece ſupernaturalis. Probatur conſequentia, quia lux illa viſibilis eſt oculo corporeo. Non viſione intrinſece naturali. Ergo viſione intrinſece ſupernaturali. Probatur minor. Tum quia, vt ſtatuimus diſp. 10. nihil ſupernaturale poteſt terminare immediate, & quidditatiue viſionem naturalem. Tum quia illa viſio eſſentialiter exigit principium ſupernaturale intrinſece, nempe ſpeciem impreſſam emiſſam à luce intrinſece ſupernaturali, quæ ſpecies ab vllo agente naturali effici repugnat; nam ſpecies intuitiua, & immediata obiecti ſolum efficitur ab obiecto, quod ſpecies eſſentialiter repræſentat. At obiectum, quod illa ſpecies eſſentialiter repræſentat, eſt intrinſece ſupernaturale. Ergo ſolum effici poteſt ab obiecto ſupernaturali; ac proinde eſt intrinſece ſupernaturalis.

Richardus. Pariſienſis. Scotus. Sotus. P.Suarez. P. Salas. P.Thireus. S.Thomas.

Reſpondet P. Suarez & P. Salas.

62. Dices cum Patre Suarez, & Patre Salas ſupra, illam lucem adeo benignam eſſe viſui, vt ſuapte natura poſſit videri, quin lædat organum corporeum; atque adeo quin viſus indigeat confortari ad videndum illam? Sed contra. Quamuis lux illa maligna non ſit organo corporeo, atque adeo organum non indigeat ſpiritibus vitalibus confortari; tamen adeo excellentis benignitatis eſt, vt viſus ſuapte natura, & ſpeciebus, quas connaturaliter exigit, continere illius viſionem non poſſit. Ergo quamuis non indigeat confortatione per diſpoſitiones corporeas, indigebit confortatione per ſpecies ſupernaturales, & principia eleuantia Dei. Sicut actus fidei non eſt malignus intellectui, neque capiti, in quo eum dependenter à corpore fabricamur; tamen propter eius excellentiam opus eſt principio intrinſece ſupernaturali, quod vires actiuas intellectus confortet. Ergo ſimiliter cum benignitate illius lucis poteſt coniungi indigentia principij ſupernaturalis actiui, quo vires actiuæ potentiæ viſiuæ confortentur.

Impugnatur.

Alia ſolutio euincitur.

63. * Dices ſecundo cum eiſdem, non poſſe eam lucem contineri ſub obiecto viſibili oculi corporei, niſi aliqua ſaltē imperfecta viſio naturalis poſſit eam attingere, ſicut Deus nō cōtineretur ſub obiecto viſibili intellectus, niſi intellectus creatus poſſet Deū aliqua cognitione naturali ſaltem abſtractiua cognoſcere? Sed contra; lux illa non videtur ſola, ſed ſimul cum coloribus corporum Beatorum, qui illuſtrantur per eam lucem. At colores ſunt naturales, qui viſione naturali poſſunt attingi. Ergo obiectum illius viſionis continetur intra ſphæram adæquatam viſus. Quandoquidem illa lux illuſtrat obiectum naturale, quod ſub ſphæra naturali viſus comprehenditur. Quare docui libris de anima, viſionem coloris, & lucis non eſſe duplicem, ſed vnicam indiuiſibilem. Præterea lux illa bifariam poteſt videri. Primo, itaut diſtinguatur à luce naturali. Secundo, itaut confundatur cum illa, quin cernatur diſcrimen, quo à luce naturali diſtinguitur. Prior viſio erit ſupernaturalis, quia ſpecies repræſentans talem differentiam ſupernaturalis eſt, exigens exiſtentiam lucis ſupernaturalis. Poſterior poteſt eſſe naturalis, quia fieri poteſt ſpecie naturali, quæ non exigat exiſtentiam lucis ſupernaturalis, ſed ei ſufficiat exiſtentia lucis naturalis, cum qua indiſcriminatim lux ſupernaturalis cōfunditur. Hæc doctrina expoſita eſt in lib. de anima, & exponetur in Metaphyſica. En lux ſupernaturalis continetur ſub obiecto adæquato viſus, ſicut Deus ſub obiecto adæquato intellectus, quia poteſt aliqua viſione imperfecta, & confuſa naturali videri per ſpeciem quę poterat à luce naturali fieri, ſicut Deus per ſpecies creaturarum naturaliter cognoſcitur. Ergo perfectiore cognitione ſupernaturali diſtinguente differentiam talis lucis, poterit lux illa ſupernaturalis videri per ſpeciem ſibi propriam intrinſece ſupernaturalem.

Suadetur in reliquis ſenſibus.

64. Secundo probatur idem in reliquis ſenſibus præter viſum. Nam poſt reſurrectionem corporum, ſenſus corporei Beatorum, Guſtus, Auditus, Odoratus, & Tactus potiri debent fœlicitate aliqua ſibi accōmodata, tum quia tales ſenſus non erunt tota æternitate otioſi; tum quia æquum eſt, vt parti ſentienti corporis, quæ in via contulit ad meritum per abſtinētiam obiectorū ſibi delectabilium, rependatur in patria aliqua merces ſibi proportionata per iucundā eorum, aut ſimilium obiectorum ſenſionem. At ea ſenſio erit intrinſece ſupernaturalis. Ergo. Probatur minor. Qualitates eius ſenſionis beatæ erunt intrinſece ſupernaturales, ſicut qualitas lucis perceptibilis per viſum erit intrinſece ſupernaturalis, nam ſicut lux ſupernaturalis poſſibilis eſt, ita etiam eſt poſſibilis ſapor, odor, & ſonus ſupernaturalis: & ſicut lux ſupernaturalis poſſibilis debetur ex natura rei viſui beato, ita reliquæ qualitates ſenſibiles

Digitized by Google

intrinſece ſupernaturales debemur reliquis ſenſibus beatis. Ergo ſenſiones earum qualitatum erunt intrinſece ſupernaturales. Hæc conſequentia probatur eiſdem rationibus, quibus ſenſio lucis ſupernaturalis probata eſt intrinſece ſupernaturalis. Deinde eſto, qualitates ſenſibiles ſint naturales; ſenſiones erunt intrinſece ſupernaturales: quia fient per ſpecies intrinſece ſupernaturales. Tum quia naturales qualitates ſentiuntur abſentes; nam credibile non eſt ſenſibus inhærere ſaporem, odorem, ſonum, & alias qualitates corporeas, quas rudia, & craſſa ſenſibilia producunt in via, ſed per ſpecies ipſarum ſuppleri à Deo earum qualitatum præſentiam. At hæ ſpecies non poſſunt eſſe naturales; nam ex natura rei qualitates reliquorum ſenſuum præter viſum non ſentiuntur præſentes per ſpecies, ſed per ſe immediate, vt libro de anima oſtenſum eſt, atque adeo ſpecies earum non continentur in virtute agentium naturalium, ſed à ſolo Deo debent infundi, vt abſentes ſentiri queant. Tum quia eſto tales qualitates naturales ſenſibus inhæreant; tamen ſenſiones earum erunt multo iucundiores, & altiores, quam ſunt illæ, quæ ex natura rei comparantur per ipſarum præſentiam: nam merces in patria reſpondens longe altior eſt, & ſuperior delitijs, quibus homo propter Deum priuatur in via, vt fert commune Patrum, & Sacrorum ſcriptorum præconium. Erunt igitur intrinſece ſupernaturales.

Tertia probatio. 65. Tertio; Eſto, omnes qualitates ſenſibiles ſint naturales; tamen ſenſus in patria plura ſimul, vehementioraque ſenſibilia percipient, quam ferre poteſt naturalis infirmitas ipſorum. Etenim viſus cernet lucem centuplo ſplendiorem luce ſolis, guſtus percipiet ſimul ſaporem omnium ciborum, odoratus ſimul variam omnium odorum mixtionem, auditus omnium concentuum ſpecies, & omnes iſtas qualitates intenſione altiſſime ſuperante naturales ſenſuum facultates. Rurſus pluralitatem ſenſibilium, & graduum intenſionis ipſorum vnuſquiſque ſenſus capiet vnica ſenſione indiuiſibili, quamquam ex natura rei pluribus, eiſque diuiduis ſenſionibus percipiat; nam talis ſenſio poſſibilis eſt, & rationi conſentaneum apparet, eam reipſa exiſtere, cum à Deo decernitur, vt vnum ſenſibile, & vnus gradus obiecti ſenſibilis ſimul cum alio ſenſibili, alioque eiuſdem gradu tota æternitate apprehendatur. Indigebit igitur eleuari virtus actiua vniuſcuiuſque ſenſus ad ſimultaneam, & vnicam tot, tantorumque obiectorum ſenſionem; ſiquidem virtus limitata naturæ in illam non ſufficit; atque adeo actio ſenſitiua, quæ ab ipſa ſenſione indiſtincta eſt, erit intrinſece ſupernaturalis.

Quarta. 66. Quarto; Dotes corporis glorioſi ſunt intrinſece ſupernaturales, vt fert commune Theologorum arbitrium. Ergo ſenſiones corporis externæ etiam erunt ſupernaturales. Nam, vt præmiſimus aſſertione prima, tales ſenſiones ſunt poſſibiles. Æquius autem eſt, vt titulo conditionis beatificæ ſupernaturales donentur ſenſiones externæ, quam dotes corporis glorioſi; tum quia ſenſiones magis conferunt ad beatitudinem, & gloriam accidentalem, quam dotes corporeæ; tum quia ſenſus magis contulerunt in via ad meritum, quam reliquæ corporis facultates, ſeu partes, quæ dotibus ſupernaturalibus condecorantur.

SECTIO VNDECIMA.

Argumenta contra ſenſiones & appetitiones intrinſece ſupernaturales.

67. NEgant actus intrinſece ſupernaturales in ſenſibus internis, & externis quidam Recentiorum, qui obiter hanc diſputationem attigerunt. Quibus accedit Lorca 1.2. de virtut. diſputatione decima ſexta, memb.3. fine. Arguitur primo. Actus intrinſece ſupernaturales ſunt conducentes in ſalutem. Actus corporei non ſunt conducentes in ſalutem; nam conducentia in ſalutem actuum ſupernaturalium, de qua diſſerunt Patres, non eſt phyſica, ſed moralis: actus autem corporei morales non ſunt. Ergo non ſunt intrinſece ſupernaturales? Reſpondeo. De his actibus non fuit ſermo Concilijs, ac Patribus Eccleſiæ, ſed tantum de actibus rationalibus, atque moralibus: ideoque actus ſupernaturales elicitos ex gratia cum actibus moraliter ſalutaribus conuertunt. Tamen præter conducentiam moralem in ſalutem ſunt alia capita, vnde in actibus non moralibus ſupernaturalitas entitatiua deprehendatur, vt probatione noſtra illuſtre fit. Præterea actus corporei in gradum qualitatum ſalutarium reduci poſſunt: nam eliciti in via prouocant animum per ſe ad efficiendum actus moraliter ſalutares, eliciti vero in patria complent per ſe integritatem, & perfectionem accidentalem ſalutis, ac beatitudinis æternæ vt vidimus. Hoc autem ſufficit ad ſupernaturalitatem intrinſecam. Lorca. Prima obiectio. Reſpondetur.

68. Arguitur ſecundo. Si darentur huiuſmodi actus intrinſece ſupernaturales, dari quoque deberent habitus infuſi, quibus fierent, cum eiuſmodi actus ſaltem in patria familiares, ac frequentes ſint. At tales habitus infuſi inhærentes ſenſibus internis, atque externis ignoti ſunt Theologis. Ergo actus dari non debent. Confirmatur: ſi adeſſent eiuſmodi habitus infuſi, inter virtutes infuſas referrentur. Inter virtutes infuſas referri non poſſunt; nam virtutes reſpiciunt honeſtum, aut verum, habitus autem ſenſitiui non reſpiciunt honeſtum, neque verum. Ergo tales habitus infuſi non dantur? Reſpondeo. De habitibus infuſis corporeis ex profeſſo agendum eſt nobis lib.4. qui totus in explicationem habituum ſupernaturalium incumbet. Nunc breuiter dicam, quod probo. Poſſibiles Secunda. Diluitur.

Digitized by Google

ſunt habitus infuſi corporei, quibus fiant appetitiones, & ſenſiones ſupernaturales tam externæ, quam internæ. Tamen de facto nulli inhærent in via ſenſibus externis, quia in via raro contingunt ſenſiones externæ intrinſece ſupernaturales. Hæc probabilis eſt ſententia Medinæ, Patris Granados, & aliorum, qui eos habitus reipſa concedunt ſenſui interno, & appetitui. Probabilius, eis decorari in Patria tam externos, quam internos ſenſus, quibus actus ſenſitiui entitate ſupernaturales frequentes, & continui ſunt. At Theologi eos habitus non agnoſcunt, quia de hoc genere actuū ſupernaturalium pauci diſſerunt; & de habitibus fere nulli. Num autem inter virtutes collocari hi habitus debeant, de voce quæſtio eſt, & à nobis explicanda lib.4. Quoad confirmationem reſpondeo.

Medina. P. Granad.

Tertia.

69. Tertiò; ſenſus Brutorum ſunt eiuſdem conditionis cum noſtris. Senſus Brutorum nullos efficiunt, nec poſſunt efficere actus intrinſece ſupernaturales; alias etiam habitus infuſi communes eſſent Brutis, quod inauditum eſt. Ergo neque ſenſus noſtri eos actus efficiunt, neque efficere poſſunt? Reſpondeo. Brutis poſſibiles ſunt actus, & habitus ſupernaturales, qui noſtris ſenſibus non repugnant: nam quoad partem ſentientem, à nobis non differunt, & argumenta, quæ probant actus, & habitus ſenſitiuos ſupernaturales hominibus poſſibiles, probant etiam poſſibiles Brutis. Cæterum actu exiſtente Brutis non competunt, ſicut hominibus, quia ſicut homines, in finem ſupernaturalem euecta non ſunt, neque fœlicitate potiuntur intrinſece ſupernaturali.

Satisfit.

Quarta.

70. Quarto; Nullus eſt actus intrinſece ſupernaturalis, cuius obiectum formale non ſit intrinſece ſupernaturale. At nullum obiectum ſenſibile eſt intrinſece ſupernaturale, præcipue in via. Ergo nullus actus ſenſitiuus præcipue in via eſt intrinſece ſupernaturalis. Bartholomeus Medina 1.2. quæſtione ſexageſima tertia, artic. tertio, fine, reſpondet, actus appetitus ſenſitiui elicitos per fortitudinem, & temperantiam infuſos, reſpicere obiectum ſupernaturale, nempe medium ſupernaturale inter audaciam, & timorem, inter delectationes carnis partas cibo, & potu. Verum obſcura eſt reſponſio. Nam non apparet quale ſit iſtud medium ſupernaturale diſtinctum à medio naturali, quod actus ſenſitiui naturales reſpiciunt. Spirituales autem dicuntur reſpicere obiectum ſupernaturale, quia mediocritatem obiecti conſiderant in ordine ad regulam aut finem ſupernaturalem. At in obiectum ſic conſideratum ſenſitiui actus non tendunt. Quid igitur eſt medium iſtud ſupernaturale fortitudinis, & temperantiæ ſenſitiuæ? Pater Granados 1.2. controu. de virtut. tract. primo, diſputatione tertia, numero duodecimo, ait, vt aliquis actus ſit intrinſece ſupernaturalis, non requiri, vt obiectum abſolute ſit entitate ſupernaturale, ſed ſufficere, vt reſpectiue ſupernaturale ſit, quatenus tale obiectum non poteſt ſolis viribus naturalibus attingi; at obiectum, quod per actus ſenſus, & appetitus interni attingitur, licet entitate naturale ſit, tamen non poteſt attingi, niſi determinetur ab Intellectu, prius cognoſcente obiectum ſupernaturale, ad cuius ſimilitudinem idolum effingit. Sed non bene; nam phantaſia Hæretici idem idolum efformat aſſentiens miſterio Trinitatis, aut alteri rei ſupernaturali, quod efformabat antequam eſſet Hæreticus. At Hæreticus non efformat tale idolum determinatus à cognitione ſupernaturali. Ergo obiectum ſecundum ſe, etiam vt ſenſibile non exigit ſupernaturalem cognitionem. Præterea phantaſiam indigere cognitione ſupernaturali obiecti ad efficiendum phantaſma non eſt obiectum eſſe ſupernaturale, ſed conditionem præuiam eſſe ſupernaturalem. Ergo ſupernaturalitas ſenſionis, aut appetitionis internæ non ſumitur à ſupernaturalitate obiecti.

Reſponſio Medinæ reijcitur.

Item Pater Granados.

71. Ex dictis planius ego reſpondeo. Primo poſſe eſſe actus entitate ſupernaturales in obiectum entitate naturale, vt expediemus diſputatione quadrageſima quinta. Secundo eſſe poſſe obiectum ſenſibile intrinſece ſupernaturale, vt magna pars Theologorum tuetur iuxta dicta ſuperius. Denique quamuis obiectum intrinſece ſupernaturale ſit, poſſe reſpectiue eſſe ſupernaturale, quatenus obiecta naturalia, quę ex natura rei pluribus actibus neceſſario percipiunt, ſimul, & vnico actu diuinitus percipi valent, vt expoſuimus præteritis.

Vera reſponſio.

DISPVT. QVADRAGESIMAQVINTA.

AN ACTVS NATVRALIS, ET SVPERNATVRALIS *poſſint habere idem obiectum formale?*

Quid obiectum formale.

1. OBIECTVM formale nunc voco, quod ratione ſui, ſeu propter ſe immediate attingitur per actum; quod communiter dicitur obiectum intrinſece motiuum. Extra omnem controuerſiam certum

Digitized by Google

eſt, actum naturalem, & ſupernaturalem poſſe reſpicere idem obiectum materiale commune, etiam immediatum, & proximum; quod plerique vocant obiectum formale *quod*. Nam per affectum naturalem, & ſupernaturalem appetimus beatitudinem ſupernaturalem, & per cognitionem ſupernaturalem, & naturalem aſſentimur exiſtentiæ naturali Dei. Ideo controuerſia ſolum exiſtit de obiecto formali, & intrinſece motiuo, vtrique actui communi; an idem obiectum formale poſſit vtrique actui eſſe commune, ſiue illud naturale, ſiue ſupernaturale ſit?

SECTIONES.

1. *Placita Theologorum.*
2. *Poteſt actus ſupernaturalis habere obiectum formale naturale.*
3. *Præcedens aſſertum auctoritate confirmatur.*
4. *Refelluntur argumenta contra præteritam doctrinam.*
5. *Poteſt actus naturalis reſpicere obiectum formale ſupernaturale.*
6. *Præcedens aſſertio conformis eſt doctrinæ ſancti Thomæ, Conciliorum, & Patrum Eccleſiæ.*
7. *Diſſoluuntur argumenta contra præcedentem aſſertionem.*
8. *Ratio formalis*, Sub quâ *actus ſupernaturalis tendit in obiectum, diſtincta eſt ab ea, ſub qua tendit actus naturalis.*

SECTIO PRIMA.

Placita Theologorum.

Autores negantes. 2. IN qua re ſic propoſita prima ſententia negat actum naturalem reſpicere poſſe obiectum formale ſupernaturale, & actum ſupernaturalem obiectum formale naturale. Ita videntur ſentire Pater Arrubal 1. p. diſput. 14. c. 6. Pater Faſolus 1. p. quæſt. 12. art. 1. num. 9. & art. 8. num. 42. Pater Iannerus tom. 2. diſp. 6. quæſt. 3. num. 153. & 154. Pater Ruiz de prædeſtinatione d. 46. ſectione 5. num. 3. Caietanus 1. 2. quæſt. 63. art. 3. Curiel 1. 2. quæſt. 109. art. 1. dub. 3. §. 4. concl. 2. Zumel ibidem diſp. 1. & 2. & art. 3. diſp. 3. Medina 1. 2. quæſt. 62. art. 2. Bañes 2. 2. quæſt. 1. art. 2 quæſt. 6. art. 1. & quæſt. 24. art. 2. alijque Thomiſtæ, præſertim Recentiores. (P. Arrubal. P. Faſolus. P. Iannerus. P. Ruiz. Caietanus. Curiel. Zumel. Medina. Bannes.)

Affirmãtes. 3. Secunda ſententia abſolute affirmat, poſſe actum naturalem habere obiectum formale ſupernaturale; nec non actum ſupernaturalem obiectum formale naturale. Ita ex antiquioribus Scotus quodl. 21. §. *Alia differentia*, & in 3. d. 31. quæſt. vnica §. *Sed adhuc*; Gabriel in 3. diſt. 23. quæſt. 2. art. 1. litt. G. & H. Baſſol. in 3. diſt. 28. quæſt. vnic. art. 1. §. *Sic igitur*, & diſt. 23. quæſt. vnic. art. 2. ad 1. Conradus 1. 2. quæſt. 62. art. 3. Paludanus in 4. diſt. 14. quæſt. 2. num. 13. Palacios in 1. diſt. 28. d. 2. Ex Recentioribus, Molina in concordiâ quæſt. 14 art. 13. d. 7. & 13. & 14. & 32. Pater AEgidius de ſupernaturalitate d. 5. dub. 3. & de fide d. 14. num. 7. Pater Herice 1. p. d. 38. Granadus 1. 2. controuerſia 8. de gratria tract. 1. d. 4. ſect. 3. & 1. p. in prooemio d. 4. num. 17. Salas in manuſcriptis de gratia d. 7. ſect. 10. §. 3. Lorca d. 9. de gratia concl. 1. & 2. Sforcia lib. 4. ſummæ Theol. à num. 25. Vinsfeldius ſect. 3. de lib. arb. & grat. num. 4. con. 12. referens Guillelmum Borrillung. in 3. d. 23. q. 1. (Scotus. Gabriel. Baſſol. Conradus. Paludanus. Palacios. P. Molina. P. AEgidius. P. Herice. P. Granadus. P. Salas. Lorca. Sforcia. Vinsfeld. Guillelmus Borrillũg.)

Sententia media. 4. Tertia ſententia poteſt eſſe media inter duas priores, quæ aſſerat, poſſe quidem actum ſupernaturalem reſpicere obiectum formale naturale; non autem è contra actum naturalem obiectum formale ſupernaturale, quemadmodum poteſt actus ſpiritualis reſpicere obiectum materiale, non autem materialis obiectum ſpirituale. Quod videntur efficere plura argumenta ſententiæ negantis, quæ vim ſolum habent contra actum naturalem reſpicientem obiectum formale ſupernaturale, & non contra actum ſupernaturalem reſpicientem obiectum formale naturale. Fauereque videtur Pater Suarez lib. 2. de gratia cap. 9. præcipue nu. 19. & 30. (P. Suarez.)

SECTIO SECVNDA.

Poteſt actus ſupernaturalis habere obiectum formale naturale.

Probatio prima. 5. ITa autores ſecundæ, & tertiæ ſententiæ. Et probo. Poteſt actus ordinis ſuperioris diſtingui ſpecie ab actu ordinis inferioris, ſolum ex modo tendendi in idem obiectum formale proportionatum actui ordinis inferioris. Ergo poteſt actus ſupernaturalis reſpicere obiectum formale naturale, commune cum actu naturali. Probatur conſequentia; quia actui ſupernaturali dari non poteſt neceſſarium obiectum formale excellentius, quam actui naturali, niſi titulo excellentiæ, & in-

Digitized by Google

æqualitatis, qua confertur cum actu naturali. Antecedens probatur. Idem obiectum formale intuentur in ſe immediate, verbi gratia eamdem albedinem viſio exterior, ſenſatio interior, apprehenſio intellectualis humana, cognitio Angelica Gabrielis, & cognitio ſpecie diuerſa Raphaelis. At hæ cognitiones ſunt inæquales perfectione ſpecifica. Ergo actus inæquales ſpecifica perfectione poſſunt reſpicere intrinſece idem obiectum formale.

Reſpondet P. Suarez.

6. Dices cum Patre Suarez, poſſe quidem actus pertinentes ad potentias diuerſas differre ſpecie, & genere circa idem obiectum formale, vt argumentum euincit; at non poſſe actus pertinentes ad eamdem potentiam, vt noſtra aſſertione ſancitur.

Impugnatur primo.

Sed contra primò; quia in mea ſententia omnes actus humani oriuntur ab eodem principio reali, ad eamdemque realiter potentiam ſpectant, quoniam potentiæ vitales non diſtinguuntur realiter ab anima. At actus humani circa idem obiectum formale diſtinctionem ſpecificam ſortiuntur. Ergo actus inæquales eiuſdem realiter potentiæ poſſunt obiecto formali conuenire, accepta diſtinctione ſpecifica ſolum ex modo tendendi.

Secundo.

Secundò, quia etiam actus naturalis, & ſupernaturalis pertinent quodammodo ad potentiã diuerſam; ſiquidẽ alter exigit lumen, & principium ſupernaturale, quod ſe gerit per modum potentiæ; alter lumen, & principium omnino naturale. Neque obeſt, exigere concurſum eiuſdem potentiæ vitalis. Quia etiam in ſententia Patris Suarez omnes actus pertinentes ad potentias diuerſas vendicant concurſum immediatum eiuſdem animæ. Ergo ſicut actus pertinentes ad potentias diuerſas poſſunt ferri in idem obiectum formale, ita actus naturalis, & ſupernaturalis pertinentes ad eamdem potentiam naturalem.

Tertio. D. Thomas

Tertiò, quia, vt ait D. Thomas 1.2. qu. 12. art. 1. ad 3. in eamdem bonitatem feruntur formaliter ſimplex complacentia, intenſio efficax, & fruitio, quæ ſunt affectus inæquales, & ſpecie diuerſi. Tamen pertinent ad eamdem potentiam. Ergo actus eiuſdem potentiæ inæquales ſpecie poſſunt verſari circa obiectum formale omnino idem. Neque ſatisfacies, ſi cum eodem Suario dicas, eos affectus obiecto formali differre, quod intenſio afficiatur in bonum abſens, fruitio vero in bonum præſens. Tum quia abſentia non eſt obiectum intrinſece motiuum intenſionis; nam abſentia boni, cum non ſit bona, ſed potius mala, non expetitur à voluntate. Mouet igitur deſiderium ſola bonitas obiecti abſentis ſecundum ſe. At eadem etiam mouet gaudium. Ergo bonitas intrinſece motiua deſiderij, & gaudij eadem eſt. Tum quia intenſio efficax, & inefficax ſunt affectus eiuſdem voluntatis ſpecie inæquales, ac diuerſi. Tamen afficiuntur in idem bonum etiam abſens. Similiter apprehenſio, & iudicium referunt eamdem veritatem, & propoſitionem obiectiuam, tanquam obiectum formale nulla conditione diuerſum. Ergo actus inæquales eiuſdem potentiæ poſſunt eſſe diuerſi abſque obiecto formali ſpecie diuerſo.

7. Probatur ſecundo ſuperior aſſertio. Chriſtus Dominus per ſcientiam infuſam non ſolùm cognoſcebat ſupernaturalia, verum etiam naturalia. At ea cognoſcebat in ſe ipſis immediate, vt obiecta formalia, ſicut ſcientia naturalis Angelica; neque enim ea nouerat in verbo, aut in alio medio priùs cognito. Ergo cognitio ſupernaturalis poteſt habere obiectum formale naturale commune cum cognitione naturali. Secundæ probatio.

8. Probatur tertio. Virtutes morales infuſæ mouentur intrinſece ex bonitate naturali, ex qua mouentur acquiſitæ. Nam iuſtitia, temperantia, & miſericordia acquiſita, & infuſa tendunt in iuſtum, temperatum, & leuamen alienum, quia iuſtum, temperatum, & leuamen alienum eſt. Ergo poteſt amor ſupernaturalis moueri ex bonitate naturali, qua mouetur naturalis. Tertia.

Thomiſtarum reſponſio

9. Dices cum Thomiſtis 1.2. qu. 63. art. 1. virtutes acquiſitas intendere honeſtatem naturalem obiecti, vt conformem regulæ naturali rationis; infuſas vero vt conformem regulæ ſupernaturali fidei.

Reijcitur.

Sed contra; In primis bonitas obiectiua moralis non ſumitur ex conformitate obiecti cum regulâ intellectus; vt tractatu de actibus humanis illuſtrabo. Ergo ſeorſim ab ea conformitate proponitur bonitas mouens amorem virtutum moralium. Deinde vt virtus moralis infuſa intendat aliquod opus, non eſt neceſſarium apprehendere ex parte obiecti conformitatem cum regula ſupernaturali fidei. Ergo obiectum formale virtutis infuſæ non eſt conformitas cum regula ſupernaturali fidei. Nam obiectum formale voluntatis proponi debet ab intellectu, vt moueat amorem, quem terminet. Antecedens probatur. Non eſt opus apprehendere ex parte obiecti ipſam regulam ſupernaturalem. Ergo nec conformitatem cum regula ſupernaturali, quę abſque regula ipſa apprehendi non poteſt. Antecedens conſtat communi experimento, quo iuſti præſertim illiterati exercent virtutum moralium actus, qui raro, aut vix vnquam proponunt ſibi ea reflexione bona moralia diligenda. At mihi credibile non eſt, iuſtos virtutum moralium officiis deditos, fere nunquam elicere actum intrinſece ſupernaturalem; nec meritorium, qui mea opinione intrinſece ſupernaturalis eſt. Ergo propoſitio regulæ fidei ex parte obiecti neceſſaria non eſt ad actum virtutis infuſæ.

Confirmatur.

Confirmatur; Ipſa regula directrix virtutum, quæ eſt cognitio practica intellectus, proponit bona amplectenda per actus virtutum moralium. At ipſa cognitio regulatrix non ea proponit amplectenda, quia ipſi regulæ conformia. Ergo conformitas cum regula ſupernaturali non eſt bonitas obiectiua formaliter mouens amorem virtutum moralium. Probatur minor. Tum quia ante cognitionem intellectus præcedit ex parte obiecti bonitas, quæ ab intellectu proponitur diligenda, & amorem voluntatis mouet. Conformitas autem operis cum regula non pręcedit ex parte obiecti ante ipſam cognitionem regulantem, ſed potius illam ſectatur. Tum quia cognitio regulatrix

Digitized by Google

non eſt neceſſario ſupra ſe ipſam reflectens; imo plures talem reflexionem iudicant impoſſibilem, etiam diuinitus. Ergo cognitio regulatrix bona moralia non proponit amplectenda, quia ſibi conformia.

Occurritur P. Ruiz.

10. Dices ſecundo cum Patre Ruiz de prædeſtinatione diſp. 46. ſect. 5. num. 3. ruſticos, ac barbaros homines, licet ex parte obiecti non apprehendant explicitè eſſe formaliter aliquid ſupernaturale, quod per actus virtutum infuſarum proſequantur, implicite tamen, & virtualiter ſemper id obijci, in quo virtutes infuſæ exerceantur. Hæc ſolutio eneruata eſt à nobis diſp. 20. nu. 83. *Primo impugnatur.* Primò, quia vt bonitas moralis conferat ſpeciem actui virtutis, non ſufficit, implicite tantum bonitatem attingi, vt ad malitiam actus ſatis eſt. Ergo vt bonitas ſupernaturalis tribuat ſpeciem ſupernaturalem actui virtutis infuſæ, non ſufficiet, ſolùm implicite, & virtualiter bonitatem ſupernaturalem attingi. *Secundo.* Secundo, quia nulla ratio obiectiua cognoſcitur virtualiter, & implicite, niſi in alia, quæ formaliter, & explicite cognoſcatur. At ab homine illiterato, & ruſtico non cognoſcitur formaliter, & explicite bonitas, in qua motiuum ſupernaturale implicite, & virtualiter cognoſcatur. Ergo. Maior non indiget probatione. Probatur minor. Ratio obiectiua explicite, & formaliter cognita, in qua bonitas ſupernaturalis implicite, & virtualiter contineatur, non eſt bonitas naturalis, neque bonitas aliqua ſupernaturalis; neque ratio ab vtraque præſcindens. Ergo nulla eſt. Bonitas naturalis explicite obiecta non poteſt eſſe ratio formalis, in qua implicite diligatur ſupernaturalis, tribuens ſpeciem actui ſupernaturali; tum quia bonitas ſupernaturalis non continetur in naturali, neque naturali connexa eſt; tum quia alij actus naturalis, & ſupernaturalis obiecto non differrent, imo omnis virtutis actus eſſet intrinſece ſupernaturalis, cum per actum etiam virtutis acquiſitæ attingatur formaliter naturalis bonitas, in qua virtualiter attingitur ſupernaturalis, tribuens ſupernaturalitatem actui virtutis infuſæ. Neque ratio explicite, & formaliter obiecta poteſt eſſe bonitas aliqua ſupernaturalis; nam ſupponimus explicite, & formaliter nihil ſupernaturale obijci intellectui hominis ruſtici; & quidem ſi ratio obiectiua ſupernaturalis formaliter, & explicite obijceretur, iam non implicite, ſed explicite attingeretur ſupernaturalitas per actum. Item neque ea bonitas poteſt eſſe ratio præſcindens à naturali, & ſupernaturali; nam ſub ea ratione æque continetur bonitas naturalis, ac ſupernaturalis; ac ſubinde non eſſet ratio, quare ex obiecto formali, actus eſſet potiùs ſupernaturalis, quàm naturalis. Ergo in nulla ratione explicitè obiecta poteſt bonitas ſupernaturalis implicite attingi, prout opus eſt ad diſcernendum actum ſupernaturalem ab actu naturali ex obiecto formali.

Quarta probatio.

11. Quarto probatur. Bonitas Dei vt autoris naturæ, quæ diligitur amore naturali, poteſt mouere actum charitatis ſupernaturalem. Ergo obiectum formale accommodatum actui naturali poteſt eſſe obiectum formale actus ſupernaturalis. Probatur antecedens. Nulla eſt cognitio ſupernaturalis bonitatis diuinæ, quæ non poſſit excitare amorem ſupernaturalem ipſius. Sed bonitas Dei, vt autoris naturæ, quæ allicit amorem naturalem, poteſt cognoſci per cognitionem ſupernaturalem, præſcindentem illam à bonitate Dei, vt autoris gratiæ. Ergo poteſt eſſe amor ſupernaturalis Dei, mouente obiectiuè bonitate Dei vt autoris naturæ. Probatur minor. Per ſcientiam infuſam cognoſcentem ſubſtantiam creatam naturalem, cognoſcitur abſtractiue bonitas diuina, digna amore creaturæ. At non cognoſcitur bonitas Dei, vt autoris gratiæ, ſed vt autoris naturæ; nam entia naturalia non ducunt notionem intellectus in Deum vt autorem ſupernaturalem, ſed naturalem dumtaxat. Ergo cognitione ſupernaturali poteſt proponi diligenda bonitas Dei vt autoris naturæ. Similiter per actum fidei poteſt proponi bonitas naturalis Dei diligibilis à voluntate, vt ſi Deus reuelet, ſe eſſe autorem naturæ, quin reuelet, ſe eſſe autorem gratiæ. At tunc bonitas cognita per actum fidei propter talem reuelationem Dei eſſet diligibilis per actum ſupernaturalem. Ergo bonitas diuina, quæ mouet amorem naturalem, poteſt etiam mouere amorem ſupernaturalem, propoſita per cognitionē ſupernaturalem. Neque obſtat cognitionem ſupernaturalem moueri ex obiecto ſupernaturali. Nam affectus voluntatis non mouetur ex obiecto formali intellectus. Sed bonitas, quæ eſt obiectum materiale cognitionis, poteſt eſſe obiectum formale amoris, vt bonitas Dei, autoris gratiæ, propoſita per fidem eſt obiectum materiale fidei, cuius ratio formalis eſt ſola reuelatio diuina, & obiectum materiale eſt bonitas reuelata. Ergo licet cognitio ſupernaturalis moueatur ex obiecto formali ſupernaturali, poteſt amor excitatus per illam moueri ex obiecto formali naturali, quando bonitas materialiter propoſita eſt naturalis, vt plura naturalia poſſunt eſſe obiecta materialia, propoſita, & reuelata teſtimonio ſupernaturali. *Roboratur.* Confirmatur; Quotidie iuſti contemplatione rerum naturalium accenduntur in amorem ſupernaturalem Dei. At ſolum poſſunt accendi in amorem bonitatis Dei vt autoris naturæ; nam res naturales non ducunt notionem in bonitatem Dei, vt autoris gratiæ. Ergo bonitas Dei, vt autoris naturę amari poteſt propter ſe amore ſupernaturali.

Quinta.

12. Quinto probatur à paritate. Actio ſupernaturalis tendit formaliter in terminum naturalem, verbi gratia actio cognitionis ſupernaturalis in habitum, & ſpeciem naturalem, creatio agentis naturalis per virtutem obedientialem in qualitatem naturalem; item vnio ſupernaturalis attingit formaliter extremum naturale, verbi gratia vnio hypoſtatica humanitatem, vbicatio Euchariſtica corpus Chriſti; item actus ſupernaturalis reſpicit formaliter adæquate ſubiectum naturale, verbi gratia actus charitatis voluntatem. Ergo etiam poteſt actus ſupernaturalis reſpicere formaliter obiectum naturale. Probatur conſequentia; nam vt actus

Digitized by Google

ſumit ſpeciem ab obiecto formali, ſic etiam actio ſumit ſpeciem à termino, vnio ab extremo, & actus ipſe à potentia, & ſubiecto.

Aliorum probatio expenditur.

13. Demum probari ſolet, quia ſi actus naturalis, & ſupernaturalis diſtinguantur motiuis, poteſt homo diſcernere, quem actum efficiat naturalem, & quem ſupernaturalem; ac per conſequens etiam cognoſcere, vtrum amore, vel odio dignus ſit; quod admitti non debet. Probatur ſequela; quia vnuſquiſque poteſt experimento diſcernere motiua ſuorum actuum. Ergo etiam ipſos actus naturales, & ſupernaturales. Sed negatur ſequela à Patre Suarez ſupra nu. 35. nam cum ſemper concurrant motiua naturalia, & ſupernaturalia ſimul, ægre poteſt homo diſcretionem efficere rationum formalium, quæ ipſum mouent ad ſuos actus. Ego ſane experimento cerno, id haud facile fieri. Maiorem vim habet argumentum, ſi conficiatur in Angelo, qui clariùs cernit ſuos actus, & in eis obiecta, quæ attinguntur per illos. Cæterum reſponderi poteſt, etiam Angelum non agnoſcere euidenter, ſe habere actum ſupernaturalem. Tum quia non eſt euidens Angelo, ſed tantum probabile, non poſſe actum ſupernaturalem habere obiectum formale naturale, commune cum actu naturali. Tum quia non poteſt cognoſcere euidenter motiuum ſupernaturale cognitione naturali immediata, ſed tantum in actu ſupernaturali ipſum reſpiciente, vt ſtatuimus diſp. 10. At actum ſupernaturalem non poteſt Angelus euidenter cognoſcere, vt argumentum ſupponit, & nos oſtendimus ibidem; vbi huic argumento pleniùs ſatisfecimus.

SECTIO TERTIA.

Præcedens aſſertum auctoritate confirmatur.

S.Thomæ authoritate fulcitur.

14. Illuſtro probationem noſtræ ſententiæ autoritate S.Thomæ, qui in 1. diſt. 17. qu.1. art.4. ait. *Si igitur accipiamus actum charitatis, qui eſt diligere Deum, ex ſpecie actus non diſcernitur, vtrum ſit à potentia imperfecta, vel perfecta per habitum gratuitum, quia ad idem obiectum ordinatur potentia, & habitus.* Obſeruo, ideo aſſeri à S. Thoma non poſſe diſcerni noſtra cognitione actum ſupernaturalem elicitum à charitate, & actum naturalem viribus naturæ elicitum à voluntate, quia vtrique actui ex parte obiecti nulla differentia eſt. Si autem obiectum formale eſſet diuerſum, male referretur impotentia diſcernendi vnum actum ab alio in identitatem obiecti. Ita interpretatur ſuum Magiſtrum Capreolus ibidem qu. 1. §. *Ad argumenta Aureoli.* Quin inde colligit, poſſe eumdem actum ſecundùm entitatem fieri à voluntate cum habitu, & ſine habitu. Quæ collectio fieri à Capreolo non poſſet, ſi putaret, à diuo Thoma ſentiri, actum elicitum à charitate differre obiecto formali ab actu elicito ſine illa. Veruntamen collectio Capreoli mala eſt, quia

Capreolus.

trahit Angelicum Præceptorem in ſententiam, negantem actum charitatis intrinſece ſupernaturalem, falſo exiſtimans, non poſſe entitatem actus eliciti à charitate eſſe diuerſam ab entitate actus eliciti ſine illa, vbi obiectum formale docetur vtrique actui commune. In cuius mentis confirmationem adducit Capreolus alia teſtimonia S. Thomæ in quodl. 1. q. 3. art. 2. & qu. 10. de veritate art. 10. ad 1. vbi repetit ſanctus Thomas, ex omnimoda ſimilitudine actus ſupernaturalis cum naturali non poſſe à nobis alterum ab altero diſtingui. Præterea Præceptor Angelicus 2.2. qu. 171. art. 2. ad 3. & qu. 24. de veritate art. 14. docet actum charitatis quantum ad ſubſtantiam non eſſe ſupernaturalem, ſed quantum ad modum. At hoc non ita accipiendum eſt, vt neget, actum charitatis eſſe intrinſece ſupernaturalem, vt aduerſarij fatentur. Ergo accipiendum eſt, negare, actum charitatis, & alios ſimiles actus ſupernaturalitatem inducere ex tendentia in obiectum formale, quæ eſt ſubſtantia actus, ſed ex modo reſpiciendi illud. Quod enim ait Aluarez de aux. d. 51. num. 14. S. Thomam ſolum differere de actu charitatis imperato, & externo, violenta interpretatio eſt. Tum quia verba ſunt; *Eſt aliquid ſupra naturam humanam quantum ad modum actus, non autem quantum ad ſubſtantiam ipſius, ſicut diligere Deum.* Diligere autem plane non in actum externum, & imperatum, ſed ſolum in imperantem, & internum quadrat. Tum quia ſubiungit, *& cognoſcere in ſpeculo creaturarum.* Cognoſcere autem creaturas non admittit actum imperantem, & imperatum, qui ſolum ad voluntatem ſpectant. Item explicatio Medinæ 1.2. qu. 62. ſolut. ad 1. volentis, ſanctum Thomam agere de dilectione Dei in genere, prout abſtrahit à naturali, & ſupernaturali, neutiquam ſubſiſtit, niſi dilectio Dei conſtituatur in genere per reſpectum ad idem obiectum formale, commune dilectioni naturali, & ſupernaturali. Nam ſi differentia ſpecifica dilectionis eſſentialiter vendicat obiectum formale diuerſum, iam dilectio naturalis, & ſupernaturalis non differunt ſolum ex modo tendendi in obiectum, ſed ex ipſo obiecto, quod ad ſubſtantiam actus ſpectat. Eodem attinet quod S. Thomas docet in 1. d. 17. qu. 1. art. 4. & in 2. diſt. 5. q. 2. art. 1. in corp. & ad 1. & in 4. diſt. 17. qu. 2. art. 1. quæſtiunc. 1. ad 6. actum charitatis, & contritionem eſſe poſſe à facultate liberi arbitrij, deſtituta auxilio gratiæ, & à Deo agente opera naturæ. Nam ſanctus Thomas intelligendus non eſt, vt velit, poſſe viribus naturæ fieri diſpoſitionem ad gratiam, ne illi Pellagianiſmum adſcribamus. Ergo explicandus eſt velle, poſſe eum actum fieri illuſtrationibus ſupernaturalibus, quæ ex parte obiecti non tranſcendant limites illuſtrationum naturalium, & in eadem obiecta formalia moueant voluntatem, in quæ mouent naturales, atque ita auxilia naturalia, & ſupernaturalia, & affectus conceptos ex illis in eodem obiecto formali occupentur, vt expoſuimus nos diſp. 17. nu. 60.

Confirmatur.

Interpretatio Aluarez violenta.

Item Medinæ.

Vlterius confirmatur.

15. Claudo totam noſtræ doctrinæ pro-

Digitized by Google

Illuſtratur, ex Patribus.

bationem ex illuſtribus teſtimoniis, quæ adduximus, & expendimus diſput. 20. a ſect. 4. ad probandum, nullum virtutis acquiſitæ actum fieri, quem cōtinuo non comitetur circa idem obiectum actus ſupernaturalis; nullaſque illuſtrationes, & affectiones naturales excitari miniſterio cauſarum naturalium ad pelliciendum voluntatem, in obiecta honeſta virtutum naturalium, quibus ex lege Dei non inferantur illuſtrationes, & affectiones ſupernaturales, vt conante voluntate in obiecta honeſta naturalia, fiant actus ſupernaturales, & conducentes hominem in ſalutem; quinimo eos actus, & illuſtrationes ſupernaturales eſſe cōmunes Gentilibus, qui nihil ex parte obiecti ſupernaturale apprehendunt. Quod verum eſſe non poteſt, niſi in idem obiectum formale naturale poſſint intendere illuſtrationes, & affectiones ſupernaturales. Item eodem aduoco ea, quæ diſp. 17. ſect. 11. propoſui ex Chryſoſtomo, & aliis Græcis Patribus ad vindicandum ipſos ab errore Semipellagianorum, quos expoſuimus in fauorem Catholicæ doctrinæ, ſtatutis illuſtrationibus ſupernaturalibus circa obiecta formalia virtutum naturalium. Videantur omnia, & expendantur, & dilucido apparebit, noſtram iſtam doctrinam maxime congruere doctrinæ Patrum Eccleſiæ.

Iterum illuſtratur.

16. Quod rurſus manifeſtum deprehendes, ſi in diſcurſum ſequentem animum ſincerum aduerteris. Iuxta doctrinam ſacrarum litterarum, & Patrum Eccleſiæ poteſt diligi Deus amore ſupernaturali propter bonitatem, quam referunt creaturæ naturales, verbi gratia propter perfectionem ſapientiæ, omnipotentiæ, prouidentiæ, bonitatis, & miſericordiæ, quam meditatione creaturarum aſſequitur intellectus. At hæc bonitas pertinet ad motiua naturalia, propter quæ Deus diligi poteſt amore naturali. Ergo bonitas naturalis poteſt eſſe motiuum commune amori naturali, & ſupernaturali. Conſequentia optima eſt. Minor negari non poteſt, niſi negetur poſſibilis amor naturalis Dei; cum alia bonitas diuina illum excitare non poſſit, niſi ea, quam meditatione creaturarum aſſequi poſſumus. Maior frequens eſt in ſacris litteris, & monumentis Patrum. Sufficiat nunc illud Pauli Rom. 1: *Reuelatur ira Dei de cælo ſuper omnem impietatem hominum eorum, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent, quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis manifeſtauit; inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas, ita vt ſint inexcuſabiles.* Hic manifeſte diſſerit Paulus de cognitione, & dilectione Dei ſupernaturali, & conducenti in ſalutem, vt concors eſt conſenſus Patrum, & nos oſtendimus diſp. 19. nu. 57. Item de manifeſtatione, & dilectione Dei, quam miniſtrant creaturæ naturales, vt habet ſanctus Thomas ſect. 9. ibi; *manifeſtauit, exterius proponendo viſibiles creaturas, in quibus, ſicut in quodam libro, Dei cognitio legeretur.* Item diſerte Chryſoſtomus. *Tu porro mihi adſtruito, probato, & declarato, quod cognitio de Deo illis manifeſta fuerit, & quòd ſponte ſua illam prætermiſerint. Vndenam igitur manifeſta erat? Vocem è ſupernis immiſit illis Deus? nequaquam; ſed quòd illos voce validius illicere poterat, id fecit, mundi creatione in medium propoſita, vt poſſit ſapiens, & rudis, ex ipſo aſpectu eorum, quæ oculis ſubiecta ſunt, pulchritudinem edoctus, ad Deum conſcendere.* Ergo ſola mundi creatione in medium propoſita poſſunt homines aſſequi cognitionem, & dilectionem Dei, qua iram Dei excuſent, vt in vitam promoueantur æternam. Ideo Auguſtinus lib. 1. confeſſ. c. 8. ſic Deum alloquitur. *Ecce dicunt mihi omnes creaturæ, vt te amem, nec ceſſant dicere omnibus, vt ſint inexcuſabiles.* Item lib. 3. de lib. arb. cap. 19. *multis modis Deus per creaturam ſibi domino ſeruientem auerſum ad ſe vocat.* Quin, & verum Dei amorem, quo ad Deum peruenitur, quique nonniſi à Deo Patre per Ieſum Chriſtum accipitur, pluribus locis docet eſſe amorem Creatoris ex creaturis partum, vt lib. 4. contra Iulianum ca. 3. lib. 9. de Trinitate cap. 7. & 8. lib. 50. Homiliarum hom. 34. è quo hanc doctrinam didicit Proſper lib. 2. de vocat. gent. cap. 4. *Cælum quippe, ac terra, & mare, omniſque creatura, quæ videri, ac intelligi poteſt, ad hanc præcipue diſpoſita eſt humani generis vtilitatem, vt natura rationalis de contemplatione tot ſpecierum, de experimentis tot bonorum, de perceptione tot munerum ad cultum, & dilectionem ſui imbueretur authoris, implente omnia ſpiritu Dei, in quo viuimus, mouemur, & ſumus.* Quid potuit manifeſtius exprimi? Eodem veniunt, quæ habet lib. contra Collatorem ca. 14. *Sic ergo nemo venit, niſi attractus, homines quocunque modo veniunt, attrahuntur. Trahit igitur ad Deum contemplatio elementorum, omnium, quæ in eis ſunt, ordinatiſſima pulchritudo; inuiſibilia enim eius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Trahit rerum geſtarum cognitio, & diuinorum operum cælatura animum audientis inflammant, narrantes laudes domini, & virtutem eius.* Nulla iam dubitatio ſit, poſſe hominē diligere Deum dilectione ſalutari & promouente in Deum, per ductum creaturarum naturalium; atque adeo propter ſolam bonitatem, quam referunt naturales creaturæ.

Rom. 1. — S Thomas. — Chryſoſtomus. — Auguſtinus — Proſper.

SECTIO QVARTA.

Refelluntur argumenta contra præteritam doctrinam.

Primo obiicitur Pius 5. & Gregorius 13.

17. Aſſertioni præteritæ obiici primo poteſt propoſitio 35. Michaelis Baij damnata à Pio 5. & Gregorio 13. *Diſtinctio illa duplicis amoris, naturalis ſcilicet, quo Deus amatur vt Author naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur, vt beatificator, vana eſt, & commentitia.* Ideo enim diſtinctionem iſtam vanam cenſebat Baius, quia volebat, amorem, quo Deus amatur, vt Author naturæ eſſe gratuitum, & ſupernaturalem, vt multis probat lib. de charitate cap. 14. quem ego vidi, & ex quo ſuperior propoſitio decerpta eſt. Ergo damnatum dogma eſt, dilectionem Dei, vt Authoris naturæ, quæ nulla boni-

Digitized by Google

Expoſitio.

tate ſupernaturali formaliter allicitur, eſſe poſſe ſupernaturalem. Reſpondeo. Ea propoſitio non eſt ab Eccleſiæ Pontificibus damnata, quòd Baius aſſereret, amorem, quo Deus tanquam Creator diligitur, eſſe poſſe ſupernaturalem, & gratuitum, ſed quòd negaret contra communem Theologorum conſenſum, eſſe poſſe naturalem, contenderetque, Deum, etiam vt Authorem naturæ, neceſſariò diligi amore ſupernaturali, quin naturalis poſſibilis ſit; vt opus illi erat ad euertendam communem diſtinctionem duplicis amoris Dei. At nos eam diſtinctionem colimus, quippe ita cenſemus Deum tanquam creatorem diligi poſſe amore ſupernaturali elicito per charitatem, vt ſimul eumdem tanquam creatorem amore etiam naturali diligibilem fateamur. Quo longe diſcrepat doctrina noſtra à Michaelis Baij doctrina.

Secundo obijcitur. Auguſtinus

18. Secundo obijci poteſt Auguſtinus lib. contra Iulianum cap. 3. ante medium aſſerens, ex obiecto formali diſcernendas eſſe virtutes; præſertim his verbis: *Nôueris itaque non officiis, ſed finibus à vitiis diſcernendas eſſe virtutes. Officium autem eſt, quod faciendum eſt, finis vero, propter quod faciendum eſt.* Agit autem Auguſtinus de virtutibus infuſis, & obiecto formali ſupernaturali; vt colligere eſt ex his, quæ præteritis præmiſerat; *Ideo veras virtutes habemus, quia verum eſt propter quod facimus, ideſt, hoc natura noſtra conſentaneum eſt ad ſalutem, & veram fælicitatem.* Vbi manifeſte diſſerit de virtutibus, & rationibus formalibus, ad ſalutem attinentibus, & veram fælicitatem, quæ ſupernaturales ſunt. Ergo virtutes ſupernaturales intendere neceſſario debent obiectum formale ſupernaturale.

Declaratio

Reſpondeo. Animus Auguſtini in eo loco non eſt oſtendere, quo diſcernantur virtutes ſupernaturales à naturalibus, ſed ſolum virtutes à vitiis. Quippe Iulianus, referente Auguſtino; *ad cognoſcendum, vtrum vera virtutes ſint, hoc tantummodo intuetur, quod agitur, non cauſa quærenda eſt, cur agatur*; ſolum exigit ad virtutem opus materiale honeſtum, non obiectum formale. At Auguſtinus contendit, non ſufficere ad virtutem, honeſtum fieri, ſed honeſte, hoc eſt, propter ipſam honeſtatem; quod & nos fatemur. An vero ad virtutem ſupernaturalem neceſſaria ſit honeſtas obiectiua ſupernaturalis, neque diſſeruit Auguſtinus, neque res contra Iulianum ſuſcepta vendicabat. Quòd ſi exponit rationem formalem obiectiuam neceſſariam ad virtutem per honeſtum ſupernaturale, *natura noſtra conſentaneum ad ſalutem, & veram fælicitatem*; non eſt, quod ſupernaturalitas obiecti ſit requiſita ad veram virtutem, ſed explicat neceſſitatem obiecti formalis honeſti, exempli gratia, in opere nobis cõſentaneo in ſalutem, vt potuiſſet idem exponere in opere honeſto naturali. Quin illud, *ideſt, hoc natura noſtra conſentaneum eſt ad ſalutem, & veram fælicitatem*, non eſt explicatio obiecti formalis, propter quod virtutes agere debent, ſed totius integræ orationis præcedentis, quo voluit ſignificare, non poſſe virtutes eſſe nobis conſentaneas ad fælicitatem æternam, niſi agentes opera honeſta ipſam honeſtatem intendant; quod & noſtræ doctrinæ eſt, quæ eſt abſque honeſtatis intentione cum ſolo opere materiali honeſto virtutem conducentem in ſalutem non agnoſcit. Quare mox ſuam propoſitionem probat Auguſtinus; *Non enim abſurde virtus definita eſt ab eis, qui dixerunt; virtus eſt animi habitus naturæ modo, atque rationi conſentaneus.* Quæ definitio eſt Ciceronis lib. 2. de inuentione, qui motiua ſupernaturalia non agnouit, & conſentaneitatem non obiecto, ſed virtuti appoſuit.

Tertio. S.Thomas.

19. Tertio obijcitur S. Thomas 1. 2. qu. 63. art. 4. diſtinguens virtutes morales infuſas ab acquiſitis, obiectis formalibus, quæ reſpiciunt; nimirum infuſæ prout ſunt conformia regulæ ſupernaturali. Item qu. 109. art. 3. ad 1. diſcernens dilectionem naturalem à ſupernaturali, quòd naturalis afficitur in Deum, vt in finem, & authorem naturalis boni, ſupernaturalis vero, vt in obiectum beatitudinis ſupernaturalis, & authorem gratiæ.

Explicatio.

Reſpondeo. Sanctus Thomas non diſtinguit virtutes acquiſitas, & infuſas obiectis formalibus, ſed rationibus formalibus obiectorum, quas ab ipſis obiectis diſcernit, & docet eſſe regulas præſcribentes modum agendi in materia virtutum moralium; atque adeo eſſe cognitiones practicas, antecedentes virtutum moralium actus; quas ex parte obiecti recenſet, quia ſunt applicationes, & propoſitiones ipſorum obiectorum. At hac ratione etiam nos diſtinguimus extrinſece obiecta formalia virtutum infuſarum ab obiectis formalibus acquiſitarum; nam cognitiones dirigentes virtutes infuſas ſunt ſupernaturales, & ſpecie diuerſæ à cognitionibus dirigentibus acquiſitas, quæ ſunt omnino naturales. Verumtamen obiecta formalia intrinſece mouentia, & ſimul terminantia affectus virtutum vtriſque communia ſunt, licet diuerſis cognitionibus, & regulis proponantur. Secundò diſtinguimus in eodem obiecto rationem obiectiuam formalem *qua* mouet, & terminat virtutum actus, à ratione formali obiectiua intrinſeca *ſub qua* illos terminat, & mouet; & quamuis ratio formalis obiectiua *qua*, ſit communis virtutibus acquiſitis, & infuſis; tamen ratio formalis *ſub qua* differens eſt, vt exponemus ſectione 8. Diuus Thomas autem ſolum agit de rationibus formalibus obiectiuis *ſub qua*, non vero de rationibus formalibus *qua*, de quibus eſt noſtra diſputatio. Tertio recte diſcriminat virtutes infuſas ab acquiſitis, etiam rationibus formalibus *qua* obiecto intrinſecis, quia virtutes infuſæ poſſunt elicere per ſe aliquos actus, qui moueantur ex bonitate ſupernaturali, quę fini ſupernaturali ſit conſentanea, licet poſſint elicere alios, qui ex eadem bonitate minime moueantur, ſed ex ſola bonitate naturali, qua mouentur per ſe actus virtutum acquiſitarum; ſicut charitas ſupernaturalis poteſt moueri, tum ex bonitate Dei, vt authoris naturæ, tum ex bonitate Dei, vt authoris gratiæ: & fides infuſa ex reuelatione facta à Deo,

Digitized by Google

vt authore naturæ, & facta à Deo, vt authore gratiæ. Quippe virtutes infuſæ tanquam facultates ſuperiores continent motiua virtutum acquiſitarum inferiorum, vt ſenſus interior obiecta ſenſuum externorum, & intellectus obiecta ſenſus interni, quamuis in alia obiecta ſibi propria poſſit occupari. Ergo ſanctus Thomas diſtinctionem virtutum infuſarum expoſuit ex obiectis ſuperioribus, & ſupernaturalibus, quæ per ſe poſſunt reſpicere aliqui illorum actus; quoniam vt potentiæ, & habitus diſtinguantur ex obiectis, ſufficit aliquos illarum actus per ſe reſpicere obiecta formalia, quæ per ſe nequeunt reſpicere actus alterius potentiæ, ſeu habitus: ſiquidem obiectum formale potentiæ, ſeu habitus non eſt aliud ab obiectis formalibus omnium actuum, quos potentia, ſeu habitus edere valet. Cum quo tamen ſtat, aliquos actus potentiæ ſuperioris, ſeu habitus ſupernaturalis habere obiectum formale commune cum actibus potentiæ inferioris, & habitus naturalis, quod ſufficit ad veritatem noſtræ aſſertionis. Aſſumptum huius doctrinæ alibi fuſius explicandum, & illuſtrandum eſt. Vnde conſtat etiam ad ſecundum teſtimonium ſancti Thomæ.

Opponitur qua.to. 20. Quartò obijcitur. Actus ſumit ſuam ſpeciem ex obiecto formali. Ergo actus naturalis ex obiecto naturali, & ſupernaturalis ex obiecto ſupernaturali. Solutio. Diſtinguo antecedens. Sumit ſpeciem adæquate ex obiecto formali, nego; quia aliunde ſumere illam poteſt, videlicet ex principio, & modo tendendi in obiectum, vt exponemus diſputatione ſequenti. Sumit inadæquate ſpeciem ex obiecto formali, concedo; quia ſemper pro diuerſitate obiecti formalis eſt actus ſpecie diuerſus. Vnde nego conſequentiam, quia poſſunt actus naturalis, & ſupernaturalis ſpeciem, ac diſcrimen aliunde ſortiri, quam ex obiecto formali, nempe ex principio, & modo tendendi in obiectum. Explicatur; Etiam cognitio ſenſitiua, & intellectualis intuitiua ſumunt ſuam ſpeciem ex obiecto formali. Nihilominus poſſunt intueri in ſe immediate idem obiectum formale, nempe eamdem albedinem exiſtentem. Item actus naturales ſortiuntur ſpeciem ex potentia vitali, à qua efficiuntur, cum pro diuerſitate potentiarum vitalium differant ſpecie actus procedentes ab illis. Tamen actus ſpecie differentes poſſunt ab eadem potentia vitali immediate procedere. Ergo ſimiliter poſſunt actus naturalis, & ſupernaturalis moueri ex eodem obiecto formali, quamuis ſpeciem ſortiantur ab illo. Nec doctrina iſta aliena eſt à Diuo Thoma, & Ariſtotele. Nam Diuus Thomas 1.2.qu.12.art.1. ad 3. diſtinguit tres affectus circa idem bonum mouens voluntatem ad illos, nempe, ſimplicem complacentiam, intenſionem, & fruitionem. Ariſtoteles vero 5. phyſicorum cap. 3. diſcriminat motus, non ſolum ex termino, ſed etiam ex modo tendendi in illum, vt motum rectum, & circularem in eumdem terminum. S Thomas. Ariſtoteles

SECTIO QVINTA.

Poteſt actus naturalis reſpicere obiectum formale ſupernaturale.

21. Etiam hoc ſentiunt authores ſecundæ ſententiæ. Et probatur. Concluſio Theologica in ſententia aduerſatiorum, & communi eſt naturalis. At obiectum formale intrinſecum concluſionis Theologicæ poteſt eſſe ſupernaturale. Ergo actus naturalis poteſt habere obiectum formale intrinſecum ſupernaturale. Probatur minor. Si obiectum formale intrinſecũ concluſionis aſſeratur præmiſſæ, vt volunt plerique in dialectica, quis dubitet, poſſe concluſionem Theologicam reſpicere obiectum formale ſupernaturale, cum ex myſteriis ſupernaturalibus promptum ſit deducere concluſionem Theologicam, vt ſi deducas humanitatem Chriſti eſſe ſanctam ſanctitate Verbi; quia humanitas Chriſti vnita fuit verbo, & non potuit vniri, quin ſanctificaretur ſanctitate verbi. Si verò obiectum formale concluſionis formalis aſſeratur ipſa obiectiua concluſio, vt alij volunt, quis non conſideret; poſſe myſterium ſupernaturale non reuelatum immediate deduci ex myſteriis immediate reuelatis, vt nuper colligebamus. Ergo aſſerendum eſt obiectum formale concluſionis Theologicæ eſſe poſſe ſupernaturale. Primum argumentum

22. Secundò; Amore naturali poſſumus diligere hominem propter dona ſupernaturalia. Ergo bonitas ſupernaturalis poteſt mouere amorem naturalem. Probatur antecedens. Ratione naturali poſſumus conijcere hominem eſſe iuſtum, & amicum Dei, plurimiſque dotibus ſupernaturalibus præditum. At homo ſic propoſitus poteſt diligi amore naturali propter dona ſupernaturalia. Ergo amore naturali poteſt homo diligi propter dona ſupernaturalia. Conſequentia bona eſt. Maior nulli dubitationi obnoxia; nam licet cognitione euidenti aſſequi non poſſumus dona ſupernaturalia propria, aut aliena; at cognitione probabili, & coniecturali noſſe poſſe illa, à nullo Theologo negatum eſt. Probatur minor. Homo ratione naturali propoſitus bonus bonitate ſupernaturali iuſtitiæ, amicitiæ cum Deo, virtutum, & gratiarum plurium excellentium, quæ eum etiam hominibus reddunt amabilem, poteſt allicere ratione talis bonitatis propoſitæ amorem voluntatis, ſicut eum allicit dotibus, ac virtutibus naturalibus. At ſic propoſitus non allicit amorem ſupernaturalem, quia amor ſupernaturalis non ſequitur cognitionem naturalem, ſed ſupernaturalem dumtaxat. Ergo amor tunc ſequutus ratione bonitatis ſupernaturalis eſſet naturalis. Secundum.

23. Tertio; poteſt homo per actum naturalẽ aſſentiri myſteriis ſupernaturalibus propter teſtimonium Dei. Ergo poteſt obiectum formale ſupernaturale, quale eſt teſtimonium Dei, mouere aſſenſum naturalem. Probatur antecedens. Tertium.

Digitized by Google

tecedens. Poſſunt myſteria ſupernaturalia proponi ratione naturali euidenter credibilia propter teſtimonium Dei. Ergo poteſt intellectus per actum naturalem illis aſſentiri propter teſtimonium Dei. Conſequentia videtur bona; nam aſſenſus rerum ſupernaturalium propter teſtimonium Dei ſequutus ſolam propoſitionem naturalem, eſſet intrinſece naturalis, cum talem propoſitionem mere naturalem non poſſet ſequi affectus imperans voluntatis ſupernaturalis, ſed naturalis; affectum autem naturalem ſolus ſequitur aſſenſus naturalis, & non ſupernaturalis. Probatur antecedens; myſteria ſupernaturalia proponuntur ratione naturali euidenter credibilia propter teſtimonium Dei, itavt gentes, quæ fidem non habent, conuinci poſſint, non poſſe prudenter negari eſſe vera, & à Deo reuelata. At quod proponitur euidenter credibile propter teſtimonium Dei, proponitur ſufficienter credibile. Ergo ratione naturali poſſunt proponi ſupernaturalia ſufficienter credibilia propter teſtimonium Dei. Maior Theologis ſolemnis eſt in tract. de fide. Minor ex ſe eſt manifeſta. Conſequentia optima eſt.

Quorundam ſolutio. 24. Dices, ratione naturali proponi ſupernaturalia ſufficienter credibilia propter teſtimonium Dei, ſolùm per aſſenſum ſupernaturalem, & non per aſſenſum naturalem; tum quia aſſenſus naturalis moueri non poteſt teſtimonio Dei; nam aſſenſus innitens teſtimonio Dei debet eſſe omnino certus; aſſenſus autem naturalis obſcurus non poteſt eſſe omnino certus. Sed contra. Ratio naturalis proponens credibilia, non diſcernit in

Refellitur primo. actu (vt aiunt) ſignato aſſenſum naturalem, & ſupernaturalem; in actu verò exercito credibilia proponit per aſſenſum naturalem; nam eam propoſitionem naturalem ſequi poteſt affectus naturalis imperans aſſenſum credendorum propter teſtimonium Dei, qui aſſenſus ſequutus imperium naturale non poſſet non eſſe naturalis. Ergo ratio naturalis pro-

Secundo. ponit in actu exercito credibilia per aſſenſum naturalem. Præterea à vero alienum eſt, non poſſe aſſenſum naturalem moueri teſtimonio Dei obſcure cognito. Tum quia moueri poteſt teſtimonio hominis obſcure propoſito, verbi gratia, teſtimonio Auguſtini, & aliorum Patrum non viſo, ſed credito. Ergo potius moueri poteſt teſtimonio Dei obſcure propoſito; quod magis credibile proponitur, quam teſtimonium hominum; tum quia in pura natura poſſet Deus loqui cum hominibus, & illis ſuam mentem, & plura pertinentia ad regimen naturæ occulta reuelare, quæ homines crederent, & colerent tanquam reuelata à ſuo Principe ſapientiſſimo, & Authore primo. Tunc autem aſſenſus reuelationis obſcuræ non eſſet ſupernaturalis, ſed

Tertio. naturalis. Deinde verum non eſt, aſſenſum naturalem innitentem teſtimonio Dei fore neceſſario certum; nam certus non eſt aſſenſus, qui non connectitur cum ſuo obiecto reuera exiſtenti. Aſſenſus autem naturalis innitens teſtimonio Dei non connecteretur cum illo reuera exiſtenti; de quo plura infra.

25. Confirmemus, & illuſtremus præcedens argumentum. Primo, quia poteſt Lucifer dignoſcere lumine naturali, ſaltem probabiliter, Deum ſibi facere verba de aliquo myſterio ſibi occulto; nam ſi creatura verba faceret, cerneret euidenter loquentem, quam tamen reuera non cernit. Sed dignoſcens probabiliter, Deum eſſe, qui loquitur, poteſt cognitione probabili aſſentiri rebus reuelatis à Deo propter teſtimonium Dei, quod ſcit euidenter non poſſe falli, cum Lucifero nullum aliud argumentum adſit, quo eas res ſibi perſuadeat. Ergo per aſſenſum naturalem poſſumus aſſentiri rebus propter teſtimonium Dei. Confirmature (Confirmatur præcedens argumentum.)

Confirmatur ſecundo. Poteſt quis per actum naturalem aſſentiri obiecto vero propter teſtimonium Dei mere putatum, & non verum. Ergo etiam aſſentiri poteſt per actum naturalem propter teſtimonium verum. Antecedens probatur. Poteſt quis inuincibiliter iudicare ſibi credibile obiectum verum, re tamen vera non reuelatum à Deo, verbi gratia, Mariam conceptam eſſe ſine peccato originali, quia ſæpius audiuit Parochum, Parentes, & viros doctos docentes, id eſſe de fide. Eo autem euentu poſſet fidelis prudenter imperare aſſenſum reuelationis apparentis de Conceptione immaculata Mariæ, ſicut eodem fundamento prudenter imperat aſſenſum reuelationis vere exiſtentis de Conceptione immaculata Chriſti Domini; qui aſſenſus eſſet intrinſece naturalis, ſiquidem eſſet falſus. Ergo poteſt exiſtere aſſenſus naturalis obiecti veri propter teſtimonium Dei non verum. Nam imperante voluntate aſſenſum Conceptionis veræ immaculatæ Mariæ propter reuelationem non veram, intellectui tamen ſufficienter propoſitam, poſſet intellectus talem aſſenſum conferre. Prima conſequentia probatur. Si reuera exiſteret reuelatio Dei de immaculata Conceptione Mariæ, vt potuit exiſtere, plane aſſenſus naturalis, qui modo refert reuelationem ſolum apparentem, referret illam vere exiſtentem; nam aſſenſus, qui modo eſt falſus, idem nunc exiſteret verus; non poſſet autem exiſtere verus, niſi reuera attingeret reuelationem vere exiſtentem. Ergo poteſt aſſenſus naturalis aſſentiri obiecto propter reuelationem vere exiſtentem, vt aſſentiri poteſt propter ſolùm apparentem. (Iterum confirmatur.)

Rurſus confirmatur tertiò. Pellagianus negans neceſſitatem gratiæ aſſentitur firmiter myſterio Trinitatis, ſolùm propter teſtimonium Dei. At non per aſſenſum ſupernaturalem tantummodo, ſed per naturalem, vt nullus Theologus non concedit. Ergò per aſſenſum naturalem poteſt intellectus aſſentiri rebus ſupernaturalibus propter teſtimonium Dei. Minor, & conſequentia conſtant. Probatur maior. Homo doctus niſi innitatur teſtimonio Dei, non poteſt aliis argumentis perſuadere ſibi myſterium Trinitatis, quod tam alte præteruolat lumen naturale, & videtur pugnare cum illo. Ergo ſolùm innixus (Tertio confirmatur.)

Digitized by Google

teſtimonio Dei ſuperat rationem naturalem, quæ in oppoſitum reluctatur. Neque obeſt, eumdem Pellagianum diſſentiri teſtimonio Dei de neceſſitate gratiæ, ſibi æqualiter propoſito. Nam cum aſſenſus, & diſſenſus reuelationis diuinæ obſcure propoſitæ, conſtitutus ſit in poteſtate libera voluntatis, libere poteſt voluntas creata ſuo imperio libero decernere aſſenſum vnius reuelationis, & diſſenſum alterius; ſicut ex duobus operibus contentis ſub ratione formali miſericordiæ, aut iuſtitiæ poteſt dare centum Petro egeno, aut creditori; & negare alia centum Franciſco ſimiliter creditori, aut egeno. Ergo recte componitur aſſenſus vnius myſterij propter reuelationem Dei cum diſſenſu habituali, aut actuali alterius.

Præcluditur ſolutio.

Neque obeſt, ſi dicas, Pellagianum quidem aſſenſum dare Trinitati perſonarum propter teſtimonium Dei; cæterum ipſi teſtimonio non præbere aſſenſum propter ſe, ſed propter argumenta naturalia, quæ illud reddunt credibile. Nam nobis ſufficit, aſſenſum naturalem præſtitum myſterio moueri intrinſece ex teſtimonio Dei, quidquid ſit de motione extrinſeca antecedenti aliorum, propter quæ teſtimonio Dei aſſenſum confert; ſiquidem iam habemus, aſſenſum naturalem moueri intrinſece tanquam ex ratione obiectiua formali, ex aliquo obiecto intrinſece ſupernaturali. Præterea id gratis dicitur. Nam ſtando principiis rationis naturalis, teſtimonium Dei de myſterio Trinitatis, ſola apprehenſione eorum, quæ ipſum credibile faciunt, abſque iudicio præcedenti, in ſe immediate credibile eſt; vt enim ſtando principiis naturæ ſunt plura, in ſe immediate ex ſola apprehenſione terminorum probabilia, ita & teſtimonium Dei de myſterio Trinitatis ab Eccleſia Catholica propoſitum in ſe immediate eſt fide naturali credibile, potiuſquam hominum teſtimonia immediate credibilia ſunt. Ergo naturali fide poteſt Pellagianus diuino teſtimonio aſſentiri propter ſe immediate, vt eidem poteſt aſſentiri fide diuina, & hominum teſtimonio fide humana. Id quod etiam illuſtratur ex aſſenſu, quem homo in pura natura præſtare poſſet teſtimoniis ſui Authoris ſibi ſufficienter propoſitis.

Quartum.

26. Rurſus quarto, in obiecto ſpei, & charitatis Theologicæ ſtabilitur aſſertio. Beatitudo ſupernaturalis poteſt nobis proponi conuenientiſſima, & bona per apprehenſionem, aut iudicium naturale, ſaltem probabile. Sed beatitudo ſic propoſita poteſt ratione ſuæ bonitatis allicere complacentiam, & deſiderium naturale ſui. Ergo bonitas ſupernaturalis poteſt mouere affectum naturalem. Probatur minor. Ex cognitione naturali beatitudinis ſupernaturalis poteſt excitari in voluntate aliquis affectus complacentiæ, aut deſiderij ratione bonitatis, & conuenientiæ propoſitæ. Non affectus ſupernaturalis, cum hic, vt diſputatione 48. oſtendemus, ſupponat per ſe cognitionem ſupernaturalem. Ergo excitari poteſt affectus naturalis.

Præoccupatur prima ſolutio.

Neque ſatisfacies, ſi dicas, eum affectum moueri ratione bonitatis præſcindentis à naturali, & ſupernaturali. Nam moueri is poteſt ex peculiari bonitate, quæ in viſione Dei, & poſſeſſione ſummi boni proponitur. At viſio Dei, & poſſeſſio ſummi boni, quà viſio Dei eſt, & poſſeſſio ſummi boni, eſt intrinſece ſupernaturalis. Ergo naturalis affectus viſionis Dei mouetur ex bonitate ſupernaturali.

Item ſecunda.

Rurſus non ſolues, quamuis addas, bonitatem quidem ſupernaturalem prouocare deſiderium beatitudinis, ſed non quâ ſupernaturalis eſt, quia ipſa ſupernaturalitas beatitudinis non mouet. Quoniam vt actus excitetur vere ex motiuo intrinſece ſupernaturali, non requiritur, vt ipſa ſupernaturalitas formaliter motiua ſit, ſed vt bonitas formaliter motiua, ſit quidditatiue ſupernaturalis, & differens ſpecie ab omni bonitate naturali; nam etiam actus ſupernaturalis, qui formaliter moueri dicitur ex obiecto ſupernaturali, non aliter mouetur ex illo, niſi quia veritas, aut bonitas ſpecifica, quam formaliter, & eſſentialiter reſpicit, eſt intrinſece ſupernaturalis; ſupernaturalitas enim formaliter, neque affectum, neque aſſenſum mouet formaliter; ſed bonitas, & veritas ſola eſſentialiter ſupernaturalis, ac gradu ſpecifico excellentiæ intrinſecæ ab omni bonitate, & veritate naturali differens.

Confirmatur,

Simili ratione in obiecto charitatis illuſtratur, & confirmatur aſſertum. Deus vt largitor donorum ſupernaturalium poteſt diligi amore naturali. Ergo. Probatur antecedens. Cognitione naturali poſſumus aſſequi, Deum eſſe largitorem munerum ſupernaturalium, vt modo cognoſcitur ab hæretico, & dæmone. At Deus ſic propoſitus poteſt diligi amore naturali ſimplici, aut efficaci propter bonitatem continentem dona ſupernaturalia. Nam Dei bonitas ſic proponitur amabilis propter ſe. Non amore ſupernaturali, qui excitari non poteſt cognitione naturali. Ergo amore naturali. Atque adeo poteſt diligi Deus amore naturali propter bonitatem propriam amoris ſupernaturalis.

Quintum.

27. Denique; Actus ſupernaturales, & naturales poſſunt entitate, & ſpecie diſtingui, quamuis vtrique in idem obiectum formale intrinſece intendant, nempe ex modo tendendi in illud, quem trademus diſputatione proxime ventura. Aliunde nihil prohibet poſſe reſpectum ad idem obiectum formale eſſe vtrique actui communem, vt prompta explicatione argumentorum aperiemus. Ergo abſque incommodo ſtatui poteſt obiectum formale ſupernaturale actibus naturalibus commune.

SECTIO SEXTA.

Præcedens aſſertio conformis eſt doctrinæ ſancti Thomæ, Conciliorum, & Patrum Eccleſiæ.

28. ADdo, doctrinam iſtam eſſe conſentaneam doctrinæ ſancti Thomæ, & Conciliorum, ac Patrum Eccleſiæ,

Digitized by Google

S. Thomas fauet prædictæ ſententiæ.

Sanctus Thomas illi fauet; tum eis teſtimoniis, quæ expendimus num. 14. tum aliis, quibus tradit, poſſe aſſenſum naturalem præſtari rebus fidei propter reuelationem Dei, propter quam elicitur aſſenſus ſupernaturalis ab habitu infuſo fidei. Ita procul dubio docet 2. 2. quæſtione 5. art. 2. in corpore, & ad 1. definiens, dæmones credere myſteria noſtræ fidei fide coacta, & non voluntaria, atque laudabili, qua fideles Eccleſiæ credunt. At fides dæmonum non eſt ſupernaturalis, ſed naturalis. Ergo. Et quidem agere Sanctum Thomam de aſſenſu præſtito propter teſtimonium Dei, probo primò; quia dæmones aſſerit eſſe credentes, eorumque aſſenſum vocat fidem, quæ neceſſario eſt propter teſtimonium alterius. At non propter teſtimonium hominum, qui non proponunt dæmonibus credenda myſteria fidei, neque humana auctoritate illos mouere poſſunt ad aſſenſum eorum. Ergo propter teſtimonium Dei. Secundò, quia explicans diſcrimen aſſenſus, quem exhibent fideles rebus fidei, ab aſſenſu, quem dæmones exhibent eiſdem, præmittit, *intellectum credentis aſſentire rei creditæ, & per authoritatem diuinam, & propter imperium voluntatis obedientis Deo.* Nulloque facto diſcrimine ex parte intellectus in aſſenſu præſtito propter authoritatem diuinam, illud ſolum conſtituit ex parte voluntatis, quæ libere, & laudabiliter imperat aſſenſum fidelium, coacte vero, & ſine laude, ac honeſtate aſſenſum dæmonum. Ergo à dæmonibus præſtatur aſſenſus propter authoritatem Dei, licet voluntate coacta, & obſtinata in malo. Tertiò, quia concludit, dæmones credere per fidem coactam, *quia vident multa manifeſta indicia, ex quibus percipiunt doctrinam Eccleſiæ à Deo eſſe, quamuis ipſi, res ipſas, quas Eccleſia docet, non videant.* Ergo ſentit dæmonum fidem inniti authoritate Dei, à quo, indiciis manifeſtis deprehendunt, myſteria noſtræ fidei reuelata eſſe.

Confirmatur.

Eandem ſancti Thomæ mentem confirmat hoc teſtimonium ex 3. ſenten. diſtinct. 23. quæſtione 3. art. 3. quæſtiunc. 2. *Habitus fidei infuſus in duobus nos adiuuat, ſcilicet, vt credamus, quæ credenda ſunt, & vt eis, quæ non ſunt credenda, nullo modo aſſentiamus. Primum autem poteſt homo ſine habitu infuſo, ſed ſecundum, ſcilicet vt diſcrete, in hoc, & in illo inclinetur, habet ex habitu infuſo tantum.* Hic manifeſte diſſerit ſanctus Thomas de aſſenſu, quo credimus myſteria fidei propter authoritatem Dei, nam fides infuſa non adiuuat ad alium aſſenſum. At docet, hunc aſſenſum haberi poſſe naturalem ſine habitu infuſo. Ergo aſſenſus naturalis credendorum haberi poteſt ſine habitu infuſo propter authoritatem Dei, propter quam illamet creduntur per aſſenſum ſupernaturalem elicitum ab habitu infuſo.

Illuſtrat Capreolus.

Quare ex hoc teſtimonio ſic colligit Capreolus in 3. diſtinct. 24. quæſtione vnic. art. 3. ad primum Scoti contra ſecundam concluſionem. *Ex quibus apparet, quod ſine habitu infuſo virtutis fidei diſcipulus, vel Apoſtolus poſſet aſſentire dictis Chriſti, & indigeret habitu infuſo, non quidem ad ſimpliciter aſſentiendum, ſed ad diſcreto aſſentiendum, & ad alias conditiones, quas habet actus ex habitu.* Ergo actu naturali elicito ſine habitu infuſo aſſentiri poſſumus teſtimonio Chriſti, quod eſt motiuum ſupernaturale, & habitus ſolum erit neceſſarius ad aſſentiendum cum certitudine, & adhæſione ſupernaturali, quæ ſunt conditiones ſpeciales actus ſupernaturalis, eliciti per habitum, pertinentes ſolum ad modum reſpiciendi obiectum formale, quod poteſt reſpicere aſſenſus naturalis.

Concilia etiam, & Eccleſiæ Patres.

29. Etiam doctrina noſtra conformis eſt Conciliis, ac Patribus Eccleſiæ extorquentibus à Pellagio auxilia gratiæ ad actus ſalutares fidei, ſpei, & charitatis neceſſaria. Etenim Concilia, & Patres Eccleſiæ exigentes contra Pellagium auxilium gratiæ ad actus, fidei, ſpei, & charitatis, reſpicientes motiuum ſupernaturale, notanter adiungunt, gratiam eſſe neceſſariam ad eos actus efficiendos *prout oportet ad ſalutem, vitam æternam, ſanctum Dei propoſitum, & pietatem.* At hæc notatio, & additio arguit poſſe fieri actus reſpicientes motiuum ſupernaturale non ſalutares, & inutiles ad ſalutem, & vitam æternam; ſine auxilio gratiæ infuſo à Deo. Ergo poſſibilis eſt actus naturalis non ſalutaris, & inutilis ad ſalutem, & vitam æternam, qui reſpiciat intrinſece motiuum ſupernaturale. Conſequentia eſt bona. Minor eſt collectio communis Theologorum negantium neceſſariam gratiam Dei ad quodlibet bonum opus morale. Quia enim Concilia, & Patres Eccleſiæ ſtatuentes neceſſitatem gratiæ ad opus bonum morale notanter addunt, eà debere fieri prout oportet ad ſalutem, & vitam æternam, colligunt, alia quædam operà bonà moralia fieri poſſe ſine auxilio gratiæ, quæ in ſalutem, & vitam æternam inutiles ſint. Ergo dum ſimili ratione notationem faciunt de actibus reſpicientibus motiuum ſupernaturale, ſupponunt, alios actus non conducentes in ſalutem fieri poſſe ex motiuo ſupernaturali ſine auxilio gratiæ. Aut enim collectio communis Theologorum ſpernenda eſt quoad opera moraliter bona, aut eadem ſimiliter admittenda, quoad actus reſpicientes motiuum intrinſece ſupernaturale.

30. Maior explorata erit recolenti teſtimonia Conciliorum, & Patrum, quæ congeſſimus diſputatione 17. ſectione 3. Concilium enim Arauſicanum, & Tridentinum, Auguſtinus, & Proſper cum aliis Patribus Eccleſiæ non ſolum ad actus virtutum moralium, ſed etiam ad actus virtutum Theologalium fidei, ſpei, & charitatis, qui mouentur ex obiecto formali intrinſece ſupernaturali, adiungunt conditionem prædictam. Quod ex duplici argumento conijcio. Primo quia hi actus fidei, ſpei, & charitatis ad quos cum ea notatione, & additione exigunt Patres auxilium gratiæ, abſolute, & ſimpliciter ſupponunt pro actibus, qui reſpiciunt motiua ſupernaturalia. Secundo quia diſſerebant contra Pellagium negantem ad

Digitized by Google

eos actus neceſſariam gratiam Dei. At Pellagius eos actus adſtruebat reſpicientes motiua intrinſece ſupernaturalia; nempe actum fidei aſsentientem myſteriis Eccleſiæ propter authoritatem Dei reuelantis, actum ſpei exoptantem beatitudinem ſupernaturalem propter eiuſdem bonitatem, actum charitatis propter bonitatem Dei, vt authoris gratiæ & donorum ſupernaturalium, quę doctrinâ, & inſtructione Eccleſiæ nobis manifeſta eſt. Ergo comprehendebant ſuis definitionibus actus, qui mouentur ex obiecto formali intrinſece ſupernaturali. Confirmatur; Pellagius aſsequebatur poſſibilem aſsenſum propter authoritatem Dei reuelantis, deſiderium beatitudinis ſupernaturalis propter eiuſdem bonitatem, amorem Dei propter excellentiam, & perfectionem authoris gratiæ, & donorum ſupernaturalium. Hos tamen actus volebat, fieri ſalutares, & conducentes in vitam æternam ſine auxilio ſupernaturali intrinſeco, ſola propoſitione, & doctrina extrinſeca Eccleſiæ. Ergo Concilia & Patres Eccleſiæ, cum definierunt neceſſariam gratiam intrinſecam ad illos, complectebantur actus reſpicientes motiuum ſupernaturale. Confirmatur vlterius; ſi Pellagius ſtatuiſſet duplex genus actuum fidei, ſpei, & charitatis reſpicientium motiuum ſupernaturale ab Eccleſia propoſitum; alterum eorum, qui in vitam æternam ſalutares ſunt; alterum eorum, qui in vitam æternam inutiles ſunt; Inſuper docuiſſet, prius genus actuum haberi non poſſe ſine gratia intrinſeca infuſa à Deo, alterum vero haberi poſſe ſine eiuſmodi gratia, nulla ſane eſſet Patrum contentio contra Pellagium; cum ipſi ſolum, ad actus ſalutares, & promouentes hominem in vitam æternam extorquerent auxilium gratiæ intrinſecæ omnino neceſſarium. At nos hac ratione ſtatuimus duplex iſtud genus actuum reſpicientium motiuum intrinſece ſupernaturale. Ergo doctrina noſtra ſtabiliens actus naturales reſpicientes motiuum ſupernaturale propoſitum ab Eccleſia, ſed inutiles in vitam æternam, actus vero ſalutares intrinſece ſupernaturales & elicitos neceſſario auxiliis gratiæ, conformis eſt doctrinæ Conciliorum, & Patrum. In cuius probationem expende rationem, qua Patres Arauſicani can. 5. ſanxerunt, aſſenſum fidei, quo in Deum credimus, non eſſe naturalem, ſed ex dono gratiæ; *Qui enim fidem, qua in Deum credimus, dicunt, eſſe naturalem, omnes eos, qui ab Eccleſia Chriſti alieni ſunt, quodammodo fideles eſſe definiunt.* Nam hæc ratio eſſet nulla, ſi non ſupponeret, etiam hæreticos credere in Deum, & ex eodem motiuo, quo fideles moueri; aliàs enim conſequutio non eſſet bona, cùm ex motiuo poſſet hæreticorum, & fidelium diſcrimen deſumi ſeorſim ab auxilio gratiæ.

Confirmatur.

Aliter confirmatur.

SECTIO SEPTIMA.

Diſſoluuntur argumenta contra præcedentem aſſertionem.

31. PRæterea argumenta contra actum ſupernaturalem reſpicientem motiuum naturale obiecta, & explicata ſectione 3. quæ etiam contra præcedens aſſertum torqueri poſſunt. Ea ſolum nunc opponenda ſunt, quæ actum naturalem reſpicientem motiuum ſupernaturale commune actui ſupernaturali oppugnant. Arguit primo Pater Suarez ex D. Paulo 1. ad Theſſalon. aſſerente, fuiſſe opus ex gratia Dei, atque adeo ſupernaturale accepiſſe Theſſalonicenſes Apoſtolorum verbum, *non vt verbum hominum, ſed vt vere verbum Dei.* Ergo non poteſt eſſe opus naturale credere reuelatis propter verbum, & teſtimonium ſupernaturale Dei. Quandoquidem ſupernaturalitatem fidei Theſſalonicenſium refert Apoſtolus in motiuum ſupernaturale verbi Dei, propter quod rebus propoſitis ab Apoſtolis aſſenſum præbuerunt. Quô etiam adducit generales Sacrarum litterarum, & Patrum loquutiones, quibus dogmatice ſtatuitur, *non eſſe nos ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis.* Nam ſi ex nobis poſſumus credere reuelata à Deo, quia à Deo reuelata ſunt, ex nobis quidem poſſumus piam aliquam, & perfectam cogitationem concipere; quæ enim cogitatio magis pia, quam credere Deo loquenti propter authoritatem ipſius. Confirmatur; quia Pellagius propterea damnatus fuit; quia abſolute aſſerebat, propoſito verbo Dei, poſſe hominem ſine auxilio intrinſeco gratiæ credere Deo loquenti, ſola facultate arbitrij, vt arguere eſt ex Auguſtino epiſt. 105. & Concilio Arauſicano, & aliis. Ergo, ad aſſentiendum rebus propter teſtimonium Dei neceſſarius eſt actus ſupernaturalis elicitus viribus gratiæ.

Primo P. Suarez arguitur ex ad Theſſalon.

Confirmat.

Auguſtinus Arauſicanum.

32. Sed facile ruit tota machina argumenti. Primò communi doctrinâ; quia ſuperiora teſtimonia, aliaque eis ſimilia intelligenda ſunt de actu credendi propter verbum Dei; qui in ſalutem conducens eſt, vt ſectione præterita referebamus; non de actu credendi propter verbum Dei, qui in ſalutem inutilis eſt. At nos totis animis fatemur, aſſenſum ſalutarem præſtitum propter teſtimonium Dei non eſſe naturalem, ſed ſupernaturalem, & indigentem intrinſece auxilio gratiæ; ſecus vero aſſenſum non ſalutarem, qui abſque vllo incommodo Theologico aſſeri poteſt ſine auxilio gratiæ infuſæ eſſe poſſibilis. Secundo ideo Apoſtolus prædicat gratuitam & ſupernaturalem fidem Theſſalonicenſium, quia præbuerunt aſſenſum verbo Dei, *prout eſt vere verbum Dei,*

Prima ſolutio.

Secunda.

Digitized by Google

nempe certum, & infallibiliter connexum cum exiſtentia verbi Dei. Nam licet aſſenſus naturalis præbeatur rebus fidei propter verbum Dei; tamen non exhibetur propter illud, provt eſt vere verbum Dei, hoc eſt, omnino certus, & connexus neceſſario cum exiſtentia verbi Dei. Itaque illa duplicatio *provt eſt vere verbum Dei*, non ſolum denotat obiectum formale, ſed etiam modum peculiarem, quo aſſenſus ſupernaturalis fertur in illud, nempe omnimodo certus, & connexus cum exiſtentia obiecti, cum qua non connectitur aſſenſus naturalis, licet vere propter verbum Dei feratur in res propoſitas per Eccleſiam. De hoc diſcrimine inter aſſenſum naturalem, & ſupernaturalem vberius dicemus diſputatione ſequenti.

Secundo arguit.

33. Secundo arguit Pater Suarez ratione. Non poteſt aſſenſus naturalis eſſe obſcurus, & certus. At eſſet obſcurus, & certus aſſenſus naturalis, ſi poſſet inniti reuelationi Dei. Nam aſſenſus innitens motiuo infallibili; non poteſt eſſe fallibilis, & incertus. Ergo aſſenſus naturalis non poteſt inniti motiuo reuelationis Dei. Nego minorem, quia, vt aſſenſus ſit certus ex motiuo reuelationis diuinæ, non ſufficit inniti reuelationi diuinæ, ſed præterea requiritur, vt habeat connexionem cum ipſa, vt ea non exiſtenti non poſſet aſſenſus exiſtere. Aſſenſus autem naturalis, quamuis innitatur reuelationi diuinæ non connectitur neceſſario cum reuelatione diuina, vt dicemus diſputatione ſequenti.

Diluitur.

Tertio idē P. Suarez.

34. Tertio. Si actus naturalis poſſet tendere in obiect m formale ſupernaturale, obiectum ſupernaturale non eſſet reuera ſupernaturale; Nam ſi effectus ſupernaturalis eſt, qui non poteſt fieri viribus naturæ, & habitus ſupernaturalis, qui non adquiritur actibus naturalibus: Ergo motiuum ſupernaturale erit, quod actibus naturalibus non attingitur propter ſe. Reſpondeo. Obiectum ſupernaturale ſumitur nunc à nobis obiectum, quod entitate ſupernaturale eſt. Res autem entitate ſupernaturalis non eſt, quæ neceſſario attingitur actibus ſupernaturalibus, ſed quæ entitate ſuperat omnem connexionem, & exigentiam quidditatiuam naturæ, habetque connexionem aliquam cum gratia ſanctificanti, vt diſputatione 3. & 4. ſatis explicatum eſt. At poteſt res entitate vincere omnem connexionem quidditatiuam, & exigentiam naturæ, quamuis formaliter attingatur per actum naturalem; qui cum ipſa quidditatiue connexus non eſt, quippe re obiecta non exiſtenti, & repugnanti poteſt ipſe non repugnare, & exiſtere.

Expeditur.

Quarto Zumel.

35. Quarto arguit Zumel. Obiectum, & potentia debent eſſe proportionata. At quæ ſunt diuerſi ordinis, vt obiectum ſupernaturale, & potentia naturalis non ſunt proportionata. Ergo potentia naturalis non poteſt ſuis viribus attingere obiectum ſupernaturale. Hoc argumentum etiam probat, non poſſe attingi quidpiam ſupernaturale, vt obiectum materiale, per actum naturalem; quia etiam obiectum materiale debet eſſe proportionatum cum actu. Item probat, non poſſe attingi vt obiectum formale per actus naturales ſimplices, vt ſimplicem apprehenſionem intellectus, & complacentiam ſimplicem voluntatis; quod difficilius eſt. Nam ſimplex apprehenſio, qua hæreticus concipit viſionem intuitiuam Dei, & complacentia ſimplex, quæ neceſſario excitatur in illam, nullo alio propoſito obiecto, quodnam aliud poteſt habere obiectum formale intrinſecum immediatum præter ipſam viſionem Dei. Quod obſeruandum etiam ad probationem noſtræ ſententiæ, & ſolutionem reliquorum argumentorum. Quare reſpondeo. Poteſt eſſe proportionata potentiæ rationali in ratione obiecti res, quæ in ratione producentis, & producti improportionata eſt, & pertinet ad ordinem altiorem, quàm ipſa; nam etiam bonitas diuina eſt obiectum proportionatum amoris naturalis, quamuis pertineat ad ordinem ſuperiorem actu naturali.

Reijcitur.

Quinto P. Arrubal.

35. Quinto arguit Pater Arrubal. Actus voluntatis intendens bonum ſupernaturale ſub ratione formali ſupernaturali neceſſario eſt conducens in ſalutem ſupernaturalem. At actus conducens in ſalutem ſupernaturalem eſt neceſſario ſupernaturalis, quippe elicitus neceſſario cum auxilio gratiæ ſupernaturali. Ergo actus naturalis voluntatis non poteſt intendere bonum ſupernaturale ſub ratione formali ſupernaturali. Negamus maiorem; quia poteſt voluntas affici in bonum ſupernaturale ſub ratione formali obiectiuâ ſupernaturali modo perfectionis ignobiliori, quam requiritur ad ſalutem ſupernaturalem. Itaque conducentia actus in ſalutem non ſumitur ſolum ex obiecto formali, ſed potiſſimum ex modo entitatiuo tendendi in illud, nempe connexo entitatiuè cum illo, provt ſtabiliemus diſputatione ſequenti.

Diſſoluitur.

Sexto alij.

36. Sexto arguunt alij ab incommodis Theologicis. Primo enim inde fieret, obiectum ſupernaturale eſſe debitum naturæ; nam omni actui ſuum obiectum debitum eſt; atque adeo actui naturali intendenti in obiectum ſupernaturale eſſet debitum obiectum ſupernaturale. Secundo poſſet res ſupernaturalis euidenter cognoſci ab Angelo cognitione naturali contra eà, quæ ſtatuimus diſputatione 10. & 11. Nam Angelus cognitione naturali comprehendere poteſt actum naturalem. Cognitio autem comprehenſiua actus eſſentialiter reſpicientis aliquod obiectum neceſſariò diſtinguit obiectum, quod terminat reſpectum eſſentialem ipſius. Tertio poſſet Deus immediate, & quidditatiue attingi viſione naturali. Nam ſola excellentia, & ſupernaturalitas obiecti poteſt extrahere Deum ab ſphæra cognitionis intuitiuæ, & viſionis naturalis. Ergo cum hæc non extrahat in noſtra ſententia, abſolute poterit Deus cognitio-

Digitized by Google

Satisfit.

ne intuitiua, & viſione intrinſece naturali prout eſt in ſe immediate attingi. Etiam hæ ſequelæ ex dictis facile euaneſcunt. Prima, & ſecunda, etiam probant non poſſe rem ſupernaturalem neque vt obiectum materiale terminare reſpectum actus naturalis, quod à nullo Theologo aſſertum eſt. Nam eadem ratione debetur actui obiectum materiale, quod eſſentialiter attingit, & in illo agnoſcibile eſt, ſicut obiectum formale. Deinde vtraque ſequela negatur, quia negamus actui naturali ordinem tranſcendentem, & connexionem entitatiuam cum obiecto ſupernaturali, vt millies negatum eſt. At obiectum non debetur niſi actui, qui entitatiue cõnectitur cum illo. Item non cognoſcitur obiectum exiſtens, & poſſibile, niſi in eo actu, qui refertur connexione entitatiua in obiectum. Nam ſi actus ſecundum ſuam entitatem indifferens eſt ad exiſtentiam, & carentiam obiecti, vt quid debetur actui determinate exiſtentia obiecti, & qua ratione ducet cognitionem in exiſtentiam obiecti, potiuſquam in eius carentiam. Vnde etiam tertia ſequela explicationem habet. Nam licet non ſit impoſſibilis cognitio intuitiua Dei naturalis ex repugnantia actus reſpicientis obiectum formale ſupernaturale in genere, eſt tamen repugnantia talis cognitionis intuitiuæ naturalis non ſolum comparatione Dei, ſed etiam comparatione cuiuſcunque obiecti ſupernaturalis, ex modo eſſentiali, quo cognitio intuitiua refert ſuum obiectum. Scilicet, quia illud refert ordine tranſcendenti, & connexione entitatiua cum exiſtentia, & poſſibilitate illius. Vt autem ſępius vidimus, repugnat ordo tranſcendens, & connexio entitatiua actus naturalis cum obiecto ſupernaturali, & hoc diſcrimine ſumitur differentia actus naturalis, & ſupernaturalis, vt ſæpius monuimus, & videbimus diſputatione ſequenti. Quinetiam viſio intuitiua Dei continet in ſpecie repugnãtiam, vt ſit naturalis. Quoniam actus ſupernaturalis conſtituitur connexione intrinſeca cum gratia iuſtificante, quæ connexio etiam pertinet ad modum reſpiciendi obiectum ſupernaturale, diuerſum à modo reſpiciendi actus naturalis. At viſio intuitiua Dei neceſſario eſt annexa gratiæ iuſtificanti, nam ex ſe eſt beatitudo hominis, quæ ſolis iuſtis debita eſt. Ergo ex hac ſpeciali ratione repugnabit viſio Dei intrinſece naturalis.

SECTIO OCTAVA.

Ratio formalis ſub qua actus ſupernaturalis tendit in obiectum, diſtincta eſt ab ea ſub qua tendit actus naturalis.

37. EX iis, qui nobiſcum ſentiunt poſſe actum ſupernaturalem, & naturalem habere obiectum formale, ac motiuum commune, ſuffragatur huic aſſerto Pater Molina in concordia quæſt. 14. art. 13. diſputat. 38. præcipue ad tertiam obiectionem. Ratio formalis *ſub qua* alia eſt obiectiua, quæ ſe tenet intrinſece ex parte obiecti, alia extrinſeca obiecto, quæ ſe tenet ex parte potentiæ. Ratio formalis obiectiua *ſub qua* eſt intrinſeca cognoſcibilitas, aut amabilitas obiecti, ſeu capacitas formalis intrinſeca obiecti ad terminandum cognitionem, vel amorem. Ratio vero formalis obiectiua *quæ* motiua ex parte obiecti eſt bonitas, ſeu veritas intrinſeca obiecti, quæ fundat in obiecto cognoſcibilitatem, ſeu amabilitatem ipſius. Itaque eo differt ratio formalis obiectiua, *quæ* à ratione formali obiectiua *ſub qua*; primò, quia ratio formalis obiectiua *quæ* expreſſe attingitur per actum; ratio vero formalis obiectiua *ſub qua* non attingitur expreſſe per actum, verbi gratia, albedo, vt talis eſt, expreſſe cernitur per viſum; capacitas vero terminandi viſionem non cernitur expreſſe per illum; Secundo, quia ratio formalis *ſub qua* apprehenditur, & definitur per ordinem ad actum vitalem potentiæ, vt definitur, & apprehenditur cognoſcibilitas, & amabilitas obiecti; ratio vero formalis obiectiua *quæ* non apprehenditur, & definitur per ordinem ad cognitionem, & amorem potentiæ, ſed per prædicata eſſentialia rei; quæ ipſam veram; atque bonam conſtituunt, diſtinctam ab ea, quæ falſa, & defectuoſa eſt; vt omnipotentia diuina apprehenditur bona, & vera omnipotentia per virtutem realiter, & perfecte productiuam omnium creaturarum; cognoſcibilis vero, & amabilis vlterius apprehenditur per reſpectum ad cognitionem, & amorem potentiæ rationalis, quæ ipſam vt veram, & bonam omnipotentiam cognoſcere, & amare poteſt. At ratio formalis *ſub qua* extrinſeca, tenens ſe ex parte potentiæ eſt denominatio extrinſeca proueniens obiecto ex aliqua conditione intrinſeca potentiæ ad agendum actum neceſſaria: vt obiectum eſſe conforme regulæ ſupernaturali prouenit à cognitione ſupernaturali neceſſaria potentię ad agendum actum ſupernaturalem.

P. Molina.

Duplex ratio formalis *ſub qua*.

Diſcrimen rationis obiectiuæ *ſub qua* à ratione obiectiua *qua*.

38. Igitur diuerſam eſſe rationem formalem obiectiuam ſub qua actus ſupernaturalis tendit in rationem formalem obiectiuam *qua* ab ea, ſub qua tendit actus naturalis, probatur. Ratio formalis obiectiua *ſub qua* in obiecto naturali, & ſupernaturali non eſt aliud, quàm capacitas intrinſeca obiecti ad terminandum, & mouendum actum potentiæ vitalis. At capacitas intrinſeca obiecti ad terminandum actum naturalem diuerſa eſt ratione noſtra à capacitate intrinſeca eiuſdem ad terminandum actum ſupernaturalem. Ergo ratio formalis obiectiua *ſub qua* non eſt eadem in obiecto ad actum naturalem, & ſupernaturalem. Conſequentia legitima eſt. Maior conſtat ex definitione rationis formalis obiectiuæ *ſub qua*. Minor probatur. Capacitas terminatiua actus naturalis refertur ad connotatum diuerſum à capacitate intrinſeca terminatiua actus ſupernaturalis; ſiquidem alia refertur in actum ſupernaturalem, alia in

Probatur aſſertum.

Digitized by Google

actum naturalem; actus autem ſupernaturalis diuerſus eſt entitate ab actu naturali. At capacitas intrinſeca rei relata ad connotata diuerſa fundat ſufficientem diſtinctionem rationis ratiocinatæ, vt in dialectica expoſuimus, & in methaphyſica oſtendemus. Ergo in quouis obiecto capacitas terminatiua, & motiua actus naturalis diſtincta eſt ratione noſtra à capacitate terminatiua, & motiua actus ſupernaturalis. Ac proinde ratio formalis *ſub qua*, ſeu cognoſcibilitas, & amabilitas obiecti non eſt eadem, & communis vtrique actui.

39. Etiam probatur aſſertum quoad rationem formalem *ſub qua* tenentem ſe ex parte potentiæ. Ratio formalis *ſub qua* tenens ſe ſolum ex parte potentiæ eſt ratio neceſſaria potentiæ, vt actus fiat ab illa tendens in obiectum, quin realiter attingatur per actum, neque obiecto ipſi, quod per actum attingitur, realiter identificatur, vt conformitas obiecti cum regula rationis, & relatio extrinſeca obiecti in finem ſupernaturalem. Nunc ſic arguo. Actus ſupernaturalis reſpicit obiectum, vt conforme regulæ ſupernaturali, & propoſitum cognitione ſupernaturali, naturalis vero vt conforme regulæ naturali, & propoſitum cognitione naturali: ſupernaturalis, vt referibile in finem ſupernaturalem, naturalis vero, vt referibile in finem naturalem: ſupernaturalis vt ſubeſt viribus ſupernaturalibus, & prouidentiæ gratiæ: naturalis vero, vt ſubeſt viribus & prouidentiæ naturæ. At omnes iſtæ rationes ſunt diuerſæ, & tenent ſe intrinſece ex parte potentiæ omnino diuerſæ. Ergo.

Explicatur varij loquendi modi Theologorum.

40. Vnde facile deprehendes, qua ratione veri ſint plures loquendi modi, qui Theologis familiares ſunt. Primo illi, qui maiori propoſitione præteriti argumenti adducti ſunt, & D. Thomæ, & aliis ſcriptoribus ſunt frequentiſſimi. Secundo is, quo aſſeritur, dilectionem Dei naturalem reſpicere Deum, vt Authorem naturæ, ſupernaturalem verò vt authorem gratiæ. Tertius quo barbare dicitur, diuerſam attingibilitatem reſpondere in obiecto actui naturali, atque ſupernaturali. Quartus, quo vniuerſim exprimitur, actum naturalem, & ſupernaturalem habere poſſe idem obiectum, ſed non eandem rationem formalem. Et alij ſimiles loquendi rationes. Nam, ſi hæ loquutiones ſignificent obiectum formale, ſiue rationem formalem obiectiuam, quæ actum terminat, & mouet, explicatu difficiles ſunt, & à vero abſunt, vt tota diſputatione euictum eſt. Si tamen ſenſum contineant rationis formalis *ſub qua* actus fertur in obiectum, ſiue tenentis ſe ex parte potentiæ, ſiue tenentis ſe ex parte obiecti, & verum continent, & lucem perſpicuam, vt ſuperiora conſideranti relinquo. Ergo ea ratione ab omni bono Theologo accipiendæ ſunt. Saltem vſurpatione communi illarum contemnenda non eſt noſtra ſententia de obiecto formali actibus naturalibus, & ſupernaturalibus communi, vt plures parum ſupernaturalia meditantes contentioſe, & mirabundi faciunt, ſiquidem noſtræ ſententiæ veritas his loquutionibus amica eſt, & ſalua eorum veritate conſiſtit.

DISPVT. QVADRAGESIMASEXTA.

QVONAM MODO TENDENDI IN OBIECTVM DIFFERANT inter ſe actus, ſupernaturalis, & naturalis.

CVM non diſcrepent obiecto formali explicandum eſt, quonam tendendi modo in obiectum formale diſcrepent inter ſe.

SECTIONES.

1. *Aliorū explicandi rationes diſplicent.*
2. *Explicatur noſtra ſententia.*
3. *Obijciuntur & ſoluuntur nonnulla contra noſtram ſententiam.*

SECTIO PRIMA.

Aliorum explicandi rationes diſplicent.

P. Molina reijcitur.

1. PAter Molina in concordia quæſt. 14. art. 13. diſp. 38. indicare videtur actus naturales, & ſupernaturales ſolum differre ex principijs, à quibus procedunt, non vero ex modo tendendi in obiectum. Sed non placet; quia actus fidei ſupernaturalis eſt omnino certus, naturalis vero incertus. Certitudo autem, & incertitudo ſunt differentiæ eſſentiales actus intellectus ex modo tendendi in obiectum, vt ſectione ſequenti exponemus. Ergo etiam ex modo tendendi in obiectum actus naturalis, & ſupernaturalis ſortiuntur diſcrimen. Præterea quia ſectione ſequenti ſtatuemus modum diuerſum, quo hi actus circa idem obiectum occupantur.

P. Granad.

2. Pater Granadus 1.2. contr. 8. de gratia tract. 1. diſputatione 4. ſectione 3. aſſerit, eo

Digitized by Google

differre, quod actus naturalis fertur in obiectum ſupernaturale modo improportionato excellentiæ obiecti, ſupernaturalis vero modo eidem proportionato. Hic modus explicandi quamuis verus ſit, tamen non eſt bonus. *Primo.* Quoniam rem ſuſceptam obſcuram relinquit, cum non elucidet, in quonam proportio actus ſupernaturalis, & improportio actus naturalis ſita ſit, vt huius rei explicatio vendicabat. *Secundo.* Præterea non tradit diſcrimen quoad modum, quo actus naturalis, & ſupernaturalis verſantur circa idem obiectum formale naturale; nam actus naturalis, & ſupernaturalis illud reſpiciunt modo proportionato perfectioni obiecti, quin obiectum modum alicuius eorum excedat.

Etiam alij apud Lorca. 3. Alij apud Lorcam diſputatione 9. de Gratia ſentire videntur, diſcrepare actum naturalem, & ſupernaturalem, quod actus naturalis tendit in obiectum modo quodam ſimplici, & inefficaci ad ſimilitudinem velleitatis; ſupernaturalis vero modo quodam abſoluto, & efficaci ad ſimilitudinem intentionis abſolutæ, & efficacis. Sed diſplicent. *Primo.* Primo quia non explicant modum, quo differunt inter ſe actus naturalis, & ſupernaturalis, cum reſpiciunt idem obiectum formale naturale; ſiquidem vterque actus poteſt illud abſolute, & efficaciter proſequi. *Secundo.* Secundo quia non explicant diſcrimen apprehenſionis, & complacentiæ ſimplicis naturalis, & ſupernaturalis. Nam in vtroque genere tam naturali, quam ſupernaturali ſunt poſſibiles, apprehenſio intellectus, & complacentia ſimplex voluntatis. Qui tamen in vtroque genere ſolum inefficaciter, ac ſimpliciter obiectum reſpiciunt. *Tertio.* Tertio quia, vt vidimus diſputatione 14. ſectione 3. poteſt eſſe affectus naturalis, qui in obiectum ſupernaturale ſit abſolutus, & efficax. *Quarto.* Denique quia hæc ratio explicandi ſolum videtur congruere actibus voluntatis, & non actibus intellectus, quibus non congruit efficacia in obiectum. Nunc autem de omni actu ſupernaturali, tam intellectus, quam voluntatis differentiam ex modo tendendi examinamus.

Item Lorca. 4. Lorca vbi ſupra cenſet, eos differre, quod actus ſupernaturalis fertur in ſuum obiectum, tam abſolute, quam efficaciter; naturalis vero quamuis poſſit ferri abſolute, ſemper, ac neceſſario fertur inefficaciter in obiectum ſupernaturale. Etiam Lorcæ non arridet propter eaſdem rationes. *Primo.* Tum quia non explicat differentiam eſſentialem actus naturalis, & ſupernaturalis, cum vterque actus obiectum formale reſpicit naturale. *Secundo.* Tum quia non explicat diſcrimen ſimplicis apprehenſionis & complacentiæ ſupernaturalis à naturali. *Tertio.* Tum etiam quia in obiectum ſupernaturale poteſt eſſe affectus voluntatis naturalis non ſolum abſolutus, ſed etiam efficax, vt ſtatuimus diſputatione 14. ſect. 3. *Quarto.* Tum denique quia ea differentia ſolum quadrare videtur in actus voluntatis, & non intellectus.

SECTIO SECVNDA.

Explicatur noſtra ſententia.

5. EQuidem ſemper difficile iudicaui explicare diſcrimen inter actus intellectus, & voluntatis ex ſolo modo tendendi in obiectum. *Aſſertio prima.* Aſſero tamen primo. Actus naturalis, & ſupernaturalis in genere, ſic differunt inter ſe ex modo recipiendi idem obiectum, tam naturale, quam ſupernaturale, vt ſupernaturalis reſpiciat obiectum modo perfectionis ſuperante connexionem naturæ, habenteque aliquam connexionem cum gratia iuſtificante; naturalis vero modo perfectionis contento intra connexionem naturæ, ac nullam habente connexionem cum gratia iuſtificante. Probatur, quia actus naturalis, & ſupernaturalis comparati cum obiecto naturali, quod vtrique commune ſit, poſſunt habere cum illo connexionem eamdem; comparati vero cum natura, & gratia ſanctificante non habent connexionem eamdem, vt conſtat ex conceptu quidditatiuo ſupernaturalitatis abſolutæ, & relatiuæ, explicato diſputatione 4. & 5. Ergo in genere recte explicatur differentia actus naturalis, & ſupernaturalis quoad modum reſpiciendi idem obiectum, tam naturale, quam ſupernaturale ex diſcrimine connexionis cum natura, & gratia iuſtificante.

6. Aſſero ſecundo. *Aſſertio ſecunda.* Actus naturalis, & ſupernaturalis tendentes in idem obiectum ſupernaturale ſic diſcrepant inter ſe, vt ſupernaturalis habeat connexionem entitatiuam cum obiecto ſupernaturali, ſiue exiſtenti, ſiue poſſibili; naturalis vero illam non habeat. Probatur primo. Connexio entitatiua cum ente ſupernaturali, eſt propria res ſupernaturalis, vt expoſuimus diſputatione 4. & 5. Ergo actui naturali conuenire non poteſt connexio entitatiua cum obiecto ſupernaturali, quæ poteſt ſupernaturali conuenire. Secundo; Aſſenſus ſupernaturalis eſt neceſſario connexus cum ſuo obiecto. Ergo omnes actus ſupernaturales, tam intellectus, quam voluntatis cum ſuo obiecto connexi ſunt. Antecedens conſtat, quia aſſenſus ſupernaturalis ſaltem ex natura rei eſt neceſſario verus, & certus. Veritas autem, & certitudo naturalis eſt connexio actus cum obiecto. Conſequentia probatur. Reliqui actus ſupernaturales præter aſſenſum intellectus, aut ſunt affectus voluntatis, qui ſequuntur eum aſſenſum, aut ſimplices apprehenſiones, quæ illum antecedunt. At vtrique actus habent neceſſario connexionem cum obiecto, quam habet aſſenſus. Siquidem vterque connectitur cum aſſenſu, aut tanquam principium, aut tanquam effectus connaturalis illius. Ergo reliqui actus ſupernaturales, præter aſſenſum habent cum obiecto connexionem aſſenſui communem. Porro hæc connexio actus cum obiecto non eſt aliud, quam repugnantia naturalis exiſtendi non exiſtenti, aut poſſibili obiecto, quod

Digitized by Google

per actum ſupernaturalem attingitur. Atque adeo actus ſupernaturalis ſic comparatur cum obiecto ſupernaturali, vt non exiſtenro, aut repugnāte obiecto non exiſteret, aut repugnaret actus ſupernaturalis, naturalis vero ſic cum illo comparatur, vt exiſtere poſſet actus, quamuis non exiſteret, aut repugnaret obiectum. Hæc non magis emungo, ne ſanguinem eliciant.

Diſcrimen inter aſſenſum naturalem hæretici & ſupernaturalem Catholici.

7. Vnde deprehendes, quo differat aſſenſus naturalis, quem hæreticus præſtat propter reuelationem Dei rebus noſtræ fidei, quas cum Eccleſia Catholica profitetur, ab aſſenſu ſupernaturali Catholici. Nempe aſſenſus naturalis hæretici, licet verus ſit, tamen non eſt certus, ſicut eſt aſſenſus ſupernaturalis Catholici. Nam licet vterque aſſenſus moueatur ex reuelatione Dei, naturalis tamen non connectitur cum illa re vera exiſtenti, ſicut connectitur ſupernaturalis: ſic enim fertur naturalis in reuelationem Dei, vt ipſemet aſſenſus naturalis exiſtere poſſet, quamuis re vera non extitiſſet reuelatio, quemadmodum in ipſo exiſtit aſſenſus falſus eorum, quæ Eccleſia Catholica negat, quamquam putet Hæreticus, reuelata à Deo, ſicut alia, quæ vere reuelata ſunt. Aſſenſus vero ſupernaturalis ſic innititur reuelationi diuinæ, vt non exiſtente vere reuelatione Dei, idem exiſtere repugnaret. At certitudo aſſenſus, vt libro de anima docui, eſt connexio neceſſaria actus cum obiecto eo modo, quo eſſe iudicatur ab actu, ſiue eſt neceſſitas naturalis, qua actus non poteſt non exiſtere verus. Ergo aſſenſus naturalis hæretici, quamuis innitatur reuelationi poteſt eſſe incertus ex defectu connexionis cum exiſtentia reuelationis veræ, & indifferentiā entitatiua ipſius ad reuelationem ſolum apparentem. Propterea q; puto, Paulum referre in gratiam Dei fidem Theſalonicēſium 4. ad Theſalon. 2. quia acceperunt verbum Dei, prout eſt vere verbum Dei, nimirum quia aſſenſus eorum ita innitebatur vero verbo Dei, vt eo non exiſtentē vero, ſed ſolum apparenti, non exiſteret realiter ille aſſenſus; quem aſſiſtente gratia Dei rebus ab Apoſtolo propoſitis præbuerunt, licet alium, qui non eſſet ex gratia, ſed ex facultate arbitrij, præſtare eiſdem potuiſſent. Quam interpretationem, & mentem tradidiſſe videtur Proſper dē vocatione Gentium, lib. 1. c. 23. qui exponens prædictum teſtimonium Pauli ſic colligit. *Potuitne plenius, aut euidentius demonſtrari Dei eſſe donum credentium fidem, quam vt ideo agerentur gratiæ Deo, quoniam ij, quibus verbum Dei per homines prædicabatur, non quaſi de hominum ſermone dubitarunt, ſed tanquam Deo loquenti per homines crediderunt?* Etenim fidem ſupernaturalem à Paulo prædicari, docet, quia non ea fuit, quæ dubitationi erat obnoxia, ſed omnino certa omnem pellens dubitandi rationem. Atque adeo, quia alio modo, quam fides humana præſtabatur, videlicet omnino adhærens, & connexa teſtimonio diuino.

Proſper.

SECTIO TERTIA.

Obijciuntur & ſoluuntur nonnulla contra noſtram ſententiam.

8. OBijcies primo. Actus ſupernaturalis fertur in obiectum ſupernaturale verum, quà verum eſt; naturalis in obiectum ſupernaturale, qua ſolum eſt apparens. Ergo falſo aſſerimus, vtrumque actum intendere in idem obiectum formale. Nam obiectum verum, & apparens, reale, & chimæricum non eſt idem, ſed longe diuerſum. Reſpondeo. Omnes Theologi conſentiunt, poſſe actum naturalem, & ſupernaturalem, v. g. aſſenſum hæretici, atque Catholici reſpicere idem obiectum materiale. Tamen naturalis cum exiſtentia, & veritate obiecti materialis non connectitur neceſſario ſicut ſupernaturalis connectitur. Ergo ſimiliter vterque actus poteſt reſpicere idem obiectum formale, quamuis alter non connectatur cum illo, ſicut alter connexus eſt. Explicatur; affirmat Angelus iudicio euidenti, cras futuram pluuiam; affirmat homo iudicio tantum probabili, pluuiam craſtinam futuram. Vtrumque iudicium vere dicitur habere idem obiectum, nempe pluuiam futuram. Tamen iudicium Angelicum enuntiat pluuiam vere exiſtentem, ſic connexum cum vera exiſtentia pluuiæ, vt illud ex natura rei non eſſet, ſi pluuia vere futura non eſſet: iudicium vero humanum enuntiat pluuiam ſolum apparentem, ſic indifferens ad falſam pluuiam, & veram, vt idem exiſtere potuiſſet, quamuis pluuia futura vere non fuiſſet. Ergo ſimiliter poteſt aſſenſus naturalis, & ſupernaturalis idem obiectum ſupernaturale referre, quamuis naturalis poſſet exiſtere falſus non exiſtenti vere obiecto ſupernaturali, & ſupernaturalis neceſſario verus ſit à connexione neceſſaria cum illo. Et quidem aſſenſum naturalem hæretici verè attingere eandē reuelationem veram, quam attingit aſſenſus ſupernaturalis Catholici, ſic manifeſte probo. Exiſtente vera reuelatione Dei aſſenſus naturalis hæretici, qui illam affirmat, eſt realiter verus, & non exiſtente eſt falſus. Ergo reuelationem vere exiſtentem attingit. Probatur conſequentia. Aſſenſus non eſt verus, neque falſus, niſi ab exiſtentia, aut defectu obiecti, quod enuntiat. At aſſenſus naturalis eſt realiter verus, & falſus ab exiſtentia, & defectu reuelationis veræ Dei. Ergo illa vere attingit reuelationem vere exiſtentem Dei, quam attingit aſſenſus ſupernaturalis Catholici. Ratio à priori eſt; quia prædicata eſſentialia rei eadem ſunt exiſtente re, & re non exiſtente, poſſuntque eadem referri cognitione, & amari à voluntate, modo exiſtant, modo non. Ergo eadem res vere obijcitur cognitioni, & amori, modo ſit exiſtens, modo non, atque adeo eadem obijcitur actui ſupernaturali cōnexo cum exiſtentia rei, & actui naturali non connexo cum illa. Vnde licet obiectum ſupernaturale in

Opponitur primo.

Reſpondetur.

Explicatur ſolutio.

Digitized by Google

eſſe phyſico, & reali non ſit vere exiſtens, poteſt eſſe vere exiſtens in eſſe obiectiuo actus naturalis; quia vt vera rei exiſtentia repræſentetur, & ametur, non eſt neceſſarium, vt vere res exiſtat. Idem tidem licet actus naturalis ſecundum reſpectum phyſicum ſit indifferens ad obiectum in eſſe phyſico verum, & apparens, non eſt indifferens ſecundum reſpectum intentionalem, qui ſemper, ac neceſſario fertur in veram exiſtentiam rei, quamuis illi connexa non ſit; hoc eſt in illam exiſtentiam, quam, ſi res exiſtat, habebit; ac proinde ab illa etiam redditur actus verus, vel falſus, conformis, vel difformis obiecto. Ac tandem actus naturalis, & ſupernaturalis idem obiectum formale, & materiale reſpiciunt, quamuis alter cum illo connexus ſit, & alter non ſit connexus, alter exigat poſſibilitatem, aut exiſtentiam rei, alter non exigat illam.

Secundo. 9. Obijcies ſecundo. Actus naturalis, qui fertur in obiectum ſupernaturale poſſibile, v. g. ſimplex complacentia, aut deſiderium, quod afficitur in beatitudinem ſupernaturalem poſſibilem, neceſſario connectitur cum illa, ſicut actus ſupernaturalis; nam poſſibilitas obiecti neceſſaria eſt, & actus neceſſario conformis cum illo, conformitaſque actus cum vero obiecto ſupernaturali inſeparabilis. Ergo connexio actus cum obiecto non diſcriminat actum naturalem, & ſupernaturalem circa obiectum ſupernaturale? Reſpondeo. Actus naturalis non connectitur cum obiecto ſupernaturali poſſibili, licet neceſſario illi conformis ſit, quia neceſſitas poſſibilitatis obiecti non exigitur ad exiſtentiam actus naturalis, ſicut ad exiſtentiam actus ſupernaturalis neceſſaria eſt. Vnde eo differt actus naturalis circa obiectum ſupernaturale poſſibile, ab actu ſupernaturali circa idem obiectum, quod actus naturalis poſſet idem perſeuerare repugnante per impoſſibile obiecto ſupernaturali, ſupernaturalis vero eo repugnante exiſtere repugnaret.

Fit ſatis.

Tertio. 10. Obijcies tertio. Actus ſupernaturalis poteſt moueri ex obiecto formali ſupernaturali ſolum apparenti, & non exiſtenti; aut poſſibili. Ergo connexio cum exiſtentia aut poſſibilitate reali obiecti non eſt differentia eſſentialis actus ſupernaturalis à naturali. Probatur antecedens. Poteſt quis diligere Deum amore ſupernaturali propter perfectionem ſpecialem iuſtitiæ ſtrictæ, qua remuneratur noſtra merita ſupernaturalia donis beatitudinis æternæ. At hæc perfectio iuſtitię ſtrictæ in Deo poteſt eſſe ſolum apparens, & non vere exiſtens; quandoquidem inter Theologos diſſenſio eſt, an ea Deo conueniat, & forſan continget, vt re ipſa Deo repugnet. Similiter poteſt actus ſupernaturalis ex motiuo ſupernaturali affici in beatitudinem intenſione infinitam, quæ forſan repugnat. Item quotidie voluntas iuſti exercet actum miſericordiæ circa miſeriam proximi re ipſa non exiſtentem, ſed ſolum apparentem, & fictam. Nam omnes iſti affectus poſſunt eſſe meritorij gratiæ iuſtificantis. Actus autem meritorij gratiæ iuſtificantis intrinſece ſupernaturales ſunt. Ergo actus ſupernaturalis poteſt verſari circa obiectum ſupernaturale ſolum apparens, & non verum? Reſpondeo. Hæc difficultas omnibus Theologis explicanda eſt. Nam omnes tuentur, cognitiones ſupernaturales eſſe intrinſece veras. At cognitiones ſupernaturales proponentes obiectum ſupernaturale ſolum apparens, quod allicit affectus ſupernaturales, & meritorios, erunt falſæ, ſi re ipſa tale obiectum non ſit exiſtens, aut poſſibile, ſicut per cognitionem antecedentem proponitur. Ergo ab omnibus expediendum eſt, qua ratione his cognitionibus, & affectibus ſupernaturalibus deficiat connexio cum vera exiſtentia, aut poſſibilitate ſui obiecti. Nos id expediemus progreſſu diſput. 58. Nunc tranſeat antecedens argumenti. Ad conſequentiam ſola explicatione noſtræ aſſertionis reſpondeo. Differentia actus naturalis, & ſupernaturalis circa obiectum ſupernaturale deſumpta ex diſcrimine connexionis cum illo, aſſerta à nobis ſolum eſt inter actus, qui circa obiectum ſupernaturale verum, & non apparens verſantur, ſicut ea non eſt aſſerta inter eoſdem actus, cum verſantur circa obiectum naturale, cum quo actus naturalis connexus eſſe poteſt. Atque adeo conſequentia argumenti noſtræ aſſertioni ſecundæ non repugnat. Propterea aſſertione prima ſtabilitum eſt, eos actus differre in genere aliunde, quam ex connexione cum obiecto, nempe ex diuerſa connexione, quam ferunt cum natura, & gratia iuſtificante.

Obiectionis ſolutio.

Vrgetur. 11. At hinc vrgebis noſtram doctrinam. Nam ſi poteſt actus ſupernaturalis verſari circa obiectum formale, aut materiale ſolum apparens, & non verum; poterit actus ſupernaturalis reſpiciens obiectum verum ſupernaturale ſecundum ſe eſſe indifferens ad exiſtēdum exiſtente, & non exiſtente; poſſibili, & impoſſibili obiecto ſupernaturali, quod reſpicit, ſicut eſt actus naturalis. Nam hæc indifferentia ſolum poteſt negari actui ſupernaturali ratione ſuæ ſupernaturalitatis, & excellentiæ, qua effertur ſupra actum naturalem. Ergo ſi aliquis ſupernaturalis poteſt verſari circa obiectum ſupernaturale ſolum apparens, & non verum, omnes poterunt ferre indifferentiam ad exiſtentiam, & carentiam, poſſibilitatem, & impoſſibilitatem obiecti ſupernaturalis, quam actibus naturalibus circa obiectum ſupernaturale tribuimus. Nego ſequelam. Nam actus ſupernaturales, quos admittimus in obiectum ſupernaturale ſolum apparens, diriguntur ex cognitione quaſi reflexa proponente ſolum apparentiam obiecti, & non eius poſſibilitatem, aut exiſtentiam, quæ apparentia ſemper vera eſt, licet vera non ſit exiſtentia, aut poſſibilitas obiecti, vt exponemus diſputatione prædicta. At actus, quos aſſerimus connexos cum obiectis ſupernaturalibus veris, & non apparentibus, adſtruimus directos ex cognitionibus proponentibus veram, & realem exiſtentiam, aut poſſibilitatem obiecti, & non ſolum apparentiam illius. Cognitiones autem, quæ non ſolum referunt apparentiam obiecti, ſed etiam veram eius exiſtentiam, & poſſibilitatem, vt intrinſece veræ ſint, exigunt obiecti exiſten-

Occurritur.

Digitized by Google

tiam, aut poſſibilitatem realem, v.g. cognitio aſſerens Petrum currere non erit vera, ſi re ipſa Petrus non currat; cæterum vera erit, quamuis Petrus re ipſa non currat, ſi ſolum aſſerat probabile eſſe, aut apparere Petrum currere. Ergo quamuis prius genus actuum ſupernaturalium, qui circa obiectum ſupernaturale ſolum apparens verſantur, non ſit cõnexum cum exiſtentia, aut poſſibilitate reali obiecti, poſterius genus actuum, qui reſpiciunt veram eius exiſtentiam, & poſſibilitatem, cum illa debet eſſe connexum, ne actus ſupernaturales admittamus non veros intrinſece, vt non admittunt omnes Theologi.

Quarto. 12. Obijcies quarto. Licet actus ſupernaturales abſoluti ſint connexi cum ſuo obiecto ſupernaturali, tamen actus ſimplicis apprehenſionis, & complacentiæ ſupernaturales poſſunt cum illo non connecti. Ergo differentia actus ſupernaturalis à naturali in genere non eſt connexio cum obiecto ſupernaturali. Antecedens probatur. Tum quia ſimplex apprehenſio non eſt capax veritatis, & falſitatis formalis. Connexio autem cognitionis cum obiecto ratione veritatis intrinſece neceſſaria eſt. Tum quia ſimplex apprehenſio antecedens aſſenſum ſupernaturalem fidei ſecundum ſe eſt indifferens ad diſſenſum obiecti. Ergo ſecundum ſe non debet eſſe connexa cum obiecto potiuſquam cum eius carentia. Reſpondeo. Duplex eſt genus apprehenſionis obiecti. Alterum earum, quæ ſimpliciter illud apprehendunt, vt nullam proponant rationem obiectiuam, qua intellectus moueri queat ad quidquam iudicandum de illo, vt cum apprehendo paritatem, & imparitatem ſtellarum, quin vi talis apprehenſionis poſſim iudicare ſtellas eſſe pares, aut impares eſſe. Alterum earum, quæ intellectum inducere poſſunt in iudicium aſſentiens, aut diſſentiens exiſtentiæ, aut poſſibilitatis obiecti, quia rationem obiectiuam proponunt ſufficientem mouere intellectum ad illud. Prius genus apprehenſionum mere naturale eſt. Poſterius poteſt eſſe ſupernaturale circa obiectum ſupernaturale, & per ſe neceſſarium eſt ad ſupernaturale iudicium. Igitur apprehenſiones ſupernaturales inducentes intellectum in enuntiationem ſupernaturalem, quamuis obſcurum, & liberum voluntati, vt apprehenſiones præcedentes aſſenſum fidei, connexæ ſunt cum obiecto ſupernaturali; quod proponunt. Nam ex ſe mouere non poſſunt niſi ad iudicium intrinſece verum, cum omne iudicium ſupernaturale intrinſece verum ſit. Ad iudicium autem intrinſece verum mouere repugnat, niſi obiectum ita ſit, ſicut ab ipſis iudicandum proponitur. Atque ita ſi proponitur obiectum aſſentiendum, debet reuera obiectum eſſe exiſtens, aut poſſibile, ſi diſſentiendum vero, debet eſſe non exiſtens, aut impoſſibile. Vnde quamuis apprehenſiones iſtius conditionis non ſint proprie veræ, de quo eſt diſſenſio inter Philoſophos, ſaltem ſunt radicaliter, & inchoatiue veræ, quatenus vi ſua motiua continent iudicium intrinſece, & formaliter verum. Quo ſatisfit primæ probationi argumenti. Item quamuis re ipſa intellectus non aſſentiatur, ſed diſſentiat obiecto propter reſiſtentiam voluntatis, ex ſe tamen ſolum aſſenſum verum, & connexum cum obiecto ſuadent; nam diſſenſus non ſit mouentibus ſupernaturalibus apprehenſionibus, ſed naturalibus oppoſitis, quibus voluntas obedit, ſupernaturalibus reluctans; atque ideo ſemper talis diſſenſus falſus eſt, & difformis obiecto, vt contingit in euentu diſſenſus hæretici ſecunda probatione antecedentis propoſito. Quo ſecunda probatio nulla eſt. Iterum de his apprehenſionibus cum obiecto connexis occurret explicatio diſputatione 60. Vnde ad ſimplices etiam complacentias ſupernaturales ſatisfactũ eſt; nam ſimplex complacentia ſupernaturalis dirigitur cognitione ſupernaturali, atque adeo eandem cum obiecto connexionem ferre debet complacentia ſupernaturalis, quam fert ex ſe ſupernaturalis cognitio.

Euertitur argumentũ

13. Obijcies quinto. Actus naturalis refertur ordine tranſcendenti in ſuum obiectum. Ergo ſi reſpicit obiectum formale ſupernaturale connectitur neceſſario cum illo, ſaltẽ poſſibili. Nam ordo tranſcendens eſt connexio entitatiua actus cum poſſibilitate obiecti. Hoc argumentum etiam probat, non poſſe actum naturalem, habere reſpectum ad rem ſupernaturalem tanquam obiectum materiale, quod eſt contra communem Theologorum; quia actus etiam ad obiectum materiale referri debet ordine tranſcendenti, ſi ad formale eo ordine refertur. Quare nego antecedens, ſiquidem nomine ordinis tranſcendentis ab arguente accipitur connexio entitatiua actus cum obiecto. Neque propterea nullus ordo conceditur actui naturali in obiectum; nam intentionalis ordo nagari non poteſt, vt non poteſt reſpectus, & tendentia intentionalis in illud. Cæterum ordo intentionalis non exigit connexionem entitatiuam, & phyſicam actus cum obiecto; quandoquidem poteſt cognitione proponi, & affectu voluntatis amari exiſtentia, & poſſibilitas rei vere non exiſtentis, & poſſibilis. Solum igitur requiritur connexio intentionalis, qua non poteſt cognitio, aut amor intelligi, aut eſſe, quin obiectum re ipſa intelligatur, aut ſit cognitum, & amatum per cognitionem, & amorem. Porro ſi quis ordinem intentionalem velit eſſe tranſcendentem, quod eſſentialis, & tranſcendens ſit entitati, & quidditati actus; ne contendamus de nomine, expediet diſtinguere ordinem tranſcendentem in intentionalem, qui vendicat connexionem intentionalem cum obiecto in eſſe cognito, & amato; & in ordinem tranſcendentem phyſicum, qui vendicat connexionem entitatiuam actus cum obiecto in eſſe reali, & phyſico ſibi intrinſeco. Qua diſtinctione præmiſſa non erit proprius cognitionis, & amoris naturalis reſpicientis obiectum ſupernaturale ordo tranſcendens phyſicus, ſed ſolum intentionalis. Atque adeo conſequentia argumenti prorſus erit nulla.

Quinto.

Expeditur.

Digitized by Google

DISPVT. QVADRAGESIMASEPTIMA.

AN POSSIT IDEM ACTVS SVPERNATVRALIS reſpicere duo obiecta formalia.

SIQVIDEM diſputatione præterita diſſeruimus de obiecto formali actus ſupernaturalis, expediet ad exactam notitiam huius obiecti formalis, & plurium actuum ſupernaturalium, qui in diſputationes Theologicas occurrunt, examinare; an actus ſupernaturalis poſſit moueri ex duplici obiecto formali.

SECTIONES.

1. *Sententia affirmans eligitur.*
2. *Occurritur repugnantijs, quæ poſſunt obijci contra actum reſpicientem duo obiecta formalia.*

SECTIO PRIMA.

Sententia affirmans eligitur.

Sententia explicatur. 1. NOn diſputo de duplici motiuo extrinſeco, ſed intrinſeco; neque de duplici motiuo intrinſeco adæquato actui, ſed inadæquato. Nam primum etiam ex natura rei eſſe poſſibile, videlicet idem opus fieri ex duplici intentione, & fine extrinſeco, ſecundum autem etiam diuinitus impoſſibile, ſcilicet duplicem finem ita intrinſece intendi, vt alterutro deficiente non deficiat actus illum eſſentialiter intendens, oſtendimus fuſe in libro de anima cum (P Fonſeca.) Patre Fõſeca 5. metaphyſicę cap. (P.Suarez.) 1. quæſt. 15. ſectione 4. con. 2. & Patre Suario tom. 1. metaphyſicę diſputatione 29. ſectione 5. num. 32. & tom. 1. in tertiam partem diſputatione 5. ſect. 4. § *Dico tamen.* Igitur ſolum diſputo de duplici motiuo actui intrinſeco, & inadæquato, v g an poſſit idem actus intellectus aſſentiri rei propter reuelationem Dei, & motiuum ſcientiæ, aut opinionis? Similiter idem actus voluntatis amare rem propter honeſtatem obedientiæ, & iuſtitiæ ſimul, itaut deficiente actui aliquo motiuo illorum, totum quoquoad entitatem, & ſpeciem deficere neceſſe ſit.

Autores. 2. Iamdiu mea ſententia fuit poſſe eundem actum, non ſolum ſupernaturalem, ſed etiam naturalem moueri inadæquate ex duplici obiecto formali intrinſeco. Ita videntur ſentire (Durandus.) Durandus quæſt. 1. & 2. Prologi, (Ockam.) Ockam quodl. 3 quæſt 7. (Gabriel.) Gabriel in 3. diſt. 23. quæſt. 2. (Capreolus.) Capreolus diſt. 25. quæſt. vnica art. 3. ad 3. & 4. argumentum, (Paludanus.) Paludanus diſt. 24. quæſt. 3. art. 3. Pater Molina 1. p. quæſt. 1. art. 1. diſput. 1. (P. Molina.) Pater Valentia 2. 2. quæſt. 1. puncto 4 §. 2. ante ſolutionem argumentorum, (P. Valentia.) Pater Fonſeca 6. metaphyſicæ cap. 1. quæſt. 1. ſectione 5. (P. Fonſeca.) §. *Vltimo loco*, Pater Salas tom. 1. in 1. 2. tr. 6. diſputat. 1. num. 16. & 17. (P. Salas.) Pater Granadus in Procemio Theologiæ diſput. 5. num. 17. (P. Granad.) Inſinuant Conimbricenſes 1. poſterior c. 25. qu. 2. art. 4. (P. Conimbricenſes.) qui aſſerunt, concluſionem reſpicere intrinſece obiectum vtriuſque præmiſſæ, quod non eſt vnicum, ſed duplex. Necnon, qui ſentiunt, Deum, & creaturas poſſe vnica viſione ſupernaturali in ſe ipſis immediate cognoſci, quos refert Pater Faſolus 1. p. quæſt. 12. art. 8. dub. 6. (P. Faſolus.)

3. Probatur primò. (Stabilitur primo.) Angelus per vnicam cognitionem, & ſpeciem impreſſam penetrat in ſe ipſis immediate plura obiecta naturalia v.g. leonem, & equum, & alia huiuſmodi, quæ ſeorſim varijs, ac diſtinctis cognitionibus nouiſſe poterat. Item Chriſtus Dominus vnica cognitione ſcientiæ infuſæ immediate, ac in ſe ipſis ſibi proponebat plura obiecta, quæ multiplici ſeorſim notione poterat intellectui præſentare. At, hoc eſt, vnicam, & eandem cognitionem reſpicere intrinſece plura obiecta formalia, nam id, quod in ſe ipſo immediate, & non in alio medio cognoſcitur, obiectum eſt formale cognitionis; ſicut natura diuina eſt obiectum formale viſionis beatæ; & creatura in Deo viſa eſt obiectum materiale; quia per viſionem beatam Deus attingitur in ſe ipſo immediate, & creatura ſolum mediate in Deo, tanquam in medio referente creaturam. Ergo poteſt eadem cognitio reſpicere intrinſece plura obiecta formalia. Neque obeſt, omnia illa conuenire ſub vnicam rationem formalem cognoſcibilitatis per ſcientiam Angelicam, & Chriſtianam. Nam ratio formalis motiua talis cognitionis non eſt ipſa cognoſcibilitas obiecti, ſed veritas obiectiua intrinſeca, & proportionata, quæ ante cognitionem ipſis obiectis inhæret, & ante cognoſcibilitatem etiam apprehenditur ineſſe; primaria enim ratio obiectiua cognitionis, & cognoſcibilitatis eſt veritas obiectorum, quæ ideo ſunt cognoſcibilia per ſcientiam Chriſti, & Angelorum, quia in

ſe ipſis

Digitized by Google

ſe ipſis vera ſunt. Veritates autem obiectiuæ ſunt multiplices; alia enim eſt veritas hominis, & alia veritas leonis, ſicut alia eſt entitas vnius ab entitate alterius, quam veritas, ſeu proprietas conſequitur. Ergo rationes formales obiectiuæ ſunt multiplices. Deinde eſto, cognoſcibilitas ſit ratio formalis obiectiua; diuerſa eſt cognoſcibilitas hominis à cognoſcibilitate leonis. Nam hæc cognoſcibilitas obiectiua, quæ mouet cognitionẽ, non poteſt eſſe denominatio extrinſeca proueniẽs obiecto ab ipſa cognitione, cum ipſa cognitio non ſit obiectũ formale, quod cognitũ reddat cognoſcibile obiectũ, tum quia neque omnis cognitio, ſui cognitio reflexa eſt, tum quia neque omnis cognitio eſt mediata cognitio obiecti ab ipſa diſtincti. Erit igitur cognoſcibilitas intrinſeca obiecti, identificata obiecto, & conſequens ratione noſtra entitatem obiecti. At hæc cognoſcibilitas intrinſeca, & identificata obiecto diuerſa eſt in homine à cognoſcibilitate leonis, cum entitates ipſæ, quibus identificatæ ſunt, longe diuerſæ ſint. Ergo non conueniunt omnia obiecta, quæ complectitur vna cognitio ſcientiæ naturalis Angelicæ, aut infuſæ, ſub ratione cognoſcibilis, quæ ſit vna ſpecifice, ſed genetice; atque adeo ſub vna ratione cognoſcibilitatis complectente plures diuerſas.

Illuſtratur præcedens argumentũ. 4. Robur, & lucem argumento adijcimus. Si diſcipulus ſpacio dimidiæ horæ audiat Præceptorem ſuadentem aſſenſum concluſionis probabilis quatuor, aut pluribus rationibus, eiſque cedens tandem aſſentiatur concluſioni propter illas, credendum non eſt, tot aſſenſus elicere diſcipulum, quot ſunt propoſitæ à Præceptore rationes. Similiter ſi quis ſuadeatur ad ſtudium litterarum, & quia illud gratum eſt Deo, & quia vtile ad præoccupandas cogitationes turpes, & vanas, & quia à ſuperioribus iniunctum, & quia neceſſarium ad proximorum ſalutem, & quia homine rationali dignum, & quia plura alia bona honeſta complectitur; eiſque motiuis, ac bonis ſibi propoſitis allectus eligat propter illa ſtudij litterarij laborem; quis putet, tunc voluntatem tot affectibus amplecti ſtudium litterarum, quot ei ſunt à conſulente in medium producta bona? Cuius ſane non leuis coniectura eſt, interdum contingere, vt ſic efficiatur voluntas in obiectum propter duo bona ſibi propoſita, vt deficiente propoſitione alterius, alterum non conſequeretur amorem obiecti, ſed omnis illius amor cõfeſtim deficeret. Ergo credibile eſt vnico amore propter duo illa bona affici voluntatem in obiectum Nam ſi affectus quo voluntas obiectum proſequitur, eſſet multiplex, non eſt facile inuenire rationem, quare deficiente propoſitione vnius boni, & perſeuerante propoſitione aliorum non perſeueret aliquis affectus voluntatis in illud. Hæc namque plurium affectuum mere comitantium, diuerſaque bona quærentium indiuidua coniunctio intellectu difficilis eſt, niſi omnes, quos plura illa bona prouocare poſſunt, in vnum, & eundem affectum conuenerint. Ergo vno, eodemque affectu amari poteſt obiectum propter plura bona, quæ ſeorſim ſufficientia ſunt amorem illius excitare. Iterum illuſtratur argumentum. Integrum montem poſſum intueri pluribus viſionibus partialibus reſpondentibus multitudini partium, quas in monte diſcerno, vt libro de anima exponens diuiſibilitatem ſenſionum oſtendimus. Tamen poſt mõtem ſemel viſum, cognitio, qua recordor illius, vnica, & indiuiſibilis eſt, & non multiplicata pro multiplicitate partium, quibus mons viſus coaleſcit. Ergo vnica cognitio poteſt referre plura obiecta formalia, quæ ſeorſim poſſũt varijs cognitionibus referri. Etenim in eo euẽtu obiectũ formale talis cognitionis recolentis partes, & qualitates mõtis ſunt immediate ipſæ partes, & qualitates montis præuiſi, quæ multiplices, & variæ ſunt. Iterũ illuſtratur.

Secundo probatur. 5. Secundo probatur. Poteſt Deus vnico affectu diligi propter bonitatem ſapientiæ, & miſericordiæ ſimul. Ergo poteſt vnicus amor moueri intrinſece ex duplici bono formaliter, quorum quodlibet ſeiunctum ab alio ſufficit ſuum amorem ſpecie diſtinctum commouere. Antecedens nullus Theologus negat. Conſequentia probatur. Deus poteſt diligi à creatura, & propter bonitatem ſapientiæ, & propter miſericordiæ bonitatem, duplici actu voluntatis ſpecie diſtincto; altero propter ſolam bonitatem ſapientiæ; altero propter bonitatem ſolam miſericordiæ. At ij actus ſunt ſpecie diſtincti. Ergo vnicus actus complecti poteſt motiua diuerſorum actuum differentium ſpecie. Probatur minor. Perfectio ſapientiæ conſtituit obiectum formale amoris diuerſum à perfectione miſericordiæ. Ergo amor, qui allicitur formaliter ſola bonitate miſericordiæ erit diuerſus ab amore ſolius perfectionis ſapientiæ. Siquidem obiecta formalia diuerſa diuerſificant actus, qui ea intrinſece reſpiciunt. Antecedens mihi indubitatum eſt. Perfectio ſapientiæ etiam in Deo non includit conceptu formali perfectionem miſericordiæ, neque è contra, ſed vna ab altera præſcindibilis eſt. Sic autem præſciſa perfectio ſapientiæ longe diuerſum obiectum conſtituit à perfectione miſericordiæ, identitas enim realis vtriuſque perfectionis non tollit diuerſitatem rationis obiectiuæ formalis, cum apprehenſa altera abſque altera ſic moueat, ac ſi alteri idẽtificata non eſſet. Res conſtat illuſtribus exemplis; veritas & bonitas, honeſtas & delectabilitas, conformitas ad legem, & leuamen extremæ miſeriæ alienæ conſtituunt obiecta formalia diuerſificantia cognitionem, & amorem, actum honeſtum, & non honeſtum, actum obedientiæ & miſericordiæ. Tamen hæ rationes obiectiuæ eidem rei identificantur. Ergo ſimiliter, quamuis identificentur eidem entitati ſapientia, & miſericordia, poſſunt eſſe obiecta formalia diuerſificantia affectus volũtatis, qui ex vnaquaque ſeorſim ab alia concitantur. Neque obeſt quidquam, vtramque perfectionem conuenire in ratione perfectionis diuinæ. Nam duo obiecta formalia diuerſa poſſunt conuenire in vna ratione ſuperiori, & communi, vt obiectum Explicatur.

formale iuſtitiæ, & miſericordiæ creatæ in ratione honeſtatis moralis Proximis conſulentis. Item veracitas, & bonitas diuina continentur ſub ratione communi perfectionis diuinæ. Tamen altera eſt obiectum formale fidei, altera obiectum formale charitatis, quæ ſunt virtutes longe diuerſæ. Neque item obeſt, amorem Dei propter ſolam bonitatem ſapientiæ, & amorem eiuſdem propter ſolam bonitatem miſericordiæ pertinere ad eumdem habitum Theologicum charitatis. Nam, vt ex profeſſo probabimus libro 4. poſſunt attinere ad eumdem habitum infuſum actus ſpecie diuerſi reſpicientes obiecta formalia diuerſa.

Confirmatur.

6. Quod totum confirmatur in actibus fidei infuſæ. Pono, obiectum formale fidei non eſſe ſolam veracitatem Dei, ſed etiam reuelationem diuinam, vt fert communis Theologorum conſenſus. Pono ſecundo, reuelationem myſterij Trinitatis tum diſtinctam, tum diuerſam eſſe à reuelatione Incarnationis verbi. Eſt quidem diſtincta, quia potuit eſſe reuelatio Trinitatis abſque reuelatione Incarnationis. Separatio autem argumentum eſt diſtinctionis realis. Eſt diuerſa; quia reuelatio Trinitatis exprimit obiectum formale diuerſum ab obiecto formali reuelationis exprimentis Incarnationem. Nam atteſtatio, & loquutio Diuina exprimit tanquam obiectum formale, ipſum myſterium, quod reuelat: myſterium enim, licet comparatione actus fidei obiectum materiale ſit, tamen comparatione atteſtationis, & expreſſionis diuinæ obiectum formale eſt. Etenim actus fidei aſſentitur myſterio, quia aſſentitur reuelationi; reuelatio tamen non exprimit myſterium, quia exprimit aliud obiectum, quod formaliter referat myſterium. Sicut eadem myſteria reuelata ſunt obiecta materialia actus fidei, formalia vero concluſionis Theologicæ, quæ propter ipſa identificata vni tertio aſſentitur identitati ipſorum inter ſe. Item eadem albedo, quæ eſt obiectum materiale cognitionis reflexæ cernentis meam viſionem, eſt obiectum formale meæ viſionis directæ intuentis albedinem. Igitur nunc ſic arguo. Poteſt intellectus per eundem actum fidei aſſentiri duobus obiectis reuelatis, ſcilicet Trinitati perſonarum, & Incarnationi verbi. Ergo poteſt vnicus actus complecti duo obiecta formalia. Antecedens nulli Theologo dubium eſſe poteſt. Probatur conſequentia ex præmiſſis. Ille actus complectitur reuelationem Trinitatis, & reuelationem Incarnationis, tanquam obiectum formale, propter quod vtrique obiecto præſtat aſſenſum, vt conſtat ex prima poſitione. At reuelatio Trinitatis, & reuelatio Incarnationis non eſt vnica, ſed duplex ſpecifice diuerſa valenſque ſeorſim duplicem actum, alium qui ſolum Trinitati, alium, qui ſolum aſſentiatur Incarnationi, mouere, vt conſtat ex poſitione ſecunda. Ergo poteſt vnicus actus duplex obiectum formale complecti. Simili ratione probatur idem in actibus viſionis intuitiuę Dei iuxta principia Scoti, quæ mihi probabilia ſunt. Nempe poteſt eſſe vnica viſio, quæ immediate intueatur eſſentiam, attributa, & perſonas; quamuis ſint poſſibiles plures, quarum alia videat ſolam eſſentiam, alia attributa ſola, alia ſolas relationes, tanquam obiecta formalia viſionis. Ergo poteſt vnica viſio referre obiecta formalia plurium.

Tertio.

7. Tertio ſtabilitur aſſertum. Idem actus reſpicit formaliter, & intrinſece plura principia partialia, vt actus fidei ſubſtantiam animæ, (quæ mea opinione immediate influit in actus vitales, quamuis potentiæ ab illa diſtinguantur realiter) potentiam intelligentem, ſpeciem impreſſam, & habitum ſupernaturalem. Igitur ſimiliter poterit reſpicere plura obiecta formalia partialia. Nam tam intrinſecus, & formalis eſt actui fidei reſpectus ad ſua principia, ac eſt reſpectus ad ſua obiecta formalia; ſiquidem principia reſpicit formaliter, & propter ſe, non propter aliud, ſeu ratione alterius; quemadmodum reſpicit obiecta formalia; atque adeo ex diuerſitate principiorum ſortitur diſtinctionem ſpecificam, quemadmodum ex diſtinctione obiectorum formalium, vt diſputatione 36. diffiniuimus. Ergo omnino pares ſunt actui ſupernaturali, reſpectus intrinſecus ad obiecta formalia, & reſpectus ad principia.

Quarto.

8. Quarta probatio ſit. Poteſt idem actus indiuiduus complecti ſimul plura obiecta materialia, vt cum propter ſanitatem conſequendam volo plures potiones, & ſitiones; propter gloriam Dei plura ieiunia; propter amici teſtimonium credo plura ab amico relata. Ergo etiam poterit eodem actu duplex obiectum formale intrinſece attingi. Probatur conſequentia. Sicut obiectum formale tribuit ſpeciem actui, conſtituendo actum ſpecie diuerſum ab omni actu, qui obiectum formale diuerſum attingit; ita obiectum materiale tribuit actui indiuiduationem, conſtituendo actum, ſaltem indiuiduatione diſtinctum ab omni actu, qui circa aliud obiectum materiale occupatur, quod mihi exploratius eſt, quam vt probatione manifeſtari indigeat. At nihilominus poteſt idem actus indiuiduus vnico conceptu intrinſeco comprehendere duo obiecta materialia, quæ ſeorſim poſſunt duos actus indiuiduos terminare. Ergo etiam poterit idem actus indiuiſo reſpectu ferri in duplex obiectũ formale. Nam tota ratio negandi eidem actui ſimplicem reſpectum intrinſecum in duplex obiectum formale, ea quidem aduerſarijs eſt, quia obiectum formale tribuit ſpeciem actui. At etiam obiectum materiale tribuit indiuiduationem. Ergo ſicut nihilominus duplex obiectum materiale poteſt ſimplici, & indiuiduo actu ſimul reſpici, ita duplex obiectum formale abſque vlla multiplici diuerſitate actuum poterit reſpici vnico actu.

Reſpondet Scotus, & Philippus Faber.

9. Dices cum Scoto in 1. diſtinctione 1. quæſt. 2. art. 2. §. *Modus ponendi*, quem ſequitur Philippus Faber ibidem diſp. 11. c. 4. eundem numero actum poſſe variare obiecta materialia, quamuis formalia non poſſit, atque ideo indiuiduationem actus non eſſe adſtrictam obiecto materiali, ſed poſſe viſionem

Digitized by Google

beatam, qua Deus de facto intuetur eſſentiam diuinam, & in illa perſonas, & creaturas poſſibiles, diuinitus manere eandem, quin videat creaturas & perſonas diuinas. Sed hæc Philoſophia mihi valde diſſonat. Nam tendentia actus in obiectum materiale eſt realiter identificata entitati actus. Ergo deficiente tali tendentia non poteſt actus manere idem. Nam deficiente realiter aliquo prædicato identificato rei, totam rem euaneſcere, neceſſe eſt: cum ſeparatio realis identitati repugnat. Antecedens eſt certum, nam actus, quo ego aſſentior Trinitati propter reuelationem Dei, per ſe ipſum, & non per aliquid diſtinctum eſt aſſenſus Trinitatis. Nam ſi per aliquid diſtinctum eſſet aſſenſus Trinitatis, iam illud diſtinctum eſſet alius actus intellectus, qui per ſe ipſum eſſet tendentia in Trinitatem, & deficeret neceſſario deficiente aſſenſu Trinitatis, atque ita eſſet aliquis actus intellectus, qui quoad ſuam indiuiduationem, & identitatem penderet eſſentialiter ab obiecto materiali. Quod ad vim noſtri argumenti ſufficit, cum iam daretur aliquis actus, cui quoad ſuam entitatem, & indiuiduationem conſtitueretur per ordinem ad obiectum materiale, nempe illa tendentia quæ eſſet actus intellectus, & repræſentatio intentionalis talis obiecti materialis.

Repellitur reſponſio.

Quinto. 10. Demum noſtra concluſio probatur. Quia nullo argumento euincitur repugnantia actus reſpicientis inadæquate, & intrinſece duo obiecta formalia. Theologicum autem non eſt; negare omnipotentiæ diuinæ, quod non euincitur repugnans, vt fert communis arguendi ratio Theologorum in ijs, quæ de poteſtate abſoluta Dei in diſputationem vocantur.

SECTIO SECVNDA.

Occurritur repugnantijs, quæ poſſunt obijci contra actum reſpicientem duo obiecta formalia.

Prima obiectio. 11. NOſtræ doctrinæ poſſunt obijci plura abſurda Theologica, & Philoſophica. Primo dari innumeros habitus ſupernaturales; quos Theologi non agnouerunt. Nam actus reſpiciens ſimul obiectum formale charitatis, & miſericordiæ non poteſt fieri ab habitu charitatis, qui non efficit tendentiam in obiectum formale miſericordiæ, neque poteſt fieri ab habitu miſericordiæ, qui non efficit tendentiam in obiectum formale charitatis. Atque adeo neceſſarius erit ad eum actum tertius quidam habitus à charitate, & miſericordia diſtinctus, qui eum actum efficiat. Similiter alius erit neceſſarius ad actum reſpicientem ſimul obiectum formale charitatis, & iuſtitiæ, alius ad reſpicientem ſimul obiectum formale religionis, & obedientiæ, & ſic alij innumeri, qui poſſunt iuxta varias combinationes obiectorum formalium ſine numero multiplicari. Quæ multiplicatio hucuſque eſt ignota Theologis. Ergo talis actus reſpiciens ſimul duo obiecta formalia reijciendus eſt.

Diſſoluitur Nego ſequelam; nam licet poſſibilis ſit tertius habitus à charitate, & miſericordia diſtinctus, qui efficiat actum reſpicientem ſimul vtriuſque motiuum, in quo nulla mihi implicantia occurrit; cæterum de facto ad eum actum efficiendum neceſſarius non eſt. Nam habitus miſericordiæ, & habitus charitatis ſufficiunt ad eliciendum huiuſmodi actum concurſu partiali; ſiquidem in eo actu inuenitur affectus in obiectum miſericordiæ, cuius titulo partialiter concurrat habitus miſericordiæ, & affectus in obiectum charitatis, cuius titulo concurrat partialiter habitus charitatis; atque ita ex vtroque integretur vnum principium ſupernaturale ſufficiens, & adæquatum ad efficiendum eum actum. Quemadmodum plerique Theologi aſſerunt 1. part. quæſtione quinquageſima octaua, articul. quarto, Angelum cognoſcentem differentiam aut ſimilitudinem hominis, & leonis quos referunt ſpecies impreſſæ diuerſæ, non vti compoſitione aut diuiſione conceptuum, quia in idem iudicium differentiæ, aut ſimilitudinis vtriuſque conueniunt concurſu partiali ſpecies diuerſæ hominis, & leonis. Quare immerito aſſeruit Pater Granadus ſupra, non eſſe exiſtentem de facto actum ſupernaturalem reſpicientem duplex motiuum ſupernaturale; quem admittit poſſibilem, ex eo quod de facto non exiſtat habitus, qui eum actum edere in lucem valeat, quanquam de facto plures actus naturales exiſtant, qui moueantur ex duplici obiecto formali intrinſeco. Immerito, inquam, quia eiuſmodi actus poteſt ſufficienter fieri à duplici habitu ſupernaturali de facto exiſtenti, quorum obiecta formalia ſimul complectitur actus, vt nuper dicebamus. Item quia poteſt Deus per auxilium extrinſecum ſupplere actiuitatem habitus reſpicientis ſimul vtrumque motiuum, quem ipſe Granadus admittit poſſibilem, vt in alijs euentibus neceſſario dicendum eſt. *P. Granad.* At obſeruandum eſt, hæc intelligenda eſſe de habitibus infuſis, non de acquiſitis, in quibus libere admittere fas eſt, etiam de facto exiſtere tertium habitum à miſericordia, & religione acquiſita diſtinctum. Quippe non eſt ratio, quare actibus naturalibus reſpicientibus duplex motiuum denegemus vim productiuam habitus, vtrumque motiuum complectentis, quæ reliquis actibus naturalibus circa ſua obiecta formalia conceditur.

Secunda. 12. Secundo obijcitur; eundem actum pertinere poſſe ad duas ſpecies diuerſas, quod nullus audet affirmare. Nam quodlibet obiectum formale ſpecificat actum intrinſece reſpi-

Digitized by Google

cientem ipſum. Ergo actus reſpiciens intrinſece obiectum charitatis, & miſericordiæ ſimul, erit ſimul in ſpecie miſericordiæ & charitatis. Reſpondetur. Etiam nego hanc ſequelam. Nam actus reſpiciens intrinſece obiectum charitatis, & miſericordiæ nulla ratione eſt eiuſdem ſpeciei cum actu reſpiciente ſolum obiectum miſericordiæ, neque cum actu reſpiciente ſolum obiectū charitatis, ſed tertiæ alterius ſpeciei ab vtraque diſtinctæ; ſiquidem actus reſpiciens ſimul obiectum formale miſericordiæ, & charitatis, continet prædicatum eſſentiale, quo differat ab actu reſpiciente ſolum obiectum formale charitatis, nempe reſpectum formalem, & eſſentialem obiecti miſericordiæ. Quare obiectum formale miſericordiæ non habet vim extrinſece conſtitutiuam vnius tantum ſpeciei, ſed plurium iuxta plures, ac diuerſos modos, quibus poteſt noſtros actus terminare, atque mouere, ſeorſim, aut coniunctim cum alijs obiectis formalibus. Atque ita actus reſpiciens obiectum charitatis, & miſericordiæ ſimul, non pertinet ad ſpeciem athomam miſericordiæ; ſed ad ſubalternam præſcindentem ab actu reſpiciente obiectum formale miſericordiæ ſolum, & ab actu reſpiciente obiectum formale miſericordiæ, ſimul cum alio obiecto formali, quæ ratio ſic abſtracta communis eſt actui miſericordiæ reſpicienti adæquate, & reſpicienti inadæquate obiectum formale miſericordiæ. Itaque actus miſericordiæ in genere apte dicitur, qui reſpicit obiectum formale miſericordiæ: quia vero hæc ratio actus reſpicientis obiectum formale miſericordiæ contrahi poteſt ad ſpeciem actus reſpicientis obiectum miſericordiæ adæquate, & ad ſpeciem actus reſpicientis obiectum miſericordiæ inadæquate, merito actus miſericordiæ conſtituit ſpeciem ſubalternam miſericordiæ continentem ſub ſe plures miſericordiæ ſpecies. Idem eſt de charitate, & reliquis virtutibus.

Obiectionis inſtantia. 13. Inſtatur ſuperior ſequela, in qua aduerſatij potiſſimum nituntur. Species impreſſa etiam ſumit ſpeciem ab obiecto, quod repræſentat, quare ſpecies hominis eſt diuerſa ab ſpecie leonis; Nihilominus non repugnat ſpecies repræſentans ſimul hominem, & leonem, immo exiſtere de facto in Angelo admittunt communiter Theologi. Similiter cognitio immediata ſolius hominis diuerſa eſt in Angelo à cognitione immediata ſolius leonis; Nihilominus poteſt Angelus eadem cognitione ſimul hominem, & leonem exprimere. Item actio in ſententia plurium Philoſophorum ſortitur ſpeciem ab agente, atque adeo calefactio ſolius lucis calefacientis differt ſpecie à calefactione ſolius caloris: Tamen non repugnat eadem calefactio, quæ ſimul à calore, & luce procedat. Rurſus actus ſumit indiuiduationem ab obiecto materiali, ſicut ſpeciem ab obiecto formali, verbi gratia, amor ſolius potionis propter ſanitatem diſtinguitur ab amore ſitionis propter eandem ſanitatem; Tamen dari poteſt tertius quidem amor indiuiduus complectens ſub eodem motiuo ſanitatis, potionem, & ſitionem ſimul. Igitur quamuis obiectum formale ſpecificet actum, poterit idem actus vnico indiuiſibili reſpectu complecti duplex obiectum formale.

Tertia obiectio. 14. Tertio opponitur eundem actum fore certum, & incertum, obſcurum, & clarum; quæ repugnant. Fore certum, quia aſſentiret obiecto propter motiuum fidei diuinæ; incertum vero; quia aſſentiret eidem propter motiuum opinionis humanæ. Similiter fore clarum, quia cognoſceret obiectum ſub motiuo ſcientiæ: obſcurum vero, quia cognoſceret ſub motiuo reuelationis non viſæ. Solutio. Admitto quod argumentum ſupponit, poſſe intellectum eodem actu aſſentire rei ex motiuo reuelationis diuinæ, & ſimul ex motiuo ſcientiæ, aut opinionis humanæ. Cæterum nego, eum aſſenſum fore ſimul obſcurum, & clarum comparatione eiuſdem obiecti, ſed diuerſi. Nam erit obſcurus, & clarus comparatione obiectorum formalium, nempe reuelationis diuinæ, & motiui euidentis, quæ diuerſa ſunt. Comparatione autem obiecti materialis, cui ſimul aſſentitur propter duplex illud motiuum, non erit abſolute obſcurus, ſed clarus. Nam obſcuritas importat carentiam realem claritatis, ea autem cognitio, cum realiter euidens ſit, non continet carentiam realem claritatis. Neque de ratione actus fidei eſt, quod abſolute ſit obſcurus, prout refert obiectum materiale, ſed ſolum prout refert obiectum formale, ideoque materiale ſub motiuo fidei non appareat euidens, & clarum, licet aliunde euidens, & manifeſtum ſit. Itaque aſſenſus ille prout ſolum apprehenditur referre obiectum ſub reuelatione diuina, præſcindit ab obſcuritate, & claritate. Ab obſcuritate quidem, quia ſub ea apprehenſione non importat carentiam claritatis, à claritate vero, quia ſic non apprehenditur reſpicere motiuum ſcientificum, vt ad poſitiuam claritatem erat neceſſarium. Eadem de euidentia, & ineuidentia actus, certitudine, & incertitudine ſunt proportione dicenda. Verumtamen actus reſpiciens motiuum certum, & probabile non incongrue poſſet cenſeri probabilis, quanquam propter rationem propoſitam non eſſet incertus, quia probabilitas actus non affert intrinſece carentiam certitudinis, aut euidentiæ, ſicut illam importat incertitudo: ſed reſpectum ſolum ad medium taliter mouens intellectum, vt ex modo aſſentiendi per tale medium non tolleretur intellectualis formido, niſi aliunde intellectus eſſet de obiecto certus. Caue hic quæſtionem de voce.

Quarta. 15. Quarto obijcitur fore eundem actum naturalem, & ſupernaturalem. Naturalem, quia attingeret intrinſece motiuum naturale.

Digitized by Google

Supernaturalem, quia attingeret intrinſece
P. Faſolus. motiuum ſupernaturale. Ita arguit Pater Faſolus ſupra nobis contrarius. Etiam hæc ſequela
Diluitur. mala eſt. Nam, vt actus non ſit naturalis, ſed abſolute ſupernaturalis, non requiritur, vt vndequaque vincat virtutem, & exigentiam naturæ; ſed ſufficit ex aliquo capite deſiderare vires, quæ naturæ exigentiam, & connexionem excellant, [illegible] in hoc opere nota-
P. Fonſeca. tum eſt, & ob[illegible]e Pater Fonſeca ſupra ſectione [illegible]rea, vt vidimus diſputatione v[illegible] poteſt actus naturalis moueri [illegible]pernaturali, & ſupernaturalis ex m[illegible] naturali. Atque adeo actus ex motiuo non deprehenditur natu-
Vrgetur ſolutio. ralis, neque ſupernaturalis. At vrg. bis; actus reſpiciens duplex motiuum ſupernaturale, quidquam habet magis, quam actus reſpiciens vnum ex illis naturale. Ergo eſſet natu-
Vindicatur ralis, & ſupernaturalis. Nego conſequentiam. Tum quia, vt ex diſputatione vigeſimâ quinta dicebamus, ſupernaturalitas, aut naturalitas actus non ſumitur ex reſpectu intrinſeco ad motiuum. Tum quia actus reſpiciens intrinſece duplex motiuum ſupernaturale poſſet vendicare plura conprincipia ſupernaturalia, quam actus reſpiciens alterum motiuum naturale, nempe duplicem habitum ſupernaturalem, aut vnicum potentiorem, ac perfectiorem habitu, quo alius actus efficitur. Adde, ſi libet, tertio, actum reſpicientem inadæquate motiuum naturale poſſe præſcindi à ſupernaturalitate, prout reſpicit motiuum naturale; à qua præſcindi non poteſt alius actus vtrumque motiuum reſpiciens intrinſece ſupernaturale.

Quinta. 16. Quinto. Fore eundem actum ſimul verum, & falſum; item ſimul bonum, & malum. Verum quidem, quia aſſentiretur obiecto propter motiuum euidens; falſum vero, quia aſſentiretur propter exiſtentiam ſolum apparentem motiui probabilis. Similiter bonum, quia vellet obiectum ex motiuo honeſto; malum vero, quia vellet ex motiuo
Expeditur quoad actus intellectus. turpi. Ad hanc ſequelam cum diſtinctione reſpondeo. In primis ſi actus intellectus refert vtrumque motiuum copulatiue, hoc eſt, affirmando coexiſtentiam vtriuſque obiecti, actus plane erit falſus, quia ad falſitatem propoſitionis copulatiuæ ſufficit falſitas vnius extremi ſolum. Si vero referat vtrumque motiuum ſeorſim, ac diſparate, non affirmando copulam vtriuſque, forſan poterit is actus eſſe comparatione diuerſorum verus, & falſus, quia eo pacto erit conformis vni obiecto, & alteri difformis. Neque apertam implicantiam aſſequor in actu referente duo obiecta diſparata, ac ſeorſim, quin affirmet copulam, & coexiſtentiam vtriuſque: nam diſputatione ſexta Dialecticæ oſtendi, & rurſus in Metaphyſica illuſtrabo, cognitionem vniuerſalem, neque eſſe copulatiuam, neque diſiunctiuam, ſed abſolutam à copula, & diſiunctione indiuiduorum. Ergo nihil prohibet exiſtere ſimul iudicium repræſentans plura motiua, quin ea coniungat inter ſe affirmando, aut negando copulam ſeu coexiſtentiam illorum: quemadmodum cognitio diuina ea ratione repræſentat omnes veritates exiſtentes, & poſſibiles, vt caſu quo per impoſſibile vna earum eſſet aliter, ac à Deo refertur, adhuc ſcientia diuina quoad alias poſſet retinere veritatem. Neque inde colligere licet, actum fidei poſſe exiſtere falſum comparatione motiui probabilis. Nam ſi ſupernaturalitas falſitati repugnat, poteſt ex eo capite reijcere falſitatem, quam ex tendentia actus ad duplex obiectum formale cum veritate poterat coniungere. Cæterum ſi quis inueniat repugnare eundem actum repræſentare duo obiecta diſparate, ac ſeorſim, reſpondeat argumento, eum actum abſolute fore falſum, & non verum, quia coniunctio vtriuſque obiecti falſa eſt.

17. Similiter reſpondeo ad actum volun- *Item quoad actus voluntatis.*
tatis ſimul honeſtum, & turpem. Nam voluntas dupliciter poteſt intendere vnico actu finem honeſtum, & turpem. Primo referendo vnicum medium ad vtrumque finem, vt ſi volo confiteri peccata propter finem obedientiæ, & ſimul propter gloriam vanam. Secundo referendo duo media, quodlibet eorum ſeorſim, & ſeiunctim ab alio ad ſuum peculiarem finem, quin vterque finis ſit circunſtantia vtriuſque medij, vt ſi quis eodem actu velit vitare peccatum mortale ad conſeruandum amicitiam cum Deo, & ſimul nollet vitare mendacium ad conſeruandum amicitiam cum homine. Vterque modus reſpiciendi per vnicum actum duplicem finem mihi videtur poſſibilis; quod eſt ſolum de re in difficultate propoſita. De voce tamen eſt, num is actus ſimul bonus, & malus dicendus ſit. Et quidem primus actus non erit abſolute bonus, quia fertur in obiectum abſolute turpe, quia veſtitum circunſtantia finis turpis, cuius defectus neceſſarius eſt ad honeſtatem abſolutam obiecti. Secundus non incongrue poſſet dici bonus, & malus; bonus quidem, quia fertur in fugam peccati mortalis ex omni circunſtantia honeſtam, ſiquidem mere comitans eſt comparatione illius malitia alterius obiecti, quæ nulla ratione eſt circunſtantia ipſius; malus vero, quia fertur in mendacium leue. Verum de his vberior diſputatio pertinet ad tractatum de bonitate, & malitia humanorum actuum.

18. Sexto obijcies, ſimiliter poſſe eadem *Sexta.*
actione duos terminos produci; eadem vnione duplicata extrema copulari; quin eodem actu veritatem, & bonitatem formaliter attingi, ac proinde obiectum eodem actu ſimul cognoſci & amari. Nam vt actus ſumit ſpeciem ex obiecto formali, ſic actio Phyſica ex ſuo termino; vnio ab extremo, cognitio à vero, & volitio à bono. Igitur vt idem actus poteſt reſpicere duplex obiectum formale, ſic poterit eadem actio reſpicere duos terminos; eadem vnio duplicata extrema, & idem actus tanquam rationem formalem, veritatem, & bonitatem

Digitized by Google

Reſpondetur. obiecti. Reſpondeo. Non implicat eadem actio, & vnio duplicata extrema reſpiciens, dum extrema omnia in vnius entitatis compoſitionem conueniant, verbi gratia, quatuor indiuiſibilia quantitatis poſſunt ſimul produci eadem actione, & vniri inter ſe eadem vnione. Secus ſi extrema ſint omnino completa, exiſtentiaque ab inuicem abiuncta, niſi admittamus, poſſe rem eamdem conſtitui ex natura rei in duplici loco diſtanti, qualem proculdubio occuparet actio, & vnio afficiens intrinſece ex natura rei hominem, & leonem ab inuicem diſtantes.

An poſſit idem actus reſpicere ſimul obiectū ſub ratione boni, & veri.

19. Maior difficultas exiſtit in actu vnico reſpiciente ſimul obiectum ſub ratione veri, & boni, illud ſimul cognoſcendo, & amando. Communiter eius actus implicantia ſtatuitur in diuerſo modo tendendi actus voluntatis, & intellectus. Tamen omnino non ſatisfacit hæc implicantiæ ratio. Nam non ſatis apparet repugnantia componendi modum tendendi cognitionis cum modo tendendi volitionis. Nam magis repugnantes ſunt modus tendendi aſſenſus, & modus tendendi diſſenſus, item amoris, & odij, quam modus cognitionis, & volitionis, ſiquidem cognitio & volitio poſſunt ſimul componi circa idem obiectum; ſecus vero aſſenſus, & diſſenſus, amor, & odium. Tamen idem actus poteſt eſſe aſſenſus, & diſſenſus, amor, & odium comparatione diuerſorum, vt cum affirmo Petrum ſcribere, & non cantare, cum volo ſumere propter ſanitatem potionem amaram, & reijcere cibum nociuum dulcem. Ergo etiam poteſt in eodem actu componi modus tendendi cognitionis cum modo tendendi amoris? Alij contradictionem referunt in motionem præuiam cognitionis in amorem; repugnat enim eundem actum eſſe principium mouens ad exiſtentiam ſui, ſicut cognitio mouet ad exiſtentiam amoris. Sed non bene. Inde enim non repugnat actus, qui ſimul ſit cognitio, & amor circa obiecta diuerſa, verbi gratia, amor finis, & ſimul cognitio mediorum, quæ in finem conſequendum per alium actum ſequentem eligenda ſunt. Nam cognitio non mouet in amorem obiecti, quod ab ipſa non proponitur, ſed in eum, qui fertur in obiectum ab ipſa propoſitum. Item quia poterat ſimul eſſe cognitio, & amor eiuſdem obiecti, quin in ſui exiſtentiam pelleret voluntatem, ſed in aliu[illegible]m obiecti amorem, quod is act[illegible] rei ſupponeret aliam cognitione[illegible] quæ voluntatem in eiuſdem [illegible]geret; tunc enim talis amor no[illegible]b alia præcurrenti cognitione exc[illegible]tur in voluntate. Equidem ingenue fateor, nullam mihi ſtudioſe cogitanti occurriſſe euincentem implicantiæ rationem, vt impoſſibilis omnino aſſeratur actus, qui ſimul ex ratione boni, atque veri moueatur. Quanquam abſolute non audeo affirmare poſſibilem, quia non habeo grauem aliquem authorem, quem ducem ſequar; licet non defuerint audaciores recentiores, qui iam nos ſequuti ſint.

Duę obſeruationes.

20. Ad præcedentis actus, & aliorum, qui nobis repugnantes obiecti ſunt, accuratam explicationem duo expedit obſeruari. Alterum, ſi eiuſmodi actus ſpeciales nobis obiecti repugnant, eorum quidem repugnantiam neutiquam argui poſſe ex repugnantia tendentiæ actus in duplex obiectum formale, ſed ex alio capite longe diuerſo. Alterum, quidquid arguitur contra noſtram ſententiam ex impoſſibilitate ſuperiorum actuum, inſtari poſſe contra communem ſententiam. Negari enim non poteſt, ſaltem Angelos, & Deum vnica indiuiſibili virtualiter cognitione poſſe diſcernere immediate, & quidditatiue duo obiecta formalia, quæ duobus poſſunt. Ergo etiam poterunt attingere obiectum ſub ratione veri, & boni, & ſimiliter de alijs actibus, qui ſuperioribus argumentis ex noſtra ſententia deprehenſi ſunt.

DISPVT. QVADRAGESIMA OCTAVA.

AN ACTVS SVPERNATVRALIS POSSIT mouere ad actum naturalem?

Explicatur controuerſia.

1. Diſſero de motione Phyſica, ac naturali, qua ſcilicet cognitio mouet ad amorem, apprehenſio ad iudicium, intentio ad electionem, actus imperans ad imperatum. Diſquiſitio autem eſt de proceſſione actus naturalis à ſupernaturali, tam per ſe, quam per accidens. Alij enim actus pendent ab alijs ex natura rei, & per ſe: alij contingenter, & per accidens. Pendent ex natura rei, & per ſe, qui alios ſuapte natura ſupponunt, vt amor cognitionem, electio formalis intentionem, iudicium apprehenſionem, concluſio formalis præmiſſarum actus. Pendent contingenter, & per accidens, qui præter exigentiam ſui fiunt à potentia naturali mota per alios actus antecedentes, qui ipſam inducant ad agendum, vt actus imperatus miſericordiæ procedit ab actu imperanti charitatis, amor vnius obiecti à cognitione duplicata eiuſdem, & electio vnius medij à duplici intentione duorum finium, in quos medium vtile eſt.

Poteſt ac-

2. Igitur aſſero, poſſe actum ſupernatura-

Digitized by Google

tus ſupernaturalis mouere ad actus naturales. Probatur primo.

lem mouere potentiam viralem ad actus naturales. Primò, quia actus ſupernaturalis poteſt imperare naturalem. Actus autem imperans vi ſua intrinſeca mouet ad actum imperatum. Ergo actus ſupernaturalis poteſt mouere ad actum naturalem. Minor, & conſequentia non egent probatione. Probatur maior. Virtutes acquiſitæ, & actus indifferentes ſecundum ſpeciem poſſunt imperari à virtutibus infuſis, cum actus naturales amabiles ſint propter finem virtutis infuſæ, ad quem re ipſa conducunt; præſertim in noſtra ſententia non diſtinguente fines intrinſecos virtutum infuſarum, & naturalium. Ergo actus naturales poſſunt imperari ex intenſione ſupernaturali.

Confirmatur primo.

Confirmatur; actiones naturales externæ, vt elargitio eleemoſinæ, & cultus exterior Dei imperantur ab actibus ſupernaturalibus internis. Ergo etiam poſſunt imperari actiones naturales internæ mouentes voluntatem ad externas.

Secundo.

Confirmatur ſecundò, cognitio probabilis eſt naturalis, quippe incerta, & ex natura rei falſitati ſubiecta. At cognitio probabilis poteſt imperari actu ſupernaturali; nam prudentia ſupernaturalis dictat ſtudioſitati, & aliis virtutibus, aſſentiendum opinioni probabili, & agendum iuxta illam; vbi notitia euidens impoſſibilis eſt. Ergo.

Tertio.

Rurſus confirmatur; aſſenſus falſus propter reuelationem Dei ſolum apparentem eſt naturalis. Hic poteſt imperari ab affectu ſupernaturali piæ affectionis, in euentu, quem proponebamus diſp. 45. num. 23. ſcilicet cum reuelatio falſa proponitur inuincibiliter credibilis eiſdem fundamentis, quibus vera proponitur, vt bene vidit Pater Connick de Fide diſp. 10 num. 78. & diſp. 14. num. 13. & Pater Turrianus diſp. 3. dub. 3. Ergo actus naturalis fieri poteſt imperio ſupernaturali.

P. Coninck. P. Turrianus.

His adiunge concluſionem Theologicam, quæ communiori ſententia habetur naturalis. Tamen mouet ad illam cognitio ſupernaturalis fidei.

Ratio à priori.

Ratio à priori ſit quia actus naturales poſſunt ad alios naturales mouere. Ergo etiam actus ſupernaturales mouere poſſunt ad illos. Nam actus ſupernaturales continent eminenter perfectionem, & vim motricem potentiæ ad actum naturalem, qui fertur in obiectum formale, & materiale actus ſupernaturalis; quod vtrique actui eſſe poſſe commune, conſtat ex diſp. 45.

Deus ſola cognitione ſupernaturali propoſitus, amore naturali diligi poteſt.

3. Hinc lucem accipit difficultas illa, quæ à pleriſque Theologis mouetur; an ſcilicet Deus propoſitus ſola cognitione ſupernaturali, verbi gratia, viſione beata, poſſit diligi amore naturali? ſimiliter obiecta virtutum moralium propoſita cognitione fidei. Etenim conſentienter ad ſuperiora ſententia affirmans eligenda eſt; quam plane docent Ochamus in 1. diſt. 1. qu. 2. Herrera to. 1. in 1. ſentent. diſt. 4. qu. 4. Sotus 1. de natura & gratia cap. 21. & 22. & in 4. diſt. 17. qu. 2. art. 5. Can[illegible]nitentia p. 5. Martinus Ledeſma 1. p. q[illegible] art. 3. Zumel 1. 2. quæſt. 109. art. 1. d. 1. & 2. art. 4. d. 3. Lorca d. 9. de gratia. Nam per cognitionem ſupernaturalem ſufficienter proponitur obiectum diligibile per actum naturalem, imo perfectiùs, quàm per cognitionem naturalem. Ergo ſi Deus non cohibeat ſuum concurſum poterit voluntas proſequi amore naturali tale obiectum. Quod confirmabimus diſp. 57. vbi ſtatuemus, poſſe affectum prauum oriri ex cognitione ſupernaturali.

Ochamus. Herrera. Sotus. Canus. Ledeſma. Zumel. Lorca.

Affectus naturalis elicitur ſemper ſimul cum ſupernaturali.

4. Rurſus inde deducitur, quoties intellectus illuſtratur cogitationibus ſupernaturalibus, & voluntas tangitur ſupernaturalibus affectionibus, quas non miniſtrant creaturæ, ſed immediate excitat, & infundit Deus abſque conſortio cogitationum, & affectionum naturalium, vt interdum contingere docuimus diſputatione 20. num. 3. tunc poſſe voluntatem ſimul cum actu ſupernaturali, ad quem mouent auxilia ſupernaturalia, elicere actum naturalem; cum proponatur ſufficienter obiectum, in quod moueri poteſt actus naturalis. Quin addo, ſemper voluntatem ſimul vtroque genere actuum naturalium, & ſupernaturalium in obiectum honeſtum moueri, etiamſi in actu primo interdum deſtituta ſit auxiliis naturalibus, quæ non miniſtrarunt creaturæ. Nam voluntas in actu primo proximo potens elicere actum, & in actu ſecundo ferens conatum neceſſarium ad illum, non poteſt non actum, quem continet in lucem producere. Sed voluntas ſemper, ac in actu primo proximo continet actum naturalem, continet etiam ſupernaturalem; aliunde conatus, quem confert ad actum ſupernaturalem, non eſt alius à conatu neceſſario ad actum naturalem, neque ab ipſa voluntate poteſt vnus ab alio diſtingui. Ergo ſemper, ac voluntas agit ſupernaturalem actum, ſimul agit circa idem obiectum naturalem.

Actus naturalis ſolum per accidens fit ex motione actus ſupernaturalis.

5. Aſſero ſecundo. Actus naturalis ſolum per accidens, & non per ſe fit ex motione actus ſupernaturalis. Probo. Nam vel actus naturalis requirit per ſe motionem alterius actus, vel non. Si ad eius exiſtentiam non eſt requiſita per ſe motio alterius actus præcedentis, plane neque erit ad illam neceſſaria motio præcedens actus ſupernaturalis. Si per ſe vendicet præuiam alterius actus motionem, is actus præcedens ex natura rei debet eſſe naturalis, & non ſupernaturalis.

Probatur.

Nam omnis actus naturalis exigit principia omnia naturalia, & vt ſæpe monuimus, ſufficit vnum principium neceſſarium eſſe ſupernaturale, vt tota entitas actus ſit ſupernaturalis, cum iam inde ſuperet vires naturæ, & ſolis principiis naturæ debitis effici non valeat. Quare Theologi colligunt, actum fidei, & charitatis eſſe intrinſece ſupernaturales ſolum, quia ſtatuunt Concilia, & Patres Eccleſiæ, requiri ad illos cogitationes, & affectiones intrinſece ſupernaturales.

Reſpondent aliqui.

6. Neque ſatisfacies, ſi dicas, ad actum ſupernaturalem requiri principium efficiens ſupernaturale, & non ſufficere principium ſupernaturale formaliter ſolum concurrens. At vnum actum non influere in alium efficienter, ſed formaliter, verbi gratia, cognitionem in amorem, apprehenſionem in iudicium, intenſionem in electionem: atque adeò actum poſſe eſſe naturalem, quamuis ſupponat per ſe

Falſitatis conuincuntur. alium actum ſupernaturalem. Quoniam eo ipſo, quod per ſe ſupponat principium ſupernaturale formaliter mouens, colligitur, entitatem actus eſſe intrinſece ſupernaturalem, atque adeo etiam ſupponere principium ſupernaturale efficiens. Etenim iſta collectio facta eſt ab omnibus Theologis agnoſcentibus actus intrinſece ſupernaturales; cum ex eo ſolum illos deprehendant ſupernaturales, & indigentes principiis efficientibus ſupernaturalibus, quia ex ſanctione Conciliorum, & Patrum neceſſariæ ſunt ad illas illuſtrationes, & inſpirationes ſupernaturales, quæ mouent in genere cauſæ formalis ad exiſtentiam eorum actuum, quidquid ſit de concurſu efficienti, qui exploratus non eſt omnibus Theologis. Tum quia plane arguitur excellentia entitatis actus ſuperioris omni exigentiâ naturæ, eo ipſo, quod ad illum per ſe requiſitum eſt aliquod principium ſuperans omnem exigentiam, & connexionem naturæ. At ratione talis excellentiæ merito deſideratur per ſe principium efficiens altius, & ſuperius naturâ, quod actui conferat talem excellentiam. Tum denique, quia, vt expoſuimus diſp.4. & 5. ſufficit ad ſupernaturalitatem intrinſecam rei connexio quidditatiua cum alia re intrinſece ſupernaturali. At actus vendicans per ſe motionem alterius actus intrinſece ſupernaturalis connectitur intrinſece cum re intrinſece ſupernaturali. Ergo erit intrinſece ſupernaturalis, ac per conſequens indigebit principio efficienti ſupernaturali.

Obijcitur primo. 7. Obijcies primo. Concluſio Theologica poteſt eſſe naturalis. Tamen ſupponit per ſe præmiſſas ſupernaturales fidei. Ergo actus naturalis poteſt per ſe ſupponere alium actum ſupernaturalem. *Reſponſio prima.* Nego minorem; primo quia docui in libris de anima, eamdem cognitionem, quæ eſt concluſio, quia deducitur ex præmiſſis, poſſe non eſſe concluſionem, quia ſecundum ſe poterat ſine præmiſſis haberi ſola apprehenſione perfectiſſima principiorum. Atque adeo eſſe plures concluſiones materiales, ſicut materiales electiones, quæ ſolum per accidens ex præmiſſis deducuntur, ſicut materiales electiones habentur per accidens ex præcedenti intenſione. *Secunda.* Secundò quia concluſio non exigit determinate has præmiſſas, ſed indeterminate has, vel illas reſpicientes intrinſece vnionem earum extremitatum cum medio, quarum vnionem inter ſe reſpicit ipſa concluſio. Quare concluſio Theologica ſi naturalis eſt, non exigit determinate præmiſſas ſupernaturales, ex quibus colligitur, ſed ſecundum ſe indifferens eſt, vt etiam ex præmiſſis naturalibus proponentibus idem obiectum, quod ſupernaturales proponunt, deducatur; alioquin non eſt ponenda naturalis, ſed ſupernaturalis, vt diſput. 55. expendemus. Quo præcluditur alia obiectio quæ fieri poterat ex amore naturali procedenti à cognitione ſupernaturali. Quippe naturalis amor non oritur per ſe, ſed per accidens à tali cognitione ſupernaturali, cum conformius ad eius naturam à naturali cognitione procederet.

Secundo obijcitur. 8. Secundo obijcies. Actus excellentes virtutum naturalium, vt victoria grauiſſimæ tentationis, dilectio efficax naturalis Dei ſuper omnia, obſeruatio totius legis, & ſimiles ſupponunt per ſe gratiam per Chriſtum. Patres enim diſſerentes cum Pellagio, & exigentes gratiam ad eos actus, non per accidens ſolum, ſed etiam per ſe gratiam neceſſariam profitebantur. At gratia per Chriſtum non eſt aliud, quam ſancta illuſtratio, & affectio intrinſece ſupernaturalis. Ergo ad actus intrinſece naturales poteſt eſſe neceſſaria per ſe motio actus intrinſece ſupernaturalis. Reſpondeo. *Solutio.* Eccleſiæ Patres non exigunt gratiam ad actus naturales, ſed ſolùm ad actus intrinſece ſupernaturales, qui ſoli nunc fiunt ſalutares in vitam æternam, ſoloſque actus intrinſece ſupernaturales contenderant aduerſus Pellagium. Quod ſi de naturalibus etiam ſanctiones ſacræ intelligendæ ſunt, ideo gratia ad illos per ſe neceſſaria credenda eſt; quia lege diuina actus naturales à ſupernaturalibus indiuiſi ſunt; de quo plenò calamo diſp.20. & iterum lib.5. Si verò de ſolis actibus naturalibus accipiatur Eccleſiæ Patres, etiam de ſolis auxiliis gratiæ naturalis accipi poſſunt, quæ ſua intenſione poſſunt obtinere à voluntate affectus heroicos naturales.

Tertio. 9. Tertiò obijcies. Actio, qua fit actus naturalis imperio ſupernaturali, ſupponit per ſe imperium ſupernaturale. Ergo ipſum ſupponit actus ipſe naturalis, qui meâ opinione ab ipſa actione non diſtinguitur. Antecedens probatur. Actio, qua fit actus naturalis ex imperio ſupernaturali, ſupponit per ſe actum ſupernaturalem. Minor, & conſequentia conſtantes ſunt. Probatur maior. Dependentia eſſentialis actus imperati ab imperante non eſt ipſe actus imperans, qui poteſt eſſe abſque actu imperato; diuinitus quidem, ſi imperium ſit efficax; ex natura rei vero, ſi ſit inefficax. Ergo vel erit ipſe actus imperatus, vel actio ſpecialis media inter vtrumque. Non eſt mea opinione actio ſpecialis media. Ergo erit actus ipſe naturalis ab actu ſupernaturali imperatus. *Expeditur.* Reſpondeo. Si actio vitalis diſtincta eſt ab ipſo actu vitali, vt fert communis, & mihi probabilis opinio; item ſi ad proceſſionem actus imperati ab imperante neceſſaria eſt ſpecialis actio eſſentialiter ab imperio dependens, plane cum imperium ſupernaturale eſt, actio erit ſupernaturalis, quamuis actus ipſe naturalis ſit, ſicut eſſet ſupernaturalis actio, qua principium ſupernaturale actum naturalem efficeret, quoniam talis actio ad ſui exiſtentiam exigeret eſſentialiter vires ſuperantes omnem connexionem naturæ, nempe principium intrinſece ſupernaturale, vt aſſertione ſuperiori arguebamus. Cæterum abſolute non eſt, quare ſpecialis actio neceſſaria ſit, vt actus imperatus ab imperante dependeat, ſed eadem poteſt eſſe ſecundum ſe indifferens, vt cum imperio, & abſq; imperio fiat à potentia. Id conſtat in omiſſione actus, quæ eadem abſque ſpeciali actione poteſt imperata, & non imperata exiſtere. Item in corruptione formæ ſubſtantialis, quæ eadem poteſt conuenire ſubiecto inducta per

generationem antecedentem alterius formę, & non inducta per illam, quin noua, & ſpecialis aliqua actio ad dependentiam corruptionis vnius formæ à generatione alterius neceſſaria ſit. Rurſus ſi requiſita eſſet ſpecialis actio ad dependentiam actus imperati ab imperante, eadem ratione eſſet neceſſaria actio ſpecialis, vt actus turpis penderet à cognitione pręcedente ipſam, atque adeo ſi cognitio ſupernaturalis ſit, vt poſſibile eſſe probabimus diſp. 57. actio turpis erit eſſentialiter ſupernaturalis. Quod nullus Theologus admittere debet. Similiter omnes actiones externæ, & internæ Chriſti Domini eſſent intrinſece ſupernaturales, quod eſſentialiter penderent ab hypoſtaſi verbi ipſas antecedente. Quod etiam in Theologica paradoxum eſt. Hęc omnia, & alia plura vrgebimus diſp. 70. probantes puram omiſſionem poſſe ab auxiliis gratię procedere abſq; vlla ſpeciali actione ab illuſtrationibus intellectus, & affectionibus voluntatis eſſentialiter pendenti; item diſp. 67. explicantes influxum actus imperantis in actum imperatum.

Explicatur modus procedendi actus imperati ab imperante.

10. Dupliciter igitur explicari poteſt modus, quo actus imperatus ab imperanti procedat abſque ſpeciali actione eſſentialiter ab imperio pendenti. Primus eſt, dependentiam actus imperati ab imperante conſtituendo tum in exiſtentia actus imperati, tum in motione, & efficacia imperantis, connotantibus decretum Dei conferens ſuam actionem in actum imperatum ex præuiſione exigentiæ, qua actus imperans inducit, & mouet voluntatem in obiectum imperatum. His enim poſitis repugnat fieri actum imperatum abſque dependentia ab actu imperante. Secundus eſt, aſſerendo dependentiam actus imperati ab imperante pręter exiſtentiam vtriuſque continere euentum conditionatum carentiæ actus imperati, non exiſtenti imperante, hoc eſt, ideo actus imperatus ab imperanti dependet, quia ita exiſtit actus imperatus, vt non pręcedenti imperante non exiſteret. Ab eo enim euentu actus imperans conſtituitur omnino efficax, & connexus eſſentialiter cum actu imperato, licet ſecundum ſe eſſentialiter connexus non ſit, ſicut auxilium ſecundum ſe indifferens redditur efficax ab euentu conditionato voluntatis. Nam eo ipſo, quod actus imperans moueat in actu primo, & imperatus exiſtat in actu ſecundo, non extiturus, ſi imperans non moueret, intelligitur, actum imperatum re ipſa exiſtere ex motione actus imperantis. Hęc etiam vberius, & plenius explicanda ſunt, & confirmanda diſput. 67. & 70. cum probemus dependentiam, & exiſtentiam puræ omiſſionis à motione auxiliorum gratię, & actus imperati ab imperante.

DISPVT. QVADRAGESIMANONA.

AN ACTVS NATVRALIS POSSIT MOVERE ad actum ſupernaturalem.

VIDIMVS motionem & concurſum actus ſupernaturalis in actum naturalem; nunc motio actus naturalis in ſupernaturalem, quæ maiorem explicationem deſiderat, elucidanda eſt.

SECTIONES.

1. *Poteſt actus ſupernaturalis contingenter, & per accidens fieri ex motione actus naturalis.*
2. *Explicatur ſuperior doctrina ſolutione argumentorum contra illam.*
3. *Corollaria ex præcedenti aſſertione.*
4. *Actus ſupernaturalis non poteſt fieri per ſe ex motione actus naturalis.*
5. *Qui, & quibus opponantur præcedenti doctrinæ.*

SECTIO PRIMA.

Poteſt actus ſupernaturalis contingenter, & per accidens fieri ex motione actus naturalis.

1. Hæc aſſertio probatur primò ex dictis diſp. 14. ſect. 3. Nam affectus honeſtus naturalis poteſt appetere efficaciter actum ſupernaturalem religionis, aut iuſtitiæ. Ergo exiſtentibus in voluntate omnibus requiſitis ad actum ſupernaturalem ſic volitum, fiet actus ſupernaturalis concurſu, & motione actus naturalis. Antecedens oſtenſum eſt diſput. 14. Conſequentia videtur bona; nam exiſtente in voluntate affectu naturali efficaci actus ſupernaturalis religionis, non poteſt voluntas cohibere libere actum religionis, quem in ſua pote- Prima probatio.

Digitized by Google

ſtate habet; alias poſſet voluntas velle abſolute, & efficaciter duo contradicentia, videlicet fieri actum religionis, & non fieri. Ergo affectu naturali determinata erit voluntas ad efficiendum cum gratia diuina actum ſupernaturalem religionis, quem continet in ſua poteſtate completa per gratiam. Ergo affectus naturalis conferet motionem, & concurſum formalem in actum ſupernaturalem, quem confert actus imperans in actum imperatum.

Confirmatur.

Confirmatur; quamuis repugnet affectus efficax naturalis erga obiectum ſupernaturale ſufficit ad motionem voluntatis affectus ſimplex, & inefficax, ſiquidem etiam affectus ſimplices, & inefficaces inclinant, & mouent voluntatem in actus abſolutos, & efficaces, quemadmodum mouet ad illos gratia actualis, quæ ſuapte natura efficax non eſt, neque diſtincta ab actibus ſimplicibus, & inefficacibus intellectus, & voluntatis. At non repugnat affectus naturalis ſaltem inefficax, & ſimplex in opera ſupernaturalia, vt eadem diſputatione ſectione 2. & 3. expoſuimus. Ergo poterit voluntas inclinari, & moueri affectibus naturalibus in opera ſupernaturalia.

Euaſio

2. Dices, ſemper ac exiſtunt in voluntate affectus naturales imperãtes ſupernaturalium exiſtere circa idem obiectum affectus ſupernaturales, qui mouent voluntatem ad actus ſupernaturales volitos per affectus naturales. Sed contra.

Præcluditur.

Eſto, exiſtant cum affectibus naturalibus affectus ſupernaturales, non poſſunt affectus naturales non exhibere concurſum formalem determinantem, ac mouentem voluntatis in actum ſupernaturalem ab ipſis volitum; nam affectus voluntatis non aliter mouet, ac determinat voluntatem in alios actus, quam conſtituendo voluntatem volentem obiecti. Hoc autem ſemper præſtatur ab affectu naturali etiam in conſortio actus ſupernaturalis. Ergo ſemper affectus naturalis etiam in concurſu affectus ſupernaturalis allicit, ac moue voluntatem in opus ſupernaturale.

Explicatur.

Explicatur; ſi non eſſet in voluntate affectus ſupernaturalis comitans naturalem, ſane affectus naturalis moueret voluntatem in actum ſupernaturalem ab ipſo volitum. Ergo etiam mouet in conſortio affectus ſupernaturalis idem volentis. Quandoquidem motio iſta non præſtatur ab affectu naturali in genere cauſæ efficientis, ſed formalis. Motio autem formalis cohiberi non poteſt à cauſa formali vnita ſubiecto capaci.

Secunda ab experimento.

3. Secundo probatur aſſertum experimento, quo cernimus, hominem facilius, & promptius amplecti virtutis opera, quæ ipſius ingenio, atque naturæ magis conſentiunt, faciliuſque aſſentiri per fidem ſupernaturalem rebus, quas ſtudio naturali veriora deprehendit. Ergo apprehenſio, & complacentia naturalis iuuant plurimum in actionem operum ſupernaturalium. Confirmatur; quotidie perſuademus hominibus exercitium virtutum ſupernaturalium rationibus naturalibus, quæ cuiuſque naturæ, & inclinationi magis accommodæ ſunt, virtutemque faciliorem, & commodiorem naturæ proponunt. Ergo notitia naturalis virtutis, & complacentia, quæ in nobis excitatur ex illa, incitare poteſt hominem ad exercitium virtutis ſupernaturalis.

Argumenti ſolutio.

4. Dices, actus naturales iuuare quidem ad virtutem ſupernaturalem tanquam remouentes impedimenta virtutis, non vero poſitiue conferentes in illam. Sed contra.

Reijcitur.

In re præſenti idem eſt remouere diſplicentiam naturalem in officia virtutis, ac poſitiue mouere voluntatem in illa. Nam diſplicentia retrahens voluntatem ab officio virtutis non aliter remouetur per oppoſitam complacentiam, quàm afficiendo, & mouendo poſitiue voluntatem in exercitium virtutis. Ergo non ſolum remouendo diſplicentiam impedientem exercitium virtutis, ſed etiam poſitiue mouendo concurrit affectus naturalis in vſum virtutis ſupernaturalis.

Confirmatur impugnatio.

Et confirmatur, quia magis inclinat voluntas in actum religionis, aut miſericordiæ, complacens poſitiue in eius exercitium per affectum naturalem excitatum rationibus humanis, quàm inclinaret exiſtens abſque illa complacentia, & diſplicentia in oppoſitum. Ergo non ſolum remouendo diſplicentiam, ſed etiam poſitiue incitando voluntatem concurrit complacentia naturalis ad exercitium virtutis. Præterea quia componi poſſunt complacentia, & diſplicentia circa idem obiectum. Ergo complacentia non mouet voluntatem remouendo diſplicentiam.

Alia ſolutio.

5. Dices, complacentiam naturalem conferre quidem poſitiue in actum ſupernaturalem; cæterum non conferre mouendo directe in actum ſupernaturalem, ſed indirecte ſolum, mouendo in actum naturalem, qui cum actu ſupernaturali coniunctus eſt. Sed contra;

Reijcitur.

quamuis Deus negaret concurſum ad actum naturalem, ſi conſtitueret in poteſtate voluntatis actum ſupernaturalem, iuuaret complacentia naturalis, vt voluntas promptius, ac celerius ferretur in efficiendum actum ſupernaturalem, poſſetque ſuperior ſubditum rationibus naturalibus ad virtutis officium prudenter inducere. At tunc non induceretur voluntas ad officium virtutis ſupernaturalis motione indirecta virtutis naturalis, quæ negato concurſu Dei eſſet impoſſibilis. Ergo induceretur, & præmoueretur directe per affectum naturalem in actus ſupernaturales.

Iterum reijcitur.

Confirmatur; voluntas indiſcriminatim confert ſuum conatum in actus ſupernaturales, & naturales, quin valeat diſtinguere inter illos. Ergo affectus naturalis alliciens voluntatem ad conandum in actum virtutis, indiſcriminatim mouet in vtrumque, atque adeo in vtrumque directe. Præſertim quod affectus naturalis poteſt appetere determinate actum ſalutarem, ac ſupernaturalem virtutis. Affectus autem directe mouet voluntatem in eum actum, quem directe appetit, & non in eum, qui ab ipſo directe volitus non eſt. Ergo motio poſitiua, & directa voluntatis in actum ſupernaturalem poteſt prouenire ab affectu naturali.

Tertia probatio à paritate.

6. Tertio à paritate probatur. Animus rationalis per actum materialem excitatur, ac

Digitized by Google

mouetur ad efficiendum actum ſpiritualem, verbi gratia, per ſenſionem internam ad apprehenſionem intellectus; & per appetitionem corpoream ad complacentiam voluntatis; quiquid enim imaginatio apprehendit, confeſtim ſpeculatur intellectus, & quidquid appetitus probat, voluntas etiam affectu ſimplicis complacentiæ neceſſario amplectitur. Ergo etiam poterit animus per affectum naturalem excitari ad efficiendum actum ſupernaturalem. Siquidem tanta diſtantia, & improportio exiſtit inter actum materialem, & ſpiritualem, quanta inter actum ſupernaturalem, & naturalem. Rurſus, vt probabimus diſp. 52. habitus naturalis facilitat potentiam ad actus ſupernaturales. Ergo ſimiliter poteſt affectus naturalis incitare potentiam ad eos actus; quandoquidem potentia aptiùs mouetur, ac allicitur in ſuos actus motione affectiua, & vitali aliorum, quàm motione non vitali habitus naturalis.

Quarta à priori. 7. Quarto à priori probatur. Voluntas immediate concurrit cum auxilio ſupernaturali in actum ſupernaturalem, & noſtra opinione determinando concurſum gratiæ diuinæ. Igitur qua parte confert ſuum concurſum, ac determinationem in actum ſupernaturalem, moueri poteſt per ſuos actus naturales ad efficiendum illum in conſortio gratiæ diuinæ. Nam ſicut non derogat ſupernaturalitati actus procedere immediate à natura in genere cauſæ efficientis ſimul cum gratia diuina, ſic nec derogabit procedere à motione formali actus naturalis, ſimul cum motione formali gratiæ diuinæ. *Confirmatur.* Confirmatur; ſi actus vitalis moueret voluntatem in alium actum efficienter, vt volunt plerique, poſſet actus naturalis ſimul cum gratia ſupernaturali influere in actum ſupernaturalem; nam ſufficit vnicum principium ſupernaturale, vt plura principia naturalia eleuentur ad efficiendum indiuiduo concurſu eumdem actum ſupernaturalem; nam eodem habitu ſupernaturali eleuantur ſubſtantia animæ, intellectus diſtinctus ab anima, & ſpecies impreſſa naturalis ad efficiendum actum ſupernaturalem fidei. Ergo quamuis actus naturalis concurrat ſolum formaliter, poterit ſimul cum gratia diuina promouere potentiam naturalem ad agendum cum gratia diuina affectum ſupernaturalem; ſiquidem etiam ad affectum formalem promouendi, & excitandi voluntatem in conſenſum ſupernaturalem concurrit ſimul gratia diuina, mouens formaliter voluntatem, cum non poſſit voluntas excitari ad conſenſum ſupernaturalem, niſi præuia motione gratiæ ſupernaturalis, quæ præſtatur in genere cauſæ formalis ante concurſum efficientem voluntatis.

Authores noſtræ ſententiæ. P. Coninck. 8. In hoc aſſertum Patronos voco Patrem Coninck 2. 2. diſp. 6. num. 75. diſp. 13. nu. 50. diſp. 17. num. 47. aſſerentem, apprehenſionem naturalem conferre plurimum ad aſſenſum ſupernaturalem intellectus, & affectum ſupernaturalem voluntatis. Item quotquot retuli diſp. 14. ſect. 2. & 3. ſentientes, affectum naturalem, ſiue efficacem, ſiue inefficacem ferri poſſe in donum ſupernaturale; præcipue Patrem Heriæ expreſſe ſuffragantem huic doctrinæ. *P. Heriz.* Tum etiam quotquot in materia de fide docent, fidem naturalem, & humanam conducere tanquam conditionem in fidem ſupernaturalem. Etiam quos referemus diſputatione ſequenti volentes, actum ſupernaturalem poſſe vitiari ex relatione, & imperio actus naturalis vitioſi. Denique à fortiori quos proponemus ſect. 3. exiſtimantes, actum ſupernaturalem poſſe pendere per ſe ab actu naturali.

SECTIO SECVNDA.

Explicatur ſuperior doctrina ſolutione argumentorum contra illam.

9. SEd nobis obijci primo poteſt, fieri ex noſtra doctrina poſſe, fidelem credere per aſſenſum ſupernaturalem abſque affectu ſupernaturali piæ affectionis, applicatum ad credendum ſolum per affectum naturalem. *Soluitur primum.* Item elicere actus ſupernaturales virtutum moralium abſque vlla libertate ſupernaturali; ſiquidem actus efficaciter imperatus non habet libertatem diſtinctam à libertate actus efficaciter imperantis, atque adeo ſi affectus efficaciter imperans eſt naturalis, tota actus ſupernaturalis libertas erit naturalis. Vnde etiam poterunt fieri actus ſupernaturales virtutum moralium abſque vllo merito gratiæ diuinæ, quod actibus mere naturalibus conuenire non poteſt. Hoc autem inconueniens eſt. Ergo. Verum his ſatisfecimus diſp. 14. ſect. 4. negando vtramque ſequelam. Primam, quia affectus naturalis inducere intellectum non poteſt ad aſſenſum ſupernaturalem fidei, niſi exiſtentibus prius omnibus per ſe requiſitis ad illum; inter requiſita autem per ſe vnum eſt affectus ſupernaturalis piæ affectionis, vt docetur à Theologis 2. 2. quæſt. 6. art. 2. atque ita non poteſt affectus naturalis inducere intellectum in aſſenſum ſupernaturalem fidei abſque ſocietate affectus ſupernaturalis. Secundam vero, quia prouidentiâ ordinariâ Dei numquam contingit imperium honeſtum naturale abſque imperio ſupernaturali per aſſiſtentiam gratiæ diuinæ ingerentis ſe conatibus generoſis naturæ, vt voluntas humana faciens quod in ſe eſt, non deſtituatur merito, & fructu ſalutari actuum ſupernaturalium, ſicut vberrime illuſtrauimus diſp. 20.

10. Sed vrgebis doctrinam ſolutionis. Voluntas non imperat virtutum actus ex affectu ſupernaturali. *Vrgetur præcedens ſolutio.* Ergo imperantur ſolo affectu naturali. Antecedens probatur. Non eſt habitus ſupernaturalis, quo fiant imperia ſupernaturalia virtutum. Ergo neque ſunt actus ſupernaturales imperantes. Nam ſi eſſent actus ſupernaturales imperantes virtutum, etiam eſſent habitus ſupernaturales efficientes eorum actuum; ſiquidem modus operandi virtutis ex imperio honeſto frequentiſſimus eſt; habitus autem donantur ad actus ſupernaturales, qui

frequentiſſime fiunt. Antecedens probatur. Nam ſi exiſterent habitus ſupernaturales efficientes actuum imperantium, multiplicarentur habitus ſupernaturales vltra numerum cognitum à Theologis. Nam habitus reſpiciens honeſtatem formalem charitatis, & religionis diuerſus eſſet ab ipſo habitu charitatis reſpiciẽte bonitatem Dei, & habitu religionis reſpiciẽte cultum diuinum; cum obiecta formalia diſtinguant virtutes infuſas; atque ita vnicuique virtuti infuſæ reſponderet alia virtus infuſa diſtincta ad imperium ſuorum actuum. Voluntas enim imperans actum charitatis mouetur ad amorem actus charitatis ex bonitate, & honeſtate formali ipſius virtutis, quæ diſtincta eſt à bonitate diuina, quæ mouet actum directum, & imperatum ipſius charitatis; ſicut affectus piæ affectionis imperans actum fidei diuinæ, mouetur ex honeſtate ipſius fidei diuinæ, atque adeo elicitur ab habitu infuſo diſtincto à fide diuina. Propterea; Pater Granadus procœmio Theologiæ diſp. 5. nu. 17. arbitratur, actus imperantes virtutum ſupernaturaliũ propter bonitates ſpeciales ipſarum virtutum non fieri ſupernaturales, quia non extant habitus ſupernaturales, neq; alia auxilia ſupernaturalia, quibus fiant. Igitur eiuſmodi actus imperantes erunt intrinſece naturales. Ac per conſequens libertas immediata, & proxima actuum ſupernaturalium, qui procedũt ex tali imperio, erit naturalis, & deſtituta merito ſupernaturali gratiæ.

P. Granadus.

Reſpondetur primo.

11. In primis reſpondeo. Poſſunt actus ſupernaturales virtutum imperari per actus elicitos à virtutibus infuſis, quæ Theologis inconfeſſo ſunt, quin neceſſaria ſit multiplicatio habituum ſupernaturalium, quam obijcit argumentum. Nam actus religionis, verbi gratia, poteſt imperari tũ ab alio actu ipſius religionis tum ab actu charitatis, & pęnitentiæ, & aliis ſimilibus. Imperari enim poteſt actus religionis ab actu, qui ipſum expetit in ordine ad finẽ intrinſecũ ipſius actus expetẽtis. At actus religionis expeti poteſt tum in ordine ad finem ipſius religionis, tum in ordine ad finem charitatis, & pænitentiæ; ſiquidem actus religionis cõducit tum ad colendum, tum ad glorificandum, tum ad placandum Deum, qui ſunt fines intrinſeci religionis, charitatis, & pænitentiæ. Igitur imperium actus religionis poteſt eſſe elicitum à virtute ſupernaturali religionis, charitatis, & pænitentiæ, atque adeo ſupernaturale. Deinde reſpõdeo. Quamuis imperium actus religionis moueatur intrinſece ex bonitate ſpeciali ipſius religionis, poteſt eſſe intrinſece ſupernaturale contra id, quod ex Patre Granados referebamus. Tum quia tale imperium poteſt fieri per auxilium extrinſecum Dei ob defectum habitus ſupernaturalis intrinſeci, vt fiunt plures alij actus ſupernaturales in abſentia habitus infuſi. Neque ad huiuſmodi imperia expedit infundi adeo habitus ſupernaturales; nam modus imperandi virtutum actus propter bonitates ſpeciales ipſarum non eſt voluntati humanæ adeo familiaris, ac frequens, vt conſultum Deo fuerit prouidere habitus permanentes, quibus ea ratione voluntas operetur, vt exploratũ erit vnicuique conſideranti ordinarium modum operandi. Tum quia mihi probabile eſt, eodem habitu ſupernaturali fieri poſſe actum directum religionis ex honeſtate cultus externi, & actum reflexe imperantem ex honeſtate ipſius actus interni religionis. Quoniam honeſtas formalis actionis internæ moraliter, & æquiualenter eſt honeſtas actionis externæ, quam intrinſece cõtinet, & cum quo neceſſario connexa eſt. Vt autem duo actus pertineant ad eamdem virtutem ſufficit reſpicere obiecta formalia, quæ moraliter, & æquiualenter ſint idem: quemadmodũ eodem habitu fiunt intẽſio habens pro obiecto formali intrinſeco honeſtatem finis, & electio habens pro obiecto formali intrinſeco vtilitatem mediorum; item amor boni, & odium habens pro obiecto formali intrinſeco malitiam oppoſitam tali bono; quia licet hæc obiecta phyſice diſtincta ſint, tamen moraliter & ęquiualenter ſunt idem; quare qui exiſtit facilis ad vnum actum, exiſtit facilis ad alium: qui enim facile, ac prompte proſequitur amore finem, prompte, & facile eligit media neceſſaria ad illam, & odio proſequitur remouentia cõſequutionem illius. Igitur ſimiliter actus reſpiciens honeſtatem cultus externi elicit actum reſpicientem honeſtatẽ actus interni, quia honeſtas actionis internæ propter connexionẽ cum externa moraliter, & æquiualenter indiſtincta eſt. Quare etiam qui ſe experitur facilem ad actum directum religionis, etiam ſe experietur facilẽ ad amandum ipſum actum religionis propter bonitatem ipſius, ſicut qui prompte amat obiectum, etiam prompte amabit reflexe amorem obiecti, ſi ipſi amabilis proponatur. Igitur etiã ad imperium ſupernaturale virtutũ, quod mouetur ex honeſtate ſpeciali ipſarum neceſſariũ nõ eſt multiplicare habitus ſupernaturales, ſed eiſdẽ habitibus poſſunt fieri actus directi virtutũ, & reflexe imperãtes ipſorũ. De quo diſp. 64.

Secundo.

12. Secundo obijci poteſt. Actus naturalis nõ habet connexionem intrinſecam cum actu ſupernaturali etiam poſſibili, vt ſępius ſtatutũ eſt. Ergo non poteſt virtute ſibi intrinſeca mouere animum ad actum ſupernaturalem. Nam virtus intrinſeca actus naturalis eadem nunc eſt, quæ eſſet caſu, quo repugnaret ſupernaturalis. At repugnante actu ſupernaturali non moueret actus naturalis ad illum efficiendum, Ergo neque modo mouet ad illum. Diſtinguo conſequens. Non poteſt actus naturalis mouere ad ſupernaturalem virtute abſoluta, concedo cõſequentiam. Virtute conditionata, nego. Videlicet mouet ſub conditione, quòd actus ſupernaturalis ſit abſolute poſſibilis, & exiſtat abſolute in poteſtate proxima volũtatis. Quare poteſt dari affectus naturalis abſolutus circa obiectum ſupernaturale, ſecus vero efficax abſolute, efficaciã adæquate intrinſeca voluntati, ſed partim intrinſeca, & partim extrinſeca, vt de virtute efficienti potentiæ naturalis dicebamus diſp. 33. ſect. 1. Qua ratione etiam deteſtatio peccati eſt abſoluta quantum ad affectũ, non tamen efficax abſolute, ſed ſolum conditionate quantum ad effectum. De quo vide, quæ diximus diſp. 14. ſect. 3. & 4.

Soluitur ſecundum.

Tertio

Solūitur tertium.

13. Tertio poteſt obijci. Non poteſt natura dare initium iuſtificationi, vt contra Semipellagianos ſancitur ab Eccleſia. Ergo actus elicitus viribus naturæ non poteſt mouere voluntatem ad actum ſupernaturalem promouentem in iuſtificationem; quandoquidem actus naturalis imperans eſſet initium actus ſupernaturalis imperati, fundantis noſtram iuſtificationem Reſpondeo primo. Non damus initium iuſtificationi per actus naturales, quia ſemper actibus naturalibus adiunguntur actus imperantes ſupernaturales, quibus initium iuſtificationis adſcribatur, vt nuper dicebamus. Secundò; actus naturalis non tribuit initium iuſtificationis mouendo ad actum ſupernaturalem, quia in noſtra ſententia non poteſt actus naturalis mouere ad ſupernaturalem, quin prius ſupponantur collata gratuito à Deo auxilia ſupernaturalia, quibus actus ſupernaturalis ſit proxime poſſibilis, & in noſtra poteſtate conſtitutus. Tertio denique actus naturalis imperans non mouet moraliter, ac meritorie ad actum ſupernaturalem, aliudve donum conducens in iuſtificationem, ſed tantum phyſice, quemadmodum potentia naturalis, ſpecies impreſſa, & alia principia naturalia conducunt ad actum fidei. Quod autem contra Semipellagianos ſancitur ab Eccleſia, ſolum eſt, non poſſe actus naturales initiare noſtram iuſtificationem moraliter per modum impetrationis, aut meriti, aut alterius motionis moralis, ſicut volebant Semipellagiani, poſſe naturam actibus propria facultate elicitis ſalutem noſtram initiare. De quo etiam vide dicta diſputatione 14. ſectione 4.

SECTIO TERTIA.

Corollaria ex præcedenti aſſertione.

Poſſibilis eſt in natura eleuata amor efficax Dei naturalis quoad ſubſtantiam. Curiel.

14. EX dictis colligitur primo aduerſus Magiſtrum Curiel 1.2. qu.109.art.3. dub.vlt.§.3. & plures magiſtros doctiſſimos ex ſchola Salmanticenſi, non repugnare in natura eleuata amorem efficacem Dei naturalem quoad ſubſtãtiam. Nam ideo ſolum eum amorem aſſerunt repugnare in natura eleuata, quia non poteſt amor naturalis mouere efficaciter in adimpletionem præceptorum ſupernaturalium, quæ impoſita ſunt naturæ eleuatæ, & re ipſa impleri debent, vt amor Dei ſit efficax ſuper omnia. At, vt vidimus, hoc non repugnat. Ergo non repugnat in natura eleuata amor efficax Dei naturalis quoad ſubſtantiam; imò ex oppoſito principio videtur mihi manifeſta noſtra ſententia. Quoniam in natura eleuata non repugnat amor, qui eſt poſſibilis in pura natura, quandoquidem natura eleuata pollet eiſdẽ viribus naturalibus, quibus pura natura. At in natura pura erat poſſibilis amor efficax Dei naturalis quoad ſubſtantiam, ſaltem vt authoris, ac finis naturæ. Ergo etiam in natura eleuata. Sed illemet amor exiſtens in natura eleuata moueret in adimpletionem præceptorũ ſupernaturaliũ. Ergo amor naturalis mouere poteſt in actionem operũ ſupernaturalium. Probatur minor. Illemet amor in natura eleuata eſſet incompoſſibilis cum violatione præcepti ſupernaturalis, ſiquidem violatio præcepti ſupernaturalis auertit nos à Deo etiã vt ſine, & authore naturali, oppoſitaq; eſt rationi, & amicitiæ naturali cum Deo. Ergo moueret neceſſario in adimpletionem præcepti ſupernaturalis. Confirmatur; Demus, hominem exiſtentem in pura natura velle efficaciter amore naturali prohibere quidquid opponitur amicitiæ diuinæ. Inſuper exiſtente hoc amore imponi à Deo præceptum de aliquo actu ſupernaturali. Tunc ſic; in eo euentu non poteſt voluntas non moueri ad actũ ſupernaturalem præceptũ priori affectu naturali; ſiquidem omiſſio illius actus opponeretur amicitiæ diuinæ. Ergo affectu naturali poteſt moueri volũtas ad actum ſupernaturalem.

Aſſertionis probatio. Confirmatur.

In pugnantur Salmanticenſes quidam.

15. Obijciunt Salmãticenſes cum Magiſtro Curiel, præcepta ſupernaturalia virtute, & efficacitate naturæ exequutioni dari nõ poſſe. Sed contrà. In natura eleuata ſupponuntur virtutes ſupernaturales, quibus præcepta ſupernaturalia impleantur. Poſitis autem viribus ſupernaturalibus imperari poteſt opus ſupernaturale affectu efficaci intrinſece naturali, vt conſecratio Euchariſtiæ, & abſolutio ſacramentalis affectibus naturalibus, interdum turpibus, & vanis efficaciter diliguntur. Ad hoc enim ſufficit diligi opus ſupernaturale, tanquam obiectum materiale, diligi autem poteſt opus ſupernaturale affectu naturali tanquam obiectũ materiale, vt ex ſuperioribus, & diſp.14. liquidum eſt. Ergo imperium naturale inducere poteſt volũtatem ad efficiendum opus ſupernaturale viribus ſupernaturalibus, quas ſupponit. Etenim aliud eſt opus eſſe efficaciter diligibile viribus naturæ; aliud eſſe poſſibile viribus naturę. Diligi poteſt viribus naturæ, quamuis agendũ ſit viribus gratiæ; ſicut habitus charitatis poteſt imperare efficaciter actus ſupernaturales virtutũ moraliũ, qui fieri non poſſunt actiuitate habitus charitatis, ſed aliarum virtutũ. De quo recole dicta diſp.14.ſect.3. Confirmatur; in ſententia horũ Theologorum poſſibilis eſt in natura eleuata amor efficax naturalis, tum concupiſcentiæ diuinæ, tum virtutis moralis obedientiæ, & aliarũ virtutũ, quæ motiuum reſpiciunt omnibus peccatis commune. Tamen & amor actu exiſtens eodem modo repugnat in natura eleuata cum tranſgreſſione præceptorum ſupernaturalium, quo repugnat amor efficax naturalis Dei, nam quæcunque tranſgreſſio pręcepti grauis oppoſita eſt motiuo harum virtutum, ſicut motiuo dilectionis naturalis Dei. Ergo ſicut in natura eleuata eſſe poteſt amor efficax naturalis aliarum virtutum, ita poſſibilis eſt amor efficax naturalis Dei.

Illuſtratur doctrina. Pius 5. Gregor. 13.

16. Neque cum in hanc diſputationẽ ventum eſt, diſſimulare licet, damnatam eſſe à Pio 5. & Gregorio 13. propoſitionem 34. Michaelis Baij, quæ negabat poſſibilem dilectionem naturalem Dei in hunc modum: *Diſtinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur vt Author naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur, vt beatificator, vana eſt, & commentitia.*

Digitized by Google

At Baius manifeſtè differebat de natura eleuata. Ergo in natura eleuata impune negari nequit poſſibilis amor efficax naturalis Dei. Scio à Patre Vaſquez ſententiæ neganti accedente 1. 2. d. 195. c. 4. reſponderi, eam propoſitionem non eſſe damnatam propter doctrinam, ſed propter cenſuram, qua carpit oppoſitam opinionem. Item à Patre Torres opuſc. 13. dub. 6. num. 5. & opuſc. 15. c. 7. num. 9. ſententiam negantem à calumnia vindicante, ſic explicari propoſitionem Baij, vt improbet Baius diſtinctionem duplicis amoris Dei, quia improbat poſſibilem viribus gratiæ amorem Dei gratuitum, & ſupernaturalem. Verùm cum tantorum virorum veniâ male expediunt damnationem Pontificum. Veroſimiliter eſt reſponſio Patris Vaſquez; ſed aberrans à vero. Nam in eadem Bulla Pontificum damnatur propoſitio 37. *Amor naturalis Dei, qui ex viribus naturæ exoritur ex ſola philoſophia per elationem præſumptionis humanæ, cum iniuria crucis Chriſti defenditur à nonnullis doctoribus.* Item 39 *Omnis amor creaturæ naturalis, aut vitioſa eſt cupiditas, qua mundus diligitur, aut laudabilis illa charitas, quæ per Spiritum ſanctum in corde diffuſa Deus amatur.* In quibus propoſitionibus continetur abſque ſeuera cenſura doctrina propoſitionis 34. Nihilominus tamen à Pontificibus damnatur. Ergo non ſola cenſura, verùm etiam doctrina à Pontificibus improbatur. Reſponſio Patris Torres apertius falſitatis conuincitur. Primo quia propoſitiones 37. & 39. relatæ manifeſte reijciunt dilectionem naturalem, probantes ſolam dilectionem ſupernaturalem charitatis infuſæ. Secundò euidentiùs; quia ego legi opera Michaelis Baij, & ea propoſitio 34. habetur lib. de charitate cap. 4. cui ſic titulus præfixus eſt; *Quod non tantum dilectio Dei tanquam beatificatoris, ſed etiam tanquam creatoris nobis ex Deo ſit.* Quo ſatis exprimit Baius, argumentum ipſius in eo capite, non eſſe dilectionem Dei tanquam beatificatoris, eſſe viribus naturæ poſſibilem, & omnino naturalem; ſed potius dilectionem Dei tanquam authoris naturæ, & creatoris eſſe ex viribus gratiæ, & ſupernaturalem, ſicut eſſe dilectio Dei tanquam beatificatoris ſupponitur. Atque ita omnes eius probationes ibi contendunt, vt probent, etiam dilectionem Dei, vt creatoris ſolum ex munere Dei, & ex charitate per Spiritum ſanctum infuſa haberi poſſe. Vnde prima ſic concludit; *Igitur ſine Authoris ſui participatione, & munere non poteſt homo ſuum creatorem diligere, ſed id à Deo debet accipere.* Ac tandem teſtimoniis Diui Auguſtini probat; *amorem creatoris non minus diffundi per Spiritum ſanctum in cordibus noſtris, atque in ſcripturis ſacris charitatem nuncupari, quam amorem beatificatoris,* vt inde euincat, amorem Dei creatoris, ſicut amorem Dei beatificatoris infuſum eſſe, & ſolis viribus gratiæ partum. Id quod ſatius expreſſerat c. 3. præcedenti; tribuens Pellagiano errori, aliquem Dei amorem, & bonam aliquam voluntatem ſine Dei gratia concipi poſſe; vnde decerptæ ſunt propoſitio 38. & 66. & aliæ ſimiles damnatæ in ea Bulla Pontificum, quæ continent præcedentem doctrinam. Igitur mens huius Authoris nuſquam fuit, dilectionem Dei beatificatoris eſſe naturalem, ſed potius dilectionem Dei vt creatoris eſſe neceſſariò gratuitam, & intrinſece ſupernaturalem, ſicut creditur eſſe dilectio Dei vt beatificatoris. Atque adeo cum propoſitiones in Bulla Pontificum contentæ damnentur in ſenſu intento ab ipſo authore, vt in fine Bullæ refertur, iam propoſitio 34. reprobans diſtinctionem duplicis amoris Dei damnari credenda eſt, qua parte complectitur, & reijcit amorē Dei vt creatoris naturalem, non gratuitum, atque infuſum. Neque de hac re vlla ratione dubitare fas eſt opera huius authoris legēti; neque dubitaſſet Pater Torres, ſi legiſſet.

17. Colligitur ſecundo ex præterita doctrina, inſpectis ſolis naturis rerum motus naturales plurimùm conferre ad efficaciam motuum ſupernaturalium gratiæ, interdumque illam intrinſece conſtituere poſſe. Nam motus ſupernaturales gratiæ per ſe neceſſarij, & ſufficientes ad exiſtentiam actus ſupernaturalis poſſunt ita afficere voluntatem, vt ſeorſim à motibus naturalibus re ipſa non ſortirentur effectum, adiunctiſque motibus naturalibus conſenſum à voluntate extorqueant. Ergo motus gratiæ, prout efficaces ſunt, complecti poſſunt motus naturales. Conſequentia eſt aperta. Antecedens probatur ex præcedentibus. Nam motus naturales in conſortio ſupernaturalium mere ſufficientium mouere poſſunt voluntatem ad efficiendum actum ſupernaturalem. Ergo ita mouere poſſunt, vt motione actuum naturalium re ipſa inducatur voluntas ad efficiendum actum ſupernaturalem, quem non efficeret, ſola motione gratiæ. Quod enim motus ſupernaturales non obtinent à voluntate humana, obtinere poſſunt naturales ſupernaturalibus adiuncti, eo quod præter motiuum ſupernaturalium aliud proponant, quod voluntatem re ipſa ad operandum inducat. Sæpe enim voluntas non operatura propoſito motiuo actui ſupernaturali intrinſeco, operatur re ipſa propoſito ſimul cum illo alio motiuo extrinſeco, ſiue indifferenti, ſiue honeſto. Hoc autem per apprehenſiones, & complacentias naturales proponi poteſt. Ergo inſpectis ſolis naturis rerum poſſunt naturales motus conſtituere efficaciam motionis ſupernaturalis ad efficiendum aliquem actum ſupernaturalem: verbi gratia, non efficaciter mouetur quis ad dolorem, & confeſſionem ſacramentalem ex ſola propoſitione, & complacentia honeſtatis pœnitentiæ; propoſito tamen ſimul cum ea honeſtate præcepto Eccleſiaſtico, & ſcandalo, quod ſuos familiares turbabit, ſi non confiteatur, inducitur re ipſa ad confeſſionem ſacramentalem, & dolorem ſupernaturalem, quæ ſola propoſitione honeſtatis pænitentiæ non eliceret. At hoc præceptum, & ſcandalum ratione humana, & naturali proponi poteſt. Ergo motus ſupernaturales alias inefficaces

[Marginal notes: P. Vaſquez. — P. Torres. — P. Vaſquez deſertus. — P. Torres reijcitur. — Motus naturales cōferunt ad efficaciam gratiæ. — Primo. — Explicatur.]

Digitized by Google

Secundo. fieri poſſunt adiunctis motibus naturalibus efficaces. Item per motus naturales proponi poteſt idem obiectum, quod per motus ſupernaturales, & viuidius, ac intenſius, quam per ſupernaturales. Ergo conſenſus, qui non extorqueretur à voluntate, ſolâ motione ſupernaturalium, extorqueri re ipſa poteſt adiuncta motione naturalium. Nam intenſio, & vehementia apprehenſionis, & complacentiæ naturalis mouens voluntatem ad actum ſupernaturalem, conferre plurimum poteſt ad obtinendum conſenſum voluntatis, quem motio remiſſior, & debilior ſupernaturalis non obtineret. Tertio. Rurſus; poteſt actus naturalis ſiue indifferens, ſiue honeſtus imperare efficaciter actum ſupernaturalem, quem re ipſa non efficeret voluntas, ſi non præceſſiſſet tale imperium, quamuis præceſſiſſent auxilia gratiæ neceſſaria ad illum. Ergo motus naturalis conferre poteſt ad efficaciam motionis voluntatis efficientis actum ſupernaturalem. Augustinus. Vnde intelliges quod pluribus in locis tradit Auguſtinus, ſcilicet Deum alios terrore, alios amore vocare iuxta cuiuſque ingenium, atque naturam, vbi, & quando, & quomodo ſcit ei congruere, vt vocantem non reſpuat, agens iuxta naturale munus intelligentiæ cuiuſque, vt congrua ſuis mentibus audiant verba, & ſigna conſpiciant. Quippe affectus, & motus naturales cuiuſque iuuare poſſunt efficaciam vocationis diuinæ, ideoque vocationis congruitas ab eis pendere poteſt, & à Deo iuxta eorum occurſum homini prouideri. Dixi inſpectis ſolis naturis rerum, naturales motus conferre poſſe inefficaciam auxiliorum gratiæ; quoniam an lege extrinſeca, & prouidentia præſenti Dei aliter prouiſum ſit, modo non definio.

Supernaturalis amor diuinitus fieri poteſt ex ſola cognitione naturali. P. Conninck. P. Torres. Fundamentum.

18. Colligitur tertio, poſſe fieri diuinitus ex ſola motione actus naturalis actum ſupernaturalem, qui per ſe actum ſupernaturalem ſupponit, verbi gratia, amorem ſupernaturalem ex ſola cognitione naturali, & electionem ſupernaturalem ex naturali intenſione. Id quod etiam tuetur Pater Conninck 2. 2. diſputatione 14. num. 108. & alij, quos refert Pater Torres 2. 2. diſputatione 25. d. 3. Probatur. Cognitio naturalis referre poteſt idem obiectum materiale, & formale, quod ſupernaturalis, & clarius, ac intenſius, quàm cognitio obſcura ſupernaturalis; ſimiliter intenſio naturalis poteſt expetere eundem finem, quem intenſio ſupernaturalis, & vehementius, ac ardentius, quam ſupernaturalis. Aliunde vero cognitio, & intenſio naturalis vim habent excitandi, & mouendi voluntatem in amorem, & electionem ſupernaturalem, ſub conditione, quod iuuetur voluntas auxilio ſupernaturali Dei, vt ſuperioribus ſanximus. Ergo cognitione naturali in amorem ſupernaturalem, & naturali intenſione in ſupernaturalem electionem diuinitus moueri voluntas poteſt, ſi præter ordinem naturalem iuuetur à Deo auxilio ſupernaturali ad efficiendum eos actus. Neque enim neceſſitas cognitionis ſupernaturalis ad amorem ſupernaturalem, & ſupernaturalis intenſionis ad electionem ſupernaturalem tanta eſt, vt diuinitus ſatisfieri non poſſit per cognitionem, & intenſionem naturalem. Etenim vt voluntas non feratur in incognitum, & medium non eligat in incertum, ſufficit, obiectum cógnitione naturali proponi, & finis certus naturali intenſione decerni. Vbi autem cauetur, voluntatem in incognitum non ferri, & medium in incertum non eligi, poteſt diuinitus voluntas amore proſequi, & intendere finem. Ergo. Neque reuera argumentum apparet, quo oppoſitum euincatur. Vnde etiam conſectarium eſt, poſſe fieri diuinitus actus ſupernaturales abſque vocatione; & auxilio gratiæ actualis intrinſece ſupernaturali cum ſola vocatione, & cogitatione congrua intrinſece naturali. Nam auxilia gratiæ actualis ab illuſtrationibus intellectus, & affectionibus voluntatis indiſtincta ſunt. At motio illuſtrationum, & affectionum ſupernaturalium ſubſtitui diuinitus poteſt motione illuſtrationum, & affectionum naturalium. Ergo.

Poteſt fieri actus intrinſece ſupernaturalis auxilio gratiæ intrinſece naturali.

19. Nihilominus non deſunt Theologi apud Patrem Torres, & Patrem Conninck ſupra, & nonnulli Salmanticenſes Magiſtri, qui doctrinam noſtram contemnant. Primo obijcitur ex Diuo Paulo Hebr. 11. Primo quia ex illo Pauli ad Hæb. 11. *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*, repugnat dilectio ſupernaturalis Dei abſque præuia cognitione ſupernaturali, & ex pluribus Sanctionibus Conciliorum, ac Patrum Eccleſiæ neceſſaria eſt ad actus ſupernaturales gratia illuſtrationis, & inſpirationis diuinæ, quæ mea opinione eſt intrinſece ſupernaturalis. Ergo implicat amor ſupernaturalis abſque cognitione, & gratia actualis intrinſece ſupernaturali. Obiectio diluitur. Reſpondeo. Paulus diſſerit ex natura rei, non de poteſtate abſoluta Dei. Etenim loquitur de fide obſcura. Tamen ſine fide obſcura fieri poſſe diuinitus dilectionem ſupernaturalem Dei prælucente cognitione ſcientiæ infuſæ, aut beatæ, omnibus Theologis exploratum eſt. Similiter ſanctiones Conciliorum, & Patrum de neceſſitate naturali gratiæ diuinæ exponendæ ſunt. Quippe diſſerebant aduerſus Pellagianos, qui ſalutares actus ex natura rei abſque gratia diuina elicitos profitebantur. Elucidatur aſſertum. Porro actus ſupernaturales etiam diuinitus fieri nequeunt ſola actiuitate naturæ, qua ſola eos fieri ex natura rei, Pellagiani contendebant. Nam gratia diuina ad actus ſalutares neceſſaria duplicem concurſum confert; alterum efficientem; alterum formalem, mouendo, & excitando voluntatem ad agendum. At nunc ſolum tuemur, poſſe eos actus fieri abſque concurſu formali mouente gratię diuinæ per illuſtrationes, & affectiones naturales, non abſque concurſu efficienti; nam ad efficiendum actum ſupernaturalem ſemper arbitramur neceſſarium concurſum efficientem alicuius principij ſupernaturalis, ſiue habitus infuſi, ſiue auxilij intrinſeci Dei. Atque ita neque diuinitus aſſerimus poſſibiles actus intrinſece ſalutares ſola facultate naturæ,

Digitized by Google

qua poſſibiles volebant Pellagiani. Quin neque poſſibiles diuinitus damus ſalutares actus abſque gratia efficaci formaliter mouente. Nam licet cogitatione, & affectione ſimplici intrinſece naturali, & non gratioſa fieri queant; tamen modo efficax eius cogitationis, & affectionis non poteſt non eſſe gratioſa; nam modo efficax complectitur intrinſece concurſum efficientem auxilij ſupernaturalis, quo conſenſus ſupernaturalis voluntatis efficitur; concurſus autem ſupernaturalis auxilij efficientis gratioſus eſt, & indebitus voluntati, & cogitationi, & affectioni intrinſece naturali. Vnde etiam vt abſolute ſufficientes mouere in actum ſupernaturalem cogitatio, & affectio naturalis gratiam Dei neceſſario requirunt; nam vt abſolute ſufficiant conſenſum ſupernaturalem inducere præparari abſolute, neceſſe eſt, concurſum habitus, aut alterius auxilij ſupernaturalis, quo ſupernaturalis conſenſus in poteſtate voluntatis conſtituatur. At præparatio talis concurſus ſupernaturalis gratioſa eſt, & indebita voluntati, etiam præuentæ vocatione naturali. Ergo etiam diuinitus neceſſaria eſt aliqua gratia ad motionem formalem ſufficientem voluntatis; quamquam hæc gratia cogitationi, & affectioni mouenti intrinſeca non ſit. Quo ſatis apparet, quantum diſtet noſtra ſententia à ſententia Pellagianorum, etiam in euentu, quo actus ſalutares diuinitus poſſibiles adſtruit abſque illuſtratione, & affectione intrinſece ſupernaturali.

Secundo & P. Torres.

20. Secundo refragatur Pater Torres ſupra. Quia actus ſpei ſupernaturalis procedere repugnat ex cognitione naturali. Nam ſpes ſupernaturalis natura ſua firmiſſima eſt. Firmiſſima autem eſſe non poteſt, quæ innititur in cognitione incerta, atque fallibili, qualis eſt cognitio naturalis, quæ neque euidenter, neque certo proponit promiſſionem diuinam, quæ firmam reddit noſtram ſpem. Igitur ſpes ſupernaturalis exigit eſſentialiter cognitionem ſupernaturalem. Vnde elicit, etiam ad dilectionem ſupernaturalem Dei exigi ſupernaturalem cognitionem. Nam amor ſupernaturalis Dei debet eſſe eiuſmodi, qui fundare poſſit certam ſpem. At certam ſpem fundare non poteſt, niſi ortum habeat ex cognitione ſupernaturali. Ergo neque ſpes, neque dilectio Dei poſſunt eſſe ſupernaturales, procedentes ex ſola cognitione naturali.

Solutio argumenti.

Reſpondeo. Duplex eſt firmitas noſtræ ſpei; altera quoad effectum, altera quoad affectum. Firmitas quoad effectum eſt connexio infallibilis affectus ſpei cum euentu, quem ſperat; firmitas quoad affectum eſt conſtantia ſemper id ſperandi, & numquam mutandi abſque imprudentia, & peccato. Prior firmitas eſt extrinſeca actui ſpei à cognitione ſupernaturali, & infallibili, quam ſupponit. Poſterior eſt intrinſeca à motiuo ſibi intrinſeco, quod cognitio proponit. Prior diuinitus deeſſe poteſt; ſecus vero poſterior. Itaque proponente cognitione naturali Deum ſumme potentem, & fidelem promiſiſſe aliquod donum, ita vt abſq; imprudentia dubitare non poſſit, illud à Deo eſſe præmiſſum, poteſt voluntas ſpe quoad affectum firmiſſima tale donum ſperare: eſto re vera donum promiſſum non ſit; quia ſuppoſita prudenti perſuaſione promiſſionis diuinæ non poteſt voluntas abſque peccato deſperare tale donum, atque adeo firmiſſima, atque conſtantiſſima eſt ſpes, quam abſque peccato deſerere voluntas non poteſt. Quod namque ſpei tribuit firmitatem quoad affectum, non tam eſt promiſſio diuina re ipſa exiſtens, quam putata prudenter exiſtens. At per cognitionem naturalem putatur prudenter exiſtens. Ergo quoad affectum firmiſſima ſpes eſſe poteſt, quamuis ex cognitione naturali dirigatur. Qua ratione etiam modo, & in pura natura firmiſſimus eſt affectus naturalis ſpei Theologicæ qui ex perſuaſione prudenti promiſſionis diuinæ naturaliter in ſperandum aſſurgit.

Alia ſolutio.

Secundo reſpondeo. Poteſt ſpes ſupernaturalis eſſe firmiſſima etiam quantum ad effectum, quamuis diuinitus reguletur illam cognitio naturalis. Nam vt infallibiliter connexa ſit cum euentu, quem ſperat, non requiritur, vt cognitio dirigens ſpem ſit intrinſece infallibilis, ſed ſufficit, vt neceſſario ſupponatur vera; eo enim ipſo non poteſt non eſſe verus euentus ſperatus per illam. At cognitio naturalis poteſt referre vere promiſſionem diuinam, & donum futurum. Itaque ſpes ſupernaturalis falli non poteſt, quia eſſentialiter innititur in promiſſione vera Dei, quæ non poteſt non ſtare promiſſis; adeò vt propoſita promiſſione ſolum apparenti nequeat Deus concurſum conferre in actum ſpei ſupernaturalis, neque habitus ſupernaturalis vires in agendum exerere. At promiſſio Dei vere exiſtens proponi poteſt per cognitionem naturalem. Ergo tunc haberi poteſt ſpes ſupernaturalis. Atque adeo ſpes ſupernaturalis erit infallibilis, quamuis procedens ex cognitione naturali, quia hæc cognitio neceſſario ſupponitur vera ad regulandum ſpem ſupernaturalem. Sicut fides eſt omnino infallibilis, quamuis dependeat ab affectu voluntatis, quæ interdum prudenter affici poteſt in fidem reuelationis ſolum apparentis, & non vere exiſtentis, ſcilicet, quia exigit fides ſupernaturalis, vt in eo euentu reuelationis ſolum apparentis, non ſit exiſtens, quamuis affectus ſupernaturalis piæ affectionis imperet ipſum. Ergo ſimiliter poteſt eſſe infallibilis ſpes ſupernaturalis, quamuis diuinitus procedens à cognitione naturali, & fallibili, quia ſolum regulatur ſpem ſupernaturalem, cum præcedit vera, & regulari non poteſt, cum eſt falſa.

Tertio obijcitur.

21. Tertio poteſt obijci. Sicut amor in genere non poteſt ferri in obiectum non cognitum, ita nec amor ſupernaturalis in obiectũ non cognitum cognitione ſupernaturali, quæ eſt propria cognitio talis amoris.

Confirmatur.

Quod confirmari poteſt primo, quia amor ſupernaturalis non poteſt habere diuinitus aliud obiectum ab eo, quod habet ex natura rei. At ex natura rei obiectum habet bonum apparens cognitione ſupernaturali. Ergo etiam diuinitus.

Iterum confirmatur.

Confirmatur ſecundo. Cognitio non excitat amorem

Digitized by Google

in genere cauſæ efficientis, ſed formalis. At cauſa formalis comparatione eiuſdem ſubiecti non poteſt habere diuinitus effectum, quem non habet ex natura rei. Ergo cum ex natura rei non poſſit cognitio naturalis excitare amorem ſupernaturalem, non poterit excitare etiam diuinitus. Confirmatur tertio. Cognitio materialis non poteſt excitare amorem ſpiritualem. Ergo nec cognitio naturalis amorem ſupernaturalem. Conſequentia videtur bona à paritate vtriuſque generis.

Confirmatio tertia.

Ad argumentum.

22. Etiam hoc argumentum vim non habet. Quia non probat, obiectum eſſentiale amoris ſupernaturalis eſſe bonum cognitum cognitione ſupernaturali, ſed id ſolum eſſe obiectum connaturale. Ad primam confirmationem reſpondeo. Cognitio non eſt amoris obiectum, ſed propoſitio obiecti; atque idcirco variata cognitione ſemper exiſtere poteſt idem obiectum diuinitus, & ex natura rei. Ad ſecundam reſpondeo, cognitionem naturalem; etiam ex natura rei excitare amorem ſupernaturalem ſub conditione, quòd exiſtant omnia requiſita ad eum amorem, inter quæ numeratur ex natura rei cognitio ſupernaturalis, atque ita in conſortio cognitionis ſupernaturalis etiam ex natura rei mouet cognitio naturalis, & diuinitus abſque illa mouere poteſt. Ad tertiam quiſpiam dabit diſcrimen, ex eo quod maior diſtantia proportionis videatur exiſtere inter cognitionem, materialem, & amorem ſpiritualem; A priori, quia actus materialis, & ſpiritualis ſemper ſpectant ad potentias diuerſas; non verò actus naturalis, & ſupernaturalis; A poſteriori, quia actus materialis neutiquam poteſt reſpicere quidpiam ſpirituale, etiam vt obiectum materiale; poteſt autem actus naturalis reſpicere quidpiam ſupernaturale. Ego reſpondeo, adhuc non inueniſſe repugnantiam in eo, quòd diuinitus cognitio naturalis moueat animum ad complacentiam ſpiritualem obiecti, quod ea cognitione proponitur.

Ad primam confirmationem. Ad ſecundam. Ad tertiam.

SECTIO QVARTA.

Actus ſupernaturalis non poteſt fieri per ſe ex motione actus naturalis.

Explicatur.

23. VErbi gratia, amor ſupernaturalis non poteſt procedere per ſe ex ſola cognitione naturali, neque electio ſupernaturalis ex intenſione naturali, neque cognitio ſupernaturalis obſcura ex imperio affectus naturalis, neque alius actus ſupernaturalis exigens per ſe anteceſſionem alterius actus poteſt per ſe actum naturalem ſupponere. Ita quotquot ex natura rei deſiderant cognitionem ſupernaturalem ad amorem ſupernaturalem Dei, & affectum ſupernaturalem piæ affectionis ad actum fidei ſupernaturalis. Pater Suarez 2. 2. diſputatione 8. ſectione 7. & 8. & diſputatione 12. ſectione 3. Pater Albertinus 3. principio philoſophico quæſt. 5. Theologica, Pater Torres 2. 2. diſputatione 35. dub. 3. & diſputatione 46. dub. 5. & 6. Pater Granadus controuer. 8. de gratia tract. 9. diſputatione 3. Lorca 2. 2. diſputatione 31. & 1. 2. diſputatione 31. memb. 3. Item qui exigunt neceſſariam per ſe illuſtrationem, & affectionem ſupernaturalem gratiæ ad omnem conſenſum ſupernaturalem voluntatis. Pater Vaſquez 1. 2. diſputatione 109. num. 2. aſſerens, nullum eorum, qui virtutes infuſas agnouerunt, de hoc vnquam dubitaſſe, Pater Conninck de virtutibus ſupernaturalibus diſputatione 4. à num. 47. Pater Granadus 1. 2. tract. 1. de gratia diſputatione 1. num. 21. & diſputatione 2. num. 18. & 23. tract. 5. diſputatione 2. num. 17. Aluarez de auxiliis diſputatione 1. & lib. 3. reſponſ. cap. 8. Albelda 1. p. diſputatione 74. cap. 2. Lorca de gratia diſputatione 5. memb. 4. & 5. & ex profeſſo diſputatione 3. Inſinuantque Pater Suarez de prædeſtinatione lib. 2. cap. 16. & lib. 1. de gratia cap. 15. 17. & 18. & lib. cap. 10. num. 15. Pater Leſſius de auxiliis in appendice ad cap. 10. & Pater Becanus 2. p. ſummæ Theologiæ tract. 4. cap. 2.

Autores. P. Suarez. Albertinus. P. Torres. P. Granadus. Lorca. P. Vaſquez. P. Conninck. Aluarez. Albelda. P. Leſſius. P. Becanus.

Ab auctoritate Theologorum perſuadetur.

24. Hæc aſſertio ſic in genere à nullo Theologorum ex profeſſo docetur. Ex iis tamen, quæ de ſingularibus actibus ſupernaturalibus tradunt, manifeſte colligitur. Etenim ex communi Theologorum doctrina non poſſunt fieri ex natura rei actus charitatis, & ſpei ſupernaturalis ſine præuia cognitione ſupernaturali; alias poſſet homo iuſtificari abſque præuio fidei actu cum ſola cognitione naturali, quod ab omnibus Theologis reijcitur, & à pluribus erroneum iudicatur. Quare licet Sotus 2. de natura, & gratia cap. 11. docuerit, poſſe fieri dilectionē ſupernaturalem Dei cum ſola cognitione naturali, & ea ratione hominem iuſtificari; tamen poſtea propter ſcandalum, quod hæc opinio pluribus Theologis fecit, ab ipſomet Soto retractata fuit in poſterioribus editionibus eiuſdem lib. & in 4. ſenten. diſt. 1. q. 2. art. 3. & diſt. 5. quæſt. 1. art. 2. aliiſque in locis. Item communi Theologorum conſenſu neceſſarius eſt per ſe ad actum fidei affectus ſupernaturalis piæ affectionis determinans intellectum ad credendum per fidem diuinam. Rurſus vt ex communi Conciliorum, & Patrum Eccleſiæ auctoritate probaui tr. de gratia auxiliante, & fuſe probabo lib. 5. non poteſt fieri per ſe aliquis actus intrinſece ſupernaturalis abſque præuiâ illuſtratione ſupernaturali intellectus, & affectione, ſeu inſpiratione ſupernaturali voluntatis. Igitur nullus actus ſupernaturalis pendere poteſt per ſe à motione ſolius actus naturalis. Probatur conſequentia; nam ad ſuperiores actus per ſe pendentes ex præuiâ motione aliorum, ea ſolum ratione præcedere debent per ſe actus intrinſece ſupernaturales, quia ipſi intrinſece ſupernaturales ſunt. Ergò omnis actus mouens per ſe in actū ſupernaturalem debet eſſe ſupernaturalis. Nam ſi aliquis actus poſſet mouere per ſe in actū ſupernaturalem non ſupernaturalis, nulla eſſet ratio, quarè nō poſſet fieri amor ſupernaturalis Dei ex ſola

Soto.

Digitized by Google

cognitione naturali, actus ſupernaturalis fidei ex affectu naturali piæ affectionis, & omnis conſenſus ſupernaturalis voluntatis ex ſola illuſtratione, & affectione intrinſece naturali. Igitur omnia teſtimonia ſacræ paginæ, Conciliorum, & Patrum Eccleſiæ, quæ actus enumeratos volunt fieri ex motione præuia alterius actus ſupernaturalis, manifeſte teſtantur, omnem motionem voluntatis requiſitam per ſe in actum ſupernaturalem, fieri debere per actum ſupernaturalem. Atque adeo in confirmationem noſtri aſſerti videantur omnia, quæ ex ſacris litteris, Conciliis, ac Patribus Eccleſiæ adducunt authores præcitati. Natura enim actuum ſupernaturalium in genere conijcienda eſt ex iis, quæ ſacræ litteræ, Concilia, ac Patres Eccleſiæ tradunt de actibus ſupernaturalibus in ſpecie, cum non apparet ratio, propter quam ſpecialis aliqua conditio ad illos neceſſaria ſit, niſi excellentia ſupernaturalitatis ipſorum.

Prima probatio à priori.

25. Sed inuenire rationem aliquam à priori difficile eſt. Accipe eas, quas ego aſſequi potui. Vt primam deprehendas, pone ex lib. 5. actus per ſe requiſitos ad exiſtentiam aliorum actuum ſupernaturalium, non ſolum vigere virtute formali mouendi voluntatem ad illos, ſed etiam virtute efficienti iuuandi imbecillitatem naturalem voluntatis in abſentia habituum ſupernaturalium; quoniam locupleti eruditione Conciliorum, ac Patrum oſtendam lib. 5 illuſtrationes, & affectiones ſupernaturales præcurrentes per ſe conſenſum, ſeu actum ſupernaturalem præter motionem moralem, & formalem voluntatis abſentibus habitibus infuſis conferre per ſe concurſum efficientem in actus ſupernaturales, in quos voluntatem mouent. Ex quo principio ſic arguo. Motio moralis, ſeu formalis præcurrens per ſe exiſtentiam actuum intrinſece ſupernaturalium, coniuncta eſt ex natura rei cum virtute connaturali efficiente ipſorum in abſentia habituum ſupernaturalium; quandoquidem ea motio ſecundum ſe indifferens eſt, vt etiam in abſentia habituum fiat, ſicut infidelibus mouentibus ſe ad fidem, & peccatoribus fidelibus mouentibus ſe ad iuſtificationem fieri ſolet. At virtus potens connaturaliter efficere actum intrinſece ſupernaturalem ineſſe non poteſt entitati naturali; quare intellectus, & ſpecies impreſſa naturalis nequeunt virtute connaturali efficere actum fidei, ſed virtute obedientiali, & eleuata per auxilium intrinſece ſupernaturale. Ergo motio moralis per ſe requiſita ad actus intrinſece ſupernaturales, fieri debet per actus entitate ſupernaturales. Conſequentia eſt legitima. Minor nulli Theologo dubia. Maior ex lib. 5. ponenda.

Secunda.

26. Secunda ratio à priori fit. Motio præuia, quam per ſe actus ſupernaturalis ſupponit, fieri poteſt per actus ſupernaturales; quippe poſſibilis eſt cognitio ſupernaturalis quam ducem ſequatur ſupernaturalis affectus, ſupernaturalis apprehenſio, quam ſectetur iudicium, complacentia ſupernaturalis quam amor ſupernaturalis æmuletur. At cum motio moralis neceſſaria ex natura rei fieri poteſt per actum eiuſdem generis cum actu, in quem motio dirigitur, fieri non poteſt ex natura rei per actum alterius generis; quare neque amor ſpiritualis voluntatis, neque ſpirituale iudicium intellectus mouentur per ſe ex apprehenſione, & complacentia materiali, ſed neceſſario ſupponunt apprehenſionem, & complacentiam ſpiritualem, quanquam ſecluſa apprehenſione ſpirituali ſint principia ſpiritualia efficientia, videlicet intellectus, & ſpecies impreſſa, quæ iudicio poſſint ſpiritualitatem conferre, & ſecluſa ſpirituali complacentia ſit ſpiritualis voluntas, quæ ſpiritualitatem conferat amori. Etenim ſicut exiſtentibus cauſa vniuoca, & æquiuoca poſtulat effectus à cauſa vniuoca, potiuſquam ab æquiuoca fieri, verbi gratia, exiſtentibus calore, & luce potentibus efficere calorem exigit calor procedere à calore, potiuſquam à luce, ita exiſtentibus, aut poſſibilibus ex natura rei motionibus vniuocis, & æquiuocis, ſupernaturalibus ſcilicet, & naturalibus, ſpiritualibus, & materialibus poſtulant actus ſupernaturales à motionibus ſupernaturalibus, & naturales à naturalibus, ſicut ſpirituales ab ſpiritualibus, & materiales à materialibus proceſſionem habere. Igitur per ſe actus ſupernaturales ſolam motionem ſupernaturalem ſupponunt.

Tertia item à priori.

26. Accedit tertia ratio à priori. Cui explicandæ præmitto primo, actus præeuntes per ſe exiſtentiam aliorum eſſe in genere cognitionem intellectus comparatione affectus voluntatis, & actus indeliberatos, ac imperfectos vnius potentiæ, comparatione actuum perfectorum, & deliberatorum eiuſdem, verbi gratia, apprehenſionem comparatione iudicij, & ſimplicem complacentiam comparatione amoris abſoluti, & efficacis. Præmitto ſecundo, ſicut in ordine naturali conueniunt naturæ rationali facultates intelligendi, quorum alij actus anteueniunt exiſtentiam aliorum, nempe cognitio exiſtentiam amoris, apprehenſio exiſtentiam iudicij, & affectus indeliberatus exiſtentiam affectus deliberati; ita in ordine ſupernaturali conferri naturæ rationali à Deo facultates ſupernaturales intelligendi, atque volendi in eo ordine, quippe intellectui habitus infuſos fidei, prudentiæ, ſcientiæ, conſilij, & alios, qui inter dona Spiritus ſancti numerantur; ſimiliter voluntati habitum charitatis, & ſpei, & omnes virtutes morales. Item habitus vtriuſque potentiæ continere actus deliberatos, & indeliberatos, perfectos, & imperfectos eiuſdem obiecti, verbi gratia, habitus infuſos intellectus apprehenſionem ſupernaturalem, & iudicium; habitus infuſos voluntatis actum ſupernaturalem ſimplicis complacentiæ, & deliberatum conſenſum. Hæc fuſe elucidanda, & probanda ſunt lib. 4. Nunc igitur probandum, cognitionem ſupernaturalem elicitam virtutibus intellectualibus præire per ſe affectum ſupernaturalem elicitum virtutibus moralibus voluntatis, & actum imperfectum cuiuſque habitus perfectum eiuſdem virtutis actum. Quod ſic arguo. Natura rationalis conſtituta in actu primo facultatibus

Digitized by Google

naturalibus intelligendi, atque volendi, priuſquam eliciat affectum voluntatis, elicit cognitionem naturalem intellectus, & priuſquam actum deliberatum, ac perfectum edat, actum efficit indeliberatum, ac perfectum. Ergo ſimiliter conſtituta in actu primo facultatibus ſupernaturalibus intelligendi, atque volendi ſupernaturaliter, exigit vt priuſquam amorem ſupernaturalem efficiat, cognitionem efficiat ſupernaturalem, & actum indeliberatum, ac imperfectum, priuſquam actum deliberatum, ac perfectum. Probatur conſequentia. Tum quia facultates ſupernaturales æmulantur conditionem naturalem in ordine, quo ſuos actus eliciunt, ſupernaturaleſque efficiunt naturalibus ſimillimos, & ſapientes in ſuo genere dependentiam naturalium. Tum quia natura rationalis eodem conatu, quo efficit cognitionem naturalem, efficit quoque ſupernaturalem, cum ad ipſam completa eſt, quin valeat circa idem obiectum vnam ab alia ſeparare; ſimiliter indiuiduo conatu efficit apprehenſiones, & complacentias ſupernaturales, atque naturales. Ergo ex natura rei non poteſt præire ſolis actibus naturalibus ad efficiendum actus ſupernaturales. Neque obeſt, interdum naturam rationalem priuatam eſſe habitibus ſupernaturalibus. Nam in abſentia habituum ſupernaturalium completa eſt natura per auxilia extrinſeca, aut per auxilia intrinſeca gratiæ actualis ad efficiendum actus ſupernaturales eodem modo, quo per habitus infuſos fieri ſolent.

SECTIO QVINTA.

Qui, & quibus opponantur præcedenti doctrinæ.

Qui negāt iudicium credibilitatis eſſe intrinſece ſupernaturale.

27. PRimo ſuperiori doctrinæ contrarij ſunt, qui aſſerunt, iudicium credibilitatis myſteriorum fidei antecedens affectum ſupernaturalem piæ affectionis eſſe intrinſece naturale. Nam tale iudicium per ſe neceſſarium eſt ad affectum ſupernaturalem piæ affectionis. Ergo ſi naturale eſt, poteſt actus per ſe requiſitus ad affectum intrinſece ſupernaturalem, eſſe intrinſece naturalis. Ita de hoc iudicio cenſent Gabriel in 3. diſt. 24. quæſt. vnica, art. 3. dub. 1. Almainus quæſt. vnica, dub. 2. Aragon 2. 2. quæſt. 1. art. 4. Pater Coninck 2. 2. diſput. 13. num. 19. Quibus accedere videtur Pater Albertinus 3. principio Phyloſopico quæſt. 5. Theologica. Verum ſi attente perpendatur mens Albertini, ſolis vocibus admittit iudicium credibilitatis ſupernaturale quoad modum, quia reuera tale iudicium aſſerit eſſe quoad ſuam entitatem ſupra vires naturæ, ſolumque ait eſſe quoad modum ſupernaturale, quia eius motiuum eſt naturale. Tamen poteſt eſſe actus entitate ſupernaturalis, quamuis motiuum naturale ſit, vt vidimus diſp. 45. ſect. 2. præſertim cum actus eſt ſecundum entitatem ſuperans virtutem, & exigentiam naturæ.

Gabriel. Almainus. Aragon. P. Coninck. P. Albertinus.

28. At iudicium credibilitatis non eſſe intrinſece ſupernaturale varijs argumentis probatur. Primo, quia iuxta Auguſtinum pluribus in locis exordium noſtræ iuſtitiæ ſumitur ex fide. Ergo ante fidem, non exiſtit in intellectu iudicium aliquod ſupernaturale. Secundo, quia illud iudicium habet motiuum naturale, nam fundatur in ſufficienti propoſitione articulorum fidei, quo naturalis eſt, naturalique diſcurſu obtinetur. Ergo non eſt ſupernaturale. Tertio, quia hoc iudicium non poteſt eſſe euidens; nam in via nulla eſt euidentia ſupernaturalis. Neque ineuidens; nam præſupponeret determinationem voluntatis, ideoque aliud iudicium ſupernaturale intellectus, de quo procederet eadem quæſtio. Ergo non eſt iudicium ſupernaturale. Quarto quia hoc iudicium non pertinet ad fidem; ſiquidem regulatur affectu imperantem primum actum fidei. Neque pertinet ad prudentiam infuſam; quia prudentia infuſa non præcedit fidem. Neque ad aliquod bonum Spiritus ſancti: tum quia etiam dona Spiritus ſancti ſequuntur fidem: tum quia hæc dona non concurrunt ad actus ordinarios gratiæ, ſed extraordinarios dumtaxat: iudicium autem de quo loquimur, ordinarium eſt in homine iuſto. Ergo non poteſt eſſe ſupernaturale. Quandoquidem non reſtat alia virtus infuſa ad quam poſſit ſpectare.

Primo. Secundo. Tertio. Quarto.

29. Propterea volunt P. Suarez 1. 2. d. 6. ſect. 8. à num. 21. & Pater Torres d. 46. dub. 5. affectum credendi ſequi ſolam apprehenſionē credibilitatis, quæ ſupernaturalis eſt, & non iudicium credibilitatis, quod eſt intrinſece naturale. Sed contra, quia vel apprehenſio credibilitatis habet obiectum formale naturale, vel ſupernaturale? ſi naturale, non poteſt in eorum ſententia eſſe ſupernaturalis; cum omnis actus ſupernaturalis reſpiciat obiectum formale ſupernaturale. Si ſupernaturale. Ergo etiam iudicium poteſt fieri ſupernaturale. Nam obiectum formale ſupernaturale ſufficienter apprehenſum mouere poteſt ad iudicium ſupernaturale. Secundo, quia iudicium affirmans credenda eſſe myſteria fidei concurrit per ſe ad affectum credendi; ſicut apprehenſio in eorum ſententia. Ergo erit ſupernaturalis, ſicut apprehenſio. Nam apprehenſio ſolum ponitur ex natura rei ſupernaturalis, quia regulatur affectum ſupernaturalem. Alioqui etiam ad alios affectus voluntatis ſupernaturales, v. g. ad actū charitatis, & ſpei nuſquam eſſet neceſſarium iudicium ſupernaturale, ſed ſufficeret apprehenſio, & illuſtratio ſupernaturalis. Tertio, quia apprehenſio enunciatiua, & iudicium pertinent in intellectu ad eundem habitū, ſicut in voluntate volitio efficax, & inefficax, ſimplex complacentia, & intentio finis. Ergo habitus efficiens apprehenſionem ſupernaturalem efficiet etiam ſupernaturale iudicium, quemadmodum habitus efficiens volitionem inefficacem, & ſimplicem complacentiam, poteſt efficere affectum efficacem, & intentionem.

P. Suarez & P. Torres non ſatisfaciunt. Primo. Secundo. Tertio.

30. Ergo arbitror, vtrumque actum intellectus, tam iudicium, quam apprehenſionem credibilitatis myſteriorum fidei, eſſe poſſe ſu-

Probatur intrinſece ſupernatu-

rale iudicium credibilitatis. pernaturalem quoad ſubſtantiam. Quod, præterquam quod ex ſuperiori concluſione ſatis conſtat, manifeſte deducitur ex Auguſtino lib. 2. contra duas Epiſtolas Pellagianorum c. 8. vbi expendens illud ſecundæ Cor. 3. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis*, ait, *Quis non videat prius eſſe cogitare, quam credere? nullus enim credit, niſi prius cogitet eſſe credendum, & hoc vult Apoſtolus non eſſe ex nobis, ſed ex gratia.* Eadem repetit lib. de Prædeſtinatione c. 7. & c. 13. Idem colligitur ex Concil. Mileuit. c. 4. aſſerente; *Donum Dei eſſe ſcire quid agere debeamus.* Nam ſic eſt ſermo de ſcientia neceſſaria ad credendum; eam autem referunt in virtutem gratiæ diuinæ, ſicut alios actus, qui intrinſece ſupernaturales prædicantur. Nec ſatisfacit quod nonnulli reſpondent, his tantum euinci, eos actus eſſe ſupernaturales quoad modum. Quia actus fidei eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, vt ipſimet volunt, & nunc ſupponimus. Sed teſtimonia Sacra non aliter referunt actum fidei in ſolam virtutem gratiæ, quam hos actus pertinentes ad fidem. Ergo hi actus ſunt ſupernaturales quoad ſubſtantiam ſicut actus fidei.

Auguſtin. 2. Cor. 3. Concil. Mileuit.

Ad primū. 31. Argumento breuiter occurrendum eſt, quia continet plura, quæ alterius diſputationis ſunt. Ad primam probationem reſpondeo. Exordium noſtræ iuſtitiæ ſumitur ex fide, quia ſumitur ex actibus pertinētibus ad fidem, inter quos exiſtunt omnis cognitio, & affectio pia neceſſaria per ſe ad actum fidei. Ad ſecundum. Ad ſecundā reſpondeo. Actus eſſe poteſt ſupernaturalis, quamuis obiectum formale ſit naturale, vt vidimus diſput. 45. Ad tertium. Ad tertiam reſpondeo. Iudicium ſupernaturale credibilitatis myſteriorum fidei euidens eſt; quemadmodum eſt euidens iudicium naturale. Neque verum eſt, nullam haberi in via euidentiam ſupernaturalem, quia prudentia infuſa euidenter iudicat Deum amādum, præceptum ſuperioris adimplendum, & alia ſimilia. Etenim prudentia infuſa viatoris eſt eiuſdem ſpeciei cum prudentia infuſa Chriſti Domini & Beatorum. Chriſtus autem, & Beati euidenter iudicant actu prudentiæ infuſæ exercendos actus honeſtos. Ergo idem poteſt iudicare prudentia infuſa viatoris. Hoc cōſtat in ſententia eorum, qui renuunt admittere ſimul cognitionem euidentem, & ineuidentem eiuſdem obiecti; nam alias non poſſet viator operari actum virtutis ſupernaturalis regulatus prudentia infuſa, cum exiſtit actus prudentiæ acquiſitæ, qui ſemper euidens eſt. Quod admitti non debet, cum frequens ſit vtriuſque dictaminis coniunctio.

Obijcitur. 32. Obijcies. Credibilitas myſteriorum fidei non eſt primum, ac immediatum principium. Ergo colligitur ex alijs principijs ſupernaturaliter cognitis. Non alijs, quam cognitis per fidem. Ergo colligitur ex cognitis per fidem. At quidquid colligitur ex principijs cognitis per fidem, eſt obſcurum, quia principia cognita per fidem ſunt obſcura. Ergo credibilitas myſteriorum fidei, eſt obſcura lumini ſupernaturali; eſto ſit euidens lumini naturali.

Explicatur. Reſpondeo primo. Iudicium ſupernaturale credibilitatis non colligitur medijs actibus obſcuris fidei, ſed immediate ex principijs euidentibus ſyndereſis infuſæ, quæ verſatur circa prima principia agibilium: ſicut enim datur prudentia infuſa, probabiliſſimum eſt, dari quoque ſindereſim infuſam, de qua, an ſit diſtincta à prudentia, non eſt huius loci definire. Secundo reſpondeo. Iudicium credibilitatis non eſt acquiſitum per diſcurſum præcedentibus alijs iudicijs ſupernaturalibus: ſed eſt virtualis quidam diſcurſus, continens iudicium euidens credibilitatis, vt obiecti materialis, & teſtimoniorum, quæ myſteria fidei reddunt ſufficienter credibilia, vt obiecti formalis, quemadmodum diſcurſus quidam virtualis eſt aſſenſus ſupernaturalis fidei, & cognitio naturalis Angelica de exiſtentia diuina. Id enim præuia apprehenſione perfecta argumentorum fidei facile poteſt contingere. De quo plura libro quarto.

33. Ad quartam reſpondeo. Iudicium credibilitatis pertinere poteſt ad prudentiam infuſam. Tum quia non eſt alia virtus, ad quam poſſit commodius pertinere. Tum quia eſt cognitio practica dirigens voluntatem ad opus virtutis. Igitur quemadmodum iudicium de amando, & adorando Deo pertinent ad prudentiam infuſam; etiam iudicium de credendo Deo pertinebit ad illam. Neque vim facit primo, prudentiam infuſam non præcedere fidē, quia licet ita diſpoſitum ſit à Deo ob decentes rationes de habitu prudentiæ, tamen actus prudentiæ fieri poteſt ante fidem per auxilium extrinſecum, quemadmodum fiunt ante charitatem actus virtutum moralium, etiam ſi virtutes morales non exiſtant ante illam. Neque ſecundo vim facit, adhuc poſito eo iudicio poſſe voluntatem non aſſentiri, ſed potius diſſentiri reuelatis, quia nullum eſt inconueniens exiſtere in homine infideli proxime diſpoſito ad credēdum quidpiam ſupernaturale, iuuans, & alliciens ipſum ad fidem, dum id non ponitur habitualiter permanens, ſed cito tranſiens; quemadmodum exiſtit in homine actu peccante vocatio ſupernaturalis eum alliciens ad vitandum peccatum, & in homine infideli vocato ad fidem gratia actualis neceſſaria ad illam. Ad quartā.

34. Secundo ſuperiori aſſerto aduerſantur, qui ſentiunt actum ſupernaturalem fidei fieri ſola præcedente apprehenſione naturali. Nam aſſenſum fidei ſupernaturalis per ſe antecedit aliqua apprehenſio. Ergo ſi hæc eſt naturalis, & non ſupernaturalis, poteſt actus per ſe antecedens actum ſupernaturalem non eſſe ſupernaturalis. Aſſumptum autem probatur primo, quia fidelis eo diſtinctius, & perfectius aſſentitur reuelatis, quo apprehenſiones naturales diſtinctiores, & perfectiores ſunt; quare homines litterati eliciunt actus fidei magis explicatos, & diſtinctos, quam illitterati. Ergo actum fidei præcedit ſola apprehenſio naturalis. Secundo quia apprehenſio præcedens iudicium fidei efficitur ſpeciebus naturalibus. Ergo naturalis eſt. Ita plerique Theologi, inter quos eſt Pater Salas in manuſcriptis de gratia diſp. 7. ſect. 17. § 6.

Negāt plerique actū fidei fieri ex apprehenſione ſupernaturali. Primo. Secundo. P. Salas.

Digitized by Google

Recta or ſententia, quæ affirmat.

35. Cæterum conſentienter ad noſtram doctrinam ſtatuendum eſt, etiam apprehenſionem quæ per ſe præcurrit aſſenſum fidei, eſſe ſupernaturalem, & elicitam ipſo habitu fidei. Quippe habitus intellectualis infuſus poteſt circa ſuum proprium obiectũ elicere actus imperfectos, & perfectos, vt habitus infuſus voluntatis elicere poteſt ſimplicem complacẽtiam, & amorem abſolutum circa obiectum ſuum. De quo expediemus lib.4. Quare aſſũptum argumenti negandum eſt.

3 6 Ad primam probationem reſpondeo. Etiam apprehenſiones ſupernaturales poſſunt in homine litterato eſſe magis diſtinctæ, & explicitæ, quam in illitterato: quia ſpecies, quibus fiunt magis explicitæ, & diſtinctæ ſunt, quarum naturam, & expreſſionem virtualem ſapiunt apprehenſiones primæ procedentes ab illis.

Ad ſecũdũ

Ad ſecundam poſſunt apprehẽſiones eſſe ſupernaturales, quamuis ſpecies, quibus fiunt naturales ſint, quia ſimul cum illis influit principium ſupernaturale in illas, ſicut ipſe aſſenſus fidei ſupernaturalis eſt, quamuis ex parte obiecti influat in illum ſpecies naturalis, aut naturalis apprehenſio in aduerſariorum opinione, vt diſputatione 54. decernemus. Plura de hac re diſp.59.

Quidam Salmanticenſium negant, auxilia ad actus virtutũ infuſarum eſſe entitate ſupernaturalia.

36. Tertio refragantur noſtræ doctrinæ Primarij quidam Salmanticenſes qui volunt, auxilia gratiæ per ſe requiſita ad actus intrinſece ſupernaturales; eſſe intrinſece naturalia. Quoniam illuſtrationes, & affectiones gratiæ actualis non influunt efficienter in actus ſupernaturales, ſed ſolum formaliter per modum conditionis requiſitæ; ſufficit enim habitus ſupernaturalis efficienter influens, vt actus ſalutares ſupernaturalitatem participent. Ergo poſſunt motiones gratiæ eſſe naturales, quamuis actus ſint intrinſece ſupernaturales. Siquidem componi poteſt ſupernaturalitas eorum actuum cum entitate naturali motionem gratiæ.

Confirmatur.

Confirmatur; poſſunt actus eſſe intrinſece ſupernaturales, quamuis potentia naturalis immediate influat in illos, quia ſimul cum potentia naturali influit efficienter habitus, aut aliud principium intrinſece ſupernaturale. Ergo ſimiliter poſſunt actus ſalutares eſſe intrinſece ſupernaturales, quamuis motiones gratiæ ſint entitate naturales, ſiquidem ſimul cum illis præſtat cõcurſum habitus ſupernaturalis, è quo poteſt ſupernaturalitas in illos deriuare. At motiones gratiæ, ſcilicet illuſtrationes, & affectiones ſimplices per Spiritum ſanctum infuſæ voluntati, ſunt per ſe neceſſariæ ad conſenſum ſupernaturalem. Ergo actus per ſe neceſſarius ad actum ſupernaturalem poteſt eſſe intrinſece naturalis.

Legionẽſis.

P.Suarez.

Ita Baſilius Legionenſis tract. de Gratia auxiliante diſp. 3. paſſim. Quod etiam probabile iudicat P. Suarez lib. 3. de Auxilijs cap.4.nu.12.

Verum oppoſitum.

37. Verum hæc doctrina parum conſona eſt Sacris litteris, & Canonibus Eccleſiæ; pluribuſq; SS.Patrũ teſtimonijs, quæ producemus & expẽdimus lib. 5. Itaque falſum eſt, auxilia gratiæ per ſe requiſita ad actus fidei, ſpei, & charitatis, & alios intrinſece ſupernaturales eſſe intrinſece naturalia, cum ex ſola ſupernaturalitate eorum auxiliorum potiſſimum colligatur ſupernaturalitas, & excellentia eorum actuum.

Ad argumentum.

Quare ad argumentum reſpondeo. Licet motio moralis gratiæ intrinſece ſupernaturalis non ſit neceſſaria ad ſupernaturalitatem ſimpliciter actus ſalutaris, quia aliunde poſſet actus ſalutaris haurire ſupernaturalitatem intrinſecam, videlicet ex habitu intrinſece ſupernaturali; tamen ea ſupernaturalis neceſſaria eſt ad connaturalem exiſtentiam, & efficientiam actus intrinſece ſupernaturalis, quemadmodũ ad iudicium ſpirituale neceſſaria eſt præcedens apprehenſio ſpiritualis, & ad ſpiritualem amorem ſpiritualis complacentia præcedens, quin apprehenſio, & complacentia materialis ſufficiat; quia licet iudicium ſpirituale, & ſpiritualis amor poſſent capere ſuam immaterialitatem à principio immateriali efficienti; tamen connaturalis eorum exiſtentia deſiderat, vt alij actus per ſe requiſiti ad illam ſint in eodem genere immateriales. Similiter igitur idem de cõſenſu intrinſece ſupernaturali iudicandum, vt per ſe deſideret motiones ex natura rei ad eius exiſtentiam requiſitas eſſe entitate ſupernaturales. Quippe eius natura, atque conditio colligenda eſt ex fundamentis Sacræ paginæ, Conciliorum, & Patrum, ex quibus eius exiſtentia colligitur. At hæc fundamenta, aut non arguunt actum abſolute eſſe intrinſece ſupernaturalem, aut etiam arguunt motionem Spiritus ſancti præuenientem ipſum eſſe ſimiliter intrinſece ſupernaturalem, vt arguemus ſatis fuſe lib. 5. cum potiſſima probatio ſupernaturalitatis actuũ fidei, ſpei, & charitatis, aliorũq; ſimilium ſumatur ex infuſione; & ſupernaturalitate illuſtrationis, & inſpirationis Spiritus ſancti per ſe requiſitæ ad efficientiam eorum actuum.

Qui volunt fieri actum ſupernaturalẽ ex iudicio probabili.

38. Quarto denique nobis contradicunt, qui volunt, poſſe fieri actum ſupernaturalem, ac meritorium virtutis infuſæ ex cognitione obiecti ſolum probabili, & interdum falſa, præcedente iudicio prudentiæ intrinſece ſupernaturali. V.g. cum quis probabiliter iudicat adeſſe miſeriam pauperi ſimulanti illam; item cum quis dolet de peccato, quod credit ab ipſo commiſſum, cum reuera commiſſum non ſit. Etenim ad actum miſericordiæ volentem ſubleuare miſeriam pauperis, & ad actum pœnitentiæ volentem deſtruere peccatum commiſſum, non ſolum eſt per ſe neceſſaria cognitio practica prudentiæ diſtans hic, & nunc elargiendam eleemoſinam, & dolendum de peccato commiſſo; ſed etiam cognitio ſpeculatiua proponens miſeriam pauperis, & turpitudinem peccati commiſſi, ſicut ad actum dilectionis ſupernaturalis Dei non ſolum eſt neceſſaria per ſe cognitio practica prudẽtiæ infuſæ, ſed etiam cognitio ſpeculatiua fidei ſupernaturalis proponens bonitatem diuinam, quæ diligenda eſt; ſiquidem hæc poſterior cognitio ſpeculatiua obiectum proponit per affectum ſupernaturalem diligendum. Ergo ſi hæc poteſt eſſe intrinſece naturalis, poteſt cognitio per ſe neceſſaria ad amorem ſupernaturalem non eſſe intrinſece ſupernaturalis. Ita nonnulli Theologi, quos

referemus diſp. 62. vbi aſſumptum latius, & efficacius vrgebimus.

Reijciuntur. 39. Reſpondeo conſequenter ad dicta. Non ſolum cognitio practica prudentiæ dictans hic, & nunc exercendum internum virtutis actum, ſed etiam cognitio ſpeculatiua proponens honeſtatem obiectiuam actionis externæ eſt intrinſece ſupernaturalis, quia vtraque cognitio concurrit per ſe ad conſenſum voluntatis, & poſterior cognitio proponens honeſtatem obiectiuam, per ſe quidem magis neceſſaria e[ſt] quam prior dictans ipſum conſenſum internum, cum ſine propoſitione honeſtatis obiectiuæ non poſſit eſſe affectus voluntatis, poſſit autem interdum ſine actuali dictamine prudentiæ, vt ſtatuemus, & oſtendemus diſputatione 62. Vnde probationem argumenti ſic explico. In euentu, in quo re ipſa non eſt obiectum, quod allicit affectum ſupernaturalem, cognitio obiecti præcedens per ſe talem affectum, aut eſt iudicium verum de apparentia obiecti (quippe vere iudicatur apparere obiectum, quamuis re ipſa non ſit) atque ita poteſt eſſe ſupernaturalis; aut eſt ſola apprehenſio ſimplex exiſtentiæ obiecti, quæ poteſt eſſe intrinſece ſupernaturalis, quia apprehenſio ex ſe falſitati non eſt obnoxia, neque formalis veritatis capax eſt, vt libro de Anima ſtabiliuimus. De qua re vberior expoſitio erit diſputatione 62. præcitata.

Singulare argumentũ 40. Quinto argues aduerſus ſuperius pronuntiatum. Poteſt diuinitus actus ſupernaturalis exigens motionem alterius oriri ex ſola motione actus naturalis, vt num. 1. ſtatuimus. Ergo etiam poteſt ex natura rei. Conſequentia probatur primo, quia ad proceſſionem vnius actus ab alio requiritur ſpecialis aliqua actio, qua actus poſterior eſſentialiter pendeat à priori. At mea opinione actio vitalis indiſtincta eſt realiter ab ipſo actu vitali. Ergo actus ſupernaturalis procedens diuinitus ex motione naturali pendet ex natura rei, imo eſſentialiter ab illa. Secundo demus actum fidei iudicare, ſe ipſum fieri ex ſola apprehenſione, & affectu piæ affectionis intrinſece naturali quia à Deo reuelatũ eſt homini decretum, de non efficiendis apprehenſionibus, & affectibus ſupernaturalibus præuijs communiter ad actus fidei, & de efficiendis omnibus fidei actibus, ex ſolis apprehenſionibus, & affectibus naturalibus; nam ſi diuinitus tale decretum poſſibile eſt, etiam poterit à Deo reuelari, & per actum fidei cognoſci. At actus fidei id cognoſcens non poterit ex natura rei fieri ex apprehenſione, & affectu, intrinſece ſupernaturali. Ergo poſſibili diuinitus actu fidei procedente ex apprehenſione, & affectu naturali, etiam erit poſſibilis ex natura rei. Probatur minor. Actus ſupernaturalis fidei ex natura rei non poteſt exiſtere falſus. At ſi actus ſupernaturalis fidei iudicans omnem actum fidei, etiam ſe ipſum, fieri ex ſola apprehenſione, & imperio intrinſece naturali fieret ex apprehenſione, & imperio ſupernaturali exiſteret falſus, quia enuntiaret obiectum aliter, ac eſt à parte rei. Ergo talis actus non poſſet ex natura rei procedere ex apprehenſione, & affectu intrinſece ſupernaturali. Confirmatur; actus fidei iudicans eſſe in Deo decretum negandi cõcurſum ad apprehenſionem, & affectum piæ affectionis intrinſece ſupernaturalem, non poteſt componi ex natura rei cum decreto Dei conferente concurſum ad apprehenſionem, & affectum piæ affectionis intrinſece ſupernaturalem, nam [ex] natura rei non poteſt componi cum decreto Dei contradicente obiectum, quod ipſe enuntiat, quia alias exiſteret falſus ex natura rei. Ergo neque ex natura rei poteſt componi cum apprehenſione, & affectu piæ affectionis intrinſece ſupernaturali. Nam cum his actibus repugnat componi actus fidei ex natura rei, quia ex natura rei componatur cum decreto Dei conferente concurſum ad illos: ſiquidem hi actus exiſtere non poſſunt abſque decreto concurſus diuini influentis in ipſos.

41. Nego conſequentiam. Ad primam probationem reſpondeo. Non eſt neceſſaria ſpecialis actio eſſentialiter pendens ab actu præcedente, vt actus ſubſequens procedat ab illo, quia actus antecedenter mouens potentiam ad alium non influit efficienter, ſed ſolum moraliter, & actio, qua ſubſequens actus elicitur à potentia, eſt indifferens ſecundum ſe, vt fiat diuinitus ex motione actus naturalis, aut ſupernaturalis, ſicut eſt indifferens, vt ex natura rei fiat ex motione huius actus ſupernaturalis, aut alterius ſupernaturalis actus. Qua autem ratione determinetur hæc indifferentia, vt ab hoc actu potius, quam ab alio procedat, expoſuimus diſputatione 48. num. 10. & exponemus vberius diſp. 67. Ad ſecundam probationem reſpondeo primo. Tranſeat, actum ſupernaturalem ſupponentem eſſentialiter diſpenſationem, & inuerſionem legis, ac prouidentiæ connaturalis diſponentis principia connaturalia actuum ſupernaturalium, qualis eſt actus in argumento obiectus, procedere ex natura rei ab actu intrinſece naturali. Quia noſtra doctrina ſolum differit de actibus ſupernaturalibus relictis legibus, & prouidentiæ connaturali ordinis intrinſece ſupernaturalis. Secundo reſpondeo. Actus iudicans, omnem actum fidei, & ſe ipſum fieri ex ſola apprehenſione, & affectu pio intrinſece naturali, non eſt intrinſece ſupernaturalis, ſed naturalis, quia talis actus non poteſt iudicare actum ſupernaturalem fidei procedere ex ſola apprehenſione, & affectu naturali ex natura rei, ſed ex diſpenſatione diuina, atque adeo ſupponere debet omnem actum ſupernaturalem fidei procedere poſſe per ſe ex apprehenſione, & affectu intrinſece ſupernaturali. At ſi talis actus eſſet intrinſece ſupernaturalis eſſet ex natura rei falſus, cum tale iudicium fidei non poſſet per ſe fieri ex apprehenſione, & affectu pio intrinſece ſupernaturali, vt argumẽtum probat. Ergo talis aſſenſus neceſſario erit intrinſece naturalis. Tertio poteſt reſponderi, repugnare cognitiones ſui ipſius reflexas, vt plerique volunt, atque ita repugnare iudicium argumento obiectum. Verum de hoc in Metaphyſica ſtatuendum eſt. *Expeditur.*

Digitized by Google

DISPVTATIO QVINQVAGESIMA.

AN ACTVS SVPERNATVRALIS POSSIT VITIARI?

SIQVIDEM ſaltem per accidens fieri poteſt actus ſupernaturalis ex motione, ſeu imperio actus naturalis; ſciendum eſt, an fieri poſſit ex imperio actus vitioſi, eaque ratione aut alia infici malitia morali? Pono vitiari poſſe actum bonum naturalem. Atque ideo controuerſia ſolum eſt, an ratione ſupernaturalitatis actui bono repugnet malitia. Quare nec modò diſputo, an actus ſupernaturalis vitioſus maneret ſimul bonus, ac meritorius; quoniam hac de re in actu ſupernaturali ferendum eſt idem iudicium, quod in actu naturali.

SECTIONES.

1. *Theologorum iudicia.*
2. *Sententia affirmans præfertur.*
3. *Maior probatio præcedentis ſententiæ.*
4. *Sententia præterita conformis eſt doctrinæ S.Thomæ, Sacrarum litterarum, & ſanctorum Patrum.*
5. *Roboratur magis noſtra ſententia euertendo fundamentum contrariæ.*
6. *Colligitur ex dictis actum intrinſece bonum poſſe ſimul eſſe intrinſece malum.*
7. *Item colligitur actum extrinſece malum eſſe meritorium.*
8. *An poſſit Deus prohibere directe actum ſupernaturalem?*
9. *Inſtauratur doctrina totius diſputationis.*
10. *Vlterior inſtauratio noſtræ doctrinæ.*

SECTIO PRIMA.

Theologorum iudicia.

1. PRima ſententia abſolute negat, poſſe vllatenus actum ſupernaturalem fieri vitioſum. Quam tuentur Pater Suarez de fide d.6.ſect.7.num.13. & libro 2.de Gratia cap.3. num.14. & lib. 12.c. 11. num.16. Pater Vaſquez 1.2. d.53.c.4 & d.54.cap.3.& d.84.c.3. & d.186.Pater Torres 2.2.d. 33.dub. 1.2.& 3. Pater Coninck 2.2. d.14.dub. 3. Pater Valentia 1.2. diſp.5.quæſt. 1. puncto 2.P.Iannerus tom.2. diſp.3.quæſt.2.num.16.& 22.Pater Hurtadus 2.2.diſp. 135 num.27. Item Bannes 2.2.quæſt.4.art. 5.dub. 2.Nauarrete 1.p. tom.2. contr.26.§.2.Baſilius Pontius 1.p. variar.tota relectione 2.& plures nobiles recentiores. Ratio potiſſima, qua mouentur ea eſt; quia actus ſupernaturalis non poteſt fieri ſine gratia per Chriſtum. Actus autem vitioſus fieri non poteſt auxilio gratiæ per Chriſtum, quia Chriſtus non eſt mortuus, vt operemur vitioſe, ſed religioſe,& honeſte.

P.Suarez. P. Vaſquez. P.Torres. P.Conin.k P.Valentia. P.Iannerus P. Hurtadus. Bannes. Nauarrete. Baſilius Pōtius.

3. Secunda ſententia abſolute affirmat, poſſe actum ſupernaturalem reddi vitioſum, quemadmodum actum honeſtum naturalem. Ita Scotus in 2.diſt.40 quæſt.vnica §. *De ſecundo dico*, & in 4. d. 26. quæſt.2. AEgidius in 2. d.37. quæſt.2.art.3. in corpore & ad 1.Almainus 1. moral.c.12. Guillelmus de Bellomonte apud Gregorium in 2.d.42. quæſt. 1. art. 1. con. 4. coroll. 1. Ockamus in 2.quæſt.19.Angeſtus in moral. c. 14. con. 3. Abulenſis Math. 6.quæſt.11.Vega in Tridenr.lib.11.c.27.Corduba lib.2.quæſt.23.ante medium, Caietanus 1. tom.opuſc.31.reſponſ 14.& 1.2. quæſt.45. art.4.& 2.2. quæſt. 4.art.5 ad 2. Aragon.ibidem ad finem, Medina 1. 2. quæſt. 56. art. 3. ad finem, Sotus 1.de natura & gratia c.22.con. 2.& in 4. diſt. 6. quæſt. 1. art.6. & diſtinct.1. quæſt. 6.art.8. Item Pater Salas tom.2. in 2. 2. quæſt.18. tract. 7.d. 3 num. 163.& 169.& tom.2.quæſt.55 tract.11.num.55. Pater Granadus 1. 2. contro. 2. tract.9 d.3.num.2.& 8. Antonius Perez lect. 1.exam.p.3.c.15.Curiel. 1.2.quæſt.109. art.8.dub.vlt.circa finem, pluresque ingenioſi, & graues recentiores. Neque reprobat P. Raynaudus diſt.4. num. 164. & Lorca 1. 2. de virtutibus diſputatione decima quarta, con.2.

Scotus. AEgidius. Almainus. Guillelmus de Bellomonte. Ockam. Angeſtus. Abulenſis. Vega. Corduba. Caietanus. Aragon. Medina. Sotus. P.Salas. P. Granad. Antonius Perez. Curiel. P. Raynaudus

Digitized by Google

4. Porro actus ſupernaturalis reddi poteſt vitioſus dupliciter. Primo quidem extrinſece ab actu vitioſo priori ipſum imperante, ponimus enim vnum actum voluntatis ſumere poſſe bonitatem, & malitiam ex relatione alterius in ſuum finem. Secundo quaſi intrinſece, & immediate à præcepto ipſum actum prohibente, vel à circunſtantia aliqua temporis, aut loci, in quo licite exerceri non poteſt; tunc enim fiet vitioſus actus ſupernaturalis ſeiunctim à vitio priori alterius actus. Igitur vtroque modo infici poſſe actum ſupernaturalem affirmant, & negant authores pro prima, & ſecunda ſententia adducti.

SECTIO SECVNDA.

Sententia affirmans præfertur.

Prima ratio 5. VErior ſemper mihi viſa eſt ſententia affirmans. Quam primum probo argumento communi. Actus ſupernaturalis poteſt fieri ex intentione turpi. Ergo poteſt demereri. Conſequentia conſtat ex ijs, quæ communiter traduntur tract. de bonitate, & malitia humanorum actuum. Antecedens probatur. Exiſtente voluntate cum omnibus requiſitis proxime parata ad actum ſupernaturalem miſericordiæ, poteſt homo affectu abſoluto gloriæ vanæ, aut alterius commodi temporalis velle exiſtentiam illius. Sed tunc fieret actus miſericordiæ ex fine turpi. Ergo actus miſericordiæ poteſt fieri ex fine turpi. Conſequentia liquet. Probatur maior. Intentio gloriæ vanæ, & actus miſericordiæ non reſpiciunt obiecta contradicentia, (ſubleuare enim miſeriam pauperis, & gloriam vanam acquiri compoſſibilia ſunt) & aliunde actus miſericordiæ poteſt conducere ad obiectum, ſeu finem intentionis vanæ. Ergo poteſt actus miſericordiæ appeti ex intentione vana. Actus enim conducens ad finem, & non continens obiectum contradicens fini, expeti poteſt à voluntate ex intentione finis. Minor oſtenditur; voluntas in eo euentu elicit actum miſericordiæ, determinata ab intentione finis turpis; Deus enim habet paratum concurſum ad efficiendum cum voluntate actum miſericordiæ, quoties illa ſe voluerit determinare ad illum; tunc autem ſe determinat volendo abſolute illum efficere. Ergo reuera tunc efficit actum miſericordiæ efficacia intentionis vanæ gloriæ.

Euaſio prima. 6. Dices primo cum recentioribus. Repugnat, actum miſericordiæ fieri ex intentione vanæ gloriæ; quia, vt ex tali intentione fiat, non ſufficit eſſe conducentem ad gloriam vanam, ſed vlterius requiritur, eſſe capacem procedendi ex intentione illius. Hoc autem non habet actus miſericordiæ, vt non habet affectus deteſtans gloriam vanam, licet conducat ad obtinendum illam. Sed contra. Deteſtatio efficax gloriæ vanæ non poteſt expeti intentione efficaci gloriæ vanæ, quia continet obiectum contradicens gloriæ vanæ. At actus miſericordiæ eſt expetibilis propter gloriam vanam, & quia conducit ad illam, & quia non continet obiectum incompoſſibile cum illa. Ergo licet deteſtatio gloriæ vanæ non poſſit eſſe ab intentione gloriæ vanæ, actus tamen miſericordiæ capax eſt procedere ab ea intentione. Quid? quod etiam ipſa deteſtatio gloriæ vanæ poteſt procedere ab affectu gloriæ vanæ, non quidem efficaci, ſed inefficaci cum quo poteſt componi. Nam etiam affectus inefficax finis poteſt mouere voluntatem ad actus conducentes in finem; & compoſſibilis eſt cum affectu efficaci finis oppoſiti. At deteſtatio efficax gloriæ vanæ eſt conducens ad conſequendum gloriam vanam, & compoſſibilis cum affectu inefficaci gloriæ vanæ. Ergo etiam deteſtatio gloriæ vanæ poteſt fieri ex affectu gloriæ vanæ.

Præcluditur.

7. Dices ſecundo cum alijs. In euentu argumenti defutura eſt operatio ſupernaturalis, non ex arbitrio voluntatis, ſed ex negatione gratiæ diuinæ, quæ nunquam confertur in vitium, ac ruinam voluntatis. Sed contra. Arguimus in caſu, quo voluntas pro quodam naturæ priori præcedat, potens proxime operari actum ſupernaturalem, ſcilicet cum habitu ſupernaturali, etiam gratia præuenienti diuinæ illuſtrationis, & concurſu omnipotentiæ diuinæ parato ad agendum, cum voluntas ſe voluerit determinare; voluntas autem in hac diſpoſitione rerum ſe determinet per affectum reflexum vitioſum; etenim tunc neque poteſt deeſſe actus ſupernaturalis ex defectu gratiæ diuinæ, quæ iam ſupponitur inhærens voluntati, neque ex defectu voluntatis creatæ, quæ abſolute, & efficaciter decernit elicere actum miſericordiæ. Ergo nulla ratione deerit actus miſericordiæ; ac proinde erit ex imperio intentionis vanæ, quæ poteſtatem proximam voluntatis ad agendum actum ſupernaturalem adſtringit. Neque propterea confertur, paraturue gratia diuina in actum vitioſum. Nam independenter ab actu vitioſo parata erat voluntati, vt ipſa honeſte, & cum merito exerceret gratiam in actum ſupernaturalem. Voluntas tamen abutens beneficio Dei illam exercuit ex fine vitioſo. Præterea tota malitia eſt extra actum imperatum ſupernaturalem, in quem ſolum influit gratia diuina, quia tota eſt extrinſeca ab actu naturali imperãte, cuius cauſa non eſt gratia. Ergo reuera gratia non eſt principium malitiæ; quemadmodũ Deus non eſt cauſa malitiæ, quamuis ſit cauſa actus exterioris, qui vitiatur affectu interno voluntatis. Gratia enim diuina poteſt eſſe cauſa eius operis; cuius Deus cauſa eſt, præſertim cum opus conducit per ſe ad ſalutem ſpectata cauſalitate gratiæ diuinæ, & ſolum per accidens vitio voluntatis eo fructu priuatur. Quod ex dicendis magis conſtabit.

Secunda. Nulla eſt.

8. Dices tertio cum alijs. Etiamſi tunc voluntas operetur neceſſario actum ſupernaturalem; tamen actus ſupernaturalis non vitiatur, quia non exiſtit efficacia actus imperantis vitioſi. Ad hoc enim opus eſt, vt Deus exhibeat ſuum concurſum in actum ſupernaturalem ex præuiſione actus imperantis. Deus autem nunquam exhibet ſuum concurſum in actum ſupernatu- Tertia.

Reprobatur. ſupernaturalem ex præuiſione actus vitioſi. Sed contra. Vt actus imperatus exiſtat efficacia imperantis, ſufficit, ita exiſtere abſolutè actum imperatum, vt non exiſteret, niſi præexiſtente imperanti. At in noſtro caſu reuera non exiſteret actus ſupernaturalis imperatus, niſi determinaretur voluntas per actum vitioſum imparantem. Ergo. Præterea inintelligibile eſt voluntatem neceſſitari, & cogi efficacia actus imperantis ad actum ſupernaturalem imperatum, quin actus imperans exerceat cauſalitatem in actum imperatum; nam hæc cauſalitas tota conſtituta eſt in mouendo, & determinando voluntatem ad exercitium reale actus imperati. Ergo in euentu argumenti efficitur actus ſupernaturalis ex motione, & cauſalitate actus imperantis. Rurſus Deus confert concurſum in actiones externas ſupernaturales ex præuiſione imperij interni vitioſi, verbi gratia, in conſecrationem Euchariſticam, ablutionem baptiſmi, & patrationem miraculi, quæ peragi poſſunt ex praua intentione voluntatis. Ergo etiam poterit conferre concurſum in actiones ſupernaturales internas ex præuiſione actus vitioſi interni.

Quarta. 9. Dices quarto cum pleriſque Theologis. Implicat referri actum ſupernaturalem internum in finem gloriæ vanæ; quandoquidem in hunc finem non confert actus internus, ſed opus externum. *Repellitur* Sed in primis hæc reſponſio euertit doctrinam, quam nunc ſupponimus, ſcilicet actum internum naturalem bonum poſſe in eum finem referri. Quo ſuppoſito inquirimus, an ſimiliter etiam actus internus ſupernaturalis poſſit referri? Deinde poteſt quis eum finem intendere conſequendum media prouidentia Dei, & ad mouendum Deum iudicare actum ſupernaturalem conferre. At ſuppoſita ea intentione, & exiſtimatione actus ſupernaturalis proponitur medium expetibile in eum finem. Ergo ex fine vano expetibilis eſt actus ſupernaturalis internus. Denique, licet actus ſupernaturalis internus non conferat directe in finem gloriæ vanæ, indirecte tamen conferre poteſt; quia opus externum poteſt abſque illo eligibile non eſſe à voluntate intendente finem, vt exponemus numero vndecimo.

Roboratur primo præcedens ratio. 10. Argumentum præcedens confirmatur. Qui ex fine extrinſeco humanæ gloriæ, venialiter tantum malo, accedit ad confeſſionem ſacramentalem cum vera attritione peccatorum mortalium, valide ſuſcipit abſolutionem; durum enim eſſet, eas omnes confeſſiones damnare, vt ſacrilegas, ſi alioqui integræ ſint, & doloroſæ: item conſequenter ſacrilegam iudicare celebrationem ſacri eius, qui ex affectu vano, aut propter ſtipendium celebrat, ſi alioqui intentio conficiendi ſacramentum, & prolatio verborum recta, & ſufficiens ſit. Ergo reuera poteſt actus ſupernaturalis fieri ex affectu malo, ac per conſequens extrinſece malus. Probatur conſequentia. Nam attritio neceſſaria ad valorem ſacramenti pœnitentiæ eſt ſupernaturalis. At hæc attritio elicitur ex affectu vano, cum propter gloriam vanam expetitur valida confeſſio, & abſolutio; ſiquidem attritio ſupernaturalis conſtituit confeſſionem validam, & conſequenter eligibilem hic, & nunc ab intendente finem. Ergo.

11. Communis reſponſio eſt; eo caſu ſolam confeſſionem externam imperari à fine malo, quia ea ſola conducit ad operandum bonam exiſtimationem, apud confeſſarium dolor autem internus non conducit ad hunc finem, ſed ad efficiendum validum ſacramentum, & vitandum ſacrilegium: quare dolor moraliter bonus non fit malus ex illo fine malo. *Reſponſio.* Hoc impugnatur, quia licet dolor non conducat immediate, ac directe; conducit tamen indirecte ac mediate ad finem vanæ gloriæ, ſcilicet vt medium requiſitum ad hoc, vt confeſſio exterior ſit eligibilis hic, & nunc in eum finem. *Effringitur* Si enim confeſſio exterior eſſet ſacrilega, ego non eligerem illam, nec vellem cum tanto diſpendio animæ conſequi bonam opinionem apud Confeſſorem. Dolor ergo, qui conducit ad hoc, vt confeſſio exterior non ſit ſacrilega, conducit etiam, vt confeſſio eligatur à me in ordine ad eum finem, ac per conſequens procedit dolor ex intentione vanæ gloriæ, eum confeſſionem amplector ex intentione eius finis: ſicut qui ſtatuit ire Madritum ad homicidium patrandum, & conducit equum; hæc conductio equi oritur ex intentione homicidij, & eſt extrinſece mala malitia ipſius, quia licet ad homicidium non conducat immediate equus, ſed tantum iter, quod peragi poteſt abſque equo, conducit tamen mediate, quia non eligeret longum iter cum tanto incommodo. Quare equi conductio facit illud medium eligibile, & procedit mala ab intentione homicidij. Ergo ſimiliter dolor internus, ſine quo non eligeretur à me confeſſio, vtpote ſacrilega, procedit ex vana intentione humanæ gloriæ.

Alia ſolutio. 12. Addunt recentiores, volentem per confeſſionem acquirere vanam gloriam abſque ſacrilegio habere duplicem intentionem, alteram priorem vanæ gloriæ, à qua procedit confeſſio exterior; alteram non peccandi, à qua procedit attritio interior: intentionemque non peccandi poſteriorem connecti cum intentione vanæ gloriæ priori tantum obiectiue, & non effectiue, quatenus hæc poſterior intentio vult reflexe, ne in proſequutione prioris intentionis ſacrilegium committatur. *Reijcitur* Hoc facile reijcitur; quia prior intentio vanæ gloriæ, vt vidimus, connectitur cum confeſſione exteriori, non vtcumque, ſed doloroſa, & non ſacrilega. Ergo ab ea intentione procedit confeſſio, non vtcumque, ſed doloroſa, & non ſacrilega; ideoque dolor interior venialiter malus. Confirmatur: qui vult conciliare bonam exiſtimationem apud Confeſſorem per confeſſionem doloroſam, & non ſacrilegam, poteſt vno actu velle in eum finem confeſſionem doloroſam, & non ſacrilegam; vt qui intendit homicidium, velle

Digitized by Google

iter, non qualecumque, ſed commodum, & non moleſtum; in quo caſu procederet dolor internus ab intentione venialiter mala. Credibilius autem eſt, ita de facto amari confeſſionem ab intendenti vanam gloriam, quam modo, quo fingunt recentiores, per intentiones diſtinctas, & reflexas, quæ vix cadunt in ſpeculationem hominum litteratorum. Ergo aut dicendum eſt eas confeſſiones fieri ſacrilegas, aut de facto dolorem internum diſponentem ad iuſtificationem ab intentione mala procedere.

Roboratur ſecundo.

13. Secunda confirmatio argumenti præcedentis ſit. Vitio noſtræ voluntatis poſſumus abuti actionibus ſupernaturalibus externis, vt conſecratione, & patratione miraculi, quæ ſunt gratia per Chriſtum. Ergo ſimiliter poſſumus abuti actionibus ſupernaturalibus internis. Neque ſatisfacit reſpōſio P. Torres,

Non ſatisfacit P. Torres.

Deum ſcilicet non conferre gratiam externam ex præuiſione actus vitioſi per modum retributionis debitæ actui, ſed tantum ex decreto ſuæ voluntatis ſtatūentis illam conferre dependenter ab actu imperanti noſtræ voluntatis, ſiue naturali ſiue ſupernaturali, ſiue honeſta, ſiue turpi. Nā ſi poteſt exhiberi concurſus ſupernaturalis ex decreto Dei ad actiones externas dependenter à voluntate turpi. Ergo etiā poteſt exhiberi ad internas ex ſolo decreto Dei, & non per modum retributionis. At hoc ſufficit, vt actio interna fiat vitioſa, quemadmodū fit externa. Ergo actio ſupernaturalis interna poteſt fieri vitioſa. Explicatur actio ſupernaturalis interna poteſt fieri ex intētione honeſta naturali, quāuis concurſus ſupernaturalis non conferatur per modū retributionis, nam actui naturali non retribuitur præmiū ſupernaturale. Ergo ſimiliter poteſt fieri ex intentione turpi, etiamſi concurſus ſupernaturalis non exhibeatur per modum retributionis.

Neque Baſilius Legionenſis.

14. Neque placet reſponſio Baſilij Legionenſis, ſcilicet actionem ſupernaturalem externam nō eſſe gratiam factam operanti, ſed alijs, quibus reuera prodeſt actio externa, quāuis deprauata vitio voluntatis humanæ; actio autē interna eſt gratia facta ſoli operanti, cui cedit in ruinā, ſi fiat ex fine turpi. Quoniam actio ſacramentalis in matrimonio eſt gratia facta ſolis cōtrahentibus, qui ſunt miniſtri huius ſacramenti. Nihilominus poſſunt contrahentes eam dirigere in finem venialiter turpem. Ergo etiam actio ſupernaturalis, quæ eſt gratia ipſius operantis poteſt dirigi in finē turpem. Præterea actio ſupernaturalis interna, quantumuis imperata ex praua intentione, ſecundum ſe non deſinit eſſe gratia operantis. Nā vt aliqua actio ſit gratia, & beneficium operātis, non eſt opus, vt reipſa cedat in ſalutem ipſius, ſed tantum, vt poſſit cedere per ſe in illam; nam auxilium ſufficiēs eſt gratia operantis, quāuis conferatur à Deo præuidente non operaturū ſalutē. Sed actus ſupernaturalis, quantumuis imperatus praua intentione, ſecūdum ſe poteſt conducere in ſalutem, quia poteſt ceſſare intentio praua, & durare actus ſupernaturalis abſque illa ſimpliciter bonus, ac meritorius. Ergo actio ſupernaturalis interna poteſt eſſe abſolute gratia operantis, quamtumuis imperata ex praua intentione.

SECTIO TERTIA.

Maior probatio præcedentis ſententiæ.

Secunda ratio aſſertionis.

15 ACcedit ſecunda probatio. Actus elicitus abſque fine honeſto ſibi debito nō eſt ſimpliciter bonus: quare docetur ab omnibus Theologis, non eſſe actus indifferentes in indiuiduo, ſi ponatur deberi finis honeſtus actibus indifferentibus ſecundū ſpeciem. Sed actus ſupernaturalis poteſt fieri abſque fine ſibi debito. Ergo poteſt fieri nō bonus. Probatur minor. Poteſt Deus imponere homini præceptum, vt nullum actum ſupernaturalē eliciat, quin eum dirigat in finem charitatis; in hoc enim quæ repugnantia? At tūc poterit homo elicere actum ſupernaturalem fidei, v. g. abſq; fine ſibi debito, nimirum abſque fine charitatis præcepto, quia hoc præceptum violari poteſt ab homine puro, ſicut alia violari poſſunt. Violari autem eiuſmodi præceptum non poteſt, quin reuera operetur actum ſupernaturalem abſque fine charitatis præcepto. Præceptum enim non præſcribit, vt fiat abſolute actus ſupernaturalis fidei, ſed vt dirigatur in finem charitatis, ſi fiat. Ergo poteſt fieri act⁹ ſupernaturalis abſq; fine ſibi debito: ac per conſequens nō probus. Cōfirmatur, poſſunt dari actus ſupernaturales indifferentes ſecundū ſpeciem, vt oſtendemus diſp. 69. Ergo etiam referibiles in finem extrinſecum vitioſum. Nam actus indifferens ſecundum ſpeciem referibilis eſt in finem honeſtum, & turpem.

Tertio.

16. Tertio idem probatur argumento, quo ſolet probari actum bonū naturalem poſſe vitiari. Nam, ſi Sacerdoti celebranti ſacrum prohibeatur à ſuperiore celebratio; adhuc Sacerdos ignorans vincibiliter prohibitionem poteſt cōtinuare actū ſupernaturalem religionis inceptum, ſicut poteſt actū religionis naturalem. Ergo poteſt eo præcepto vitiari. Conſequentia eſt manifeſta: Probatur antecedens. Neq; ex parte principij; neque ex parte obiecti facta eſt in eo euentu mutatio inducēs interitum actus ſupernaturalis incepti, potius quam interitum actus naturalis. Ergo ſi actus naturalis religionis neceſſario non interit, neque interit neceſſario ſupernaturalis. Antecedens probatur. Nam honeſtas obiecti, & dictamen prudens principij eodē modo requiruntur ad naturalem, ac ad ſupernaturalem actum. Sed mutatio honeſtatis in obiecto, & dictaminis prudentis in principio non deſtruit actum naturalem. Ergo neque deſtruit ſupernaturalem. Dices, Deum cohibere cōcurſum ſupernaturalem in actum religionis ſupernaturalē. Sed contra; Deus non poteſt cohibere ex natura rei concurſum ſemel præſtitū cauſæ ſecundæ, niſi ad exigentiam cauſæ ſecundæ. Sed nulla eſt cauſa ſecunda, quæ exigat ſuſpenſionem concurſus in actum ſupernaturalem, potius quam in naturalem; nam ipſe actus ſupernaturalis non poteſt eam ſuſpenſionem exigere, vt oſtendemus fuſe lib. 5. Ergo ex natura rei non interibit actus ſupernaturalis ex defectu concurſus diuini, potius quam actus naturalis.

Digitized by Google

Quarta.

17. Quarto ſic arguo. Poteſt auxilium gratiæ concurrere indirecte, & per accidens in actum materialiter vitioſum. Ergo poteſt actus ſupernaturalis reddi vitioſus. Conſequentia probatur; quia tota repugnantia aduerſariorũ ſolum refertur in cõcurſum repugnantem gratiæ ad actum peccati. Probatur antecedens primo. Cognitio ſupernaturalis poteſt concurrere ad actum deſperationis, & odij Dei, vt videbimus diſp. 57. Ergo etiam auxilium gratiæ, quod à cognitione, ſeu illuſtratione ſupernaturali indiſtinctum eſt. Secundo; Habitus charitatis concurrit indirecte non ſolum in genere cauſæ formalis, ſed etiam per modum efficientis ad omiſſionem actus charitatis venialiter prohibitam, vt expendimus diſp. 23. ſect. 8. nam omiſſio actus charitatis prohibita procedit à voluntate, vt potẽte elicere actum charitatis; alias nõ poteſt omiſſio actus charitatis in voluntatem tanquam in cauſam refundi. At voluntas, vt potens elicere actum, includit intrinſece habitum charitatis, quo redditur formaliter potẽs. Ergo habitus charitatis indirecte concurrit ad omiſſionem actus charitatis prohibitam. Ac per cõſequens etiam poterit indirecte concurrere auxilium gratiæ in actum prohibitũ. Addo; actus elicitus à gratia poteſt reddi vitioſus, quin concurſus gratiæ vllatenus attingat malitiam, ned aliquid identificatum malitiæ, nec connexum neceſſario cum malitia. Ergo non repugnat cõcurſus gratiæ in actum materialiter vitioſum, Probatur antecedens. Cum actus ſupernaturalis imperatur intentione vitioſa, gratia auxiliatrix Dei concurrit ſolum ad actum imperatum quoad entitatem intrinſecam actus, & nullatenus concurrit ad malitiã ipſius, neque ad quidpiam identificatum malitiæ, neque connexum cum malitia. Quia tota malitia eſt actui extrinſeca proueniens à vitioſa intentione. Cõcurſus autem gratiæ totus exercetur in entitatẽ intrinſecã actus imperati. At entitas intrinſeca actus imperati non eſt formaliter malitia intentionis imperantis, nec identificata malitiæ ipſius, neque connexa cum illa. Ergo nullo pacto concurrit gratia ad malitiam. Concurrit quidem ad actum materialiter malum, ſed non malitia intrinſeca, ſed omnino extrinſeca, & diſtincta realiter ab entitate actus intrinſece honeſta. Ac proinde gratia ſimpliciter agit honeſtatẽ actus, & nulla ratione malitiam.

Vrgetur.

Primo cõfirmatur. Confirmatur; actus interior imperatus ex ſiniſtra intentione eſt ſolum intrinſece malus, ſicut eſt actus exterior. At in actionem exteriorem extrinſece malam confert Deus concurſum gratuitum, & ſupernaturalem, v.g. in conſecrationem Euchariſticam, & operationem miraculi. Ergo etiam in actionem interiorem extrinſece malam conferre poteſt.

Secundo cõfirmatur. Iterum confirmatur; Deus eſt cauſa actus boni naturalis infecti malitia extrinſeca intentionis prauæ. Ergo auxilium gratiæ poteſt eſſe cauſa actus ſupernaturalis infecti, ſimiliter malitia extrinſeca intentionis. Nam tantum repugnat bonitati diuinæ cauſalitas in malitiam moralẽ; quantum repugnat excellẽtiæ gratiæ creatæ. At abſque diſpendio bonitatis diuinæ poteſt Deus cauſare actum extrinſece malum. Ergo etiam abſque diſpendio excellentiæ gratiæ poteſt creata gratia eundem cauſare.

18. Tandem claudo probationem noſtræ ſententiæ. Poteſt aliquis vacare orationi ea intentione, & extẽtione, quæ propter diſpendium ſalutis culpa venialis ſit, abſumere tot vires, & ſpiritus corporeos. Nihilominus actus eo tẽpore, eaq; intẽtione eliciti poſſunt eſſe ſupernaturales. Ergo actibus ſupernaturalibus poteſt miſceri aliqua, materia qua inquinentur. Maior, & conſequentia cõſtant. Probatur minor. Primo, quia durum eſt, hominem ſic orationi, & affectibus ardentibus virtutum intentum priuare omnino merito cœleſti, & illuſtrationes, ac affectiones pias, quibus eius cor delinitum eſt, & cõſenſum præſtitit, credere eſſe mere naturales, & non infuſas à Deo, deuotionemque, quam ad varia virtutum officia inde experimento nanciſcitur, fuiſſe mere humanam; & non cæleſtem, ac diuinam. Secundo quia iidem actus minori intenſione, ac duratione eſſent ſupernaturales, cum non eſſent nociui ſaluti. Ergo etiam in maiori intenſione, ac duratione ſupernaturales ſunt. Quandoquidem intẽſio, & duratio actus non variat ſpecifice entitatem illius. — Quinta ratio.

SECTIO QVARTA.

Sententia præterita conformis eſt doctrinæ S. Thomæ, ſacrarum litterarum, & Sanctorum Patrum.

19. NOſtra ſententia conſonat doctrinæ S. Thomæ, ſacris litteris, & Eccleſiæ Patribus. S. Thomas plane illam docuit qu. 2. de malo, art. 4. ad 2. his verbis. *Ad ſecundum dicendum, quod illud quod conſequitur ſpeciem alicuius, ſemper ineſt ei: cum ergo actus hominis ſpeciem conſequatur ex ratione obiecti, ſecundum quam eſt bonus, vel malus, actus ſic ſpecificatus in bono nunquam poteſt eſſe malus; nec ſpecificatus in malo, poteſt eſſe bonus: contingit tamen actui ſecundum ſe bono adiungi aliquem alium actum malum ſecundum aliquem ordinem, & ſecundum actum malum bonus dicitur aliquando maleficari, non quod in ſe ipſo ſit malus, ſicut dare eleemoſinam pauperi, vel deligere Deum eſt actus ſecundum ſe bonus, ſed referre actum huiuſmodi ad finẽ aliquem inordinatum, ſcilicet cupiditatis aut inanis gloriæ, eſt quidem alius actus malus.* Hæc S. Thomas. Quibus plane fatetur poſſe actũ dilectionis Dei in finem gloriæ vanæ, aut alicuius cõmodi temporalis referri, atque adeo extrinſece malitia alterius actus maleficari. Quare quando alibi docet, non poſſe actum bonum eſſe malum, intelligi debet de malitia actus eſſentiali, & intrinſeca, non vero de extrinſeca, quam aperte admittit præcedenti teſtimonio. — Illuſtratur S. Thomas.

20. Ex Sacris litteris, & Eccleſiæ Patribus ſic noſtram aſſertionem colligo. Sacræ litteræ, & Eccleſiæ Patres frequenter nos admonent; ne actus virtutum ſalutarium exerceamus ex intentione gloriæ vanæ, aut alicuius commodi temporalis, quærentes illis noſmetipſos potius, quam Deum, terrena potius, — Ex ſacris litteris.

quam cœleſtia bona. Ergo plane ſentiunt, eos actus procedere poſſe ex intentione ſiniſtra, atque adeo extrinſece ſaltem deprauari poſſe. Conſequentia manifeſta eſt; nam quorſum eſſet tam acurata, & frequens admonitio ad præcauendum malum impoſſibile. Quis enim ſerio, & ſtudioſe admonet malorum, quæ vitare debet, ſi eſt homini euenire impoſſibile eſt? Inanes ſane ſunt adhortationes, quæ fiunt ad declinanda peccata, quæ committi repugnant. Igitur ſi ſacræ litteræ, & Eccleſiæ Patres ſerio, ac ſollicite adhortantur homines, ne virtutis, ac ſanctitatis actus, non modo externos, verum neque internos ex fine aliquo temporali, ac vano eliciant, quo eorum decor deturpetur, manifeſtum eſſe debet, talem deturpationem, & malitiam actuum cenſeri à Patribus vitio noſtræ voluntatis poſſibilem. Ergo ſolum antecedens probationem deſiderat; quam equidem credo, non deſideraturum Theologum, qui animo veſtigandi veritatem diſputationis propoſitæ monumenta Patrum euoluerit.

Aſſumptũ oſtenditur Math. 6.

21. Antecedens docet Chriſtus Dominus Math. 6. *Attendite, ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* Hic enim prohibet Chriſtus Dominus, iuſtitiam noſtram fieri ex appetitu laudis humanæ. At iuſtitia noſtra prohibita fieri ex eo fine comprehendit hic non ſolum opera externa, verum etiam interna virtutum. Ergo prohibet, actus internos virtutum fieri ex fine laudis humanæ, atque adeo cēſet, talem finem actibus internis virtutum eſſe poſſibilem. Minor probatur. Primo quia, vt exponit Lyranus, nomine iuſtitiæ intelligit Chri-

Lyra.

ſtus *opera bona in genere, quæcunque fuerint illa, quia omnia continentur ſub iuſtitia generaliter dicta.* At opera bona in genere quæcunque illa ſint, communia ſunt operibus iuſtitiæ internis. Secundo quia ratio ſanctitatis, & iuſtitiæ primario conuenit operibus internis, quam externis, immo externa opera non habent aliam ſanctitatem, & iuſtitiam ſimpliciter dictam, niſi quam participant extrinſece à iuſtitia, & ſanctitate operum internorum. Tertio, quia Chriſtus Dominus vetat fieri ex fine vano id, quod apud homines laudi habetur. At apud homines non habetur laudi ſola iuſtitia externa, ſed etiam interna quam indicat actio operum externorum; immo dum opera externa non ſuadent affectus virtutum internos, non habetur, neque laudatur homo tanquam iuſtus, ac vere religioſus, & miſericors, ſed potius vituperatur tanquam hypocrita, & doloſus. Ergo Chriſtus Dominus vetat fieri ex intentione humanæ laudis veros iuſtitiæ actus internos, qui etiam apud

Auguſtin.

homines laudem merentur. Quare optime Auguſtinus ſermone 52. de tempore; *Cauete inquit Dominus, veſtram iuſtitiam facere coram hominibus, id eſt, hoc animo iuſte viuere, vt nos videãt homines; Non ſi ab hominibus videamini; ſed ſi propterea recte viuatur, vt ab hominibus videamini.* Itaque non præcauet Dominus videri, & haberi ab hominibus affectu interno iuſtos, & miſericordes, ac pœnitentes, quod ad iuſte viuendum requiritur, ſed eum affectum habere, & operibus manifeſtare, vt ab hominibus videatur, atque laudetur. Quarto quia explicans cæleſtis Magiſter iuſtitiam, quam prohibet fieri propter humanas laudes, recenſet præter miſericordiam, & pœnitentiam orationem, *& cum oratis non eritis, ſicut hypocritæ, &c. Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum in abſcondito.* At oratio eſt mentis eleuatio in Deum, & præcipue complectitur actus internos. Ergo actibus internis præcauet intentionem laudis humanæ. Itaque nomine iuſtitiæ in eo teſtimonio Chriſti Domini etiam actus interni iuſtitiæ comprehenduntur. Quare Auguſtin. lib. 2. de ſermone Domini in monte cap. 1. ad eiuſmodi verba Chriſti ait, *In quo apparet, non hoc eum prohibuiſſe, vt recte fiat coram hominibus, ſed ne ob id forte recte fiat coram hominibus, vt videamur ab eis, id eſt, vt hoc intueamur, & ibi finem noſtri propoſiti collocemus.* At licet operibus externis rectum, & iuſtum faciamus, verum ſine affectu virtutis interno recte, & iuſte nihil agimus. Ergo ſi Chriſtus Dominus non ſolum prohibet ne rectum, & iuſtum, verum etiam ne recte, & iuſte agamus ex fine gloriæ vanæ, plane prohibet, etiam affectus virtutum internos ex eo fine concipere. Ac proinde etiam illis talem finem ſupponit poſſibilem. Et quidem hos affectus virtutum non eſſe mere naturales, ſed intrinſece ſupernaturales & ex ſe ſalutares in vitam æternam, planum eſt ex eo, quod addit; *alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrũ qui in cœlis eſt.* Vbi manifeſte ſupponit *alioquin* abſque eo fine eos virtutum actus eſſe meritorios, & ſalutares, ac proinde ſupernaturales. Vnde etiam noſtra interpretatio confirmatur. Nam meritum, cui debetur merces apud Deum in cælis, potiſſimum competit actibus internis. Ergo ſi de iuſtitia meritoria diſſerit Chriſtus, ſane diſſerit de iuſtitia interna. Quod intellexiſſe videtur Chryſoſtomus homil. 72. in Math. agens de appetitu gloriæ vanæ in explicationem ſuperioris teſtimonij: *Tanquam contagioſus morbus omnia corrũpit. Chriſtus Dominus hortatus fuit, vt theſauros noſtros in cœlo reconderemus, quo fur non appropinquat; & vbi tinea non demolitur, nihilominus inanis gloria eo pertingit, & ſæpe quæ quis in cœlo per bona opera theſaurizauerat, inanis gloriæ impetus perdit, & expugnat.* Quamquam bona opera in cælo recondantur, & ſecretiſſima, ac interna ſint, impetu gloriæ vanæ perduntur.

22. Illuſtratur tota doctrina, & vlterius confirmatur expoſitio præcedens. Nam Chriſtus Dominus ex præcedēti teſtimonio ſic continuo monet. *Te faciente eleemoſinam neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua, vt ſit eleemoſina tua in abſcondito.* At interpretatione Patrum per dexteram intelligitur affectus interior virtutis miſericordiæ, per ſiniſtram vero affectus laudis humanæ, qui miſceri non debet alteri affectui honeſto, ne ille ſuum meritum perdat, ac honeſtatem inficiat. Ergo. Probatur minor. Auguſtinus lib. 2. de ſermone Domini in monte cap. 2. circa finem ſic exponit. *Nihil conſequentius ſiniſtra videtur ſignificare, quam ipſam delectationem laudis. Dextera autem ſignificat intentionem implendi præcepta diuina. Cum itaque conſcientiæ facientis eleemoſinam miſcet ſe appetitio*

Confirmatur.

S. Auguſt.

laudis humanæ, ſit ſiniſtra conſcia operis dextræ. Neſciat ergo ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua, id eſt, non ſe miſceat conſcientiæ tuæ laudis humanæ appetitio, cum in eleemoſina facienda diuinum præceptum contendis implere, vt ſit eleemoſina tua in abſconſo. Quid eſt in abſcondito, niſi in bona conſcientia. Quia interior conſcientia, & voluntas ſeruari bona non poteſt, dum ei miſcetur affectus laudis humanæ, ex quo naſcitur; neque opus dexteræ, ſcilicet affectus implendi præceptum diuinum, qualis à Deo præcipitur remauere, dum opus ſiniſtræ, ſcilicet appetitio laudis humanæ tali bonæ inſeritur voluntati. Vnde mox ſubdit Auguſtinus, ideo hanc Chriſti doctrinam neceſſariam eſſe, quia ſunt aliqui *qui & intentione, qua in Deum eſt, eleemoſinam faciant, & tamen inſerant ſe huic optimæ voluntati nonnullæ etiam laudis, vel cuiuſcunque rei fragilis, & temporalis cupiditas.* Ergo interdum contingit, optimam voluntatem ex nonnullo laudis humanæ affectu, moueri, & duci. Conſonat

S. Ambroſius.

Ambroſius fer. 6. poſt cineres ſerm. vigeſimo octauo. *Cum dextera, vel ſiniſtra corporis organa ſint rationis expertia, ſcire aliquid, vel ignorare eis non competit. Non ergo nunc de corpore loquitur. Verum in dextera, Dei amor intelligitur, in ſiniſtra vanitas, vel mundi cupiditas. Quaſi dicat; Neſciat ſiniſtra quid faciat dextera, hoc eſt, quod facit amor Dei; non perdat mundi vanitas.* En non loquitur Chriſtus de corpore, ſiue de actionibus externis, ſed ſolum de internis, quarum aliæ alias perdere poſſunt, verbi gratia, amorem Dei vanitas, & cupiditas mundi. Similiter Anſelmus ad cap. 6. Math. *Dextera eſt amor cæleſtium bonorum. Siniſtra vero eſt amor temporalium bonorum, laudis ſcilicet & cæterorum. Non ergo conſocientur iſti amores; & neſciat ſiniſtra, id eſt, petitio humanæ laudis; quid faciat dextera; id eſt, amor; & cæleſtium reſpectus, vt ſit eleemoſina tua in abſcondito; id eſt, in pura conſcientia, vbi homo non videt, ſed Deus tantum.* Scilicet quia affectus cæleſtium bonorum deprauari poſſunt amore temporalium. Quod iterum expreſſit Auguſtinus in Pſalm. 120. ad illa verba, *ſuper manum dexteræ tuæ*, dicens, *ſi propter vitam æternam opereris, dextera ſola operatur. Si autem habes intentionem ad vitam æternam, ſed ſurrepit tibi cupiditas vitæ temporalis, vt attendas etiam iſta, quando facis opus bonum, vt ſic tibi aliquid retribuatur, miſcet ſe ſiniſtra operibus dextræ. Hoc vetat Deus.* Audis affectui quærenti vitam æternam ſurrepere interdum cupiditatem commodi temporalis, qua prior voluntas inquinetur.

Rurſus oſtenditur ex Galat. 5.

23. Accedat ſecundum teſtimonium Sacræ paginæ ex Apoſtolo ad Gal. 5. *Si ſpiritu viuimus, ſpiritu & ambulemus; Non efficiamur inanis gloriæ cupidi.* Id eſt, virtutum actus, quos Dei ſpiritu in corde concipimus, ne cupiditate inanis gloriæ ſubuertamus, ſed in ſpiritus ſolius perfectionem intendentes deſideria temporalia tranſitoriæ gloriæ deturbemus. Ita Anſelmus;

Anſelmus.

Quia nonnulli poſtquam in virtutibus excreuerint, incipiunt velle laudari, velut ſanctiores, apte ſubiungitur; Non efficiamur inanis gloriæ cupidi. Id eſt, ſi ſpiritualiter viuimus, & ſpiritualiter proficiendo ambulamus, non inde vanam gloriam tranſitoriæ laudis cupiamus. Rationemque reddit, quia cupiditate inanis gloriæ euerterentur in nobis virtutes ſpiritu diuino adeptæ. *Sic enim per appetitum vanæ gloriæ fieret in nobis tanta ſubuerſio, vt qui putabamur cæteris meliores, nunc efficeremur aliis peiores.* En ſatis manifeſtum, virtutes internas, quas diuinus ſpiritus agit in nobis, appetitu gloriæ humanæ fieri, indeque cæleſti fructu euaneſcere poſſe. Tertium teſtimonium ſit eiuſdem Pauli 2. Chorint. 1. *Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Quippe quia Apoſtolus ſuæ conſcientiæ, charitate, & cæleſti virtute plenæ non aliam gloriam, neque aliud gaudium quærebat, niſi quod intra clauſtra ſui cordis ipſa virtus interna pariebat, quin extra ſe humanos fauores appeteret. Sic exponit Damianus ſer. 65. de ſancto Barbatiano; *Gloriam ſuam Apoſtolus teſtimonium conſcientiæ memorans, quia fauores oris alieni non appetens; vitæ ſuæ gaudia extra ſemet ipſum ponere ignorabat.* Ergo in rectam conſcientiam cadit extra ſemetipſum fauores oris alieni captare.

Tertio ex 2. Cor. 1.

24. Adiungamus ſacris teſtimonijs, expoſitione Patrum illuſtribus, alia Patrum ſuffragia, quæ eandem doctrinam ſtabiliunt. Egregius eſt in hac re Baſilius in conſtitut. monaſt. c. 11. his verbis. *Inanis gloria expugnatu difficilis, & callida noſtræ ſalutis inſidiatrix, quæ vel in ipſius cæli connexis inſidiarum aduerſum nos collocatrix virtutes ramis in cælum vſque licet expanſis, ac porrectis adornatas profligare, pertinaciſſime contendit.* Quis non videat, diſſerere Baſilium de virtutibus internis, atque eis aſſerere inſidiatricem eſſe inanem gloriam, quæ callido aſtu illas licet in cælum vſque ſurgentes profligare conatur. Quod mox probat; *ſimul enim, ac illa Pietatis mercatorem cuiuſque modi virtutum mercibus onerariam mentis nauem ſuffarcinaſſe, & compleſſe animaduertit, procella ſua ocius excitata in eo omni conatu operam dat, vt illam euertat.* Potuit clarius exprimi pernicies, atque ruina virtutum internarum animæ ex affectu gloriæ vanæ contingens? Quare grauiter, & proprie vanam gloriam nuncupat *dulcem ſupernaturalium operum expoliatricem, tineam virtutum; blandiſſimam bonorum noſtrorum deprædatricem, eandemque mellis illitu, fraudis ſuæ veneno coloratricem.* Adde Gregorium homil. 12. in Euang. de parab. decem virg. *Compellor dicere, vt bona, quæ agitis, cum magna cautela teneatis, ne appetitus laudis ſubrepat; & quod foris oſtenditur, intus à mercede euacuetur.* Plane loquitur Gregorius de bonis operibus internis, quæ ſubrepente appetitu vanæ gloriæ euacuari honeſte, & merito poſſunt; ideoque ſtudioſe nos admonet, vt magna cautela vigilemus, ne in actus virtutum internos cancer iſte decerpat. Auguſtinus præter ſuperiora plura alia habet in aſſumpti noſtri probationem præclara, lib. 2. de ſermone Domini in monte. *Oculo cordis magna ex parte mundato difficile eſt, non ſurrepere ſordes aliquas de ijs rebus, quæ ipſas*

Ex ſanctis Patribus.

Baſilius.

Gregorius.

Auguſtinus.

noſtras bonas actiones comitari ſolent, velut laus eſt humana. Siquidem non rectè viuere pernicioſum eſt; rectè autem viuere, & nolle laudari, quid eſt aliud, quam inimicum eſſe rebus humanis. Si ergo, inter quos viuis, te rectè viuentem non laudauerint, illi in errore ſunt; ſi autem laudauerint, tu in periculo. Duo hic obſeruo. Primum, affectum cordis quamuis mundum facilè ſordidari deſiderio laudis humanæ. Secundum, ipſum rectè viuere, quod vt ſupra notaui, complectitur virtutum affectus, laudibus humanis periclitari, quia earum appetitu infici, omnibus procliue eſt. Item concione 12. in Pſalm. 118. circa medium. *Propter ipſam laudem bene operari, hoc eſt, vanitatem in ſuis operibus intueri. Quandoquidem & ipſa ab hominibus laus homini iuſto quantacunque prouenerit, non ibi eſſe debet eius finis boni, ſed ipſa etiam referenda eſt ad laudem Dei, quoniam nec à ſe ipſis, ſed ab illo fiunt boni.* Iterum expendo, ipſum bene operari referri poſſe in laudem humanam, cum bene operari manifeſtè contineat actum internum bonum. Inſuper ideo in laudem Dei, non in noſtram dirigi debere, quia non noſtris viribus, ſed auxilio gratiæ diuinæ bene operamur. Ergo etiam interni virtutum actus ex affectu humanæ laudis fieri poſſunt. Quandoquidem gratia Dei non tam ad actus externos, qui ab hypocritis ſine gratia fiunt, quam ad internos iuſto donatur. Vt ergo ratio Auguſtini ad referendum opera bona in Dei laudem, non in noſtram, recta ſit, plane ſentit, actus virtutum internos etiam in noſtram laudem poſſe referri, deberi autem in laudem Dei refundi, quia gratia Dei, non facultate noſtra, boni fiunt. His ſimilia alia frequētia ſunt apud alios Patres. Ex quibus manifeſtè deprehendes, internos virtutū actus poſſe in fines temporales ordinari, eorumque conſequenter praua deprauari intentione, vt argumento confecto nu. 19. contendebamus.

Expenditur doctrina Patrum.

25. In ſuperiorum, & aliorum ſimilium, quæ Patribus familiaria ſunt, explicationem, & robur noſtræ doctrinæ expendo. Cum Eccleſiæ Patres monent, difficile eſſe, non moueri voluntatem iuſti ad bene agendum ex affectu laudis humanæ; quia facilè miſcetur, ſurrepit bonis affectibus mentis appetitio gloriæ vanæ; non tam differunt de conſenſu deliberato, & efficaci voluntatis in gloriam humanam, quam de affectu indeliberato, & inefficaci, qui abſque hominis libertate excitatur in mente, mouetque in bona opera virtutum libere exercenda propter illam. At motio, & efficacia affectus indeliberati, & inefficacis in gloriam vanam non poteſt inducere voluntatem immediate ad bene agendum opus externum, ſed ſolum mediate, inducendo prius in affectum virtutis efficacem, imperantem opus externum. Ergo differunt de motione appetitionis vanæ in conſenſum efficacem virtutis, imperantem opus externum bonum; ideoque dehoneſtante ex fine vano totam operis bonitatem, quæ primario ex bonitate conſenſus efficaciter imperantis deſumitur. Conſequentia eſt bona. Minor negari non poteſt; quia opus externum liberæ exequutioni voluntatis dari non poteſt abſque conſenſu efficaci libero voluntatis imperante actionem externam. Ergo motio indeliberata, & inefficax finis temporalis non poteſt inducere voluntatem ad opus externum exequendum, niſi inducendo prius, blandeque trahendo illam in conſenſum internum efficacem, & liberum operis externi. Maior ex modo loquendi Patrum ſatis colligitur. Etenim ſurrepere, inſerere ſe, atque miſceri affectum gloriæ vanæ, tanquam deprædatricem, & inſidiatricem virtutum, non competit conſenſui directo abſoluto, deliberato, & efficaci gloriæ vanæ, imperanti directè, & intrinſecè opus externum propter illam. Nam conſenſus deliberatus, & efficax imperans opus externum propter gloriam vanam, palam, non clanculum, apertus hoſtis, non occultus inſidiator virtutibus bellum gerit. Patrum loquutiones ſuperioribus manifeſtæ ſunt. Tamen audi Chryſologum ſer. 7. de inani gloria. *Subtile malum eſt ſecretum virus, venenum latens, virtutum fucus, tinea ſanctitatis. Hæc crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum, de remedijs creat morbos, & de medicina conficit languorem.* Quippe ſuo ſecreto, atque fraude virtutes ipſas internas inficit, & perdit. Climacum Gradu 21. *Eſt laborum diſſilatio, ſudorum perditio, theſaurorum inſidia, in portu naufragium.* Quid Auguſtinus Epiſt. 64. fine. *Hoc mihi ipſe canto quotidie, & tamen vehementer cum aduerſario dimicans ſæpe ab eo vulnera capio, cum delectationem oblatæ laudis mihi auferre non poſſum.* En delectatio neceſſaria laudis vulnera infert. Vnde præoccupari poteſt explicatio ſuperiorum teſtimoniorum, quæ à quopiam excogitari poteſt. Videlicet, Patres ſolum prohibere ſocietatem intentionis vanæ mere comitantis, non imperantis, neque inducentis intentionem bonam. Nam vana intentio indeliberate inſerta, & ſurrepens voluntati non poteſt mouere voluntatem ad opus externum, niſi mouendo prius voluntatem ad cōſenſum efficacem internū, qui ad operis exequutionem neceſſarius eſt. Ergo non comitatur ſolum, ſed etiam mouet, & allicit voluntatem in conſenſum internum bonum, quo efficaciter externum opus perficitur.

SECTIO QVINTA.

Roboratur magis noſtra ſententia euertendo fundamentum contrariæ.

Ruina oppoſiti fundamenti.

26. EX probatione noſtræ ſententiæ facile corruit totum fundamentum, in quo nititur contraria ſententia, quod propoſuimus num. 2. Nam reuera gratia non eſt cauſa, vt actus ſupernaturalis fiat vitioſus, ſed eius cauſa ſolum eſt vitium voluntatis humanæ abutentis gratia diuina in finem prohibitum, elicientiſque illum circunſtantijs, quibus non licet. Quare vere mortuus non eſt Chriſtus in vitium, ac ruinam voluntatis, ſed potius in eius beneficium, & ſalutem; ſiquidem gratia diuina ſecundum ſe ſemper mouet, & conducit

Digitized by Google

in ſalutem, à Deoque in illam cõfertur; vitium que noſtræ voluntatis eſt, quòd illam non conſequatur, vt eſt vitium eiuſdem, quòd auxilium ſufficiens non nobis in ſalutem, ſed potius in condemnationem cedat.

Legionenſis obiectio.

27. At vrget Legionenſis. Non eſt hominis beneficium donum, quod melius eſt homini non eſſe, quàm eſſe; ſed cum actus ſupernaturalis fit vitioſus, melius eſſet homini non eſſe auxilium gratiæ ad illum, quam eſſe; quia vitiũ eſſe, non eſt melius homini. Ergo auxilium gratiæ non eſt tunc beneficium hominis.

Inſtatur.

In primis inſtatur hoc argumentum in auxilio ſufficienti, quod vitio voluntatis humanæ non operatur ſalutem.

Primo expeditur.

Nam homini damnato melius eſſet non habuiſſe auxilium ſufficiens, quam habuiſſe ſine operatione otioſum. Præterea nego minorem, quia ſemper, ac fit actus ſupernaturalis vitioſus, poteſt auxilio gratiæ fieri non vitioſus, & conducens in vitam æternam; nam poteſt fieri cum debitis circumſtantiis, quæ ſolo vitio noſtræ voluntatis deficiunt actui, vt abſolute fiat honeſtus, ac meritorius; beneficium autem hominis eſt, quod poteſt per ſe ad eius ſalutem conducere, eoque animo confertur à Deo. Ergo.

Secundò.

Secundò, quia malitia actus ſupernaturalis eſt omnino diſtincta ab eius entitate; quippe proueniens, vel ab intentione prohibita, vel à defectu intentionis præceptæ. Ergo exiſtente, & non exiſtente actu ſupernaturali poteſt eſſe, & non eſſe totum vitium eius actus; atque adeo nunquam erit melius non eſſe, quam eſſe actum ſupernaturalem.

Alia eiuſdem oppoſitio.

28. Subdit Baſilius; vitiari ſaltem non poſſe actus charitatis, ac fidei. Primo, quia ſunt aliqui actus adeo inhoneſti intrinſece, vt nullatenus poſſint honeſtari. Ergo etiam ſunt aliqui actus adeo honeſti intrinſece, vt nullatenus poſſint dehoneſtari. Secundo, quia ad nullum finem temporalem conferunt actus ſupernaturales charitatis, ac fidei. Ergo ex fine turpi vitiari non poſſunt. Præterea ſpeciatim id probatur de actu charitatis, quia iuxta illud Pauli

1. Cor. 13.

1. Cor. 13. *Charitas non agit perperam.* De actu fidei, quia iuxta doctrinam Conciliorum non poteſt fieri actus fidei, niſi ex affectu honeſto, ac ſupernaturali piæ affectionis. Item quia ex

Auguſtinus

Auguſt. de Catechizandis rudibus c. 5. *rariſſime accidit, aut fere nunquam, vt quiſpiam velit fieri Chriſtianus, qui non ſit aliquo Dei timore perculſus; ſi enim aliquod commodum expectando vult fieri Chriſtianus, non fieri vult, potiuſquam fingere; fides enim non eſt res ſaluandi corporis, ſed credentis animi.* Ergo ex fine commodi temporalis haberi fides non poteſt.

Eleuatur.

29. Reſpondeo. Etiam actus charitatis, ac fidei poſſunt deprauari. A quo non abſonat Chriſologus ſer. 2. de Epiph. *Paulus de perſecutore factus eſt prædicator; quia per Zelum legis impugnabat legem, & in Deum Dei amore peccabat.* Ad primam probationem negatur conſequentia. Nam actus imperans actum intrinſece malum non poteſt eſſe bonus, vt illi bonitatem communicet; actus vero imperans actũ intrinſece bonum, poteſt eſſe malus, vt illi communicet malitiam. Deinde, eſto actus imperans actum intrinſece malum poſſet eſſe moraliter bonus, vt actus odij Dei fit abſolute bonus, non ſufficit bonitas extrinſeca alterius actus, dum ipſe actus odij Dei eſt turpis, & malus intrinſece; vt autem charitatis actus fit inhoneſtus, ac vitioſus ſimpliciter, ſufficit prauitas, & malitia extrinſeca alterius actus, etiam ſi actus charitatis ſit intrinſece honeſtus; bonum enim ex integra cauſa, malum autem, &c. Ad ſecundam reſpondeo. Actus charitatis, ac fidei vitiari poſſunt aliunde quàm ex fine turpi, videlicet ex defectu finis extrinſeci honeſti ipſis debiti, vel ex præcepto indirecte prohibenti eos actus, vt arguebamus nu. 15. Præterea etiam poſſunt deprauari ex fine ſaltẽ venialiter turpi. Quia poſſunt conducere, vt homo conſequatur à Deo bonum aliquod temporale, quod dirigitur ab homine in finẽ venialiter turpem, vel vt captet ab Angelis, vel hominibus ſine fictione gloriam vanam, vt dicebamus nu. 9. & 11. Quare ad illud Pauli 1. Cor. 13. reſpondeo. Vere charitas non agit perperam per ſe loquendo, quia non mouet in agendum aliquid prauum. Tamẽ poteſt prauo noſtræ voluntatis affectu perperam agi, quia ad agendam illam poteſt voluntas ex prauo aliquo affectu moueri. Idem dico de actu fidei. Nam licet iuxta doctrinam ſacram ſemper imperetur fides affectu ſupernaturali piæ affectionis, poteſt nihilominus interdum affectus ſupernaturalis piæ affectionis alio imperio reflexo ſimul cum actu fidei vitiari, aut cum eo affectu honeſto piæ affectionis comitanter iungi alius affectus turpis, à quo ſolus actus fidei vitietur, quamuis imperatus ſimul ex affectu honeſto piæ affectionis. Nam ſicut affectus naturalis honeſtus in conſortio affectus ſupernaturalis poteſt exercere in actum fidei cauſalitatem, & motionem, quam non poteſt exercere ſeorſim ab illo; ſic poteſt etiam exercere cauſalitatem affectus turpis in conſortio affectus honeſti. Hinc ad Auguſtinum reſpondeo. Cenſetur impoſſibile vitium Chriſtianæ fidei ex fine commodi temporalis, quia actus fidei haberi non poteſt abſque affectu ſupernaturali, & honeſto piæ affectionis. Secus eſt, cum affectui pio ſupernaturali iungitur alius affectus commodi temporalis non pius. Præterea ab Auguſtino non aſſeritur impoſſibile, ſed rariſſimum dumtaxat vitium Chriſtianæ fidei, nam id aliquando contingere docet Auguſtinus eodem lib. c. 7. Auguſtinus

30. Ex dictis lucem dabimus aliis teſtimoniis Patrum, quæ aduerſarij non opponunt, videntur tamen eorum fundamentum confirmare. Etenim Damaſcenus lib. 4. de fide c. 21. ait; *Impoſſibile eſt ex bono malum habere ortum.* Damaſcenus.
Ergo actus malus non poteſt habere ortum à gratia, ac proinde neque eſſe ſupernaturalis. Proſper ad cap. Gallorum c. 6. *In bonis voluntas eſt intelligenda de gratia; in malis autem voluntas intelligenda ſine gratia.* Proſper.
Ergo actus elicitus ex gratia non poteſt inter malos referri. Eademque habet ad Demetriadem pag. vlt. & lib. 3. de vita contemplatiua c. 13. Rurſus Auguſtinus lib. de geſtis Pellagij c. 3. *Nec aliquid in nobis libera voluntas melius agere poteſt, quam vt gratiæ ſaluatoris* Auguſtinus

ſe agenda commendet, qua male agere non poteſt. Ergo à gratia diuina procul abeſt in malam actionem concurrere. Hæc enim, & ſimilia explicanda ſunt de concurſu directo gratiæ, de per ſe, non de per accidens, ſcilicet ex abuſu voluntatis humanæ influenti in malum. Item de actu intrinſece malo, non extrinſece per malitiam ab actu, in quem gratia influit, omnino diſtinctam. Quæ ex dictis plana ſunt.

SECTIO SEXTA.

Colligitur ex dictis, actum intrinſece bonum poſſe ſimul eſſe extrinſece malum.

Explicatur.

31. VT plena luce manifeſta ſint, quæ ſuperius ſtatuimus, firmare oportet aliqua conſequentia, quæ ex præteritis deducuntur, & ab aduerſariis difficilia iudicantur. Et primum eſt, eundem actum eſſe poſſe intrinſece bonum & extrinſece malum. Etenim re ipſa actus intrinſece bonus, & extrinſece malus nõ eſt alius, quam virtutis actus alias bonus participans ab actu ſibi extraneo malitiam relationis in finem malum. Quare ſolis vocibus negant actũ ſimul intrinſece bonum, & extrinſece malum, qui admittentes actum ſupernaturalem virtutis procedere ex mala intentione, negant, eum actum ſimul intrinſece bonum; vt extrinſece malum.

Probatur.

Etenim tota difficultas in actu ſimul intrinſece bono, & extrinſece malo alia nõ eſt in re, quàm eundem virtutis actum, qui ſine imperio actus mali eſſet intrinſece bonus, habere ortum ex motione, & directione extrinſeca actus intrinſece mali, vt notaui tr. de merito. Ergo vbi probatum relinquitur actum ſupernaturalem poſſe fieri ex imperio actus intrinſece mali, conſequens eſt relinqui probatum, eundem actum poſſe ſimul manere intrinſece bonum, & extrinſece malum. Et quidem id plane ſentiunt

S. Thomas

authores relati nu. 3. & S. Thomas adductus n. 19. Ratio à priori eſt, quia malitia ſuperueniẽs

Argumentum à priori.

actui ſupernaturali eſt omnino extrinſeca, & adæquate diſtincta ab entitate actus ſupernaturalis, quæ eadem manet intrinſece poſt relationem actus imperantis, quæ ſine illa remaneret. Ergo ſi abſque relatione extrinſeca actus imperantis maneret intrinſece bonus, etiã poſt eam relationem manet intrinſece bonus. Neque obeſt accedere malitiam extrinſecã. Quia ea malitia non poteſt obeſſe bonitati intrinſecæ actus, quæ ſolum ex reſpectu intrinſeco ad obiectum formale intrinſecũ deſumitur, quod obiectum idem, & eadem ratione honeſtum

Confirmatur.

poſt eam relationem extrinſecam exiſtit. Confirmatur; nam actus exterior imperatus ex duplici affectu, altero bono, altero malo exiſtit ſimul extrinſece bonus ab vna intentione, & extrinſece malus ab alia. Ergo potiori ratione actus intrinſece bonus relinquitur cum ſua intrinſeca bonitate, quamuis fiat extrinſece ma-

A poſteriori.

lus ab imperio alterius actus ſibi extrinſeco. A poſteriori rem probat attritio ſupernaturalis, qua quis accedit ad confeſſionem ſacramentalem propter conſequendum bonum nomen apud Confeſſarium. Etenim ea attritio, cum impetratoria ſit gratiæ iuſtificantis, non poteſt non eſſe moraliter bona. Aliunde eſt extrinſece mala ex fine gloriæ vanæ, vt vidimus num. 10. Ergo actus idem exiſtit intrinſece bonus, & extrinſece malus.

Reſpondet P. Salas & Zumel.

32. Huic argumento reſpondent Zumel, & Pater Salas ſup n. 166. eum dolorem in prædicto caſu non eſſe bonum; eſſe tamen diſpoſitionem ſufficientem ad iuſtificationem, quod extendunt etiam ad actum contritionis extra Sacramentum: nam eſſet, aiunt, diſpoſitio ſufficiens ad gratiam habitualem, licet non eſſet actus moraliter bonus, aut meritorius, ſed malus propter finem actus imperantis. Hęc tamen doctrina ferenda non eſt. Primò, quia quando

Refelluntur primo.

aliquis actus liber exigitur, vt diſpoſitio vltima ad gratiam, non exigitur vt diſpoſitio phyſica, ſed moralis, ac per conſequens impetratoria, vel meritoria de congruo, vt notauit Pater Sua-

P. Suarez.

rez de gratia lib. 8. c. 7. num. 7. Ergo debet eſſe moraliter bonus, quod enim bonum non eſt, neque placet Deo, neque mouet ipſum. Secun-

Secundo. Tridentinum.

do ex Trident. ſeſſ. 14. c. 4. vbi de contritione in vniuerſum, prout præſcindit à perfecta, & imperfecta, dicitur, fuiſſe ſemper neceſſariam ad impetrandum veniam peccatorum. Ergo contritio non valens impetrare ex defectu bonitatis moralis, non poteſt diſponere vltimo ad iu-

Tertio.

ſtificationem. Tertio ex lege ſacræ ſcripturæ exigente hunc motum voluntatis ad veniam peccatorum: ſemper enim exigitur, vt quidpiã placens Deo, mouenſque moraliter Deum ad

Hierem. 18. Pſal. 50.

amicitiam cum homine, vt Hieremiæ 18. *Si conuertamini, ſalui eritis*, & Pſal. 50. *Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies.* Certe, quia placet Deo illa contritio, & conuerſio. Non ergo poteſt negari, cum actum doloris eſſe moraliter bonum, ſi vltimo ad iuſtificationem diſponit.

Prima obiectio.

33. Hoc aſſertum oppugnant argumenta, quę eundem actum etiam naturalem, ſimul bonum, & malum euertunt. Primum argumentum deſumitur ex definitione virtutis data ab

Auguſtinus

Auguſtino 2. de libero arb. 18. *Bona qualitas mentis, qua nemo male vtitur.* At male vtimur virtute, cum actus virtuoſus elicitur vitioſus ex

Reſponſio.

prauo fine. Ergo. Reſpondeo. Senſus definitionis illius eſt, nullum poſſe male vti virtute, efficiendo, vt eliciat actum in ſe ipſo immediate malum, non tamen vt efficiat actum malum denominatiue ab alio actu imperante malo. Deinde cum actus ſupernaturalis eſt malus extrinſece, non vtimur male virtute; nam actus, prout à virtute procedit, intrinſece bonus eſt, & tota malitia eſt adæquate diſtincta ab actu virtutis, quin ipſa virtus influxum conferat in malitiam actus, neque in aliquid identificatum, aut connexum malitiæ.

Secundo.

33. Secundum argumentum eſt. Bonum ex integra cauſa, malum vero ex quocunque defectu. Ergo actus ex aliqua circumſtantia malus non poteſt eſſe ſimpliciter bonus. Dices, quando defectus eſt extrinſecus, non tollere ab actu bonitatem ſimpliciter: malitiam autem actus imperantis eſſe defectum extrinſecum actui

Digitized by Google

imperato. Contra; ponamus actum internum tranſire poſſe de bono ſimpliciter in malum,& non bonum ſimpliciter,vt plures Theologi docent. In hac ſententia quando actus religionis, alias bonus, elicitur moraliter malus ex circũſtantia temporis,aut loci,aut ex ignorantia vincibili præcepti prohibentis materiam ipſius, actus ille ſimpliciter, & intrinſece non manet meritorius & bonus,ſed demeritorius,& malus; at malitia eſt intrinſeca entitati actus, quia aduenit de nouo entitati actus, & eſt ſeparabilis ab illa: Ergo malitia extrinſeca ſufficit inficere omnino actum, & delere penitus bonitatem moralem ipſius.

Diſſoluitur

34. Reſpondeo. Malitia adæquate extrinſeca actui alias bono non tollit bonitatem ſimpliciter,& intrinſecam actus: malitia vero partim intrinſeca,& partim extrinſeca actui, tollit bonitatem ſimpliciter. At malitia actus imperati proueniens ab imperante eſt adæquate extrinſeca actui imperato, vt actui externo malitia formalis proueniens ab interno; eatenus enim ſolum eſt malus actus imperatus, tam internus,quam externus,quatenus eius cauſa imperans eſt mala,à qua deriuatur malitia in actũ imperatum. Malitia vero proueniens ex circũſtantia temporis, aut loci, aut ex circunſtantia præcepti prohibentis,non eſt adæquate,& omnino extrinſeca actui; ſed partim intrinſeca,& partim extrinſeca: quia non datur alius actus moraliter malus, à quo deriuetur malitia formalis in talem actum,ſed tota malitia formalis inhæret immediate illi, tanquam parti principali conſtituenti in recto totam malitiam formalem,quin ea prius inhæreat alteri actui: atque ita reuera defectus moralis eſt in ipſo actu, qui dicitur malus,& non in alio. Cæterum in actu imperato non ita contingit: nam tota malitia,& defectus non inhæret in actu imperato, ſed in actu imperanti,qui infectus malitia,moraliterque vnitus cum imperato inficit extrinſece omnino actum imperatum.

Solutio vrgetur.

35. Vrges. Actus exterior imperatus ſolum ab intentione mala ſimpliciter eſt malus,& nõ bonus,etiamſi malitia formalis ſit ei adæquate extrinſeca. Ergo actus interior imperatus erit etiam ſimpliciter malus, & non bonus, licet malitia ſit omnino extrinſeca.

Firmatur.

Nego conſequentiam,quia actus exterior, vt condiſtinctus ab interiori, non eſt capax bonitatis, aut malitiæ formalis, cum ex ſe nullam habeat malitiam, aut bonitatem formalem, vt ſuppono. Actus vero imperatus interior,vt condiſtinctus ab imperanti, eſt capax ex ſe bonitatis formalis per reſpectum intrinſecum ad bonitatem obiectiuam. Atque ita, quando malitia formalis eſt adæquate extrinſeca actui interiori, poteſt actus interior eſſe ſimpliciter bonus bonitate formali, cuius ex ſe capax eſt, licet exterior non poſſit,quia eius ex ſe eſt incapax.

Tertia obiectio.

36. Tertium argumentum poteſt eſſe, & ſimul refutatio ſolutionis ſuperioris. Poſita malitia actus imperantis,denuò eſt malum elicere actum alias bonum ex fine malo:quia non modo eſt contra legem naturalem intendere finẽ malum, ſed etiam elicere liberè actum alias bonum ex fine malo. At ea malitia noua, & diſtincta à malitia actus imperantis ineſt immediate, & intrinſece ſoli actui imperato. Ergo turbat omnino eius bonitatem. Nec ſatisfacies, ſi dicas legem naturalem prohibere, ne mediũ alias bonum fiat ex malo fine, tollendo intentionem mali finis,aut reuocando illam,non vero impediendo ex ſuppoſitione illius relationẽ medij in finem malum ipſius. Quoniam cum intentio mali finis non eſt determinata, & efficax,ſed indeterminata, & inefficax, poteſt fieri actus miſericordiæ, verbi gratia, & non ex malo fine,etiam ex ſuppoſitione intentionis malę. Ergo fieri eum actum ex malo fine eſt noua malitia diſtincta à malitia intentionis. Poterat enim voluntas efficere actum miſericordiæ independenter à fine malo, quamuis ſe ſineret moueri ab illo.

Confirmatur.

Confirmatur; demus,affectum mali finis eſſe neceſſarium voluntati, & non liberum, ab eoque affectu ſic neceſſario referri in malum finem actum miſericordiæ. Tunc eſt moraliter malum, fieri eum actum ex fine malo: Non malitiã actus referentis,qui liber non eſt. Ergo ſolã malitiã actus relati.

Diſſuitur.

37. Reſpondeo; Si affectus imperans eſt omnino determinatus,& efficax,ſuppoſita quidem malitia actus imperantis non eſt malum noua malitia elicere actum imperatum ex fine malo; idque circo poteſt manere actus efficaciter imperatus intrinſece honeſtus,& extrinſece turpis; ſi vero affectus imperans eſt inefficax,& indeterminatus,probabile mihi fit, eſſe malum noua malitia efficere actum imperatum ex fine malo, quando homo in actu ſignato, vt aiunt, poteſt actum imperatum etiam ſuppoſito imperanti non elicere ex fine malo, aduertitque prohiberi noua lege ſic fieri: ſecus vero quando in actu exercito tantum abſque hac aduertentia reflexa ex fine malo operatur: nam in primo caſu amat de nouo ſaltem virtualiter relationem actus imperati in finem malum, & noua libertate exercetur in eum finem; non vero in ſecundo caſu, in quo extrinſece tantum denominatur actus à priori intentione malus. Tamen quia regulariter non operantur homines præſertim rudes cum hac aduertentia reflexa,ideo regulariter non datur noua malitia in relatione extrinſeca actus imperati in finem malum actus imperantis. Ac per conſequens poteſt manere actus imperatus ſimpliciter bonus,& extrinſece tantum malus.

Ad confirmationem.

38. Ad confirmationem conſequenter reſpondeo. Cum affectus mali finis non eſt malus malitia morali, quia eſt neceſſarius, & non liber,affectus liber obiecti honeſti ab eo relatus in malum finem, non eſt malus malitia morali, niſi fiat à voluntate aduertente referri in finem malum, cum poſſit non referri; ſed erit malus, aut inhoneſtus extrinſece malitia, aut turpitudine naturali,& phyſica, qualis cõueniret odio Dei,ſi fieret neceſſario. Erit quidem actus ille moralis,& turpis turpitudine phyſica,quia erit liber, & imperatus ab intentione turpi: tamen quia moralitas non conuenit actui,quã conuenit turpitudo extrinſeca,ideo nõ erit actus moraliter malus etiam extrinſece malitia formali,

Digitized by Google

ſed materiali tantum: quare poterit abſolutè manere moraliter bonus. Pro quo nota duo; primum, malitiam moralem includere, & moralitatem, ſeu libertatē, & turpitudinē, ſiue affectum obiecti mali: ſecundū, vt malitia moralis deſtruat ſimpliciter bonitatem actus; debere eſſe intrinſecam actui, ſaltem partialiter ex parte, qua malitia moralis continet turpitudinem; non ea, qua continet libertatem, quia bonitas moralis ſolum opponitur turpitudini, & non moralitati. Hinc in caſu argumenti poteſt admitti dari nouam malitiam moralem poſt intentionem mali finis, conſtitutam partim ex intentione mali finis, partim ex affectu libero obiecti honeſti procedenti ab illa: quin tamen ab hoc affectu deturbetur bonitas moralis, quia hic affectus non conſtituit malitiam moralem, qua parte malitia continet turpitudinem formalem, ſed ſolum qua continet moralitatem.

Quarta. 39. Quartum argumentum. Productio actus procedentis ex intentione mali finis eſt intrinſece mala. Ergo actus ſic procedens non poteſt manere bonus, quia nec bonus, nec ſupernaturalis poteſt eſſe actus, cuius productio eſt intrinſece mala. Antecedens probatur; quia productio actus procedentis ex intentione mali finis, pendet eſſentialiter ab ea intentione; cum non ſit aliud, quo actus ab ea intentione pendeat, vt arguebam diſp. 48. nu. 9. Actio autem, quæ eſſentialiter pendet ab intētione mala, reſpicitq; propterea eſſentialiter finem malum non poteſt eſſe bona, ſed intrinſece mala.

Euertitur. Ergo. Hoc argumentum nullius eſt momenti ex dictis d. 48. à nu. 9. vbi oſtendi poſſe actum imperatum procedere ab imperanti, quin actio ſit alligata eſſentialiter actui imperanti. Præterea conſequentia eſt nulla, quia in hac ſententia poteſt actio eſſe intrinſece mala, & actus eſſe intrinſece bonus; nam finem malum, quem reſpicit intrinſece actio, non reſpicit intrinſece actus; quia actus manens idē poterat fieri abſq; fine malo cum alia actione: ideoque ex fine, & obiecto bono, quod intrinſece reſpicit, poteſt relinqui intrinſece bonus. Nam in hac ſententia amor naturalis Dei, verbi gratia, eſt indifferens ad actionem liberam, & neceſſariam; ad naturalem, & ſupernaturalem, quia poteſt procedere à cognitione determinata, & indifferenti, ab imperio naturali, & ſupernaturali. Ergo etiam poteſt eſſe indifferens ad actionem intrinſece malam, & intrinſece bonam. Demum actio diſtincta ab affectu voluntatis non eſt intrinſece mala, quòd pendeat eſſentialiter ab intentione vana, quia ad bonitatem, & malitiam formalem in genere moris requiruntur duo, & libertas, & reſpectus ad obiectum bonum vel malū. Actio autem diſtincta, licet participet formaliter libertatem intrinſecam, non tamen reſpectum formalem, & intrinſecum ad obiectum bonū, vel malum. Exemplo ſint actiones, quibus fiunt habitus acquiſiti virtutis, & vitij; actiones externæ imperatæ ab intentione interna; actio ſupernaturalis fidei imperatā ſimul ab affectu piæ affectionis, & intentione vanæ gloriæ, quæ per te non repugnat. Hæ enim actiones pendent eſſentialiter ab actu interno bono, vel malo, tamen eſſentialiter non ſunt formaliter bonæ vel malæ. Poteſt igitur actio miſericordiæ pendere eſſentialiter ab intentione vanæ gloriæ, quin ea actio diſtincta ab affectu voluntatis ſit formaliter mala malitia intrinſeca vanæ gloriæ, præſertim ſi imperetur efficaciter, vt imperatur actus fidei, & actio externa.

40. Poſtremum argumentum. Cum fine actus imperantis malo nō poteſt eſſe motiuum actus imperati bonum. Ergo nec actus imperatus poteſt eſſe bonus, cuius bonitas intrinſeca deſumenda eſt à motiuo. Antecedens probatur: quia bonitas obiectiua moralis coaleſcit intrinſece ex carentia omnis malæ circumſtantiæ, vt pulchritudo naturalis ex carentia omnis maculæ. At circumſtantia finis eſt potiſſima in obiecto. Ergo cum fine malo non poteſt obiectum eſſe bonum. Poſtrema.

Ad argumentum reſpondeo primo. Nullam vim habet, quando actus imperatus reſpicit motiuum non ſubiectum imperio voluntatis, vt actus charitatis, qui reſpicit Deū, & alij eiuſmodi: nam finis extrinſecus actus imperantis in eo caſu non eſt circumſtantia, ſeu finis talis obiecti, ſed actus dumtaxat reſpicientis obiectum, quia ſolus actus imperatus, & non eius obiectum refertur in finem extrinſecum actus imperantis. Prima ſolutio.

Reſpondeo ſecundo. Quando obiectum motiuum actus imperati eſt aliqua actio ſubiecta voluntati, finis intrinſecus actus imperantis non eſt finis extrinſecus, nec circūſtantia talis motiui, prout eſt præciſe obiectum actus imperati, ſed vt eſt effectus procedens ab actu imperanti, eaque ratione obiectum actus imperati non eſt affectus mala aliqua circumſtantia, prout eſt eius obiectum, ac per conſequens manet intrinſece honeſtus. Locus autem ſacer, & tempus rei ſacræ ſunt circumſtantiæ ſolutionis debitæ, prout hæc eſt obiectum actus ſoluendi debitum independenter ab alio actu voluntatis: atque ita refundunt ſuam malitiam immediate in eum actum, & non in alium, vt refundit finis extrinſecus. De his plura in tr. de bonitate, & malitia humanorum actuum. Secundo.

SECTIO SEPTIMA.

Item colligitur actum extrinſece malum eſſe meritorium.

Exponitur collectio. 41. Verbi gratia, actum ſupernaturalē miſericordiæ imperatū ex intentione vanæ gloriæ. Pono autem primo, non eſſe meritorium de condigno, ſi fiat malus malitia mortali: nam vt fert communis ſententia, & oſtendi tr. de merito, ad condignitionem meriti requiritur perſona non inuiſa Deo. Pono ſecundò, manere actum miſericordiæ ſic imperatum propria libertate liberum: ad meritum enim requiritur exercitium libertatis in opere bono, atque adeo diſtinctum ab exercitio libertatis in opere malo. Pono tertiò, actum extrinſece malum ab imperio malo poſſe eſſe meritorium ab imperio bono, merito ſibi extrinſeco, quia poteſt idē actus internus imperari, ſicut externus.

à duplici intentione ſimul; altera bona, & meritoria; altera mala, & demeritoria, diſparato modo, & concomitanter ſe habẽtibus; quarum altera bona proculdubio conſtituet actum imperatum extrinſece bonum, & meritorium; altera mala demeritorium, & malũ. Igitur nunc aſſerimus, actum miſericordiæ elicitum libere ab homine iuſto, & venialiter malum ab imperio malo eſſe meritorium de condigno eo merito, quod ineſſet actui, cum ab ea intentione mala non procederet; ſimiliterque elicitum à peccatore cum malitia mortali actui extrinſeca eſſe imperatorium, aut meritorium de congruo. Ita fere omnes quos retulimus nu. 3. pro ſententia affirmante, poſſe actum ſupernaturalem fieri extrinſece malum.

Probatur primo.

42. Tota probatio huius collectionis ſumitur ex dictis. Primo quia actus extrinſece malus exiſtit intrinſece bonus, vt ſect. præced. vidimus Ergo capax terminare complacentiam Dei, ac per cõſequens mouere Deum ad remunerationem: bonitas enim moralis tum grata eſt Deo, tum digna laude atque præmio. Neque obeſt, eam bonitatem eſſe adiunctam malitia: quia malitia eſt extrinſeca tantum, relinquens in actu bonitatem extrinſecam. Vt igitur cum malitia extrinſeca componitur bonitas intrinſeca; ſic cum diſplicentia Dei in malitia extrinſeca poteſt componi complacentia in bonitate intrinſeca; ſicut componitur complacentia Dei in homine iuſto cum diſplicentia Dei in homine eodem venialiter peccatore.

Secundo.

43. Secunda probatio deducitur ex dictis n. 33. Nam, vt ibi oſtendimus, dolor pœnitentiæ extrinſece malus ex intentione vanæ gloriæ eſt imperatorius gratiæ, ac meritorius de congruo. Ergo malitia extrinſeca nõ adimit actui ſupernaturali proprium illius meritum. Nam dolor ille extrinſece malus ſecluſa malitia non haberet amplius meritum, quàm impetrationis, & congruitatis, quod retinet cum malitia. Accedit tertia; quia ſi finis extrinſecus priuat opera bona valore meritorio, miſerrima eſſet humana conditio, cui adeo facile ſua merita perirent: vix enim opus fit, quin affectus humani ſeſe ingerant, commodaque temporalia voluntatem alliciant, eorum præſertim, qui non adeo ſpiritualibus dediti ſunt. Pone enim martyrem leui affectu vanæ gloriæ tactum ex amore tamen ſupernaturali Dei martyrium ſubiiſſe, credes eum propterea martyrij præmio priuatum? Demum indicat Auguſtinus 5. de Ciuit. c. 12. & 15. aſſerens, Romanos, quamuis vana intentione, aliqua virtutis naturalis opera feciſſent, meruiſſe à Deo præmia temporalia.

Tertio.

Negant P. Suarez. Lorca. P. Salas.

44. Hæc doctrina diſplicet Patri Suarez lib. 12. de gratia c. 4. nu. 10. & Petro de Lorca in primam 2. tom. 1. diſput. 28. & pluribus recentioribus, & aliis, quos refert Pater Salas ſupra. Primum eorum argumentum eſt ex verbis Chriſti Math. 6. *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis, alioqui mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum.* Et mox de operantibus laudem humanam ſubiungit; *receperunt mercedem ſuam*, videlicet temporalem ab hominibus, vt non ſpectent æternam à Deo. Vnde eſt illud Gregor. Hom. 12. in Euang. de Parab. 10. virg. *Compellor dicere, vt bona, quæ agitis, cum magna cautela teneatis, ne appetitus laudis ſubrepat, & quod foris oſtenditur, intus à mercede euacuetur.* His, & ſimilibus teſtimoniis reſpondeo primo cum Abulenſi Math. 6. qu. 8. Chriſtum loqui de inani gloria, & hypocriſi, quæ ſit peccatum mortale impediens vitam æternam, qualis erat Phariſæorum, quos Chriſtus arguebat. Reſpondeo ſecundo, loqui, cum actus honeſtus virtutis internæ imperatur efficaciter ab intentione vanæ gloriæ, aut alterius commodi temporalis. In quibus omnibus caſibus nos etiam admittimus virtutum opera euacuari merito condigno vitæ æternæ, vt poſuimus num. 41.

Math. 6.

Gregorius.

Reſpondetur.

45. Secundum argumentum. Opus meritorium debet eſſe ſimpliciter bonum, ſed opus bonum ex obiecto, & malum ex fine non eſt ſimpliciter bonum, ſed tantum ſecũdum quid. Ergo non eſt meritorium. Nego minorem; ſi opus bonum conſideretur ſecundum ſe, & non vt imperatum ab alio; quia bonitas competit operi ex fine intrinſeco, & ſecundum ſe: malitia vero ex fine extrinſeco, & ab alio: vt eleemoſyna facta à ſeruo ex fine intrinſeco miſericordiæ eſt ſimpliciter bona; licet imperata à Domino ex fine extrinſeco vanæ gloriæ ſit extrinſece, & ſecundum quid mala.

Opponitur ſecundo.

Explicatur.

46. Tertium argumentum. Opus malum ex fine extrinſeco eſt demeritorium. Ergo non poteſt eſſe meritorium; quia non poteſt idem opus eſſe meritorium, & demeritorium, obligare, & deobligare ſimul ad præmium. Reſpondeo; opus meritorium, & demeritorium in noſtro caſu, non eſt vnum, & idem opus, ſed duplex, quia totum demeritum eſt in actu imperanti, meritum vero in actu imperato, qui diſtinctus eſt ab imperanti. Poteſt autem homo in eodem inſtanti mereri per vnum opus, & demereri per aliud, quod omnibus concedendum eſt; quia poteſt ſimul otioſe loqui, & per actum miſericordiæ eleemoſynam elargiri: ideoque per vnum opus contrahere debitum pœnæ temporalis, & per aliud eidem ſatisfacere. Idem contingit in euentu noſtræ concluſionis.

Item tertio

Satisfit.

47. Quartum argumentum impugnando ſolutionem ſuperiorem in hunc modum. Non poteſt contingere, vt in vno, & eodem actu fidei intenſo, vt octo, ſint meritorij quatuor gradus primi, & demeritorij quatuor vltimi, licet diuerſi à primis. Poteſt autem contingere quatuor primos gradus eſſe licitos, & honeſtos, & quatuor vltimos eſſe illicitos, & malos. Ergo ſimiliter actus imperatus intrinſece bonus, licet diuerſus ab imperanti, non erit meritorius, cum ſit extrinſece malus, & demeritorius ab imperanti. Probatur minor. Ponamus aliquem poſſe abſque defatigatione capitis elicere actum fidei, vt quatuor; non poſſe tamen abſque graui nocumento intenſum, vt octo: aut præcipi intenſum vt quatuor; & prohiberi intenſum vt octo. In hoc caſu quatuor primi gradus erunt honeſti & liciti, & quatuor vltimi illiciti, & turpes. Nihilominus tamen totus actus erit

Quarto.

Digitized by Google

demeritorius,& nulla ex parte meritorius? Ergo poteſt contingere, &c.

Occurritur

48. Hoc argumentum ad rem præſentem non habet magnam vim. Si enim ſemel ponamus eundem actum eſſe bonum,& malum moraliter quoad gradus intenſionis diuerſos, nullum plane erit inconueniens admittere ſimul eſſe meritorium, & demeritorium quoad gradus diuerſos. Quare tota difficultas eſt; an actus coniungatur bonus quoad primos quatuor gradus,& ſimul malus quoad vltimos quatuor? ſed non eſt præſentis inſtituti. Nihilominus breuiter reſpondeo; ex natura rei non eſſe licitos quatuor primos gradus quando ſunt illiciti quatuor vltimi: quia non ſunt nociui,& prohibiti quatuor vltimi, quin quatuor primi ſint etiam nociui,& prohibiti in conſortio reliquorum. Nam quatuor vltimi non prohibentur, nec nocent ſeorſim à primis, ſed vt faciunt intenſionem cum primis, intenſio enim ipſa nociua eſt,& prohibita; intenſio autem vt octo coaleſcit eſſentialiter ex quatuor primis gradibus. Ergo illicitum erit elicere quatuor primos gradus,quando facit cum aliis intenſionem nociuam, & prohibitam vt octo. Dixi *ex natura rei*, quia ex natura rei vix poteſt voluntas elicere actum intenſum vt octo in eodem inſtanti reali, quin eodem impetu, indiuiſoque libertatis exercitio totum operetur: nam ſi poſſet in eodem inſtanti reali pro diuerſis inſtantibus naturæ operari partitim intenſionem vt octo, itavt prius exerceret libertatem in quatuor primos gradus, & poſteriùs naturâ in quatuor vltimos, aliud forſan eſſet dicendum;de quo modo importunus eſſet vberior ſermo.

SECTIO OCTAVA.

An poſſit Deus prohibere directe actum ſupernaturalem?

49. LIbet hic diſputationem attingere; an poſſit Deus prohibere directe actum ſupernaturalem? Nam id poſſe indirecte, conſtat ex num. 15. 16. & 18. Negant vniuerſim de omni actu ſupernaturali Pater Coninck ſupra, & d. 3. num. 104. Pater Vaſquez, Pater Torres, & Baſilius Legionenſis ſupra. Quoniam Deus, quemadmodum non poteſt diligere malum, non poteſt odiſſe bonum. Vrgetur tamen hæc ratio; quia Deus poteſt velle actui ſupernaturali carẽtiam exiſtentiæ, quemadmodum poteſt velle gratiæ iuſtificanti: velle enim exiſtentiam doni ſupernaturalis non eſt neceſſitatis, ſed largitionis diuinæ. At ad prohibendum actum ſupernaturalem ſufficit Deo, velle carentiam actus, & hanc voluntatem homini vt ſubdito intimare. Ergo poteſt Deus prohibere actum ſupernaturalem. Itaque ad prohibitionem non requiritur, vt præcedat in Deo odium, ſeu diſplicencia rei prohibitæ, ſed libera facultas ad volendum, vel nolendum exiſtentiam illius. Nam eſus prohibitus Adamo non præceſſit ante prohibitionem ingratus, & diſplicens voluntati diuinæ, ſed diſplicentia ſubſequuta eſt prohibitionem diuinam, ſicut malitia; nam iuxta communem doctrinam alia ſunt mala, quia prohibita, alia prohibita, quia mala.

Negant P. Coninck. P. Vaſquez. P. Torres B. ſilius Legionenſis.

Ratio infirma.

50. Scotus in 4. diſtinct. 26. qu. 1. §. *Ad probationem primæ concluſionis*, & Lorca 1. 2. de virtutibus diſputatione 14. con. 3. videntur ſentire omnem actum bonum præter dilectionem Dei poſſe prohiberi à Deo, & fieri directe malum. Quoniam id ſpeciale habet dilectio Dei præ aliis omnibus actibus, vt eſſentialiter ſit conformis vltimo fini; ſiquidem ipſius obiectum eſt ipſe vltimus finis; actui autem eſſentiale eſt conformari ſuo obiecto. At bonitas moralis actus eſt conformitas cum vltimo fine. Ergo dilectio Dei non poteſt directe à Deo prohiberi, vt conſtituatur mala; nempe difformis vltimo fini. Etiam hæc ratio explicationem habet. Nam de eſſentia dilectionis diuinæ non eſt eſſe conformem vltimo fini quoad exiſtentiam, & effectum actus, ſed ſolum quoad affectum. At, vt ſit malus, & prohibitus, ſufficit eſſe difformem vltimo fini quoad exiſtentiam, & effectum, licet non ſit quoad affectum. Quia poteſt Deus nolle, vt ametur à creatura, & nihilominus creatura poteſt Deum amare. Quod vlterius explicatur; quia de eſſentia cuiuſque dilectionis diuinæ non eſt eſſe conformem vltimo fini omnino, & adæquate, itavt repugnet alicui difformitati, & offenſæ veniali; nam cum aliqua dilectione Dei poteſt componi peccatum veniale, quando dilectio Dei non eſt omnium perfectiſſima, ſed ea, quæ ſolum amat non auerti ab vltimo fine per grauem iniuriam Dei. Ergo ſaltem ſub culpa veniali poteſt prohiberi dilectio Dei. Quandoquidem culpa venialis non repugnat omni affectui, & obiecto dilectionis diuinæ. Atque ita poterit actus ſupernaturalis dilectionis diuinæ exiſtere directe prohibitus, & malus, ſaltem malitia veniali. Quod ſufficit ſententiæ affirmanti.

Scotus etiã & Lorca de dilectione Dei.

Ratio non conuincit.

51. In hac difficultate vnum mihi certiſſimum eſt, ſcilicet poſſe prohiberi directe actum ſupernaturalem, ſi poteſt directe prohiberi actus honeſtus naturalis, verbi gratia, actum charitatis ſupernaturalem, ſi poteſt actus dilectionis naturalis. Nulla enim ſpecialis ratio vrget prohibitionem directam actus ſupernaturalis, potiuſquam actus naturalis. Aliud mihi probabile eſt, vtrumque actum poſſe prohiberi directe, propter rationes nuper inſinuatas. At rogas; quonam fine poteſt Deus velle, vt homo non operetur actum, ad quem efficiendum iuuat ipſe ſpecialibus, & gratuitis auxiliis. Reſpondeo; vt in omnibus Deus exerceat dominatum in hominem, homoque ſubdatur poteſtati diuinæ ligatus vndique abſolutiſſima ipſius voluntate.

Sententia affirmans probabilis.

52. Vt autem præoccupetur via arguendi contra doctrinam iſtam, aduerto breuiter tria. Primum eſt, actum ſupernaturalem directe prohibitum non fore malum omnino intrinſece, ſed partim intrinſece, & partim extrinſece. Quia malitia ſeparabilis ab actu non poteſt

Prima obſeruatio.

Digitized by Google

teſt eſſe adęquate identificata actui. Difformitas autem actus ſupernaturalis cum præcepto prohibẽti eſt ſeparabilis ab actu ſupernaturali. Ergo difformitas cũ præcepto, ſeu malitia moralis non poteſt eſſe adęquate identificata actui ſupernaturali. Erit igitur partim exiſtẽtia actus ſupernaturalis, partim cognitio præcepti ipſum prohibentis cum poteſtate libera volũtatis moraliter obligata ad cohibendũ actum, quemadmodũ actualis libertas eſt partim exiſtentia actus liberi, & partim indifferẽtia principij. Vnde gratia actualis, & habitus non influerent in malitiam formalem, quia ſolum cõferrent influxũ in entitatem intrinſecam actus, quæ nõ eſt malitia formalis, ſed ſecundũ ſe indifferens ad bonitatem moralem, & malitiam. Secundum eſt, violari non poſſe præceptum prohibens actum charitatis ſub mortali; quia non poteſt volũtas ſimul velle efficaciter placere, & diſplicere grauiter volũtati diuinæ. Itaque hoc non proueniret, quia præcepto diuino fieret homo impeccabilis, ſed quia eo præcepto conſtitueretur actus charitatis obiectũ contradicens obiecto ipſius actus charitatis. Quare cum hoc non inueniatur in reliquis actibus ſupernaturalibus, neque in ipſo actu charitatis prohibito ſub veniali, efficitur plane, poſſe alios actus ſupernaturales, & actum charitatis prohibitum ſub veniali fieri à voluntate directe vitioſum. Secunda.

53. Sed rogas; an eo euẽtu maneret actus ſupernaturalis intrinſece bonus? Lorca 1. 2. de actibus humanis diſp. 28. con. 1. admittit eũ actũ intrinſece bonum. Alij renuent bonũ cõcedere. Ego equidem controuerſiã puto de ſola voce. Re ipſa enim non diſſentiant affirmantes, & negantes, dum ſemel virtutis actum admittãt prohibitum, & malum. Quare loquere, vt libuerit. Si bonum dicas, cõſequenter dixeris, Deum cõplacere, & diſplicere in eodem actu ratione bonitatis, & malitiæ adiunctæ. Etenim id non magis repugnat, quam Deum cõplacere, & diſplicere in eadem volũtate eliciente duplicẽ actũ, alterum bonum, & alterum malũ; nam ratione actus boni terminat voluntas aliquam cõplacentiam, & ratione mali diſplicentiam. Ergo ſimiliter idẽ actus ratione bonitatis intrinſecæ, quam habet ex obiecto formali directo poteſt terminare complacentiam, & ratione malitiæ adiunctæ ex circunſtantia, & obiecto indirecto terminare diſplicentiam Si vero dicas eum actũ omnino malum, & non bonum; conſequenter dixeris, ſolum ferre diſplicentiam Dei, & non complacentiam; quia ad terminandum cõplacentiam requiritur carentia alicuius adiunctæ malitiæ. Sicut volũtas eliciens attritionem intemperantiæ diſponere poteſt in ſacramento pænitentiæ ad remiſſionem peccati intemperãtiæ, ac per conſequens terminare complacentiã mouentem Deum ad eius remiſſionem, ſi non adſit comitans malitia alterius ſpeciei, cuius nõ pęnitet per eam attritionem; ſecus vero ſi illa comitetur peccatum intemperãtię. Ergo ſimiliter poteſt actus ſupernaturalis complacentiam diuinam allicere, aut auertere ex abſentia, aut præſentia malitiæ ſibi admixtæ. Hæc vberius explicare nõ eſt noſtri inſtituti, ſed tractatu de bonitate, & malitia humanorũ actuum. Placuit tamen hæc libare, vt daremus nonnullã lucem iis, quæ in hac diſp. aſſertis annexa ſunt. Quamquam vt ea firmiora maneant, ſuppone doctrinam ſuperiorem in actibus naturalibus. Noſtro enim inſtituto ſat eſt, oſtendere ratione ſupernaturalitatis non eſſe aliud de humanis actibus ferendum iudicium.

An actus prohibitus bonus. Lorca. De ſola voce contenditur.

SECTIO NONA.

Inſtauratur doctrina totius diſputationis.

54. FEre è via, qua prælum adibant, reuocaui has diſputationes noſtras, quia forte incidi in volumen de fide Patris Hurtado de Mendoza, mei ſẽper Magiſtri, nuper editũ, vbi diſp. 46. ſect. 3. acumine, quo ſolet, pręteritam difficultatem diſcutit, & ſententiã nobis aduerſantem nouis luminibus illuſtrat, & argumenta noſtra, quæ in manuſcriptis noſtris vidit, diſſoluere tentat. Ideo operę prętium duxi duas ſectiones appendices annectere, in quibus argumẽta noſtra, ab eius reſpõſionibus vindicemus, & ipſius ſimul argumenta in maius noſtræ ſententiæ ſtabilimentum eleuemus. Pręteribo aculeos, quibus duas ſuperioris ſententiæ partes pungit, quia certe ſanguinem non eliciunt, cum abſque autoritate, abſq; ratione, ſententiã tot, tantiſque Doctoribus n. 3. relatis comprobatã, & ab aliis illuſtribus aduerſæ factionis Theologis diu ſine nota prætermiſſam notare nunc aggreſſus eſt. Sed agamus de re, & rurſus malitiam actui ſupernaturali poſſibilem firmatis prius noſtris argumentis, deinde aduerſariis dilutis ſanciamus. P. Hurtado.

55. Ergo prima noſtra probatio n. 5. colligebat malitiam actui ſupernaturali poſſibilẽ, quia voluntas proxime parata ad agendum actũ ſupernaturalem miſericordiæ toto cordis impetu poteſt velle eum actum in finem gloriæ vanæ, & eo affectu illum in vanũ finem dirigere. Reſpondet P. Hurtado n. 57. & 61. prauum affectũ tunc non magis conferre in exiſtentiã actus ſupernaturalis, quam ſi non eſſet, atque ideo ex vi illius non ſupernaturalem, ſed naturalem circa obiectũ actus ſupernaturalis efficaciter inferri. Sed contra. Ponamus voluntatem proxime paratam eſſe ad actum ſupernaturalem miſericordię auxiliis ſupernaturalibus gratiæ ſufficientibus, & non efficacibus, quibus ſolis exiſtentibus poſſet quidem voluntas proxime actum ſupernaturalem elicere, verum reipſa non eliceret; item voluntati non adeſſe auxilia neceſſaria ad actum miſericordiæ naturalem. Tũc, ſi accedat affectus efficax vanę glorię cõparandę per actũ miſericordiæ, quẽ in ſua poteſtate habet, reipſa fiet actus ſupernaturalis, qui alias ſine eo affectu vitioſo non fieret. Ergo vanus affectus reipſa confert in exiſtẽtiam actus ſupernaturalis. Qui enim non confert in eius exiſtentiam affectus, qui ita volũtatem adigit ad agendum, vt eo nõ adſtante non eum efficeret? Antecedens probatur primo: euentu poſito ad exiſtentiam actus ſupernaturalis ſolum deſideratur determinatio arbitrij. At volente arbitrio toto impetu ſui affectus actum ſupernaturalem elicere non deſideratur determinatio voluntatis. Ergo ſic Vindicatur prima probatio noſtra à ſolutione patris Hurtado.

volente arbitrio actum elicere fiet reipſa actus. Secundò voluntas nõ poteſt duo contradicentia velle pleno impetu ſuæ virtutis. Si cohiberet tunc actum ſupernaturalem, duo contradicentia pleno impetu vellet; nam per affectum vanum vellet exiſtentiã actus ſupernaturalis, quã ex ſe poteſt; per nolitionem autem eiuſdem (ſi pura omiſſio repugnat libera) vellet formaliter eiuſdẽ actus carentiam; per omiſſionem vero liberam (ſi ea poſſibilis eſt) vellet virtualiter illam, ſicut voluntas reipſa efficiens actum charitatis virtualiter amat eius actus exiſtentiam, atque ideo cum eo actu repugnat odium, quantũ ex ſe poteſt voluntas exiſtentię actus repugnãs. Ergo reipſa tũc fiet actus ſupernaturalis. Nam illum non fieri nõ poteſt ab arbitrio, aut poſitiue nolente, aut libere cohibente prouenire; ſiquidẽ in arbitrij poteſtate libera proxime conſtitutum eſt eum actum fieri, vt poſuimus.

Item confirmatio prima.

56. Primam probationem confirmauimus nu. 10. quia valide ſuſcipit ſacramentum pænitentiæ, qui ex fine venialiter tãtum malo accedit ad illud, quia durum eſſet tales confeſſiones vt ſacrilegas damnare. Reſpondet vero P. Hurtadus n. 59. ex ea intentione ſolum oriri affectũ naturalem confitendi peccata, qui ad ſacramẽtum nihil refert, non ſupernaturalem, qui validum, ſacramentum conſtituit. Sed contra. Deteſtatio ſupernaturalis ſacramẽtum cõſtituens ita exiſtit, vt nõ exiſteret ea intentione vana nõ exiſtẽte: caſus enim, quem ponimus, is eſt, vt re ipſa non accederet homo ad confeſſionem ſacramentalem, niſi tãgeretur eius voluntas affectu venialiter malo, neque ſacerdos ad celebrãdum ſacrũ, niſi ex affectu lucri temporalis ſimiliter malo, in eoque euentu putamus durum, vt ſacrilegum damnare accedentem ad ſacramentum. At cum intentio finis ea eſt, vt affectus ſupernaturalis medij conferentis in illum nõ exiſteret, niſi præceſſiſſet intentio, talis affectus re vera ab ea intẽtione procedit, vt fatetur ipſe P. Hurtado n. 62. Ergo reuera affectus ſupernaturalis validãs ſacramentũ ortũ habet ab ea praua intentione. Prǽterea contra iſtã ſolutionẽ obijcio eadem, quæ contra præcedentẽ expẽdimus.

Etiam confirmatio ſecunda.

57. Iterum eandem probationẽ cõfirmauimus n. 13. quia actiones ſupernaturales externę conficiendi ſacramenta, & opera miraculoſa poſſunt imperari ex praua intentione. Cui reſpondet P. Hurtadus n. 58. Primò, licet actiones ſacramẽtales poſſint oriri phyſice à Sacerdote; tamen eas phyſice non oriri, quia praua eius intentio præceſſit, ſubtrahente Deo concurſum phyſicum ad illas, tunc à Sacerdote peragẽdas. Secundo, admiſſa phyſica cauſalitate Sacerdotis illas non oriri per ſe ab intentione Sacerdotis ſiue bona, ſiue mala, tanquã ab imperio, ſed tanquam à conditione per accidens requiſita ſolum ex inſtitutione Dei exſpectãtis ad agendum pro ſuo arbitrio talem conditionem. Sed neutra ſolutio ſatisfacit. Nõ prima; quia admiſſa phyſica cauſalitate Sacerdotis in effectus ſacramentales, admittenda quoq; illa eſt in euentu argumenti. Nam omnes rationes, quę phyſicam cauſalitatẽ ſuadent, aut nullę ſunt, aut eam etiam ſuadent in euentu argumenti, vt tr. de ſacramentis omnibus Theologis cõpertum eſt, qui actiones, & effectus ſacramentorum independentes tradunt à bonitate, & malitia Sacerdotis, eamq; in ſolam ſacramentorum nouæ legis inſtitutionem, atque dignitatem referunt; quin vlla ſit ratio ſuadens cauſalitatem phyſicã cum prędicto diſcrimine. Ergo aut talis phyſica efficientia, Sacramentis neganda eſt, aut etiam concedenda cum praua Sacerdotis intentione. Igitur cũ argumentũ noſtrum talem efficientiã phyſicã ſupponat, euincit manifeſte, tales actiones à praua Sacerdotis intẽtione manare. Neq; mihi ſuadibile eſt, ſi Deus ita ſtatuiſſet Sacramẽta, vt cum fideles rite diſpoſiti accedunt ad illa, nõ cõferatur illis gratia, niſi phyſico Sacramentorum influxu, tunc fideles priuãdos Sacramentorum effectu, quòd praua alioqui Sacerdotis intentione conficerentur. Identidem iudico de virtute peragendi miracula. Poſſunt igitur actiones ſupernaturales phyſica proceſſione ex praua intẽtione effluere. Non ſatisfacit ſecũda reſponſio. Nã actio ſacramentalis phyſica pendet eſſentialiter à motu locali, qui eſt phyſica illius cauſa. Sed motus localis per ſe ſubditur imperio volũtatis. Ergo etiam actio Sacramentalis. Explicatur; quamuis affectus naturalis voluntatis non exigat per ſe actionem Sacramentalem, neque effectus ipſe gratiæ per ſe exigat affectum voluntatis, ſed ex inſtitutionẽ diuina; tamen actio phyſica abſoluendi eſſentialiter ſupponans inſtitutionem, per ſe, & eſſentialiter poſtulat cauſam, à qua procedit, quæ cum per ſe imperio voluntatis ſubiecta ſit, nõ poteſt nõ etiã ipſa actio eiuſdem imperio ſubiacere. Præterea demus, Deum ita ſtatuiſſe ſuo decreto, vt quoties volũtas humana decreuerit elicere actum religionis, etiamſi decretum humanum ſit naturale, & prauum, nullaque ratione exigens per ſe actionem ſupernaturalẽ, nihilominus illũ eliciat ſupernaturalem ex gratioſa eleuatione Dei, ſicut per te ſtatuit, vt volente humano arbitrio efficere opus ſupernaturale externũ, efficiat illud ex gratioſa eleuatiõne Dei. At tunc talis actus religionis eſſet prauus, & in finẽ prauũ relatus; imo non alio modo cõtendimus, actum ſupernaturalẽ effluere ex ſiniſtra intẽtione, quã nolumus per ſe connecti cum actione ſupernaturali interna, ſed ex eleuatione Dei ſibi prorſus indebita. Ergo ſufficit, quod nobis datur, ad malitiã actus ſupernaturalis, quã contendimus.

Inſtauratur ſecunda probatio.

58. Rurſus ſecunda probatio erat n. 15. quia actus ſupernaturalis poteſt fieri ſine debito fine, vt ſi Deus præciperet omnem actũ ſupernaturalem dirigere in finem charitatis. Reſpondet Pater Hurtadus n. 37. tunc actum ſupernaturalem miſericordiæ elicitum ſine fine charitatis nõ fore malũ, quia is finis non eſt intrinſecus, ſed extrinſecus, atque adeo ſolam voluntatem non referentem fore malã peccato omiſſionis, quia actus miſericordiæ efficitur ex fine intrinſeco ſibi debito. Sed cõtra; Eſt diſputatio inter Theologos, an dentur actus interni indifferentes in indiuiduo? Conueniunt omnes, eos non dari, ſi incumbit volũtati aliqua obligatio referẽdi illos in finem extrinſecum bonũ, nam ſi ſecundum ſpeciem, & intrinſece indifferẽtes ſunt, non poteſt verti in dubium, an illis debeatur finis intrinſecus bonus? quandoquidem, ſi is

Digitized by Google

debitus eſſet, etiam cum referrentur in finem bonum extrinſecũ, mali eſſent; quod ab omniũ Theologorum mente alienũ eſt. Ideo tota controuerſia reducitur ad examinandum, an præcepto aliquo naturali teneatur volũtas, eos actus ſecundum ſpeciem, & finem ſibi intrinſecũ indifferẽtes in finem extrinſecum bonũ dirigere? & qui volũt, eſſe actus in indiuiduo indifferentes abſque bonitate, atque malitia, totam cogitationem contendunt in reijciendum tale præceptum; qui vero nolũt, in illud ſtabiliendũ incumbunt; ſupponunt quippe omnes, eo præcepto exiſtenre actus ſecundum ſpeciem, & finem intrinſecum, indifferẽtes fore in indiuiduo malos ex defectu finis extrinſeci ſibi debiti, neque ab ea malitia excuſari poſſe, niſi tali præcepto excluſo, etenim vrgente tali præcepto actus ſecundũ ſpeciẽ indifferens elicitus ſine bono fine elicitur abſq; circunſtantiis exercitio libero ipſius debitis, & iniunctis. Ergo ſimiliter actus ſupernaturalis fieret malus, ſi præceptum adeſſet referendi illũ in Deũ, & talis finis, quamuis extrinſecus, negaretur. Videtur conſequentia manifeſta. Antecedens omnium Theologorũ eſt.

Item confirmatio.

59. Confirmatio ſecũdæ probationis noſtræ ibidem erat; quia poſſunt dari actus ſupernaturales, ſecundũ ſpeciem indifferentes atque adeo capaces malitię. Negat P. Hurtadus antecedens n. 60. Sed quo merito, examinandũ eſt diſp. 69.

Tertia etiã probatio.

60. Tertia erat probatio n. 16. quia eadẽ ratione, qua actus bonus naturalis poteſt fieri malus poteſt etiam fieri ſupernaturalis. Negat nu. 41. actum bonũ naturalẽ poſſe vitiari. Deinde diſcrimẽ reddit, quia actus ſupernaturalis ratione ſupernaturalitatis non poteſt nõ ſpeciali ratione amari à Deo, cum ad eum alliciat voluntatẽ ſpecialibus auxiliis; ſi autem directe malus eſt, non poteſt à Deo ſpeciali ratione amari, neque auxiliis ſpecialibus intendi. At actus naturalis bonus, ſi malus directe fiat, non poteſt retinere bonitatem directam, qua ſpeciali ratione ametur à Deo. Prima ſolutio redarguitur; quia noſtrum argumentum eo ſolũ dirigitur, vt cõcludat actum bonũ ſupernaturalem ratione ſupernaturalitatis nõ repugnare malitiæ potius, quã actum bonum naturalem, atque adeo, vbi datur conſequutio bona, obtinet argumentum, quod contendit. Secũda in primis non improbat malitiam indirectam, quę ſufficit, vt actus abſolute malus ſit; nam cũ actus ſupernaturalis malus eſt ab extrinſeca malitia alterius actus, poteſt in ſe retinere bonitatẽ intrinſecã, quæ alliciat amorẽ Dei, & indigeat ſpecialibus ſubſidiis gratiæ diuinæ, quia ea malitia actui ſupernaturali extranea eſt, vt explicuimus ſect. 5. & P. Hurtadus confirmat nu. 51. Deinde actus bonus directe malus, ſi is intelligatur, qui ab obiecto directo malus eſt, nullus neque naturalis, neq; ſupernaturalis eſt directe malus; ſi directe malus is eſt, qui directe eſt prohibitus, ſicut bonus naturalis poteſt directe prohiberi, etiam poteſt ſupernaturalis, vt dicebamus n. 51. At ſupernaturalitatem ratione amoris diuini, quem terminat, & ſpecialis auxilij, quod in illam confert, non obeſſe prohibitioni Dei, videbimus ſect. ſeq. diluentes Patris Hurtadi argumenta.

Similiter quarta.

61. Probatio quarta conficiebatur n. 17. quia principiũ ſupernaturale poteſt ſaltẽ indirecte conferre in actum prauum; tum quia cognitio ſupernaturalis poteſt prælucere voluntati amãti obiectum turpe: tum quia habitus charitatis principiũ conſtituit omiſſionis prohibitę actus ſupernaturalis. P. Hurtadus negat n. 40. cognitione ſupernaturali fidei poſſe volũtatem affectum aliquem prauum concipere, ſed eum ſemper ex cognitione naturali proficiſci. Itẽ omiſſionem prohibitam habere charitatem principium ſui, ſed ſolam voluntatem humanam. Verùm cognitionem ſupernaturalẽ conferre concurſũ poſſe in affectus prauos, ex profeſſo ſanciemus diſp. 57. At charitatẽ conſtituere principium omiſſionis prohibitæ, inde conſtat, quia omiſſio actus charitatis procedit à voluntate vt libera ad agendum actum charitatis, ita vt voluntas impotens efficere actum charitatis non poſſit eſſe talis omiſſionis principium. At voluntas conſtituitur potens efficere actum charitatis per habitũ charitatis. Ergo habitus charitatis conſtituit principiũ omiſſionis prohibitæ.

Rurſus quinta.

62. Clauſimus probationẽ n. 18. quia poteſt quis ea intenſione, & duratione orationi, & virtutum infuſarum actibus vacare, vt propter ſalutis diſpendium culpa venialis ſit tanta agendi intenſio, atque duratio. Ait P. Hurtadus n. 35. in eis euentibus hominem non eliecere actus ſupernaturales. Verum quam durum ſit iſtud aſſertum, & quam contra conceptionem hominum, nullus non videt. Sufficiat nobis doctrinam noſtram hac in re, & magis piam, & communi conceptioni magis eſſe conformem.

Denique doctrina de prohibitione actus ſupernaturalis.

63. Superioribus adiunximus ſect. 4. autoritatem Patrum, quam P. Hurtadus non obijcit, neque attingit: quia neque nos illam in manuſcriptis diſcipulorũ, ex quibus ſuperiora euertenda collegit P. Hurtadus, obiecimus, & expẽdimus. Rurſus addidimus ſect. 8. non eſſe improbabile potuiſſe Deum prohibere actũ ſupernaturalem ſicut naturalem, & voluntatem noſtram actum ſic prohibitum eliecere poſſe. Id negat P. Hurtadus n. 36. quia ad actũ ſupernaturalem tenetur Deus prouidere illuſtrationes, & vocationes ſupernaturales trahentes hominẽ in cõſenſum: id autem repugnat cum actu prohibito, atque adeo aſſerit, aut prohibitionem actus ſupernaturalis negandam, aut ſi prohibitio admittatur, non eſſe concedendam voluntatem à Deo proxime adiutam ad efficiendum actũ ſupernaturalem. Sed Deum poſſe prohibere actũ ſupernaturalem, oſtendimus nu. 49. At nihilominus poſſe in eum efficiendũ conferre illuſtrationes, & affectiones ſupernaturales neceſſarias, inde probabile ſit, quia Deus poteſt conferre cogitationes, & affectiones naturales, quibus interdũ prouocatur homo ad amorẽ turpem, ſunt enim ex ſe indifferentes ad actũ peccati, & eius omiſſionẽ, contingũtque homini neceſſario citra libertatem ipſius. Ergo etiã poſſunt conferre ſupernaturales, quanquã alliciãt ad actũ prohibitum. Nam ſicut naturales inducentes voluntatẽ in peccatũ, poſſunt à Deo diſponi, etiã tanquã ab autore principali, quin peccatũ, in quod inclinant, intendat, ita poſſunt ſupernaturales. Vt

autẽ Deus author ſit moralis peccati, requiritur vt eas cogitationes tribuat ex intẽtione peccati. Imo addo, illuſtrationes ſupernaturales neceſſarias ad actũ prohibitũ non prouocare volũtatẽ ad peccatũ, ſed ab illo retrahere; nam caſu, quo actus ſupernaturalis prohibeatur, requiritur illuſtratio, quo eius proponatur malitia; at propoſitio malitiæ retrahit voluntatem ab agẽdo. Ex natura rei illuſtrationes modo prouiſæ voluntatem trahunt ad actum ſupernaturalẽ, quia eius obiectum, & exercitiũ proponitur omnino bonum, & cõueniens. Tunc autem non ita proponeretur, ſed diſconueniens, & malum. Ergo illuſtrationes diuinæ non traherẽt, ſed retraherent potius voluntatem. De quo plura inferius reſpondentes ad argumenta Patris Hurtado.

SECTIO DECIMA.

Vlterior inſtauratio noſtræ doctrinæ.

Vindicatur ſuperior doctrina ab argumentis P. Hurtadi.

64. IAm vidimus noſtram probationem integram relinqui. Videamus an aliquid obijciat denuo P. Hurtadus quod cõuincat. Ac in primis ea, quibus ſub ſect. 6. oppugnat omne genus malitiæ, etiã extrinſecæ, & indirectæ. Arguit primo omne imperium adimit immediatã libertatem actui imperato, atque adeo nulla illi competit moralitas, niſi moralitas imperantis. At actui ſupernaturali cõpetere debet alia moralitas, quam malitiæ, quia alias non fieret ex gratia per Chriſtum, nam gratia per Chriſtum non datur niſi ad actus morales. Ergo actus ſupernaturalis non poteſt fieri malus ex imperio alterius actus.

Expenditur primũ.

Sed in primis poteſt eſſe imperiũ conferens bonitatem, & malitiam, quod integram relinquat libertatem immediatam actus imperati, vt contra eundem Patrem Hurtado euincemus diſp. 66. ſect. 3. & 4. Deinde actus fidei, de quo ipſe differit, poteſt fieri ex gratia per Chriſtum, quamuis imperium eiuſdem ſit efficax, & malum; quia ſimul cum eo imperio malo debet neceſſario adeſſe ſemper imperium liberum piæ affectionis, quod poteſt non infici imperio malo actus fidei, cum poſſit pia affectio ab imperio nõ proficiſci, ſed mere comitari illud circa actum fidei. At tunc moralitas actus fidei non eſt ſolius malitiæ, ſed etiam bonitatis piæ affectionis; nam ſicut actio exterior poteſt ſimul imperari ex duplici intentione morali altera bona, & altera mala, poterit actio interior fidei ex duplici affectu, altero bono, altero malo determinari. Ergo qua parte cõtinet actus fidei moralitatem bonam, poteſt fieri ex gratia per Chriſtum. Præterea non eſt verum, illuſtrationem ſupernaturalem, & gratiam per Chriſtũ non prouideri à Deo, niſi ad actus immediate morales, & liberos; Nam quãdo actus fidei nulla inficitur malitia, & ab affectu pio vndique bono imperatur, non ſolum adeſt gratia, & illuſtratio ad velle credere, ſed etiam ad ipſum credere, vt ſupponunt Concilia & Patres, & exponemus diſp. 60. At ipſum credere non eſt actus immediate moralis. Similiter cum actus charitatis imperatur efficaciter per actum pænitentiæ, non ſolum requiritur gratia per Chriſtum ad actum pœnitentiæ, ſed etiam ad actum charitatis, quamuis actus charitatis ſit imperatus, & moralis moralitate pænitentiæ. Ergo gratia per Chriſtum etiam ad actus immediate non morales neceſſaria eſt. A priori eſt ratio, quia gratia per Chriſtum eſt illuſtratio intellectus, & affectio ſancta volũtatis. At etiam cum actus ſupernaturalis pænitentiæ efficaciter imperatur ab alio, præcedit illuſtratio intellectus, & affectio ſancta voluntatis; tum quia ita ſit in eo inſtanti imperatus, vt poſſit non fieri imperatus, ſed immediate liber, atque adeo ante imperiũ præcedunt illuſtrationes, & affectiones neceſſariæ ad illum, vt eis conſtituatur liber, & in poteſtate voluntatis; tum quia etiam actus imperatus fertur in obiectum cognitum, & voluntati gratum; cognoſcitur autem, & placet voluntati per illuſtrationem, & affectionem ſimplicem gratiæ. Neque obeſt ad viſionem Dei, & amorẽ in patria non præcedere illuſtrationem. Tum quia viſio Dei non eſt ſubdita libertati, neque immediate, neque mediate. Tum quia non ſupponit apprehenſiones, ſicut aſſenſus fidei. Similiter neque amor conſtituitur prius in poteſtate libertatis, ſicut actus imperatus, & ipſa viſio gerit munus illuſtrationis ad illam.

Secundum.

65. Secundo arguit, non poteſt dari imperiũ naturale in actum ſupernaturalem. Ergo minus poteſt vitioſum. Sed antecedens eſt falſum, vt ſuperioribus diſputationibus ſtatuimus.

Tertium.

66. Tertio à priori. Actus ſupernaturalis eſt eleuatio attollens naturam in finem ſupernaturalem. Directio autem in finem malum, & omnis actus procedens ab illa eſt deflexio ab eo fine. Ergo non poteſt eſſe actus ſupernaturalis directio in finem malũ. Fateor directionem ipſam non eſſe ſupernaturalem; quia deflexio eſt ab eo fine; nego tamen actum directum nõ poſſe ſupernaturalem eſſe; quia intrinſece confert in finem ſupernaturalem, quamuis proxime ex vitio voluntatis non cõferat, vt neq; conferunt proxime plures actus peccatoris intrinſece ſupernaturales. Præterea, ſi directio eſt culpa tantum venialis, & inefficax, poteſt proxime in finem ſupernaturalem conferre, quia poteſt cum ea meritũ, & impetrationem retinere, vt ſect. 8. explicuimus. En quã facile diluãtur, quæ P. Hurtadus contendit aduerſus malitiã extrinſecã, & indirectã actus ſupernaturalis.

Examinantur quæ objicit cõtra prohibitionem actus ſupernaturalis.

67. Accedamus ad ea, quæ torquet ſub ſect. 1. & 2. contra prohibitionem directam, quæ difficiliora ſunt, & nos attigimus ſect. 8. ideoque non omnino, plenoque conſenſu aſſeruimus actum ſupernaturalem poſſe fieri directe prohibitum; ſed modeſtius, id improbabile non eſſe, præſertim ſi actus bonus naturalis fieri poteſt. Objicit igitur primo cum Patre Vaſquez.

Prima objectio.

Chriſtus non eſt mortuus vt damnemur. Eſſet autem mortuus, vt damnemur, ſi fieret actus ſupernaturalis directe prohibitus, quo damnamur; tum quia mortuus eſt, vt fiant actus ſupernaturales; tum quia auxilia gratiæ, quibus fieret talis actus, impetrata eſſent per Chriſtum. Ergo repugnat actus ſupernaturalis directe prohibitus.

Eleuatur.

Reſpondeo. Chriſtus mortuus eſt, vt fiant actus ſupernaturales, eo modo quo de facto ſiunt, quia de facto nullus actus

Digitized by Google

ſupernaturalis eſt directe prohibitus, neque ex natura rei prohiberi directe poteſt, ſed poteſtate abſoluta Dei. Si autem Deus vteretur hac abſoluta poteſtate, tunc Chriſtus mortuus fuiſſet, vt fierent actus ſupernaturales conformes legi Dei, atque adeo non illi, qui lege Dei prohibiti ſunt. Illuſtrationes autem ſupernaturales præcedentes actum ſupernaturalem prohibitum eſſent quidem gratia per Chriſtum, quatenus conferrent ad retrahendum voluntatem ab agendo actum prohibitum, non vero, quatenus conferrent ad illum agendum. Etenim tunc illuſtrationes diuinæ proponerent obiectum, & exercitium actus ſupernaturalis diuerſo modo, quam nunc proponunt; nempe diſconueniens naturæ rationali; & contra legem Dei, quod modo illuſtrationes ſupernaturales proponere nequeunt, atque adeo remouerent potius, quam mouerent voluntatem in agendum prohibitum actum. Itaque ſicut actus ſupernaturalis prohibitione Dei variatur moraliter in ordine ad ſalutem ſupernaturalem hominis, ita illuſtrationes etiam conferentes in illum variantur, vt qua parte eum actum inducere poſſunt, non ſint beneficia naturæ rationalis, neque gratiæ, quamuis ſupernaturales ſint; ſed ſolum qua parte poſſunt voluntatem auocare ab illo. Etenim poſſunt qualitates aliquæ eſſe ſupernaturales, quin ſint beneficia hominis, vt actio vrendi animum procedens per virtutem obedientialem ab igne Inferni ſupernaturalis eſt, tamen non eſt beneficium, ſed pœna hominis vſti per illam. Similiter igitur cogitationes ſupernaturales præuiæ ad actum ſupernaturalem prohibitum non ſunt gratia, & beneficium naturæ impetratum per Chriſtum, qua ratione conducunt ad exiſtentiam actus, ſed ſolum qua ratione conducunt ad liberam; & mea opinione meritoriam omiſſionem illius; quanquam etiam qua ratione in eius actus exiſtentiam conferunt, ſupernaturales ſint, quia ea ratione moraliter variantur prohibitione Dei ab eſſe beneficij conferentis in ſalutem ad aliud eſſe diuerſum.

Secunda. 68. Obijcit ſecundo. Deus eſſet author ſpecialis entitatis peccati; nam Deus eſt autor ſpecialis cuiuſcunque actus ſupernaturalis, cum ad eum agendum eleuare debeat voluntatem, eiuſque imbecillitatem auxilio ſupernaturali, atque indebito roborare. At Deus neque entitatis peccati ſpecialis autor eſt; quia ad illam ſolum concurrit tanquam cauſa prima vniuerſalis; quare etiam prædeterminantes aiunt, Deum non prædeterminare voluntatem ad entitatem phyſicam peccati concurſu ſpeciali, ſed generali omnibus creaturis communi. Ergo actus ſupernaturalis non poteſt eſſe directe prohibitus, & malus. Confirmatur; Deus non ſolum eſt cauſa ſpecialis phyſica, ſed etiam moralis actus ſupernaturalis alliciendo, & inuitando voluntatē ad illum medijs illuſtrationibus, quas gratioſe diſpenſat. Ergo Deus eſſet cauſa moralis cōſulens eum actum, quo damnamur. Quare neſcio (ait Pater Hurtadus) qua ratione hæc ſententia poſſit inter catholicos tolerari? Sed miror tenacitatem aliquorum ingeniorū, quæ ita ſuis adhærent opinionibus, vt non aduertētes animū in faciles, & cuique obuias ſuorum argumentorum ſolutiones, primo illorum impetu de aduerſariis tanquam de victis hoſtibus triumphent, & in cenſuras cōtrariæ ſententiæ illico ardeant. Incipiamus à confirmatione argumenti, quę nobis ad argumenti explicationem lucem dabit. Neque multis opus eſt ad illā. Deus quidē de facto cauſa moralis eſt actus ſupernaturalis, quia de facto nullus eſt, qui non ſit ſalutaris, & conferens in vitam æternā. Cum autem Deus prohiberet actum ſupernaturalē, non eſſet cauſa ſpecialis moralis actus ſupernaturalis prohibiti, ſed tantum phyſica, quia tunc exiſtentia libera talis actus non eſſet ſalutaris, ſed nociua homini, & contra legem ipſius Dei. Quare neque Deus inuitaret hominem ad illū, neq; conſuleret, ſed potius illuſtrationes à Deo infuſæ retraherent ab agendo illū, cum ei proponerent prohibitionem diuinam, vt nuper dicebamus, voluntaſque diuina eas illuſtrationes diſpenſans, non intenderet eius actus exiſtentiam, ſed obedientiā omittendi illum; quæ Dei intenſio neceſſaria erat ad cauſalitatem moralem. Neque mirum eo genere prouidentiæ ſe gerere Deum in actum ſupernaturalem, cum omnia iſta priori voluntati Dei nolenti exiſtētiā actus ſupernaturalis conſentanea ſint. Quod neſcio, qua ratione non aduertit P. Hurtadus. Siquidem neque ipſe negat poſſe à Deo prohiberi actum ſupernaturalem, ſed à Deo prohibitum iuuari voluntatem ad eum agendum. Ait igitur, poſſe Deum prohibitione actus ſupernaturalis ita retrahere auxilia ad illum, vt ea conferre non poſſit. Sic argumentor. Deus ita pronus eſt, & munificus in diſpenſandū auxilia ſufficientia ad actus ſupernaturales, vt præueniens hominum voluntatem ad oſtium ſtet pulſans corda eorum, vt ea admittant, & vix ſunt vlla peccata, quæ retrahere poſſint Deū ab illis diſponendis. Ergo Deus ſuopte genio, & munificentia ferretur ad donandum auxilia in actum ſupernaturalem, quem admittit prohibitum. Negabit merito conſequentiā, quia modo Deus ideo liberalis eſt in prouidēdis eis auxiliis, quia prænoſcit exiſtentiam actuum futuram homini ſalutarem, & ſuæ voluntati conformem; poſita autem prohibitione non ita prænoſcit actus ſupernaturalis exiſtentiam futuram; atque adeo mirum non eſt, Dei prouidentiam retrahi à diſpenſando ea auxilia. Quid ergo ipſi mirum eſſe debet, etiam conſequenter ad meam opinionē aſſeri, Deum quidem poſita prohibitione conferre illuſtrationes poſſe ſufficientes ad agendum eum actum; ſed non ex intentione quòd fiat, ſed potius quòd obediatur Deo non agendo; non illuſtrationes inuitātes, ſed potius retrahētes voluntatem ab eius libero exercitio; atque ita Deum non fieri cauſam moralem eius actus. Qua ratione in hanc conſequentiam doctrinæ non aduertit? Neque quidpiam efficiet, ſi contendat, ſupernaturalitatē exigere, vt Deus ſit moralis cauſa talis actus intentione, atque conſilio. Nam, vt actus ſupernaturalis ſit, ſufficit concurſus ſpecialis phyſicus, iſque ſit actus, in quem virtus phyſica naturę abſque ſpeciali,

Confirmatur. Reijcitur.

Digitized by Google

& ſupernaturali principio phyſico nõ ſufficiat; eo enim ipſo talis actus tranſilit metas, & cõditiones actus naturalis. En iam prompta nunc argumẽti ſolutio. Deo repugnat cauſalitas ſpecialis moralis entitatis peccati, non cauſalitas ſpecialis phyſica, ex ſe indifferens ad actum, & eius omiſſionem cum intentione, & cauſalitate morali omiſſionis, & nõ actus. Tunc autem Dei cauſalitas ſpecialis non eſſet moralis, ſed phyſica, non determinata, ſed indifferens cum intentione, & cauſalitate morali omiſſionis, potius quàm actus. Ecce qua ratione hæc ſententia poſſit inter catholicos tolerari.

Tertia. 69. Tertio arguit. Actus ſupernaturalis eſt amatus à Deo ſpeciali affectu complacentiæ, quo actus naturalis non amatur; nam efficitur per auxilium gratiæ congruum; quod & ab Auguſtino, & Eccleſiæ Patribus prædicatur ingens hominis beneficium, & grande diuini amoris argumentum. At cum hoc amore ſpeciali Dei non recte componitur actum eſſe prohibitum. Ergo prohiberi non poteſt. Reſpondeo. (Infringitur) De facto ſic amatur actus ſupernaturalis, quia omnino bonus efficitur, & directe non prohibetur. At cum prohiberetur à Deo, non eſſet omnino bonus, & diuino amori congruus, neque cogitatio, qua voluntas eum eliceret, eo ex capite eſſet beneficium ſpeciale naturæ, vt ſuperioribus expoſuimus. Quod aduerſarius diffiteri non debet. Nam ipſe admittit actum ſupernaturalem poſſe eſſe prohibitum; quamquam negat ſic prohibitum poſſe à voluntate eſſe libere elicitum; quia neque à Deo ſic poteſt intendi, neque voluntas creata auxiliis gratiæ iuuari. En actus ſupernaturalis poſſibilis ante prohibitionem erat capax amoris Dei expetentis exiſtentiam ipſius, & illuſtrationes conferentes in illum poterant tanquam beneficia hominis ſpeciali Dei amore diſpenſari; at vero poſt Dei prohibitionem id repugnat. Ergo ſimiliter quamuis exiſtat is actus prohibitus, non terminabit amorem complacentiæ diuinæ, quem ſecluſa prohibitione terminaret; neque illuſtrationes ad illum erunt beneficia hominis amore diuino diſpenſata, quemadmodum eſſent, ſi prohibitio non adeſſet. Quod enim tu ais erga actum ſupernaturalem poſſibilem, aio ego erga eumdem exiſtentem. Itaque ſicut à te non cenſetur abſurdum, non poſſe actum ſupernaturalem poſſibilem à Deo intendi, & illuſtrationes gratiæ, tanquam beneficia prouideri; ita neque abſurdum cenſeri debet, eum exiſtentem non amari, & illuſtrationes exiſtentes gratiæ, tanquam beneficia non æſtimari, qua ratione exiſtentiam actus inducunt, ſed liberam eius omiſſionem, vt anterioribus obiecimus. Hæc ſatis aperta ſunt, & abũde ſufficiunt ad aliquam probabilitatẽ actus ſupernaturalis prohibiti, & nihilominus libere eliciti à noſtra voluntate.

DISP. QVINQVAGESIMAPRIMA.

AN ACTVS SVPERNATVRALES EFFICIANT habitus infuſos?

AD notitiam actuum ſupernaturalium attinet expendere vim actiuam ipſorum. Ac in primis an virtute efficiente habituum per ſe infuſorum præditi ſint; verbi gratia, actus fidei virtute efficiente habitus, qui puero ad credendum in Baptiſmo donatur, & actus charitatis virtute efficiente eius habitus, qui ad diligendum Deum ſectatur gratiam iuſtificantem, & ſic de aliis.

SECTIONES.

1. *Statuitur ſententia negans.*
2. *Expenduntur probationes.*
3. *Rectior probatio communis ſentẽtiæ.*
4. *Fundamenta ſententiæ affirmantis.*

SECTIO PRIMA.

Statuitur ſententia negans.

Explicatur controuerſia. 1. CErtum eſt primo, poſſe efficere per virtutem obedientialem communem omni creaturæ. Certum eſt ſecundò, poſſe habitus per ſe infuſos fieri interdum ex natura rei abſque influxu efficienti actuum ſupernaturalium, vt producti ſunt in Chriſto Domino, Beata Virgine, & pueris baptizatis. In quibus eos produci contra ipſorum naturam, quis audeat affirmare? Quare controuerſia eſt an actus ſupernaturales efficiant ex natura rei habitum per ſe infuſum, cum actus ſupernaturales habitum præcedunt. Vel quoad primam exiſtentiam, vt cum infidelis per actum fidei ſe diſponit ad fidem; & peccator fidelis per actum contritionis ad charitatem; vel quoad intenſionem, vt cum homo iuſtus per actus meritorios intendit virtutes infuſas? Nam vt bene Pater Suarez lib. 8. de gratia cap. 4. n. 17. (P. Suarez.) in eodem gradu certitudinis ponenda eſt efficientia actus ſupernaturalis in habitum per ſe infuſum quoad intenſionem, & primam productionem.

Digitized by Google

Autores. S.Thomas. Caietanus. Conradus. Medina. Henricus. Altiſiodorenſis. Almainus. Gregorius. Gabriel. Carthuſianus. Durandus. Marſilius. Corduba. Franciſcus à Chriſto. Viguerius. Sotus. P.Suarez. P.Torres. P.Hurtado. Lorca. P.Salas. Medina. P.Coninck.

2. Omnium Theologorum ſententia docet, habitus per ſe infuſos neque produci, neque augeri efficienter per actus. Ita S. Thomas 1.2.quæſt. 51.art.4.in corp. & ad 3.quæſt.55. art.4. quæſt.1.de virtutibus art.1.ad 17. Caietanus, Conradus, Medina, & omnes Thomiſtæ 1.2. locis allegatis; Henricus quodlib.5.q. 23.Altiſiodorenſis 3. Sum.tr. 5.c.5.Almainus 2.mor.Gregorius in 1.diſt.17.quæſt.5.Gabriel ibidem quæſt.4. Carthuſianus quæſt.2.Durandus quæſt.8.& in 3.diſt. 27. Marſilius in 4. qu. 10. Corduba lib.1. qu.9. Franciſcus à Chriſto in 1.diſt. 26.quæſt. 6. Viguerius c.12. §.1.Sotus lib.2.de natura, & gratia c.9. P.Suarez lib. 8.de gratia c.4. P. Torres 2. 2.diſp.45.dub.7. P.Hurtado diſp.62.ſect.2. Lorca 1.2.de virtutibus diſp.19. con.1. P.Salas 1.2.t.2.tract.11. diſp.6.ſect.9. Quod adeo certum eſt, vt Medina oppoſitum aſſerat temerarium: P. Coninck repugnans aperte Tridentino,& alij apud Suarium n.12.repugnantes Cõcilio Arauſicano,& ipſe Suarez omnino improbabile, & cui ſine magna audacia aſſentiri non poteſt. Quare miror audaciam recentiorum, qui incaute aſſeruerunt oppoſitum eſſe in Theologia probabile.

Supernaturales actus non efficiunt habitus infuſos.

3. Ideo communis ſententia deſerenda non eſt quam, fateor, magis mihi probat Theologorum authoritas, quam rationis præſidium: nam ſi ratio conſulatur, non adeo facile inuenietur, vt ſect. ſequenti videbimus. Et quidem in ijs, quæ ratio naturalis aſſequi non valet, neque illi repugnant, imprudentis Theologi eſt à communi iudicio deflectere, ſolum quia ratione non conuincitur. Nam neque tu oppoſitum conuinces ratione. Quare ergo propter communem authoritatem plenum, ac deliberatum aſſenſum ſententiæ communi non præſtes?

SECTIO SECVNDA.

Expenduntur probationes.

Prima.

4. PRrima probatio ſumitur ex Tridẽtino ſeſſ.6. c. 7. vbi cum ſtatuiſſet noſtram iuſtificationem fieri per ſuſceptionem gratiæ, & donorum, fidei, ſpei,& charitatis, addit cauſam efficientem huius iuſtificationis, ac per conſequens donorum habitualium eſſe ſolum Deum. Tamen iuſtificationem peccatoris præcedit actus contritionis. Ergo ex mente Concilij actus contritionis non eſt cauſa efficiens alicuius habitus ſupernaturalis, atque adeo neque reliqui actus ſuorum habituum. Hoc argumentum facile ſoluitur. Primo, quia Concilium non ait, cauſam efficientem eſſe ſolum Deum, ſed eſſe Deum. Secundo, quia non agit de habitibus ſupernaturalibus virtutum, ſed de gratia iuſtificante ab illis diſtincta, quam nullis actibus produci, certiſſimum eſt. Tertio, quia eſto agat de virtutibus ſupernaturalibus integrantibus iuſtificationem, agit de omnibus collectiue ſumptis; cum omnium collectio ſectetur gratiam iuſtificantem, & iuſtificationem integraliter compleat. At iuſtificationem non præcedit actus efficiens collectionem omnium, præſertim ſi fiat iuſtificatio per attritionem in ſacramento,& ea phyſice non exiſtat in inſtanti iuſtificationis, vt contingere poteſt.

Secunda. S.Auguſt.

5. Secundo ex Auguſtino lib. 1. retractationum c.9.& lib. 2. de lib.arb. cap. 18. & 19. aſſerente, virtutem ſupernaturalem *eſſe bonam qualitatem, quam Deus in nobis ſine nobis operatur*. Reſpondeo primo. Etiam auxilia gratiæ actualis dicuntur fieri in nobis ſine nobis; tamen communi conſenſu Theologorum, quem libro 51. illuſtrabimus, auxilia gratiæ fiunt concurſu phyſico efficienti potentiæ naturalis. Quippe ea auxilia ſunt illuſtrationes, & affectiones piæ voluntatis ante omnem conſenſum liberum nobis donatæ à Deo. Illuſtrationes autem, & affectiones voluntatis non fiunt à ſolo Deo abſque concurſu phyſice efficienti potentiæ vitalis. Igitur ſicut gratiæ actuales fiunt in nobis ſine nobis libere operantibus, ita & habitus dici poſſunt ſine nobis fieri, quia poſita exiſtentia actuum non eſt in noſtra poteſtate efficientia illorum. Item ſecundo fiunt ſine nobis phyſice agentibus per ſe, quoniam habitus infuſus per ſe antecedit actum, cæterum per accidens poteſt actus antecedere,& tunc habitum ſupernaturalem efficere. Denique Auguſtinus ſolum voluit fieri in nobis ſine nobis agentibus facultate naturæ, non virtute ſupernaturali ſuperaddita actiuitati naturali.

Tertia.

6. Tertia probatio plurium Thomiſtarum eſt. Habitus ſupernaturales creantur. Ergo non fiunt virtute alicuius creaturæ, ſed à ſolo Deo. Verum antecedens eſſe falſum reliquimus manifeſtum diſp.7. Deinde licet habitus ſupernaturales creentur, tamen vnio ipſorum cum animo non creatur, ſed per eductionem efficitur, ſicut vnio animæ cum corpore producitur per eductionem, quamuis ipſe animus per creationem efficiatur. Ergo ſaltem vnio habituum cum animo poterit fieri virtute efficienti actuum ſupernaturalium.

Quarta. Antonius Perez. P.Hurtado.

7. Quarta probatio Antonij Perez,& Patris Hurtado eſt. Duæ cauſæ æquiuocæ non ſunt quoad ſpeciem mutuo cauſæ. At habitus ſupernaturalis,& actus ſunt cauſæ æquiuocæ. Ergo non poſſunt eſſe mutuo cauſæ. At habitus omnium conſenſu eſt cauſa efficiens actus. Ergo actus non poteſt eſſe mutuo cauſa efficiẽs ipſius habitus. Etiam hæc ratio debilis eſt. Primo quia habitus naturalis & actus ſunt quoad ſpeciem mutuo cauſæ communi conſenſu philoſophorum, quem probaui libro de anima. Secundo ſpecies impreſſa, & cognitio naturalis mutuo ſunt cauſæ, nam ſpecies impreſſa efficitur cognitione, & deinde ipſa ſpecies efficit cognitiones. Neque refert quod ait Pater Hurtado, cognitiones ab ſpecie productas eſſe diuerſas. Nam etiam actus ſupernaturales antecedentes habitum ſunt diuerſi ab actibus procedentibus ab habitibus, vt expoſuimus diſp.34.& 35. Præterea quia ſaltem cognitiones intendentes priorem ſpeciem non ſunt diuerſæ à cognitionibus elicitis per ipſam ſpeciẽ, nam ſpecies impreſſa intenditur efficienter per cognitiones elicitas ab ipſa. Denique quia ſen-

Digitized by Google

ſatio interior relinquens ſpeciem impreſſam in phantaſia non eſt diuerſæ ſpeciei ab ea, quæ deinde per ipſam ſpeciem circa idem obiectum efficitur. Tertio hæc ratio diſplicet quia non adducitur aliqua probatio, qua cauſæ æquiuocæ quoad indiuidua eiuſdem ſpeciei mutuo cauſæ non ſint.

Quinta. Aragon. 8. Quinta eſt Aragonis. Habitus ſupernaturales ſunt magis ſupernaturales, quam ipſorum actus, cum actus habeant aliquid naturalitatis admixtum ex concurſu potentiæ naturalis. Ergo actus non poſſunt efficere habitus ſupernaturales. Sed antecedens huius argumenti eſſe falſum oſtendi diſput. 30. ſect. 25. Deinde hæc ratio petit manifeſte principium, nam ſupponit habitum infundi à ſolo Deo, & non habere ortum à naturalitate potentiæ vitalis, neque actus eliciti ab illa, de quo eſt tota diſputatio. Nam maior ſupernaturalitas habitus ſolum pendet à maiori independentia habitus ab concurſu potentiæ naturalis, aut actus eliciti ab illa. De quo rationem inquirimus.

Sexta. 9. Sexta inter omnes Theologos frequens. Actus ſupernaturalis ex natura rei ſupponit habitum infuſum. Ergo non poteſt habere virtutem naturalem efficientem illius. Nam virtus naturalis non ineſt rebus, niſi ad effectus, qui exiſtunt iuxta naturam ipſius cauſæ. Ergo, ſi habitus ſupernaturalis non poteſt iuxta naturam actus ſubſequi exiſtentiam actus, neque poterit fieri virtute naturali actus. In primis antecedens mea opinione falſum eſt. Nam vt docui diſp. 34. & 35. plures ſunt actus ſupernaturales, qui ex natura rei non exigunt procedere ab habitu ſupernaturali, nempe omnes, quibus diſponimur ad iuſtificationem. Deinde ſi velis, actus ſupernaturales antecedentes habitus infuſos procedere efficienter ab illis, vt actum fidei ab habitu ſubſequente fidei, & contritionem ab habitu ſubſequente charitatis, atque adeo è contra habitus non poſſe fieri ab actibus, à vero abeſt, vt oſtendi tr. de Iuſtificatione, & tr. de charitate. Si autem velis, actum ſupernaturalem ex natura rei nulla ratione antecedere habitus infuſos, atque adeo præditum eſſe non poſſe virtute connaturali actiua habitus infuſi. Contra eſt, quia habitus ſupernaturales ex natura rei ſunt amiſſibiles per peccatũ; ſicut gratia habitualis amiſſibilis eſt. At ad recuperationem gratiæ iuſtificantis, & habituum ſupernaturalium ex natura rei neceſſaria eſt diſpoſitio moralis voluntatis, vt tr. de Iuſtificatione docuimus, ſaltem non eſt contra naturalem prouidentiam rerum, vt talis diſpoſitio præcedat. Ergo poteſt competere actui ſupernaturali connaturaliter virtus actiua habitus ſupernaturalis; quandoquidem euentus, in quo habitum antecedit, ex natura rei poſſibilis eſt. Ergo poteſt actus ad eiuſmodi euentum ferre ex ſe virtutem actiuam habitus ſupernaturalis, ſicut calor, probabili opinione, virtute actiua ignis præditus eſt, quamuis per ſe tanquam proprietas ignis exigebat formam ignis ſupponere; quia ex occurſu cauſarum naturalium poſſibile eſt, formam ignis deſtrui, ideoq; ad recuperandum illam ſubiectum neceſſario diſponi.

10. Septima etiam ab omnibus contenditur. Habitus per ſe infuſi eo differunt ab acquiſitis, quod acquiſiti fiunt per actus; infuſi vero à ſolo Deo. Ergo repugnat habitibus per ſe infuſis produci per actus. Reſpondeo; vt aliquod donum dicatur infuſum per ſe, non requiritur, vt ſemper fiat à ſolo Deo, ſed infuſum per ſe eſſe poteſt, quamuis interdum fiat actiuitate alicuius agentis creati. Primo, quia donum per ſe ſemper à ſolo Deo producitur, & per accidens illi contingit, vt actiuitate alterius agentis exiſtat. Itaque habitus infuſus eo differt ab acquiſito, quod infuſus poteſt per ſe à ſolo Deo infundi, quamuis inuerſo ordine ſupernaturali per malitiam creaturæ poſſit actibus diſponentibus ad eius reſtitutionem produci; acquiſitus vero ſemper actibus efficitur, quin per ſe à ſolo Deo aliquando producatur. Secundo quia tale donum non efficitur virtute naturæ, ſed gratiæ; nam auxilia gratiæ actualis dicuntur infuſa, quamuis potentia naturalis conferat concurſum efficientem in illa, vt dicebamus n. 5. Septima.

11. Octaua, & communis omnium probatio eſt. Habitus per ſe infuſi in ordine ſupernaturali imitantur potentias naturales. Potentiæ autem naturales non fiunt ab actibus, ſed ab anima dimanant. Verumtamen efficacia huius probationis tanta non eſt, vt communem aſſenſum mereatur. Nam actus ſupernaturales diſponunt ad habitus infuſos, etiam ſi actus naturales nuſquam diſponant ad potentias. Ergo ſimiliter poſſunt actus ſupernaturales efficere habitus infuſos, etiam ſi actus naturales non efficiant potentias. Præterea actus naturales intellectus efficiunt ſpeciem impreſſam, quæ ſe habet per modum habitus, licet tribuat ſimpliciter poſſe. Rurſus actus ſupernaturales intendunt aliqua ratione habitus, & actus naturales nulla ratione intendunt potentias. Ergo poſſunt actus ſupernaturales efficere intentionem habitus, quamuis actus naturales non efficiant potentias. Etenim ſi in his omnibus habitus infuſi non referunt potentias naturales, quare referent in eo, quod actibus non fiant? Octaua.

SECTIO TERTIA.

Rectior probatio communis ſententiæ.

Prima à poſteriori. 12. Cernis, quam difficile probetur ſententia communis. Rectius probabis à poſteriori. Quoniam actus ſupernaturales virtutum moralium non efficiunt habitum infuſum, cum neceſſario fiunt ab homine iuſto, neque cum fiunt libere ab homine peccatore, alioqui augerentur habitus ſupernaturales in homine iuſto per actus non meritorios, & fierent virtutes morales in homine peccatore ſine gratia iuſtificanti. Ergo non ineſt actibus ſupernaturalibus vis phyſice productiua habituum ſupernaturalium. Probatur conſequentia, quia cum actus ſupernaturales ſint cauſa neceſſaria, & non libera, operantur habitum, quantum

poſſunt. Ergo ſi poſſunt, efficient neceſſario habitum, cum fiunt libere à peccatore, & cum fiunt neceſſario à iuſto; ſiquidem actus eliciti à peccatore, & iuſto, neceſſarij atq; liberi omnes ſunt eiuſdem actiuitatis, & ſpeciei. Niſi velis, Deum vim inferre actibus in euentu argumenti, priuando eos actione ſibi debita in habitus ſupernaturales; quod dicendum non eſt. Confirmatur, productio, & intenſio habituum ſupernaturalium eſt præmium morale actuum. Ergo non fit actione neceſſaria ipſorum actuũ; nam præmium, vt diximus in tr. de merito, debet eſſe ſeparabile ex natura rei ab actu meritorio. *Confirmatur.*

Secunda à priori. 13. A priori probari poteſt ex præſtantia habitus ſupernaturalis excedentis perfectionẽ actus. Nam nullus eſt actus à Deo perfectus, ſupra quem non ſint poſſibiles alij perfectiores & perfectiores ſine fine. At nullus eſt actus à Deo perfectus, quem ſua actiuitate non contineat habitus. Etenim ſi quis conuertatur in Deum per actum charitatis deteſtantem omnia peccata mortalia, poteſt per habitum in iuſtificatione acquiſitum elicere actum, quo deteſtetur venialia, & actum quo propter gloriam Dei dedat ſe cruciatibus martyrij. Ergo habitus longe præſtantior eſt, quam actus. Rurſus habitus eleuat imbecillitatem potentiæ naturalis tribuendo illi actiuitatem, quam ex ſe non habet. At actus non habet iſtam excellentiam eleuandi naturam ſupra ſuas vires naturales. Ergo non poteſt continere in virtute ſua actiua perfectionem habitus.

Prima obiectio. 14. Obijcies primo, ſpeciem impreſſam, & habitum acquiſitum influere in actus perfectiores ijs, à quibus efficiuntur. Ergo etiam poteſt ſimiliter habitus infuſus. *Diluitur.* Nego conſequentiam. Diſcrimen eſt, quia ſpecies, & habitus naturalis influunt tanquam cauſæ omnino partiales continentes effectum cum alia comparte longe perfectiori, & ex ſe actiua omnium actuum naturalium. At habitus eſt virtualiter, & æquiualenter quaſi cauſa adæquata actus ſupernaturalis; nam licet cum illo influat potentia naturalis tanquam cauſa partialis, tamen virtutem influendi non habet ex ſe abſolutam, ſed illam accipit eleuata & roborata per habitum. Itaque diuerſo modo ſunt cauſæ partiales habitus, & ſpecies naturalis, quam habitus ſupernaturalis; ſiquidem habitus, & ſpecies naturales efficiunt actus naturales cum potentia naturali, quæ virtualiter continet perfectionem habitus, & ſpeciei, cum ſint principia quæ ex natura ſua illius exigentiæ, & actiuitati debita, & annexa ſunt; cæterum habitus non influit cum potentia naturali, quæ ipſum habitum virtualiter contineat, & quaſi debitum ſuæ exigentiæ vendicet.

Secunda. 15. Obijcies ſecundo, actum charitatis eſſe iuſtificantem, non vero habitum; item viſionem Dei eſſe beantem, non vero habitum luminis gloriæ. Ergo actus ſunt perfectiores, quam habitus. *Explicatur.* Reſpondeo. Hi actus non ſunt perfectiores phyſice, ſed ſolum moraliter in æſtimatione voluntatis. Poſſunt enim plura phyſice ignobiliora æſtimatione voluntatis eſſe præſtantiora; nam æſtimatio moralis, & phyſica ex diuerſis pendet principijs; quare aurum moraliter æſtimatur pluſquam muſca, quamuis phyſice non ſit perfectius, quam illa. Nam æſtimatio moralis deſumitur ex maiori perfectione, quam res habet in ordine ad vſus morales naturæ rationalis; æſtimatio phyſica vero ex perfectione, quam res habet in ordine ad ſe, ſeorſim à conuenientia cum natura rationali. De quo vberius alibi ſtatuendum eſt.

SECTIO QVARTA.

Fundamenta ſententiæ affirmantis.

16. NOn deſunt recentiores, qui nihilominus tueantur ſententiam affirmãtem. Verum ad illam nullum adducunt argumentum, quod alicuius ponderis ſit. Primum eſt, quia actus naturales efficiunt habitum naturalem. Ergo ſupernaturales ſupernaturalem. *Diſſoluitur prima probatio contrariæ ſententiæ.* Hoc argumentum, ſi quid probat, ſolum eſt, efficere habitum ſupernaturalem acquiſitum tribuentem facile poſſe; non vero habitum per ſe infuſum tribuentem ſimpliciter poſſe. De quo diſputatione ſequenti. Præterea diſcrimen eſt excellentia habitus ſupernaturalis præ naturali. Quippe habitus ſupernaturalis excedit perfectionem actuum ſupernaturalium, naturalis vero actibus naturalibus non præſtat.

17. Secundo arguunt. Actus ſupernaturales diſponunt ad habitus. *Secunda.* At diſpoſitio vltima ad formam efficit ipſam formam, vt calor vt octo efficit formam ignis. Ergo actus ſupernaturales efficiunt habitum. In primis hoc argumentum etiam probat actus ſupernaturales efficere gratiam iuſtificantem, quia diſponunt ad illam; quod credendum non eſt, tum quia gratia iuſtificans longe excellit perfectionem cuiuſque actus; tum quia actus vnius virtutis, v.g. charitatis poſſet efficere collectionem omnium virtutum, cum ad omnium collectionem diſponat. Deinde actus ſupernaturales non diſponunt animam phyſice, ſed ſolum moraliter ad infuſionem habituum. At ſolius diſpoſitionis phyſicæ eſt influere efficienter in formam ad quam diſponit. Denique incertum eſt in phyloſophia, diſpoſitionem accidentalem eſſe cauſam efficientem formæ ſubſtantialis.

18. Tertio. Si actus ſupernaturales non efficerent habitum, poſſet charitas augeri per actus remiſſiores ipſo habitu. *Tertia.* At non augetur per actus remiſſiores. Ergo. Maior probatur, quia per modum meriti poſſunt actus remiſſiores concurrere ad augmentum ſuperius ipſius habitus. Minor eſt S. Thomæ 2.2. quæſt. 24. art. 6. Reſpondeo. Actus remiſſiores augent intentionem habitus. Neque in hoc exiſtit aliquod Theologicum abſurdum, ſed oppoſitum abſurdis Theologicis plenum eſt, vt tr. de charitate expoſuimus, vbi ab hac ſententia alienam eſſe mentem Angelici Præceptoris oſtendimus. Deinde etiam actus naturales remiſſiores habitu efficiunt augmentum habitus, vt lib. de

Digitized by Google

anima docui. Ergo etiam poſſent ſupernaturales efficere. Ex quibus conſtat quam debilibus fundamentis nitatur opinio recentiorum contra communem Theologorum conſenſum. Quare merito temeritatis notam merentur cum abſque fundamento deſerant communem Theologorum aſſenſum.

DISP. QVINQVAGESIMA SECVNDA.

AN ACTVS SVPERNATVRALES EFFICIANT habitum acquiſitum ſupernaturalem?

HABITVS acquiſitus ſupernaturalis eſt, qui ſupponens potentiam naturalem potentem ſimpliciter elicere actus ſupernaturales, tribuit ipſi facilitatem ad agendum; ſicut habitus acquiſitus naturalis, qui ſupponens facultatem ſimpliciter ad agendum actus naturales confert potentiæ facilitatem ad exercitium illorum. Igitur quamquam actus ſupernaturales non efficiant habitum ſupernaturalem per ſe infuſum, tribuentem potentiæ ſimpliciter poſſe, inquirimus, an ſaltem efficere valeant habitum ſupernaturalem conferentem facile poſſe.

SECTIONES.

1. *Proponitur ſententia affirmans.*
2. *Eligitur ſententia negans.*
3. *Diluuntur argumenta ſententiæ affirmantis.*
4. *Qua ratione potentia naturalis facilis ſit ad actus ſupernaturales per habitum naturalem?*

SECTIO PRIMA.

Proponitur ſententia affirmans.

P. Hurtado 2. AFfirmant recentiores propendente Patre Hurtado d. 16. de anima ſect. 8. Primo à priori, quia actus ſupernaturales non ſunt minoris efficaciæ, quam naturales. Actus autem naturales efficiunt habitum acquiſitum naturalem, vt ſupponimus. Ergo ſupernaturales efficiunt ſupernaturalem. Secundo à poſteriori, quia continuo exercitio actuum ſupernaturalium redditur potentia facilior. Ergo eorum vſu adquiritur habitus ſupernaturalis. Antecedens notum eſt experientia. Conſequentia conſtat, quia totum fundamentum adſtruendi habitus acquiſitos in potentia eſt facilitas relicta ex actibus præcedentibus in potentia. Secundo.

Solutio prima impugnatur. 3. Dices primo cum Thomiſtis nonnullis eam facilitatem oriri ex habitibus per ſe infuſis, qui continuo augentur per actus. Sed contra; quia habitus per ſe infuſus non facilitat potentiam ad actus ſupernaturales. Ergo facilitas potentiæ reducenda eſt in habitum acquiſitum, & non infuſum. Probatur antecedens, quia paruuli accipiunt habitus ſupernaturales in baptiſmo; peruenientes tamen ad vſum rationis experiuntur ſe difficiles ad ſtudium virtutis. Item per actum miſericordiæ, v.g. augentur omnes virtutes infuſæ; tamen non augetur facilitas potentiæ ad omnes actus virtutum, vt cernitur quotidiano experimento. Ergo facilitas potentiæ non oritur ex habitu infuſo. A priori, quia habitus per ſe infuſus non ſupplet, minuitue concurſum, ſeu conatum vitalem, quem ex ſuo munere conferret potentia ad actus ſimiles ſupernaturales; facilitas autem potentiæ relicta ex actibus præcedentibus eſt illa, quæ ſupplet, & minuit conatum potentiæ ad actus ſimiles præcedentibus, vt oſtendi in lib. de anima.

4. Dices cum Patre Suarez lib. 6. de gratia c. 14. eam facilitatem reduci poſſe in ſpecialem prouidentiam, & aſſiſtentiam virtutis diuinæ, & auxiliorum, quibus homo iuſtus iuuatur à Deo ad operandum ſuauiter opera virtutum. Sed contra; quia ſi ea facilitas reduci poteſt in aliud, quam in habitum acquiſitum præbetur occaſio negandi omnes habitus acquiſitos; quandoquidem ſola facilitas operandi relicta ex actibus præcedentibus inuexit in ſcholas habitus acquiſitos. Præterea quia facilitas, quam experimur ad actus naturales, ea eſt, quæ poſt exercitium operandi, minuat conatum, & concurſum potentiæ, itaut operetur actus ſequentes cum minori conatu, & concurſu, quam operabatur præcedentes; quocirca Item ſecunda. P. Suarez.

Digitized by Google

ea facilitas prouenire debet à principio efficienti, vt oſtendimus in lib.de anima. Sed prouidentia extrinſeca Dei, auxilia interna, & alia, in quæ Pater Suarez refert facilitatem operandi, non ſunt cauſa efficiens actuum ſupernaturalium, potens minuere, & ſupplere concurſum vitalem potentiæ. Ergo immerito refertur in illa facilitas operandi, quam experimur in potentia.

Item tertia. P. Molina. P. Azor. P. Granados. P. Coninck. Bacon. Bergomenſis.

5. Dices tertio cum Patre Molina 1.p. quæſt.1.art.3. d.3. in fine, Patre Azor.tom.1. lib.3. inſtitutionum cap.21. qu.3. Patre Granados 1.2. contro. 4. diſp.4. num.12. Patre Coninck 2.2.d.7. dub.3. Bacon in 3. diſt. 19. art.3. in fine, Bergomenſi in concordantijs D. Thomæ dub. 691. eam facilitatem prouenire ex habitu naturali, qui eleuatus principio ſupernaturali infuſo poteſt facilitare potentiam ad actus ſupernaturales, quod videtur ſentire D.Thomas 1.2. quæſt. 17.art.4.& probabile reputat Pater Vaſquez 1. 2. d.29. num. 84. & Pater Salas tom.2.in 1.2.d.51.tract. 10. num. 58.& 63. Sed contra arguit Pater Suarez. Facilitas habitualis eſt inclinatio potētiæ in actum. Sed habitus naturalis non poteſt inclinare in actum ſupernaturalem. Ergo facilitas habitualis potentiæ non oritur ab habitu naturali. Arguunt alij; habitus facilitat ad actus ſimiles ijs, à quibus eſt productus. Sed habitus naturalis producitur actibus naturalibus. Ergo ſolum facilitat ad actus naturales, & non ſupernaturales.

S. Thomas. P. Vaſquez. P. Salas. P. Suarez.

SECTIO SECVNDA.

Eligitur ſententia negans.

Autores. P. Suarez. P. Coninck. P. Granadus. P. Salas. P. Azor. Bacon. Bergomēſis. P. Torres. Lorca. Probatur primo.

6. NIhilominus ſtandum eſt communi ſententiæ quæ docet non fieri habitus acquiſitos ſupernaturales, per actus ſupernaturales. Ita P.Suarez, P.Vaſquez, P.Coninck, P. Granadus, P. Salas, Pater Azor, Bacon, Bergomenſis relati num. 5. cum Patre Torres 2.2. d.46. dub.9. Lorca 1.2. de virtutibus diſp.19. Quod eadem certi tudine cenſet Pater Suarez habendum eſſe, qua habitus per ſe infuſos non fieri per actus. De quo vide dicta diſputatione præcedenti num.2. Moueorque primo, quia non ſunt aſſerendi eiuſmodi habitus ſupernaturales abſque efficaci argumento. Hoc autem in re præſenti non inuenio, vt conſtabit ex ſect. ſequenti.

Secundo.

7. Secundo actus ſupernaturales non efficiunt habitum, qui conferat potentiæ ſimpliciter poſſe. Ergo neque habitum ſupernaturalē, qui conferat facile poſſe. Antecedens oſtendimus diſput.præterita. Conſequentia probatur. Habitus ſupernaturalis conferens potentiæ facile poſſe, etiam conferret ſimpliciter poſſe; nam ille ſolus abſque habitu per ſe infuſo ſufficeret ad actum ſupernaturalem; nam vt actus ſupernaturalis fiat à potentia naturali, ſufficit vnicum principium efficiens ſupernaturale, quod, eo ipſo quod ſupernaturale eſt, & efficiens actus ſupernaturales, non poteſt non complere imbecillitatem potentiæ ad tribuendum actui ſupernaturalitatem, quam potentia non continet, vt bene oſtendit Pater Fonſeca 6. Metaphyſicæ cap.1. quæſt. 2. concl. vltima. Sed cum habitu ſupernaturali acquiſito exiſteret vnicum principium efficiens ſupernaturale. Ergo etiam ſi non adeſſet habitus infuſus, ille ſolus ſufficeret ad ſupernaturalitatem actus; ac proinde conferret potentiæ ſimpliciter poſſe ad efficiendum actum ſupernaturalem.

P. Fonſeca.

Tertio.

8. Tertio. Vel habitus acquiſitus charitatis ſupernaturalis remanet in homine poſt peccatum, vel non? Primum videtur durum, & intellectu difficile, quare non deperdatur, ſicut habitus per ſe infuſus, quandoquidem efficeret in animo munus idem, quod efficiebat habitus per ſe infuſus; nam per eum habitum poſſet animus operari actus charitatis, ſicut per habitum infuſum, vt nuper dicebamus. Secundum vero deſtruit omnino fundamentum aſtruendi huiuſmodi habitus acquiſitos, nam poſt peccatū manet in anima facilitas ad actus virtutum, quæ erat ante peccatum. Et per te abſque habitu ſupernaturali acquiſito. Ergo abſque eo habitu poteſt anima facilitari ad actus virtutum, ac per conſequens eiuſmodi habitus neceſſarius non eſt. Quoniam exiſtente habitu charitatis infuſo reduci poteſt facilitas potentiæ ad ea capita, ad quę reducitur non exiſtente.

Quarto à priori.

9. Quarto denique à priori. Habitus acquiſitus facilitat potentiam minuendo, ac partialiter ſupplendo conatum, & concurſum vitalem, quem alias ſine habitu acquiſito conferret potentia in actum ſupernaturalem, vt explicui lib. de Anima cum Ockamo, & Gabriele in 3 diſt. 23.art. 2.notabili 4.& art.3.dub.2. Patre Fonſeca 9. Metaphyſicæ cap.5.qu.4.ſect. 2. P.Valentia 1.2. diſp.4. puncto 2. Patre Suarez Metaphyſicæ diſp. 44. ſect. 5.num.7. Patre Moncæo d.4.c.3. §. *Deinde eadem ratio*, & P. Granado 1.2. contr. 4. d.3. nu.13. Sed ad minuendum conatum potentię naturalis, ſupplendumque partialiter eius concurſum vitalem neceſſarius non eſt habitus ſupernaturalis, vt oſtendemus infra; quinimo accommodatior eſt habitus naturalis, nam concurſus proprius potentiæ naturalis melius ſufficitur per agens naturale, quam per agens ſupernaturale, quare potentiæ vitales naturales eodem modo iuuant animum ad actus ſupernaturales, quo iuuant ad naturales, etiamſi animus immediate agat cum potentijs à ſe diſtinctis, quia eius munus eſt ſubſtituere concurſum animæ, quæ ſemper eſt agens naturale. Ergo habitus facilitans potentiam naturalem non eſt neceſſario ſupernaturalis.

Ockamus. Gabriel. P. Fonſeca. P. Valentia. P. Suarez. P. Mōcæus. P. Granad.

SECTIO TERTIA.

Diluuntur argumenta ſententiæ affirmantis.

Primū diſ. ſoluitur.

10. NEque vrgent argumenta ſententiæ affirmantis. Primum, quia plura

Digitized by Google

ſentia longe perfectiora alijs habent actiuitatem longe minorem; ignis enim poteſt producere ignem, licet ſol perfectior igne non poſſit producere ſolem. Si autem roges, quare actus ſupernaturalis non poſſit producere habitum acquiſitum ſupernaturalem, cum poſſit producere actus naturalis habitum acquiſitum naturalem. Ego quoque rogabo; quare ſol non poteſt producere ſolem, cum ignis poſſit producere ignem. Dices, quia ea eſt vtriuſque natura à poſteriori nobis manifeſta. Bene. Ego etiam dicam, quia ea eſt vtriuſque actus natura, argumentis factis, nobis manifeſta. Præterea reddi poteſt ratio, quia habitus acquiſitus, vt dicebamus numero præcedenti producitur ad ſupplendum conatum, & concurſum vitalem proprium potentiæ naturalis, ſcilicet, quem potentia naturalis, vt diſtincta ab habitu infuſo exhiberet in actum ſupernaturalem ex munere ſibi iniuncto. Ad hunc autem concurſum, & munus obeundum neceſſarius non eſt habitus ſupernaturalis, & accommodatior eſt habitus naturalis, vt dicebamus ibidem.

Item ſecundum.

11. Neque ſecundum vrget, quia facilitas ad actus ſupernaturales poteſt conuenire potentiæ ex habitu naturali eleuato per habitum infuſum. Nam vt potentia naturalis eleuatur per habitum infuſum ad efficiendum ſimpliciter actum ſupernaturalem, ſic poteſt habitus naturalis eleuari ad facile agendum eundem actum; nam vt ſæpius diximus, poteſt idem habitus infuſus & eleuare plura principia naturalia ad efficiendum actum ſupernaturalem, vt habitus fidei infuſæ eleuat animum, intellectum, & ſpeciem impreſſam, quæ omnia immediate influunt in cognitionem ſupernaturalem fidei. Ergo ſimul cum illis eleuare quoque poteſt habitum naturalem minuentem, ideoque facilitantem concurſum potentiæ naturalis in omnes actus, in quos potentia naturalis confert concurſum. Ergo cum illum conferat potentia vitalis etiam in actus ſupernaturales, eleuabit potentiam iam facilem ad actus naturales reſpicientes idem obiectum, quod ſupernaturales, vt facile eliciat cum habitu naturali actus ſupernaturales.

Ad primam obiectionẽ.

Ad obiectionem Patris Suarij factam ibidem reſpondeo primo. Habitus naturalis poteſt facilitare potentiam, quin propenſione innata inclinet in actum, ad quem potentiam facilitat; nam, vt docui in libro de Anima, non eſt munus habitus acquiſiti inclinare potentiam in actus. Secundo poteſt habitus naturalis vt eleuatus per habitum infuſum includendo ipſum habitum infuſum inclinare in actum ſupernaturalem, & inclinationem in ipſum conſtituere, quia eo pacto non eſt quidpiam mere naturale, quod inclinat in actum ſupernaturalem, ſed complexum ex habitu naturali, atque ſupernaturali, cui complexo talis inclinatio non repugnat. Nam etiam principium naturale non poteſt eſſe determinatum ad efficiendum actum ſupernaturalem; tamen poteſt conſtituere cum principio ſupernaturali cauſam proximam neceſſario, & cum determinatione operantem actus ſupernaturalis, vt ſcire eſt ex omnibus actibus ſupernaturalibus neceſſarijs, & non liberis, qui ita fiunt à potentia, vt ipſi iam conſtitutæ in actu primo, & complectenti principia ſupernaturalia neceſſaria ad illum fieret vis, ſi priuaretur actione.

Ad ſecundam.

Ad obiectionem aliorum reſpondeo. Poteſt habitus acquiſitus reddere potentiam facilem ad actus ſpecie diuerſos ab ijs, à quibus productus eſt, dum conueniant cum illis in obiecto formali, quod reſpiciunt, vt oſtendimus in libro de anima. Etenim habitus acquiſitus affectibus amoris boni poteſt efficere affectus odij mali oppoſiti, cum affectus amoris boni diſſimiles ſpecie ſint affectibus odij mali. Similiter quamuis affectus generantes habitum ſint abſoluti, & efficaces; tamen affectus ab habitu producti poſſunt eſſe conditionati, & inefficaces. Item mea opinione non diſtinguente actionem ab actu actus ab habitu naturali producti pendent eſſentialiter à principio ſpecie diuerſo, à quo non pendent actus efficientes habitum; nempe ab ipſo habitu; quod ſufficere ad diſtinctionem ſpecificam, vidimus diſputatione trigeſima ſexta.

SECTIO QVARTA.

Qua ratione potentia naturalis facilis ſit ad actus ſupernaturales per habitum naturalem.

Aliorũ ſententiæ P. Vaſquez.

12. EXiſtit autem dubium, quomodo facilitet habitus naturalis potentiam ad actus ſupernaturales? Pater Vaſquez exiſtimat, facilitare producendo in actibus modum quemdam naturalem, qui ſit facilitas. Pater Coninck cenſet, facilitare alliciendo potentiam in genere cauſæ formalis ad actus ſupernaturales, quamuis facilitet ad actus naturales efficiendo illos ſimul cum potentia. Pater Granadus, & alij volunt, per habitum naturalem ſolum indirecte reddi potentiam facilem ad actus ſupernaturales; quatenus potentia ſemper, ac operatur actus ſupernaturales, operatur ſimul naturales, redditque facilis ad actus naturales per habitum naturalem, redditur indirecte facilis ad actus ſupernaturales, qui potentiæ incumbunt ſimul cum actibus naturalibus.

P. Coninck.

P. Granad.

Propria ſententia.

13. Omiſſis his dicendi modis, quos refellere negotium non erat, arbitror, habitum naturalem facilitare potentiam ad actus ſupernaturales eo modo, quo dixi in libro de Anima facilitare ad actus naturales, nimirum efficiendo immediate actum ſupernaturalem, ſuoque concurſu minuendo conatum, & concurſum, quem alias potentia ſine habitu conferret in actum, vt poſſit ſimul cum habitu

actio

Digitized by Google

actio potentiæ diuerti ad plura opera, quam ſine habitu; quemadmodum Petrus facilitat Paulo deportationem trabis minuendo conatum, quem ſolus Petrus adhiberet ad portandum trabem. Quod fieri poſſe per habitum naturalem, etiam in actum ſupernaturalem, conſtat ex eo, quod habitus naturalis poteſt eleuari ad exhibendum ſuum concurſum in actum ſupernaturalem per habitum ſupernaturalem infuſum, quemadmodum eleuatur per eum habitum animus, potentia, & ſpecies impreſſa; nam, vt ſæpius diximus, ſufficit vnicum tantum principium ſupernaturale efficiens, vt eius auxilio eleuentur plura principia naturalia in actū ſupernaturalē. At diminuto concurſu animę in actus ſupernaturales finitur eius actiuitas minus occupata facilior, & expeditior, vt poſſit incumbere in plura, quam poſſet ſine habitu naturali diminuente concurſum potentiæ. Ergo facilitas potentiæ per habitum naturalem ad actus ſupernaturales explicanda eſt per diminutionem concurſus potentiæ, ſicut facilitas ad actus naturales.

Explicatur. 14. Itaque ſicut potentia naturalis potens ſine habitu naturali efficere ſimpliciter dilectionem naturalem æquitatis iuſtitiæ eleuatur per habitum infuſum ad efficiendum ſimpliciter dilectionem ſupernaturalem eiuſdem æquitatis, ita eadem potentia naturalis potens facile in amorem naturalem eius æquitatis eleuatur per habitum ſupernaturalem ad facilem amorem ſupernaturalem; nam non minus eleuabilis eſt potentia ſimpliciter potens, quam facile potens. Etenim ſicut obiectum continetur ſub poteſtate ſimpliciter voluntatis, ita ſub poteſtate facili eiuſdem. Ergo ſicut voluntas ſecundum ſe adiuta habitu ſupernaturali poteſt ſimpliciter elicere dilectionem ſupernaturalem eius obiecti, ita voluntas facilis per habitum naturalem adiuta, & eleuata auxilio ſupernaturali habitus infuſi, poterit elicere facile dilectionem ſupernaturalem. Explicatur amplius; voluntas ad dilectionem ſupernaturalem vt duo confert concurſum vt duo, adiuta per concurſum vt duo habitus ſupernaturalis. Si adiungatur habitus naturalis acquiſitus in eamdem dilectionem confert voluntas concurſum vt vnum adiuta per concurſum vt duo habitus ſupernaturalis, quia concurſus vt duo proprius voluntatis diuiditur inter voluntatem, & habitum naturalem, itaut concurſus voluntatis vt vnum, & concurſus vt vnum habitus naturalis adæquent concurſum vitalem vt duo requiſitum ex parte voluntatis ad dilectionem vt duo. Quo voluntas cum habitu naturali facilius elicit dilectionem ſupernaturalem vt duo, quam ſine habitu naturali, quia facilius exhibet concurſum vt vnum, quam vt duo, liberiorque, & expeditior relinquitur per concurſum vt vnum ad diuertendum ſuam actiuitatem in alios actus, quam incumbens operi per concurſum vt duo. At hac ratione voluntas redditur facilis per habitum naturalem ad dilectionem naturalem, vt explicui in libro de anima cum authoribus relatis num. 9. Ergo ſimili ratione redditur facilis ad dilectionem ſupernaturalem per eumdem habitum naturalem. Vlterior explicatio.

DISPVP. QVINQVAGESIMATERTIA.

AN ACTVS SVPERNATVRALES EFFICIANT habitum acquiſitum naturalem?

P. Suarez. P. Vaſquez. P. Salas. P. Torres. P. Granad. Medina. 1. NEgant Pater Suarez, Pater Vaſquez, Pater Salas, Pater Torres, & Granadus relati diſp. præterita nu. 5. cum Medina 1. 2. qu. 51. art. 4. dub. 2. quia habitus acquiſitus non poteſt facilitare potentiam ad actus diſſimiles ijs, à quibus productus eſt. Sed habitus naturalis facilitat potentiam ad actus naturales. Ergo non poteſt produci ab actibus ſupernaturalibus. Confirmatur; actus naturales, & ſupernaturales differunt ex obiecto formali. Ergo non poſſunt efficere habitum eiuſdem ſpeciei. Hoc argumentum facile eneruatur duplici principio nobis ſatis familiari. Alterum eſt, actum naturalem, & ſupernaturalem poſſe idem obiectum formalē habere, vt probauimus diſp. 45. quo nulla redditur confirmatio argumenti. Alterum (quo ruit totum argumentum) eſt, habitum acquiſitum concurrere poſſe ad actus diſſimiles ſpecie, dum ſimiles ſint in obiecto formali, vt expoſuimus libro de anima, & ſectione 3. numero 11. probant. Sed inefficaciter.

2. Affirmant Pater Molina, Pater Coninck, Pater Azor, Bacon relati diſputatione præcedenti num. 5. probabileque tradunt Pater Vaſquez, & Pater Salas. A priori, quia actus ſupernaturales continent efficaciam actuum naturalium, cum perfectiores ſint actibus naturalibus. Ergo poſſunt efficere habitum naturalem, quem poſſunt efficere actus naturales. A poſteriori vero, quia exercitio actuum ſupernaturalium relinquitur habitus facilitans potentiam. Non ſupernaturalis, vt vidimus diſputatione ſuperiori. Ergo naturalis. Hæc etiam facilem habent ſolutionem. Ratio à priori quidem; quia plura entia ſunt perfectiora alijs, quæ tamen non continent efficaciam aliorum, vt innumeris exemplis poteſt oſtendi, & attigimus diſputatione præcedenti nū. 10. Ratio à poſteriori vero, quia experientia ſolum teſtatur exercitio actuum ſupernaturalium P. Molina. P. Coninck. P. Azor. Bacon. P. Vaſquez. P. Salas. Sed infirmiter.

Digitized by Google

SECTIONES.

1. *An ad primam cognitionem ſupernaturalem rei neceſſaria ſit ſpecies ſupernaturalis.*
2. *Opponuntur & enodantur nonnulla contra præteritam doctrinam.*
3. *An cognitiones ſupernaturales relinquant ſpecies ſupernaturales?*

SECTIO PRIMA.

An ad primam cognitionem ſupernaturalem rei neceſſaria ſit ſpecies ſupernaturalis?

Statuitur ſententia negans. P. Granad.

2. HAnc difficultatem nullus Theologorum diſcutit præter vnum, aut alterum ſcribentium Recentiorum. Omnes tamen qui illam attigerunt, ſententiam negantem ſupponunt, quin præter Patrem Granadum 2. 2. controu. 1. tract. 13. diſputatione 7. vnus ſit, quem ego viderim, qui ſententiæ affirmanti ſuffragium tulerit. Itaque cum omni Theologorum conſenſu ſtatuendum eſt, primas cognitiones fidei ſupernaturalis, prudentiæ intuitæ, & alias viatoribus frequentes non fieri ſpeciebus intrinſece ſupernaturalibus. Ita P. Vaſquez 1. 2. d. 79 nu. 47. P. Salas to. 2. in 1. 2. tr. 10. d. 3. n. 18. P. Coninck, 2. 2. d. 26. n. 15. P. Torres 2. 2. diſp. 38. dub. 5. P. Molina in concord. q. 14. art. 13. diſp. 8. 9. & ſequ. Antonius Perez in laurea Salman. cert. 6. Scholaſt. n. 33. Aluarez de auxilijs diſp. 18. n. 58. AEgidius de Præſent. lib. 11. d. Beatit. q. 5. art. 2. n. 21. & q. 8. ar. 6. §. 2. n. 13. Bannes 1. p. qu. 88. art. 3. Cabrera 3. p. q. 11. art. 6. diſp. 1. ad 3. & diſp. 6. nu. 27. Item P. Suarez 1. p. lib. 2. de attri. neg. c. 15. n. 6. & lib. 6. de gratia c. 14. nu. 10. 13. & 14. Nec oppoſitum aſſeruit 2. to. in 3. p. d. 9. ſect. 3. dum Beatiſſimæ Virgini tribuit ſpecies ſupernaturales ad eliciendum actus fidei, quia eas tãtum tribuit, vt ex ſpeciali priuilegio operaretur actus fidei independenter à phantaſmatibus; quod reliquis fidelibus commune non eſt.

P. Vaſquez. P. Salas. P. Coninck. P. Torres. P. Molina. Antonius Perez. Aluarez. AEgidius. Bannes. Cabrera. P. Suarez.

Primũ fundamentum.

3. Probatur aſſertum primo. Quia ſi ſpecies ſupernaturales eſſent neceſſariæ ad actus ſupernaturales fidei infunderentur in baptiſmo ſimul cum habitu fidei. At non infunduntur. Ergo non ſunt neceſſariæ ſpecies ſupernaturales ad actus fidei. Maior oſtenditur primo; tam neceſſarius eſt ad actus fidei concurſus ſpeciei, quam concurſus habitus fidei. Sed habitus fidei confertur cum baptiſmo. Ergo etiam ſpecies ſupernaturales. Nam in baptiſmo confertur quidquid habituale intrinſece ſupernaturale per ſe neceſſarium eſt ad actum fidei, medijſque humanis decurſu temporis acquiri non poteſt. Secundo; Deus vbi producit potentiam cognoſcentem, quæ non poteſt ſumere ſpecies à rebus, illico illuſtrat potentiam ſpeciebus ipſi proportionatis, vt cernere licet in intellectu Angelico iuxta communiorem Theologorum ſententiam. Sed intellectus inſtructus habitu fidei eſt potentia ſupernaturalis cognoſcens quæ non poteſt ſumere à rebus naturalibus ſpecies ſupernaturales myſteriorum fidei. Ergo ſimul cum habitu fidei tribueret ſpecies neceſſarias ad actus illius. Probatur minor: quia ſi pueri baptizati eſſent illuſtrati ſpeciebus ſupernaturalibus myſteriorum fidei, non indigerent ad credendum inſtructione naturali Eccleſiæ; inſtructio enim eo ſolum neceſſaria eſt, vt comparentur ſpecies myſteriorum fidei miniſterio hominum, & determinent habitum fidei ad aſſentiendum myſterijs propoſitis. Quare non indigent Angeli inſtructione ad cognoſcendum ea, quorum ſpecies habent. Ergo ſpecies neceſſariæ ad actus fidei nõn infunduntur in baptiſmo ſimul cum habitu. Secundo, quia ea ratione poſſent fideles independenter à phantaſmatibus operari actus fidei per ſpecies infuſas à Deo, & ſuapte natura independentes ab illis; quemadmodum eos actus operabatur Virgo Beatiſſima ſpeciebus per ſe infuſis, vt optime explicat P. Suarez ſupra. Nam ſpecies, quæ independenter à phantaſmatibus acquiruntur, etiam independenter ab illis operantur. Ergo reuera non infunduntur pueris in baptiſmo ſimul cum habitu.

4. Dices, ſpecies ſupernaturales infundi cum primum proponuntur myſteria fidei. Sed contra primo; cum propoſitione myſteriorum fidei non infunditur habitus fidei neceſſarius ad actus fidei. Ergo nec infũditur ſpecies ſupernaturalis ſimiliter neceſſaria ad actus fidei. Secundo homo infidelis diſſentiens myſterijs fidei nõ apprehendit myſteria fidei ſupernaturalibus ſpeciebus, quamquam apprehenſiones antecedentes aſſenſum fidei ſint ſupernaturales, vt vidimus diſp. 49. & videbimus fuſius diſp. 60. Alioqui permanerent in hæretico, & infideli habitualiter ſpecies ſupernaturales, quod dicendum non eſt. Sed cum proponuntur myſteria fidei poteſt infidelis diſſentire myſterijs propoſitis. Ergo cum proponuntur myſteria fidei non infunduntur ſpecies ſupernaturales.

Solutio prima reijcitur.

5. Dices 2. ſpecies ſupernaturales infundi cum primo actu fidei, quemadmodum infunditur habitus fidei hominibus non baptizatis. Sed contra; cum primo actu fidei vel infunditur ſpecies omnium obiectorum credibilium, vel vnius tantum obiecti? Si primum, poſt fidem vnius myſterij, non erit homini neceſſaria inſtructio reliquorum, quorum ſpecies iam habet, vt nuper dicebamus. Si ſecundum, nulla eſt paritas ſpeciei ſupernaturalis cum habitu fidei, nam ſic infunditur communis omnibus myſterijs fidei. Et quidem illæ ſpecies concurrentes ad actus fidei eſſent vniuerſaliores, quam experimur; quandoquidem naturales non ſunt, ſed per ſe infuſæ à Deo, perfectiores ſpeciebus Angelicis inditis à Deo, & vniuerſaliſſimis. Igitur cum limitatæ ſint iuxta ſphæram ſpecierum naturalium, merito licet conijcere, illas eſſe naturales. Præterea efficacius reijcitur ſolutio. Species ſupernaturalis non infunditur cum

Reijcitur ſecunda.

Digitized by Google

primo actu fidei antecedenter ad actum fidei; nam qui operatur actum fidei, poteſt manere ſine actu fidei cum omnibus principijs requiſitis ad actum fidei. Infidelis autem non aſſentiens myſterijs fidei, ſed potius diſſentiens non poteſt manere cum ſpeciebus ſupernaturalibus ſuapte natura permanentibus, quemadmodum nec manere poteſt cum habitu fidei. Neque infunditur poſt actum fidei; quia iam primus actus fidei fieret independenter ab ſpecie ſupernaturali cum ſola ſpecie naturali, quandoquidem in mea ſententia repugnat omnis mutua prioritas; præſertim in præſentiâ vbi ſpecies operatur cognitionem, & cognitio ſpeciem in genere cauſæ efficientis. Neque ſatisfacies, ſi dicas ſpecies ſupernaturales infundi ante actum fidei poſt elicitum affectum piæ affectionis neceſſarium ad actum fidei, & connexum neceſſario cum illo. Tum quia ante ipſum affectum ſupernaturalem piæ affectionis præcedit intellectus potens elicere actum fidei, quem imperat affectus piæ affectionis; intellectus autem non eſt potens elicere actum fidei abſque ſpecie ſupernaturali neceſſaria ad aſſenſum fidei. Tum quia ſaltem ante illum affectum debent præcedere apprehenſa myſteria fidei apprehenſione ſufficienti inducere aſſenſum ſupernaturalem fidei: nam voluntas non poſſet velle credere myſteria, quæ ſaltem non præcedunt apprehenſa ſufficienter ad eorum credibilitatem. At apprehenſio iſta debet eſſe ſupernaturalis, vt oſtendimus diſputatione quadrageſima nona, & diſputatione ſexageſima. Atque adeo indigens etiam ſpecie ſupernaturali. Ergo non poteſt ſpecies ſupernaturalis infundi poſt affectum piæ affectionis. Tum denique quia ipſe affectus ſupernaturalis dirigitur ex cognitione ſupernaturali non ſupponente alium affectum ſupernaturalem, ne ſit affectuum infinita proceſſio, & cognitionum ſupernaturalium. At illa cognitio fieri debet ſpecie ſupernaturali, ſicut cognitio fidei. Ergo ante affectum illum debet exiſtere ſpecies ſupernaturalis. Atque adeo ſi ante illum non exiſtit ſpecies ſupernaturalis, poterit fieri cognitio ſupernaturalis per ſpeciem intrinſece naturalem.

Tertia etiā 6. Dices tertio. Species ſupernaturales, licet infundantur cum habitu fidei, non determinare intellectum ad agendum, donec proponantur credibilia, quia ſunt accommodatæ modo connaturali intelligendi, quem habet animus corpori vnitus, vt ita à ſenſibus incipiat cognitio fidei, ſicut & omnis alia cognitio. Sed contra. Aliæ cognitiones nempe naturales ideo à ſenſibus pendentes ſunt, quia independenter ab illis non comparat intellectus ſpecies, quibus eas cognitiones eliciat: quare comparatis ſemel ſpeciebus miniſterio ſenſuum non indiget deinde eorum operibus ad cognoſcenda obiecta materialia, quorum ſpecies acquiſiuit. Ergo ſi ſpecies ſupernaturales infunduntur intellectui independenter à ſenſibus, poterit intellectus ſine miniſterio ſenſuum operari cum illis. Præterea neque ſpecies, neque apprehenſiones naturales ſenſibus miniſtratis conferunt per ſe concurſum in ſpecies, aut cognitiones ſupernaturales, ſicut conferunt in naturales: Nam, quia ad hunc concurſum improportionatæ ſunt, ideo requiris ſpecies ſupernaturales. Ergo ſpecies ſupernaturales independentes ſunt ab ſpeciebus, & apprehenſionibus naturalibus ad agendum cognitiones ſupernaturales.

7. Dices præterea quarto. Species ſupernaturales infundi, poſtquam primum creduntur myſteria fidei, quia concurrit Deus ad primos actus fidei per auxilium extrinſecum loco ſpecierum ſupernaturalium, ideoque nunquam fieri primos actus fidei, neque aliam cognitionem ſupernaturalem concurſu ſpecierum naturalium. Sed contra; quia, vt probabamus argumento, ſi concurſus ſupernaturalis ſpeciei eſſet per ſe neceſſarius ad actus fidei, donaretur fideli ſpecies ſupernaturalis per ſe neceſſaria ſimul cum habitu fidei, ne ad primum actum fidei deficeret illi concurſus ſupernaturalis neceſſarius. At non donatur ſimul cum habitu fidei. Ergo neceſſarius non eſt concurſus ſupernaturalis Dei ſubſtituens ſpeciem ſupernaturalem. Præterea, vt oſtendemus infra, concurſus proprius obiecti præſtari poteſt per ſpeciem naturalem eleuatam habitu ſupernaturali fidei. Ergo non non requiritur auxilium extrinſecum Dei, nec ſpecies ſupernaturalis ad primum actum fidei. *Demum quarta.*

8. Secundo probatur aſſertio communis. Apprehenſiones, quæ præcedunt aſſenſum fidei, & cognitionem propheticam ſunt ſupernaturales, vt conſtat ex d. 49. At eiuſmodi apprehenſiones fiunt ſpeciebus naturalibus, nam Theologus, & doctus fidelis diſtinctius, & clarius apprehendit myſteria fidei, quam homo indoctus, & ruſticus, quamuis indoctus, & ruſticus præditus ſit habitu intenſiori fidei; item notitia prophetica varia eſt pro varietate ſpecierum, quæ in hominibus diuerſæ conditionis, atque eruditionis obiecta referunt: quare diuerſitatem prophetandi inter Prophetas antiqui teſtamenti referunt Theologi, & Patres Eccleſiæ in diuerſam eruditionē, & ingenium vniuſcuiuſque. Id autem aliunde non prouenit, niſi quia ſpecies naturales ſtudio quotidiano acquiſitæ influunt in eas apprehēſiones ſupernaturales. Explicatur; Angelus aſſentiens per cognitionem fidei, ſoli naturæ humanæ vnitum eſſe Deum, ita diſtinguit per eam cognitionem naturam humanam ab omni alia natura, quæ non eſt humana, vt ex vi eius cognitionis non poſſit admittere cognitionem erroneam, qua eſſentiatur vnitum eſſe Deum naturæ Angelicæ. At vero homo ruſticus aſſentiens eidem obiecto per cognitionem fidei, adeo confuſe diſtinguit naturam humanam ab omni alia, quæ non eſt humana, vt cum ea cognitione poſſit admittere cognitionem inuincibiliter erroneam, qua iudicet vnitum eſſe Deum naturæ Angelicæ; quia ſpecies, quæ in eo referunt naturam humanam non diſtinguunt illam à natura Angelica, ſed *Secundum fundamētū* *Exponitur.*

Digitized by Google

vnam cum alia confundunt, ideoque putat Deum vnitum naturæ humanæ, vnitum quoque fuiſſe naturæ Angelicæ. Quod ab ſpeciebus naturalibus Angeli alienum eſt. Ergo renera inæqualitas ſpecierum naturalium quæ influnt in cognitiones ſupernaturales, cauſa eſt huius inæqualitatis. Confirmatur, cum ego per actum charitatis ſubleuo miſeriam pauperis mihi præſentis, præcedit actum illum ſupernaturalem cognitio ſupernaturalis repræſentans honeſtam eſſe ſubleuationem illius miſeriæ, vt conſtat ex d. 49. Sed ad eam cognitionem concurrunt ſpecies naturales, quis enim aſſerat, vt deprehendam miſeriam pauperis mihi præſentis, infundi mihi à Deo ſpeciem ſupernaturalem. Dicendum ergo eſt, ſpecies naturales miniſterio ſenſuum acquiſitas concurrere ad eam cognitionem ſupernaturalem mouentem voluntatem ad actum ſupernaturalem charitatis.

Confirmatur.

Tertium à priori.

9. Tertio probatur à priori. Vt actus intellectus ſit ſupernaturalis non requiritur ſpecies ſuparnaturalis, ſed ſufficit naturalis, nam vt actus intellectus ſit ſupernaturalis, neceſſe non eſt, vt omnia eius principia ſint ſupernaturalia, ſed ſufficit, vt vnum ex neceſſarijs ſit ſupernaturale. Vt enim cognitio ſit ſupernaturalis, ſufficit quod excedat ſimpliciter vires ſolius naturæ, vt autem excellat ſimpliciter vires ſolius naturæ, ſufficit quod principia naturalia non valeant efficere cognitionem abſque conſortio alicuius principij ſupernaturalis ad actum fidei. Confirmatur, vnicus habitus fidei ſufficit eleuare duo principia naturalia ad concurſum ſupernaturalem, verbi gratia, animum, & intellectum ab eo diſtinctum. Ergo idem ſufficit eleuare etiam ſpeciem naturalem repreſentantem in actu primo obiectum cognitionis ſupernaturalis. Nam nulla eſt ratio, quare non poſſit eleuari ſpecies naturalis ad repræſentationem ſupernaturalem, ſicut eleuantur intellectus, & animus ab habitu ſupernaturali. Nam ſicut intellectus, & animus per cognitionem ſupernaturalem non extrahuntur extra ſuum obiectum, quia obiectum cognitionis ſupernaturalis continetur intra ſphæram obiectiuam intellectus, ita neque ſpecies per ſupernaturalem cognitionem extra ſuum obiectum exprimit, cum obiectum cognitionis ſupernaturalis claudatur ſub ſphæra illius.

Confirmatur.

Occurritur euaſioni.

10. Dices, vt cognitio ſupernaturalis fiat ſimpliciter, opus non eſt ſpecie ſupernaturali, ſecus vt fiat modo ſibi connaturali: quemadmodum vt fiat ſimpliciter, ſufficit auxilium extrinſecum, tamen vt fiat modo connaturali donatur habitus intrinſecus. Sed contra. Actus noſtræ fidei pendent naturaliter à phantaſmatibus. Si autem infundantur ſpecies ſupernaturales, poterit fidelis operari actus fidei independenter à phantaſmatibus, quemadmodum operabatur Virgo beata. Ergo connaturaliter fiunt per ſpecies naturales. Deinde cognitio ſupernaturalis connaturaliter reſpicit intellectum naturalem. Ergo etiam poteſt reſpicere connaturaliter ſpeciem naturalem. Nam intellectus non eſt formaliter intellectiuus, niſi vt illuſtratus ſpeciebus, vt docuimus in libro de anima. Ergo ſi eleuatur intellectus, vt formaliter intellectiuus, eleuari debet, vt illuſtratus ſpeciebus. Etenim ſpecies impreſſa requiritur ad cognitionem prout cognitio eſt, quia cognitio eſt imago, repreſentatio, & expreſſio obiecti. At potentia intellectiua eſt formaliter expreſſiua, & repreſentatiua obiecti. Ergo eſt formaliter intellectiua prout includit ſpecies, quæ in actu primo exprimunt, & referunt obiectum. Neque quidquam iuuat exemplum habitus infuſi. Tum quia, vt docuimus, poteſt fieri connaturaliter actus ſupernaturalis per auxilium extrinſecum. Tum quia ideo ſolum actus ſupernaturalis connaturaliter poſtulat habitum intrinſecum potentiæ cognoſcenti, quia procedit ab illa modo vitali. At ab ſpecie impreſſa non procedit modo vitali. Ergo ſufficiet eleuari ſpeciem extrinſece, quemadmodum eleuantur ſacramenta, quæ non operantur modo vitali.

SECTIO SECVNDA.

Opponuntur, & ennodantur nonnulla contra præteritam doctrinam.

11. PRimo opponi poteſt. Apprehenſio præcedens primum aſſenſum fidei eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, atque adeo fit ab aliquo principio intrinſece ſupernaturali. At non fit ab habitu fidei. Ergo fit ab ſpecie ſupernaturali. Nam vt actus vitalis ſupernaturalis fiat connaturaliter, deſiderat per ſe principium intrinſecum ſupernaturale. At principium apprehenſionis ſupernaturalis non eſt habitus fidei. Erit ergo ſpecies ſupernaturalis, cum aliud non reſtet, quod poſſit eſſe principium ſupernaturale eius apprehenſionis. Hoc argumentum vim habet contra Patrem Torres, qui admittit apprehenſionem, quæ præcedit aſſenſum fidei eſſe ſupernaturalem, & præterea negat, eam fieri ab habitu fidei. Neque reſpondere valet, ſpeciem ſupernaturalem non poſſe obire munus comprincipij eleuantis intellectum naturalem. Nam ipſemet cum Patre Vaſquez aſſerit, apprehenſionem ſubſequutam primum actum fidei, & cognitiones ſcientiæ infuſæ fieri ſpeciebus ſupernaturalibus eleuantibus intellectum naturalem abſque conſortio alterius luminis ſupernaturalis. Ergo ſimiliter poteſt ſpecies ſupernaturalis ad primã apprehenſionem intellectum eleuare. Quare dicendum arbitror, apprehenſionem ſupernaturalem connexionis myſteriorum fidei, & reuelationis diuinæ fieri immediate ab ipſo habitu fidei. Nam vt habitus charitatis, aliarumque virtutum non ſolum efficiunt affectus efficaces, ſed etiam ſimplices

Prima oppoſitio.

Fit ſatis.

Digitized by Google

complacentias circa bonitatem ſui obiecti formalis; ſic pariter exiſtimo habitum fidei non ſolum efficere aſſenſum determinatum myſteriorum fidei, ſed etiam apprehenſionem ſupernaturalem, quæ proponit intellectui connexionem eorum ſub reuelatione diuina. Ratio enim eadem eſt in habitibus intellectus, & voluntatis. De quo vberius lib. 4.

Secunda. 10. Secundo poteſt opponi. Primus actus fidei connaturaliter fit ab habente fidem. At non poteſt fieri connaturaliter per ſpeciem naturalem, quæ non valet attingere connaturaliter actum ſupernaturalem. Ergo. *Soluitur.* Diſtinguo minorem. Non poteſt fieri connaturaliter per ſpeciem naturalem viribus naturæ relictam, concedo minorem. Per ſpeciem naturalem eleuatam à Deo auxilio ſupernaturali nego minorem, quemadmodum fit cognitio ſupernaturalis connaturaliter ab intellectu naturali eleuato viribus ſupernaturalibus. Crediderim tamen, eleuari ſpeciem naturalem à Deo per habitum fidei intrinſecum animæ. Eleuari enim non eſt aliud, quam compleri in ratione principij eius actus, ad quem vires propriæ non ſufficiunt. Habitus autem fidei complere poteſt ſpeciem naturalem in ratione principij efficientis cognitionem ſupernaturalem ſimul cum animo, quemadmodum complet animum ſimul cum intellectu, quamuis intellectus diſtinguatur ab animo. Neque obeſt, animum non inhærere ſpeciei; nam vt eleuet, & compleat ſpeciem, minime requiritur inhæſio; auxilium enim extrinſecum Dei eleuat agentia creata, & habitus fidei intellectum, & animum, quin vtrique inhæreat. De quo diſputatione trigeſima quarta.

Tertia. 11. Tertio. Concurſus obiectiuus Dei in viſionem Beatam eſt ſupernaturalis, quia Deus vt terminans viſionem & ipſa viſio eſt ſupernaturalis; quare ſi viſio beata fieret ſpecie impreſſa, ſpecies illa eſſet ſupernaturalis. At etiam diuina reuelatio, & actus fidei eſt ſupernaturalis. Ergo ſpecies diuinæ reuelationis in actum fidei etiam erit ſupernaturalis. *Explicatur.* Reſpondeo. Intellectus indiget ſpecie ſupernaturali, vt attingat diuinam reuelationem, & aliud obiectum intrinſece ſupernaturale immediate, & quidditatiue, quemadmodum indiget ſpecie ſupernaturali, vt attingat Deum per viſionem immediatam, & quidditatiuam; ſecus vero vt attingat illam abſtractiue, & obſcure inſtar rerum naturalium; quemadmodum eam ſpeciem non deſiderat, vt abſtractiue, & obſcure attingat eſſentiam diuinam. Addo, per cognitionem ſupernaturalem, verbi gratia, per iudicium prudentiæ infuſæ attinguntur plura obiecta intrinſece naturalia; nam vt vidimus diſputatione quadrageſima quinta, ſectione ſecunda, poſſunt cognitiones ſupernaturales referre obiecta formalia naturalia. Ergo aliquæ cognitiones ſupernaturales non indigent ratione obiecti ſupernaturalis ſpeciem ſupernaturalem.

Quarta. 12. Quarto; in actu fidei formalitas imaginis repreſentantis reuelationem diuinam eſt formaliter ſupernaturalis. Sed ea formalitas refertur in ſpeciem. Ergo ſpecies debet eſſe ſupernaturalis. Nam formalitas ſupernaturalis referri nequit in principium naturale. *Confirmatio.* Confirmatur, cognitio ſumit ſupernaturalitatem ab obiecto. Non ab obiecto immediate influenti. Ergo influenti per ſpeciem. Ergo ſpecies erit ſupernaturalis. *Ennodatur.* Reſpondeo. Tendentia cognitionis in diuinam reuelationem non eſt ſupernaturalis prout eſt ab ſpecie, ſed prout eſt ab habitu infuſo. Nam ea tendentia ſubire poteſt duplicem conſiderationem. Primam, prout eſt imago reuelationis diuinæ ſecundum ſe præſcindendo à connexione cum reali exiſtentia illius: ſecundam, prout eſt imago reuelationis vt realiter exiſtentis, hoc eſt, connexa infallibiliter cum reali exiſtentia reuelationis. Species ergo influit in actum fidei ſolum prout eſt imago reuelationis ſecundum ſe præſcindendo à connexione cum vera exiſtentia illius, quo pacto actus fidei non eſt formaliter ſupernaturalis, quandoquidem etiam actus naturalis poteſt eſſe imago reuelationis ſecundum ſe abſque connexione cum vera exiſtentia illius. Habitus igitur influit in actum fidei prout eſt tendentia in reuelationem vere exiſtentem, ſiue vt dixit Paulus in *verbum Dei, prout eſt vere verbum Dei*, *Paulus.* quo pacto actus fidei eſt formaliter ſupernaturalis, ac diuerſus ab actu naturali. Vnde ad confirmationem reſpondeo. Cognitio non habet ſupernaturalitatem præciſe, quia repreſentat obiectum ſupernaturale, qua ratione ſpecies influit in cognitionem, ſed quia repreſentat connexa cum exiſtentia obiecti, quo pacto ducit originem formaliter ab habitu infuſo. Vide dicta diſp. 45. & 46.

13. Demum oppones. Ad cognitiones *Quinta.* ſupernaturales ſcientiæ infuſæ, quibus referuntur obiecta naturalia, dantur ſpecies intrinſece ſupernaturales, quamuis ſpecies naturales poſſint referre euidenter, & quidditatiue obiecta naturalia, vt ea referunt ſpecies Angelicæ, & animæ ſeparatæ. Ergo etiam ad cognitiones euidentes prudentiæ infuſæ, & cognitiones certas fidei ſupernaturalis erunt neceſſariæ ſpecies ſupernaturales. Nam alias, ſicut cognitiones euidentes prudentiæ infuſæ, & cognitiones certæ fidei ſupernaturalis poſſunt fieri ſpeciebus naturalibus, ita fieri poterunt naturalibus ſpeciebus cognitiones euidentes ſcientiæ infuſæ, ſaltem illæ, quæ repræſentant obiecta naturalia? Reſpondeo. Eſt maxima controuerſia *Euertitur.* inter Theologos, an ſcientia infuſa, & ſupernaturalis Chriſti Domini ſit ab ſpeciebus diſtincta, vt videre eſt apud interpretes ſancti Thomæ, 3. p. quæſt. 11. art. 6. De quo fuſe P. Vaſquez *P. Vaſquez.* diſputatione decima quarta, non diſtinguens ſcientiam infuſam ab ipſis ſpeciebus. Si ſcientia infuſa non eſt habitus à ſpeciebus diſtinctus, promptum eſt diſcrimen. Nam ad ſupernaturalitatem cognitionum ſcientiæ infuſæ non adeſt præter ſpecies aliud principium efficiens ſupernaturale, quod eleuet intellectum, & intrinſece compleat

Digitized by Google

ad agendum; atque adeo ſpecies gerentes munus habitus eleuantis, & roborantis imbecillitatem potentiæ intellectiuæ, debent eſſe intrinſece ſupernaturales; at vero ad cognitiones ſupernaturales fidei, & prouidentiæ infuſæ dantur habitus fidei, & prudentiæ intrinſece ſupernaturales diſtincti ab ſpeciebus, qui ſufficiunt eleuare intellectum, & cognitionibus ſupernaturalitatem conferre; atque adeo poſſunt ſpecies eſſe intrinſece naturales. Si vero ſcientia infuſa aſſeratur habitus intrinſece ſupernaturalis ab ſpeciebus diſtinctus, vt tuetur communis ſententia; cenſeo, poſſe habitum ſcientiæ infuſæ elicere cognitiones euidentes, & quidditatiuas obiectorum naturalium intrinſece ſupernaturales cum ſpeciebus quidditatiuis intrinſece naturalibus, quia ſpecies quidditatiuæ, & euidẽtes obiectorum naturalium eleuari poſſunt ad cognitionem quidditatiuam, & euidentem per habitum ſcientiæ infuſæ, ſicut eleuantur ad cognitionem fidei, & prudentiæ infuſæ. Quare ſi de facto Chriſto domino ad prænoſcendum naturalia infuſæ ſunt ſpecies ſupernaturales (de quo nunc nihil decerno, decreturus 3.p.qu.11.) dicendum eſt, eas infuſas non eſſe, quia omnino neceſſariæ ſunt ad cognitionem euidentem, & quidditatiuam ſupernaturalem eorum obiectorum; ſed ad ſpecialem excellentiam euidentiæ quidditatiuæ, quæ circa idem obiectum poteſt eſſe maior, & minor, vt circa eamdem albedinem exiſtentem ſunt inæqualiter euidentes cognitio humana, Angelica, & diuina. Itaque abſolute poteſt intellectus illuſtratus ſpecie naturali quidditatiua, & euidenti eleuari ad cognitionem aliquam quidditatiuam, & euidentem obiecti naturalis per habitum ſcientiæ infuſæ; quamquam non repugnent ſpecies ſupernaturales, quæ ad maiorem, & excellentiorem euidentiam concurrant. Sicut enim idem obiectum naturale poteſt repræſentari per cognitionem naturalem, & ſupernaturalem, ita & per ſpeciem ſupernaturalem, & naturalem. Qualis autem euidentia conueniat cognitionibus ſcientiæ infuſæ Chriſti domini, & beatorum, an quæ exigat ſpecies ſupernatnrales, an quæ ſpeciebus naturalibus haberi poteſt, alibi definiendũ eſt.

SECTIO TERTIA.

An cognitiones ſupernaturales relinquant ſpecies ſupernaturales?

Negamus contra Patrem Torres.

14. HAnc diſputationem mouemus contra Patrem Torres ſupra, qui negans primos aſſenſus fidei effici per ſpecies ſupernaturales, arbitratur, ſequentes fieri per ſpecies ſupernaturales, quia priores aſſenſus ſupernaturales illas relinquunt. Cæterum reliqui Theologi, quos retulimus nu. 2. oppoſitum opinantur. Quibus ego ſuffragor. Et probatur; quia actus ſupernaturales intellectus, & voluntatis non relinquunt in potentia habitum acquiſitum ſupernaturalem, etiamſi actus naturales relinquant habitum naturalem, vt vidimus diſp. 52. & tuetur etiam Pater Torres d. 46. dub. 9. Ergo neque actus ſupernaturales intellectus relinquunt ſpeciem ſupernaturalem; quamuis naturales cognitiones relinquant naturalem. Etenim quare concedatur cognitionibus ſupernaturalibus vis productiua ſpeciei ſupernaturalis, quæ conceditur naturalibus, & negetur actibus ſupernaturalibus intellectus, & voluntatis vis productiua habitus acquiſiti ſupernaturalis, quæ conceditur naturalibus?

Oſtenditur primo.

15. Secundò ad hominem contra Patrem Torres. Concurſus habitus fidei neceſſarius eſt ad primum & ſecundũ aſſenſum fidei. At ſi ſecũdus actus fieret ſpecie ſupernaturali, non eſſet ad illum neceſſarius concurſus habitus fidei. Ergo. Probatur minor; in ſententia Patris Torres ſequentis in omnibus veſtigia Patris Vaſquez, ad actus ſcientiæ infuſæ ſuperfluit concurſus habitus ſupernaturalis, quia datur concurſus ſpecierum ſupernaturalium. Ergo etiam ſuperfluit concurſus habitus ſupernaturalis ad actus fidei, ad quos datur concurſus ſpeciei ſupernaturalis. Ratio enim eadem eſt in vtroque caſu. — Secundo.

16. Reſpondet, ſpecies ſupernaturales ſolum concurrere in apprehenſiones ſupernaturales, in quas non habet concurſum habitus fidei; habitum vero fidei ſolum concurrere in aſſenſum ſupernaturalem, in quem influxum non habent ſpecies ſupernaturales. Sed contra. Cum aſſenſus fidei ſit imago intentionalis obiecti, quemadmodum apprehenſio, deſiderat ad ſui productionem concurſum ſpeciei, & obiecti, quemadmodum apprehenſio. At hæc ſpecies non erit naturalis, quandoquidem præceſſit iam alius aſſenſus ſupernaturalis. Ergo concurrit ad illum ſpecies ſupernaturalis. Dices, loco obiecti non concurrere ſpeciem ad aſſenſum ſupernaturalem, ſed apprehenſionem ſupernaturalem dumtaxat. Contra; quia in lib. de anima oſtendimus; apprehenſionem non concurrere in iudicium loco obiecti, quando adeſt ſpecies impreſſa influens in ipſam apprehenſionem, quia munus concurrendi loco obiecti magis proprium eſt ſpeciei, quam cognitionis. Secundo quia non eſt quare negetur primo aſſenſui fidei vis productiua ſpeciei deſeruientis ad aſſenſus ſequentes, quæ conceditur apprehenſioni. Tertio quia apprehenſio in ſententia Patris Torres non repræſentat connexionem extremorum, quam repreſentat aſſenſus. Ergo neceſſaria erit ſpecies illam in actu primo repreſentans. Denique cum influxu ſpeciei ſupernaturalis operantis loco obiecti ſuperfluit concurſus habitus ſupernaturalis in aſſenſum ſupernaturalem. Ergo etiam cum influxu efficienti apprehenſionis ſupernaturalis operantis loco obiecti aſſenſum ſupernaturalem, ſuperuacaneus erit concurſus habitus ſupernaturalis. Rationem à priori huius aſſertionis vidimus diſp. 52. nu. 9. cum diſſeruimus de habitu acquiſito per actus ſupernaturales. — Occurrit P. Torres. — Impugnatur.

17. Sed arguit Pater Torres. Actus ſupernaturales fidei relinquunt aliquã ſpeciem, — Argumentum Patris Torres.

Digitized by Google

qua memoria recolimus obiecta fuiſſe credita, & cognita à nobis; hæc enim ſpecies generatur in nobis ex ipſis cognitionibus fidei. At non relinquunt ſpeciem naturalem, cum cognitio fuerit ſupernaturalis. Ergo relinquunt ſpeciem ſupernaturalem. In primis argumentum inſtatur in habitu acquiſitio ſupernaturali, quem aſſerit Pater Torres non relinqui ex actibus ſupernaturalibus quamuis relinquatur facilitas, & promptitudo ad agendum reliquos actus. Deinde talis ſpecies relicta poteſt eſſe naturalis, ſicut eſſet caſu, quo aſſenſus fuiſſet naturalis. Tum quia talis memoria non eſt ſupernaturalis, ſed naturalis; & aliunde cognitio ſupernaturalis continet tamquam cauſa ſuperior effectum, quem cognitio naturalis produceret, præſertim cum ea memoria non diſcernat cognitionem præteritam fuiſſe ſupernaturalem: & quamuis diſcerneret, poſſet ſpecies, & cognitio eſſe naturalis, cum noſtra opinione poſſit res ſupernaturalis, quà ſupernaturalis, eſſe obiectum actus naturalis. Tum quia in hæretico manet eadem memoriæ aſſenſus fidei præteriti. Tamen non manet ſpecies ſupernaturalis, ſicut non manet habitus ſupernaturalis fidei. Saltem in damnatis, & dæmonibus ſpecies ſupernaturales dandæ non ſunt, quamuis recordentur aſſenſuum fidei, quos elicuerunt in via. Tum quia eadem ratione cognitiones ſcientiæ infuſæ, & viſionis beatæ tranſeuntis relinquerent ſpecies ſupernaturales, ſiquidem poſt tranſactas eiuſmodi cognitiones manet memoria obiecti præteriti, & cogniti, ſiue cognitionis præteritæ. Tamen Pater Torres id renuit admittere. Ergo memoria cognitionis præteritæ argumentum non eſt ſpeciei ſupernaturalis ex præcedenti cognitione relictæ. Itaque ſpecies relicta ex cognitione ſupernaturali erit naturalis, ſicut habitus facilitans potentiam relictus ex actibus ſupernaturalibus eſt naturalis & non ſupernaturalis, vt docuimus diſputationibus præteritis.

Inſtatur.

Diluitur.

DISP. QVINQVAGESIMAQVINTA.

AN COGNITIO DEDVCTA EX COGNITIONE ſupernaturali ſit neceſſario ſupernaturalis?

1. Status controuerſiæ.

COGNITIO variis modis deducitur ex cognitione ſupernaturali. Primo quidem iuncta alia cognitione naturali ſolum probabili. Secundo iuncta cognitione naturali euidenti. Tertio iuncta alia cognitione ſupernaturali. Et quidem indubitatum ſupponunt Theologi, qui in hanc diſputationem incidunt, cognitionem deductam ex vna cognitione ſupernaturali, & alia naturali ſolum probabili non eſſe ſupernaturalem. Quia eiuſmodi cognitio eſt probabilis, & incerta, ſuaque natura ſubiecta falſitati. Cognitio autem ſupernaturalis non poteſt eſſe probabilis, & incerta, ac ſuapte natura falſitati ſubiecta. Ideo in diſceptationem ſolum adducunt, An cognitio, quæ deducitur ex duplici cognitione ſupernaturali, vel altera ſpernaturali, & altera naturali euidenti ſit neceſſario ſupernaturalis. Quod de concluſione Theologica ſolemniter plerique diſſerunt.

SECTIONES.

1. *Expenditur ſententia affirmans.*
2. *Expenditur ſententia abſolute negans.*
3. *Expenditur quædam ſententia media.*
4. *Noſtra ſententia proponitur quoad poſſe rei.*
5. *Corollaria præcedentis aſſerti.*
6. *Noſtra ſententia quoad factum rei.*
7. *Quâ ratione poſſit defendi Theologica intrinſece ſupernaturalis.*
8. *Corollarium de Theologia diſcurſiua Beatorum per actus ſupernaturalis luminis gloriæ.*

Digitized by Google

SECTIO PRIMA.

Expenditur ſententia affirmans.

Qui affirmant P. Molina. P. Fonſeca. P. Faſolus. P. Gillius. Canus. Zumel.

2. PRima ſententia affirmat, eiuſmodi cognitionem neceſſario eſſe ſupernaturalem. Cui adhærent Pater Molina 1. p. qu. 1. art. 2. dub. 1. §. *Diximus*, & d. 2. ad 4. Pater Fonſeca 6. metaphyſicæ c. 1. quæſt. 1. ſect. 5. litt. G. Pater Faſolus 1. p. qu. 2. art. 2. dub. 13. Pater Gillius 1. p. lib. 1. tr. 4. c. 12. num. 7. Canus 12. de locis c. 3. con. 2. videturque ſentire Zumel 1. p. qu. 1. art. 8. qu. 4. notabili 2. quamquam reuera interprete potius indigeat, quàm relatore.

Primum argumentum.

3. Mouentur primò, quia vbi cognitio reſpicit motiuum ſupernaturale eſt ſupernaturalis. Sed cognitio, de qua differimus, reſpicit motiuum ſupernaturale. Ergo eſt ſupernaturalis. Maiorem ſupponunt. Minorem probant. Cum cognitio deducitur ex duplici cognitione ſupernaturali res videtur clara; Nam obiectum motiuum concluſionis realiter eſt idem cum obiecto præmiſſarum. Si vtraque præmiſſa eſt ſupernaturalis, obiectum præmiſſarum eſt ſupernaturale. Ergo obiectum motiuum concluſionis etiã eſt ſupernaturale. Cum vero deducitur cognitio ex altera ſupernaturali, & altera naturali, probatur. Motiuum intellectus ad iudicium vnionis extremitatum inter ſe eſt vnio extremitatum cum medio. Sed vbi vnum extremorum eſt ſupernaturale, tota vnio eſt ſupernaturalis, vt videre eſt in vnione hypoſtatica Verbi cum humanitate, & gratiæ iuſtificantis cum anima. Ergo motiuum intellectus eſt ſupernaturale.

Expeditur.

Maior, & minor huius argumenti mihi ſunt falſæ. Maior, quia vt vidimus diſp. 45. ſect. 5. poteſt cognitio naturalis reſpicere motiuum ſupernaturale. Minor vero, quia vt vidimus ibidem ſect. 2. poteſt cognitio eſſe ſupernaturalis cum motiuo tantum naturali. Prꝍterea quamuis motiuum præmiſſarum ſit ſupernaturale, poteſt motiuum concluſionis eſſe naturale; quia obiectum formale concluſionis eſt obiectum materiale præmiſſarum, nam obiectum formale concluſionis Theologicæ non eſt reuelatio diuina, ſed myſterium reuelatum, vt cum aſſentior concluſione Theologica, Chriſtum eſſe riſibilem, quia Chriſtus eſt homo. At obiectum materiale cognitionis ſupernaturalis poteſt eſſe naturale, etiamſi formale ſit ſupernaturale; nam etiam veritates naturales ſæpiſſime reuelantur. Ergo motiuum cõcluſionis deductæ ex præmiſſis ſuperhaturalibus non eſt neceſſario ſupernaturale. Præterea inſtatur argumentum in concluſione probabili, quæ non eſt ſupernaturalis, vt ponunt communiter Theologi nu. 1. educi tamen poteſt ex cognitione ſupernaturali, vt oſtendemus decurſu.

Secundum.

4. Secundo mouentur; quia concluſio deducta ex cognitione ſupernaturali ſuapte natura ſupponit principium ſupernaturale; nam concluſio ſuapte natura ſupponit præmiſſas. Sed cognitio ſupponens ſuapte natura principium ſupernaturale eſt ſupernaturalas; quippe abſolute non continetur intra vires ſolius naturæ, cum indigeat ad ſui productionem auxilio ſupernaturali iuuanti naturam; quod alienum eſt ab ente naturali. Ergo concluſio deducta ex principio aliquo ſupernaturali erit ſupernaturalis.

Non vrget.

Hoc etiam argumentum habet inſtantiam in concluſione probabili illata ex vna prꝍmiſſarum ſupernaturali, & alia naturali probabili. Deinde negatur maior. Nam, vt docuimus in lib. de anima, poteſt idem actus concluſionis procedere ex præmiſſis naturalibus, & ſupernaturalibus, & idemmet qui prælucentibus prꝍmiſſis producitur, etiam abſque illis produci. At quid dicendum de minori. Certiſſimum habeo, cognitionem, quæ ſuapte natura fieri nequit ſine præuia cognitione ſupernaturali, eſſe abſolute ſupernaturalem. Primo quia actus virtutis, qui ſuapte natura fieri non poteſt abſque vocatione ſupernaturali Dei (quæ non concurrit ad actum virtutis in genere cauſæ efficientis, ſed formalis, ſicut præmiſſa in actum concluſionis) colligitur a Patribus, & Theologis eſſe abſolute ſupernaturalis. Secundo quia eiuſmodi cognitio habet connexionem quidditatiuam ſaltem mediatam cum gratia, quod ſufficit ad ſupernaturalitatem, vt conſtat ex diſp. 4. Denique quoniam cognitio, quꝍ non valet fieri ſine principio ſupernaturali etiam partiali abſolute exiſtit ſupra omnem exigentiam, & continentiam naturæ, vt ſepius diximus. Vide diſp. 49. ſect. 4. & 5.

Tertium.

5. Tertio quia cognitio deducta ex duplici ſumptione de fide, aut altera ſcientifica, & altera de fide eſt ineuidens, & certa. Ineuidens quidem, quia vna ſaltem præmiſſarum eſt ineuidens; certa vero, quia vtraque præmiſſa eſt omnino certa: concluſioni autem non poteſt ſubeſſe falſum, dum non poteſt ſubeſſe præmiſſis. Sed nulla cognitio naturalis poteſt eſſe ineuidens, & certa; nam omnis certitudo naturalis fundatur in euidentia. Ergo ea cognitio non eſt naturalis, ſed ſupernaturalis.

Infringitur.

In primis diſtinguo minorem. Cognitio naturalis immediata non poteſt eſſe ineuidens, & certa, tranſeat minor. Cognitio naturalis mediata, negatur minor. Quia independenter à luce propria, & euidentia ſibi intrinſeca habere poteſt cognitio mediata, vnde certe ſcopum veritatis attingat, videlicet ductum præmiſſarum, quæ ſupernaturalitate, aut euidentia ſibi intrinſeca non poſſunt non certiſſime illam attingere. Sed vrges; cognitio naturalis ineuidens deducta ex duplici cognitione certa, poteſt fieri immediate nullis præcedentibus præmiſſis, aut mediate cum altera præmiſſarum naturali, & incerta, vt ex noſtra doctrina de anima manifeſte deprehenditur. Tunc autem ea cognitio non eſſet certa. Ergo cognitio naturalis ineuidens etiam mediata numquam eſt certa. Nam oognitio quæ ſemel eſt incerta, numquam eſt certa. Diſtinguo conſequens, non eſt certa certitudine eſſentiali, & intrinſeca, tranſeat. Certitudine contingenti, & ex ſuppoſitione, nego conſequentiam. Nam cum

Digitized by Google

certitudo formalis, vt docui in lib. de anima, ſit formaliter connexio actus cum obiecto vere exiſtenti; poſſit autem cognitio, quæ ſuapte natura ſubiecta eſt falſitati, connexa eſſe cum obiecto vere exiſtenti ex ſuppoſitione talium, vel talium præmiſſarum, cum quibus non poteſt componi falſitas ſui obiecti, inde poteſt cognitio, quæ ſuapte natura, & intrinſece certa non eſt, certa eſſe extrinſece, & ex ſuppoſitione alterius. Itaque licet illa cognitio ſecundum ſe poſſit eſſe falſa; tamen in ſenſu compoſito, quod ex duplici cognitione intrinſece certa deducitur, neceſſario eſt vera. Atque adeo falſitas ſolum in ſenſu diuiſo conuenire poteſt, & prout non eſt concluſio ex talibus præmiſſis deducta.

Iterum. 6. Quare ſimiliter diſtingui poteſt etiam maior propoſitio argumenti. Concluſio deducta ex duplici propoſitione de fide, aut vna de fide, & alia naturali euidenti eſt ineuidens, & certa intrinſece, & ex modo tendendi intrinſeco actui, nego maiorem. Extrinſece tam ex parte ſubiecti, quam ex parte motiui extrinſeci, concedo maiorem. Concluſio non eſt intrinſece certa ex modo tendendi, quia non habet connexionem intrinſecam cum ſuo obiecto, nam eademmet poterat fieri vel abſolute abſque præmiſſis, vel cum præmiſſis naturalibus obſcuris, obſcura quidem, & incerta. Eſt tamen certa extrinſece ex parte ſubiecti; quia fidelis ei propoſitioni firmiſſime adhæret ex pio voluntatis affectu, vtpote cernens maxime periclitari aſſenſum fidei, diſſentiendo propoſitioni deductæ euidenter ex duabus de fide, aut altera naturali euidenti, & altera de fide. Etiam eſt extrinſece certa ex motiuo extrinſeco, nempe ex reuelatione Dei; nam dum nititur in reuelatione diuina remote; nullatenus eſt falſitati ſubiecta, nam cum reuelatio diuina habeat connexionem infallibilem cum veritate obiecti reuelati, conſequenter habet connexionem cum omnibus, quæ cum obiecto reuelato connexa ſunt, & ex quorum falſitate redditur falſa exiſtentia obiecti reuelati.

Alia ſolutio. 7. Cæterum ſi connexionem iſtam extrinſecam actus cum obiecto recuſes abſolute æſtimare certitudinem, diſtingues aliter maiorem. Cognitio deducta ex duplici ſumptione de fide, aut altera de fide, & alia ſcientifica naturali eſt certa; ſi cognitio deducta non poſſit exiſtere per ſe, niſi ſupponendo vtramque præmiſſam certam, erit ineuidens, & certa, concedo maiorem. Si poſſit exiſtere, quin deducatur ex vtraque præmiſſa certa, ſuapteque natura ſit indifferens, vt etiam deducatur ex præmiſſis naturalibus, aut etiam abſque vllis præmiſſis, quemadmodum de concluſione Theologica ſentiendum eſt iuxta principia, quæ docuimus in lib. de anima, nego maiorem.

Obijcitur. 8. At vrgebis; cognitio deducta ex præmiſſis euidentibus non eſt indifferens, vt deducatur ex præmiſſis obſcuris, ac proinde neceſſario eſt euidens euidentiâ intrinſecâ. Ergo cognitio deducta ex præmiſſis certis non eſt indifferens, vt deducatur ex præmiſſis incertis, ac proinde neceſſario erit certa certitudine intrinſeca. Nego conſequentiam; quia concluſio obiectiua ſub præmiſſis euidentibus proponitur intellectui manifeſta, & euidens; euidentia autem obiecti neceſſitat intellectũ ad aſſenſum euidentem. At concluſio obiectiua ſub præmiſſis obſcuris quantumuis certis ſemper relinquitur obſcura; obiectum autem obſcurum non cogit intellectum ad aſſenſum intrinſece certum, niſi iungatur principium ſupernaturale, quod deficere poteſt ad concluſionem deductam ex præmiſſa ſupernaturali, quemadmodũ deficit ad concluſionem deductam ex præmiſſa probabili; ſimul cum alia ſupernaturali, vt exponemus ſectione 3. Reſpondetur.

SECTIO SECVNDA.

Expenditur ſententia abſolute negans.

9. Secunda ſententia negat abſolute poſſe ſupernaturalem cognitionem colligi ex cognitione ſupernaturali, ſiue ſimplici, ſiue duplici. Ita Pater Vaſquez 1. p. d. 1. n. 9. & d. 4. nu. 23. Pater Suarez de fide d. 3. ſect. 11. n. 8. Pater Torres 2. 2. d. 44. dub. 2. Pater Conninck 2. 2. d. 4. dub. 6. Pater Arrubal 1. p. d. 5. c. 2. Trigoſus 1. p. q. 1. art. 1. dub 3. prob. 4. Bannes qu. 1. art. 3. Nauarrete cont. 8. aſſerentes eſſe ſententiam communem Theologorum. Qui negãt P. Vaſquez. P. Suarez. P. Torres. P. Conninck. P. Arrubal. Trigoſus. Bannes. Nauarrete.

10. Primo quia cognitio, de qua diſputamus, non habet obiectũ formale ſupernaturale; nam aſſentitur concluſioni propter connexionem cum præmiſſis, quæ connexio naturalis eſt, naturalique ratione dignoſcitur. Ergo non poteſt eſſe ſupernaturalis. Mouentur primo. In primis cõſequentia eſt nulla; nam vt oſtẽdimus diſp. 45. poteſt cognitio eſſe ſupernaturalis cum obiecto formali naturali. Nullum eſt fundamentum. Deinde antecedens eſt falſum, cum vtraque præmiſſa eſt ſupernaturalis; nam connexio obiectiua præmiſſarum cum concluſione non diſtinguitur ab ipſis præmiſſis obiectiuis, vt vidimus in dialectica; ſed præmiſſæ ſunt ſupernaturales. Ergo etiam connexio ipſa, quæ eſt obiectum formale eius cognitionis erit ſupernaturalis. Rurſus diſtinguo antecedens, obiectum formale extrinſecum concluſionis, quæ eſt connexio præmiſſarum cum cõcluſione, non eſt ſupernaturale, tranſeat antecedens. Obiectum formale intrinſecum, quæ poteſt eſſe ipſa concluſio obiectiua, vt ſtatuimus in lib. de anima, nego antecedens. Nam concluſio obiectiua poteſt eſſe ſupernaturalis, ſi deducatur ex duplici ſumptione de fide, vel altera de fide, & altera naturali euidenti.

11. Secundo. Vt cognitio ſit ſupernaturalis non ſufficit ſupponere per ſe principia ſupernaturalia; nam concluſio non ſupponit præmiſſas vt cauſas efficientes, prout requiritur ad actum ſupernaturalem, qui neceſſario debet eſſe à principio efficienti ſupernaturali. Ergo concluſio deducta ex cognitione ſupernaturali non erit propterea ſupernaturalis. Arguunt ſecundo. Negatur antecedens. Nam ex eo quod concluſio per ſe ſupponat præmiſſas ſupernaturales, Occurritur

colligitur plane, eſſe aliquod principium ſupernaturale ſiue intrinſecum, ſiue extrinſecum efficiens concluſionis adeo excellentis, quæ præuiam lucem ſupernaturalem per ſe requirat, quia colligitur concluſionem eſſe excellentiæ, quæ rerum ſupernaturalium propria eſt, vt ſæpius notauimus. At excellentia propria rerum ſupernaturalium deſiderat principium efficiens ſupernaturale, quod illam communicet. Quemadmodum ex eo quod affectus voluntatis non poſſit fieri per ſe ſine auxilio ſupernaturali, colligitur influere in eum actum principium efficiens ſupernaturale, quamuis vocatio ipſa ſupernaturalis efficienter non concurrat, ſed formaliter.

Tertio monentur.

12. Tertio; quamuis præmiſſæ ſint ſupernaturales, tamen principium immediatum concluſionis non eſt ſupernaturale, ſed naturale. Nam principium proximum, & immediatum concluſionis non ſunt præmiſſæ, ſed cognitio reflexa bonæ illationis ex præmiſſis, quæ naturalis eſt, naturali enim lumine cognoſcitur bonitas, & malitia cuiuſque conſequentiæ. Ergo ea concluſio non erit ſupernaturalis; quia cognitio ſupernaturalis deſiderat principium aliquod proximum & immediatum ſupernaturale.

Reſpondetur.

Negatur antecedens. Primo quia, vt docui in lib. de anima, non requiritur ad concluſionem cognitio reflexa bonitatis conſequentiæ. Secundo quia, eſto ea cognitio neceſſaria ſit, etiam ſunt neceſſariæ immediate ipſæ præmiſſæ; ſufficit autem eſſe neceſſarium per ſe vnicum principium ſupernaturale immediate influens, vt cognitio ſit ſupernaturalis, vt dicebamus ſupra.

SECTIO TERTIA.

Expenditur quædam ſententia media.

p. Granados.

13. TErtia ſententia media, quam recentiores ſequuntur ducente Patre Granado 1.p. tract. 1. diſp. 5. tuetur, concluſionem deductam ex duplici principio ſupernaturali eſſe ſupernaturalem; deductam vero ex altero naturali, quamuis euidenti, neutiquam eſſe ſupernaturalem.

Ratio ſententiæ debilis.

Priorem partem ſuadent; quia obiectum formale talis concluſionis eſt ſupernaturale. Naturalis autem eſſe non poteſt cognitio reſpiciens obiectum formale ſupernaturale. Verùm quam infirmum ſit hoc argumentum, ſatis conſtat ex n. 3.

Confirmatio.

14. Poſteriorem partem à priori probant; quia obiectum formale talis concluſionis eſt naturale. At non poteſt eſſe ſupernaturalis, cognitio reſpiciens obiectum formale naturale. Etiam hoc argumentum fregimus ſatis nu. 10. A poſteriori vero idem ſic probant: Cognitio ſupernaturalis eſt certior quauis præmiſſa naturali etiam euidenti. Sed concluſio non poteſt eſſe certior, quàm præmiſſa, quia iuxta proloquium dialecticum *concluſio ſequitur debiliorem partem*. Ergo non poteſt eſſe concluſio ſupernaturalis deducta ex præmiſſa naturali.

Diſſoluitur

15. Huic argumento multum fidunt plures Theologi. Sed immerito, ſoluitur enim facile diſtinguendo minorem. Concluſio non poteſt eſſe certior, quam præmiſſa certitudine ſumpta ex obiecto, tranſeat; quia obiectum concluſionis manifeſtatur intellectui medio obiecto præmiſſarum, atque ita obiectum non poteſt tribuere concluſioni formali maiorem certitudinem, quam tribuit præmiſſis formalibus ſuum obiectum. Certitudine ſumpta ex principio efficienti nego; quia poteſt concluſio habere principium efficiens perfectius, quã præmiſſa ab eoq; maiorem certitudinem haurire. Quemadmodum aſſenſus Hæretici, & Catholici ſunt inæquales certitudine, quamuis noſtra opinione æquales ſint obiecto formali, & materiali, quia aſſenſus Catholici eſt à principio ſupernaturali, quod non poteſt operari circa ſuum obiectum, niſi aſſenſum verum, aſſenſus vero Hæretici eſt à principio mere naturali, quod operari poteſt aſſenſum falſum. Neque in omnibus ſequitur concluſio debiliorem partem, ſed in eis tantum perfectionibus, quæ ab obiecto ſumuntur, de quo plura in dialectica. Quare plures Theologi aſſerunt concluſionem Theologicam, quamuis naturalem, & obſcuram eſſe certiorem præmiſſa euidenti naturali, vt videre eſt apud Patrem Albertinum 3. principio phil. qu. 1. Theologica in corol. 1. nu. 19. cum Capreolo, Zumel, & Valentia relatis ab ipſo; item apud Patrem Arrubal ſupra, Albeldam, & plures Thomiſtas in 1. p. q. 1. art. 2.

P. Albertinus. Capreolus. Zumel. Albelda. P. Valentia. P. Arrubal.

SECTIO QVARTA.

Noſtra ſententia proponitur quoad poſſe rei.

Explicatur.

16. MEum iudicium eſt, concluſionem, de qua diſſerimus, poſſe eſſe, tum ſupernaturalem, tum naturalem, conferente, aut negante Deo auxilium ſupernaturale ad concluſionem; quia præmiſſæ ſecundum ſe continent vtramque concluſionem, & conferente Deo auxilium ſupernaturale concluſio erit ſupernaturalis, negante vero auxilium ſupernaturale, concluſio erit naturalis. Itaque duo exponimus. Alterum, quæ concluſio poſſit colligi ex præmiſſa ſupernaturali? Alterum, quæ concluſio re ipſa colligatur. Quoad poſſe aſſerimus, vtramque concluſionem, tam naturalem, quàm ſupernaturalem colligi poſſe; quod in hac ſectione explicabimus. Quoad factum verò, quid dicendùm ſit, ſtatuemus ſect. 6.

Aſſertum primum. Autores s. Thomas. Caietanus. Medina. Nauarius. Aluarez. p. Raguſa. p. Ianneſius. Lorca. Alenſis.

17. Aſſero igitur primo contra Authores ſecundæ ſententiæ. Præmiſſæ ſupernaturales inducere poſſunt concluſionem ſupernaturalem. Ita Authores primæ ſententiæ. Quibus adde, eos qui ſentiunt, Chriſtum dominum vti potuiſſe diſcurſu per actus ſcientiæ infuſæ, qui ſunt intrinſece ſupernaturales. Ita expreſſe ſanctus Thomas 3. p. q. 11. art. 3. corp. *Aliqua ſcientia poteſt eſſe diſcurſiua dupliciter. Vno modo quantum ad ſcientiæ acquiſitionẽ; & hoc modo ſcientia anima*

Digitized by Google

Durandus. Gabriel. Almainus. Ochamus. Marſilius. Medina. P.Hurtado.

Chriſti non fuit diſcurſiua, quia hac ſcientia fuit ſibi diuinitus indita. Alio modo poteſt dici aliqua ſcientia diſcurſiua quantum ad vſum: ſicut interdum ſcientes ex cauſis concludunt effectus, non vt de nouo addiſcant, ſed volentes vti ſcientia, quam iam habent. Et hoc modo ſcientia animæ Chriſti poterat eſſe collatiua, & diſcurſiua; poterat enim ex vno aliud concludere, ſicut ſibi placebat. Quid expreſſius. Eadem repetit art. 4. corp. *Quantum ad ſubiectum, ſcientia indita animæ Chriſti eſt infra ſcientiam Angelicam, ſcilicet quantum ad modum cognoſcendi, qui eſt per conuerſionem ad phantaſmata, & per collationem, & diſcurſum.* Sanctum Thomam ſequuntur Caietanus locis relatis, Medina ibidem, Nazarius controuerſia vnica, Aluarez diſp.64. Pater Raguſa diſp.97. Pater Iannerus tract.4.diſp.1.q.5.à nu.138. Lorca diſp.51.& omnes recentiores Thomiſtæ. Item ex antiquis Alenſis 3.p.q.13. memb. 5.& Durandus in 3. diſt.14 q.3.n.7. Nam licet ſcientiam infuſam non diſtinguant ſpecie à naturali, & acquiſita, tamen ratio, qua ſcientiam naturalem infuſam adſtruunt diſcurſiuam, communis eſt ſcientiæ ſupernaturali; nimirum quia Chriſtus dominus non conſiderabat actu omnia, quæ poterat per eam ſcientiam callere; atque ita poterat ex cognitione effectus deuenire in cognitionem cauſę & è contra per formalem diſcurſum. Etiā fauent qui admittunt diſcurſum formalem inter actus fidei. Quod ſentiunt Gabriel in 3.diſt. 23.q.3. Almainus qu.3. & in moralibus cap. 2. Ochamus in 3.q.8.art.3. Marſilius q.14.art.1. Michaël Medina de fide lib.5.cap.11. & nouiſſime Pater Hurtadus 2.2.diſp.39 ſect.2.

Suadetur primo.

18. Aſſertio probatur primo. Non repugnat diſcurſus ſupernaturalis, quemadmodum neque apprehenſio, & aſſenſus ſupernaturalis. Ergo non repugnat ſupernaturalis concluſio; nam diſcurſus prout diſtinguitur à ſimplici apprehenſione, & iudicio ſolum conſtituitur concluſione. Antecedens probatur. Tum quia nulla apparet implicantia ſupernaturalitatis in tertia operatione intellectus, ſicut illa non eſt in prima, atque ſecunda. Tum à priori, quia diſcurſus eſt proceſſio, & conſequutio vnius cognitionis ex alia. At non repugnat proceſſio vnius cognitionis ſupernaturalis ex alia. Ergo non repugnat diſcurſus. Probatur minor. Iudicium ſupernaturale ſequitur ex natura rei apprehenſionem ſupernaturalem, electio ſupernaturalis ſupponit per ſe ſupernaturalem intētionem. Ergo ſimiliter poteſt eſſe iudicium ſupernaturale, quod ſequatur, & ſupponat aliud iudicium ſupernaturale. Confirmatūr; ſicut concluſio aſſentitur obiecto per aliud, ita electio amat medium propter aliud. Ergo ſicut electioni non repugnat ſupernaturalitas ſupponens intentionem, ex qua ſequatur; ita neque concluſioni. Nam concluſio in intellectu ſe habet, ſicut electio in voluntate. Ergo imperfectio dependentiæ ab alio actu priori poteſt conuenire concluſioni ſupernaturali, ſicut conuenit ſupernaturali electioni.

Secunda probatio.

19. Secundo. Pręmiſſæ ſupernaturales euidentes de obiecto ſupernaturali inducere poſſunt concluſionem. At non concluſionem naturalem. Ergo ſupernaturalem. Conſequentia legitima eſt. Minor probatur ex diſput. 11. vbi oſtendimus, obiecta ſupernaturalia eſſe ſupra omnem euidentiam, tam mediatam, quam immediatam cognitionis naturalis. Concluſio autem de obiecto ſupernaturali deducta ex præmiſſis euidētibus eſſet euidens; atque adeo non poſſet eſſe naturalis, ſed ſupernaturalis. Maiorem quis neget. Nam poteſt Deus conferre notitiam explicitam idemtitatis duorum extremorum cum vno tertio, quin conferat notitiam explicitam eorumdem inter ſe; verbi gratia Diuum Petrum videre diuinam eſſentiam, & videntes diuinam eſſentiam eſſe beatos. At ex hac notitia promptum, immo neceſſarium eſſet, colligere vnionem idemtitatis extremorum inter ſe, verbi gratia, Diuum Petrum eſſe beatum. Ergo præmiſſæ ſupernaturales poſſunt inducere concluſionem.

20. Tertio; iuxta noſtra principia philoſophica, cognitio, quæ ſuapte natura non eſt concluſio, poteſt fieri contingenter concluſio, & acquiri pręcedentibus aliis cognitionibus, ſicut amor obiecti honeſti propter ſe, qui non eſt eſſentialiter electio, poteſt fieri materialiter electio, quòd ex præuia intentione alterius finis elicitatur; nam ſicut voluntas poteſt moueri extrinſece ex vno fine in alium, & amor vnius finis intrinſeci voliti propter ſe poteſt fieri propter alium finem extrinſecum, ita intellectus potens aſſentiri obiecto per ſe intrinſece, poteſt moueri extrinſece ad aſſentiendum eidem per aliud connexum cum illo. Neque enim apparet repugnantia, vt in intellectu dentur concluſiones materiales, ſicut dantur in voluntate materiales electiones. Ergo cognitio ſupernaturalis intrinſece immediata, quę ſuapte natura non eſt concluſio, poteſt fieri materialiter concluſio, & acquiri præmouentibus intellectum ad illam aliis cognitionibus ſupernaturalibus obiectorum, quæ cum ipſius obiecto connexa ſunt; ſicut enim cognitio naturalis, quæ abſolute poteſt exiſtere abſq; præmiſſis, hic, & nunc exiſtit materialiter concluſio cum dependētia ab aliis cognitionibus pręmiſſis, non extitura, niſi præceſſiſſent cognitiones pręmiſſæ; ſic poteſt cognitio ſupernaturalis exiſtere concluſio dependenter ab aliis cognitionibus præuiis ſupernaturalibus, quæ hic, & nunc exiſtāt, ac moueant intellectum ad dignoſcendum obiectum ſcientiæ ſupernaturalis, quod hic, & nunc non nouiſſet, niſi præceſſiſſent cognitiones ſupernaturales proponētes intellectui vnionem extremitatum cum medio, quas alia cognitio ſupernaturalis vnit explicite inter ſe. Etenim ſicut bonū ſupernaturale religionis, quod eſt amabile propter ſe, ſimul eſt amabile extrinſece propter aliud, quia voluntas ad amandum tale bonum per actum religionis poteſt moueri per amorem præuium alterius finis, in quem cōfert amor religionis; ita verum ſupernaturale, quod eſt intrinſece cognoſcibile per ſe, poteſt eſſe extrinſece cognoſcibile per aliud, quia intellectus poteſt excitari, & illuſtrari ad illud cognoſcendum per motionem præuiam alterius veri, quod cum illo connexum eſt, atque ita vnius

Tertia.

Digitized by Google

veri cognitio deduci materialiter concluſio ex cognitione alterius, quia eſt cauſa, hic, & nunc mouens intellectum ad illam ratione veritatis obiectiuæ neceſſario connexæ cum alia. Hæc probatio, & doctrina totius aſſerti amplius conſtabit ex corollariis, quæ explicabimus ſectione ſequenti quoad diſcurſum fidei ſupernaturalis, ſcientiæ infuſæ, atque beatæ.

Aſſertum ſecundum.

21. Aſſero ſecundo contra Authores primæ ſententiæ. Poſſunt cognitiones ſupernaturales concludere cognitionem naturalem, ſi Deus præſtet concurſum ad illam. Ita Authores ſecundę. Item qui negant, ex cognitione ſupernaturali reuelationis diuinæ colligi notionem ſupernaturalem myſterij reuelati. Et probatur breuiter ex dictis. Primo à priori. Cauſæ generis ſuperioris poſſunt continere effectum generis inferioris. Ergo nulla eſt implicantia, vt præmiſſæ ſupernaturales contineant, & re ipſa concludant cognitionem naturalem, quam continent, & re ipſa concluderent cognitiones naturales, quæ nouiſſent identitatem extremorum, cum medio, quam nouerant ſupernaturales. Id quod liquidius apparebit perpendenti ſolutionem argumentorum, quam exhibuimus ſect. 1.

Argumentum ſecundum.

22. Præterea; cognitio deducta ex vna præmiſſa ſupernaturali, & alia naturali poteſt eſſe naturalis. Ergo etiam deducta ex duplici ſupernaturali. Antecedens manifeſtum eſt in concluſione probabili illata ex vna præmiſſa de fide, & alia præmiſſa naturali probabili; quę neceſſario eſt naturalis iuxta cõmunem Theologorum doctrinam, vt poſuimus, & oſtendimus num. 1. Probatur conſequentia. Cognitio, quæ ita deducitur ex principiis ſupernaturalibus, vt eadem poſſet colligi ex principiis naturalibus, non eſt ſupernaturalis, ſed naturalis; nam cognitio, quæ ex ſolis principiis naturæ acquiri poteſt, naturalis eſt, & non ſupernaturalis. At eo ipſo quod cognitio deducta ex vna præmiſſa ſupernaturali, & alia naturali ſit naturalis, poteſt cognitio deducta ex duplici principio ſupernaturali eſſe indifferens ſecundum ſe, vt deducatur ex duplici principio naturali. Ergo eo ipſo poteſt eſſe naturalis. Probatur minor. Cognitio naturalis deducta ex vno principio ſupernaturali, & alio naturali ſecundum ſe eſt indifferens, vt non præcedenti principio ſupernaturali deducatur ex duplici principio naturali; nam ſi intrinſece ſupponeret principium ſupernaturale; non poſſet eſſe intrinſece naturalis, ſed neceſſario eſſet ſupernaturalis, vt dicebamus num. 4. & 11. At eo ipſo quod concluſio, quæ re ipſa deducitur ex vna præmiſſa ſupernaturali ſecundum ſe eſt indifferens, vt loco illius deducatur ex præmiſſa naturali, poteſt cognitio deducta ex duplici ſupernaturali ſecundum ſe eſſe indifferens, vt ex præmiſſis naturalibus procedat; nam ſi concluſio non eſt alligata vni præmiſſarum, ex qua re ipſa procedit, non eſt quare alligetur duabus, ex quibus re ipſa colligitur: eadem enim eſt repugnantia ad ſubſtituendum vnam præmiſſam naturalem loco vnius ſupernaturalis, quæ eſt ad ſubſtituendum duplicem. Ergo poterit concluſio deducta ex duplici cognitione ſupernaturali, ſiue euidenti, ſiue obſcura ſecundum ſe eſſe indifferens vt eadem poſſet colligi ex duplici cognitione euidenti, aut obſcura eiuſdem obiecti.

23. Tertiò; tanta eſt dependentia amoris à cognitione, quanta eſt concluſionis à præmiſſis. Sed amor naturalis poteſt oriri ex cognitione ſupernaturali, vt vidimus diſputatione 48. num. 3. & videbimus diſputatione ſequenti. Ergo etiam concluſio naturalis poteſt oriri ex pręmiſſis ſupernaturalibus. Demum probatur paritate. Actus ſupernaturales imperantes continent actiones naturales imperatas, vt docuimus diſputatione 48. Cognitio ſupernaturalis ſpeciem impreſſam naturalem, vt oſtendimus diſputat. 54. ſect. 3. & actus voluntatis, & intellectus ſupernaturales habitum naturalem acquiſitum, vt probauimus diſputatione 53. Ergo etiam cognitiones ſupernaturales poſſunt continere concluſionem naturalem. Tertium. Quartum.

Prima obiectio non premit.

24. Dices, non poſſe Deum ex natura rei negare auxilium ſupernaturale ad concluſionem ſupernaturalem exiſtentibus præmiſſis ſupernaturalibus. Id nego; nam quemadmodum poteſt cauſa ſuperior continere effectus ſolius generis inferioris, ita poteſt continere effectus vtriuſque generis ſuperioris, & inferioris, exigentia, & virtute adeo abſoluta, ac indifferenti, vt eius exigentiæ, ac virtuti, cuiuſuis effectus actione ſatisfiat. Id quod conijcere licet exemplis propoſitis num. præcedenti. Ergo præmiſſæ ſupernaturales poſſunt ex natura rei permittere concluſionem naturalem. Addo, poſſe cognitionem naturalem coniungi cum cognitione naturali, ſimulque vtramque ex cognitionibus ſupernaturalibus deduci. Atque ita quamuis Deus conferat auxilium ſupernaturale ad ſupernaturalem concluſionem, poteſt ſimul conferre auxilium ad concluſionem naturalem, quæ ſimul cum illa continetur ſub virtute formali pręmiſſarum naturalium.

Neque ſecunda.

25. Obijcies ſecundo. Præmiſſæ euidentes de obiecto ſupernaturali non poſſunt inferre niſi cognitionem euidentem. At de obiecto ſupernaturali non poteſt eſſe euidentia naturalis. Ergo ſolam cognitionem ſupernaturalem inferre poſſunt. Atque adeo non ſunt indifferentes inferre naturalem. Concedo totum. Neque nos volumus, omnes præmiſſas ſupernaturales poſſe concludere cognitionem naturalem, ſed illas tantum, quæ obiectum manifeſtant ſub ſphæra cognitionis naturalis contentum. Itaque ſolæ pręmiſſæ ſupernaturales obſcuræ de obiecto ſupernaturali, & ſolæ præmiſſę ſupernaturales euidentes de obiecto naturali poſſunt concludere cognitionem naturalem; nam cognitio naturalis, quę ex præmiſſis ſupernaturalibus colligitur, debet eſſe indifferens ſecundum ſe; vt poſſit colligi ex præmiſſis naturalibus, aut abſque principio vllo ſupernaturali immediate haberi; nam ſi ſecundum ſe non poteſt haberi

Digitized by Google

abſque principiis ſupernaturalibus non poteſt eſſe naturalis, ſed ſupernaturalis. At cognitio euidens obiecti ſupernaturalis non poteſt moueri ex principiis naturalibus; poteſt autem cognitio obſcura obiecti ſupernaturalis, & cognitio euidens obiecti naturalis. Ergo ſola cognitio obſcura obiecti ſupernaturalis, & cognitio euidens obiecti ſupernaturalis poteſt deduci ex præmiſſis ſupernaturalibus. Neque obſtat, cognitionem obſcuram obiecti ſupernaturalis deductam ex duplici cognitione obſcura ſupernaturali eſſe certam. Nam cognitio naturalis mediata poteſt eſſe certa, quamuis obſcura, ex ſuppoſitione principiorum ſupernaturalium, quæ ipſam antecedunt, vt expoſuimus à nu. 5.

SECTIO QVINTA.

Corollaria præcedentis aſſerti.

Diſcurſus per actus ſcientiæ infuſæ. P.Suarez. P.Vaſquez. P Ioannes Præpoſitus.

26. EX dictis colligo primo contra Patrem Suarez 3. p. diſp. 28. ſect. 2. con. 2. Patrem Vaſquez diſp. 52. cap. 3. & Patrem Ioannem Præpoſitum 3. p. qu. 11. n. 28. Chriſtum dominum potuiſſe pro ſuo libito per actus ſcientiæ infuſæ diſcurſum cōficere. Nam poteſt Chriſtus per cognitionem ſcientiæ infuſæ vnire duas extremitates cum medio, quin eas vniat explicite inter ſe. Huiuſmodi autem cognitionem illico ſequetur cognitio explicita extremitatum inter ſe, quæ eſt formaliter concluſio, ac diſcurſus. Ergo, verbi gratia, poteſt Chriſtus aſſentire per vnam cognitionem, Diuum Petrum eſſe filium adoptiuum Dei, & non aliud; per aliam, hominem conſtitui filium adoptiuum Dei per gratiam inhærentem, & non aliud: nam in poteſtate Chriſti poſitum eſt cognoſcere obiecta, quæ ſibi libent, & non plura. Inde autem deducenda erit neceſſario tertia cognitio, qua aſſentiatur, Petrum eſſe filium adoptiuum per gratiam inhærentem. Ergo ex cognitione extremitatum cum medio poteſt colligere identitatem inter ſe.

P. Suarez opponit.

27. Obijcit Pater Suarez. Diſcurſus eſt contra modum naturalem, & proprium ſcientiæ infuſæ, quę per ſimplicem intuitū cognoſcit ſua obiecta. Ergo ſcientię infuſæ repugnat diſcurſus.

Reſpondetur.

Reſpondeo. Scientia infuſa poteſt per ſimplicem intuitum omnia cognoſcere. Cęterum ſi Chriſto libet præmittere cognitionem explicitam principiorum abſque cognitione explicita eorum, quæ in eis principiis contenta ſunt, poteſt ex prænotione explicita vnius obiecti alterius prenotionem explicitam colligere. Dicit Suarez, hoc eſſe cognoſcere vnum poſt aliud, non vero cognoſcere vnum ex alio. Sed contra. Cognoſcere vnum ex alio eſt cognitionem vnius eſſe rationem, & cauſam cognoſcendi aliud. At cum explicite cognoſcuntur principia, quin explicite dignoſcantur contenta in illis, cognitio explicita principiorū eſt ratio, & cauſa cognoſcendi illa, quæ in principiis contenta ſunt. Ergo non ſolùm vnum poſt aliud, ſed vnum ex alio cognoſcitur.

P. Vaſquez.

28. Obijcit Pater Vaſquez. Ad diſcurſum requiritur multiplicitas conceptuum. At ſcientia infuſa non cognoſcit multis cōceptibus ea, quæ intrinſece connexa ſunt; nam ſcientia naturalis Angelica, quę inferior eſt ſcientia infuſa Chriſti, per vnicum conceptum dignoſcit plura, quæ non ſunt tam affinia, & connexa, ac ſunt principia, & concluſiones. Ergo ſcientia infuſa non cognoſcit per diſcurſum.

Satisfit.

Reſpondeo. Quamuis poteſt ſcientia infuſa per vnicum cōceptum principia, & concluſiones dignoſcere, ſicut ſcientia naturalis Angelica; tamen pro libito Chriſti poteſt in plures conceptus diuidere illa, quæ vnico conceptu poſſunt comprehēdi; atque ita vno conceptu poteſt ſolam vnionem extremitatum cum vno tertio cognoſcere, & inde venire in alium, quo vnionem extremitatum inter ſe cognoſcat.

Iterum P. Vaſquez.

29. Rurſus obijcit Pater Vaſquez. Ad rationem diſcurſus requiritur, vt id, quod aſſequimur per illum, non ſit per ſe notum, ſed per aliud. At omnia ſunt per ſe nota ſcientiæ infuſæ. Ergo ſcientiæ infuſæ repugnat diſcurſus.

Occurritur.

Reſpondeo. Ea, quæ ſunt per ſe nota ſcientiæ infuſæ in actu primo, poſſunt eſſe nota per aliud in actu ſecundo, quia præcedente notione alterius poſſunt cognoſci, quę poterant abſque alterius prænotione cognoſci. Aut aliter; quæ ſunt per ſe nota intrinſece, poſſunt eſſe nota per aliud extrinſece, vt quæ ſunt amabilia propter ſe intrinſece, poſſunt pro libito voluntatis amari propter aliud extrinſece, vt dicebamus num. 20. Rurſus ea, quæ identificantur Deo, non ſunt immediate, & per ſe nota ſcientiæ infuſæ, ſed neceſſario cognoſcuntur ex rebus creatis, quæ ducunt intellectum in notionem Dei, ſiue identificatam, ſiue diſtinctam à cognitione rerum creatarum; aliter enim ſcientia infuſa eſſet beata, quæ immediate refert prædicata diuina. At Chriſtus ſola creata poteſt cognoſcere per ſe vnico conceptu, & inde aſſurgere in diuina per alium. Ergo poteſt diſcurrere.

Obijcitur S. Damaſcenus.

30. Obijciunt alij. S. Damaſcenus lib. 2. de fide cap. 22. docet, Chriſto repugnare conſultationem. Ergo etiam diſcurſum.

Explicatur.

Nego conſequentiam; quia ad conſultationem requiritur, vt ex notis ad ignota procedamus, hoc eſt, ad illa, quæ aliter, quam ex præuia aliorum conſideratione innoteſcere non poſſunt. At diſcurſus poteſt fieri ex notis ad nota, quia illa, quæ intrinſece nota ſunt, poſſunt eſſe extrinſece nota per aliud. Aut ea, quę in actu primo nota ſunt, poſſunt innoteſcere in actu ſecundo per alia, quę prius in actu ſecundo fuerunt nota. Atque ita quamuis Chriſto repugnet conſultatio ratione ignorantiæ, quam ſupponit, non repugnabit diſcurſus, qui ſine ignoratione haberi poteſt.

Poſſibilis eſt diſcurſus per actus fidei. Capreolus. Caietanus. Bannes. Canus. P. Valentia. P. Suarez. P Torres. P. Arrubal. P. Hurtado.

31. Colligitur ſecundo contra Capreolum, Caietanum, Bannes, Canum, P. Valentiam, P. Suarez, P. Torres, P. Arrubal relatos à Patre Hurtado 2. 2. diſp. 39. ſect. 3. Non repugnare diſcurſum per actus fidei ex reuelatione Dei ad myſterium reuelatum. Nam poteſt quis

aſſentire per actum fidei, Deum, qui nihil niſi verum reuelare poteſt, reuelaſſe verbum incarnatum eſſe, indeque colligere aſſenſum ſupernaturalem, quo ſibi perſuadeat, veram eſſe incarnationem verbi. At hic aſſenſus eſſet actus fidei. Ergo actus fidei poſſet haberi per diſcurſum. Conſequentia eſt legitima. Maior conſtat ex prima noſtra aſſertione. Probatur minor, quia aſſenſus ſupernaturalis, & obſcurus habens pro motiuo formali reuelationem diuinam non poteſt non eſſe actus fidei. Ita autores relati num. 17.

Impugnatur quorũdam ſolutio.

32. Dices primo cum recentioribus, non eſſe actum fidei, quia non habet reuelationem pro obiecto formali intrinſeco, ſed extrinſeco. Contra. Vt docui in lib. de anima, poteſt concluſio formalis reſpicere præmiſſas obiectiuas, vt obiectum formale intrinſecum; imo forte, vt dicebamus num. 20. deduci poteſt concluſio ex præuio aſſenſu reuelationis Dei idemet aſſenſus incarnationis, qui ſine præuio aſſenſu reuelationis communiter elicitur per fidem. Ergo poteſt concludi aſſenſus fidei. Præterea ſufficit attingere reuelationem tamquam obiectum formale extrinſecum, vt aſſenſus pertineat ad fidem, ſi reuelationem creditam ſupponat ex natura rei, ſicut ſentiunt recentiores; nam electio formalis pertinet ad eamdem virtutem, ad quam intentio finis, quamuis non moueatur intrinſece, ſed tantum extrinſece ex honeſtate finis, quam intrinſece attingit intentio, quia ſupponit ex natura rei amatam honeſtatem finis. Ergo illa concluſio incarnationis ſupponens per ſe aſſenſum reuelationis pertinebit ad fidem, ad quam pertinet aſſenſus reuelationis. Nam plures actus ſpectant ad eamdem virtutem, quamuis obiectum formale intrinſecum non ſit formaliter idem, quia æquiualenter idem eſt, verbi gratia odium peccati, quia eſt offenſio Dei, quod intrinſece mouetur ex malitia intrinſeca peccati, & electio medij, quia confert in gloriam Dei, quæ intrinſece mouetur ex vtilitate intrinſeca medij, pertinent ad charitatem, quamuis non attingant intrinſece bonitatem diuinam, quia per ſe ſupponunt amorem bonitatis diuinæ, & idem eſt æquiualenter odiſſe peccatum, quia eſt offenſa Dei, & eligere medium, quia confert in gloriam diuinam, ac amare bonitatem diuinam. Ergo ſimiliter aſſentire exiſtentiæ incarnationis, quia eſt obiectum reuelationis diuinæ ſupponendo per ſe creditam reuelationem diuinam, ſpectabit ad fidem, quia id æquiualenter eſt aſſentire reuelationi diuinæ.

Alia ſolutio. P. Suarez, & P. Torres. reijcitur.

33. Dices ſecundo cum Patre Suarez de fide d. 3. ſectione 4. & Patre Torres d. 6. dub. 1. & 2. eam concluſionem non eſſe actum fidei, quia ea concluſio eſt minus certa, quàm præmiſſa. Sed contra. Ea concluſio non deſinit eſſe actus fidei, quod ſit minus certa, quàm præmiſſa comparatione reuelationis diuinæ, quam concluſio intrinſece attingit (ſuppono enim ex lib. de anima, concluſionem poſſe attingere intrinſece obiectiuas præmiſſas) nam ea concluſio eſt ſupernaturalis, & aſſentitur intrinſece reuelationi diuinæ propter ſe, ſicut præmiſſa. Ergo erit comparatione reuelationis æque certa, ac eſt præmiſſa. Neque deſinit eſſe actus fidei, quod ſit minus certa comparatione obiecti reuelati; nam vel actus fidei extra diſcurſum formalem eſt minus certus de obiecto reuelato, quàm de reuelatione, vel non: ſi extra diſcurſum actus fidei eſt minus certus de obiecto reuelato, quàm de reuelatione, quia reuelationi aſſentitur propter ſe, & obiecto reuelato propter ipſam reuelationem, non erit inconueniens concluſionem fidei deductam per diſcurſum eſſe minus certam comparatione obiecti reuelati, quàm comparatione reuelationis. Si non eſt minus certus extra diſcurſum, neque concluſio fidei, deducta per diſcurſum erit minus certa. Tum quia ſicut concluſio comparata per diſcurſum aſſentitur obiecto reuelato propter reuelationem diuinam, ita aſſentitur actus fidei extra diſcurſum. Tum quia idem actus, qui comparatur per diſcurſum, potuit haberi ſine diſcurſu. Ergo ſi extra diſcurſum non eſt minus certus, neque erit comparatus per diſcurſum. Præterea non repugnat inter actus ſupernaturales vnum eſſe magis certum, quam alium, cum maior certitudo non ſit apud hos authores aliud, quàm maior independentia ab aliis actibus, qui præluceant; ſicut inter actus ſupernaturales voluntatis non repugnat, intentionem magis amare finem, quam electio amat medium, quamuis vterque ad eamdem virtutem pertineat; nam vt fert commune proloquium, *propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* Ergo concluſio poterit eſſe actus fidei, quamuis ſit minus certa quam præmiſſa, quia præmiſſa adhæret reuelationi propter ſe, & concluſio myſterio reuelato propter reuelationem diuinam.

P. Conninck refellitur.

34. Dices tertio cum Patre Conninck d. 9. dub. 7. eam concluſionem non eſſe actum fidei, quia eſt minus certa, quàm cognitio naturalis de bonitate illationis, ex qua deprehenditur. Sed contra; quia, vt pono ex lib. de anima, hæc cognitio reflexa non eſt neceſſaria ad concluſionem. Præterea quia, vt dicebamus num. 15. poteſt concluſio ex principio ſupernaturali ſumere maiorem certitudinem, quàm præmiſſa. Ergo quamuis requiratur naturalis notitia illationis poteſt concluſio ex principio ſupernaturali fidei habere certitudinem, quam non habet ex cognitione naturali, quam ſupponit. Præſertim quia in noſtra ſententia poteſt inferri ex præmiſſis idem aſſenſus fidei, qui abſque præmiſſis haberi poteſt. Denique actus fidei aſſentientis myſterio reuelato propter reuelationem Dei eſt quidam diſcurſus virtualis à reuelatione in myſterium reuelatum, aſſentiens myſterio reuelato in vi illationis, & connexionis, quam habet reuelatio Dei ſumme veracis cum obiecto reuelato; atque adeo innititur ad aſſenſum myſterij reuelati in illatione, & connexione reuelationis cum myſterio reuelato, quamuis aſſenſus reuelationis realiter ſit indiſtinctus

ab aſſenſu myſterij reuelati. Ergo ſicut actus indiuiſibilis aſſentiens reuelationi propter ſe, & myſterio propter reuelationem eſt ſupernaturalis, ac fidei; ita poteſt eſſe, quamuis aſſenſus myſterij reuelati procedat realiter ex aſſenſu priori reuelationis.

Aliorum euaſio.

35. Dices quarto, aſſenſum ſupernaturalem reuelationis diuinæ non poſſe non eſſe aſſenſum myſterij reuelati, cum reuelatio eſſentialiter ſit connexa cum myſterio, atque adeo non poſſe eſſe cauſam talis aſſenſus, prout requiritur ad diſcurſum. Sed contra. Poteſt intellectus per cognitionem naturalem aſſentire præmiſſis obiectiuis, quæ eſſentialiter connectuntur cum obiectiua concluſione, quin explicite aſſentiatur concluſioni, quo pacto per cognitionem naturalem etiam poteſt hæreticus, & Catholicus aſſentire reuelationi, quin expreſſe aſſentiatur myſterio reuelato. Alias nullus eſſet poſſibilis formalis diſcurſus etiam per cognitiones naturales. Ergo etiam poteſt eſſe aſſenſus ſupernaturalis explicitus reuelationis, quin idemmet ſit explicitus aſſenſus myſterij reuelati. Probatur conſequentia primo; quia eadem eſt ratio connexionis, vt aſſenſus naturalis principiorum ſit identificatus cum aſſenſu explicito concluſionis, quę eſt, vt idem ſit neceſſario aſſenſus ſupernaturalis reuelationis, & myſterij reuelati. Secundò quia poteſt cognitio ſupernaturalis eſſe inadæquate explicita obiecti, quod cognoſcit, quin explicite aſſequatur omnia, quæ cum obiecto identificata, & connexa ſunt; neque enim omnes cognitiones ſupernaturales ſunt adæquatæ, ſed plura cum obiecto identificata, & connexa quoad explicitam notionem latere poſſunt. Ergo poteſt aſſenſus ſupernaturalis referre explicite reuelationem exiſtentem, quin explicite aſſentiatur obiecto reuelato exiſtenti, ſicut poteſt aſſenſus naturalis. Neque reuera vlla ratio quoad hoc poteſt perſuadere diſcrimen inter cognitionem naturalem, & ſupernaturalem.

præcluditur.

Reſpondent alij.

36. Dices quintò, eam concluſionem myſterij reuelati non eſſe actum fidei, quia actus fidei liber eſt, & meritorius; quippe immediate imperatus à pia affectione voluntatis; qualis eſſe non poteſt concluſio neceſſario deducta ex præmiſſis. Sed contra. Actus fidei eſt liber ſolum quoad aſſenſum reuelationis, non vero quoad aſſenſum myſterij reuelati, etiam cum indiuiſibilis eſt aſſenſus vtriuſque, qui non poteſt intellectus aſſentire reuelationi Dei ſumme veracis, atque ſapientis, quin eodem, aut diſtincto aſſenſu aſſentiatur myſterio reuelato. At in diſcurſu poſito aſſenſus reuelationis liber eſt, & meritorius, & ſolus aſſenſus myſterij reuelati, qui colligitur ex præmiſſis, eſt neceſſarius. Ergo conuenit fidei tota ratio meriti, & libertatis, quæ conuenit extra diſcurſum.

Diſplicent.

Alia rurſus ſolutio reſpuitur.

37. Dices denique, habitum principiorum eſſe diſtinctum ab habitu concluſionis; atque ita non poſſe habitum fidei influere in aſſenſum myſterij reuelati, qui ex præmiſſis colligitur. Sed contra. Cum habitus indiuiſibilis influit in aſſenſum immediatum vtriuſque præmiſſæ obiectiuæ, recte poteſt idem influere in concluſionem. Sed habitus fidei influit in aſſenſum immediatum vtriuſque pręmiſſæ; nam præmiſſę ſunt Deum nihil reuelare non verum, & Deum reuelare incarnationem verbi; cui obiecto, ſiue per vnicum, ſiue per duplicem actum aſſentitur fides immediate, ac propter ſe. Ergo fides poteſt influere in aſſenſum concluſionis. Maior, in qua eſt difficultas, probatur. Nam actus eliciti ex eodem obiecto formali pertinent ad eumdem habitum. Cum aſſenſus vtriuſque præmiſſæ obiectiuæ eſt immediatus, ita vt illis intellectus aſſentiatur propter ſe, & non propter aliud obiectum formale, aſſenſus præmiſſarum non eſt aliud, ab obiecto formali concluſionis, quia obiectum formale concluſionis ſunt pręmiſſæ obiectiuæ, quæ ſunt etiam obiectum formale aſſenſus immediati pręmiſſarum. Ergo. Dixi cum habitus influit in aſſenſum immediatum vtriuſque præmiſſæ obiectiuæ, eumdem influere in concluſionem, vt abſtineam ab ea quæſtione, quæ tract. de fide explicari ſolet, an aſſenſus deductus per diſcurſum ex duplici myſterio reuelato ſit elicitus per fidem; nam tunc præmiſſæ obiectiuæ, quæ ſunt myſteria reuelata credita propter aliud, non terminant aſſenſum immediatum, ſed mediatum, cum obiectum formale immediatum aſſenſus præmiſſarum non ſint myſteria, ſed reuelatio: ratio autem immediata aſſentiendi concluſionis ſint myſteria, & non reuelatio; quare dubitari poteſt, an aſſenſus concluſionis ad aliam virtutem pertineat diſtinctam à præmiſſis? At in noſtro caſu ipſa reuelatio ſecundum ſe, quæ eſt obiectum formale aſſenſus præmiſſarum, eſt ratio formalis aſſentiendi concluſionis. Explicatur. Idem habitus influit in intentionem finis, & electionem formalem mediorum, quia obiectum formale vtriuſque ſaltem æquiualenter eſt idem. Ergo ſimiliter idem habitus poteſt influere in aſſenſum reuelationis propter ſe, & in aſſenſum myſterij reuelati propter diuinam reuelationem; cum eadem ſit ratio vtriuſque.

P. Granados.

Concluſio ſupernaturalis ex vna præmiſſa naturali colligi poteſt.

Prima probatio.

38. Colligitur tertio contra Patrem Granados, & recentiores ſectatores tertiæ ſententiæ, poſſe colligi concluſionem ſupernaturalem ex vna præmiſſarum naturali. Primo, quia ex vna præmiſſa euidenti naturali, & alia euidenti ſupernaturali poteſt inferri concluſio euidens de obiecto ſupernaturali. At non concluſio naturalis. Ergo ſupernaturalis. Conſequentia eſt legitima. Minor conſtat ex diſputatione 10. & 11. vbi ſtatuimus, repugnare euidentiam naturalem, tam immediatam, quam mediatam de re intrinſece ſupernaturali. Maior probatur. Poteſt quis aſſequi ſcientia euidenti naturali, Deum non poſſe reuelare niſi verum. Inſuper huic euidentiæ naturali poteſt adiungi euidentia ſupernaturalis reuelationis incarnationis, quia non repugnat euidenter ſcire, Deum reuelaſſe incarnationem. At ex hac duplici euidentia colligitur manifeſte euidentia veræ exiſtentiæ reuela-

Digitized by Google

tionis, quæ eſt obiectum ſupernaturale. Ergo ex vna præmiſſa euidenti naturali, & alia ſupernaturali euidenti poteſt colligi concluſio euidens de obiecto ſupernaturali. Secundò; quia cognitio, quæ intrinſece eſt immediata, & abſque præmiſſis poſſibilis, poteſt eſſe extrinſece mediata, & præmiſſâ notione explicita alterius obiecti cum ipſa connexi procedere. At vt cognitio, quæ intrinſece eſt immediata, & abſque præmiſſis poſſibilis, procedat hic, & nunc materialiter concluſio ex præuio aſſenſu præmiſſarum, ſufficit præmiſſa ſupernaturalis coniuncta præmiſſæ naturali. Ergo. Probatur minor. Primò quia poteſt voluntas ex affectu naturali moueri ad amorem ſupernaturalem; vt vidimus diſput. 48. Ergo etiam intellectus ex cognitione naturali ad cognitionem ſupernaturalem. Par enim eſt vtriuſque ratio. Secundò quia fideles plerumque ex ſola propoſitione naturali, quæ fit miniſterio agentium naturalium, excitantur ad cogitationem ſupernaturalem, qua mouentur ad fidem, & virtutes ſupernaturales, propter affinitatem, & ſimilitudinem vnius obiecti cum alio. Ergo à fortiori poterit excitari, & moueri intellectus ad cognitionem ſupernaturalem, qua duo extrema iunguntur inter ſe, ex cognitione naturali, quâ eadem prænota ſunt coniungi cum medio. Inde etiam colligitur, cognitionem ſupernaturalem interdum concludi poſſe ex vtraque præmiſſa naturali, quando concluſio ea eſt, quæ abſque præmiſſis haberi poſſet, & materialiter ſit concluſio, quòd contingenter intellectus in illam deuenerit ex prænotione obiecti cum illa connexi.

Secunda probatio. — *Item poteſt deprehendi ex duplici naturali.*

39. Obijcies, non poſſe cognitionem ſupernaturalem euidentem ex euidenti naturali deduci, quia cognitio euidens ſupernaturalis euidentior eſt, quàm naturalis. Concluſio autem non poteſt eſſe euidentior, quàm præmiſſa? Reſpondeo. Poteſt cognitio naturalis eſſe æqualis euidentiæ cum ſupernaturali. Nam poteſt cognitio naturalis excedere claritate ſupernaturalem obſcuram, qualis eſt aſſenſus fidei. Ergo poteſt æquare claritate cognitionem ſupernaturalem euidentem. Nam ſi ſupernaturalitati cognitionis non repugnat eſſe inferiorem claritate, cur repugnabit eſſe æqualem? Quin eam eſſe euidentem inferiori euidentiâ, quam naturalem? Præterea concluſio formalis, quæ eſſentialiter eſt concluſio, & totam ſuam lucem haurit ex præmiſſis, non poteſt eſſe euidentior, quàm præmiſſa. Cæterum concluſio materialis, quæ ſeorſim à præmiſſis clare repræſentat obiectum, & per accidens colligitur ex præmiſſis, poteſt intrinſeca claritate ſuperare præmiſſas. At eiuſmodi eſt concluſio, de qua nos diſſerimus. Ergo poteſt eſſe ſupernaturalis, & euidentior, quam præmiſſa naturalis, ex qua colligitur. Explicatur ex electione materiali, quæ interdum eſt efficax, quamuis intentio fuerit inefficax. Ergo etiam materialis concluſio poteſt euidentius referre ſuum obiectum, quàm præmiſſa. Quandoquidem ſicut ſe habet electio comparatione intentionis habet ſe concluſio comparatione præmiſſæ. Denique id, quod diximus num. 15. de certitudine, poſſumus nunc aſſerere de euidentia, videlicet cognitionem habere euidentiam, tum ab obiecto, tum à principio; & quamuis euidentia deſumpta ex obiecto non ſit maior concluſioni ſupernaturali, quam naturali præmiſſæ; tamen euidentiam deſumptam ex principio eſſe poſſe maiorem. Sicut cognitio intuitiua Angelica clarior eſt, quam cognitio intuitiua humana, quamuis obiectum vtrique æque immediatum, ac manifeſtum ſit, quia principium eſt inæquale. Ergo ratione principij poteſt vna cognitio ſuperare claritate aliam, quæ ex obiecto motiuo, & formali æqualis eſt.

Obijcitur. — *Reſponſio.*

Viſio beata poteſt diſcurſum cõficere. — *P. Vaſquez.*

40. Colligitur denique contra Patrem Vaſquez to. 1. in 1. p. diſputatione 4. cap. 4. viſionem beatam ex natura rei poſſe conficere diſcurſum, quamuis ipſa non poſſit per diſcurſum acquiri. Nam viſio beata poteſt eſſe principium, ex qua deducantur concluſiones, quamuis ipſa non poſſit ex aliis cognitionibus concludi. Etenim qui clare intuetur, Deum poſſe creare Angelum Gabrielem, quin intueatur poſſe creare Michaelem, facile poteſt colligere per diſcurſum, id poſſe, ſi viſioni intuenti, Deum poſſe creare Gabrielem accedat cognitio, qua intellectus iudicet virtutem, quæ poteſt creare Gabrielem, poſſe creare Michaelem, & omnem creaturam non implicandam contradictionem. Ergo ex viſione beata poteſt confici diſcurſus. Ita Scotus qu. 3. prologi qu. 4. Pater Molina 1. p. q. 1. art. 2. diſputat. 1. poſt primam concluſionem, Pater Iannerus tom. 1. diſput. 1. quæſt. 2. dub. 3. aſſert. 5. Cæterum ipſa viſio beata non poteſt per diſcurſum acquiri. Nam concluſio acquiſita per diſcurſum debet exiſtere ex intellectu dependenter à præmiſſis, non extitura, niſi præmiſſæ antecedant. At viſio beata ex natura rei exiſtit independenter à præmiſſis, extitura ſemper, quamuis aliæ cognitiones non præceſſiſſent, quoniam principia ſupernaturalia, quæ in illam influunt, determinant intellectum independenter à prænotione aliorum. Ergo ex natura rei non poteſt viſio beata per diſcurſum acquiri. Num autem poteſtate abſoluta Dei diſponi poſſit, vt per diſcurſum haberi poſſet viſio aliqua intuitiua vnius attributi ex viſione intuitiua alterius in ſententia Scoti admittentis viſionem vnius attributi, quin ſit viſio alterius, explicabimus tractatu de viſione Dei, & perſtringemus ſectione 8.

Scotus. — *P. Molina.* — *P. Iannerus.*

SECTIO SEXTA.

Noſtra ſententia quoad factum rei.

41. SI quidem ex præmiſſis ſupernaturalibus poteſt colligi tam naturalis, quàm ſupernaturalis concluſio iuxta cog-

Digitized by Google

curſum, quem Deus contulerit, videndum eſt; an de facto concluſiones ſupernaturales deducantur ex illis, an ſolum naturales? Aſſero primo. De facto plures concluſiones ſupernaturales colliguntur per diſcurſum. Ita omnes, quos retulimus num. 17. Ex præcedentibus conſtat. Nam Chriſtum Dominum vti diſcurſu per actus ſcientiæ infuſæ, aperte vidimus num. 17. & 20. cum ſancto Thoma 3. p. quæſt. 11. art. 3. & 4. Item fideles per actus fidei infuſæ arguere ex reuelatione Dei myſterium reuelatum, cum pluribus Theologis ſtatuimus num. 17. & 31. Rurſus plura iudicia prudentiæ infuſæ, quæ immediata non ſunt, per diſcurſum haberi, docet manifeſte S. Thomas 2. 2. quæſt. 49. art. 2. ad 1. & art. 5. corpore, & ad 5. aſſerens vnum ex actibus prudentiæ eſſe diſcurſum. Et quidem plura, quæ hic, & nunc dictant opus agendum, non immediate habentur, ſed media conſultatione, atque diſcurſu. Ergo credibile eſt, plures concluſiones fieri præſenti ordine prouidentiæ intrinſece ſupernaturales. Etenim ſi poſſunt haberi, & re ipſa de facto præmiſſæ ſupernaturales antecedunt, non eſt, quare non credamus, concluſiones ſupernaturales inferri, nam licet naturales etiã inferri queant, tamen connaturalius eſt, vt ex præmiſſis ſupernaturalibus ſupernaturales inferantur, cum poſſibiles ſint.

Prima aſſertio.

S. Thomas.

Probatio.

Confirmatio.

42. Confirmatur. Viri ſpirituales in meditatione rerum cæleſtium plures diſcurſus efficiunt, quibus in affectus ſupernaturales accenduntur iuxta illud Dauid, *in meditatione mea exardeſcet ignis.* Ergo iudicia eliciunt ſupernaturalia, quibus tales affectus excitentur. Nam affectus ſupernaturales haberi non poſſunt, quin cognitiones ſupernaturales præueniant. Qua ratione meditationes cæleſtium in Deum ſpecialiter referunt Eccleſiæ Patres iuxta illud prouerb. 8. *Ego ſapientia habito in concilio, & eruditis interſum cogitationibus.* De quo illuſtre eſt teſtimonium Bernardi ſerm. 32. in Cant. *Sunt quædam verba verbis ſponſi ad nos noſtra meditationes de ipſo, & eius gloria elegantia, & maieſtate. Non ſolum autem, ſed & cum auida mente verſamus teſtimonia eius, & in lege meditamur die, ac nocte. Sciamus pro certo adeſſe ſponſum, atque alloqui nos, vt non fatigemur laboribus ſermonibus delectati. Tu ergo cum tibi aliqua talia volui animo ſentis, non tuam putes cogitationem, ſed illum agnoſce loquentem, qui apud Prophetam dicit, ego qui loquor iuſtitiam.* Et infra ſubdit. *Itaque pacem, pietatem, iuſtitiam Deus in nobis loquitur, nec talia nos cogitamus ex nobis, ſed in nobis audimus.* Hæc Bernardus de meditatione cæleſtium, in qua multiplici diſcurſu Dei gloriam, elegantiam, maieſtatem, mandatorum obedientiam, iuſtitiam, & pietatem animo voluimus, & colligimus.

Pſal 38.

Prouerb 8.

S. Bernardus.

Aſſertio ſecunda.

43. Aſſero ſecundo. Probabile eſt, plures concluſiones comparari naturales quoad ſubſtantiam ex præmiſſis ſupernaturalibus quoad ſubſtantiam. Ita omnes, qui concluſiones Theologicas cenſent naturales. Vnde aſſertum probo. Omnes concluſiones Theologicæ, quæ actu habentur ex præmiſſis ſupernaturalibus, non ſunt ſupernaturales. Ergo. Probatur antecedens. Si ſupernaturales eſſent, donaretur actu hominibus habitus infuſus Theologiæ ad eos actus, ſicut donatur ad reliquos actus ſupernaturales; nam cõcluſiones Theologicæ frequentiſſimæ ſunt, & ad actus fidei, noſtræque ſalutis maxime iuuant. At non confertur; nam is habitus infuſus donaretur ſimul cum gratia iuſtificanti, vt donantur reliqui habitus infuſi. Cum gratia autem non donatur; tum quia is habitus infuſus non agnoſcitur à Theologis; tum quia homines ruſtici excellentioris gratiæ, ac fidei non ſunt excellentioris Theologiæ; vt habet Auguſtinus lib. 14. de Trinitate cap. 1. differens de Theologia; *Hac ſcientia non pollent fideles plurimi, quamuis polleant ipſa fide plurimum.* Igitur cum concluſiones Theologicæ poſſint eſſe quoad ſubſtantiam naturales negante Deo ad illas auxilium ſupernaturale, vt vidimus nu. 21. non obſcure conijcitur, actu eſſe naturales, ex eo quod actu non conferat cum gratia iuſtificante habitum infuſum Theologiæ. Ita S. Thomas expreſſe prologo ſententiarum art. 3. qu. 2. & 1. p. q. 1. art. 6 arg. 3. dicens, Theologiam eſſe habitum acquiſitum, & non infuſum.

S. Auguſtinus.

S. Thomas.

Scoti reſponſio.

44. Reſpondebis primò cum Scoto, habitum infuſum Theologiæ non eſſe neceſſarium, quia fides infuſa ſufficit influere in concluſiones Theologicas. Sed contra. Habitus fidei non operatur actum, qui non fiat ſub obiecto formali reuelationis diuinæ. Actus Theologicus non fit ſub obiecto formali reuelationis diuinæ. Ergo non fit per habitum fidei. Probatur minor. Et quidem de actu Theologico procedente ex vna præmiſſa naturali, & alia de fide res eſt clara. De actu verò procedente ex duplici de fide probatur. Eius obiectum formale non eſt reuelatio, ſed myſterium reuelatum, ex quo concluſio Theologica infertur. Ergo obiectum formale actus Theologici non eſt reuelatio diuina. Præterea poſſunt homines eſſe perfectiſſimæ fidei, & nullius Theologiæ, vt cum Auguſtino dicebamus num. præced. Ergo habitus fidei non eſt habitus Theologiæ.

Eleuatur.

P. Molina.

45. Reſpondebis ſecundo cum Patre Molina 1. p. quæſt. 1. art. 2. diſputatione 3. ad 4. habitum Theologiæ ſupernaturalem ipſis actibus Theologicis eſſe acquiſitum. Sed contra. Reliqui habitus ſupernaturales ſimpliciter neceſſarij ad actus ſupernaturales infunduntur cum gratia, & non adquiruntur exercitio actuum. Ergo idem fieret de Theologia. Neque quidquam iuuat addere cum Patre Gillio, & Patre Faſolo, ad primum actum Theologiæ præcedere neceſſario per ſe habitũ fidei potentem influere in eum actum; ad actus vero aliarum virtutum non præcedere aliũ habitum, qui in eos influat. Tum quia ſi habitus fidei poteſt influere in primum actum Theologicum, etiam poterit in reliquos, quin opus ſit habitu ſupernaturali Theologiæ diſtincto a fide, ſicut adſtruitur à Patre Molina, & ſuis ſequacibus. Tum quia actus reliquarum virtutum non efficiunt habitum ſupernaturalem, nec quoad primam productionem, nec quoad

Oppugnatur.

P. Gillius.

Digitized by Google

intenſionem, quæ non ſupponitur ad illos, vt ſtatuimus diſputatione 51. Ergo neque actus Theologici efficiunt habitum Theologiæ, qui ad eos non ſupponitur.

Alia ſolutio. 46. Reſpondebis tertio, non eſſe opus habitu infuſo ad concluſiones Theologicas ſupernaturales, quia præmiſſæ ſupernaturales poſſunt conferre auxilium efficiens, quod in alios actus ſupernaturales conferunt habitus infuſi. Repellitur. Sed contra. Ad alios actus præter illuſtrationem ſupernaturalem intellectus, quæ per ſe neceſſaria eſt ad affectum ſupernaturalem voluntatis, deſideratur habitus infuſus influens efficienter in illos. Ergo ſimiliter præter illuſtrationem ſupernaturalem præmiſſarum, opus erit ad concluſionem ſupernaturalem concurſu efficienti habitus infuſi. Nam præmiſſæ non ſunt magis neceſſariæ ad concluſionem, quam cognitio ſupernaturalis ad amorem. Ergo ſi cognitio ſupernaturalis non præſtat in amorem auxilium efficiens, quod excludat auxilium habitus infuſi, neque illud præſtabunt præmiſſæ ſupernaturales in concluſionem. Præterea actus Theologicus ſemel elicitus cum præmiſſis millies repetitur abſque præmiſſis. Ergo opus erit habitu infuſo, qui in abſentia præmiſſarum illum efficiat.

Opponitur primo. 47. Obijcies primo. Quædam concluſiones obiectiuæ adeo ſunt occultæ, vt ex natura rei non poſſint fieri manifeſtæ abſque præuia luce præmiſſarum, vt docuimus in libro de anima. At inter concluſiones Theologicas inueniuntur plures eiuſmodi. Ergo plures erunt ſupernaturales. Quia ſupponentes per ſe principia ſupernaturalia. Occurritur. Tranſeat totum. Nam raro aliquot concluſiones poſſunt eſſe ſupernaturales abſque habitu infuſo, qui ſolum donatur ad actus frequentes, & omnibus fidelibus communes. Præterea negatur conſequentia; quia eiuſmodi concluſiones obiectiuæ poſſunt fieri manifeſtæ abſque præmiſſis ſupernaturalibus cum ſolis præmiſſis naturalibus, cum cognitio illarum acquiſita per diſcurſum Theologicum non ſit euidens, ſed obſcura.

Opponitur ſecundo. 48. Obijcies ſecundo. Poteſt dari habitus infuſus Theologiæ, quandoquidem poſſibiles ſunt actus infuſi Theologici, vt conſtat ex nu. 17. Ergo exiſtit de facto. Nam habitus infuſus poſſibilis ſequitur neceſſario gratiam iuſtificantem, quæ exiſtit de facto. ſolutio. Nego conſequentiam. Nam plures habitus ſupernaturales ſunt poſſibiles, qui de facto non dantur; nam gratia iuſtificans non connectitur neceſſario phyſice cum omnibus habitibus ſupernaturalibus poſſibilibus, ſed tantum moraliter cum aliquibus, cum quibus poſſit iuſtus actus aliquos amicabiles, & dignos filio Dei operari, non determinando hos potius, quam illos. Sicut intellectus Angelicus exigit ſpecies inditas à Deo, non determinando obiecta huius ordinis rerum naturalium, potiuſquam alterius, in quo potuit creari; & ſi Deus ſolos Angelos creaſſet in ſui viſionem abſque mundo corporeo, ſecundum ſe erat indifferens, vt ſpecies aliarum rerum ipſi inderentur.

SECTIO SEPTIMA.

Qua ratione poſſit deffendi Theologia intrinſece ſupernaturalis?

49. QVamquam probabile ſit, concluſiones Theologicas eſſe intrinſece naturales, non eſt mihi improbabile, eas, quæ eſſentialiter, ac formaliter concluſiones ſunt, & ſupponunt per ſe præmiſſas ſupernaturales fidei eſſe intrinſece ſupernaturales. Explicatur. Itaque licet actus Theologici poſſint eſſe materialiter concluſiones, quas per ſe etiam abſque præmiſſis ſupernaturalibus, imo ſine vllis præmiſſis ex perfecta apprehenſione extremorum intellectus potuit elicere, ſicut in voluntate ſunt plures electiones materiales elicitæ propter aliud extrinſece, quæ poſſent fieri abſque præuia intentione; tamen ſimul poſſibiles ſunt concluſiones formales, quæ eſſentialiter præmiſſas ſupponunt, & deductionem ex præmiſſis exigunt; ſicut in voluntate ſunt formales electiones, quæ media reſpiciunt intrinſece; qua vtilia ſunt in finem, & intentionem præcedentem per ſe requirunt; videlicet illæ cognitiones quæ obiecto aſſentiuntur intrinſece, quia deducitur, & connexum eſt eſſentialiter cum alio, quod directe, & in recto ipſæ non probant, ſed per anteriora iudicia probata ſupponunt. Colligitur primo ex patribus. Igitur has cognitiones formales, quæ ex duplici præmiſſa de fide colliguntur, eo omni rigore, & proprietate Theologicæ ſunt, eſſe intrinſece ſupernaturales, probo primo. Concluſiones Theologicæ, quas meditatione, & ſtudio principiorum fidei, aſſequimur, referunt Eccleſiæ Patres in gratiam, & aſſiſtentiam Dei. Ergo ſunt intrinſece ſupernaturales. Conſequentia eſt optima. Nam alij actus, quos Theologi agnoſcunt intrinſece ſupernaturales, inde ſolum arguuntur ſupernaturales, quod gratia Dei præſtat auxilium, & poteſtatem ad illos. Aut igitur nulli actus intrinſece ſupernaturales ſunt, aut ſupernaturales ſunt cognitiones Theologicæ, quas abſque auxilio gratiæ diuinæ intellectus non aſſequitur. Antecedens apud Patres frequentiſſimum eſt, qui dum aggrediuntur explicare ſtudio, atque diſcurſu ſacrarum literarum ea, quæ fidelibus ignota ſunt, à ſola gratia ſperant lucem, & auxilium ad aſſequendum notionem, quam intendunt, & ſi quid ſuo diſcurſu elucidatum putant, non id ſuis viribus, ſed lumini cæleſti, ac gratiæ diuinæ acceptum ferunt. Pauca ex multis promam, quæ aſſumptum euincunt. S. Fulgentius. Fulgentius lib. 1. ad Monimum aggrediens explanare prædeſtinationem bonorum ad gloriam, & malorum ad pœnam ſic totus eſt in hac doctrina. *Confido in miſericordia Dei noſtri, quia ſi quid mihi huius inquiſitionis, ac diſputationis opere pro meo merito non conceditur, pro tuo mihi deſiderio concedetur. Neque enim inquiſitionem tuam Deus inuentionis effectu fraudari vllatenus ſinet, qui te ad inquirendum ſpiritualiter inflammauit, dum ipſius fidele promiſſum nulla ra-*

Digitized by Google

tione caſſetur dicentis, Petite, & accipietis; quærite, & inuenietis; pulſate, & aperietur vobis. Internus igitur magiſter, a quo ſubſidium doctrinæ cæleſtis accepimus, non ſolum inquirentibus nobis ſuorum aperit arcana ſermonum, ſed vt etiam quæramus, ipſe gratis inſpirat affectum. Hic Fulgentius tamquam Theologus inquirit arcana ſermonum Dei, ſcilicet veritates Theologicas, quæ in ſacris eloquijs continentur. At eorum intelligentiam gratiæ ſubſidio concedi docet, ſicut affectum ſalutarem inquirendi; atque adeo petentibus, quærentibus, & pulſantibus aperiri. Ergo cognitio Theologica myniſterio gratiæ acquiritur. Neque enim alio argumento Auguſtinus, & alij Patres neceſſitatem gratiæ ad actus fidei, & alios intrinſece ſupernaturales concludunt. Quare mox infert Fulgentius. *Ipſe igitur laudandus eſt in vtriuſque muneris gratia; ſiue cum nos ad ſe quærendum dormientes exſuſcitat, ſeu cum ſe inueniendum nobis quærentibus donat.* Et aliquot interpoſitis ait, ea ſe dicturum, quæ, *Domino gratuitam gratiam largiente ſub illo vno Domino, atque magiſtro in eius ſcholæ poſitus didiſcit.* Et mox addit. *Quapropter hoc ab illo vero Domino, ac Magiſtro noſtro poſtulare non deſino, vt ea me per eloquia ſcripturarum ſuarum, & per inſpirationis ſuæ internam, ſuauioremque doctrinam (vbi ſine ſonis ſermonum, & ſine elementis litterarum eo dulcius, quo ſecretius veritas loquitur) ea me docere dignetur quæ ſic proponam, ſic aſſeram vt in propoſitionibus, atque aſſertionibus meis veritati, quæ nec fallit, nec fallitur, ſemper inhæream.* Quæ potuerunt excogitari apertiora ad neceſſitatem gratiæ diuinæ, quæ ad eruendas veritates Theologicas ex ſacris ſermonibus requiritur?

S. Proſper. 50. Accedit alius Auguſtini diſcipulus Proſper libro 1. de vita contempl. c. 8. *diuinarum ſcripturarum ſacris meditationibus vacet, in his ſe diuinitus illuminatus oblectet.* Ad meditationem ſacrarum ſcripturarum diuinitus illuminamur. At inter meditationes ſacrarum Scripturarum exiſtunt concluſiones Theologicæ, quæ in ſacris Litteris implicitæ ſunt. Item lib. 3. de vita contemplatiua c. 2. ſic Incipit Theologicè diſſerere. *Eſt quidem hoc caput valde perplexum, ſed ſi oretis Deum, ea, quæ mihi vt homini impoſſibilia ſunt, illuminante Domino, vel docente poſſibilia ſiunt.* At cognitio quæ hominis facultati impoſſibilis eſt, & indiget illuminatione ſuperna, non eſt naturalis, ſed ſupernaturalis. Rurſus contra Collatorem c. 36. ſic habet. *Habebant Epheſij fidem, habebant & opera charitatis, quæ neque laude poterant carere, neque merito: ſed pro his virtutibus Apoſtolus gratias Deo agere non ceſſat, ſciens à Patre luminum hæc dona veniſſe, à quo ſe etiam petere proteſtatur, vt quibus dedit fidem, quæ per dilectionem operatur, det ſpiritum ſapientiæ, & intellectus: vt inde ſe Epheſij noueriut accepiſſe, quod habebant, à quo diſcunt, & ſperare, quod non habent.* Porro ſpiritus ſapientiæ, & intellectus apud Proſperum eſt notitia Theologica, quæ ex fide deducitur, vt colligit ex Apoſtolo lib. 1. de vita contemplat. c. 19. *Dicente Apoſtolo. Niſi credideritis, non intelligetis, datur intelligi, quod non fides ex intellectu, ſed ex fide intellectus exiſtat; nec qui intelligat, credat; ſed qui credit, intelligat.* En intelligentia, quam Epheſijs deſiderat Apoſtolus, & in Dei gratiam reuocat, eſt cognitio Theologica, quæ ex fide præcedenti comparatur. Eadem habent frequentiſſime alij Patres.

51. Igitur cognitio Theologica ex conſenſu Patrum ſupernaturalis eſt. Et quidem auxilio ſupernaturali fieri, ſufficienter oſtenditur ex principijs ſupernaturalibus fidei, quæ ipſam neceſſario præcedunt. Nam cognitio, quæ principijs ſupernaturalibus fidei elicitur, re quidem vera efficitur auxilio ſupernaturali, nam principia fidei ſupernaturalis auxilium ſunt ſupernaturale ad concluſionem, ſicut illuſtratio ſupernaturalis eſt auxiliū ſupernaturale ad amorem. Ergo ſicut amor, qui elicitur ex illuſtratione ſupernaturali, arguitur ſupernaturalis, quamquam ex illa amor etiam naturalis poſſet moueri; ita concluſio, quæ ex præmiſſis ſupernaturalibus procedit, erit ſupernaturalis, quiſuis naturalis cognitio in eiſdem præmiſſis contineatur. Etenim magis connaturale eſt, vt concluſio ſupernaturalis ſequatur præmiſſas ſupernaturales, quam concluſio naturalis. Confirmatur à paritate concluſionis deductæ ex actibus ſcientiæ infuſæ, prudentiæ, & fidei. Nam hæ concluſiones ſupernaturales ſunt, ſolum quia principia ſupernaturalia præcedunt. Ergo etiam concluſio Theologica erit ſupernaturalis. Illuſtratur.

52. Probatur ſecundo. Cognitio Theologica poteſt excitare, & mouere voluntatem in actus ſalutares, & ſupernaturales. Ergo eſt ſupernaturalis. Siquidem non poteſt affectus ſupernaturalis, niſi ex cognitione ſupernaturali procedere. Antecedens probatur primo ex Diuo Proſpero libro 1. de vita contempl. c. 19. nuper adducto ibi. *Datur intelligi quod non fides ex intellectu, ſed ex fide intellectus exiſtat, nec qui intelligat, credat, ſed qui credit, intelligit, & qui intellexerit, bene agat; ac per hoc, vt bene agat, quis intelligere ſtudeat.* En intelligentia eorum, quæ ex fide comparantur, confert ad bene agēdum, & ideo ea curanda eſt, vt bene per illam agamus. Deinde probatur. Quia ex fidei principijs aſſequimur diſcurſu Theologico cognitiones plurium perfectionum diuinarum, quas amore ſupernaturali valemus diligere. Ergo talis cognitio ſupernaturalis eſt. Nam tales perfectiones non cognoſcuntur per fidem formalem, ſiquidem reuelatæ non ſunt immediate, ſed ex alijs reuelatis deducuntur. Ergo cognoſcuntur per cognitionem Theologicam ſupernaturalem. Nam ad illarum amorem ſalutarem, & ſupernaturalem non reſtat alia cognitio, quæ conferre queat. Similiter plures veritates morales conferunt ad actus virtutum moralium, quæ à Deo immediate reuelatæ non ſunt, ſed ex reuelatis deprehenduntur. Tamen cognitio earum poteſt eſſe ſupernaturalis, & amorem virtutis ſupernaturalis dirigere. Ergo cognitio Theologica ex reuelatis deducta de facto erit ſupernaturalis. Secundo. S. Proſper. Confirmatur.

53. Tertio à priori. Concluſio Theologica, quæ eſſentialiter eſt concluſio, & præmiſſas ſupponit, exigit oriri à præmiſſis ſuperna- Tertio à priori.

turalibus fidei, ex quibus de facto deducitur. Ergo erit intrinſece ſupernaturalis. Nam concluſio intrinſece naturalis non poteſt exigere principium aliquod intrinſece ſupernaturale. Antecedens probatur. Tum quia electio formalis ſupponens per ſe intentionem finis, & de facto procedens ab intentione ſupernaturali ſupponit per ſe intentionem ſupernaturalem, ex qua de facto procedit. Ergo etiam formalis concluſio. Cum eadem ſit electionis, & concluſionis formalis ratio. Tum quia de facto natura eſt eleuata ad ordinem ſupernaturalem, & poteſt eſſe concluſio formalis Theologica, ſupponens per ſe præmiſſas ſupernaturales. Ergo de facto confertur à Deo auxilium ad huiuſmodi concluſionem. Quoniam non eſt credendum, à Deo denegari naturæ eleuatæ ad ordinem ſupernaturalem auxilium ſupernaturale magis connaturale principijs, quibus intellectus operatur, & prouidentiæ, qua de facto regitur, quod eſt ſupernaturale. Ergo auxilio ſupernaturali elicitur talis concluſio. Tum denique quia tales concluſiones conferunt maxime ad tuendum veritatem fidei ſupernaturalis, cum ex falſitate illarum colligeretur falſitas principiorum fidei, & ad pleroſque virtutum actus iuuare poſſint. At actus conferens ad actus ſalutares fidei, & alios virtutum moralium intrinſece ſupernaturales ſunt. Ergo.

Auxilio extrinſeco fieri prædictę concluſiones.

54. Iam ſolum reſtat explanare quo auxilio ſupernaturali tales concluſiones efficiantur. Ac primo reſponderi poteſt, eos fieri auxilio extrinſeco Dei. Quoniam habitus infuſus ſolum donatur ad actus, qui omnibus iuſtis communes ſunt. At concluſiones Theologicæ non ſunt omnibus iuſtis, ſed ſolis ſapientibus communes in ſententia negante habitum infuſum ad illos. Ergo poſſunt fieri auxilio extrinſeco Dei, quod ad actus non frequentes, & ordinarios ſupernaturales ſupplet auxilium habitus infuſi. Deinde poteſt reſponderi, habitum fidei influere in eas concluſiones. Tum à poſteriori; quia habitus influens in intentionem finis, influit in formalem electionem, quæ per ſe ſequitur intentionem. Concluſio autem, & electio formalis eamdem ſortiuntur rationem. Ergo cum habitus fidei influat in vtramque præmiſſam, etiam poterit influere in concluſionem per ſe deductam ex illis. Tum à priori; quia actus reſpiciens virtualiter idem obiectum formale cum alio pertinet ad eumdem habitum cum illo, quamuis intrinſece, & formaliter tale obiectum formale non attingat, vt ex odio mali, & electione formali mediorum arguebamus num. 32. Sed concluſio formalis deducta ex duplici principio fidei attingit virtualiter tamquam obiectum formale reuelationem diuinam, quamuis formaliter, & intrinſece illam non attingat, quia per ſe ſupponit actus præmiſſarum, qui formaliter, & intrinſece illam attingunt. Ergo concluſio formalis deducta ex duplici præmiſſa fidei pertinebit ad habitum fidei.

Poſſunt itẽ fieri per habitum fidei.

Soluitur duplex obiectio.

55. Quo ſatisfit argumento, quo num. 44. obijciebatur, eis concluſionibus ſolum attingi myſterium reuelatum non vero reuelationem. Quia myſterium reuelatum eſt ratio formalis intrinſeca, virtualis vero eſt reuelatio, ſiquidem per ſe ſupponit creditam propter ſe reuelationem diuinam. Ad illud vero quod ex Auguſtino obijciebatur, pleroſque vigere fide, non vero Theologia, poteſt reſponderi primo; Auguſtinum diſſerere de Theologia vniuerſaliter accepta, quæ comprehendit concluſiones, quæ ex altera præmiſſarum ſcientifica, & eas, quæ ex altera præmiſſarum probabili colliguntur; nam cum principia ſcientiæ, & opiniones Scholaſticæ ſolis ſapientibus communes ſint, ſolis ſapientibus tales concluſiones Theologicæ ſunt communes. Nam ex præmiſſa, quæ aſſentitur, eos, qui rite ordinati ſunt, vigere poteſtate conſecrandi, & ex alia, quæ aſſentitur, Apoſtolos eſſe rite conſecratos, quilibet fidelium aſſentitur, Apoſtolos vigere poteſtate conſecrandi. Itaque ſicut ſapientes plura myſteria fidei credunt, quam non ſapientes, quia ſapientes aſſequuntur plures veritates reuelatas, & credendas per fidem, quam non ſapientes, nempe eas, quas totus ſacer textus complectitur, & eas, quas volumina Conciliorum definiunt, quas indocti non aſſequuntur, neque credunt, nihilominus tamen fide infuſa præditi ſunt, qua eis veritatibus aſſenſum præſtent. Similiter præditi ſunt habitu Theologico, quo efficiant aſſenſus Theologicos, quamuis re ipſa non colligant concluſiones, quas ſapientes colligunt, quia neque omnia principia fidei, quæ illis explorata ſunt, omnibus fidelibus ſunt aperta. Atque ita non ex defectu habitus infuſi, ſed ex defectu ſufficientis propoſitionis omnium credendorum per fidem non eliciunt omnes fideles Theologicas concluſiones, quas eliciunt ſapientes, ſicut neque aſſenſus fidei efficiunt circa omnia, quæ ſacræ Litteræ, & Canones Conciliorum comprehẽdunt, quos docti Theologi efficiunt, quamuis re ipſa habitu fidei infuſo inſtructi ſint, quo eos omnes aſſenſus valerent efficere. Igitur ideo plerique pollere maxime habitu fidei, non vero pollere Theologia, cum Auguſtino cenſentur, tum quia non omnes fideles perſpectas habent veritates credibiles, ex quibus concluſiones Theologicæ deprehenduntur, quia id ſolis Doctoribus incumbit; tum quia neque omnibus fidelibus principia naturalia euidentia, & probabilia, quæ cum præmiſſa fidei concluſiones Theologicas inferunt, nota ſunt. Ad Theologos autem vniuerſim ſpectat, etiam iſtas concluſiones deprehendere. Vnde ſecundo reſponderi poteſt, omnes fideles eſſe habitualiter Theologos, non Theologia proxima, ſed remota, quia vt proxime Theologi ſint, oportet ſcire non ſolum principia fidei, quæ in ſymbolo fidei proponuntur, ſed pleraque alia, quæ complectuntur vetus teſtamẽtum, & nouum, & omnia capita Conciliorum, & ſolis Theologis explorata ſunt, & quæ in illis implicita ſunt, varijs concluſionibus explicare. Quamquam omnes fideles habitu infuſo inſtructi ſunt, quo eis concluſionibus præberent aſſenſum, ſi principijs fidei, ex quibus in-

Digitized by Google

feruntur, aſſentirentur explicite, ſicut habitu infuſo prædici ſunt, quo ipſis fidei principijs poſſunt aſſentire, cum explicite proponantur.

S. Thomas obijcitur. Explicatur.

56. Sed vrget Sanctus Thomas relatus nu. 43. dicens, habitum Theologicum eſſe acquiſitum, & non infuſum. Primo reſpondeo. Sanctus Thomas agit de habitu Theologico Scholaſtico, qui ferè ſemper naturalis eſt; quia concluſiones Theologicæ, quæ Scholaſticis diſputationibus diſcutiuntur, promuntur ex principijs ſcientificis aut probabilibus; nam illa, quæ deprehenduntur ex duobus principijs fidei in ſcholis Catholicis longam diſputationem non habent, vtpote quæ diſſentientium iudicio parum ſubiectæ ſunt, ſolumque contra hæreticos examinantur, vt cernere eſt in voluminibus Theologicis, quæ continuo eduntur in lucem, & his concluſionibus probabilibus, aut ex principijs ſcientiæ deductis explicandis laborant. Secundo agit Sanctus Thomas de habitu Theologico proximo, qui præcedentes fidei aſſenſus ſupponit. Nam hic naturalis eſt; quippe eſt collectio ſpecierum naturalium, quæ referunt myſteria fidei ſolis ſapientibus manifeſta, & veritates illas, quæ ex his abſtruſioribus, & remotioribus fidei principijs deducuntur, aut eſt habitus ab ſpeciebus diſtinctus expeditam, & promptam reddens potentiam intellectiuam ad eos aſſenſus Theologicos præſtandos, qui naturalis eſt, vt conſtat ex diſput. 52. & 53.

Alia obiectio expeditur.

Neque quidquam euinces, ſi obijcias, eadem ratione dici poſſe habitum fidei eſſe acquiſitum. Nam communi vſurpatione fides dicitur habitus, quo credimus præcipua myſteria fidei, quæ in ſymbolo continentur, & fidelis etiam cenſetur, qui eis aſſenſum præbet, quamuis alia remotiora principia non aſſequatur, neque credat; Theologica vero communi vſurpatione non cenſetur qualiſcunque notitia veritatum, quæ ex fidei principijs vtilibus comparatur, ſed ea, quæ magis abſtruſas fidei veritates aſſumit, & inde concluſiones ſingulares elicit, neque Theologus communiter dicitur omnis fidelis, qui vnam, aut alteram concluſionem colligit ex vnitate Dei, Trinitate perſonarum, Incarnatione verbi, ſed qui ſtudio ſcripturarum, & lectione Conciliorum inſtructus diſcurrit, & colligit. At hæc notitia paucorum eſt, ac labore, atque ſtudio acquiſita.

SECTIO OCTAVA.

Corollarium de Theologia diſcurſiua Beatorum per actus ſupernaturales luminis gloriæ.

57. DE dictis promptum eſt, Theologiam diſcurſiuam Beatorum explicare. Duplex eſt ſcientia ſupernaturalis in Beatis, quæ dubitari poteſt; an diſcurſiua ſit? ſcientia per ſe infuſa, atque Beata, quæ à lumine gloriæ non diſtinguitur? De ſcientia per ſe infuſa Beatorum idem dicendum, quod de ſcientia Chriſti Domini diximus à num. 26. De ſcientia Beata nunc colligimus primo, poſſe per actum eius inferri concluſionem ſupernaturalē. Nam cognitionem beatam poſſe ex natura rei aſſumi tamquam principium ad colligendum concluſionem, vidimus num. 40. Nunc addimus, poſſe eam concluſionem eſſe ſupernaturalem.

Prima collectio.

Etenim concluſio deducta ex duplici principio noto per fidem eſt ſupernaturalis. At poteſt eſſe concluſio ſimiliter deducta ex duplici principio noto per ſcientiam Beatam. Ergo ſimiliter erit ſupernaturalis. Conſequentia negari non poteſt, cum omnia argumenta, quæ de concluſione Theologica viatorum ſupernaturalitatem probant, idem à fortiori probent de concluſione Theologica Beatorum. Maior conſtat ex ſectione præcedenti. Minor oſtenditur. Poteſt Beatus per viſionem Dei aſſequi explicite in Deo hæc duo, tum Deum ſumme veracem, atque ſapientem nihil teſtari poſſe falſum, tum Deum teſtari Anti-Chriſtum venturum. Atqui Beatus ex hoc duplici principio ſibi noto per viſionem beatam poteſt euidenter colligere, verum eſſe aduentum Anti-Chriſti, quod implicite, ſed neceſſario continetur in eis principijs, vt in quouis alio diſcurſu concluſio cōtinetur in præmiſſis. Ergo poterit Beatus per ſolam viſionem Dei aſſumere principia neceſſaria ad inferendum concluſionem.

Collectio ſecunda. Confici per ſcientiam beatam.

58. Colligitur ſecundo; Concluſionem ſupernaturalem deductam per diſcurſum poſſe fieri per habitum luminis gloriæ; atque ita integrum diſcurſum poſſe confici per ſcientiam beatam. Nam aſſenſus aduentus Anti-Chriſti collectus ex viſione beata cognoſcente in natura diuina, Deum neceſſario vera reuelantem reuelare aduentum Anti-Chriſti, efficitur per lumen gloriæ efficiens viſionem beatam; ſicut aſſenſus veritatis Theologicæ deductæ ex duplici principio fidei, cui intellectus præſtat aſſenſum, elicitur per habitum fidei, vt dicebamus num. 54. Nam eadem prorſus eſt ratio, vt aſſenſus deductus adæquate ex aſſenſu elicito per ſcientiam beatam efficiatur per lumē ſcientiæ beatæ, ac eſt, vt aſſenſus adæquate deductus ex fide efficiatur per habitum fidei. Ergo non ſolum aſſenſus præmiſſarum, ſed etiam aſſenſus concluſionis poteſt eſſe actus elicitus per lumen ſcientiæ beatæ. Vnde Theologia ſupernaturalis ſcientiæ beatæ poteſt eſſe rigoroſe ſcientia, & diſcurſiua integre ab vna cognitione in aliam. Quamquam etiam probabile ſit, eam concluſionem ſcientiæ beatæ fieri per auxilium extrinſecum, vt dicebamus num. 54. de concluſione Theologica, illata ex duplici principio fidei.

Tertia.

59. Colligitur tertio in ſententia Scoti, & plurium Recentiorum admittentium, poſſe eſſe viſionem immediatam, & intuitiuam naturæ diuinæ, quin ſit viſio explicita attributorum, & è contra, eſſe viſionem immediatam, & intuitiuam attributorum, quin ſit viſio explicita naturæ diuinæ, poſſe ſcientiam beatam diſcurrere circa perfectiones diuinas. Nam ſi intellectus videat, naturam diuinam exigere omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem nullam

Digitized by Google

continentem imperfectionem, quin ea viſione diſtinguat explicite omnipotentiam, & reliqua attributa continentia perfectionem ſine imperfectione, & alia viſione intueatur clare attributa continentia perfectionem ſine imperfectione, quin diſtinguat naturam diuinam, cui attributa coniuncta ſunt, ex hac duplici notione intuitiua poteſt euidenter colligere, naturam diuinam explicite eſſe omnipotentem, & perfectam omnibus attributis continentibus perfectionem ſine imperfectione. Nam ex aſſenſu explicito idemtitatis duorum extremorum cum medio poteſt colligi aſſenſus explicitus idemtitatis eorumdem extremorum inter ſe. Sed per duplicem viſionem antecedentem aſſentitur intellectus idemtitati naturæ diuinæ, & attributorum cum medio continenti perfectionem ſine imperfectione. Ergo poteſt colligere aſſenſum idemtitatis naturæ diuinæ, & attributorum inter ſe.

Explicatur. 60. Porro hic aſſenſus illatus ex præmiſſis procul dubio eſſet elicitus per lumen gloriæ. Tum quia aſſenſus veritatis creatæ illatæ ex duplici principio ſcientiæ beatæ eliceretur per lumen gloriæ, vt numero præcedenti ſtatuimus. Ergo a fortiori hic aſſenſus veritatis increatæ. Tum quia is aſſenſus habet pro obiecto formali intrinſeco veritatem increatam. Veritas autem increata eſt obiectum formale ſcientiæ beatæ. Ergo. Maior probatur. Siue obiectum formale concluſionis ſit ipſa obiectiua concluſio, ſiue ſit obiectum præmiſſarum, vtrumque eſt increatum, & diuinum, nam præmiſſæ immediate, & explicite intuentur idemtitatem naturæ diuinæ, & attributorum cum medio continente perfectionem ſine imperfectione, concluſio vero idemtitatem naturæ diuinæ, & attributorum inter ſe; quæ omnia ſunt increata, & diuina. Ergo aſſenſus concluſionis habet pro obiecto formali intrinſeco veritatem increatam, & diuinam. Vnde licet diſcurſus ſcientiæ beatæ inferens cognitionem alicuius rei creatæ non eſset integre elicitus per lumen gloriæ, diſcurſus ſcientiæ beatæ inferens cognitionem perfectionis increatæ, & diuinæ integre fieret per lumen gloriæ; nam concluſio rei creatæ poteſt extrahi ab efficientia luminis gloriæ, quia obiectum formale intrinſecum non eſt Deus; concluſio vero perfectionis diuinæ extrahi non poteſt, quia obiectum formale intrinſecum Deus eſt. Itaque ſicut Theologi aſſerunt, diſcurſum factum à reuelatione in myſterium reuelatum pertinere ad fidem, quãuis diſcurſus factus ab vno myſterio reuelato ad aliud non reuelatum ad habitum fidei non pertineat, ita quamuis diſcurſus à Deo in creaturam fiat ſine lumine gloriæ, tamen diſcurſus ab vna perfectione diuina in aliam fieri debet per lumen gloriæ, quia ſemper retinetur obiectum formale diuinum etiam quoad actus concluſionis.

Opponitur 61. Sed obijcies, inde repugnare talem cognitionem eſse comparatam per diſcurſum. Nam talis cognitio eſset beatitudo, & nõ eſset. Eſset beatitudo, tum quia eſset elicita per lumen gloriæ, tum quia eius obiectum formale eſset verum diuinum, ac ſummum bonum. Non eſset, & quia eſset cognitio mediata, vtique per diſcurſum parta, & quia eſset imperfectior, quam præmiſsa, præmiſsa autem ſolum attingens attributa abſque natura diuina non eſset beatitudo. Ergo talis cognitio implicans duo contradicentia repugnaret. **Solutio.** Reſpondeo. Quæſtio, an talis cognitio eſset beatitudo, vel non, multum poteſt habere de voce. Poteſt admitti beatitudo formalis duplici modo dicendi. Primo, ſi talis cognitio ſit concluſio ſolum materialis, quæ licet hic, & nunc per diſcurſum præuium parta ſit, tamen potuit per ſe immediate abſque diſcurſu fieri, vt ſuperioribus ſæpius monuimus. Nam quæ ſecluſo diſcurſu eſset beatitudo, non eſt, quare per diſcurſum comparata deſinat eſse beatitudo, ſiquidem intrinſece eſt immediata apprehenſio naturæ, & attributorum ſummi boni. Secundo quamuis ſit formalis concluſio eſsentialiter per diſcurſum acquiſita. Quoniam eius obiectum formale intrinſecum eſt natura diuina, & attributa excludentia imperfectionem, & non eſt mediata per medium diſtinctum ab ipſo Deo, ſed per medium quod eſt ipſe Deus, & obiectiue beatificat. Cognitio euidens naturæ diuinæ in reuelatione, aut viſione intuitiua Dei euidenter nota, eſt mediata per mediũ creatum à Deo diſtinctum, & ideo nequit eſse beatifica. Cognitio vero idemtitatis naturæ diuinæ, & attributorum comparata per ipſam naturam, & attributa immediate nota, mediata eſt per obiectum, quod eſt ipſe Deus, obiectiua beatitudo noſtra, atque adeo & talis cognitio formaliter poteſt beare. Addo, licet concluſio formalis aſsentiatur ſuo obiecto propter medium præmiſsarum, tamen ipſi medio, quod mea opinione intrinſece attingit; aſsentitur immediate propter ſe. Ergo cum hoc medium ſit indiſtinctum à Deo, talis concluſio erit immediata cognitio Dei, ac proinde beatifica. Neque obeſt, alteram præmiſsarum non fore beatitudinem formalem, quia licet concluſio inferior ſit, quam præmiſsa claritate, qua refert, non eſt inferior extenſione obiecti, quod refert, cum complectatur vtramque extremitatem vnitam inter ſe, videlicet naturam, attributa, quarum vnam dumtaxat attingit altera præmiſsarum, videlicet attributa. At præmiſſa, quæ refert ſola attributa diuina, ideo formalis beatitudo non eſt, quia non apprehendit naturam Dei, ac per conſequens ſummum bonum quoad eſsentiam: concluſio vero attingit ſummum bonum quoad eſsentiam, & attributa, & vt formalis beatitudo ſit, non oportet, vt omni claritate poſſibili Deum repræſentet, cũ plures ſint viſiones beatæ claritate inæquales. Ergo quamuis altera præmiſsarum beatitudo non ſit, poteſt concluſio beate. Quid? quod concluſio poteſt deduci per vnicam præmiſſam æquiualentem duabus, & complectentem idemtitatem vtriuſque extremi naturæ diuinę, & attributorum cum medio. At in eo caſu pręmiſsa eſset formalis beatitudo, ſicut concluſio, quę idemtificat naturam diuinam, & attributa inter ſe. Atque ita ignobilitas præmiſsę

Digitized by Google

SECTIONES.

1. *Eneruatur ſententia negans.*
2. *Probatur, & roboratur ſententia affirmans.*

SECTIO PRIMA.

Eneruatur ſententia negans.

Autores. Bannes. P.Torres. P.Coninck P.Hurtado Fundamẽtum.

1. HAnc quæſtionem attingunt, & partem negantem ſequuntur Bannes 2.2.q. 1.art.3.dub.2.con.4. P.Torres 2.2.diſp.3.dub. 3. P. Coninck diſput. 10. dub. 4. & P.Hurtado diſputat. 19. ſect. 4. Mouentur, quia ſi cognitio ſupernaturalis eſſet aliquo modo cauſa aſſenſus falſi, Deus, qui eſt cauſa per ſe cognitionis ſupernaturalis, eſſet quoq; cauſa aſſenſus falſi. At hoc repugnat. Ergo cognitio ſupernaturalis nulla ratione poteſt eſſe cauſa aſſenſus falſi.

Euertitur.

2. Hæc ratio diſplicet. Nam quod Deus ſit cauſa ſolum phyſica cognitionis erroneæ nullũ eſt inconueniens, quia reuera Deus fere ſemper eſt cauſa phyſica aſſenſus erronei. Nã fere ſemper contingit error neceſſario, abſque libertate hominis. Deus autẽ eſt cauſa phyſica omnis effectus neceſſarij, tum quia immediate influit in illum, tũ quia producit cauſas, ad quas neceſſario conſequitur. Quod autẽ Deus ſit cauſa moralis inducens, ac intendẽs errorem intellectus, non bene colligitur ex cõcurſu formali, & phyſico cognitionis ſupernaturalis in cognitionem erroneam. Primo, quia, vt diſp. ſeq. videbimus, cognitio ſupernaturalis cõcurrit concurſu formali ad peccatum, quin Deus ſit cauſa moralis peccati. Secũdo, quia Deus non eſt cauſa moralis aſſenſus erronei, cum is deducitur ex cognitione vera ſciẽtiæ naturalis, & cognitione probabili falſa, etiam ſi Deus reuera ſit cauſa moralis cognitionis ſcientificæ naturalis, & ea cognitio naturalis influat per ſe in concluſionem, vt admittũt aduerſarij. Ergo etiam poteſt non eſſe cauſa moralis aſſenſus erronei, cũ deducitur ex præmiſſa ſupernaturali, quãuis præmiſſa ſupernaturalis influat partialiter in cõcluſionem erroneam. Conſequentia videtur clara. Tertio, quia poteſt præmiſſa ſupernaturalis ex ſe indifferens ad concluſionẽ veram, & falſam ex conſortio præmiſſæ naturalis falſæ inferre concluſionem erroneam, quin Deus producendo præmiſſam ſupernaturalem ſic indifferentem intendat errorem intellectus, quemadmodũ producit voluntatem humanam ex ſe indifferentem, quin intendat peccatum, quod ab humana voluntate committitur. Ergo poteſt præmiſſa ſupernaturalis inferre concluſionem erroneam quin Deus ſit cauſa moralis eius erroris. Siquidem Deus conſtituitur cauſa moralis per intentionem, qua effectum operatur.

SECTIO SECVNDA.

Probatur, & roboratur ſententia affirmãs.

Autores. P.Suarez. Gabriel.

3. PArtem affirmantem tuentur plerique apud Bannes, & Patrem Torres ſupra. Accedit Pater Suarez de fide diſp. 6. ſect. 5. nu. 4. cum Gabriele in 3 diſt. 23. Quibus ego acquieſco. Ac primum probo; cognitio ſupernaturalis habet concurſum in actum peccati. Ergo à fortiori poteſt illum habere in actum erroris. Ratio prima. Antecedens oſtendemus diſputatione proxime ventura. Conſequentiã bona eſt, quia magis aliena eſt à cauſalitate Dei malitia peccati, quam falſitas cognitionis. Ergo ſi cognitio ſupernaturalis poteſt concurrere in actum peccati, quin Deus fiat cauſa malitiæ, poterit quoque influere in actum erroris, quin Deus per ſe in errorem inducat.

4. Secundo; Prudentia infuſa plerumque dictat aſſenſum probabilem erroneum. Secunda. At dictamen prudẽtiæ mouet voluntatem in actum intellectus ſibi ſubiectum, quem dictat eliciendũ. Ergo. Probatur maior. Sunt plures opiniones ſpeculatiuæ falſæ longe probabiliores, quã veræ, etiam plerumque plura, & probabiliora argumenta ſuadent falſum, quam verum. At prudentia infuſa dictat ſtudioſitati ſupernaturali, qua meremus apud Deum, ſicut alijs virtutibus moralibus, vt ex duabus opinionibus præbeamus aſsẽſum probabiliori, quam plura rationis, & doctorum ſuffragia ſuadent. Ergo plerumq; dictat prudentia infuſa aſsenſum erroneũ. Confirmatur, ſunt leuia indicia ad iudicãdum male de proximo, ſunt grandia ad iudicandum bene, nunc dictat prudentia, vt ex charitate in proximum iudicemus bene, & per tale iudicium imperatum ab affectu ſupernaturali charitatis meremus vitam æternam. Tamẽ tale iudicium poteſt contingere eſse falſum, quia reuera proximus peccauit, quãuis id non teſtentur ſufficientia argumenta. Ergo ex vero dictamine prudentiæ infuſæ poteſt fieri iudicium falſum.

5. Tertio, affectus ſupernaturalis poteſt imperare cognitionem falſam. Tertia. Ergo non repugnat cognitioni ſupernaturali conferre motionẽ, & concurſum in cognitionẽ falſam. Conſequẽtia videtur aperta. Nam duo tãtum poſsunt remouere concurſum cognitionis ſupernaturalis in aſsenſum falſum, & excellentia ſupernaturalitatis, & ſequela cõcurſus Dei ſpecialiter influẽtis in errorem, deducta ex concurſu ſpeciali, quem confert in cognitionem ſupernaturalem. At hæc duo nihil vrgent, vbi affectus ſupernaturalis imperat cognitionem falſam, nam & affectus imperans cognitionem falſam ſupernaturalis eſt, & terminat concurſum ſpecialem Dei, ſicut cognitio ſupernaturalis. Ergo vbi affectus ſupernaturalis eſt imperare, & inducere cognitionem falſam, non repugnat cognitioni ſupernaturali in eamdem concurſum cõferre. Antecedens probatur, poſsunt proponi homini indocto prudenter credibilia per fidem diuinã ea, quæ falſa ſunt, vt cũ pluribus Theologis obſeruauimus diſp. 45. num. 25. & d. 48. nu. 2. Tunc autem poteſt affectus ſupernaturalis piæ affectionis aſsẽſum falſum reuelationis eorum imperare eodem modo, ac aſsenſum verum, & ſupernaturalem reuelationis aliorum, quæ eiſdem argumentis proponuntur credenda. Ergo ex affectu ſupernaturali poteſt imperari aſsenſus falſus. Confirmatur ex argumento præcedẽti. Confirmatur. Virtus ſtudioſitatis poteſt eſse

Digitized by Google

ſupernaturalis continet eminenter vim inferendi concluſionem, quam continet aſſenſus naturalis eiuſdem obiecti, aliunde ſola præmiſſa naturalis, quæ nunc ſupernaturali adiungitur, non poteſt adæquate continere concluſionem, quia ipſa ſolum attingit vnam extremitatem, & non duas, quas cõplectitur concluſio. Ergo adæquate continetur cõcluſio in virtute vtriuſque præmiſſæ. Si vero negetur præmiſſa ſupernaturalis principium formale inducens, ac inferens concluſionem, gratis dicitur. Tum quia concluſio infertur ex vi idemtitatis extremorum cum medio; ad vniendum autẽ extremitates cum medio tam per ſe, ac formaliter concurrit præmiſſa ſupernaturalis, ac naturalis. Tum quia præmiſſa naturalis aſſentiens obiecto, cui aſſentitur ſupernaturalis, eſſet principium formale per ſe concluſionis. At præmiſſa ſupernaturalis nunc cõcurrit eodem modo, quo illa præmiſſa naturalis, nempe illuſtrando intellectum per manifeſtationem idemtitatis extremorum cum medio. Ergo etiam nunc præmiſſa ſupernaturalis eſt principium formale concluſionis.

Soluit P. Hurtado. 10. Reſpondet tertio P. Hurtado, concluſionem falſam non procedere ex aſſenſu ſupernaturali, ſed ex aſſenſu naturali, qui comitatur ſemper aſſenſum ſupernaturalem circa idẽ obiectum. Vero ſimilior eſt hæc explicatio, quam ego ante P. Hurtado excogitaueram argumẽto in manuſcriptis de ſupernaturalitate. Sed reijcio nunc eiſdem, quibus ibidem reieci. *Reijcitur primo.* Primo, quia voluntaria eſt hæc neceſſaria coniunctio aſſenſus naturalis cum ſupernaturali circa idem obiectum, & ſolum ad fugam argumenti inuẽta. *Secundo.* Secundo, quia ſecluſa cognitione naturali circa obiectum cognitionis ſupernaturalis inferretur concluſio ex vi aſſenſus ſupernaturalis coniunctim cum præmiſſa naturali falſa. Nam intellectus aſſentiens, Chriſtum eſſe hominem, & hominem agere per potentias realiter diſtinctas ab anima neceſſario aſſentiretur, Chriſtum agere per potentias diſtinctas ab anima. At hæc neceſſitas aſſentiendi concluſioni non proueniret à ſola præmiſſa falſa, ſed etiam à præmiſſa ſupernaturali, quæ ſociam non habet circa extremitatem, quam medio coniungit, præmiſſam aliquam naturalem, vt ſupponimus. Ergo intrinſeca eſt aſſenſui ſupernaturali vis inferendi talem cõcluſionem falſam. Reſpondet P. Hurtado, dempta cognitione naturali vera ex aſſenſu ſupernaturali, & aſſenſu naturali probabili falſa nullam concluſionem inferendam, ſed intellectum cognoſcentem præmiſſarum obiectum ſiſtere gradum in diſcurſu, quem conficit. Mirus certe ingenij ſtupor, qui compertam habens idemtitatem duorum cum tertio non poteſt aſſenſum dare idemtitati eorumdem interſe. Nam ſi poteſt, neceſſario dabit, ſiquidem intellectus eſt potentia neceſſaria, quæ potens agere non poteſt actionem cohibere. Tunc autem non poſſe aſſentire intellectum idemtitati extremorum inter ſe, quis credat? Ait P. Hurtado id facile credi, quia aufertur intellectui principium neceſſarium ad aſſenſum concluſionis. Sed contra. Aſſenſus naturalis, qui aufertur, ſolum eſt neceſſarius, vt manifeſtet idemtitatem extremorum cum medio, neq; enim alio modo ad aſſenſum concluſionis confert, quã manifeſtando idemtitatem extremorũ cum medio. At aſſenſus ſupernaturalis id manifeſtat. Ergo cõfert lucem neceſſariam ad aſſenſum concluſionis. Præterea tunc poteſt intellectus principijs naturalibus ſic diſcurrere. Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe; hæc ſunt eadem vni tertio. Ergo ſunt eadem inter ſe. Ergo poterit intellectus colligere aſſenſum idemtitatis extremorum inter ſe. At ad illam minorem aſſẽtientem idemtitati extremorum cum tertio cõcurrit præmiſſa ſupernaturalis. Ergo etiam cõcurrit ad aſſenſum idemtitatis extremorum inter ſe, qui in caſu poſito falſus eſt. Rurſus præmiſſa ſupernaturalis poſſet inferre concluſionem cum minori naturali, ſi illa eſſet vera, vt reuera eſſe potuit, cum veritas, & falſitas non ſit eſſentialis cognitioni. Ergo etiam poterit eamdem concluſionem inferre, cum falſa eſt, ſiquidẽ falſitas, aut veritas accidentalis eſt concluſioni, & minime requiſita ad illationẽ illius, vt dicebamus nu. 8. Denique in eo caſu non poteſt intellectus diſſentire concluſioni. At vis remouendi diſſenſum verum non competit præmiſſæ ſupernaturali, niſi quatenus determinat aſſenſum. Ergo reuera poteſt intellectum ad aſſenſum concluſionis determinare.

11. Ratio à priori totius doctrinæ ſit. Non repugnat ſupernaturalitati cognitionis concurſus in cognitionem falſam. Ergo conferri poteſt. *Probatio quinta veræ ſententiæ.* Nam ſola excellẽtia ſupernaturalitatis poteſt obſtare huic concurſui. Antecedens probo. Excellentiæ Dei, quæ maior eſt, non repugnat concurſus phyſicus in cognitionem falſam. Ergo neque is repugnabit excellentię cognitionis ſupernaturalis. Antecedens probatur primo. Deus eſt cauſa per ſe omnium principiorũ determinantium neceſſario cognitionem falſam, quando error neceſſario & non libere intellectui contingit. Ergo etiam eſt cauſa phyſica ipſius erroris. Quandoquidẽ cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati neceſſario per illam. Secundo cognitio eſt falſa extrinſece ab exiſtentia, vel carẽtia obiecti, quod refert. Deus eſt cauſa entitatis cognitionis, & ſimul exiſtentiæ, aut carentiæ obiecti. Ergo eſt cauſa phyſica cognitionis falſæ. Explicatur, Cognitio ita eſt falſa, vt ſecundum ſe potuit eſſe vera, terminans eamdem cauſalitatem Dei. Quando eſt vera ab exiſtentia obiecti, Deus eſt per ſe cauſa phyſica cognitionis. Ergo etiam quando falſa eſt. Siquidem in vtroque euentu eamdẽ terminat cauſalitatem. *Explicatur.* Explicatur iterum, ponamus eamdem cognitionẽ mutari de vera in falſam, vt plures Philoſophi arbitrantur, & opinatus ego ſum in lib. de anima. Deus eſt cauſa in inſtãti A. cognitionis affirmãtis Petrũ peccare, ſi reuera Petrus peccat. Ergo etiam eſt cauſa eiuſdem cognitionis in inſtanti B. quando Petrus non peccat. Nam mutatio ſolum facta eſt in obiecto, cuius mutationis Deus eſt cauſa. Ergo ſicut Deus erat cauſa per ſe phyſica cognitionis in inſtanti A. quando Petrus peccabat, erit ſimiliter cauſa eiuſdem cognitionis in inſtanti B. quando Petrus non peccat. Igitur pariter poteſt præmiſſa ſuperna-

Digitized by Google

turalis cõferre concurſum in cognitionem falſam. Cum non ſit maior eius excellentia, quam Dei, neque eius concurſus formalis extrinſecus tantus ſit, quantus eſt concurſus efficiens, quem Deus præſtat. Aſſumptum argumenti docet expreſſe Pater Vaſquez 1.2.d.90.num.11.& 12. & 3.p. diſp.61.a num.59. aſſerens, Deum eſſe poſſe authorem ſpecialem erroris. Item eidem ſubſcribunt quotquot docent, poſſe Deum ſe ſolo producere habitum erroris, quin & ipſum errorem infundere, ſi ſolus poteſt efficere actum vitalem, quos dabimus diſp.59.n.2.

P.Vaſquez

DISP. QVINQVAGESIMASEPTIMA.

AN COGNITIO SVPERNATVRALIS POSSIT concurrere ad actum peccati.

Cõtrouerſia exponitur.

1. HOc eſt, an actus peccati poſſit procedere ex cognitione ſupernaturali, ſicut procedit ex naturali? Quidquid ſit de concurſu in malitiam formalem, cuius neque cognitio naturalis formaliter cauſa eſt, ſed ſola voluntas, quæ indifferentiam cognitionis proponentis bonum, & malum determinat ad malum. Itaque inquirimus, an cognitio proponẽs indifferenter obiectum, quod amore proſequitur peccatum, poſſit eſſe ſupernaturalis? Nam eo ipſo peccatum pendebit ex cognitione ſupernaturali; ſiquidem non alio modo affectus peccati pendet ex cognitione naturali ſui obiecti, niſi quia propoſitio neceſſaria obiecti diligendi per ipſum ſit voluntati per cognitionem naturalem. Non quærimus, an cognitio ſupernaturalis poſſit, eum concurſum exhibere in actum extrinſece malum; nam vidimus diſputat.50. poſſe affectum intrinſece ſupernaturalem fieri extrinſece malum. Ad affectum autem intrinſece ſupernaturalem per ſe concurrit illuſtratio ſupernaturalis. Itaque diſputatio eſt de actu peccati intrinſece malo, vt odio Dei, inuidia, & ſimilibus. Neque item controuerſia eſt de cognitione practica prudentiæ; certum enim eſt, neque prudentiam infuſam, neque naturalem poſſe dictare actum peccati intrinſece malum. Eſt ergo diſputatio de cognitione ſpeculatiua proponente obiectũ indifferenter bonum, & malum, quod amore turpi proſequitur voluntas, an ſcilicet proponi poſſit obiectum per cognitionem ſupernaturalem, ita vt ex tali cognitione eliciat voluntas iſtum amorem intrinſece malum. Quam difficultatem nullibi explanatã cerno. Vidit P. Hurtadus 2.2.diſp.46.n.40. argumentum, quo nos ex ſententia affirmante probabamus diſp.50.n.17. poſſe illuſtrationem gratiæ concurrere ad actum ſupernaturalem extrinſece malum, & ad eius ſolutionem ſententiæ neganti incubuit.

P. Hurtado

Noſtra ſententia.

2. Ego vero partem affirmantem ſic probo. Dæmones peccauerunt de facto inuidendo Chriſto diuinitatem, vt volunt Viguerius, Valentia, & Caietanus relati à P. Saliano apparatu ad annales Eccleſiaſticos c.9.n.3. aut inuidendo homini excellentiam futuram per gratiam Chriſti, vt volunt Auguſtinus, Ciprianus, Chriſoſtomus, Leo, Baſilius, & Bernardus relati ab eodem P. Saliano n.2. & quidem quamuis factum ita non ſit, quis neget, potuiſſe Dæmones eo pacto delinquere? Ergo cognitio ſupernaturalis poteſt præſtare concurſum in peccatum proponendo obiectum in quod afficitur peccatum. Probatur conſequentia. Non poterãt peccare Dæmones inuidẽdo Chriſto, aut puro homini dignitatem futuram, niſi cognoſcendo dignitatem, quam inuidebant. At illam cognoſcebant futuram per fidem ſupernaturalem, vt communis docet Theologorum ſententia; quãdoquidem aſſequi illam futuram non poterant per argumenta naturalia. Ergo cognitio ſupernaturalis fidei, ſine qua non poterant Dęmones eo genere peccati delinquere, præſtabat concurſum in peccatum. Neque enim alio modo concurſum præſtat cognitio naturalis proponens obiectum delectabile in amorẽ vitioſum illius. Neque refert, cognitionem illam proponere excellentiam futuram dignam amore, potius quam inuidia. Quoniam etiam cognitio rationis naturalis proponit obiectum honeſtum amore dignum, & obiectum delectabile turpe dignum odio. Nihilominus amor obiecti delectabilis turpis procedit ex tali cognitione naturali, ita vt abſque tali propoſitione, neque diuinitus, poſſet fieri talis amor turpis. Ergo ſimili modo inuidia excellẽtiæ Chriſti futuræ procedebat ex cognitione ſupernaturali fidei. Sufficit enim nobis, eum concurſum conferre cognitionem ſupernaturalem in affectum peccati, quem in eumdem confert cognitio naturalis.

Viguerius.
P. Valentia
Caietanus.
P. Salianus
S. Auguſt.
S. Ciprian.
S. Chriſoſt.
S. Leo.
S. Baſilius.
S. Bernard.

primũ fundamentum.

3. Confirmatur, reuelet Deus homini viatori infallibiliter damnandũ. Quis neget, hominem id credentẽ per fidem ſupernaturalẽ poſſe deſperare ſalutem? Reuelet, Petrum ipſi parare inſidias, aut machinari corde ipſius ruinam, poterit hic odio proſequi Petrũ ſibi inimicũ. Nec enim ſola cognitione fidei, aut ſcientiæ infuſæ redditur homo impeccabilis. Ergo poteſt homo iuuari, & duci cognitione ſupernaturali in affectum peccati.

Roboratur

4. Deinde à priori ſic arguo. Poteſt per cognitionem ſupernaturalem proponi indifferenter obiectum tanquam diſſonum rationi, & cõſonum appetitui. Tunc ſic; poterit voluntas ea cognitione proſequi odio tale obiectum, quia rationi diſſonum, & proſequi amore, quia con-

ſecundum à priori.

Digitized by Google

ſonū apetitui. Ergo poterit amor turpis ex cognitione ſupernaturali procedere; nam iudiciū indifferens relinquit voluntatem liberam ad amorem, & odium obiecti. Illud iudicium ſupernaturale eſt indifferens, ſiquidem obiectum proponit vt bonum, & malum, vt conueniens appetitui, & diſconueniens rationi. Ergo relinquit voluntatem liberam ad odium, & amorem ipſius. Amor talis obiecti eſt intrinſece malus. Ergo ex iudicio ſupernaturali pendet amor obiecti intrinſece malus. Etenim amor illius obiecti nō poteſt nō oriri ex aliqua cognitione obiecti. Tunc nulla eſt, niſi ſupernaturalis. Ergo oritur ex cognitione ſupernaturali.

Prima ſolutio impugnatur.

5. Dices primo, tunc exiſtere ſimul cum iudicio ſupernaturali iudicium naturale, à quo procedat. Contra, demus ſolum exiſtere iudicium ſupernaturale abſque naturali. Tunc iudicium eſt indifferens, & voluntas conſequenter libera ad amorem & odium; neq; enim iudicium indifferens fidei reddit voluntatem impeccabilem; quod ſolius viſionis beatæ priuilegium eſt. Poterit igitur eo iudicio voluntas amare obiectum turpe, ſibi propoſitum delectabile, & bonum. Vrgeo: inſtet præceptum miſericordiæ, & proponatur voluntati indifferenter ſolo iudicio ſupernaturali honeſtas illius, & difficultas adimplendi præceptum. Tunc voluntas non erit determinata neceſſario ad actum miſericordiæ; vnde enim bonitas creata propoſita indifferenter poteſt cogere voluntatem ad ſui amorem? Poterit igitur non elicere illum actum, aut nolendo poſitiuè, aut pure omittendo. At ſiue nolit, ſiue libere non velit eum actum elicere, tale exercitium liberum eſt peccatum, & illud antecedit per ſe cognitio ſupernaturalis proponens indifferenter obiectum, & eius amorem; nam exercitium liberum ſiue poſitiuum, ſiue pure omiſſiuum eſt voluntarium, atque adeo ex cognitione. Ergo ex cognitione ſupernaturali exiſtit peccatum.

Item ſecūda.

6. Dices ſecundo, cognitionem ſupernaturalem concurſum quidem præſtare in actum peccati, ſed indirectum, non directum. Fateor; à me non contendi concurſum directum, ſed immediatum dumtaxat; ſcilicet eum, quem confert cognitio naturalis indifferens, diſpoſita à Deo, atque vniuerſa natura ad complendam libertatem voluntatis; qui concurſus cognitionis naturalis directus non eſt eo ſenſu, quo indirectus dici poteſt concurſus cognitionis ſupernaturalis, nimirum à Deo, aut à natura intentus; nam etiam cognitio naturalis indifferens prouidetur à Deo, & natura rationali ad eliciendum actum honeſtum libere potius, quam turpem, neque à Deo, aut natura deſtinata eſt eius propoſitio ſiue illuſtratio ad ſequendum turpe, ſed fugiendum. Eſt igitur eius concurſus in amorem turpem præter intentionem Dei, & naturæ requirentis talem cognitionem naturalem ad liberam electionem honeſti. Eſt tamen concurſus indirectus, dupliciter, alius indirectus quoad intentionem naturæ; alius quoad effectum, & exequutionem. Nequit eſſe concurſus cogitationis ſupernaturalis in actum peccati directus quoad intentionem; quia neque à Deo, neque ab ipſa natura deſtinatur ad proſequendum amorem ſed potius odio delectabile turpe, quod proponitur, & ab vſu prauo voluntatis liberæ amor turpis eligitur. An directus ſit quoad effectum, & exequutionem rei, dubitari poteſt; nam directe proponit obiectum, quod diligitur per affectum peccati, & eius propoſitione iuuatur, & vtitur directe voluntas ad abuſum ſuæ libertatis. Hac conſideratione qui velit, eum concurſum directum vocare, ſicut concurſum cognitionis naturalis, quæ non alio modo confert ad amorem turpem obiecti, ſolis vocibus, non rebus diſſentire poteſt ab eo, qui neget. Id mihi certum, nullum eſſe poſſe amorem obiecti, cui per ſe aliqua cognitio non prælucéat, & amori turpi, vt ſuum obiectum attingat, prælucere poſſe ſolam cognitionem ſupernaturalem abſque conſortio naturalis. Neque enim de eſſentia cognitionis ſupernaturalis eſt, vt ex illa ſolus affectus bonus procedat: etenim poteſt per cognitionem ſupernaturalem referri obiectum delectabile ſecundum ſpeciem indifferens, quod moraliter neque bonum, neque malum ſit, vt poteſt proponi natura phyſica caloris, & frigoris, aliarumque rerum, quæ non ſpectant ad genus moris, & voluntas ex ea cognitione poteſt ferri in tale obiectum affectu naturali ſecundum ſpeciem indifferenti. Vnde vlterius ſuperior ſententia confirmari poterat.

Tertium fundamentum etiam à priori.

7. Claudo probationem alia ratione à priori. Poteſt affectus turpis procedere ex repræſentatione ſupernaturali boni, in quod afficitur, quin malitia affectus referatur in cognitionem ſupernaturalem. Ergo poteſt abſolute procedere. Nam ſola malitia, cuius cauſa eſſe non poteſt donum gratiæ, obeſſe proceſſioni poteſt. Antecedens probo: concurſus cognitionis ſecundum ſe eſt indifferens ad affectum honeſtum, & turpem, ac vitio voluntatis procedit turpis; nam indifferenter proponit bonitatem delectabilem, & malitiam moralem, quam ex vi talis propoſitionis ſicut amare, ita odiſſe poteſt voluntas, ſi velit: concurſus autem cognitionis in amorem obiecti totum conſiſtit in proponendo obiectum. At concurſus indifferens non conſtituit rem, cauſam ſpecialem turpitudinis potius, quam honeſtatis; quare Deus author malitiæ non eſt, quia eius concurſus paratur omnino indifferens. Ergo cognitio ſupernaturalis non erit cauſa malitiæ; quamuis illa prælucente delinquat voluntas, illa enim ignem, & aquam, bonum, & malum indifferenter proponit, & ſuo vitio voluntas ad malum porrigit manum. Confirmatur, ſi in cognitionem ſupernaturalem infuſam à Deo refunderetur malitia peccati, quod ex illa concipit voluntas, & inde reuocaretur in Deum ſpecialem authorem talis cognitionis, etiam refunderetur malitia in cognitionem naturalem, ex qua peccatum concipitur, & inde reuocaretur in Deum, qui talis cognitionis naturalis ſpecialis author eſſe poteſt. At malitia peccati non refunditur in cognitionem naturalem, & inde in Deum. Ergo neq; in cognitio-

Confirmatur.

Digitized by Google

nem ſupernaturalem, & Deum referri debet.

Obijcitur primo. 8. Obijcies primo, bonum delectabile media ſui propoſitione allicit, ac mouet voluntatem ad turpem ſui amorem. Ergo ſi ea propoſitio eſt ſupernaturalis, cognitio ſupernaturalis poteſt allicere, ac impellere voluntatem in turpem amorem, ac proinde eſſe cauſa moralis turpitudinis ipſius. Reſpondeo. (Occurritur) Bonum delectabile propoſitum etiam retrahit, ac remouet voluntatem ab amore, & prouocat, ac mouet ad odium, nam ſicut bonitas delectabilis motiua eſt amoris turpis, ita malitia diſſona rationi eſt motiua odij honeſti, & remotiua amoris turpis. Atque adeo motio eius cognitionis non eſt determinata, ſed indifferens, & ex vi illius æque poteſt odiſſe, ac amare obiectum, quod proponitur. At vrgebis, poteſt cognitio ſupernaturalis ſolam proponere bonitatem delectabilem abſque malitia, vt poteſt cognitio naturalis: talis enim bonitas ſeorſim à malitia cognoſcibilis eſt, & cognitio ſupernaturalis inadæquata obiecto poteſt vnam abſque alia proponere. At tunc determinate moueret ad amorem turpem, ſiquidem non cognita turpitudine obiecti non poſſet retrahere voluntatem ab illo. Ergo eo concurſu determinato fieret cognitio ſupernaturalis abſolute cauſa amoris turpis. Reſpondeo. Ea cognitio poſſibilis eſt, & voluntas poſſet ex illa amare bonitatem delectabilem. Tamen cognitio ſupernaturalis non moueret ad amorem turpem, qua moraliter turpis eſt, neque amor talis obiecti prout à tali cognitione eſſet moraliter turpis. Tum quia ab alia cognitione non eſſet amor obiecti moraliter liber, cum nulla indifferentia moralis per illam conſtituatur, & ſi alia non adijceretur cognitio, forte fieret amor neceſſarius abſque vlla malitia. Tum quia ex vi talis cognitionis non amatur turpitudo, quæ non cognoſcitur, & poſſet fieri amor honeſte, ſi adiungeretur cognitio erronea honeſtatis obiecti, vt poſſet adiungi, tunc enim amor obiecti delectabilis eſſet ſecundum ſe indifferens, & poſſet ex honeſto fine imperari per affectum honeſtum, quandoquidem ſola bonitas delectabilis ſeorſim à malitia obiectiua diſſona rationi non poteſt inficere amorem, ſed ſecundum ſe eſt indifferens, vt adiuncta cognitione malitiæ obiectiuæ ſit amor turpis, & adiuncta cognitione honeſtatis turpis non ſit. Addo, hoc argumentum inſtari poſſe in cogitatione naturali, quã Deus conferre poteſt nobis ſine nobis, cui cogitationi naturali ſi adſcriberetur malitia, poſſet quoque Deo ſimiliter adſcribi, cum ratio adſcribendi malitiam Deo vtrique cognitioni naturali, & ſupernaturali communis ſit.

Secunda obiectio. 9. Obijcies ſecundo, cognitio ſupernaturalis proponẽs indifferenter obiectum eſt cauſa actus honeſti, qua honeſtus eſt, quamuis ſecundum ſe ſit indifferens ad actum turpem, quare in illuſtrationes gratiæ tota refunditur honeſtas agendi. Ergo ſimiliter poſſet refundi malitia, ſi poſſet actus malus oriri ex illa, quamuis ſecundum ſe eſſet indifferens ad actum bonum. Reſpondeo. (Explicatur) Eſt hoc diſcrimen. Cognitio ſupernaturalis prælucens indifferenter voluntati ad actum honeſtum, & turpem ſuapte natura deſtinata eſt ad eliciendum libere actũ honeſtum, & deſerendum libere turpem: licet enim ſecundum ſe poſſit ſeruire voluntati agenti male: tamen ex ſe ordinatur, vt libere agat actum moraliter bonum, & quia ad libertatem, & moralitatem actus boni requiritur propoſitio obiecti turpis, & poteſtas amandi illius, adeò cum propoſitione honeſti, & facultate agẽdi affectum moraliter bonum, iungit propoſitionem turpis, & facultatem agendi affectum moraliter malum, ſemper tamen deſtinata ad liberum amorem bonum. Ideo itaque in illuſtrationem ſupernaturalem affectus moraliter bonus potius, quam malus refertur, quia deſtinatio ipſius in bonum potius, quam in malum determinata eſt, quare eius concurſus non eſt indifferens quoad intentionem innatam, licet indifferens ſit quoad exequutionem muneris. Item licet cognitionis ſupernaturalis propoſitio indifferens ſit, prælatio tamen propoſita per illam non eſt indifferens, ſed determinata. Quippe licet proponat bonum delectabile, quod poſſit amare voluntas, & turpe, quod odiſſe poteſt; tamen in actu exercito refert odium turpitudinis præferendum amori bonitatis delectabilis, quia turpitudinem refert nõ ſolum vt odibilem, ſed vt debitam odio haberi à creatura rationali, bonitatem delectabilem vero ſolum refert vt poſſibilem amari, non vt debitam amari à creatura rationali, quod ſufficit, vt odium turpitudinis moraliter bonum refundatur in illam potius, quam amor bonitatis delectabilis moraliter malus. Rurſus illuſtratio ſupernaturalis ex ſe poſtulat donari à Deo ex affectu honeſti, non ex affectu obiecti turpis, & ideo amor honeſti refertur in illam, prout gratioſo iſto affectu Dei donatam nobis. Hæc duo diſcrimina explicat ſimilitudo. Proponat quis alteri honeſtum, & turpe, quod proſequi poteſt, ſed probando honeſtum, & reprobando turpe, aut intendendo amorem liberum honeſti, non proſequutionem liberam obiecti turpis, licet alter, cui propoſitio fit, poſſet eligere amorem turpem, tamen proponens ex ſe potius amoris honeſti, quam turpis cauſa moralis cenſebitur. Idem igitur cenſendum eſt de propoſitione indifferenti facta per cognitionem ſupernaturalem. Denique obiectionem in arguentem torqueo. Cogitatio naturalis à Deo nobis conceſſa eſt cauſa amoris moraliter boni. Tamen ex ſe eſt indifferens ad vtrumque. Ergo cogitatio naturalis indifferens nobis diſpoſita à Deo erit cauſa delinquendi, licet eius concurſus determinatus non ſit ad delinquendum. (Retorquetur obiectio.)

10. Obijcies quarto, ſi affectus peccati poſſet ſequi ſolam propoſitionem ſupernaturalem obiecti, eſſet affectus peccati intrinſece ſupernaturalis. Hoc nefas eſt. Ergo. Probatur maior, quia affectus procedens à principio ſupernaturali ſupernaturalis eſt. (Tertia.) Reſpondeo. Si affectus procedat à principio ſupernaturali exigens tale principium, erit intrinſece ſupernaturalis, ſecus ſi tale principium prouideatur citra exigentiam, & connexionem ipſius, poſſit- (Diluitur.)

Digitized by Google

que affectus per ſe à principiis omnino naturalibus prodire. Talis autem eſt affectus peccati ſequutus immediate ſolam propoſitionem ſupernaturalem. Sed vrgebis; ſaltem actio, qua is affectus efficitur, debet eſſe eſſentialiter annexa principio ſupernaturali, vt affectus ſit actu pendens ab illo, quandoquidem ambo poſſunt exiſtere ſimul, quin detur dependentia alterius ab altero; atque adeo ſuperaddi debet actio ſpecialis, quæ tale principium eſſentialiter exigat, ſeu ſupponat. At actio libera talis affectus praui intrinſece eſt praua, quia ipſa eſt, quæ magis immediate, ac formaliter, quàm terminus libera eſt, atque prohibita. Ergo ſaltem actio intrinſece praua eſſet ſupernaturalis intrinſece. Reſpondeo. Propterea arbitratus ſum diſput. 48. num. 9. & diſp. 49. num. 41. non eſſe neceſſarias iſtas actiones ſpeciales eſſentialiter annexas principiis indifferentibus ad concurſum actualem, & eius otium, etiam cum ſimul exiſtit terminus, ne in euentu noſtræ diſputationis, & ſimilibus cogamur aſſerere actiones intrinſece malas, intrinſece ſupernaturales. Quod adeo male implicauit recentiores, vt ab eo ſe explicare nequiuerint, niſi admittendo palàm actiones intrinſece malas in genere moris, & ſimul intrinſece ſupernaturales, quod indignum reputo à bono Theologo doceri. Quo modo autem ea dependentia actualis affectus peccati à cogitatione ſupernaturali, & actus imperati ab imperante, & ſimiles explicari poſſint abſque ſpeciali actione, vidimus diſput. 48. & videbimus rurſus diſput. 67.

DISP. QVINQVAGESIMAOCTAVA.

AN COGNITIO SVPERNATVRALIS POSSIT eſſe falſa ex natura rei?

Contro-uerſia. 1. POno, veritatem, & falſitatem non eſſe eſſentialem omni cognitioni; oſtendimus enim in dialectica, plures cogitationes naturales ita eſſe veras, vt potuerint eſſe falſæ, & plures ita falſas, vt potuerint eſſe veræ. Igitur quærimus in præſenti, an eiuſmodi ſint, aut potuerint eſſe cognitiones ſupernaturales. Affirmareque videntur, qui aſſerunt, prudentiæ infuſæ poſſe ſubeſſe falſum, cum dictat amandum obiectum, quod apparet honeſtum, & reuera prohibitum eſt, taleque obiectum, abſque culpa voluntatis amatur, & per affectum ſupernaturalem, qui dictamen prudentiæ infuſæ ſupponit. Ita cenſuiſſe aliquos refert P. Torres 2.2.diſp.3.dub.3. P. Iannerus tom. 3.diſp.3.q.2.num.23. & plures alij. Etiam videtur affirmare Maior in 2. diſt. 23. queſt. 10. aſſerens eum, qui aſſentitur reuelationi Dei non exiſtenti vere, propoſitæ tamen prudenter credibili, elicere aſſenſum ex habitu infuſo fidei, eiuſdem ſubſtantiæ cum eo, qui reuelationi vere exiſtenti præbet aſſenſum, quamquam non ſit vocandus aſſenſus fidei diuinæ, quia reuera reuelatio non exiſtit. Quod videtur etiam ſentire Scotus in 3. diſt. 23. qu. vnic. §. *contra hoc vltimum ſic.*

Qui affir-mant.

P. Torres. P. Iannerus. Maior. Scotus.

Negans ſententia vera eſt. 2. Communis tamen Theologorum conceptio eſt, cognitionem ſupernaturalem ſuapte natura eſſe veram, & eo ipſo quòd aſſenſus ſupernaturalis eſt, ſupponere non eſſe falſam. Ideo huic doctrinę ſubſcribo. Primumque probo à priori ex præſtantia ſupernaturalitatis; quę ſicut naturam cognitionis euehit ſupra conditionem cognitionis naturalis, ita eius proprietates celſiores arguit. Prima autem, eaque potiſſima perfectio cognitionis eſt veritas, ſummaque, & poſtrema imperfectio, falſitas. Ergo omnis cognitio ſupernaturalis ſuapte natura eſt vera.

Primo à priori.

2. Etiam à priori ex conceptu virtutis intellectualis, quæ teſte Ariſt. 6. Ethicor. cap. 2. & 3. ſemper verum attingit, ideoque opinionem à choro virtutum relegat, quia ſuapte natura falſitati ſubiecta eſt, vt docet 1. poſterior. cap. 23. quem hac in re omnes Theologi ſequuntur. Etenim omnis cognitio ſupernaturalis actus eſt virtutis intellectualis perficientis intellectum; ergo ſuapte natura affixus eſt vero. Nam ſi falſitati ſubeſt, neque intellectus perfectio eſt, prout requiritur ad intellectualem virtutem, neque ab opinione differt, vt inter virtutes intellectuales collocetur. Secundo etiam à priori. 3. Quia actus fidei ex natura rei non poteſt fieri falſus, non ſolum circa myſterium reuelatum ſuppoſita reuelatione Dei, verùm neque circa reuelationem ſupponendo illam, quæ reuera non eſt. Tertio. Nam ſi quæ cognitio poſſet eſſe obnoxia falſitati, maxime videtur eſſe cognitio obſcura, & elicita ſpeciebus naturalibus, ſubiectaque imperio voluntatis humanæ, & à deceptione phantaſmatum dependens. Antecedens probatur; quia actus fidei ſupernaturalis ſuapte natura eſt certus. Actus autem certus eſt, qui ſuapte natura ſcopum attingit, & à vero aberrare non poteſt, vt docui in lib. de anima. Item Trident. ſeſſ. 6. cap. 9. ait, certitudinem fidei eſſe, cui falſum ſubeſſe non poteſt. Accedit, nullum occurrere, neque opponi actum, qui cognitionem ſupernaturalem ab hac perfectione neceſſario attingendi verum deturbet; vt explicatione argumentorum confirmabimus, & illuſtrant P. Suarez 2.2.diſput.3.ſect. 13. & diſp. 6. ſect. 5. P. Conninck diſput. 10. dub. 4. & P. Torres diſp. 3. dub. 3. P Suarez. P. Conninck P Torres.

3. Obijcies primo; cognitio deducta ex vna ſupernaturali, & alia naturali probabili eſt ſupernaturalis. Aliunde ſubiecta falſitati, quia Eneruitur prima obiectio.

Digitized by Google

ſolum eſt probabilis. Ergo poteſt cognitio ſupernaturalis eſſe ſubiecta falſitati. Nego maiorem, vt ſatis conſtat ex diſp. 55. Etenim, vt concluſio deducta ex principio ſupernaturali ſit intrinſece ſupernaturalis, requiritur, vt exigat intrinſece tale principium, & ex ſe indifferens non ſit, vt à ſimili principio naturali procedat, hoc eſt, à præmiſſa obſcura naturali aſſentiente eidem obiecto, cui aſſentitur ſupernaturalis, ex quo talis connexio colligitur. Cum autem cognitio colligitur falſitati ſubiecta ex aſſenſu ſupernaturali, ſecundum ſe indifferens eſt, vt ex aſſenſu naturali eiuſdem obiecti colligeretur; ſicut amor naturalis, qui prælucente cognitione ſupernaturali elicitur à voluntate, poterat ex naturali eiuſdem obiecti cognitione procedere.

Iterum ſecunda.

4. Obijcies 2. affectus ſupernaturalis piæ affectionis ſolum imperat aſſenſum ſupernaturalem fidei. Sed ex natura rei poteſt interdum imperare aſſenſum erroneum, cum homini ſufficienter proponitur credenda reuelatio ſolum apparens, de quo diximus diſp. 45. num. 25. & diſp. 48. num. 2. Ergo poteſt aſſenſus ſupernaturalis eſſe falſus. Nego item maiorem; quia affectus non ſumit ſuam perfectionem ab obiecto reuera exiſtenti, ſed ſolùm apprehenſo, ideoque poteſt exerceri honeſtus, & ſupernaturalis affectus piæ affectionis, etiamſi reuelatio reuera non ſit, ſed tantum appareat luce ſufficienti, vt prudenter iudicetur adeſſe. Aſſenſus autem ſumit ſuam veritatem, ac perfectionem ab obiecto re vera exiſtenti, atque adeo, cum re vera non exiſtit, non fiet aſſenſus ſupernaturalis, ſed naturalis etiam imperante affectu ſupernaturali.

Tertia.

5. Obijcies 3. ſi quis per actum fidei affirmaret, Chriſtum naſciturum ante horam natiuitatis Chriſti, & permanens in eo aſſenſu naſceretur Chriſtus; aſſenſus ille primo verus redderetur poſtea falſus. Ergo aſſenſus ſupernaturalis fidei poteſt eſſe falſus. Reſpondeo. Aſſenſus ſupernaturalis fidei non poterat affirmare naſciturum Chriſtum poſt horam natiuitatis Chriſti, ſed naſciturũ poſt factam reuelationẽ de natiuitate Chriſti futura: ſemper autẽ eſt verum, Chriſtum naſciturum poſt factam reuelationẽ de natiuitate Chriſti futura, etiamſi aſſenſus fidei eliciatur poſt natiuitatem iam præteritam. De quo diximus ſatis in dialectica.

Quarta.

6. Obijcies 4. cognitio iudicans ineſſe miſeriam pauperi illam ſimulanti eſt falſa. Tamen eſt ſupernaturalis, cum reguletur immediate affectum miſericordiæ ſupernaturalem. Ergo cognitio ſupernaturalis poteſt eſſe falſa.

P. Torres. P. Conninck

Pater Torres, & P. Conninck cum pluribus alijs admittunt, eius miſeriæ cognitionem naturalem quidem eſſe, & falſam, quia non ipſa; ſed cognitio practica prudentiæ, quæ eam cognitionem ſpeculatiuam ſupponit, regulatur immediate affectum miſericordiæ. Cognitio autem practica prudentiæ etiam in eo euentu vera eſt. Sed contra; cognitio practica prudentiæ ſolum habet pro obiecto exiſtentiam affectus miſericordiæ, quippe ſolum dictat expedire hic, & nunc eum actum operari; affectus autem miſericordiæ ſupernaturalis præter dictamen ſupernaturale prudentiæ deſiderat neceſſario, ac per ſe cognitionem ſupernaturalem ſui obiecti, nempe miſeriæ alienæ ſubleuandæ, quam repræſentat cognitio ſpeculatiua, quæ ab his Doctoribus datur falſa, vt oſtendemus diſp. 62. Ergo cognitio ſpeculatiua falſa immediate concurrens ad affectum ſupernaturalem miſericordiæ eſt ſupernaturalis. Propterea dicendum exiſtimo, affectum ſupernaturalem miſericordiæ in eo euentu ſolum procedere ex aſſenſu intellectus iudicante adeſſe in eo paupere miſeriam apparentem, quod verum eſt; aut ex ſola apprehenſione miſeriæ veræ, quæ non poteſt eſſe abſolute falſa, vt docuimus diſputatione 49. num. 38. & iterum diſputatione 62.

7. Obijcies quintò. Poteſt componi ſupernaturalitas cum falſitate cognitionis. Ergo non implicat cognitio ſupernaturalis ſuapte natura falſa. Probatur antecedens; poteſt cognitio falſa habere connexionem cum gratia ſanctificanti, quia poteſt exiſtens falſa conducere per ſe ad affectum ſupernaturalem virtutis vt nuper obijciebatur. Ergo. Reſpondeo; quamuis falſitas connaturalis actui non opponatur conceptui primario ſupernaturalitatis directæ; tamen opponitur indirecte, quatenus opponitur conceptui ſecundario, qui neceſſario ſequitur primarium, videlicet veritati formali, quæ vt proprietas ſequitur neceſſario eſſentiam cognitionis ſupernaturalis, vt contendit noſtra aſſertio. Quinta.

8. Obijcies denique. Affectus ſupernaturalis poteſt fieri ex natura rei malus, vt oſtendimus diſp. 50. Ergo & aſſenſus ſupernaturalis falſus. Nam magis repugnat ſupernaturalitati, & gratiæ Dei malitia, quàm falſitas. Reſpondeo. Affectus ſupernaturalis ex natura rei non poteſt fieri malus, niſi extrinſece, mediate, & indirecte, ab alio actu imperante ipſum, in quo immediate, & intrinſece tota malitia reſideat; & in affectu ſupernaturali ſolùm extrinſecè, atque mediate ratione malitiæ actus imperantis. At aſſenſus non poteſt eſſe falſus indirecte, & extrinſece à falſitate alterius aſſenſus; tum quia inter actus intellectus non eſt imperium; tum quia bonitas, & malitia moralis ſumitur per conuenientiam, & diſconuenientiam cum natura rationali, veritas vero, ac falſitas per conformitatem, vel difformitatem actus cum obiecto; conformitas autem, & difformitas cognitionis cum obiecto non poteſt pendere ex influxu alterius cognitionis in illam, ſicut pendere poteſt conuenientia, & diſconuenientia cum natura ipſa rationali operante actum. Itaque actus ſupernaturalis voluntatis poteſt eſſe malus, quin ipſe in ſe malus ſit, ſed alius, à quo pendet, at vero actus ſupernaturalis intellectus non poteſt eſſe falſus, quin ipſe in ſe directe, & immediate ſit falſus ſeorſim ab omni alio actu. Hoc autẽ ex natura rei repugnat aſſenſui ſupernaturali, ſicut affectui ſupernaturali repugnat ex natura rei malitia immediata, intrinſeca, & directa. De quo iterum diſputatione ſequenti. Sexta.

Digitized by Google

DISP. QVINQVAGESIMANONA.

AN COGNITIO SVPERNATVRALIS POSSIT eſſe falſa poteſtate abſoluta Dei?

1. IN hac diſputatione non eſt animus quidquam affirmare, aut negare; ſed ſolùm oſtendere, difficultatem iſtam, nullibi ante noſtras diſputationes expenſam indigere Theologorum labore, atque luce; ſtudioque noſtro in partem affirmantem collató, (ſolum vt appareat difficultas rei, & dubitandi, atque dimicandi ratio) præſtantius aliorum ſtudium in negantem partem prouocare. Quod iam obtinuiſſe gaudeo. Nam cum anno 1624. in noſtro Collegio Salmanticenſi hanc diſputationem meis diſcipulis dictaſſem, commagiſtro eorundem tunc P. Hurtado meo magiſtro. Ecce iam P. Hurtadus anno 1631. ſuo volumine de fide, diſputatione 19. P.Hurtadus ſectione 5. ſtrenue pro ſententia negante patrocinium ſuſcepit, & argumentis à me obiectis perdocte ſatisfacere conatus eſt. Quod vt & alij præſtent, & ſic firmius conſiſtat veritas omnino eſſentialis cognitionis ſupernaturalis, iterum argumenta obijciam, & ſolutiones Patris Hurtado breuiter expendam.

SECTIONES.

1. *Momenta ſententiæ affirmantis.*
2. *Vlterior probatio ſententiæ affirmantis.*
3. *Poſtrema probatio ex ſolutione argumentorum.*
4. *Argumenta P. Hurtado diſſoluo.*
5. *Examinatur cenſura ſententiæ affirmantis.*

SECTIO PRIMA.

Momenta ſententiæ affirmantis.

2. POſſe diuinitus cognitionem ſupernaturalem exiſtere falſam, procul dubio tuentur, qui eam ex natura rei falſam admittunt relati diſput. præterita num. 1. Item à
Affirmant. Petrus de Aliaco. Adamus. Godamus. Gabriel. Almainus. fortiori qui reuelationem Dei non veram poſſibilem arbitrantur, Cardinalis Petrus de Aliaco in 1. qu. 2. dub. 3. ſolut. ad 4. Adamus Godamus in 3. diſt. 14. qu. 4. art. 2. Gabriel in 3. diſt. 12. litt. D. & clarius diſt. 38. litt. G. & Almainus in moral. cap. 7. Neque longe abſunt Theologi, quos recenſuimus diſp. 50. num. 3. aſſerentes, poſſe affectum ſupernaturalem eſſe vitioſum. Vitium enim, & malitia moralis non minus opponitur cum ſupernaturalitate actus, & gratia diuina, quàm falſitas cognitionis, vt expendemus num. 5. Item P. Vaſquez 1. 2. P. Vaſquez. P. Torres. diſp. 186. num. 27. aſſerens, errorem conferentem in actum moraliter bonum eſſe gratiam ſpecialem per Chriſtum. Necnon, qui docent, à Deo infundi poſſe errorem intellectui creato, & eius ſpecialem authorem eſſe, vt tuentur P. Vaſquez 1. 2. diſp. 90. num. 11. & 12. & 3. p. diſput. 61. num. 59. & P. Torres 2. 2. diſputat. 3. dub. 4. & alij plures ab ipſo relati.

3. Probatur primò à priori. Falſitas conueniens diuinitus cognitioni componitur cum conceptu primario, & ſecundario cognitionis ſupernaturalis. Ergo non implicat cognitio ſupernaturalis diuinitus falſa. Probatur antecedens. Vt cognitio ſupernaturalis generice ſumpta differat primario à cognitione naturali, ſufficit connexio ex natura rei cum gratia ſanctificanti, quæ, vt vidimus diſput. 4 conſtituit conceptum primarium ſupernaturalitatis; vt autem differat ſecundario ſufficit connexio ex natura rei cum veritate obiecti, quoniam nulla cognitio naturalis ſecundum rationem genericam habet connexionem ex natura rei cum gratia ſanctificanti, aut cum veritate obiecti, quod repræſentat. Ergo poteſt componi falſitas ſolum diuinitus conueniens cum ſupernaturalitate actus. Prima probatio à priori.

Digitized by Google

P. Hurtadi reſponſio.

4. Reſpondet P. Hurtadus, repugnare falſitatem ſupernaturalitati, quia de ratione cognitionis ſupernaturalis eſt eleuari potentiam ad aſſequendum ſuum finem. Hoc autem habere non poteſt abſque infallibilitate; quia referre obiectum cum fallibilitate commune eſt cognitioni naturali. Sed contra. Aut loquitur de aſſequutione finis extrinſeci, & vltimi, qui eſt ſalus æterna; aut de aſſequutione finis intrinſeci, qui eſt veritas obiecti, ſi differat de aſſequutione finis extrinſeci; poteſt cognitio ſupernaturalis, quamuis falſa in eum finem conferre, quia poteſt voluntatem mouere ad amorem intrinſece ſupernaturalem, qui non exigit ad ſui bonitatem obiectum realiter exiſtens, ſed apparens; quare ipſe P. Hurtadus admittit eſſe poſſe affectum ſupernaturalem piæ affectionis in reuelationem Dei vere non exiſtentem, cum proponitur prudenter credibilis. Si differat de aſſequutione finis intrinſeci; certe vt cognitio ſupernaturalis in genere differat à genere cognitionis naturalis, ſufficit ſola connexio naturalis cum obiecto vere exiſteti, quin ſit neceſſaria connexio eſſentialis, quæ nec diuinitus poſſit deficere à vero: nam cognitio naturalis in genere non eſt ex natura rei ſemper vera, & cum obiecto exiſtenti connexa; ſupernaturalis vero ex natura rei ſemper vera eſt, & cum obiecto, provt ab ipſo refertur, connexa. Ergo nullo fundamento aſſeritur, ſupernaturalitatem ex ſpo conceptu exigere connexionem eſſentialem cum obiecto, & non ſufficere naturalem.

Diſplicet.

Secunda probatio.

5. 2. Sic arguo. Vt vidimus diſp. 50. poteſt affectus ſupernaturalis eſſe vitioſus. Ergo etiam poterit aſſenſus ſupernaturalis fieri falſus. Patet conſequentia; quia non minus pugnat cum gratia auxiliante Dei, & ſupernaturalitate actus malitia, quàm falſitas; nam catholice dici non poteſt, Deum eſſe cauſam malitiæ; poteſt autem, & dicitur à pluribus catholicis eſſe cauſam ſpecialem erroris. Reſpondet 1. P. Hurtadus, hoc argumento conuinci cognitionem ſupernaturalem etiam ex natura rei poſſe admittere falſitatem, quia affectus voluntatis ſupernaturalis etiam ex natura rei poteſt vitiari. Sed hanc obiectionem ſic ibidem præoccupaui. Affectus ſupernaturalis dupliciter poteſt fieri vitioſus; primò indirecte, mediate, ac omnino extrinſece à malitia actus naturalis ipſum imperantis. Secundo directe, immediate, & quaſi intrinſece à prohibitione directa ipſius affectus ſupernaturalis, independenter à malitia actus naturalis. Primo modo ex natura rei poteſt vitiari, quia ea malitia non tam eſt in affectu ſupernaturali imperato, quàm in affectu naturali imperante. Secundo modo ſolum poteſt eſſe vitioſus poteſtate abſoluta Dei, quia iuxta prouidentiam ordinariam, & honeſtatem intrinſecam affectus ſupernaturalis, non poteſt directe prohiberi à Deo. Nunc ſic argumentor. Affectus ſupernaturalis directe, & immediate, ſolum diuinitus poteſt eſſe falſus. Sed aſſenſus nullatenus poteſt eſſe falſus, niſi immediate, ac directe; nam vnus aſſenſus non habet falſitatem per denominationem ab alio, ſicut habet malitiam affectus voluntatis, vt dicebamus diſp. præced. nu. 8. Ergo ſolum diuinitus poteſt aſſenſus ſupernaturalis falſitatem admittere. Huic redargutioni reſpondet tacite P. Hurtado, repugnare prohibitionem actus ſupernaturalis. Verum nobis nunc ſufficit, conſequentiam dari bonam; quoniam antecedens eſſe verum vidimus diſputat. 50. cum pluribus Theologis, vbi argumenta Patris Hurtado diligenter examinauimus.

Primum effugium P. Hurtadi.

Præcluditur.

Aliud eiuſdem effugium.

6. Ait 2. conſequentiam non eſſe legitimam; quoniam malitia affectus non tollit intrinſecam perfectionem affectus ſupernaturalis, ſicut tollit falſitas perfectionem intrinſecam aſſenſus; tum quia malitia poteſt prouenire ab extrinſeco actu, falſitas vero niſi ab intrinſeco conuenire non poteſt; tum quia affectus poteſt eſſe malus ab obiecto non amato per ipſum, falſus vero repugnat, niſi ab obiecto cognito. Sed redarguitur hæc reſponſio ex principio nuper poſito, videlicet affectum ſupernaturalem iuxta probabilem Theologorum ſententiam, cui nos ſuffragium dedimus diſp. 50. ſect. 8. & 10. non ſolum poſſe vitiari mediate, quia ab alio actu antecedenti malo refertur in finem malum, verùm etiam immediate, quia ipſe immediate à Deo pro ſuo libito prohibitus fieri poteſt, contra prohibitionem Dei. Tunc enim non malitia extrinſeca alterius actus, ſed malitia ſibi immediate inhærenti, ſeorſim ab alio actu, malus eſt; non ſolum ab obiecto amato per alium actum, ſed etiam ab obiecto ſibi prohibito, & amato prohibitus eſt. Ergo ſuppoſita ea opinione probabili Theologorum non erit improbabile, aſſenſum ſupernaturalem intellectus eſſe ſimiliter falſum ex defectu obiecti, quod refert.

Occupatur.

Tertia probatio.

7. 3. Sic arguo. Nulla creatura poteſt eſse eſsentialiter immortalis, & quæ ſemel exiſtens non poſſit poteſtate abſoluta Dei ad nihilum redire. At ſi cognitio ſupernaturalis non poſſet diuinitus fieri falſa, eſset creatura eſsentialiter immortalis, & quæ ſemel exiſtens non poſſet poteſtate abſoluta Dei ad nihilum redire. Ergo poteſt cognitio ſupernaturalis eſse diuinitus falſa. Conſequentia eſt legitima. Maior eſt communis ſententia Theologorum, ac Patrum. De qua vide P. Suarez lib. 1. de Angelis cap. 9. num. 5. vbi ait, eſse de fide, omnem creaturam poſse interire poteſtate abſoluta Dei, P. Vaſquez 1. p. diſp. 182. num. 7. & P. Iannerum 1. p. d. 5. qu. 1. nu. 15. aſserentes, erroris notam mereri ſententiam, quæ tueatur, eſse poſse quidpiam creatum immortale, & incorruptibile per poteſtatem abſolutam Dei. Probatur minor. Si beatus cognoſcat ſuam beatitudinem exſtituram in æternum; ea cognitio eſsentialiter exiſteret in æternum, quin vlla poteſtate poſset ad nihilum redire. Nam per te illa cognitio nulla poteſtate Dei poteſt reddi falſa. Ergo in ſenſu compoſito, primæ exiſtentiæ non poteſt vſquam amittere exiſtentiam; nam ſi poſset componi prior exiſtentia cum poſteriori deſtructione, poſset etiam componi exiſtentia cognitionis ſupernaturalis cum falſitate formali, ſiquidem primo exiſtens aſsereret

P. Suarez.

P. Vaſquez.

P. Iannerus

Digitized by Google

durationem æternam, quæ non eſſet. Ergo nulla poteſtate Dei poſſet ea cognitio ſemel exiſtens ad nihilum redire. Confirmatur; nulla creatura poteſt eſſe eſſentialiter æterna à parte ante, & à parte poſt, quin vlla poteſtate Dei poſſit exiſtere, niſi ab æterno, & in æternum. At ſi cognitioni ſupernaturali de obiecto contingenti non poſſet diuinitus ſubeſſe falſum, eſſet cognitio creata eſſentialiter æterna à parte ante, & à parte poſt. Ergo cognitioni ſupernaturali poteſt ſubeſſe falſum. Maior catholice negari non poteſt. Minor conſtat in cognitione ſupernaturali exiſtenti ab æterno, & repræſentanti ſuam durationem æternam à parte ante, & à parte poſt; quam poſſibilẽ eſſe pono ex philoſophia probabili plurium philoſophorum, quã & ego probaui lib. 8. phyſicorum.

Euaſio.

8. Dices, hanc impotentiam non eſſe antecedentem, ſed conſequentem decretum Dei, quia Deus creans eiuſmodi creaturam, ſimul decernit eius durationem ęternam. Sed contra. Deus conferens talem viſionem ſic decerneret eius durationem æternã, vt nulla poteſtate poſſet aliter decernere de duratione eius creaturæ.

Reſpuitur.

Ergo impotentia nõ tam oritur ex decreto Dei, quàm ex repugnãtia intrinſeca creaturæ; atque ideo creatura non habet ab extrinſeca volũtate Dei, quod ſit ęterna, ſed ab intrinſeca ipſius natura; nec Deus habet ex ſolo decreto ſuę volũtatis exiſtenti nõ poſſe aliter de creatura decernere, ſed ex prædicatis intrinſecis creaturæ antecedentibus exiſtentiam decreti. Explicatur.

Explicatur doctrina.

Cognitio repræſentans illam creaturam ſecundum prędicata intrinſeca antecedit decretum Dei actu exiſtens de productione creaturę. Sed impotentia aliter decernendi de illa creatura oritur ex cognitione repræſentante creaturam ſecundum prædicata intrinſeca creaturæ. Ergo impotentia oritur ex ſuppoſitione antecedenti decretum Dei. Probo minorem; ſcientia ſimplicis intelligentiæ diuinæ antecedens decretum actuale de exiſtentia talis viſionis refert duo prædicata eſſentialia viſionis, repugnantia decreto deſtruendi exiſtentiam illius; alterum eſt, repræſentatio durationis æternæ, quæ viſioni eſſentialis eſt, cum per ſe ipſam, & non per aliquid ab ipſa diſtinctum reprǽſentet formaliter talem durationem; alterum eſt veritas, & connexio tranſcendens cum exiſtentia ſui obiecti, quæ per te etiam eſt eſſentialis viſioni. Hęc duo prædicata repugnant eſſentialiter decreto deſtruendi exiſtentiam ſemel conceſſam; nam decretum deſtruendi exiſtentiam ſemel cõceſſam incompoſſibile eſt cum duratione ęterna viſionis, cum qua illa viſio eſſentialiter connexa eſt ratione repræſentationis eſſentialiter veræ, qua talem durationem exprimit. Ergo ſcientia ſimplicis intelligentiæ diuinæ antecedens decretũ actuale exiſtentiæ ipſius refert prędicata eſſentialia viſionis, repugnantia decreto deſtruendi illam. At ex vi huius ſcientiæ neceſſariæ Deo, & antecedentis decretum exiſtentiæ viſionis eſt impotens Deus decernere deſtructionẽ illius. Ergo eſt impotens impotentia antecedenti, &

Rurſus explicatur.

non conſequenti. Explicatur vlterius. Si quis aſſereret, naturam Angelicam adeo eſſe perfectam; vt ratione ſuæ excellentiæ eſſentialis exigeret vt non poſſet Deus decernere exiſtentiã Angeli, quin ſimul decerneret æternã eius durationem, itavt repugnaret diuidere decretum exiſtentiæ, à decreto durationis æternæ repugnante decreto deſtructionis; eo ipſo aſſereret, Angelum eſſe ſuapte eſſentia incorruptibilem, & immortalem, quin poſſet poteſtate abſoluta, & antecedenti Dei ſemel exiſtens ad nihilum redigi, tuereturque ſententiam cõmuni Theologorum aduerſantem, quam temerariam, & erroneam cenſent P. Suarez, P. Vaſquez, & P. Iannerus relati num. 7. quamuis ea impotentia oriretur ex decreto æternæ durationis Angelicæ, ſcilicet, quia tale decretũ ſuppoſita exiſtentia Angeli adſtruitur neceſſarium Deo, & tollitur poteſtas aliter decernendi, ac per cõſequens dominium aufferendi exiſtentiam ſemel conceſſam. Ergo ſimiliter aſſeritur viſio beata eſſentialiter immortalis, & poteſtate abſoluta antecedenti Dei omnino incorruptibilis. Nam ſi ratione ſuæ perfectionis viſio ſupernaturalis poteſt exigere decretum exiſtentiæ poteſtate abſoluta Dei indiuiſibile à decreto durationis æternæ, quin obſtet dominio, & poteſtati abſolutæ Dei ad deſtruendum exiſtentiam ipſius; ſimiliter poſſet quis, idem tueri impune de natura Angelica ratione excellentiæ ſui eſſe, quin vllam erroris, aut temeritatis notam incurreret. Ne igitur hæc ſententia omnibus Theologis, & Patribus repugnans libere in ſcholas inuehatur, aſſerendũ videtur, quamcumque viſionem ſupernaturalem, quamuis exiſtentem non repugnare diuinitus deſtructioni per abſolutam potentiam Dei; atque adeo eſſe diuinitus fallibilem.

P. Suarez. P. Vaſquez. P. Iannerus.

9. Huic argumento reſpondet primo P. Hurtadus, terminos implicari; quia ſupponit decretum efficax æternæ viſionis, & eo ſuppoſito oſtendit, poſſe viſionem æternitate priuari; nam viſio non poteſt referre durationem æternam ſui eſſe, quin ſupponatur decretum efficax Dei de illa. Ergo componere viſionem ſic referentem cum deſtructione eſt duo implicantia coniungere; nam implicantia ſunt decretum efficax conſeruandi viſionem ęternam, & decretum efficax deſtruendi illam. Sed hæc reſponſio lata ęſt, aut quia argumentum non eſt ſatis explicatum, aut quia non eſt ſatis intellectum. Lucem illi demus, & reſponſionem diſpellemus. Argumentum contendit, viſionem referentem durationem æternam ſui ſupponere connaturaliter decretum efficax durationis æternæ, non vero ſupponere eſſentialiter, itavt poteſtati abſolutæ Dei repugnet illam exiſtere, quin decretum æternæ durationis ſupponat; vt ea ratione connaturaliter vera ſit, & infallibilis, non vero eſſentialiter inſpecta poteſtate abſoluta Dei. Quod ſic probamus. Si viſio referens eſſentialiter durationem æternam ſui ſupponeret eſſentialiter decretum talis durationis, referreque non poſſet etiam diuinitus decretum re ipſa non exiſtens, talis viſio eſſet eſſentialiter incorruptibilis, itavt poteſtati abſolutæ, & antecedenti Dei repugnaret illam ſemel exiſtentem deſtruere. At hoc aduer-

Occurrit P. Hurtadus.

Refellitur.

Digitized by Google

cuius viſio eſt, vt tenentur plures philoſophi, inter quos vide Patres Conimbricenſes 2. de anima cap. 6. q. 3. art. 1. [PP. Conimbricenſes.] Alterum, cognitionem ſupernaturalem non eſſe eius excellentiæ, vt ratione ſupernaturalitatis non poſſit poteſtas abſoluta Dei, & dominium, quo creaturis vtitur, denegare plura, quæ eius excellentiæ, atque exigentiæ conſentanea ſunt. Nam amor ſupernaturalis, cui debetur ratione ſupernaturalitatis cognitio ſupernaturalis, poteſt diuinitus procedere ex cognitione naturali, vt ſtatuimus diſp. 49. num. 18. gratia iuſtificans, cui debetur plurium iudicio remiſſio peccati, diuinitus poteſt componi cum peccato: vnio hypoſtatica, cui debita eſt viſio beata, poteſt poteſtate abſoluta Dei à viſione beata ſeparari, & ſic aliis entibus ſupernaturalibus poteſt abſoluta potentia Dei, denegare plura, quæ ratione ſuæ excellentiæ expoſcunt. Ergo etiam cognitioni ſupernaturali poteſt Deus ſua abſoluta poteſtate auferre exiſtentiam obiecti, quam expoſcit, & formaliter repræſentat. Nam nullo alio titulo poteſt ſupernaturalis cognitio annecti eſſentialiter exiſtentiæ obiecti, niſi & quia ipſa eſt obiectum formale connaturale cognitionis ſupernaturalis, & quia ipſa ratione ſupernaturalitatis, ei connaturaliter debita eſt. Hæc ratio amplius explicabitur, cum eneruemus argumenta Patris Hurtado.

[Reſponſio P. Hurtadi.] 14. Reſpondet P. Hurtadus, cognitionem ſupernaturalem ratione ſupernaturalitatis, reſpicere tanquam obiectum formale exiſtentiam obiecti, vt exercitam, non vt abſtrahentem ab eſſe exercito, & ab eſſe apparenti; quia alias etiam ex natura rei poſſet cognitio ſupernaturalis fieri falſa; cum ex natura rei poſſit obiectum ipſius non exiſtens apparere verum; at vero cognitionem naturalem non reſpicere tanquam obiectum formale exiſtentiam obiecti, vt exercitam. [Reijcitur.] Sed contra. Viſio ſenſitiua obiectum formale connaturale reſpicit colorem vt exercitum; nam niſi exercitus color non poteſt connaturaliter obijci viſioni ſenſitiuæ. Tamen diuinitus poteſt obijci, quamuis re ipſa exercitus non ſit. Ergo ſimiliter poterit obijci cognitioni ſupernaturali. Vrgeo, poteſt eſſe viſio ſenſitiua intrinſece ſupernaturalis vt diſp. 44. ſect. 10. probatum reliquimus. Hæc viſio ſupernaturalis eâdem ratione poteſt retineri diuinitus in abſentia obiecti, ſicut viſio naturalis, quamuis color eodem modo exiſtens eius obiectum ſit. Ergo nullum eſt hac in re inter cognitionem naturalem, & ſupernaturalem diſcrimen. Rurſus quid eſt obiectum formale cognitionis ſupernaturalis eſſe exiſtentiam vt exercitam? ſi vis, ipſum exercitium exiſtentiæ, prout diſtinctum ab eſſe poſſibili obijci cognitioni, per illamque referri, id commune eſt cognitioni euidenti naturali experimenti exiſtentiam rei. Si vis, præter eſſe obiectam, & expreſſam exiſtentiam, requiri, vt reipſa, ac vere exiſtat, vt poſſit per cognitionem ſupernaturalẽ exprimi. Certe concluſione reſpõdes. Nam de hoc quæſtio eſt; an cognitio ſupernaturalis poſſit diuinitus exprimere exiſtentiam obiecti, quin reipſa exiſtat, ſicut poteſt cognitio euidens naturalis. Ergo minime ſolutione ſatisfacis. Iterum de hoc ad argumenta P. Hurtadi.

15. Quinto non leuis probatio eſt. [Quinta probatio.] Probabile eſt, Deum ſe ſolo poſſe infundere errorem intellectui. Ergo etiam poſſe cognitionem intrinſece ſupernaturalem eſſe erroneam. Antecedens admittũt P. Vaſquez, & P. Torres relati n. 2. cum pluribus aliis. [P. Vaſquez. P. Torres.] Quia error eſt malum phyſicum, & non morale, quod Deus poteſt intendere efficaciter, aut in pœnam alicuius peccati, aut in medium alicuius conuerſionis, quæ interdum ab errore intellectus dependet. [Antecedens oſtenditur.] Nec inde ſequitur quidquam contra veracitatẽ Dei; Quandoquidem Deus, infundens errorem non loquitur falſum, quod ſolum veracitati repugnat, vt tr. de fide communiter exponitur. Verum quidem eſt, fore aliquomodo cauſam, cur homo loquatur falſum. Cæterum hoc non repugnat veracitati diuinæ; veracitati enim ſolum repugnat, aut ipſum Deum mentiri, aut cauſam eſſe, cur alius mentiatur; ſicut repugnat ſanctitati, aut ipſum peccare, aut cauſam eſſe cur alius peccet. At poteſt Deus infundere errorem, quin neque ipſe mentiatur, neque cauſa ſit, cur mentiatur homo; mentiri enim tantum eſt falſum loqui, cum putatur verum. Si vero is, cui error infunditur, deprehendit ſuæ notitiæ falſitatem, non erit Deus cauſa, vt poſtea illud tanquam verum aliis prodat. Quo præoccupatur obiectio Patris Conninck 2. 2. diſp. 10. nu. 28. ſentientis non poſſe Deum eſſe cauſam ſpecialem erroris. [P. Conninck.]

16. Iam conſequentiam oſtendamus. [Item conſequentia.] In mea, & plurium philoſophorum ſententia non diſtinguentium actum vitalem ab actione eductiua, qua à ſubiecto pẽdet, facilis eſt probatio. Nam error à ſolo Deo infuſus intellectui quoad entitatẽ ſuperaret omnes vires naturæ; quippe cum actio illa eſſentialiter penderet à ſolo Deo, & intrinſece eſſet ſupernaturalis; etiam actus ei actioni identificatus vltra omnes naturæ vires à ſolo Deo pẽderet, & intrinſece ſupernaturalis eſſet. Notauerim tamen propterea, errorem à ſolo Deo infuſum intellectui verſari ſolum poſſe circa obiecta cõtingentia, nõ circa neceſſaria. [Notatio.] Nam omnis cognitio intrinſece ſupernaturalis eſt connaturaliter vera; & exigit ſaltem poſſibilitatem obiecti. At cognitio falſa referens obiectum neceſſarium, & poſſibile, nõ poteſt connaturaliter eſſe vera, quia eius obiectum non poteſt aliter eſſe, quàm eſt, neque contradictoriũ poſſibile eſt. Ergo cognitio erronea infuſa à ſolo Deo, non poteſt referre obiectum neceſſarium, & poſſibile, ſed exiſtens, atq; contingens, quod aliter eſſe poſſit & cognitionem falſam conſtituere connaturaliter veram.

17. Idem probo in ſententia aliorum, qui negantes, Deum ſolum poſſe producere cognitionem erroneam admittunt, poſſe Deum eſſe cauſam ſpecialem partialem eius cognitionis ſimul cum intellectu creato. [Vlterius probatur conſequentia.] Id cenſet probabilius P. Torres ſupra cum aliis. [P. Torres.] Argumentum ergo ſic. Deus poteſt eleuare intellectum creatũ ad cognitionem ſupernaturalem rerum cõtingentium, cum res contingentes exiſtentes non ſint. Verbi gratia ad enuntiandum indiuiſibili cognitione euentus futuros, qui ex natura rei

Digitized by Google

ab intellectu per vnicam, & indiuiſibilem cognitionem prænuntiari non poſſunt, vt calamitatem futuram, & alia plura obiecta ſimul cum illa diſparata, aut coniuncta. Nam ſi Deus poteſt ſpeciali concurſu influere ſimul cum intellectu in errorem, non eſt, quare non poſſit intellectum eleuare ad eius generis cognitionem circa obiecta non futura, ſicut poteſt circa futura. At eiuſmodi cognitio eſſet intrinſece ſupernaturalis, ſiquidem talis cognitio non contineretur intra vires debitas naturæ, & intrinſece exigeret decretum Dei indebitum intellectui. Ergo poteſt cognitio erronea eſſe ſupernaturalis.

Confirmatur. Confirmatur; poteſt Deus miraculoſo concurſu elicere viſionem obiecti, non exiſtente obiecto, vt de apparitionibus, quæ fiunt circa ſpecies Sacramentales, Euchariſtiæ, cenſent S. Thomas 3. p. qu. 76. art. 8. & in 4. diſt. 10. art. 4. quæſtiuncula 2. & opuſc. 58. cap. 11. Scotus in 4. diſt. 11. quæſt. 1. art. 3. & in 1. diſt. 3. queſt. 4. §. *de tertiis*, Paludanus in 4. diſt. 10. Victoria relectione de Euchariſtia num. 62. Ledeſma 1. p. 4. quæſt. 14. art. vlt. Antoninus 3. p. tract. 13. cap. 14. Pater Molina 1. p. quæſt. 55. art. 2. diſputat. 2. memb. 5. & alij Theologi frequenter. (S. Thomas. Paludanus. Victoria. Ledeſma. Antoninus. P. Molina.) Vnde tales viſiones referunt obiectum, quod reipſa non eſt; quamquam, quia iudicia non ſunt, neque proprie ſint falſæ. Ergo ſimiliter poterit Deus miraculoſo concurſu efficere iudicia exiſtentiæ rerum, quæ reipſa non eſt. At ea iudicia erunt proprie falſa. Ergo poteſt miraculoſo concurſu efficere iudicium falſum. Inſuper Deus efficiens miraculoſo concurſu iudicium falſum, ſaltem quoad modum ſupernaturale, poteſt efficere iudicium falſum ſupernaturale quoad ſubſtantiam, ſi aſſenſui falſo talis obiecti adiungat aſſenſum verum alterius identificatum cum illo, itavt indiuiſibili aſſenſu iudicet vtrumque obiectum; quia talis aſſenſus indiuiſibilis non poteſt fieri principiis debitis naturæ. Ergo poterit aſſenſus falſus fieri intrinſece ſupernaturalis.

SECTIO TERTIA.

Poſtrema probatio ex ſolutione argumentorum.

Diſſoluitur primum argumentum

18. POſtrema probatio ſumi poteſt ex communi principio fauente omnipotentiæ Dei, ſcilicet non eſſe negandum omnipotentiæ diuinæ, quod non conuincitur repugnare. Nam argumenta non apparent, quæ repugnare conuincant cognitionem ſupernaturalem diuinitus fallibilem, vt explicatione argumentorum oſtendemus. In hac ſectione proponam argumenta, quæ dilui, cum primum hanc diſputationem expendi; in ſequenti vero argumenta, quæ deinde obijcit P. Hurtadus.

19. Primum ſit. Actus fidei etiam diuinitus non poteſt fieri falſus. Ergo nulla cognitio ſupernaturalis poteſt fieri falſa. Nam ſi quæ cognitio poſſet, maxime abſtractiua, & obſcura, vt dicebamus diſputatione præcedenti. Probatur antecedens. Actus fidei habet pro obiecto reuelationem Dei vere exiſtentem, & non apparentem. Reuelationi autem Dei non poteſt ſubeſſe falſum, cum Deo repugnet mentiri. Ergo neque actui fidei poteſt ſubeſſe falſum. Confirmatur ex Concilio Trident. *ſeſſ. 6. cap. 9.* aſſerente, fidei diuinæ non poſſe ſubeſſe falſum; quod videtur adſtruere etiam diuinitus. (Concilium Tridentinum.) Reſpondeo. Actus fidei bifariam poteſt aſſeri falſus. Primò quia reuera non eſt obiectum à Deo re ipſa reuelatum, ſicut à Deo reuelatum eſt. Secundò quia non eſt à parte rei reuelatio diuina. Nam actus fidei aſſentitur, tum eſſe reuelationem Dei, tum eſſe obiectum reuelatum à Deo. Primo modo, neque diuinitus poteſt exiſtere falſus actus fidei, quia Deus nulla poteſtate poteſt mentiri, aut reuelare falſum, vt oſtendunt Theologi tractatu de fide; atque ita ex defectu obiecti reuelati ſuppoſita reuelatione Dei repugnat falſitas aſſenſui ſupernaturali fidei. Secundo modo non conuincitur repugnare falſitas actui ſupernaturali fidei, videlicet quia iudicat adeſſe reuelationem Dei, cum re ipſa reuelatio non ſit; quia Deus poteſtate ſua abſoluta poteſt tribuere exiſtentiam cognitioni iudicanti adeſſe reuelationem, cum re ipſa reuelatio non adeſt. Crediderimque, Theologos communiter aſſerentes, non poſſe fidei diuinæ ſubeſſe falſum, agere de aſſenſu fidei circa obiectum reuelatum ſuppoſita reuelatione Dei; quia repugnantiam falſitatis in actu fidei arguunt ex repugnantia falſitatis in reuelatione diuina; atque adeo ſupponunt adeſſe reuelationem Dei, & ea ſuppoſita excludunt falſitatem fidei circa obiectum reuelatum. Itaque ſolum volunt, actum ſupernaturalem attingentem re ipſa reuelationem Dei, (qua ratione actus fidei diuinæ dicitur) non poſſe eſſe falſum. Quod & nos fatemur, & euidens iudicamus. Num autem poſſit diuinitus actus fidei exiſtere falſus, quia non exiſtit reuelatio Dei, & illi non exiſtenti, ſed apparenti aſſentiri, nullibi expendunt. Vnde explico Concilium Tridentinum, quod manifeſte differit de falſitate fidei, ex obiecto reipſa reuelato, non de falſitate ex reuelatione vere non exiſtenti; (Ad Concil. Trident.) nam loquitur de certitudine, qua homo ſcire poteſt ſuam iuſtificationem, cum nullus ſcire valeat certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſequutum. Hoc autem ſolum expectat ad obiectum reuelatum, non ad reuelationem ipſam. Ergo Concilium differit de falſitate, quæ repugnat fidei ſuppoſita reuelatione Dei. Deinde eſto agat Tridentinum de aſſenſu fidei, prout etiam reuelationem attingit, intelligi

Digitized by Google

poteſt de impotentia falſitatis ex natura rei, non de potentia abſoluta.

Secundum. 20. Secundo ſic argues. Non repugnat genus cognitionum, quod eſſentialiter ſit affixum obiecto. Ergo ſub genere cognitionis ſupernaturalis repugnat cognitio falſa; nam ſi quod genus cognitionum continet eiuſmodi perfectionem, maxime genus cognitionum ſupernaturalium. Tranſeat non repugnare eiuſmodi genus. Nego tamen ſub eo genere comprehendi omnes cognitiones ſupernaturales. Nam ſub genere remoto cognitionis ſupernaturalis continentur plura genera cognitionum, quorum alia poſſunt eſſe vera ſolum naturaliter, & poteſtate ordinaria Dei, alia eſſentialiter, & poteſtate abſoluta. Nam, vt vidimus ſuperioribus, falſitas præternaturalis non repugnat ſupernaturalitati, neque argumento repugnantia proponitur.

Tertium. 21. Tertio. Actus ſupernaturalis fidei eſt magis certus, quàm actus ſcientificus naturalis, vt docet communis ſententia Theologorum. Ergo maiorem connexionem habet cum obiecto, quàm actus ſcientificus. At actus ſcientificus habet connexionem ex natura rei. Ergo actus fidei habet connexionem etiam de potentia abſoluta. Reſpondeo. Actus fidei eſt magis certus, quàm actus ſcientificus naturaliter duplici certitudine, alia extrinſeca piæ affectionis, alia intrinſeca infallibilis connexionis cum obiecto materiali ex ſuppoſitione obiecti formalis. Certitudine extrinſeca piæ affectionis, quia ſi conſtituatur in poteſtate voluntatis diſſenſus ad obiectum ſcitum, potius præſtabit diſſenſum obiecto ſcito, quàm credito, iuxta illud

Auguſtinus Auguſtini lib. 7. conf. cap. 10. *Facilius dubitarem viuere me, quàm eſſe vera, quæ audiui.* Eſt autem magis certus certitudine intrinſeca infallibilis connexionis cum obiecto materiali, quia actus fidei ex ſuppoſitione obiecti formalis non poteſt etiam diuinitus fieri falſus ex obiecto materiali; actus autem ſcientificus poteſt fieri falſus, etiamſi ſupponatur obiectum formale, quia reuelatio diuina, quæ eſt obiectum formale fidei, etiam diuinitus non poteſt non eſſe connexa cum obiecto reuelato; cauſa autem verbi gratia, quæ eſt obiectum formale ſcientiæ à priori, poteſt diuinitus eſſe ſine effectu, & effectus, qui eſt obiectum formale ſcientiæ à poſteriori, poteſt diuinitus eſſe ſine cauſa.

Quartum. 22. Quarto. Veritas eſt idemtificata realiter cognitioni ſupernaturali. Ergo neque diuinitus poteſt deficere. Nam ea, quæ realiter ſunt indiſtincta, non poſſunt ab inuicem, neque diuinitus ſeparari. Antecedens probatur; veritas eſt proprietas connaturalis cognitionis ſupernaturalis. Non per vnionem, & emanationem phyſicam alicuius realiter à cognitione diſtincti. Ergo ſolum per vnionem, & emanationem Logicam, quæ inter prædicata realiter indemtificata reperitur. Reſpondeo. Veritas radicalis eſt adæquate idemtificata cognitioni ſupernaturali; Veritas formalis verò eſt partim diſtincta, partim idemtificata, coaleſcens tum ex repræſentatione obiecti in recto, quæ cognitioni eſſentialis eſt, tum ex obiecti exiſtentia in obliquo, quæ cognitioni eſt extrinſeca, & diuinitus contingens. Eſt quidem veritas radicalis, adæquate idemtificata cognitioni, quia exigentia obiecti, & veritatis formalis eſt indiſtincta. Veritas formalis verò eſt partim diſtincta, partim indiſtincta, quia veritas formalis eſt actualis conformitas cognitionis cum obiecto. Conformitas autem cognitionis cum obiecto partim eſt ipſa repræſentatio cognitionis, partim ipſa exiſtentia obiecti, illa in recto, iſta vero in obliquo, vt in genere de omni veritate formali explicui in dialectica, & lib. de anima.

SECTIO QVARTA.

Argumenta P. Hurtadi diſſoluo.

23. PAter Hurtadus relatus num. 1. contra falſitatem actus fidei diuinitus poſſibilem ſic obijcit. Prima obiectio P. Hurtadi. Si actus fidei poſſet diuinitus aſſentiri reuelationi non exiſtenti realiter, ſed apparenti, indeque fieri falſus; poſſet quoque ex natura rei. At ex natura rei non poteſt, vt iam omnes admittunt, & Tridentinum decernit. Ergo. Probatur ſequela. Obiectum cuiuſcunque actus eſt illi connaturale. Sed per te reuelatio apparens eſt obiectum fidei. Ergo eſt illi obiectum connaturale. At obiectum connaturale ex natura rei poteſt attingi per actum. Ergo ex natura rei poſſet fieri actus fidei in reuelationem apparentem. Confirmatur; Confirmatio. de facto actus fidei fertur in reuelationem vere exiſtentem. Ergo non poteſt ferri in apparentem. Nam nullus actus poteſt ferri extra ſuum obiectum. Quare nec viſio diuinitus poteſt tendere in ſonum, neque cognitio materialis in obiectum ſpirituale. Ergo ſi obiectum connaturale fidei eſt reuelatio exiſtens, non poteſt etiam diuinitus eſſe obiectum reuelatio ſolum apparens.

24. Hoc argumentum facile ſoluo. In primis Diſſoluitur inſtantiam habet in cognitione naturali phyſice euidenti de exiſtentia rei. Nam hæc cognitio ratione euidentiæ exigit connaturaliter exiſtentiam realem obiecti, quam repræſentat. Tamen diuinitus poteſt ferri in obiectum realiter non exiſtens, vt admittit ipſemet P. Hurtadus in cognitione ſenſitiua immediata coloris, & in cognitione intellectiua mediata ſubſtantiæ deducta ex proprietatum exiſtentia. En obiectum connaturale euidentiæ naturalis eſt res vt realiter exiſtens, quin connaturaliter poſſit ferri in rem non exiſtentem; quamuis diuina poteſtate, eamdem rem non exiſtentem referre poſſit. Neque ſatisfacit, quod P. Hurtadus reſpondet, obiectum connaturale euidentiæ naturalis non eſſe exiſtentiam rei, vt

Digitized by Google

exercitum. Nam ratione euidentiæ cognitio naturalis eſt certa, & connaturaliter cum reali, & exercita exiſtentia obiecti connexa, ſeorſim ab ſpeciebus impreſſis, quas haurit ex obiecto; ſemper enim cognitio euidens, quamuis elicita ſine ſpeciebus exigit fieri obiecto realiter exiſtenti, & præternaturaliter fieret, ſi non exiſteret obiectum, non ſolum quia negarentur ſpecies, ſed etiam quia obiectum ipſum non exiſteret, cum ipſa realiter exiſtit, vt concors eſt philoſophorum ſententia; quippe ipſa cognitio intrinſece eſt euidens, & certa, & connaturalis euidentia, & certitudo annexam habet veritatem, & exiſtentiam obiecti. Ergo eodem modo poſſet cognitio ſupernaturalis obſcura referre exiſtentiam obiecti exigendo connaturaliter illam; ita tamen vt poteſtas abſoluta Dei poſſet tali exigentiæ contrauenire, conſeruareque cognitionem repræſentantem obiectum reipſa exiſtere, quamuis reipſa non exiſtat. De quo vide num. 14.

Illuſtratur ſolutio.

25. Præterea obiectum poteſt eſſe connaturale cognitioni bifariam; aut ſecundum eſſe obiectiuum, & repræſentatum per actum; aut ſecundum eſſe reale, quod habet extra actum. Obiectum ſecundum eſſe obiectiuum, repræſentatum per actum ita eſt connaturale actui, vt neque diuinitus poſſit res eſſe obiectum ſecundum aliud eſſe obiectiuum repræſentatum per illum, verbi gratia cognitioni, quæ repræſentat, in homine eſſe rationale, non poteſt obijci etiam diuinitus eſſe admiratiuum; quia cognitio eſſentialiter fertur in obiectum ſecundum eſſe obiectiuum, quod per eum actum exprimitur; quare neque cognitio referens realem exiſtentiam rei poteſt eius poſſibilitatem, aut apparentiam exiſtentiæ referre. Obiectum verò ſecundum eſſe reale ſibi conueniens à parte rei extra cognitionem poteſt eſſe ita connaturale actui, vt diuinitus tale eſſe obiecti deficiat; nam aliud eſt aliquid obijci cognitioni, aliud reipſa eſſe. Etenim cognitio probabilis affirmat eamdem exiſtentiam realem obiecti, quam affirmat cognitio ſupernaturalis, itavt eſſe obiectiuum affirmatum vtriuſque idem prorſus ſit, ideoque neque diuinitus poteſt exiſtere altera cognitio vera, quin altera quoque vera ſit, quia, cum obiectum omnino ſit idem, non poteſt vni eſſe conforme, quin alteri quoque conforme ſit. Tamen obiectum ſecundum eſſe reale exiſtentiæ, quod obiecto extra cognitionem conuenit, diuerſo modo connaturale eſt cognitioni ſupernaturali, & naturali; nam exiſtentia realis obiecti ſecundum eſſe ſibi conueniens extra cognitionem non eſt connaturaliter debita cognitioni probabili, ſicut debita eſt ſupernaturali; quamquam ſecundum eſſe obiectiuum, & expreſſum per actum, eodem modo vtrique cognitioni eſſentialis eſt, quin neque diuinitus aliud eſſe obiectiuum exprimere poſſit. Itaque reuelatio apparens neque eſt obiectum connaturale fidei ſecundum eſſe obiectiuum formale, quod fides refert, neque ſecundum eſſe reale ſibi conueniens extra fidem. Non eſt ſecundum eſſe obiectiuum formale, quod fides exprimit, quia fides ſemper exprimit veram reuelationis exiſtentiam, non apparentiam. Non eſt ſecundum eſſe reale ſibi competens extra fidem, quia fides exigit connaturaliter, vt eſſe obiectiuum expreſſum per illam vere exiſtat à parte rei etiam extra illam. Nulla igitur ratione apparens reuelatio obiectum eſt connaturale fidei, neque aliquem eius actum connaturaliter terminare poteſt. Poſſet quidem, ſi obiectum fidei ſecundum eſſe obiectiuum repræſentatum per fidem eſſet apparentia reuelationis; tamen apparentia materialiter ſe habet expreſſioni fidei, cum reuelatio non exiſtit, quia ſemper exprimit realem, & veram reuelationis exiſtentiam, quamuis reipſa non ſit, quandoquidem exprimi poteſt, licet reuera non exiſtat à parte rei.

Diluitur confirmatio.

26. Confirmatio multum probat, nimirum nullam cognitionem etiam naturalem abſtractiuam, & probabilem, quæ vera ſit, poſſe vlla ratione, neque diuinitus eſſe falſam. Conſtat manifeſte; nam quæ formaliter eſt vera exiſtenti realiter obiecto; reipſa habet pro obiecto veram, & realem exiſtentiam obiecti, à qua cognitio vera eſt; ab obiecto enim exiſtit vera, vel falſa. Ergo non poteſt habere pro obiecto exiſtentiam ſolum apparentem, & non veram; atque ita non poteſt eſſe falſa. Nam nulla cognitio poteſt extra ſuum obiectum ferri. Deinde argumentum explico. Cognitio non poteſt etiam diuinitus repræſentare aliud obiectum, quàm id, quod ſibi connaturale eſt ſecundum eſſe obiectiuum rei, quod repræſentat; atque ita fides non poteſt referre etiam diuinitus niſi veram exiſtentiam reuelationis, quam ſemper affirmat, etiamſi realiter non ſit extra ipſius fidem vera reuelationis exiſtentia; poteſt tamen repræſentare cognitio aliud obiectum, quàm id, quod ſibi connaturale eſt ſecundum eſſe reale, obiecto conueniens extra ipſam cognitionem, quia licet exigat cognitio obiectum exiſtens realiter, ſicut repræſentatur per ipſam, poteſt diuinitus exigentiæ cognitionis denegari exiſtentia realis obiecti, quam repræſentat. Ita viſio ſenſitiua non poteſt repræſentare ſonum, quia eſſe obiectiuum, quod terminat viſio, non eſt aliud, quàm eſſe coloris; tamen eſſe coloris, quod obijcitur viſioni ſenſitiuæ, poteſt realiter non eſſe à parte rei extra repræſentationem viſionis. Vnde nunquam mutatur obiectum actus ſecundum eſſe obiectiuum, quod habet obiectum in actu, quamuis poſſit mutari ſecundum eſſe reale, quod habet extra actum. Ita deſiderium ineſficax exiſtentiæ rei habet idem obiectum quod deſiderium efficax, nempe eamdem exiſtentiam realem boni; tamen exiſtentia eadem deſiderata per vtrumque deſiderium poteſt ex natura rei non eſſe realiter, ſed relinqui poſſibilis, cum terminat deſiderium ineſficax,

Fundatur vlterius obiectio.

Explicatur.

Digitized by Google

quia cum illa connexum non eſt; non poteſt autem non eſse realiter ex natura rei, cum terminat deſiderium efficax, quia cum illa connexum eſt. Non igitur extrahitur actus extra ſuum obiectum ex eo, quod conſeruetur actus non exiſtente realiter obiecto, vbi eſse obiectiuum rei permaneat ſemper idem repræſentatum per cognitionem, aut deſideratum per amorem. At reuelatio Dei ſecundum eſse obiectiuum exiſtentiæ ſemper terminat fidem diuinam, non ſecundum eſse obiectiuum apparentiæ, quamuis extra fidem diuinam realiter non exiſtat reuelatio. Ergo quamuis fides diuina exiſtat non exiſtente realiter extra fidei aſsenſum reuelatione, non extrahitur fides extra ſuum obiectum. Hac ratione explicuimus diſputatione 46. num. 8. poſse aſsenſum naturalem hæretici, & aſsenſum ſupernaturalem catholici habere idem obiectum, quamuis aſsenſus naturalis poſſit eſse non exiſtente reuelatione à parte rei; ſupernaturalis vero repugnet eſse abſque exiſtentia reuelationis reali, neceſſario annexa exiſtentiæ obiectiuæ vtrique aſsenſui communi. Vide dicta ibi in confirmationem huius aſſumpti.

Secunda obiectio. 27. Secundo arguit P. Hurtadus probando ex ſententia affirmante idem inconueniens, ſcilicet poſse actum fidei ſupernaturalis eſse ex natura rei falſum. Actus abſtractiuus, qui fertur in obiectum ex natura rei contingens, quod ſcilicet ex natura rei poteſt eſse, & non eſse, in hac ſententia poteſt ex natura rei eſse falſus. Sed actus fidei eſt abſtractiuus, & fertur in obiectum ex natura rei contingens; nam eius obiectum eſt reuelatio prudenter exiſtimata exiſtens; reuelatio autem ex natura rei poteſt non eſse a parte rei, & ex natura rei poteſt prudenter exiſtimari eſse. Ergo actus fidei poteſt ex natura rei eſse falſus.

Confirmatio. Confirmatur; aut actus fidei reſpicit eſsentialiter reuelationem ſeipſa exiſtentem, aut ſolum prudenter putatam exiſtere? Si eius obiectum eſt reuelatio reipſa exiſtens, deficiente reipſa exiſtentia reuelationis non poteſt perſeuerare actus, nam deficiente obiecto non poteſt perſeuerare actus, cum actus ſit ordo tranſcendens, & eſsentialis in obiectum. Si eius obiectum eſt reuelatio ſolum prudenter putata exiſtere, quamuis deficiat reipſa reuelatio, dum prudenter appareat exiſtere, manebit actus, cum maneat eius obiectum. At hoc poteſt contingere ex natura rei. Ergo ex natura rei poteſt manere actus fidei non exiſtente reuelatione à parte rei, ſed ſolum in exiſtimatione prudenti, ac proinde falſus; nam veritas non conuenit actui ab exiſtentia obiecti in exiſtimatione prudenti; ſed ab exiſtentia obiecti reali extra omnem exiſtimationem prudentiæ.

Occurritur obiectioni. 28. Etiam hoc argumentum abſque negotio ſoluitur. Maior eſt falſa. Nam circa obiectum ex natura rei contingens poteſt eſse actus abſtractiuus vendicans ex natura rei exiſtentiam obiecti, qui deficiente obiecto non poſſit exiſtere; nam ſicut cognitio euidens exiſtentiæ contingentis ratione euidentiæ poſtulat præſupponi exiſtentiam obiecti, qua deficiente perſiſtere ex natura rei non poteſt; ita cognitio abſtractiua eiuſdem exiſtentiæ ratione ſupernaturalitatis poſtulare poteſt eandem exiſtentiam, qua deficiente ſupereſse ex natura rei non poſſit. Neque verum eſt, in hac ſententia obiectum actus fidei eſse reuelationem putatam exiſtere, & non reuelationem reipſa exiſtentem; nam ſi eius obiectum eſset reuelatio ſolum putata, aut à reali exiſtentia præſcindens, quamuis deeſset reuelatio realiter exiſtens, non eſset actus fidei falſus; ſiquidem manet obiectum, quod refert, nempe reuelatio putata, & ab exiſtentia reali præſcindens, ab eo enim quod ſit, vel non ſit obiectum, ſicut repræſentatur per actum, actus exiſtit verus, vel falſus. Ideo igitur exiſtit falſus deficiente reuelatione reali, quia non exiſtit eius obiectum, atque adeo eius obiectum eſt reuelatio realiter exiſtens. Vnde ad confirmationem reſpondeo. Obiectum actus fidei eſt reuelatio realiter exiſtens. Item confirmationi. Cæterum poteſt eſse eius obiectum, quamuis realiter non exiſtat, ſed appareat exiſtere; quia aliud eſt realem exiſtentiam obijci, aliud eſse à parte rei exiſtentiam realem; plura enim obijciuntur cognitioni, & amori ſecundum exiſtentiam realem, quæ realiter non ſunt. Vnde non obeſt ordo cognitionis in obiectum; quia idem ordo competit cognitioni probabili exiſtentiæ rei, quæ tamen poteſt deficere, quin cognitio deficiat; item ſenſioni intuitiuæ, aut amori efficaci ſupernaturali, qui referuntur eſsentialiter in exiſtentiam rei, quæ refertur per ſenſionem, & expetitur per amorem: quamuis diuinitus ſenſio intuitiua, & amor efficax naturalis perſeuerare queat diuinitus amota exiſtentia obiecti. Eſt enim is ordo ſolum intentionalis, & repræſentationis, non phyſicus, & entitatiuæ connexionis, vendicans eſsentialiter exiſtentiam rei ſolum in eſse obiectiuo, non in eſse phyſico, & reali, quod competit rei extra cognitionem, & affectum, vt expoſuimus ad argumentum anterius.

29. Tertio obijcit. Si actus fidei diuinæ poſſet diuinitus falli, non eſſemus certi, omnes veritates fidei eſſe veritates, ſed meritò poſſemus dubitare, vtrum eſſent falſitates; ſiquidem non eſſemus certi, noſtro aſſenſu attingi obiectum omnino infallibile, nempe reuelationem Dei vere exiſtentem. Hoc autem eſt hæreticũ. Ergo aſſenſus fidei neque diuinitus poteſt falli. Tertia obiectio.

Reſponſio. Hoc argumentum eiuſdem roboris eſt in ſententia contraria. Nam licet reuera aſſenſus fidei ſupernaturalis ſit diuinitus infallibilis; tamen certi non ſumus, an veritate credibiles attingamus per aſſenſum ſupernaturalem, an per aſſenſum naturalem, per aſſenſum infallibilẽ, an per aſſenſum fallibilẽ, vt melior pars Theologorum docet. Dum autem certi non ſumus, noſtrum aſſenſum eſſe ſupernaturalem, & infallibilem, poſſumus dubitare, an ea, quibus

Digitized by Google

aſſentimur, vera ſint. Ergo in tua quoque ſententia licebit nutare intellectum circa veritatẽ eorum, quæ credit. Nam ſi ex eo quod poſſet aſſenſus meus diuinitus falli, fas eſt, formidare de veritate rei, etiam ex eo quod incertus ſum, an aſſenſum infallibilẽ præbeam, fas erit; quandoquidem dum certus nõ ſum de aſſenſu, quem præbeo, certus non ſum, meum aſſenſum non eſſe fallibilem; nam ſi forte naturalis eſt, fallibilis erit. Certitudo igitur veritatum fidei excludens prudentem formidinem non eſt reuocanda in aſſenſus mei infallibilitatem, ſed in euidentem credibilitatem reuelationis diuinæ exiſtentis, antecedentem meum aſſenſum, ſub qua reuelatione vere exiſtenti, neque diuinitus poſſunt aliter eſſe veritates fidei; neque aſſenſus ſupernaturales vlla poteſtate falli; nam Deus nulla poteſtate mentiri poteſt, aut falſum quidpiam reuelare. Itaque reuelatio diuina etiam diuinitus eſt infallibilis, quamuis aſſenſus ipſius fallibilis ſit; quia reuelatio nunquam poteſt exiſtere etiam diuinitus niſi vera, & exiſtentibus omnibus, quæ reuelat. Aſſenſus tamen ipſius poteſt exiſtere diuinitus falſus reuelatione non exiſtente. Infallibilitas autem noſtræ fidei, quæ extollitur à Patribus, & Theologis, non tam eſt formalis, conueniens eſſentialiter, & intrinſece aſſenſui noſtro; quàm obiectiua, conueniens veritatibus reuelatis, ſuppoſita reuelatione Dei, & etiam formalis, conueniens aſſenſui, prout induit extrinſece veritatem ex reuelatione, quam re ipſa attingit; qua ſolum ratione induit rationem fidei diuinæ. At circa reuelationem ipſam totam infallibilitatem formalem ſumit aſſenſus ex ſupernaturalitate, quæ ex natura rei ferri non poteſt in obiectum falſum; obiectiuam vero ab ipſa reuelatione euidenter credibili eis quidem argumentis, quæ omnem prudentem dubitationem reijciant. Quod totum independens eſt omnino ab eo, quòd meus aſſenſus quoad ſuam entitatem intrinſecam poſſet, aut non poſſet diuinitus exiſtere etiam reuelatione non exiſtente. Nam plures primorum Theologorum putant, aſſenſum fidei infuſæ eſſe intrinſece naturalem, & eiuſdem ſpeciei cum aſſenſu fidei acquiſitæ, ac proinde etiam intrinſece eſſe fallibilem, ſicut aſſenſus fidei acquiſitæ intrinſece fallibilis eſt. Nihilominus apud ipſos nulla poteſt eſſe prudens formido veritatum fidei. Item vbi Eccleſia proponat veritates fidei credibiles ex reuelatione Dei eo modo, quo nunc proponit, quamuis Deus ſtatueret, nullum influxum conferre ad aſſenſum ſupernaturalem earum, ſed tantum naturalem (qui in ſententia plurium Theologorum, quam explicuimus diſputatione 45. ſectione 5. poteſt moueri ex reuelatione Dei) nulla quidem ratione liceret dubitare de veritatibus noſtræ fidei, quamquam reipſa aſſenſus noſtri intellectus is eſſet, qui poſſet intrinſece falli; quia argumenta extrinſeca reuelationis exiſtentis ea ſunt, quæ omnem prudentem dubitandi rationem depellunt. Ergo quamquam aſſenſus ſupernaturalis ſit intrinſece fallibilis, ſemper illicita erit, imprudenſque veritatum fidei dubitatio. Addo, quamuis ab infallibilitate noſtri aſſenſus penderet certitudo obiectiua noſtræ fidei, ſufficere infallibilitatem naturalem ipſius, ad procul ablegandam omnem formidinem, & expugnandam omnem prudentem dubietatem; nam miracula contra exigentiam naturalem rerum, imprudenter iudicantur adeſſe abſque vrgentiſſimo argumento. Hoc autem adeſſe non poteſt ad iudicandum exiſtere noſtram fidem, non exiſtente realiter reuelatione Dei; nam vera exiſtentia reuelationis modo non arguitur ex aſſenſu noſtræ fidei, ſed potius aſſenſus noſtræ fidei arguendus eſt vera reuelationis exiſtentia; atque ita prius adeſſe debet argumentum ad dubitandum prudenter non adeſſe realiter reuelationem Dei, quàm ad dubitandum prudenter adeſſe aſſenſum noſtræ fidei ſine reuelatione. Ergo ſi ſeorſim ab aſſenſu non extat tale argumentum, neque ab aſſenſu illud fieri poteſt. *Confirmatur.* Vlterius rem explano. De potentia abſoluta poſſibile eſt, vt exiſtente habitu fidei, & propoſita reuelatione credibili, aſsenſus veritatum fidei eliciatur intrinſece naturalis, & fallibilis, & non eliciatur aſsenſus ſupernaturalis, & diuinitus infallibilis. Tamen, qui id iudicaret de aſsenſu, quem fideles præbent credibilibus, temere, & imprudenter ageret; alioqui poſset inde iuxta tuam arguendi rationem etiam prudenter formidare de veritate rerum, quas credit. Ergo certitudo veritatum fidei pellens omnem prudentem formidinem integra manet, quamuis aſſenſus, quem ego præbeo, ſit diuinitus fallibilis. *Explicatur.*

30. Quarto à priori arguit. Fides infuſa eleuat intellectum ad aſſequendum ſuum finẽ, qui eſt verum. At ſi poſſet diuinitus ferri in falſum, non poſſet eleuare intellectum ad aſſequendum verum. Ergo fides infuſa non poteſt ferri in falſum. Explicatur; hoc eſt diſcrimen inter intellectum, & voluntatem, quod voluntas perficitur affectu, qui tendit in bonum, quamuis realiter bonum non ſit, dum illud appareat, & proponatur bonum, quia affectus ſumit bonitatem ab obiecto ſolum apparenter bono; at vero intellectus non perficitur cognitione, niſi tendat in obiectum realiter verum, quamuis apparenter verum non ſit, quoniam veritas cognitionis non ſumitur ab apparientia obiecti veri, ſed à reali eius exiſtentia. At fides diuina diſtinatur ad perficiendum intellectum. Ergo eius munus eſt efficere cognitionem, quæ reſpiciat obiectum realiter verum, & non ſolum apparenter; atque adeo ſolam cognitionem veram, & non falſam. *Quarta obiectio.* *Roboratur.*

31. Reſpondeo. Fides infuſa eleuat intellectũ ad aſſequendũ verũ quamuis poſſit efficere actũ diuinitus falſum. Nam vt eleuet, ſufficit reddere intellectũ potentẽ efficere actum, quem ſuis viribus efficere non valet. At intellectus ſuis viribus non poteſt efficere actus ineuidentes intrinſece certos, & veros, qui cum obſcuritate iungant neceſſario veritatem ſibi connaturalem, ſimulque conducentes in vitam æternam, dirigendo affectus intrinſece ſupernaturales virtutum: nam omnes actus naturales *Solutio obiectionis.*

incuidentes circa obiecta contingentia incerti ſunt ex natura rei, & falſitati ſubiecti, & in affectus ſupernaturales conferre nequeunt: per fidem infuſam vero, redditur intellectus potens efficere actus incuidentes ex natura rei certos, & veros, dirigenteſque per ſe virtutum ſupernaturalium affectus; quamquam diuina virtute poſſint reddi falſi. Recte igitur componitur eleuatio intellectus per fidem infuſam cũ falſitate diuinitus conuenienti actibus ipſius. Neque enim eleuatio exigit, vt actus ſupernaturales, in quos per virtutem ſupernaturalem eleuatur intellectus, præditi ſint omnibus perfectionibus ipſorum generi poſſibilibus. Cum neque actus fidei euidentes ſint, quamquam euidentia ſit illuſtris cognitionis perfectio. Ergo ſupernaturales eſſe poſſunt, in quos eleuatio intellectus neceſſaria ſit, licet infallibilitas ſit tantum naturalis, & non maxima omnium, quæ excogitari poſſunt. Inde ad confirmationem reſpondeo. Per fidem infuſam perficitur intellectus eo genere perfectionis, quã ſuis viribus aſsequi non poteſt, videlicet perfectione cognitionis obſcuræ ex natura rei neceſſario certæ, & veræ non omni perfectione generi cognitionum poſſibili. Vnde licet diuinitus falli poſſint actus fidei, re quidem vera intellectus per illos perficitur, quia ex natura rei neceſsario ſunt certi, ac veri, attingentes obiectum realiter verum, & non ſolum apparenter; quod perfectionis genus excellit omnem virtutem naturalem intellectus creati. En quam plane expediantur omnes difficultates à P. Hurtado ſententiæ affirmanti obiectæ. Videamus, num ſtando autoritati improbabilis, aut temeraria ſit?

Ad confirmationem.

SECTIO QVINTA.

Examinatur cenſura ſententiæ affirmantis.

32. PAter Hurtadus ſupra num. 15. ait, ſe non audere aſſerere, temeritate vacare ſententiam, quæ affirmet, actum elicitum per fidem poſſe diuinitus exiſtere falſum. Nam Magiſt. in 3. diſt. 23. §. *ait enim* ex fide infert infallibilem euentum creditum. S. Bonauentura diſt. 24. ar. 1. quæſt. 1. cenſet fidem eſſe tam infallibilem, ac Dei præſcientiam. S. Thom. in 3. diſt. 23. quæſt. 2. art. 4. quæſtiuncula 1. ad 2. diſt. 24. quæſt. 1. art. 1. quæſtiunc. 1. 2. 2. quæſt. 1. art. 1. aſſerit, fidem eſſe infallibilem ex prima veritate, cui omnino repugnat falſitas. Quod confirmat Caietanus 2. 2. quæſt. 1. art. 1. Alexander 3. p. quæſt. 68. memb. 7. art. 1. ait fidei non poſſe ſubeſſe falſum magis, quam primæ veritati: Durandus in 3. diſt. 24. quæſt. 2. exiſtimat, fidei eſſe æqualem repugnantiam ad falſitatem, ac viſioni, & veritati diuinæ. P. Suarez diſp. 3. de fide ſect. 13. num. 1. & 6. cenſet certum, fidem non eſſe de reuelatione apparenti, & abſurdum poſſe reddi falſam. Lorca diſp. 16. num. 4. id eſſe temerarium. Inſuper refragantur Bannez, & Aragon 2. 2. in art. 3. Pater Valentia tomo. 3. diſp. 1. quæſt. 1. par. 3. P. Torres diſp. 3. dub. 3. & P. Coninck diſp. 6. dubio 9. num. 22. & diſp. 10. à num. 78.

Magiſter. S. Bonauentura. S. Thomas. Caietanus. Alexander. Durandus. P. Suarez. Lorca. Bannes. Aragon. P. Valentia. P. Torres. P. Coninck.

33. Ego vero alias parum audax, quamquam ſententiæ affirmanti non plene ſubſcribo, audebo aſſerere, illam temeritate vacare. Primo quia nullus Theologorum illi aperte refragatur; diſſerunt enim omnes extra noſtram controuerſiam, alij de actu fidei ex natura rei falſo; alij de actu fidei, qui attingens vere reuelationem Dei (à qua fidei diuinæ rationem ſortitur) falſus ſit circa obiectum reuelatum, vt mox oſtendemus. Secundo quia licet Theologi relati diſſentirent, nullus illorum ſententiam affirmantem aliqua cenſura notauit, nullumque eorum argumentum adeſt, quod facile explicatione non ſoluatur, vt ſuperioribus expendimus. Inſuper contraria ſententia Theologorum patrocinio omnino deſtituta non eſt, neque non validis rationis præſidijs munita, vt ſect. 1. & 2. vidimus. Quæ à ſententia temeraria aliena ſunt.

Sententia affirmans à cẽſura vindicatur. Prima ratio. Secunda.

34. Tertio quia hi Theologi agunt ſolum de actu fidei, qui propter eius certitudinem deſumptam ex veritate reuelante ſpecialem difficultatem continet. Sententia vero affirmans ſolum adſtruit aliquam in genere cognitionem ſupernaturalem, ſiue prudentiæ, ſiue ſcientiæ, ſiue alterius virtutis, quæ diuinitus falſa ſit, quod cum omnimoda infallibilitate fidei componi poſſet.

Tertia.

35. Quarto quia plures Theologorum eſſent, abſque temeritate ſentiri actus fidei infuſæ eſſe intrinſece naturales, & eiuſdem rationis cum actibus fidei acquiſitæ. At actus intrinſece naturales, & eiuſdem rationis cum actibus fidei acquiſitæ dari impune poſſunt intrinſece fallibiles, ſaltem poteſtate abſoluta Dei. Ergo etiam actus fidei infuſæ. At ſi antiquorum Theologorum mens in hanc diſputationem venit, plane illi diſſerunt de actibus elicitis per fidem infuſam, abſtrahendo an eiuſdem, an diuerſæ rationis ſint cum actibus fidei acquiſitæ. Ergo nulla temeritatis nota carpendus eſt, qui affirmet, actus fidei eſſe diuinitus fallibiles, quod diuinitus in reuelationem non exiſtentem ferri poſſint. Vide authores fauentes ſententiæ affirmanti relatos n. 2.

Quarta.

35. Itaque ad autoritatem Theologorum obiectam reſpondeo. Illi diſſerunt de actu fidei, qui falli poſſit ex natura rei, quin aliquis eorum meminerit poteſtatis abſolutæ. At nos agimus de actu fidei, qui poteſtate abſoluta Dei fieri poteſt. Item illi diſſerunt de actu fidei ſuppoſita reuelatione Dei iam exiſtenti quam actus attingit vere, an circa obiectum reuelatum poſſit fieri falſus. At nos vltro admittimus, ſuppoſita reuelatione Dei vere exiſtenti quam aſſenſus attingit vere, neque diuinitus poſſe fieri falſum circa obiectum reuelatum; quippe cenſemus, neque diuinitus reuelationem Dei falſum quidpiam teſtari poſſe, quærimuſque ſolum, an poſſit fieri actus fidei reuelatione non exiſtenti, ideoque ſecluſa reuelatione falſus circa obiectum reuelatum. Quæ duo longe diſ-

Multiplex interpretatio Autorũ.

crepantia ſunt. Præterea eſto actus fidei nulla ratione queat diuinitus falli, propter infallibilitatem diuinæ reuelationis, qua fides intrinſece mouetur, conſequens non eſt, aliam ſupernaturalem cognitionem falli diuinitus non poſſe, cum plures aliæ ſint, quæ obiectum formale reſpiciant à reuelatione, & veracitate Dei diſtinctum, vt actus prudentiæ, & alij, qui obiecta creata contingentia immediate referunt. Denique quamuis prædicti Theologi, omnes in genere actus ſupernaturales comprehenderent; tamen illi ſuam ſententiam ſolum tradunt probabilem, quin contrariam feriant, & contraria non abſque magno rationis probabilis fundamento, & aliquo autoritatis patrocinio illis refragatur. Sed expendamus etiam de actu fidei teſtimonia Theologorum obiecta; ſingula viſis ipſorum ſcriptis percurrendo.

Explicatur Magiſter.

36. Magiſter loco citato ſolum docet, dubitationem de reſurrectione futura conuinci poſſe ad aſſenſum reſurrectionis ex fide prophetarum; quod ſententia affirmans facile dabit, cum ad eam dubitationem tollendam ſufficiat connexio naturaliter neceſſaria fidei diuinæ cum euentu credito per illam. Et quidem non ſentire eam fidem eſſe etiam diuinitus infallibilem, inde conijcitur, quia §. *Accipitur autem* antecedenti ſignificat, fidem Dæmonum, & Chriſtianorum eiuſdem rationis eſſe. At fides Dæmonũ cum intrinſece naturalis ſit, non poteſt diuinitus eſſe infallibilis.

S Bonauentura.

S. Bonauentura non ait, fidem eſſe tam infallibilem, ac præſcientiam Dei, neque ſana eſſet talis doctrina, cum longe maior ſit certitudo ſcientiæ diuinæ, quam fidei noſtræ formalis: ſed quia obijciebant argumenta, fidem eſſe fallibilem, quia eius obiecta contingentia ſunt, probat, poſſe à falſitate immunem eſſe, quamuis obiecta contingentia ſint, quia præſcientia Dei infallibilis eſt, licet obiecta ipſius contingentia ſint. Manifeſteque differit de falſitate conuenienti ex natura rei, quia argumenta eo dirigit, vt fides Abrahami de rebus futuris, quamquam contingentibus non potuerit de facto falli, licet charitas interdum obiecta diligat falſo bona, & ſpes reprobi ſalutem ſperet ſibi non futuram, vt ratione dubitandi præmiſerat.

S.Thomas.

S Thomas locis relatis nihil differit de infallibilitate fidei; ſed tantum docet quod contraria ſententia non negat, primam veritatem in dicendo eſſe obiectum formale fidei; num autem poſſet exiſtere aſſenſus noſtræ fidei nihil dicente prima veritate, quod negotium eſt totius noſtræ diſputationis, nec verbum attingit.

Item Caietanus.

Caietanus propius accedit; verumtamen non aliud continet, quam fidem diuinam eſſe virtutem ex obiecto, quamuis fides humana non ſit virtus, quia humana à vero defectibilis eſt, diuina vero indefectibilis. At vt virtus ſit, ſufficit indefectibilem eſſe ex natura rei. Neque explicat, an hæc indefectibilitas ſit intrinſeca, & eſſentialis fidei, an extrinſeca à prima veritate reuelante, quam ſupponit adeſſe?

Alexander.

Alexander non aſſerit, æqualem eſſe infallibilitatem fidei infallibilitati primæ veritatis; id enim falſum eſt, quamuis fides ſit diuinitus infallibilis. Solum ergo ait, fidem non poſſe eſſe, niſi de vero, quia eſt lumen infuſum à prima veritate, quæ non poteſt infundere, niſi lumen verum. At hæc ratio apud pleroſque Theologos volentes primam veritatem poſſe infundere errorem imbecillis eſt, & licet efficax ſit, ſolum concludit, eſſe lumen ex natura rei neceſſario verum. Neque aliud proponit Alexander probandum, vt euincunt argumenta ſibi oppoſita, quæ omnia falſitatem fidei de facto contingentem concludunt. Durandus non docet, fidei eſſe æqualem repugnantiam, falſitatis, ac viſioni, & veritati diuinæ, ſed ſolum fidei non poſſe de facto ſubeſſe falſum, quia id, quod affirmat fides, affirmant quoque viſio, & prima veritas, atque ita ſicut viſio, & prima veritas affirmant verum, ita quoque fides.

Durandus.

Vnde Durandus ſolum agit de repugnantia falſitatis ex natura rei, & agit de tali repugnantia ſuppoſita reuelatione diuina. En priſci Theologi omnes abſunt longiſſime à noſtra quæſtione. Et quidem eos omnes fauere ſententiæ affirmanti, actum fidei intrinſece ſpectatum poſſe diuinitus reddi falſum, & non exiſtente reuelatione elicitum; ſentire debent, quotquot cenſent, eos non admittere actum fidei intrinſece ſupernaturalem, & diuerſum ab actu fidei acquiſitæ intrinſece naturalis, qui fieri poteſt diuinitus falſus non exiſtente reuelatione Dei.

Cæteri Autores.

37. Alij Theologi recentiores, quos aduocat P. Hurtadus in cenſuram ſententiæ affirmãtis, non magis illi fauent. Etenim P. Suarez quæſtionem ſolum mouet de potentia ordinaria, vt eius argumenta oſtendunt, diſputatque contra maiorem, qui de facto admittit, poſſe actum elicitum per fidem quoad ſubſtantiam fieri falſum; quam ſententiam, cum improbabilior ſit, nulla cenſura notat. P. Valentia diſputat de obiecto materiali fidei, quod à Deo reuelatur, an poſſit eſſe falſum, & cum communi Theologorum decernit, neceſſario eſſe verum, quia Deus nulla ratione poteſt teſtari falſum, quod ſententia affirmans prius ſupponit. P. Torres expreſſe proponit quæſtionem de actu fidei, qui attingit reuelationem Dei, an poſſit eſſe falſus? At actus attingens vere reuelationem Dei, in hac etiam ſententia, neque diuinitus poteſt à vero abeſſe. Item tota eius quæſtio eſt de actu fidei ex natura rei falſo, totaque dirigitur ad excludendum falſitatem ab actibus fidei nunc eliciti. P. Coninck, Lorca, & alij etiam diſſerunt de actu fidei ex natura rei aut ſuppoſita reuelatione diuina, an circa obiectum reuelatum queat fieri falſus? Ex quibus conſtat Patrem Hurtado nullo rationis, & autoritatis fundamento ſententiam affirmantem nota temeritatis ferire.

Digitized by Google

DISPVTATIO SEXAGESIMA.

AN ASSENSVM SVPERNATVRALEM apprehenſiones ſupernaturales præcedant?

Sententia affirmans eligitur.

Primum fundamentum.

Secundum

Arauſicanum.

Tridentinū

1. VErbi gratia, aſſenſum fidei, aut prudentiæ infuſæ, & alios ſimiles. Hac de re ſententia lata iam eſt diſp.49.num.34. ſcilicet opus eſſe apprehenſione intrinſece ſupernaturali ad aſſenſum intrinſece ſupernaturalem, qui aliquam ſui obiecti apprehenſionem deſiderat. Nam actus naturalis per ſe conferre non poteſt motionem aut lucem in actum intrinſece ſupernaturalem; ſed actus intrinſece ſupernaturalis exigens præuentionem alterius, illam exigit ſupernaturalem, vt ibidem illuſtratum eſt. Ergo aſſenſus ſupernaturalis exigens præuiam apprehenſionem ſui obiecti, illam exigit intrinſece ſupernaturalem. Quod vlterius explicatur ex aſſenſu fidei, ad quem neceſſariam eſſe præuiam apprehenſionem infuſam, indicat Arauſicanum ſecundum cap. 7. aſſerẽs: *Hæretico falli ſpiritu, eos, qui dicunt, poſſe hominem conſentire prædicationi abſque illuminatione Spiritus ſancti*. Item Tridentinum ſeſſione 6. c. 5. & can. 3. damnans aſſerentem, *Sine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione credere, ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur*. Vbi *inſpirationis* voce comprehendit etiam illuſtrationem; nam vt conſtat ex cap. 5. indiſcriminatim vſurpat eam vocem ad ſignificandum illuſtrationem intellectus, & piam affectionem voluntatis. At hæc illuſtratio per ſe requiſita ad aſſenſum fidei eſt apprehenſio, vt tr. de gratia auxiliante explicuimus, & lib. 5. vberius exponemus. Ergo apprehenſio ſupernaturalis per ſe neceſſaria eſt ad aſſenſum ſupernaturalem fidei, ac per conſequens ad alios etiam aſſenſus ſupernaturales. Nam aſſenſus fidei nullo alio titulo poteſt exigere illuſtrationem, ſeu apprehenſionem iſtam ſupernaturalem, niſi quia ſupernaturalis eſt. Ergo eadem ratione alij aſſenſus exigere debent. Hanc doctrinam tradunt frequentibus locis Eccleſiæ Patres, præſertim Auguſtinus lib. 2. contra duas Epiſtolas Pellagianorum cap.8. & quæſt.2. ad Simplic. & libr. de bono perſeuerantiæ c. 13. & 14. & Epiſt. 107. aiens, præter doctrinam externam neceſſariam eſſe *altam & ſecretam* illam doctrinam, qua Spiritus ſanctus illuſtrat, & erudit nos intus in animo; externa enim *mouet ſenſum, illa interna accommodat aſſenſum*, vt habet Epiſt. 107. Et tractatu in cap. 6. Ioannis, *Hæc ſi ab hominibus audierunt, tamen quod intelligunt intus datur, intus coruſcat, intus reuelatur*. Quæ omnia fiunt per illuſtrationes apprehenſiuas obiectorum. Plura in hanc rem adducemus lib. 5. cum gratiam illuſtrantem per apprehenſionem ſanciamus.

Auguſtin.

Illuſtratio ad actū fidei infuſæ requiſita ſupernaturalis eſt quoad ſubſtantiam.

2. Dices primo, eam illuſtrationem non eſſe ſupernaturalem, quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum. Verum huic obiectioni occurremus fuſe lib. 5. oſtendentes, gratiam auxiliantem, de qua Patres Eccleſiæ diſſerunt contra Pellagium, ſolum eſſe gratiam ſupernaturalem quoad ſubſtantiam. Et quidem aut nulla talis illuſtratio ſupernaturalis intrinſece eſt, aut intrinſece ſupernaturalis dari debet illuſtratio præcedens fidem: cum Eccleſiæ Concilia eodem modo de illa ac de cæteris loquantur.

Ea illuſtratio per ſe, & immediate neceſſaria eſt ad aſſenſum fidei.

3. Dices ſecundo, illuſtrationem ſupernaturalem non eſſe per ſe neceſſariam ad aſſenſum fidei, ſed ad affectum pium voluntatis, qui aſſenſum fidei præcedit. Sed contra. Aſſenſus fidei colligitur intrinſece ſupernaturalis ex neceſſitate gratiæ auxiliantis, quæ à Concilijs, & Patribus requiritur ad illum; quæ gratia auxilians phraſi eorumdem non eſt alia, quam illuſtratio ſupernaturalis. At ſi gratia auxilians non eſſet immediate neceſſaria ad aſſenſum, ſed ſolum mediate; quatenus neceſſaria eſt ad actum piæ affectionis, ſolus affectus voluntatis non aſſenſus intellectus colligeretur intrinſece ſupernaturalis ex neceſſitate talis gratiæ, quandoquidem aſſenſus per ſe immediate tale auxilium confortans naturam non requirit. Ergo talis illuſtratio, etiam per ſe immediata ad aſſenſum fidei neceſſaria eſt. Etenim Concilia, & Patres deprimentes facultatem naturæ ad eum aſſenſum, & ſtatuentes neceſſarium auxilium gratiæ, quo natura confortetur ad illum, non alterius potius gratiæ meminerunt, quam illuſtrantis. Ergo illuſtratio per ſe immediate concurrit ad aſſenſum fidei, tanquam auxilium ſuperius ratione excellẽtiæ aſſenſus neceſſarium. Præterea ea ratione illuſtratio ſupernaturalis per ſe immediate neceſſaria eſt ad affectum piæ affectionis, quia omnis affectus per ſe exigit præuiam cognitionem boni, in quod voluntas fertur. At etiam omnis aſſenſus humanus præſertim abſtractiuus exigit per ſe præuiam apprehenſionem obiecti, cui intellectus aſſentitur. Ergo eadem ratione apprehenſio obiecti per ſe anteuertens aſſenſum ſupernaturalem debet eſſe ſupernaturalis, qua illuſtratio præueniens affectum intrinſece ſupernaturalem, intrinſece ſupernaturalis eſt. Rurſus duplex apprehenſio, ſeu illuſtratio per ſe antecedit aſſenſum fidei; alia directa, quæ proponit veritatem obiecti credendi ſub reuelatione Dei; alia reflexa, quæ proponit honeſtatem aſſenſus talis obiecti propter reuelationem credibilis; prior immediate eſt neceſſaria ad aſſenſum obiecti reuelati; poſterior ſolum mediate, quatenus

Digitized by Google

neceſſaria eſt ad affectum imperantem talis aſſenſus. At illuſtratio ſupernaturalis, & infuſa à Deo, quæ à Concilijs, & Patribus prædicatur neceſſaria ad aſſenſum fidei, potiſſimum eſt illa, quæ proponit directè veritatem obiecti credendi ſub reuelatione Dei, in qua probanda maior intellectus difficultas conſiſtit. Ergo apprehenſio per ſe immediatè concurrens ad aſſenſum ſupernaturalem prædicatur à Patribus, & Concilijs ſupernaturalis.

Tertium fundamentum.

4. Præterea in confirmationem eiuſdem doctrinæ expendo alia duo principia Theologica. Alterum eſt, ante omnem conſenſum abſolutum voluntatis intrinſecè ſupernaturalem præire affectionem ſimplicem eiuſdem voluntatis, etiam intrinſecè ſupernaturalem; nam inter auxilia gratiæ intrinſecè ſupernaturalia, ad conſenſum voluntatis neceſſaria recenſetur à Patribus, & Concilijs inſpiratio, & delectatio ſancta voluntatis, vt lib. 5. fuſiſſime explicabimus. Ergo etiam ante omnem aſſenſum abſolutum intellectus præire debet conceptio, ſeu apprehenſio ſimplex intrinſecè ſupernaturalis. Nam apprehenſio ſimplex intellectus confertur cum aſſenſu abſoluto, ac perfecto, ſicut affectio ſimplex voluntatis cum abſoluto, ac perfecto conſenſu. Alterum principium eſt, omne initium fidei reuocari in gratiam ſupernaturalem Dei, atque ideo ipſum credulitatis affectum non admitti naturalem, quia initiat aſſenſum fidei, vt expreſſum habet Arauſicanum ſecundum can. 5. At apprehenſio per ſe neceſſaria ad aſſenſum fidei etiam eſt aliquod initium fidei. Ergo talis apprehenſio non debet admitti naturalis.

Autores aſſirmantes. P. Suarez. P. Torres. P. Granad. S. Thomas.

5. Huius ſententiæ ſunt P. Suarez 2. 2. diſp. 6. ſect. 8. à n. 12. Pater Torres diſput. 46. dub. 5. Pater Granadus controu. 1. tr. 9. diſp. 5. Eique fauet S. Thomas 2. 2. quæſt. 2. art. 9. ad 3. dicens, *eum qui credit, habere ſufficiens inductiuum ad credendum ex teſtimonijs, & miraculis, & quod plus eſt, ex inſtinctu Dei interius monentis.* Qui inſtinctus interior Dei plane eſt illuſtratio apprehendens, ac proponens credenda ea luce, quæ ad aſſēſum ipſorum neceſſaria eſt. Ideo quæſt. 8. art. 5. ait, donum intellectus deſeruire, vt mens rectè apprehendat, percipiatue ea, quæ per fidem credenda ſunt, & ar. 8. ad 2. donum intellectus aliqua ratione eſſe prius aſſenſu fidei, quatenus ſcilicet intellectio ſupernaturalis apprehenſiua, ac perceptiua credendorum aſſenſum fidei antecedit. Item 1. 2. quæſt. 62. ar. 4. corp. ait. *Per fidem apprehendit intellectus ea, quæ ſperat, & amat.* Sunt igitur apprehenſiones ſupernaturales elicitę per fidem infuſam.

Negantes. P. Salas. Baſilius Legionenſis. Opponitur primo.

6. Ex ijs, qui aſſenſum fidei tuentur intrinſecè ſupernaturalem, docent apprehēſiones neceſſario præcedentes fidē eſſe intrinſecè naturales Pater Salas adductus diſp. 42. num. 34. & Baſilius Legionenſis relatus ibidem num. 36. vbi ipſorū argumenta diſſoluimus Recolantur illa. Alia nūc obijcio. Ac primo, Angeli eliciunt aſſenſus ſupernaturales fidei, prudentię, & ſimiles nullis præcedentibus apprehenſionibus ſupernaturalibus. Ergo & homines ſic eliciūt. Antecedens probatur, quia Angeli non intelligūt res componendo, & diuidendo, apprehenſiones autem ad ſola iudicia componentia, ac diuidentia neceſſariæ ſunt. Conſequentia vero, quia Angelis, & hominibus eædem virtutes intellectuales, aſſenſuſque ſupernaturales eiuſdem ſpeciei conueniunt? Reſpondeo primo, Angeli etiam eliciunt aſſenſus ſupernaturales præuijs apprehenſionibus ſupernaturalibus componendo, & diuidendo. Quoniam compoſitionis, & diuiſionis ſolum aſſenſus naturales expertes ſunt, qui modo naturæ Angelicæ peculiari fiunt, non ſupernaturales, qui fiunt modo naturæ humanæ communi. Ita docui cum pluribus Theologis tr. de Angelis. Secundo aſſenſus ſupernaturales Angelici, & humani differunt ſpecie; quamquam habitus ſupernaturales, quibus fiunt, ſint eiuſdem ſpeciei, quia aſſenſus pendent eſſentialiter à potentia intellectiuā, quæ in Angelo, & homine differens eſt, habitus vero ex ſe indifferentes ſunt hominibus, & Angelis ineſſe, variosque in eis actus iuxta concurſum, & virtutē ipſorum efficere. Ita cum pluribus Theologis diſp. 36. At vbi aſſenſus ſupernaturales Angelici & humani differentes ſunt quoad ſpeciem, & habitus ſupernaturales ex ſe indifferentes ad vtramque aſſenſus ſupernaturalis ſpeciem rectè poſſunt Angelici fieri abſque apprehenſionibus præuijs, quamuis humani præuijs apprehenſionibus fiant. Tertio argumentum directè nihil concludit contra noſtram doctrinam. Nam ſolum volumus, aſſenſus ſupernaturales, qui præuias apprehenſiones deſiderant, illas exigere intrinſecè ſupernaturales. Ergo eos aſſenſus, qui nullis apprehenſionibus præcurrentibus fiunt, elici abſque ſupernaturalibus, noſtro aſſerto non opponitur.

Reſpondetur. Secundo. Tertio.

Opponitur ſecundo.

7. Secundo obijcio. Non dantur habitus infuſi, quibus tales apprehenſiones fiant. At darentur, ſi eſſent intrinſecè ſupernaturales. Ergo intrinſecè ſupernaturales non ſunt. Conſequentia eſt bona. Maior inde vera, quia nullus Theologorum, & Patrum meminit habitus infuſi, qui ad apprehenſiones ſupernaturales deſtinatus ſit. Minor vero, quia ad actus ſupernaturales frequentes hominibus dantur habitus infuſi, quibus connaturaliter fiant, apprehenſiones autem ſupernaturales frequentes ſunt, ſicut aſſenſus, quos neceſſario præcedunt. Ergo ſicut ad aſſenſus ſupernaturales adſunt intellectui habitus infuſi, ad apprehenſiones quoque adeſſe debent.

P. Granados duo reſpondet.

8. Pater Granadus ſup. num. 4. duo reſpondet. Primo eas apprehenſiones ſolum requiri ad primum, vel ſecundum aſſenſum, quia deinde reliqui ſine eis apprehenſionibus ſupernaturalibus fieri poſſunt, atque adeo, ſicut ad illuſtrationes gratiæ non dantur habitus infuſi, neque ad eas apprehenſiones ſupernaturales dari. Secundo ad eas concurrere donum ſupernaturale intellectus, quod in apprehenſiones ſupernaturalium potius, quam in aſſenſus incumbit. Hæ ſolutiones non ſatisfaciunt. Prima, quia omnes aſſenſus humani fiunt ſemper in via præcedentibus apprehenſionibus, vt libro de anima oſtenſum eſt. Ergo ſupernaturales

Non placet prima ſolutio.

Digitized by Google

fiunt ſemper præuenientibus apprehenſionibus ſupernaturalibus: ſiquidem aſſenſus ſupernaturalis non poteſt ſequi per ſe apprehenſionem naturalem, atque ita non ſemel, aut iterum ſolum, ad primum, & ſecundum aſſenſum, ſed ſemper, & ad omnes aſſenſus apprehenſiones ſupernaturales neceſſarię ſunt ea frequentia, qua fiunt ſupernaturales aſſenſus. Itē quia nullus eſt aſſenſus fidei, qui fiat ſine gratia excitante, & præueniente, in quam reuocat Auguſtinus, Deum facere, vt faciamus, & potiores partes in opere ſalutis habere. At hæc gratia excitans, atque præueniens eſt illuſtratio, ſeu apprehenſio intellectus apud Eccleſiæ Patres, vt Pater Granadus admittit. Ergo nullus eſt aſſenſus fidei, ſine apprehenſione ſupernaturali elicitus. Atque adeo quia apprehenſiones iſtæ raræ ſunt, non eſt negandus habitus ad illas. Secunda ſolutio improbatur; quia non ſolum aſſenſus fidei, ſed etiam prudentiæ infuſæ, & alij plures virtutum intellectualium indigent apprehenſionibus infuſis. Idem autem habitus non poteſt in tam variam, ac multiplicem apprehenſionum, & obiectorum formalium ſpeciem intendere. Item quia ad affectiones ſimplices voluntatis præcedentes conſenſum ſupernaturalem non datur vnus aliquis habitus infuſus, quo omnes fiant. Ergo neque is dabitur ad apprehenſiones omnes qui ſit donum ſupernaturale intellectus.

Neque ſecunda.

Vera reſponſio.

9. Facilius ego rem explano. Puto enim, eumdem habitum intellectus, qui efficit aſſenſus ſupernaturales, continere ſimul apprehenſiones ſupernaturales neceſſario præuias ad aſſenſum; atque adeo fidem infuſam elicere apprehenſiones præcedentes aſſenſum fidei, & infuſam prudentiam præcedentes aſſenſum prudentiæ. Hæc doctrina illuſtranda eſt lib. 5. cum explicemus cauſam illuſtrationum, & affectionum ſupernaturalium, quæ ſunt auxilia ſupernaturalia gratiæ. Ratio nunc fit; quia ad eumdem habitum pertinent actus reſpicientes idem obiectum formale, actus perfectus & imperfectus, inchoatio operis, & perfectio. Apprehenſiones autem idem obiectum reſpiciunt, quod aſſenſus, comparanturque cum illo tanquam actus imperfectus cum perfecto, inchoatio operis cum eiuſdem complemento: quare & affectus ſimplex, ac inefficax bonitatis diuinæ efficitur per habitum charitatis; per quem efficitur amor abſolutus, & efficax, vt tract. de charitate, & tract. de gratia auxiliante ſtabilimus. Solum obeſſe poteſt S. Thomas ſuperius docens, donum intellectus conferre in apprehenſiones antecedentes aſſenſum fidei. Sed reſpondeo; vel donum intellectus eſſe indiſtinctum ab habitu fidei, & reliquis habitibus intellectualibus infuſis, vt plerique volunt; vel apprehenſiones ipſius proponere obiecta fidei ſub ratione formali diuerſa ab ea, ſub qua aſſenſus & apprehenſiones fidei eadem obiecta proponunt. De qua ratione formali, & munere, ac diſtinctione donorū ab habitibus infuſis agendum nobis eſt lib. 4. Et quidem habitum fidei elicere apprehenſiones, docet ſanctus Thomas 1.2. vt conſtat ex num. 5.

Explicatur S. Thomas.

Oppoſitio tertio.

10. Obijcio tertio. Apprehenſiones præeuntes aſſenſum fidei ſunt multiplicis generis, & pluſquam ſpecie differentes; aliæ enim proponunt obiecta naturalia, aliæ ſupernaturalia, aliæ Trinitatem, aliæ incarnationem Verbi, aliæ alia, quæ ſacræ Literæ complectuntur: Similiter apprehenſiones præcurrentes aſſenſum prudentiæ, aliæ opus agendum in materia temperantiæ, aliæ in materia religionis, aliæ in alijs innumeris circumſtantijs. At incredibile videtur, tot, tamque diſcrepantes apprehenſiones, & ſupernaturales eſſe, & in aſſenſus eiuſdem habitus, & ſpeciei ex natura rei præire. Ergo. Reſpondet Pater Granadus ſupra num. 6. omnes apprehenſiones præcedentes fidem eſſe eiuſdem ſpeciei, quia licet obiecta materialia ſint adeo differentia, ac varia; tamen obiectum formale, quod illis applicant, nempe reuelatio diuina eiuſdem rationis eſt. Sicut igitur aſſenſus ipſi, qui approbant ipſa obiecta ſunt eiuſdem habitus, & ſpeciei, quia ratio formalis obiectiua omnium eſt reuelatio diuina eiuſdē rationis; ita apprehenſiones quoque poſſunt eſſe eiuſdem habitus, & ſpeciei, quia ea obiecta ſunt tantum materialia, & ratio formalis obiectiua omnibus communis, eſt eadem reuelatio diuina. Non improbo ſolutionem; ſed explicationem deſidero. Etenim aſſenſus poſſunt habere idē obiectū formale, quia reuelatio ipſis obiectis extrinſeca poteſt eſſe ratio obiectiua aſſentiendi, mouereque intellectum ad eorum aſſenſum, quia reuelata ſunt. Apprehenſiones vero non videntur habere pro obiecto formali percipiendi, & apprehendendi ſua obiectiua extrinſecam reuelationem Dei; nam intellectus non mouetur ad apprehenſionem vnius obiecti propter aliud obiectum, neque enim verum eſt, ideo apprehendi Incarnationem, quia reuelata eſt, ſicut eſt verum, ideo aſſentiri, quia eſt reuelata; nam licet reuelata non eſſet, poſſet ſimpliciter apprehendi, quamuis nō poſſet approbari. Ergo reuelatio diuina non eſt obiectum formale apprehendēdi, ſicut eſt obiectum formale aſſentiendi, atque adeo apprehenſiones erunt ſpecie, & genere multiplices, licet aſſenſus ſint eiuſdem ſpeciei.

Occurritur P. Granad.

Solutio eget explicatione.

Vera eſt, & explicatur.

11. Propterea ſuperiori ſolutioni præluceo. Aliæ apprehenſiones ſunt mere ſimplices, quia nulla ratione ſuaſiuæ ſunt aſſenſus, neque intellectum in illum poſſunt inducere; aliæ ſunt apprehenſiones ſuaſiuæ, & virtualiter iudicatiuæ, quia ſic obiectum proponunt, vt ſola luce ipſarum poſſit intellectus de obiecto iudicare. Prioris generis ſunt, quæ cum obiecto non apprehendunt aliquid, quod eius veritatem manifeſtet, & intellectum ad aſſenſum moueat; poſterioris vero, quæ ſimul cum obiecto proponunt aliquod motiuum aſſenſus, & ſuaſiuum veritatis ipſius. Proponis mihi, an Rex tibi petenti conceſſurus ſit mercedem? Apprehendo obiectum à te propoſitum, ſed nihil iudicare poſſum, quia in eo non occurritur ratio aliqua ſuadens conceſſionem Regis potius, quam repulſam; tunc omnino ſimplex apprehenſio eſt. At proponis; an Rex tibi beneuolus, & alias iuſtus tibi multis obſequijs

Digitized by Google

merenti mercedem, & petenti conceſſurus ſit? Tunc ſic apprehendo obiectum propoſitum, vt iure poſſim ferre iudicium probabile de mercede futura, quia gratia, & iuſtitia Regis, tuaque merita ſuadent conceſſionem futuram; tunc apprehenſio non eſt mere ſimplex, ſed ſuaſiua aſſenſus. Igitur ad apprehendendum mere ſimpliciter obiecta credenda, qualiter apprehendo paritatem, & imparitatem ſtellarum, non eſt obiectum formale reuelatio diuina, atque ita ea apprehenſio non eſt ſupernaturalis, neque elicita per habitum fidei. Cæterum ad apprehendendum apprehenſione ſuaſiua, & motiua aſſenſus fidei, obiectum formale eſt reuelatio diuina, quia id, quod obiectum ſecundum ſe apprehenſum non mouet, aut ſuadet aſſenſum, propoſitum vt reuelatum, ſeu ſub reuelatione Dei illum ſuadet, & mouet, atque adeo eiuſmodi apprehenſio, quæ ſemper præcedit aſſenſum fidei, eſt ſupernaturalis, & elicita ab habitu fidei, differenſque ſolum materialiter ab apprehenſione alterius obiecti longe diuerſi, ſicut eſt aſſenſus ipſe obiecti ſic apprehenſi. Ad plenam tamen huius diſputationis lucem iterum moneo recolenda eſſe, quæ expoſuimus diſput. 49.

DISPVTATIO SEXAGESIMAPRIMA.

AN COGNITIONES SVPERNATVRALES IMMEDIATÆ, habentes motiua creata, poſſint eſſe obſcuræ.

Explicatur cõtrouerſia

1. NOn eſt diſputatio de cognitionibus mediatis partis per diſcurſum ex cognitionibus fidei, de his enim obſcuras eſſe poſſe, tulimus ſententiam diſp. 55. Eſt ergo diſputatio de ſolis cognitionibus immediatis; neque de his quærimus, cum motiua reſpiciunt increata; nam de aſſenſu fidei conſtat, ſupernaturalem eſſe, & obſcurum. Eſt itaque controuerſia de cognitionibus, quæ immediate moueantur ex veritate creata, an cum ſupernaturalitate, atque ideo cum certitudine coniungere obſcuritatem queant? Verbi gratia, non cernitur euidenter ſanctitas alicuius iuſti, aut immaculata conceptio Mariæ, neque ea ſancitur fide; an huic obiecto cognitione ſupernaturali, atque adeo certa immediate aſſentiri, valeamus? In hac difficultate non inuenio Theologos, quos conſulam. Quid tamen ſtatuendum ſit, ex frequentibus principijs eruemus.

Noſtra ſententia affirmans.

2. In partem affirmantem aſſenſum fero. Pro qua ſtare debent, quotquot volunt, obiectum formale fidei eſſe aliquid creatum, ſiue reuelationem, ſiue lumen fidei, ſiue illuſtrationes gratiæ; quos videre eſt nec paucos, nec ignobiles apud P. Suarez de fide diſp. 3. ſect. 3. P. Coninck diſput. 9. dub. 5. P. Granadum, & alios Scribentium recentiorum. Vnde ſic primam probationem conficio. Poteſt reuelatio creata Dei proponi digna aſſenſu immediato, & obſcuro fidei ſupernaturalis, itaut vere exiſtente reuelatione aſſenſus fiat ſupernaturalis, non exiſtente vero aſſenſus fiat naturalis. Ergo ſimiliter aliud obiectum creatum poteſt proponi dignum propter ſe aſſenſu immediato, & obſcuro, cui vere exiſtenti, aſſenſus præbeatur ſupernaturalis, non exiſtenti vero naturalis. Probatur conſequentia à paritate. Nam ſi aliqua ratione aliud obiectum intellectui obſcurum non poſſet proponi aſſenſu immediato ſupernaturali dignum, eſſet, quia deficeret medium, ex quo certitudo aſſenſus poſſet deſumi. At hoc medium non requiritur, cum aſſenſus ex modo tendendi in obiectum immediatum certus eſſe poſſit, quia videlicet fieri repugnat, niſi obiectum immediatum vere exiſtat, ſicut aſſenſus immediatus reuelationis non elicitur per fidem infuſam, licet reuelatio proponatur credibilis, niſi reuelatio vere exiſtens ſit. Ergo ſimiliter poteſt fieri aſſenſus ſupernaturalis alterius obiecti obſcuri.

P. Suarez. P. Coninck P. Granad. Prima ratio.

Euaſio.

3. Dices, actum fidei non aſſentiri reuelationi creatæ immediate propter ſe, ſed mediate propter veracitatem Dei ſumme ſapientis. Sed contra. Nunc arguimus ſupponendo ſententiam eorum Theologorum, qui tuentur, reuelationem diuinam eſſe obiectum formale immediatum aſſenſus fidei. In hac autem ſententia non datur locus euaſioni argumenti per aſſenſum mediatum reuelationis præſtitum propter veracitatem diuinam. Deinde aliud eſt, reuelationem Dei eſſe in ſe exiſtentem vere, aliud reuelationem Dei eſſe veram, in eo quod reuelat. Ratio quidem, propterquam reuelatio Dei vere exiſtens eſt vera in eo, quod reuelat, eſt veracitas ſumme ſapientis Dei, quippe Deus ſumme ſapiens, ac verax non poteſt reuelare aliquid falſum. Ratio vero, propter quam Dei reuelatio in ſe exiſtit vere, non eſt veracitas, ac ſapiẽtia Dei; nam poteſt Deus eſſe ſumme ſapiens, ac verax, quin reuera aliquid ad extra reuelet. Ratio igitur obiectiua immediata, propter quam aſſenſus fidei credit exiſtere vere reuelationem Dei, erit ipſa exiſtentia reuelationis, propoſita credibilis immediate, ac propter ſe. Ergo ſimiliter poterit proponi exiſtentia alterius obiecti obſcuri, cognoſcibilis immediate, ac propter ſe per aſſenſum ſupernaturalem.

Impugnatur.

Euaſio ſecunda.

4. Dices ſecundo, reuelationem poſſe terminare, ac mouere intrinſece aſſenſum obſcurum ſupernaturalem, quia eius exiſtentia proponitur

proponitur credibilis per conſenſum totius Eccleſiæ: at vero alia obiecta obſcura non ſic Reijcitur. proponuntur exiſtentia? Sed contra; quia licet iudicium totius Eccleſiæ conſentiat exiſtẽtiæ reuelationis creditæ per fidem ſupernaturalem; tamen hic conſenſus Eccleſiæ non conſtat omnibus credentibus immediate, ſed mediate per propoſitionem Prælatorum, ac ſapientium; quare æque poteſt proponi credibilis reuelatio exiſtens vere, ac ſolum apparenter exiſtens, itaut in vere exiſtentem aſſenſus fiat ſupernaturalis per fidem infuſam, in exiſtẽtem vero ſolum apparenter aſſenſus fiat naturalis per fidem acquiſitam, vt cum pluribus Theologis poſuimus diſput.45. ſect.5. & diſp. 48.num.2. Itaque ſola requiritur propoſitio exiſtentiæ reuelationis, quæ aſſenſum reddat euidenter prudentem, & diſſenſum euidenter imprudentem. At ſimilis propoſitio fieri poteſt exiſtentiæ alterius obiecti, vt ſanctitatis alicuius iuſti nondum ab Eccleſia Canonizati, aut immaculatæ Conceptionis Mariæ nondum ab Eccleſia definitæ; quippe in exiſtentiam horum obiectorum conuenire poſſunt tot miracula, argumenta, & teſtimonia, vt imprudentem reddant diſſenſum. Ergo ſi vera eſt eorum exiſtentia, poterit fieri aſſenſus ſupernaturalis, ſi vero falſa, naturalis. Deinde plerique Theologi ſentiunt, reuelationibus priuatis præberi aſſenſum ſupernaturalem, & elicitum per fidem P.Suarez. infuſam, quos refert, & ſequitur Pater Suarez de fide diſputat.3. ſect.10.num.2. Tamen exiſtentia reuelationis priuatæ non proponitur probata per conſenſum Eccleſiæ, ſed priuatis argumentis ſic euidenter credibilis, vt imprudens eſſet, qui illi diſſentiret. Ergo in alia obiecta obſcura non propoſita ab Eccleſia poteſt præberi aſſenſus immediatus obſcurus, intrinſece ſupernaturalis.

Tertia. Lorca. 5. Dices tertio cum Lorca de fide diſput. 10. num. 12. deficiente applicatione Eccleſiæ, & humana notitia argumentorum, quæ reddunt credibilem exiſtentiam reuelationis, interuenire motionem ſpecialem ſupernaturalem Dei, quæ voluntatem pellit in aſſenſum: hanc autem motionem ſupernaturalem non adeſſe Redarguitur. ad alios aſſenſus? Sed contra primo; quia modo non tam diſcutimus exiſtentiam, quam poſſibilem naturam cognitionũ ſupernaturalium, quæ immediate aſſentiantur obiectis creatis, obſcure propoſitis, & à reuelatione diuina diſtinctis. Ad poſſibilitatem autem ſufficit adeſſe poſſe motionem ſupernaturalem, quamuis de facto non adſit. Secundo reipſa adeſſe conſtat. Nam motio ſupernaturalis Dei non tam eſt in aſſenſu fidei, quam in affectum voluntatis imperantem illius. At motionem Dei adeſſe in affectum imperantem aſſenſus prudentis obſcure referentis obiectum creatum, conſtat ex diſput. 48. & 56. ſect. 2. vbi oſtendi, affectum ſupernaturalem mouere poſſe non ſolum ad aſſenſum ſupernaturalem, verumetiam ad naturalem, & erroneum.

Quarta. 6. Dices quarto ad aſſenſum obſcurum reuelationis dari habitũ infuſum, quo ſupernaturalis fiat, ſecus vero ad aſſenſus immediatos aliorum obiectorum. Sed contra. Inprimis hoc Repellitur. non improbat repugnantiam aliorum aſſenſuum, quam ſolam nunc examinamus. Præterea deficientibus habitibus infuſis poſſunt efficere aſſenſum ſupernaturalem illuſtrationes, aut effectus ſupernaturales præcedentes ipſum, vt oſtendemus libro quinto. At non ſolum aſſenſum obſcurum fidei, ſed etiam alios præcedunt affectus ſupernaturales imperatiues, vt ſtatuimus diſput.48. & 56. ſect.2. Denique contendimus, etiam ad alios aſſenſus præter elicitos per fidem diſponi à Deo habitus infuſos, qui eos efficiant. Nam eiuſmodi aſſenſus, & ſalutares ſunt, & frequentes ad propoſitionem honeſtatis obiectiuæ, quæ mouent affectus virtutum infuſarum, vt progreſſu huius diſputationis, & ſequentis aperiemus.

7. Secundo probatur aſſertum. Sunt plu- Secũda ratio. res cognitiones prudentiæ infuſæ ineuidentes, & obſcuræ. Obiectum motiuum prudentiæ infuſæ eſt creatum. Ergo præter fidem plures cognitiones ſupernaturales ineuidentes, & obſcuræ mouentur ex obiecto creato. Minor conſtat; quia prudentia infuſa non eſt virtus Theologica. Eſſet autem Theologica, ſi ratio motiua eſſet increata. Maior probatur. Cognitiones practicæ, quibus iuſti diriguntur ad actus virtutum infuſarum, pertinent ad virtutem infuſam. Plures earum cognitionum ſunt ineuidentes, & obſcuræ: nam vt iuſti actus ſalutares efficiant, non requiritur, vt eorum exercitium proponatur euidenter licitum, & honeſtum, prudenter enim agere poſſunt cum ſola probabilitate honeſtatis agendi. Ergo plures cognitiones prudentiæ infuſæ ſunt ineuidentes, & obſcuræ. Il- Illuſtratur ex Proſper. luſtratur ex Diuo Proſpero lib. 3. de vita contemplatiua cap. 33. vbi exponens, qua ratione prudentia illuſtret beatos, ait, *Iam prudentia quæ hic in ænigmate quodam prudentes illuminat, qualis ibi erit, vbi veritatem profectis; quos hic eius inquiſitio delectabat, ſine vllis figuris fallentibus demonſtrabit?* En prudẽtia viatores in ænigmate illuminat, quod eſt proprium cognitionis obſcuræ. Item cap.30. prudentiæ à Deo infuſæ eſſe, docet, præcauere errorem in appetendis, & agendis. *Quia poteſt homines error, aut infirmitas peccatis inuoluere; ab illo ſe illuminari fideliter poſtulent, & ſanari, cui exultans ille clamabat in Spiritu dicens: Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem trepidabo*, Pſalm.26. *vt cum* Pſ.26. *illuminatio per donum prudentia, ac ſapientia collata detraxerit cæcitatem, & ſanauerit per Dei gratiam ſalus infuſa languorem: tunc mens illuminata diuinitus, & ſanata, nec in iis, quæ cauenda, vel appetenda ſunt, humano decipiatur errore, aut pro veris falſa defendat, aut pro falſis vera reijciat.* At ſi prudentia infuſa ſemper obiecta reſpiceret euidenter nota, nullus in eorum obiectis immineret error, quem præcaueret prudentia. Ergo interdum obiecta reſpicit, quæ euidentia intellectui non ſunt, ſed obſcura.

8. Tertio; plura obiecta affectuum ſu- Tertia. pernaturalium proponuntur diligenda per cognitionem ſpeculatiuam ſupernaturalem, quæ neque euidens eſt, neque obſcura per fidem elicita. Ergo præter cognitionem fidei, aliæ ſunt

cognitiones ſupernaturales obſcuræ. Aſſumptum probatur primo in affectibus beneuolentiæ ſupernaturalis, qua diligimus iuſtos propter bonitatem ſanctitatis creatæ: ſecundo in affectibus ſupernaturalibus Duliæ, qua colimus Sanctos propter excellentiam creatam ipſorum propriam, tertio in affectibus ſalutaribus, quibus diligimus Deum propter bonitatem iuſtitiæ ſtrictæ, & alias perfectiones, diſputationibus Theologorum ſubiectas. Nam præter cognitionem practicam prudentiæ neceſſaria eſt cognitio ſpeculatiua proponens bonitatem horum obiectorum, in quam afficitur voluntas, ſicut ad diligendum Deum per charitatem, præter cognitionem prudentiæ neceſſaria eſt cognitio ſpeculatiua fidei, aut alterius virtutis intellectualis, quæ Dei bonitatem proponat, vt diſp. præc. ſect. 2. expediemus. At hæc cognitio ſpeculatiua non eſt euidens, neque enim euidenter ſcimus bonitatem gratiæ habitualis, & excellentiam Sanctorum, perfectionem iuſtitiæ ſtrictæ, & alias ſimiles in controuerſia poſitas. Neque eſt elicita per fidem, cum ab Eccleſia definita non ſit omnis bonitas iuſtorum, & Dei, quæ hos affectus ſalutares mouet. Etenim beneuolentiam amicitiæ ſupernaturalis ineunt iuſti, dum ſunt in via; Duliæ cultum deferebant fideles Sanctis, etiam prius, quam Canonibus Eccleſiæ referrentur inter Beatos; affectum iuſtitiæ ſtrictæ prouocat perfectio Dei, quæ abſque fidei diſcrimine negatur à pleriſque Theologis. Erit igitur talis cognitio ſupernaturalis obſcura ex alio motiuo, quam fidei. Atque adeo, ſicut datur aſſenſus ſupernaturalis fidei in reuelationem Dei obſcuram, euidenter credibilem; ita & aſſenſus ſupernaturalis in veritatem creatam obſcuram, euidenter probabilem.

Prima reſponſio. *Eleuatur.*

9. Dices primo, eos affectus non dirigi ex aſſenſu, ſed ex apprehenſione obiecti obſcuri? Sed contra, apprehenſio ſupernaturalis excitans eos affectus debet eſſe obſcura, & ſuaſiua aſſenſus; nam, ſi eſſet euidens, extorqueret aſſenſum; &, ſi non eſſet ſuaſiua aſſenſus, inepta eſſet ad excitandum affectum ſupernaturalem voluntatis, vt diximus diſput. 46. num. 12. & diſp. 60. num. 11. Vbi autem dantur apprehenſiones obſcuræ ſuaſiuæ aſſenſus, dari etiam poteſt aſſenſus obſcurus, in quem apprehenſiones mouent. Ergo dari poteſt aſſenſus obſcurus ex alio motiuo, quam fidei. Præterea bonitatem diuinam notam ex fide diligimus præcedente aſſenſu, & non apprehenſione ſola illius. Ergo alias Dei, & proximi perfectiones diligimus frequenti affectu ſupernaturali per aſſenſum, & non per ſolam apprehenſionem illarum. Eodem namque modo diligimus affectu ſupernaturali perfectiones Dei, & Sanctorum non manifeſtas per fidem, quo diligimus Dei bonitatem ex fide notam.

Secũda reſponſio. *Eneruatur.*

10. Dices ſecundo, eos affectus concipi ex aſſenſu ſolius apparentiæ, aut probabilitatis obiecti, qui ſemper eſt euidens; non ex aſſenſu directo veritatis, & exiſtentiæ obiecti, qui eſt obſcurus. Sed contra; eſto id ſit poſſibile, eos affectus dirigi ex aſſenſu directo obiecti; imo frequentius, ac connaturalius eſt, ex tali cognitione moueri. Etenim actus charitatis, quo diligimus Deum propter bonitatem ex fide notam, non dirigitur ſemper ex iudicio credibilitatis ipſius, ſed regulariter mouetur ex iudicio directo talis bonitatis. Ergo ſimiliter mouentur alij affectus ſupernaturales, quos argumento obijcimus, cum eodem modo eis præluceat intellectus, quo dilectioni charitatis conceptæ per fidem.

Quarta probatio.

11. Quarto denique; plures illuſtrationes ſupernaturales infunduntur à Deo infidelibus, excitantes voluntatem ad quærendum Deum, & colendum virtutem, quæ non ſunt euidentes, ſed obſcuræ, vt illuſtribus teſtimonijs, atque exemplis oſtendit Pater Ruiz de prouidentia tr. 3. diſt. 25. ſect. 4. Ergo dantur aſſenſus ſupernaturales obſcuri, qui fidei non ſunt. Nam eæ illuſtrationes, aut aſſenſus ſunt, aut ſaltem aſſenſum inducere poſſunt. At non fidei ſtrictæ, cum omnem aſſenſum fidei præcedant, & in diſpoſitionem fidei præbeantur Gentilibus. Ergo alij aſſenſus ſupernaturales præter fidem obſcuri, & immediati ſunt, qui ex alio obiecto formali, quam ex diuina reuelatione moueantur. *P. Ruiz.*

Prima obiectio.

12. Obijcies. Cognitio ſupernaturalis debet eſſe certa, cum neceſſario ſit vera, & cum obiecto connexa. At cognitio obſcura ex motiuo creato, quod non ſit reuelatio diuina, certa eſſe non poteſt. Ergo ex motiuo creato, quod non ſit reuelatio diuina, repugnat cognitio ſupernaturalis obſcura. Confirmatur, ſicut non poſſumus eſſe ſupernaturaliter certi de noſtra iuſtitia, & ſanctitate, ita neq; de iuſtitia, & ſanctitate alterius viatoris. Eſſemus autem ſupernaturaliter certi de iuſtitia, & ſanctitate alterius viatoris, ſi eum diligeremus propter ſuam iuſtitiam ſupernaturaliter cognitam. Siquidem talis cognitio eſſet certa. Ergo. Reſpondeo. Hoc argumentum multum probat, ſcilicet non dari amicitiam ſupernaturalem inter iuſtos propter ſanctitatem ipſorum, neque ſupernaturalem Duliam propter eorumdem excellentiam. Quandoquidem ad affectus harum virtutum requiritur cognitio ſupernaturalis bonitatis motiuæ ipſarum, quæ eſt aliena ſanctitas, atque excellentia. Præterea nego, repugnare certitudinem cognitionis obſcuræ reſpicientis immediate motiuum creatum, ſicut non repugnat certitudo cognitionis fidei, qua immediate, ac propter ſe aſſentimur exiſtẽtiæ creatæ reuelationis diuinæ. Nam ſicut reuelationem diuinam reddunt immediate credibilem argumenta noſtra fidei, ita Sanctitatem iuſtorum, & alia obiecta reddunt pleraque argumenta immediate, ac propter ſe approbatione digna, vt imprudens ſit, qui eorum exiſtentiæ diſſentiat, ſicut eſt, qui credibilibus per fidem diſſentit. De quo recole, quæ prima probatione ſententiæ expendebamus. *Solutio.*

Explicatio.

13. Tamen vt hæc plene illuſtrentur, duplicem certitudinem diſtinguo. Alia eſt directa de obiecto, quod nos ſcimus, alia reflexa de aſſenſu obiecti noti. Prima non incongrue dicitur certitudo cognitionis, ſecũda certitudo

Digitized by Google

cognoſcentis: ſeu vt alij volunt, prima eſt certitudo cognitionis in ſe; ſecunda certitudo cognitionis quoad nos. Rurſus certitudo directa alia eſt mediata, conueniens cognitioni ex medio, ſeu obiecto formali extrinſeco ab ipſa re cognita diſtincto, vt certitudo aſſenſus fidei de miſterio reuelato, & credito propter authoritatem reuelantis, certi enim ſumus de miſterio reuelato, quia certi ſumus de authoritate reuelantis; alia eſt immediata, conueniens cognitioni ex modo reſpiciendi obiectum, vt certitudo directa fidei de exiſtentia reuelationis diuinæ; nam eandem reuelationem poſſunt habere pro obiecto formali intrinſeco aſſenſus naturalis hæretici, & aſſenſus ſupernaturalis Catholici, vt ſtatuimus diſput. 45. ſect. 5. tamen aſſenſus ſupernaturalis Catholici eſt certus, naturalis vero hæretici incertus ex vario modo reſpiciendi obiectum; nempe certus cõnectitur cum reuelatione, quam immediate refert, cum qua non connectitur incertus, vt expoſuimus diſp.46. Præterea certitudo reflexa alia eſt intellectualis, nempe iudicium neceſſario verum, quo intellectus ſibi perſuadet, ſe non falli in aſſenſu præſtito rei; alia eſt affectiua, nempe affectus efficax, & prudens voluntatis, quo vult tenaciter adhærere aſſenſui præſtito quamuis ineuidenti, & obſcuro, quin vlla ratione ab eo aſſenſu dimoueri, & in diſſenſum adduci queat.

Igitur de veritate creata poteſt eſſe cognitio ſupernaturalis obſcura, & certa certitudine directa, & immediata ex modo tendendi in obiectum, qualis eſt aſſenſus exiſtentiæ reuelationis elicitus per fidem; eſto, non poſſit eſſe certa certitudine mediata ex motiuo extrinſeco, omnino infallibili, qualis eſt aſſenſus miſterij reuelati propter authoritatem reuelantis. Item poteſt eſſe certa certitudine reflexa affectiua ab affectu prudenti voluntatis, quo aſſentiens velit adhærere aſſenſui propter argumenta, quæ rem efficiunt euidenter dignam, cui aſſenſus præbeatur; eſto, non ſit certa certitudine reflexa intellectuali à iudicio reflexo, quo intellectus ſibi perſuadeat, ſe falli non poſſe in aſſenſu directo rei, ex eo quod deficiat motiuum extrinſecum omnino infallibile, quod omnino firmum, neceſſarioque verum reddat tale iudicium. Vnde ad confirmationem reſpondeo. Eccleſia ſolum prohibet certitudinem directam fidei de iuſtitia, aut ſanctitate viatoris, item certitudinem reflexam intellectualem aſſenſus directi illius. At non prohibet certitudinem directam, quæ non ſit ex motiuo fidei, ſed ex modo reſpiciendi talem ſanctitatem: neque certitudinem reflexam affectiuam ab affectu prudenti determinante aſſenſum directum. Hæc enim certitudo neceſſaria eſt cognitioni ſupernaturali, quæ regulatur affectus ſupernaturales beneuolentiæ, & religionis, quos erga Iuſtorum, & Beatæ Mariæ ſanctitatem, atque excellentiam nõ reuelatã à Deo frequentes exercemus.

14. Obijcies ſecundo. Non ſunt habitus infuſi ad quos tales cognitiones obſcuræ pertineant. Ergo ſupernaturales non ſunt. Reſpondeo. Nunc poſſibilitatem potius, quam exiſtentiam harum cognitionum inquirimus. Ad poſſibilitatem autem nihil obeſt defectus exiſtentiæ habituum ſupernaturalium. Deinde non eſt improbabile, eos habitus adeſſe. Nam obiecta harum cognitionum, aut ſunt actiones ſubiectæ arbitrio ipſius cognoſcentis ſua honeſtate, mouentes imperium virtutum moralium; aut excellẽtia alterius ſuppoſiti ſua bonitate alliciens affectum beneuolentiæ, aut religionis infuſæ. Prius genus cognitionum referri poteſt in prudentiam infuſam. Poſterius in habitus infuſos ſapientiæ, ſcientiæ, aut intellectus ſupernaturalis, quorum meminerunt ſacri Scriptores, & Eccleſiæ Patres, de quibus ex profeſſo agemus nos lib. ſequenti, & attingemus nonnulla ſequenti diſputatione.

Secunda obiectio.

Reſponſio.

DISPVT. SEXAGESIMASECVNDA.

QVÆ COGNITIONES SVPERNATVRALES AFFECTVM ſupernaturalem præcedant?

NECESSARIAM eſſe cognitionem ſupernaturalem ad ſupernaturalem affectum exploratum eſt ex diſp. 49. ſect. 4. & 5. Quænam autem cognitio neceſſaria ſit, inueſtigamus in præſenti. Conferunt enim ad excitandum affectum ſupernaturalem, tum cognitio ſpeculatiua proponens honeſtatem obiecti externi, quod per affectum amamus, tum cognitio practica proponens honeſtatem affectus interni, quo illud amamus. Rurſus vtraque cognitio poteſt eſſe, aut iudicatiua, aut ſolum apprehenſiua ſui obiecti.

SECTIONES.

1. *An, & quæ cognitiones ſpeculatiuæ.*
2. *An, & quæ cognitiones practicæ.*

SECTIO PRIMA.

An, & quæ cognitiones ſpeculatiuæ.

1. ASſero primo. Ad affectum ſupernaturalẽ neceſſaria eſt cognitio ſupernaturalis, Prima aſſertio.

quæ proponat honeſtatem, aut malitiam obiecti interni, quod amore, aut odio proſequitur Probatio. voluntas. Probo. Cognitio neceſſaria per ſe ad affectum ſupernaturalem, debet eſſe ſupernaturalis. Cognitio proponens bonitatem, aut malitiam obiecti externi, quod amore, aut odio proſequitur volũtas, eſt neceſſaria per ſe ad affectũ ſupernaturalem. Ergo talis cognitio debet eſſe ſupernaturalis. Conſequentia legitima eſt. Maior conſtat ex diſp. 49. ſect. 4. & 5. Minor probatur, volũtas non poteſt ferri in obiectum incognitum. Obiectum amoris eſt bonũ, odij vero malum. Ergo ad affectum amoris neceſſaria eſt cognitio proponens obiectum vt bonũ, ad affectum vero odij cognitio proponens obiectum vt malum. Confirmatur. Confirmatur. Ad actum charitatis, quo diligimus Deum, præter dictamen prudentiæ infuſæ neceſſaria eſt per ſe cognitio ſpeculatiua fidei proponens bonitatem diligẽdam Dei, vt cõcors eſt Theologorum ſententia. Ergo ad omnem affectum ſupernaturalem requiritur per ſe cognitio ſupernaturalis proponens bonitatem obiecti, quod eo affectu proſequitur voluntas. Nam ratio, propter quam præter prudentiam infuſam neceſſaria eſt ad actum charitatis cognitio ſpeculatiua fidei, proponẽs bonitatem Dei, quam per eum actum diligimus, non eſt alia, niſi quia talis cognitio eſt requiſita per ſe ad amorem Dei, ne volũtas in cognitum feratur. Quæ ratio omnibus affectibus ſupernaturalibus communis eſt. Et quidem ſi aliarum virtutum affectus poſſẽt fieri ex cognitione naturali ſui obiecti, ſolo præcedẽte dictamine ſupernaturali prudentię, non eſt, quare ſimiliter dilectio ſupernaturalis Dei fieri nõ poſſit ex cognitione naturali Dei, ſolo præcedente Alia confirmatio. dictamine ſupernaturali prudentiæ infuſæ. Iterum cõfirmatur. Ad omnem affectum ſupernaturalem præire debet gratia excitãs illuſtrationis ſupernaturalis, vt cõmunis eſt Theologorũ cõſenſio, & manifeſtum faciemus lib. 5. At illuſtratio gratiæ excitans voluntatem ad affectum virtutis eſt propoſitio honeſtatis, quam voluntas ſuo amore proſequi debet. Ergo propoſitio ſupernaturalis honeſtatis obiectiuæ præire debet omnem affectum ſupernaturalem virtutis.

Notatio. 2. Cæterum notatum velim, ad amorem liberum virtutis infuſæ proponi poſſe indifferẽter bonitatem, & malitiam obiecti, aut per vnã cognitionem, aut per duas, quarum alia ſolam referat bonitatẽ, alia ſolam malitiam. Igitur ad amorem liberum virtutis infuſę ſola propoſitio bonitatis obiectiuæ requiritur intrinſece ſupernaturalis, non vero propoſitio malitiæ; quia ad amorem obiecti ſecundum ſuam entitatem nõ eſt neceſſaria cognitio malitię, ſed ſola cognitio bonitatis; quippe mea opinione idem amor ſecundum entitatem poteſt fieri neceſſarius, & liber. Quare cum propoſitio indifferens obiecti ſit per duplicem cognitionem, non requiritur vtraq; intrinſece ſupernaturalis, ſed ſufficit cognitio ſupernaturalis bonitatis obiectiuæ cum cognitione naturali malitię; ſecus vero cum ea propoſitio ſit per vnicam cognitionem, in qua cognitio bonitatis indiuidua eſt à cognitione malitiæ, atq; ideo ſi bonitatis cognitio, quæ eſt per ſe requiſita ad amorẽ, ſupernaturalis eſt, neceſſario erit etiam ſupernaturalis cognitio malitiæ. Idem proportione dicendum de odio ſupernaturali malitiæ moralis, nempe ſolã cognitionem malitiæ requiri intrinſece ſupernaturalem, non vero cognitionem bonitatis delectabilis obiecti, cum à cognitione malitiæ diſtincta eſt. Si vero amor liber eſſentialiter liber eſt, conſequenter iudico, vtramque cognitionem eſſe neceſſario ſupernaturalem, quia vtraque per ſe ad amorem liberum ſecundum ſuam entitatem neceſſaria eſt.

3. Obijcies; cognitio bonitatis obiectiuę, Obiectio. quam reſpiciunt virtutes morales, non pertinet ad fidem, quia non reuelauit Deus omnia obiecta formalia virtutum moralium ſecũdum differentias ſpecificas ipſarum, præſertim hic, & nunc exiſtentia, prout terminant affectus earum, neque pertinet ad prudentiam infuſam, quia hæc ſolum dirigit actiones internas, non autem externas, in quibus reſidet honeſtas obiectiua virtutum, nam teſte Ariſtotele 6. & hic Ariſtoteles cap. 4. & 5. eo differt prudentia ab arte, quod ars in regulandas actiones externas, prudentia vero in regulandas internas incumbit. Ergo cognitio bonitatis obiectiuæ, qua mouentur virtutes morales, non eſt intrinſece ſupernaturalis, cum nulla ſit alia virtus ſupernaturalis, ad quam pertinere poſſit? Reſpondeo. Ea cogni- Reſponſio. tio poteſt referri in prudentiam infuſam. Quippe eius munus non ſolum eſt dirigere honeſtatem actionis internæ, ſed etiam externæ, à qua interna ſuam rectitudinem, & honeſtatem deſumit, vt cum alijs docet P. Salas tomo 2. in 1. P. Salas. 2. quæſt. 56. diſputat. 3. num. 36. & ſequenti, explicans Ariſtotelem, quod velit, prudentiam dirigere actiones internas primario, & externas ſecundario, artem vero externas primario, & internas ſecundario.

4. Addo ego, eo diſtingui, quod pruden- Additio. tia regulatur actiones externas, prout conſonant naturæ rationali, vt rationalis eſt: ars vero prout inter ſe, & in fines omnino extrinſecos concordant. Etenim alicuius virtutis eſt occupari in dirigendis actionibus externis, prout conueniunt naturæ rationali, honeſtatemque præ ſe ferunt. Hoc autem officium nullius virtutis dignius eſt, quam prudentiæ.

Sed Vrgebis. Prudentia habet pro obiecto Vrgetur. formali honeſtatem formalem actionis internæ. Ergo non habet honeſtatem obiectiuam actionis externæ. Nam honeſtas obiectiua actionis externæ diuerſa eſt ſpecie ab honeſtate formali actionis internæ. Eadem autem virtus non reſpicit honeſtates differentes ſpecie. Reſpondeo. Vtraque honeſtas eſt obiectum Occurritur formale prudentiæ, quia licet Phyſice differant, tamen vtraque pertinet ad eandem ſpeciem, ac conſiderationem moralem, quoniam interna, & externa æquiualenter, ac moraliter eadem honeſtas eſt, cum alia in alia moraliter contineatur, vt fuſius exponemus lib. 4. & proportione dicemus diſput. ſexageſima quarta, de virtute morali voluntatis reſpiciente reflexe actiones internas. Neque refert, honeſta-

Digitized by Google

tem obiectiuam iuſtitiæ eſſe diuerſam etiam moraliter ab honeſtate obiectiua miſericordiæ. Nam etiam honeſtas formalis actionis iuſtæ internæ diuerſa eſt morali conſideratione ab honeſtate actionis internæ miſericordiæ. Vel ergo vtraque honeſtas interna dirigitur ab eadem prudentia, vel ſua cuique prudentia reſpondet? Quidquid dixeris de prudentia dirigente actiones internas, dicito de prudentia dirigente externas. Quid autem abſolute ſtatuendum eſt, non eſt huius diſputationis explanare. Decernemus nos libro quarto.

Vrgetur vlterius.

5. Vrgebis vlterius. Quamquam bonitas obiectiua actionis ſubiectæ arbitrio noſtro ſit obiectum prudentiæ, quæ talem actionem dirigere poteſt; tamen bonitas alterius ſuppoſiti, quam plerique affectus ſupernaturales reſpiciunt, prudentiæ obiectum non eſt, vt bonitas, & excellentia iuſtorum, quæ mouet affectus amicitiæ, & Duliæ ſupernaturalis; item aliqua perfectio ſpecifica Dei non reuelata à Deo, atque ideo neque per fidem cognita, quæ nihilominus allicere poteſt ſalutares charitatis affectus. Etenim huiuſmodi cognitiones cum omnino ſpeculatiuæ ſint, & à regimine prudentiæ alienæ, à prudẽtia elici non poſſunt. Aliunde neque eliciuntur per fidem, cum earum obiecta reuelata à Deo non ſint. Ergo erunt cognitiones mere naturales? Reſpondeo. Etiam eiuſmodi cognitiones intrinſece ſupernaturales ſunt, vt probat ratio noſtræ concluſionis. Quare ſi non eſſent habitus infuſi, quibus pertinerent, ſatius erit, aſſerere eas fieri per auxilium extrinſecum, quam mere naturales adſtruere. Forte non deerit, qui eas etiam adſcribat prudentiæ infuſæ. Quoniam prudentia in genere diffinitur ab Auguſtino libro 83. qq. quæſt. 61. & 1. de libero arbitrio capite vndecimo. *Cognitio rerum appetendarum, & fugiendarum*, & à Tullio ſecundo Rethoric. *rerum bonarum, & malarum, verarumque ſcientia.* Eiuſmodi autem cognitiones ſub rerum appetendarum, & fugiendarum cognitione, ſub rerum bonarum, & malarum, verarumque ſcientia comprehenduntur. Nec obeſt, ſpeculatiuas eſſe. Nam, vt docuimus in Dialectica, & in Metaphyſica oſtendemus, conſtatque in habitu infuſo fidei, poſſunt actus practici, & ſpeculatiui ad eundem habitum pertinere; quamquam quia practici actus ſunt potiores, & frequentiores habitus prudentiæ, abſolute practicus merito nuncupatur. Rectius tamen in alios habitus infuſos referuntur; plerique enim habitus infuſi præter fidem, & prudentiam intellectum inſtruunt, vt libro quarto videbimus, vbi his rebus pleniorem lucem tribuemus. Interdum cognitiones obiectiuæ, poſſunt cognitionibus Theologicis annumerari, ex aliqua fidei cognitione partis, quam intrinſece ſupernaturalem eſſe, veroſimile oſtendimus diſputatione quinquageſima quinta, ſectione ſeptima. Interdum tribui poſſunt ſapientiæ, aut ſcientiæ abſtractiuæ infuſæ, quam à prudentia diſtinctam, & in notione ſpeculatiua veritatis occupatam, agnoſcunt Eccleſiæ Patres, atque Theologi vt libro quarto illuſtrabimus. Accipe nunc Proſperum libro tertio de vita contemplatiua capite 19. *Præmiſſerim, vt quidquid de prudentia fuerit diſputatum, id totum de ſapientia dictum poſſit intelligi, quia ita ſibi hæ duæ virtutes implicatæ ſunt, & vnitæ, vt vnaqualibet earum ſine altera non poſſit eſſe; vt nec imprudens ſapientia, nec inſipiens poſſit dici prudentia.* En prudentiam, & ſapientiam duas, atque adeo diſtinctas virtutes docet, alteramque alteri nexam. De quarum officio prius ſic ſcripſerat. *Nihil aliud prudentiæ, ac ſapientiæ munus accipitur, niſi inquiſitio, & comprehenſio veritatis.* Vtique quia prudentia veritates practicas, ſapientia ſpeculatiuas, quæ ad affectus ſalutares conferunt, inquirit. Quod rurſus confirmat capite trigeſimo, è quo teſtimonium habes diſputatione præcedenti num. 7. quod etiam rem præſentem illuſtrat.

Satisfit.

Auguſtin.

Tullius.

Proſper.

Rurſus obijcitur.

6. Vrgebis rurſus. Plerumque talis bonitas obiectiua proponitur cognitione falſitati ſubiecta, nempe ſolum probabili, atque adeo eum obiectum reipſa non exiſtit, & cognitio falſa eſt. Nam, vt affectus ſalutaris ſit, non requiritur, vt reipſa ſit bonitas obiectiua, quæ mouet voluntatem, ſed ſufficit, vt appareat. At cognitio ſupernaturalis falſa eſſe repugnat, ſaltim ex natura rei. Ergo ſola cognitione naturali bonitatis obiectiuæ duci poteſt voluntas in affectum ſupernaturalem? Reſpondeo. Quamuis bonitas obiectiua obſcure proponatur, & non ſit reuelata à Deo, poteſt illam referre directe cognitio ſupernaturalis, ſi obiectum reipſa exiſtat, vt anteriori diſp. expediuimus. Si vero obiectum reipſa exiſtens non ſit, tunc quidem propoſitio obiecti non fiet per aſſenſum ſupernaturalem exiſtentiæ ipſius, qui neceſſario falſus eſt. Cæterum fieri poteſt per ſupernaturalem apprehenſionem, quæ formaliter neque eſt vera, neque falſa, vt libro de anima docuimus, & ſola ſufficit mouere voluntatis affectum ſeorſim à iudicio, vt aſſertione ſequenti decernimus, aut fieri poteſt per iudicium ſupernaturale proponens obiectum eſſe veroſimile, atq; apparẽs, quia licet obiectum reipſa non exiſtat, cognitio indicans obiectum apparere, & veroſimile eſſe, formaliter vera eſt. Itaque etiam cum obiectum affectus ſupernaturalis obſcurum eſt, & alienum à fide infuſa, affectum ſupernaturalem præcedit cognitio ſpeculatiua ſupernaturalis. Si obiectum reipſa exiſtit poteſt præcedere iudicium ſupernaturale directum exiſtentiæ obiecti; ſi vero reipſa non eſt exiſtens, præcedit aut ſupernaturalis apprehenſio, quæ falſitatis incapax eſt, aut iudicium ſupernaturale apparentiæ, ſeu veroſimilitudinis obiecti, quod ſemper eſt verum.

Explicatur

Aſſertio ſecunda.

7. Aſſero ſecundo. Cognitio proponens honeſtatem obiecti non eſt neceſſario iudicium, ſed ſufficit ſimplex apprehenſio, non ſolum ad affectus ſimplices, & inefficaces neceſſarios, ſed etiam ad affectus abſolutos, & efficaces liberos. Ita opinatus ſum lib. de ani. differẽs

in genere de cognitione neceſſaria ad affectus voluntatis naturales; de quibus idem iudicium eſt, quod de affectibus ſupernaturalibus eſſe debet, de quo etiam in Metaphiſ. vberius

P. Vaſquez. differemus. Ita Pater Vaſquez 1.2 diſput. 44. cap. 2. & ſequenti, exceptis affectibus electionis, timoris, & ſpei, ad quos iudicium requirit. Quam exceptionem ego non probo, nec probant plerique recentiores ingenioſi, qui meæ adſtipulantur opinioni.

Prima ratio. 8. Probatur aſſertio primo. Ad affectum liberum virtutis ſupernaturalis neceſſaria eſt cognitio ſupernaturalis proponens honeſtatem obiecti vt aſſertione præcedenti oſtenſum eſt. At omnem affectum liberum virtutis ſupernaturalis non poteſt præcedere iudicium ſupernaturale honeſtatis obiecti. Ergo præcedit aliquem ſola ſupernaturalis apprehenſio. Vbi autem aliquis fieri poteſt efficax, & liber ſine iudicio, non eſt, quare reliqui fieri nequeant. Ergo. Probatur minor. Poteſt fieri actus efficax virtutis ſupernaturalis circa obiectum realiter inhoneſtum, apparens tamen honeſtum. At cognitio proponens honeſtatem talis obiecti non poteſt eſſe iudicium ſupernaturale, quia iudicium ſupernaturale neceſſario eſt verum, iudicium autem enuntians honeſtatem obiecti realiter inhoneſti, & prohibiti non eſt verum. Ergo cognitio tunc proponens honeſtatem obiecti erit apprehenſio, quæ falſitatis immunis eſt. Neque ſatisfacies, ſi dicas, tunc iudicium enuntiare honeſtatem eſſe apparentem, quod eſt verum. Quoniam actus ſalutaris fieri poteſt circa obiectum reipſa prohibitum, propoſitum tamen directe honeſtum, quamuis reflexe non iudicetur apparere honeſtum, ſed directe putetur eſſe honeſtum. Tunc autem cognitio ſupernaturalis neceſſaria honeſtatis obiecti directe propoſitæ non eſt iudicium, quod eſt falſum. Ergo erit ſola apprehenſio, quæ formaliter falſa repugnat.

Secunda. Secundo fieri poteſt actus ſupernaturalis ex illuſtratione gratiæ præuenientis. At hæc illuſtratio plerunque pertinet ad ſolam apprehenſionem, ſicut inſpiratio voluntatis ad ſolam ſimplicem affectionem, vt libro quinto illuſtrabimus. Ergo ex ſola apprehenſione ſupernaturali honeſtatis obiecti fieri poteſt actus ſalutaris, qui liber, & abſolutus eſſe ſolet.

Tertia. 9. Tertio; cum ſola apprehenſione bonitatis, & malitiæ obiecti poteſt voluntas amare, & odiſſe efficaciter obiectum. At amor efficax procedens à voluntate potente odiſſe obiectū eſt liber. Ergo amor efficax, & liber poteſt procedere ex ſola apprehenſione obiecti. Minor, & conſequentia probatione non egent. Probatur maior. Vt voluntas poſſit amare obiectum, ſufficit, quod proponatur tanquam conueniens naturæ rationali; & vt poſſit odiſſe, quod proponatur tanquam diſconueniens appetitui ſentienti. At poteſt obiectum ſic proponi per ſolam ſimplicem apprehenſionem. Nam etiam conuenientia obiecti, apprehenſionis obiectum eſt, non ſolum enim extrema, ſed etiam vnio ipſorum extremorum ante iudicium apprehenditur, vt libro de anima docui, & fere omnibus commune eſt, quidquid Lorca infra oppoſitum cenſeat eſſe allucinationem Patris Vaſquez. Ergo cum ſola apprehenſione bonitatis, & malitiæ obiecti poteſt voluntas amare, & odiſſe efficaciter obiectum. Quarto bonum apprehenſum ſine malo excitat amorem efficacem neceſſarium, & malum apprehenſum ſine bono excitat neceſſarium odium. Ergo bonum apprehenſum ſimul cum malo poteſt excitare amorem liberum. Conſequentia videtur bona, quia eo ipſo quod apprehenſioni boni excitanti amorem efficacem neceſſarium, adiungatur apprehenſio mali, propoſitio obiecti non eſt determinata, ſed indifferens, quippe ſufficiens excitare amorem, & odium, cum voluntas ſimul iunctas habeat facultatem amandi, quæ illi aderat ex ſola apprehenſione boni, & facultatem odio habendi, quæ aderat ipſi cum ſola apprehenſione mali. Antecedens probatur primo ex motibus primo primis, qui plerunque efficaces in externas actiones ex ſola apprehenſione boni, aut mali excitari ſolent, prius quam intellectui locus detur ad iudicium. Secundo ex appetitu ſenſitiuo, qui efficaciter fertur in ſuum obiectum, quamuis ſenſio interior, qua mouetur, non ſit iudicatiua, ſed ſolum apprehenſiua, quidquid aliter ſentiant Pater Suarez, Pater Salas, & alij referendi num. 11. Etenim iudicare affirmantis eſt, aſſentientis, & iungentis aſſertiue ex parte obiecti prædicatum cum ſubiecto; ſenſus autem interior nihil affirmat, aut negat, non aſſentitur obiecto, non aſſerit quidquam, neque ex parte obiecti prædicatum cum ſubiecto coniungit. Neque refert obiectum cognoſcere tanquam ſibi conueniens. Nam etiam ſimplex apprehenſio antecedens iudicium cognoſcit obiectum conueniens, & prædicatum ſubiecto coniunctum, vt nuper dicebamus, & dicemus num. 14. Tunc ſic apprehenſio ſenſitiua poteſt inducere appetitum in affectum efficacem obiecti. Ergo etiam apprehenſio intellectualis voluntatem. Nam intellectualis non eſt minoris perfectionis, & efficaciæ, quam ſenſitiua.

Lorca.

P. Vaſquez.

Quarta ratio.

P. Suarez.

P. Salas.

Explicatur cuius generis ſit apprehenſio mouens affectum liberum, & efficacem voluntatis.

10. Notare tamen eſt, duplex eſſe genus apprehenſionis intellectualis. Alterum earum apprehenſionum, quæ obiectum proponunt probabile per iudicium, quia ſimul cum obiecto proponunt rationem aliquam obiectiuam, propter quam illi aſſentiri poſſit intellectus, vt cum proponunt ſanctum hominem varijs virtutum officijs deditum, miraculis clarum, à viris pietate, & doctrina plenis veneratum; quæ apprehenſiones ſuaſiuæ ſunt aſſenſus, & virtualiter iudicatiuæ. Alterum earum, quæ obiectum ſimpliciter concipiunt nullam proponentes rationem, propter quam intellectus in aſſenſum perduci poſſit, vt cum proponitur paritas ſtellarum, Turca dormiens, aut quid ſimile. Igitur cum apprehenſionem profitemur ſufficientem ad affectum efficacem, & liberum voluntatis, de priori genere apprehenſionum, non de poſteriori differimus, vt ſæpius ſuperioribus diſputationibus monuimus; neque aliud de iudicio Patris Vaſquez, & alicuius Theologi, qui noſtræ incubuerit opinioni, putandum eſt,

neque aliter poteſt inter doctos Theologos hæc diſputatio moueri.

Diſſentiũt nobis P. Suarez. P. Valentia P. Azor. P. Salas. P. Iannerus P. Granados. P. Hurtadus Bellarminus. Medina. Lorca.

11. Nihilominus pronuntiato noſtro refragantur plures graues Theologi, P. Suarez 1. 2. diſputat. 6. ſect. 5. num. 4. tom. 1. Met. diſput. 23. ſect. 7. P. Valentia diſput. 2. quæſt. 4. puncto. 1. in 3. quæſt. illius, P. Azor. tom. 1. lib. 1. cap. 28. quæſt. 6. P. Salas 1. 2. quæſt. 1. tom. 1. diſputat. 5. num. 15. P. Iannerus 1. 2. diſput. 2. quæſt. 2. dub. 2. num. 16. P. Granadus 1. 2. cont. 2. tom. 12. diſput. 1. num. 6. P. Hurtadus de anima diſput. 14. ſect. 7. nec non Cardinalis Bellarminus lib. 3. de lib. arb. cap. 8. prop. 6. Medina 1. 2. quæſt. 10. art. 3. demum Lorca de actibus humanis diſputa. 10. cenſens oppoſitum improbabile. Quàm rigidus, quàm facilis cenſor in opiniones Patris Vaſquez. Conſule vtrumque, decernes, nihil à Lorca adduci, quod prius a P. Vaſquez obiectum, & præoccupatum non ſit.

Prima obiectio ex S. Thoma.

12. Ergo primò obijcitur S. Thomas 1. 2. quæſt. 9. art. 1. ad 2. ſic aſſerens; *ſicut imaginatio formæ ſine æſtimatione conuenientis, vel nociui non mouet appetitum ſenſitiuum, ita neque apprehenſio veri ſine ratione boni, & appetibilis.* Reſpondeo.

Explicatur.

S. Thomas hic non exigit iudicium, ſed apprehenſionem ad mouendam voluntatem; non eam, quæ quoquo modo proponit obiectum, ſed eam, quæ proponit vt bonum conueniens, aut diſconueniens malum. Quod nos minime diffitemur.

Secunda ex Ariſtotele.

13. Secundo Ariſtoteles lib. 3. cap. 3. textu 154. *cum opinamur, aliquod malum eſſe, atque terribile, continuò perturbamur; ſimiliter cum opinamur quidpiam eſſe tale, vt in illo ſit confidendum. At cum imaginamur talia, perinde afficimur, ac ſi in pictura ea ſpectaremus.* Ergo requiritur ſaltem opinio, & non ſufficit apprehenſio, vt afficiamur in obiectum. Similiter lib. 3. cap. 7. text. 30. *Atque cum bonum, aut malum dicit affirmando, aut negando, tunc fugit, aut proſequitur.* Explicat Ariſtoteles, quando voluntas moueatur ab intellectu. Docet autem, tunc moueri, quando bonum, aut malum affirmatur, aut negatur per iudicium.

Exponitur.

Ergo vt voluntas moueatur ab intellectu, requirit iudicium. Ad primum teſtimonium reſpondeo. Ariſtoteles ibi non agit de affectu abſoluto, & libero, de quo præſens dubitatio eſt; ſed de affectione neceſſaria, & ſimplici, quæ ex opinione obiecti horribilis continuo concipitur, ad quam aduerſarij ipſi fatentur, apprehenſionem ſufficere. Deinde animus Ariſtotelis ibi non eſt explanare modum, quo voluntas ab intellectu mouetur,

Lorca.

vt perperam arbitratur Lorca; ſed differentiam, quã diſcrepant inter ſe imaginatio, & opinio. Eum enim ſic præmittit, *Non idem autem eſſe imaginationem, & exiſtimationem patet.* Quod mox arguit ex eo, quod poteſt eſſe imaginatio mali, aut boni, quin animus erigatur in ſpem, aut in timorem deijciatur, vt cum voluntaria imaginatio vagatur fingens mala, aut bona, quæ nulla ratione proponuntur futura, aut poſſibilia; opinio vero, qua eadem putantur futura, aut poſſibilia eſſe non poteſt, quin illico animus pulſetur aliquo affectu neceſſario timoris, aut ſpei. Quod nobis contradicens non eſt, qui vltro fatemur, plures eſſe apprehenſiones adeo ſimplices, quæ animum in affectum non moueant, nempe eas, quæ alicuius aſſenſus principia ſuadentia non ſunt, vt præmonuimus num. 10. Ad ſecundum teſtimonium reſpondeo. Ariſtoteles ibi non explicat modum, quo intellectus voluntatem in affectum mouet, vt obijcit Lorca, ſed cognationem intellectus, & ſenſus interni; de quo ſenſu ait, appetitum interdum in proſequutionem, fugamque laceſſere, *nam cum iucundum, aut moleſtum diſcernit; qu ſi affirmauerit, aut negauerit, tum perſequitur, aut fugit.* Hæc ſunt Ariſtotelis verba, non illa, quæ argumento obijciuntur. Itaque non exigit formale iudicium affirmans, aut negans, quod ſenſui conuenire non poteſt, ſed quaſi iudicium affirmans aut negans, qualis eſt apprehenſio virtualiter iudicatiua, & inductiua formalis iudicij, quam explicuimus num. 10. ad proſequutionem, aut fugam requiri. Deinde neque cognitionem quaſi affirmantem, aut negantem aſſerit neceſſariam; ſed ſolum ait, proſequutionem aut fugam ex tali cognitione moueri poſſe; quod inficiari non poſſumus, qui eam vim apprehenſioni concedimus. Itaque ſolum affirmat, cognitionem ſenſus quaſi iudicantem ſufficere: non negat, ſufficere apprehenſionem intellectus inducentem iudicium, vt voluntas in amorem, aut odium prouocetur.

14. Tertio arguit Lorca. Vt voluntas amet bonum, debet proponi tanquam conueniens. Ergo per iudicium. Nam iudicium eſt cognitio prædicati vt conuenientis ſubiecto. Hoc argumentum ait Lorca, eſſe euidens, & hallucinari recentiores, qui admittentes neceſſariam cognitionem boni vt conuenientis ſubiecto negant neceſſarium iudicium. Sed cum venia Magiſtri Lorcæ debiliſſimum argumentum eſt, & ex ignorantia naturæ apprehenſionis, & iudicij profectum. Etenim apprehenſio, & iudicium non diſtinguuntur ratione obiecti, ſed ratione modi, quo referunt idem obiectum; ſcilicet non diſtinguuntur, quòd apprehenſio non referat conuenientiam prædicti cum ſubiecto, quam iudicium refert, ſed quod iudicium refert illam aſſertiuè, ferendo ſententiam de illo affirmantem, aut negantem; apprehenſio verò eandem refert non aſſertiuè, ſed ſimpliciter, quin ferat ſententiam de illa affirmantem, aut negantem. Nam per apprehenſionem complexam reſpondentem huic termino adiectiuo *Homo albus* concipitur conuenientia, & vnio albedinis cum homine, quæ eſſentialiter conſtituit hominem album; item per apprehenſionem, qua proponitur hoc dubium, *Petrune eſt iuſtus?* concipitur conuenientia, & vnio iuſtitiæ cum Petro. Tamen quia conceptus eius conuenientiæ, & vnionis aſſertiuus non eſt, talis conceptus non eſt iudicium, ſed ſimplex quædam apprehenſio. En igitur qua ratione poſſit eſſe cognitio cõuenientiæ prædicati cum ſubiecto, quin talis cognitio ſit iudicium. Ergo cum apprehenſio proponit bonum vt conueniens ſubiecto ſub motiuo, ſub quo talis conue-

Tertia obiectio Lorcæ.

Expeditur.

Digitized by Google

nientia aſſeribilis, ſeu probabilis eſt per iudicium, quamuis re ipſa non aſſeratur, neque probetur per iudicium, poterit volũtas in amorem moueri. Quod abſque hallucinatione vlla noſtrum aſſertum tuetur.

Quarta patris Salas. 15. Quartò P. Salas cum aliis. Non poteſt voluntas odiſſe beatitudinem, neque amare miſeriam. Tamen poteſt apprehendi beatitudo vt mala, & miſeria vt bona. Ergo ſola apprehenſio bonitatis, aut malitię nõ ſufficit ad amorem, aut odium. Reſpondeo facile. Beatitudo non poteſt apprehendi vt mala, neque miſeria vt bona, apprehenſione reddente obiectũ probabile per iudicium, hoc eſt, ſub motiuo, quod poſſit inducere iudicium. At vt notauimus nu. 10. non quęuis apprehenſio, ſed quæ obiectum proponit probabile per iudicium, ſeu quæ poteſt inducere iudicium, amorem laceſſit aut odium.

QuintaPatrisSuarez, & P. Iannerii. 16. Quintò P. Iannerus cum P. Suarez, & aliis. Vt voluntas moueatur affectu efficaci, & deliberato, debet obiectum ſic proponi poſſibile, vt ſimul excludatur iudicium de impoſſibilitate rei, quia alioqui nemo operabitur rationabiliter. At per ſolam apprehenſionem poſſibilitatis non ſic proponitur obiectum poſſibile, vt excludatur iudicium de impoſſibilitate, quia cum ſola apprehenſione poſſibilitatis componitur iudicium de impoſſibilitate rei. Ergo ſola apprehenſione obiecti non poteſt voluntas affectu efficaci, & deliberato moueri. Hoc eſt omnium vrgentiſſimum argumentum.

Diluitur. Tamen abſque negotio ſoluitur. Primò quia poteſt voluntas affici abſoluto, & efficaci affectu in obiectum propoſitum impoſſibile; non quia actus ſit abſolutus, & efficax quoad effectum, ſed ſolum quoad affectum, ſcilicet eius conditionis, vt ſi obiectum eſſet poſſibile, & conſtitutum in poteſtate voluntatis, & vitalis affectus eodem modo daretur exequutioni obiectum, quo datur obiectum nunc abſolute poſſibile, & in poteſtate voluntatis conſtitutum, vt odium Dei poteſt eſſe abſolutum, & efficax, quamuis afficiatur in non eſſe Dei abſolute impoſſibile, & deteſtatio peccati præteriti abſoluta, & efficax aſſeritur, licet non fuiſſe peccatum pręteritum, quod ea deteſtatione expetitur, abſolute impoſſibile ſit; de quo plura diſp. 14. ſect. 3. Secundò quia vt voluntas expetat prudenter affectu abſoluto, & efficaci aliquod obiectũ, ſufficit, vt proponatur poſſibile ſolum probabiliter, ita vt ex vitalis propoſitione poſſit fieri iudicium probabile poſſibilitatis, excludens in ſenſu compoſito iudicium impoſſibilitatis; quamquam ſimul cum tali propoſitione poſſit componi iudicium impoſſibilitatis, dum tale impoſſibilitatis iudicium non excludat probabilitatem poſſibilitatis; nam ad agendum prudenter, expectari nõ debet euidentia rei, vt omnes Theologi decernunt, alioqui raræ admodum eſſent prudentes actiones. At per ſolam apprehenſionem poteſt obiectũ ſic proponi probabiliter poſſibile, vt poſſit ferri iudicium probabile poſſibilitatis, & locus dari ſolo iudicio probabili impoſſibilitatis, vt nu. 10. expoſuimus.

Sexta Bellarmini, & P. Granadi. 17. Sextò arguit P. Granadus cum Bellarmino, & aliis. Actus ſupernaturalis, & moraliter bonus debet fieri iuxta rectam rationem, & prudentiam. At recta ratio, & prudentia iudicatiua eſt. Ergo non ſufficit fieri ex ſola apprehenſione obiecti.

Reſpondemus. Reſpondeo. Recta ratio, & prudentia formalis pertinet ad iudicium; recta ratio, & prudentia virtualis poteſt pertinere ad apprehenſionem, non qualemcunque, ſed eam, quæ obiectum proponit probabile per iudiciũ, in quod iudicium apprehenſio vi ſua intellectum inducit. Igitur vt actus fiat moraliter bonus, non requiritur fieri iuxta rectam rationem, & prudentiam formalem actu exiſtentem, ſed poſſibilem; ſufficitque fieri iuxta rectam rationem, & prudentiam virtualem actu exiſtentem. De quo ſect. ſeq.

Poſtremo Patris Vaſquez. 18. Denique P. Vaſquez ſic excipit actus timoris, ac ſpei. Eo differt ſpes à ſimplici deſiderio, quod deſiderium fertur in bonum futurum ſine opinione futuri, ſpes vero in bonum futurum cum opinione, & credulitate futuri. Similiter differunt odium ſimplex, & timor mali. Ergo ad affectus timoris, ac ſpei requiritur iudicium. Item excipit electionem hac ratione. Ad electionem requiritur conſultatio mediorum. Conſultatio non eſt ſine iudicio. Ergo

Occurritur. ſolum differunt ſimplex deſiderium, ac ſpes boni futuri, quod ad deſiderandum bonum futurum ſufficit proponi poſſibile per media; ad ſperandum vero futurum, requiritur præterea, vt proponatur futurum. Atqui ſicut propoſitio poſſibilitatis requiſita ad deſiderium poteſt fieri per ſolam apprehenſionem ſuaſiuam iudicij, ſic propoſitio futuritionis inſuper requiſita ad ſpem, per ſolam apprehenſionem ſuaſiuam iudicij, fieri poteſt. Idem proportione de timore dicendum. Suadent affectus, quibus fugiunt Bruta viagam minitantem malum, nam hi affectus timoris ſunt, aut timori perſimiles. Tamen ex ſolâ apprehenſione mouentur. Ergo ad affectum timoris ſola apprehenſio ſufficit. Quandoquidem P. Vaſquez exemplo Brutorum arguit, alios affectus proſequutionis, & fugæ non requirere iudicium. Neque ratio obiecta pro iudicio electionis conuincit. Nam ad electionem ſufficit conſultatio virtualis mediorũ, quæ ſit per apprehenſionem ſuaſiuam iudicij; proponentem media, quæ ſunt neceſſaria, & aptiora ad conſequendum finem. Sicut ad intentionem finis ſimilis propoſitio conuenientiæ finis, & conſequibilitatis per media, ſatis eſt in ſententia Patris Vaſquez.

SECTIO SECVNDA.

An, & quæ cognitiones practicæ neceſſariæ ſint ad affectum ſupernaturalem?

Explicantur duæ cognitiones practicæ in controuerſia Theologorum poſitæ. 19. DVæ cognitiones in diſputationem veniunt. Altera, quæ dicitur imperium, & reſpondet ex parte intellectus his vocibus *fac hoc*, cogens arbitrium ad volendum. Nam hoc imperium neceſſarium

P. Valentia. P. Vaſquez. Lorca. Plerique Thomiſtarum. Caietanus. Medina. Capreolus. Viguerius. Contradus. P. Valentia. P. Iannetus.

eſſe ad omnem affectum voluntatis, etiam primam intentionem finis, volunt Pater Valentia 1.2.diſp.2. quæſt. 4. pun.1. & alij apud P. Vaſquez 1.2 diſput.44.cap.1.& Lorcam de actibus humanis diſp. 10. diff. 2. Alij tale imperium neceſſario anteponunt electioni, & non intentioni. Ita videtur ſentire Caietanus 1.2.qu.58. art.4. & quæſt.66.art.3.& 2.2.qu. 47. art. 6.& 7. Medina qu. 13. art. vlt. & qu. 17.art. 3. Alij vero arbitrantur, eſſe neceſſarium poſt electionem ad eum actum voluntatis, qui dicitur vſus. Ita communiter Thomiſtæ, Capreolus in 3. diſt.36. quæſt. vnic.art.3. Viguerius cap.3.§.6. Caietanus, & Medina quæſt.17. art. 3. quos ſequuntur Greg. de Valentia diſp. 2. quæſt. 4. puncto. 1.& quæſt. 12. puncto 1. & Pater Iannetus 1.2.diſput.2.qu.3. num.66. Altera cognitio practica eſt iudicium dictans expedire amorem, aut odium obiecti, quod differt à iudicio proponente honeſtatem obiecti in eo, quòd iſtud non reſpicit directe affectum eliciendum à voluntate, ſed ſolam conuenientiam, aut diſconuenientiam obiecti; illud verò reſpicit directe ipſum voluntatis affectum conuenientem, aut diſconuenientem ſubiecto. Hoc enim iudicium practicum dictans affectum voluntatis arbitrantur, neceſſarium ad omnem voluntatis affectum P. Suarez 1. 2. diſputatione 6. de voluntate ſectione 5. num. 6. Lorca de actibus humanis diſputatione 10. diff. 2. 2.& 3. P. Granadus 1.2. tract. 12. diſp. 3. num. 12. & communiter recentiores.

P. Suarez. Lorca. P. Granadus.

Aſſertio prima.

20. Aſſero primò. Ad omnem in genere voluntatis affectum etiam primam intentionem finis non eſt neceſſarium imperium intellectus. Ita Adrianus quodlib. 4. art. 1. Almainus 3. Moralium cap.2. Maior in 3. diſtinctione 33. P. Fonſeca 9. Metaph. cap.2.queſt. 1. ſectione 3. P. Azor to.1. lib. 1.cap.29.qu. 2. P. Valentia 1.2. diſp.44. cap. 1.& diſp. 40. cap.4. P. Suarez Metaph. diſp. 19. ſectione 6. & 7. & 1.2. vbi ſupra, P. Iannetus ſupra num. 63. P. Salas 1.2. tract.1. diſput.5. num. 20. & tract.6. diſp.2. ſect. 3. P. Granados 1.2. controu. 2.tract.7. diſput.2. num.5. Lorca ſupra. Patrocinatur aperte S. Thomas 1.2. quæſt.17. art. 1. diſerte aſſerens, actum imperij ſupponere actum voluntatis. Item art. 5. ad tertium dicens, *primum voluntatis actum non eſſe ex imperio rationis, ſed ex inſtinctu naturæ, aut ſuperioris cauſæ ne in infinitum procedatur.*

Adrianus. Almainus. Maior. P. Fonſeca. P. Azor. P. Vaſquez. P. Iannetus. P. Salas. P. Granadus. Lorca. S. Thomas.

Prima probatio.

21. Probatur primò. Hoc imperium non poteſt eſſe voluntarium; quia alias, vt ait Sanctus Thomas, daretur proceſſio infinita imperiorum, & actuum voluntatis. Neceſſarium autem, & inuoluntarium eſſe repugnat; quia tolleretur libertas volendi; ſiquidem eius imperij aſſertores docent, tale imperium cogere neceſſario voluntatem ad ſuum affectum; affectus autem neceſſario ſequutus ex cauſa neceſſaria non eſt liber, ſed omnino neceſſarius. Ergo tale imperium præuium ad omnem affectum voluntatis repugnat. Neque difficultatem iſtam expedit euaſio eorum, qui apud P. Suarez ſupra ſectione 6. num. 5. volunt, tale imperium eſſe liberum, quin procedat ab actu priori voluntatis, quia comitatur exiſtentiâ neceſſariâ actum voluntatis liberum. Quoniam inintelligibile eſt, actum intellectus imperare, & determinare affectum voluntatis, quin eum affectum præcedat, & aliquam in eundem cauſalitatem exerceat. Ergo non poteſt imperium eſſe ſimultaneum cum affectu voluntatis, ſed naturâ antecedere neceſſe eſt. Deinde ex eo quod intellectus ſit cauſa neceſſaria talis imperij, etiam erit cauſa neceſſario determinans affectum voluntatis, imperio neceſſitate annexum. Nam quod eſt cauſa determinans neceſſario effectum, determinare neceſſario debet omnia; quæ cum tali effectu neceſſitate coniuncta ſunt.

Secunda.

22. Secundo probatur. Cum voluntas eſt libera libertate contrarietatis, habet ſimul omnia requiſita ad amorem, & odium, nam ſine omnibus requiſitis ad amorem, & odium nequit ſimul voluntas eſſe potens amare, & odiſſe obiectum. Tamen ſimul intellectus non imperat amorem, & odium, nam duo contradicentia ſimul imperare non poteſt. Ergo imperium efficax intellectus non eſt neceſſarium ad omnem affectum amoris, & odij. Neque diſſoluunt, qui reſpondent, (quod mihi arguenti reſponſum eſt) tunc intellectum imperare voluntati indeterminate, & ſub diſiunctione, vt eliciat amorem, aut odium. Tum quia hoc imperium à ſuis aſſertoribus datur neceſſarium, vt determinet voluntatem quoad exercitium; voluntatem autem quoad exercitium non determinat imperium inde tractum. Tum quia futile eſt imperium indifferens ad duo contradictoria, vt ſi ſuperior religionis imperet religioſo, vt oret, aut non oret. Id enim potius eſſet permittere vtrumque contradictorium, quàm imperare; imperij enim, & præcepti eſt ligare ſubditum ad aliquam contradictionis partem.

Tertia.

23. Tertiò; Beatus diligit Deum, & voluntas elicit actus primo primos abſque imperio, ſicut bruta actus appetitus eliciunt nullo imperio præcedente. Ergo ad omnem affectum voluntatis hoc imperiũ neceſſarium non eſt. Si verò dicas, ad omnes affectus liberos requiri. Sic arguo. Idem affectus, qui eſt neceſſarius ex cognitione detracta obiecti, accedente cognitione indifferenti obiecti eſt liber, etiam ſi nullus præcedat actus reflexus intellectus circa illum, nam eo ipſo deſinit ratio neceſſitatis voluntatis. Ergo vt talis actus fiat liber, non requirit imperium reflexum.

Obijcitur Ariſtoteles

24. Obijcitur primò Ariſtoteles 3. de anima cap. 9. tract. 46. ſic ſcribens; *ſed neque cum ſpeculatur aliquid huiuſmodi, iam præcipit, aut proſequi, aut fugere; quemadmodum ſæpe intelligit terribile aliquid, non iubet, ſed cor mouetur.* Id eſt, quamuis propoſito obiecto terribili appetitus ſenſitiuus moueatur; voluntas tamen non mouetur, quia intellectus non præcipit. Ergo imperium voluntatis requiritur ad motionem voluntatis, & ſola obiecti propoſitio non ſufficit, quæ ad motionem appetitus ſufficiens eſt. 7. Reſpondeo Ariſtoteles ibi non agit de motibus voluntatis, ſed de motibus

Exponitur.

Digitized by Google

progreſſiuis; eoſque ait, non procedere ab intellectu ſpeculatiuo, quia intellectu ſpeculante obiectum contingit hominem non progredi, aut fugere. Quare ſimiliter probat, neque eos procedere ab intellectu practico, & imperante, quia *intellectus nonnumquam iubet, ratioque fugere aliquid, aut perſequi dicit, at non obtemperat homo, neque mouetur.* At nos agimus de motibus affectiuis voluntatis; non de progreſſiuis potentiæ loco motiuæ, de quibus totus eſt ibi Ariſtoteli ſermo. Qui etiam imperio intellectus negat in eos motus facultatem mouendi.

Secunda obiectio. 25. Secundo, voluntas ſecundum ſe eſt indifferens quoad exercitium ad intendendum finem. Ergo determinari debet ab imperio intellectus ad intenſionem finis; Nam alias non erit ratio, quare voluntas hanc partem contradictionis alligat potius, quàm illam.

Reſponſio. Facilis eſt reſponſio. Voluntas eſt indifferens indifferentia libertatis, cuius proprium eſt, à ſe eſſe determinatiuam indifferentiæ, & non ab alio. Atque ita cauſa eligendi hanc partem contradictionis potius, quàm illam, non eſt imperium intellectus, ſed libertas ipſius voluntatis, quæ determinationem vnius partis præ alia habet in ſua electione, & poteſtate conſtitutam.

Aſſertio ſecunda. 26. Aſſero ſecundo. Neque ad electionem mediorum actus imperij neceſſarius eſt. S. Thomas. Ita relati num. 20. Docet S. Thomas aperte 1.2. quæſtione 17. art. 3. corp. & ad 1. imperium eſſe poſterius electione. Prima ratio. Probatur primo. Intenſio ſæpe identificatur electioni, vt lib. de anima docui, doceboque in Met. At imperium antecedens intenſionem neceſſarium non eſt, vt aſſertione ſuperiori oſtendimus. Ergo neque eſt neceſſarium imperium antecedens omnem electionem. Secunda. Deinde ſi medium eſt vnice neceſſarium ad finem, ſufficit intenſio efficax finis, vt illico ſequatur electio, quamuis non intercedat imperium. Si vero media exequentia finis plura ſint, inter quæ libera ſit voluntati electio, tolletur per imperium efficax libertas electionis poſt intenſionem relicta. Nam poſito imperio, vt eius aſſertores ſentiunt, neceſſario ſequitur actus imperatus; imperium autem poſita intenſione aut neceſſario dari debet, aut ad electionem neceſſarium non eſt; nam ſicut voluntas poſt intenſionem finis poteſt libere velle imperium huius medij præ alio ſine imperio præuio ad amorem imperij; ne detur proceſſio infinita imperiorum, ſic poterit libere velle hoc medium præ alio per electionem nullo præcurrenti imperio talem electionem. Fruſtra igitur ad electionem mediorum imperium exigitur. Tertia. Tertio poteſt voluntas ſola propoſitione finis velle finem ſine imperio. Ergo etiam poterit ſolâ propoſitione vtilitatis mediorum velle media poſt intenſionem abſque imperio. Nam propoſitio vtilitatis mediorum æque confert ad electionem, ac propoſito bonitatis finis ad intenſionem. Aliunde autem magis determinata eſt voluntas ad electionem poſt intenſionem finis, quam erat ad intenſionem poſt ſolam propoſitionem finis. Vtquid igitur ad electionem potius, quàm ad intenſionem deſideret voluntas imperium? Quarta. Demum imperium internum cadit ſub experientiam humanam, vt cum voluntas libere ſe excitat ad amandum aliquod obiectum quaſi ſecum loquens, *Ama hoc obiectum honeſtum, fuge illud turpe.* At vero cum eligimus media, non experimur hæc imperia. Commentitia ergo illa ſunt.

Obijcitur Medina. 27. Arguit Medina quæſtione 17. art. 3. Nulla fit electio niſi præcedente actu prudentiæ. At prudentiæ actus eſt præcipere, ſeu imperare, vt tradit Ariſtoteles 6. Ethic. cap. 10. & S. Thomas 2. 2. quæſtione 47. art. 8. Ergo nulla fit electio, niſi præcedente imperio. Expeditur. Reſpondeo. Poteſt eſſe electio, quin neceſſario præcedat actus prudentiæ, vt progreſſu exponemus. Deinde eſto aliquis prudentiæ actus neceſſarius ſit, non requiritur ante electionem omnis prudentiæ actus. Præcedat igitur iudicium dictans expedire electionem huius medij; cur præcedere neceſſe eſt imperium ab eo iudicio prudentiæ diſtinctum?

Tertia aſſertio. 28. Aſſero tertio. Neque ad vſum eſt neceſſarium imperium. Ita omnes adducti num. 20. excepto P. Iannero. Prima ratio. Primo quia plerumque electio mediorum non diſtinguitur ab vſu affectiuo voluntatis, vt oſtendemus in Metaph. Ergo cum ad electionem, probauerimus, non indigeri imperio, neque indigebitur ſemper ad vſum. Secunda. Secundo quia ad vſum ſufficit propoſitio exequutionis conuenientis poſt intenſionem, & electionem, ſicut ad intenſionem ſufficit propoſitio finis, & ad electionem propoſitio mediorum; ſiquidem æque confert propoſitio exequutionis ad volendum illam, ac propoſitio finis ad intendendum, ac propoſitio mediorum ad eligendum. Aliunde voluntas tam determinata eſt ad volendum exequutionem per electionem, ac eſt determinata ad volendum media per intentionem. Cur igitur voluntati opus erit imperium ad affectum exequendi magis, quàm ad affectum intendendi, aut eligendi. Tertia. Tertio quia cum modus exequendi medij eſt vnicus, vſus poſt electionem non eſt liber, ac proinde non eſt neceſſaria determinatio imperij; cum vero is modus eſt multiplex, tolletur libertas vtendi, ſicut arguebamus de electione poſt intentionem. Quarta. Quarto quia hæc imperia ſunt extra experientiam, qua communiter operamur. Eadem igitur argumenta reijciunt neceſſitatem imperij ad vſum affectiuum voluntatis, quæ reijciunt illam ad electionem mediorum. Quinta. Demum bruta non indigent imperio ad applicandum potentias externas in motum. Cur ſimiliter voluntas non poterit eaſdem in agendum applicare ſine imperio? Neque abſonat S.Thomas, cum 1. 2. quæſtione 9. artic. 1. doceat, primum mouens facultatis exequentis in ſuppoſito rationali eſſe voluntatem. Si autem hoc imperium eſſet neceſſarium ad vſum, non eſſet voluntas primum mouens facultatis exequentis,

Digitized by Google

ſed intellectus, cuius eſt tale imperium antecedens affectum exequentem voluntatis.

Explicatur S. Thomas.

29. Neque video quidquam, quod oppoſitum, vel leuiter ſuadeat. Opponitur Sanctus Thomas 1.2. quæſtione 17. articulo 3. ad 1. dicens, imperium eſſe prius vſu, & poſterius electione. Verum S. Thomas non docet, tale imperium eſſe neceſſarium; ſed interdum dari ad ſuperandum difficultatem vſus, quæ maior eſt, quàm intentionis, aut electionis, vt colligere eſt ex illis verbis; *voluntas alicuius incipit vti exequendo imperium rationis; quandoque quidem voluntas alterius, cum aliquis imperat alteri; quandoque autem voluntas ipſius operantis, cum aliquis imperat ſibi ipſi.* Quandoque igitur, non ſemper interuenit imperium, quo aliquis imperat ſibi ipſi. Fingunt nonnulli neſcio quam connexionem, ſeu ſimpathiam neceſſariam potentiarum, vt præcedente electione voluntatis illico intellectus intimet ſuo imperio vſum. Tamen id non probât. Neque poſſunt; quoniam eâdem ratione danda eſt connexio inter voluntatem, & intellectum, vt intendente voluntate finem illico intellectus imperaret electionem. Hoc autem negant. Quâ igitur conſequentia adſtruendum eſt imperium neceſſarium ad vſum?

Refellitur quorundã ratio.

Aſſertio quarta.

30. Aſſero quartò. Neque ad vllum voluntatis actum eſt neceſſarium iudicium practicum dictans reflexe expedire ſuppoſito illum elicere. Ita diſerte Pater Salas 1.2. tract. 1. diſputatione 5. num. 19. & P. Vaſquez diſputatione 44. cap. 4. doceréque tenentur quotquot reijciunt neceſſarium imperium, aut iudicium de bonitate obiecti, ex eo quod bruta appetunt abſque imperio, & iudicio de bonitate obiecti. Nam etiam appetunt abſque iudicio reflexo de conuenientia ipſius actus appetendi. Ergo neque hoc iudicium reflexum neceſſarium eſt ad volendum. Similiter qui eos actus diffitentur neceſſarios, quia affectus neceſſarij, vt motus repentini, & dilectio Dei in patria, fiunt ſine eiuſmodi actibus; nam etiam fiunt ſine iudicio practico reflexo. Ergo neque hoc iudicium requiritur. Scio hoc iudicium à pleriſque non exigi ad affectus neceſſarios. Sed inde arguitur, neque ad affectus liberos eſſe neceſſarium. Nam vt affectus neceſſarius elicitus ſine tali iudicio fiat liber, non requiritur, vt intellectus reflexe iudicet de bonitate talis actus, ſed ſufficit, vt intellectus aduertat malitiam obiecti, quæ prius ſibi erat ignota; nam eo ipſo iudicat intellectus indifferenter de obiecto, & voluntas, quæ prius ſolum erat potens amare obiectum, conſtituitur potens odio habere. Ergo ſola propoſitione obiecti abſque reflexa propoſitione actus amabit voluntas libere, quod prius amabat neceſſario. Explicatur; poteſt intellectus proponere directè bonitatem, & malitiam obiecti, quin proponat reflexe bonitatem, aut malitiam amoris ipſius; nam ſicut poteſt proponere bonitatem obiecti, quin proponat conuenientiam amoris, cum is neceſſarius eſt, ita poterit bonitatem, & malitiam. At tunc poterit voluntas amare obiectum, ſiquidem proponitur bonum, ſicut antea. Non neceſſario, quia ſimul poterit odiſſe illud, ſiquidem etiam proponitur malum. Ergo poteſt eſſe amor obiecti liber, quin ſit cognitio practica reflexa dictans exiſtentiam amoris.

Prima probatio.

Vrgetur.

Illuſtratur.

Probatio ſecunda.

31. Secundo intellectu iudicante amorem obiecti honeſti præferendum amori obiecti turpis, poteſt voluntas relicto amore obiecti honeſti diligere obiectum delectabile turpe. Ergo ad amorem liberum obiecti non eſt neceſſarium iudicium practicum dictans exiſtentiam amoris. Nam ſimul cum iudicio dictante amorem honeſti præferendum turpi, repugnat iudicium dictans amorem turpis obiecti præferendum honeſto. Antecedens manifeſtum eſt. Tum quia ſimul cum eo iudicio dictante amorem honeſtum præ turpi manet voluntas libera libertate contrarietatis ad vtrumque amorem. Tum quia ſi amorem obiecti turpis præcederet neceſſario iudicium dictans eum amorem eſſe præferendum honeſto, quoties homo eligeret amorem turpem, eſſet hæreticus; hæretici enim eſt iudicium dictans amorem turpem anteponendum honeſto. Tum quia conſcientiæ ſtimuli fatigant animos peccantium, quia voluntate eligunt, quod ratio proponit deteſtandum. Quo ſpectat illud Medeæ apud Ouidium.

Video meliora, proboque,
Deteriora ſequor.

Euaſio præcluditur.

32. Dices, tale iudicium non exigi ad omnem affectum liberum, ſed ſolum ad moraliter bonum. Sed contra. Tale iudicium non exigitur, vt fiat amor honeſti ſecundum ſe; neque vt is amor fiat moraliter bonus. Nam ſicut voluntas propoſito indifferenter obiecto delectabili turpi poteſt amare obiectum delectabile ſine eo iudicio reflexo, ſic propoſito indifferenter obiecto honeſto poterit honeſtum diligere abſque tali iudicio. Aliunde is amor honeſti ſic elicitus erit moraliter bonus; nam erit amor liber obiecti honeſti propter ſe. Ergo neque vt ſit amor honeſti, neque vt ſit moraliter bonus, requiritur tale iudicium reflexum. Explicatur; demus, ab intellectu proponi obiectum honeſtum, & delectabile turpe, quin proponatur reflexe amor honeſti præferendus turpi. Sicut, tunc poteſt voluntas amore libero proſequi obiectum delectabile, poterit proſequi libero amore honeſtum. At is amor honeſti liberè elicitus erit moraliter bonus; quia relicto turpi eligit libere honeſtum propter ſe, quod ſufficit ad bonitatem moralem actus. Ergo neque ad affectum moraliter bonum deſiderare eſt tale iudicium reflexum.

Alia euaſio.

33. Dices ſecundo, tale iudicium reflexum deſiderari ad amorem honeſti liberum libertate contradictionis; amorem autem, de quo ſuperius arguimus, eſſe liberum libertate contrarietatis. Sed contra. Aut

Occupatur.

Digitized by Google

eſt poſſibilis pura omiſſio libera, aut non? ſi pura omiſſio libera poſſibilis eſt, poteſt voluntas amare honeſtum libertate contradictionis, quamuis ex defectu cognitionis reflexæ nequeat amare, aut odiſſe reflexe amorem honeſti. Si pura omiſſio impoſſibilis eſt, quamuis reuera ad libertatem contradictionis neceſſaria eſt cognitio reflexa amoris, ex vi cuius poſſit voluntas nolle poſitiuè amorem; tamen non eſt neceſſarium iudicium reflexum dictans amorem. Nam vt voluntas nolit amorem honeſti, non requiritur tale iudicium, ſed ſufficit cognitio indicatiua, ſiue apprehenſiua, ſiue naturalis, ſiue ſupernaturalis, qua amor honeſti proponatur incommodus, aut difficilis voluntati; quia ex vi talis cognitionis poterit cohibere amorem, & amor honeſti cum ea cognitione, & poteſtate voluntatis elicitus erit contradictionis libertate liber; ad quam libertatem nolendi amorem potius obeſt, quàm prodeſt iudicium dictans amorem, retrahit enim potius, quàm inducit voluntatem in nolitionem amoris. Ergo titulo poteſtatis nolendi amorem, quæ ad libertatem contradictionis requiritur, fruſtra exigitur iudicium reflexum dictans exiſtentiam amoris.

Obijcitur Ariſtoteles.

34. Obijcitur primò. Ariſtoteles 3. de anima cap. 9. tract. 43. & cap. 10. tract. 49. ait, non ſufficere ad motum voluntatis cognitionem intellectus contemplatiui, ſed requiri intellectus practici. Ergo præter cognitionem proponentem obiectum requiritur cognitio practica dictans quid voluntas circa illud agere debet, ſcilicet, an proſequi per amorem, an fugere per odium expediat.

Expeditur.

Reſpondeo. Ariſtoteles ibi, vt oſtendi num. 14. non agit de cognitione requiſita ad motum affectiuum voluntatis, de qua noſtra diſputatio contendit; ſed de cognitione neceſſaria ad motum progreſſiuum potentiæ loco motiuæ. De qua deinde non docet, eſſe practicam dictando reflexe amorem, aut odium voluntatis, ſed ſolum proponendo opus ipſum externum, quod exequutioni dandum eſt, quin ſufficiat ſimplex ipſius contemplatio mere ſpeculatiua, qualis de operibus alienis habetur. Nam differit Ariſtoteles de cognitione neceſſaria ad eum motum, prout communis eſt hominibus, & brutis. At cognitio dirigens motum progreſſiuum in brutis non eſt reflexa propoſitio dictans affectum appetitus imperantem eius motus. Ergo Ariſtoteles non decernit neceſſarium iudicium reflexum, de quo nunc contendimus.

Secunda obiectio. P. Suarij.

35. Secundò arguit Pater Suarez. Ad amandum obiectum non eſt ſatis cognoſcere obiectum eſſe in ſe bonum; ſed neceſſe eſt cognoſcere bonum eſſe amare tale obiectum; nam licet cognitio bonitatis obiecti veritatem obiecti ſpeculetur, tamen illam non applicat voluntati. Ergo vt voluntas applicetur ad amandum obiectum, requiritur cognitio practica conuenientiæ amoris obiecti.

Refellitur.

Reſpondeo. Obiectum voluntatis amantis, aut eſt opus dandum exequutioni imperio voluntatis; vt ſunt obiecta iuſtitiæ, miſericordiæ, & aliarum virtutum moralium; aut bonum, quod imperio, & exequutioni volentis ſubiectum non eſt, vt cum Deus diligitur per charitatem, & proximus per amicitiam honeſtam. Cognitio prioris obiecti non eſt mere ſpeculatiua, ſed etiam practica, cùm proponat praxim externam tanquam conuenientem, & poſſibilem ſuppoſito amanti. Cognitio poſterioris obiecti mere ſpeculatiua eſt, cum non proponat praxim exequutioni ſuppoſiti amantis ſubiectam. Neutra cognitio directè refert amorem voluntatis, ſed ſolam bonitatem externam obiecti. Vtraque tamen applicat obiectum amori voluntatis; quia vt applicetur obiectum amori voluntatis, non requiritur dictamen reflexum amoris, ſed ſufficit præſentatio obiecti ſecundum ſe conuenientis, & boni; quemadmodum applicatur obiectum appetitui per ſenſionem internam, quæ ſolum fertur in obiectum externum, quin reflexe proponat appetitionem internam; item per viſionem Dei applicatur bonitas diuina amori Beati, quin opus ſit iudicio dictante reflexe amorem.

Vrgetur.

36. Vrgebit quis. Cognitio obiecti exequendi imperio voluntatis non poteſt referre obiectum vt conueniens, & poſſibile voluntati, niſi proponendo conuenientem, & poſſibilem amorem efficacem voluntatis, nam conuenientia, & poſſibilitas obiecti relatiua & conuenientiæ, & poſſibilitati amoris efficacis. Ergo ad amorem talis obiecti neceſſaria eſt cognitio practica reflexa ipſius amoris.

Explicatur.

Reſpondeo. Propter hanc rationem dixi conſulto ſæpe, non requiri iudicium directe referens amorem obiecti, quia eſto conuincat, neceſſariam eſſe cognitionem indirectam amoris, quæ indiuidua eſt à cognitione directa obiecti; tamen non conuincit neceſſitatem cognitionis directæ, & diſtinctæ à cognitione ipſius obiecti, de qua diſſerimus: quare cùm obiectum non eſt ſubiectum exequutioni voluntatis, non colligitur hac ratione neceſſaria cognitio aliqua reflexa ipſius amoris, ſicut volunt aſſertores huius iudicij reflexi. Præterea neque concluditur neceſſarium iudicium indirectum amoris, quia vt vidimus ſectione præcedenti ad propoſitionem obiecti ſufficit ſola apprehenſio bonitatis, & poſſibilitatis ipſius. Ergo abſque iudicio etiam indirecto amoris poteſt amari obiectum imperio voluntatis ſubiectum. Denique neque euincitur neceſſaria aliqua cognitio etiam apprehenſiua formalis bonitatis ipſius amoris. Nam vt actio externa proponatur poſſibilis, opus non eſt, poſſibilem eſſe affectui bono voluntatis, cum etiam actiones prauæ, quæ malo affectu imperantur, ſint voluntati poſſibiles. Neque vt proponatur obiectiuè bona, neceſſarium eſt, cognoſci bonum amorem ipſius; nam vt ex tractatu de bonitate, & malitia humanorum actuum ſuppono, non eſt actio exterior obiectiue

iectiue

Digitized by Google

iectiue bona, quia eius amor eſt formaliter bonus, ſed potius è contra ideo amor actionis externæ eſt formaliter bonus, quia actio externa ſecundum ſe, & intrinſece eſt obiectiue bona, & digna, quæ à voluntate rationali ametur. Igitur neque ratione poſſibilitatis obiecti, neque ratione conuenientiæ, & bonitatis eiuſdem exigitur cognitio repræſentans bonitatem formalem amoris.

Tertia Lorcæ.

37. Tertio arguit Lorca. Illa actio eſt libera, quam homo determinat ad exercitium per dictamen rationis. Ergo neceſſe eſt vt interueniat iudicium de bonitate actionis internæ. Reſpondeo. Vt actio interna ſit libera, non requiritur, vt voluntas determinet illam ad exercitium per dictamen rationis iudicantis de bonitate illius, quia actio interna moraliter mala eſt libera, quin ratio iudicet de bonitate illius. Item poteſt eſſe moraliter bona abſque eo iudicio, quia ſufficit, vt voluntas ſe determinet per rationem proponentem bonitatem obiecti externi, quamuis ratio non proponat bonitatem, & conuenientiam ipſius actionis internæ, vt probatione noſtræ ſententiæ euicimus.

Occurritur

Quarta P. Granadi.

38. Quarto P. Granadus. Non poteſt eſſe affectus moralis virtutis, niſi fiat iuxta dictamen prudentiæ. Ergo affectum moralem virtutis ſupernaturalis præcedere debet dictamen prudentiæ, quod præſcribat exiſtentiam illius. Reſpondeo. Vt actus ſit moraliter bonus, requiritur, vt ſit conformis regulis prudentiæ; non quia actu debeat prudentia præſcribere actum; ſed quia actus ex ea cognitione obiecti, & circunſtantiarum ipſius efficitur, vt prudentia nequeat reprobare illum, ſed ſi dictamen eliciat de illo, potius approbare teneatur exiſtentiam, quàm omiſſionem. Nam eo ipſo quod actus ita libere fiat, vt nequeat prudentia illum reprobare, ſed approbare teneatur, erit actus moraliter bonus, quamuis actuale præſcriptum prudentiæ non præcedat: prudentia enim ideo approbat, præſcribitque exiſtentiam actus, quia ſupponit, amorem liberum obiecti honeſti propter ſe eſſe moraliter bonum. At quamuis actuale præſcriptum prudentiæ non præcedat, poteſt ita exiſtere actus, vt prudentia nequeat improbare actum, ſed potius approbare teneatur; nam ſi ametur libere obiectum honeſtum propter ſolam honeſtatem ipſius, nequit prudentia ſuperueniens prohibere illum. Ergo poteſt fieri amor obiecti honeſti moraliter bonus, & conformis regulis prudentiæ, quamuis re ipſa prudentia nihil dictet de exiſtentia actus. Sic bona conſequentia argumenti debet fieri iuxta regulam dialecticæ; non quia, vt conſequentia bona ſit, requiratur præcedere actu directionem dialecticam; ſed quia re ipſa colligitur conformis regulis, quas dialectica tradere ſolet, ideoque iudicans dialectica de conſequentia Theologica, aut Philoſophica, non reprobaret, ſed potius approbaret illam. Addo. Actus virtutum moralium, qui verſantur circa actiones ſubiectas imperio voluntatis, fieri omnes ex præſcripto actuali prudentiæ; quia prudentia non ſolum præſcribit actiones internas, ſed etiam externas, quæ honeſtæ ſunt, vt expoſuimus ſectione præcedenti num. 3. Ad eos autem actus neceſſariam eſſe cognitionem honeſtatis obiectiuæ, quæ inſidet actionibus externis, oſtendimus ſectione præcedenti. Nunc vero ſolum reijcimus præſcriptum actuale prudentiæ circa ipſas actiones internas, quæ non ſunt virtutum obiecta, ſed actus.

Exponitur.

39. Vrgebis. Vt actus ſit moraliter bonus non ſufficit, obiectum formale eſſe honeſtum, ſed præterea requiritur, vt amor obiecti honeſti non ſit prohibitus; nam vt ſtatuimus diſputatione 50. ſectione 8. poteſt amor obiecti formalis honeſti eſſe prohibitus, & malus. Ergo vt ſit moraliter bonus, requiritur cognoſci amorem non eſſe prohibitum, ſed bonum. Reſpondeo primo. Hæc notitia ex natura rei non eſt neceſſaria, quia ex natura rei non poteſt prohiberi amor obiecti honeſti propter ſe, ſed ſolum poteſtate abſoluta Dei. Deinde aliud eſt cognoſci amorem non eſſe prohibitum, aliud cognoſci eſſe bonum, nam actus indifferens cognoſcitur non eſſe prohibitus, tamen non cognoſcitur eſſe bonus. Igitur ſolum concluditur neceſſaria cognitio ſpeculatiua non prohibitionis actus, non vero neceſſaria cognitio practica bonitatis ipſius. Tertio talis cognitio poterat eſſe ſimplex quædam apprehenſio bonitatis, ſicut poteſt eſſe cognitio neceſſaria obiecti, vt ſectione præcedenti ſtabiliuimus. Cognitio autem, de qua diſſerimus, iudicium eſt.

Vrgetur argumentum

Eleuatur.

40. Arguent denique recentiores. Nullus eſt affectus voluntatis, qui non ſit reflexus quidam amor ſui ipſius. Ergo nullus eſt affectus voluntatis, qui non debeat præcognoſci, prius quàm fiat. In primis antecedens eſt falſum, vt in Metaph. docebo. Deinde vt affectus voluntatis ſe ipſum proſequatur amore, non requiritur iudicium practicum, de quo contendimus; ſed ſufficit ſimplex quædam apprehenſio ipſius. Denique non concluditur neceſſaria cognitio aliqua ſpecialis ad affectum virtutis, quæ ad affectum vitij pariter neceſſaria non ſit. At aſſertores iudicij, quod noſtra diſputatione expendimus, illud ſpecialiter deſiderant ad affectum virtutis.

Poſtrema obiectio recentiorum.

Reijcitur.

Digitized by Google

DISPVTATIO SEXAGESIMATERTIA.

AN OMNIS AFFECTVS VIRTVTIS SVPERNATVRALIS dirigatur per cognitionem fidei?

VIDIMVS, omnem affectum ſupernaturalem ortum ducere ex cognitione ſupernaturali honeſtatis obiecti. Nunc videndum, an ea cognitio ſupernaturalis ad affectum ſupernaturalem neceſſaria pertineat ad fidem? Grauiſſimæ enim difficultates Theologicæ, & frequentes Conciliorum, ac Patrum Eccleſiæ Sanctiones ab hoc examine pendent; in cuius lucem Theologorum laborem, & ſudorem merito deſiderabit, qui in hanc diſputationem animum, & ſtudium aduerterit.

SECTIONES.

1. *Præuia aliqua cognitio fidei ad omnem affectum ſupernaturalem neceſſaria eſt.*
2. *Diſtinguenda eſt duplex fides ſupernaturalis; altera ſtricta, altera lata.*
3. *Omnis affectus ſupernaturalis non procedit ex fide ſtricta.*
4. *An diſpoſitio vltima ad iuſtificationem extraſacramentalem fieri queat ſine fide ſtricta?*
5. *Argumenta obijciuntur & ſoluuntur.*

SECTIO PRIMA.

Præuia aliqua cognitio fidei ad omnem affectum ſupernaturalem neceſſaria eſt.

Prima probatio.
Hebr. 11.

1. PRima probatio ſit ex Paulo, qui illo Hæbr. 11. *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*, non ſolum nullam perſonam poſſe fieri gratam Deo ſine fide; verum neque vllum opus ſalutare, & placens Deo in vitam æternam fieri ſine fide, ſignificat. Nam eo teſtimonio vtuntur Patres ad probandum, nullum affectum ſalutarem effici poſſe viribus naturæ, ſed auxilio gratiæ. Ita Auguſtinus lib. 4. contra Iulianum cap. 3. à medio fuſe, & cap. 8. prope finem, de prædeſtinatione Sanctorum cap. 2. & 7. præfat. ad pſal. 31. ante medium; Fulgentius de incarnatione, & gratia c. 25. Proſper lib. 2. de vocatione gentium c. 8. à medio, & plures alij. Item ibidem illud *fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum*, ſic explicat Magiſter; *eſt principium, & fundamentum omnium bonorum.* Rurſus Rom. 14. *quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, ideo verum eſſe poteſt, quia, vt aliquod opus bonũ, & ſalutare ſit, ex aliqua fidei cognitione proficiſci, neceſſe eſt. Igitur aliqua fidei illuſtratio ad affectum ſupernaturalem, & ſalutarem neceſſaria eſt.

Auguſtinus
Fulgentius
Proſper.
Hebr. 11.
Magiſter.
Rom. 14.

Secunda ex Conciliis.
Mileuitanum.
Arauſicanum.
Tridentinum.

2. Secunda probatio ex Conciliis. Etenim Mileuitanum epiſt. ad Innocentium, quæ apud Auguſtinum eſt 95. gratiam præuenientem ad omnem affectum ſupernaturalem neceſſariam, docet, pertinere ad fidem, & Chriſtianorum eſſe propriam. Arauſicanum ſecundum cap. vltimo, ſic decernit; *Hoc ſalubriter confitemur, & credimus, quòd in omni opere bono nos non incipimus, ſed ipſe nullis noſtris præcedentibus meritis prius fidem inſpirat.* En in omni opere bono Deus incipit prius inſpirando fidem. Tridentinum Seſſ. 6. c. 8. refert, *perpetuum Eccleſiæ Catholicæ conſenſum tenuiſſe, vt ſcilicet per fidem ideo iuſtificari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis iuſtificationis.* At ſi fieret aliquis actus ſupernaturalis nulla præcedente fide, non eſſet fides humanæ ſalutis initium, fundamentũ, & radix omnis iuſtificationis; nam omnis actus ſupernaturalis eſt ſalutaris, & conferens in iuſtificationem; is autem actus ſalutaris, & conferens in iuſtificationem elicitus ſine fide initiaret ſalutem, & radicaret iuſtificationem ſine fide. Explicatur; eodem pacto dicitur fides humanæ ſalutis initium, & radix omnis iuſtificationis, quo gratia auxilians dicitur initium, & radix noſtræ iuſtificationis, & ſalutis. At propterea nullus actus ſalutaris Catholicè admittitur elicitus ſine auxilio gratiæ. Ergo propterea etiam nullus ſalutaris, ac ſupernaturalis admitti debet elicitus ſine fide. Conſequenter capite decimo declarat, *iuſtos euntes de virtute in virtutem creſcere in iuſtitia per*

Digitized by Google

Chriſti gratiam accepta cooperante fide bonis operibus. Ecce fides cooperatur bonis operibus virtutum, quibus iuſti in accepta iuſtitia creſcunt. Eadem autem principia gratiæ cooperantur actibus virtutum, quibus peccatores in iuſtitiam accipiendam præparantur, & tendunt. Omnes igitur virtutum actus fide cooperante fiunt.

Tertia ex Patribus. Auguſtinus

3. Tertia fit ex Patribus. Auguſtinus epiſtol. 105. *Reſtat igitur, vt ipſam fidem, vnde omnis iuſtitia ſumit initium, non humano tribuamus arbitrio, neque vllis præcedentibus meritis, quoniam inde incipiunt omnia, quæcumque ſunt merita.* Audis, omnia iuſtitiæ, ac virtutis opera, quæcunque ſunt merita, hoc eſt, condigna, & congrua, quæ omnia viribus arbitrij negat, ſuum ex fide initium habere. Item 1. de prædeſtinatione Sanctorum cap. ſeptimo, *ex fide dicitur iuſtificari homo, non ex operibus, quia ipſa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ proprie vocantur opera.* Fides itaque præcedit omnia opera ſupernaturalia, quæ alicuius impetrationis ferentis in iuſtificationem capacia ſunt. Similiter libro primo ad Simplicianum quæſtione ſecunda, *vt oſtendat omnia bene operari non poſſe, niſi per fidem perceperit gratiam. Incipit autem homo percipere gratiam, ex quo incipit, Deo credere.* Quoſcunque actus antecedit neceſſario gratia, antecedit etiam fides. Rurſus lib. de geſtis Pellagij cap. decimo quarto, poſt medium; *Nequiſquam exiſtimet ad ipſam fidem meritis operum perueniri, cum ipſa ſit initium, vnde bona opera incipiunt, quoniam quod ex ipſa non eſt, peccatum eſt.* Quid expreſſius? Denique lib. decimo tertio de Trinitate cap. vigeſimo, fine; *admoneamus quod iuſtus ex fide viuit, ita vt virtutes quoque ipſæ, quibus prudenter, fortiter, temperanter, iuſteque viuimus, ad eamdem referantur fidem.* Eadem habet lib. de gratia, & lib. arb. cap. decimo tertio, & locis memoratis num. 1. & alibi ſæpe, fidem prædicans antecedere actus ſalutares, ſicut gratiam, imo probans, gratiam neceſſario antecedere, quia fidem antecedere neceſſe eſt.

4. Auguſtino conſentiunt alij Patres. Proſper. Proſper lib. primo de vocatione gent. cap. 23. *fides bonæ voluntatis, & iuſtæ actionis eſt genitrix.* Conſequenter docet cap. 24. *Fidem ad hoc donari, vt principium poſſit eſſe meritorum.* Item ad excerpta Gennenſium dub. 48. ad initium *fidem* vocat *omnium virtutum fundamentum.* Eleganter lib. de ingratis cap. 19.

Porro fidem quis dat, niſi gratia? ſic bene velle
Gratia dat tribuendo fidem, qua credita poſcat,
Quæque voluntatis meritum creet.
Ergo voluntatis genitrix, operumque creatrix
Non eſt ex merito, quoniam quod non fit ab illa,
Non bene fit.

Ecce fides, & gratia æqualiter præuenerunt omnem voluntatem bonam, cuius fides genitrix, & creatrix eſſe debet, vt bona, & ſalutaris ſit. Fulgentius Similiter Fulgentius de incarnatione, & gratia cap. 10. *vita noſtra à fide ſumit initium, quia iuſtus ex fide viuit.* Leo Magnus. Conſonat Leo magnus ſerm. 7. quadrageſimæ cap. 3. agens de operibus miſericordiæ; *Non ſunt fraudandæ ſua laude, ſi ob natura communicationem fiant; ſed quia non ex fidei fonte procedunt, ad præmia æterna non perueniunt, alia enim eſt conditio operum cæleſtium, alia terreſtrium.* Itaquè conditio operum cœleſtium, ſeu ſupernaturalium conferentium in beatitudinem cœleſtem ea eſt, vt ex fidei fonte procedant. Non aliter Cirillus Alexand. in Iſaiam cap. 52. fine, *Radix, & nutrix cognitionis eſt fides, & veluti aditus ad pietatem, & ad vitam deducens eos, qui eam recipiunt.* Cirillus Alex. Nulla eſt cognitio promouens ad affectum pietatis, quam fides non nutriat, & intra ſua clauſtra non contineat. Ex fide igitur ad omnem affectum ſupernaturalem promouemur.

5. Hinc improbo exiſtimationem Patris Vaſquez 1.2. diſputatione 189. num. 137. & Deſeritur P. Vaſquez ſentiens oppoſitum.
138. & diſputatione 190. num. 132. aſſerentis, ideo ab Auguſtino, Tridentino, & aliis Patribus affectus ſalutares reuocari in fidem, quia inter actus neceſſarios ad noſtram iuſtificationem, fides initium eſt, fundamentumque primò neceſſarium; non vero, quia alij actus ſalutares non neceſſarij ad iuſtificationem in fidem tanquam in principium referantur. Hæc, inquam interpretatio proba non eſt. Tum quia Concilia, & Patres ſæpe propoſitionibus vniuerſalibus, ſæpe indefinitis, quæ in materia doctrinali æquiualent vniuerſalibus, docent, omnia opera ſalutaria proficiſci ex fide, nullumque opus ex fide non profectum ſalutare eſſe. Tum quia eodem modo tradunt fidem eſſe neceſſariam ad opera ſalutaria, quo gratiam, imo neceſſitatem gratiæ deprehendunt ex neceſſitate fidei. Igitur ſicut gratia auxilians non ſolum eſt principium actuum, qui ad iuſtificationem requiruntur, ſed etiam aliorum, qui quauis ratione in iuſtificationem iuuant, aut poſt iuſtificationem promouent meritum vitæ æternæ, ita fides initium eſt non ſolum actuum, qui ad iuſtificationem exiguntur, ſed aliorum, qui aliqua ratione ſalutares ſunt.

6. Duo obijcit P. Vaſquez, quæ negotium non faceſſunt. Duo obiecta Patris Vaſquez. Primum eſt, ſi cogitatio fidei ſupernaturalis neceſſaria eſt ad omne opus ſalutare, vnum è duobus abſurdis neceſſario ſequi, aut egregia virtutum acquiſitarum facinora non fore ſalutaria, & ex gratia Dei, ſiquidem hæc non procedunt ex cognitione ſupernaturali fidei; aut certe in nullo homine eſſe opus egregium virtutis acquiſitę ex fine proprio talis virtutis. Secundum eſt, ante acceptam fidem plura elici opera ſalutaria, vt de Cornelio referunt Patres. Satisfit. Primo. Ad primum reſpondeo. Plura fiūt opera egregia virtutum acquiſitarum ex fine proprio earum virtutum. Tamen ex lege Dei in natura eleuata ea ſemper fiunt ex cognitione ſupernaturali, ac proinde comitantibus ſemper actibus ſupernaturalibus virtutum moralium, in quibus reſidet meritum ſalutis; vt fuſe illuſtrauimus diſputat. 20. Nunc autem addimus illuſtrationem ſupernaturalē continuo præuenientem affectus ſalutares pertinere ad fidem, vt ſuperioribus monſtrauimus. Secundo. Ad ſecundū reſpondeo. Fides ſupernaturalis, in quam reuocātur affectus ſalutares, eſt ſtricta, & lata, vt ſect. ſeq. illuſtrabimus. Ante fidem ſtrictam plura

ſiunt opera ſalutaria; non verò ante fidem latam, in quam referri poſſunt opera ſalutaria Cornelij, & aliorum, quorum meminerimus ſequentibus, quibus hæc doctrina firmanda eſt.

SECTIO SECVNDA.

Diſtinguenda eſt duplex fides ſupernaturalis; altera ſtricta; altera lata.

Quæ ſit fides ſtricta, & lata.

7. Fidem ſtrictam voco aſſenſum obiecti propter teſtimonium Dei propoſitum ab Eccleſia miniſterio externo, & vocali hominum, qualem habent fideles regulariter fidem Theologicam ex auditu concipientes. Fidem latam verò aliam quamcunque cognitionem ſupernaturalem honeſti, partam ex teſtimonio externo creaturarum irrationalium, aut ex inſpiratione interna Dei, quam Deus ceu vocem inſerit auditui mentis, erudiens in interiori ſchola hominem abſque voce extrinſecus ſonante, vt frequenter docet Auguſtinus; proptereaque cum ipſo *vocationem diuinam* vſurpant Theologi, quod æmuletur vocem externam miniſtrorum Eccleſiæ, quæ in auditum externum fidelium teſtimonium defert, cui ſtricta fides aſſentitur. Igitur noſtri operis nunc eſt, oſtendere, apud ſacros ſcriptores, & Eccleſiæ Patres non ſolum aſſenſum Theologicum obiecti propter teſtimonium Dei ab Eccleſia propoſitum, ſed aliam etiam quamcunque cognitionem ſupernaturalem infuſam à Deo, aut immediate per ſe ipſum, aut medio miniſterio creaturarum irrationalium vocari fidem. Quod maximopere expediet ad ſequentium, aliarumque complurium difficultatum Theologicarum explicationem: præſertim earum, quæ aſſertis diſputatione 20. obeſſe poſſunt, obtinuiſſeque gaudebimus, ſi ſincera mente futura teſtimonia perpendantur.

Aſſertum docet Chriſtus Dominus Math. 6

8. Teſtetur hanc veritatem primus Chriſtus Dominus Math. 6. *Si ergo fænum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit, quāto magis vos modicæ fidei.* En Chriſtus Dominus vocat fidem certitudinem prouidentiæ diuinæ, comparatam ex teſtimonio creaturarum irrationalium, quibus diligens aſſiſtit prouidentia Dei, & arguit modicæ fidei eos, qui tanto argumento non fidunt certo curæ paternæ Dei, quæ hominibus omnia neceſſaria largiſſime diſponit. Accedat Paulus Roman. 10.

Item Paulus Rom. 10.

vbi præmittens, fidem ex auditu concipi *ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei*, probat nihilominus, omnibus hominibus, tam gentilibus, quàm Iudæis ſufficienter proponi verbum Dei, quod credant, quin vllus excuſari queat de fide non accepta, quod non audierit; *Numquid non audierunt? & quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum.* Videlicet quia voces creaturarum irrationalium teſtantium magnitudinem, bonitatem, & prouidentiam Dei ab omnibus audiuntur. Ita intelligunt Auguſtinus, Arnobius, Caſſiodorus, & alij Patres in pſalmum 18. è quo ea verba Paulus deſumpſit. Audiamus Chryſoſtomum homilia nona, ad populum Antiochen. ſic de cæleſtibus corporibus diſſerentem; *vocem non habent, ipſis non eſt lingua, quomodo igitur narrant? Per ipſum aſpectum. Cum enim videris pulchritudinem, magnitudinem, celſitudinem per tantum temporis permanere, tanquam vocem audiens, & ad aſpectum diſcens adoras eum, qui tam pulchrum, & admirabile corpus creauit. Tacet cælum, ſed ipſius aſpectus vocem tuba clariorem emittit per oculos, non per aures nos docens.* Et poſt pauca claudit; *Scitha, & Barbarus, & Indus, & Ægyptius, & omnis homo ſuper terram incedens hanc vocem audiet; non enim per aures, ſed per oculos in mentem incidit noſtram.* Quare conſequenter illud *fides ex auditu* non de auditu carnis, ſed mentis intelligit Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromat. ex ſententia Epicharmi dicentis; *Mens videt, mens audit, cætera ſurda, & cæca ſunt.* Cuius auditus mentis meminerunt Ariſtoteles Problematico trigeſimo tertio, ſectione vndecima. Plutarchus lib. 2. de fortitudine Alex. Tertullianus lib. de anima cap. octauo, & Theodoretus lib. primo de iurand. græc. affect. Ideo Chryſoſtomus ea verba Pauli ſic expendit; *Non ſimpliciter auditum dixit, quod humana verba audire oporteat, & credere, ſed ſublimis eſt hic auditus; eſt enim auditus per verbum Dei. Deo ſiquidem tam loquenti, quàm mirabiliter operanti æque credere, & obedire oportet.* Itaque fides, qua Deo credimus, auditus, quo Dei verba capimus, non ſolum Deo loquenti, ſed etiam operanti creaturas, quæ ſuo aſpectu nos prouocant in amorem, & gratitudinem Dei, exhiberi poteſt. Ac tandem fides merito nuncupatur cognitio Dei, & beneficiorum ipſius, quæ abſque voce ſonante, viſis tantum creaturis menti noſtræ inſeritur, vt in conditoris laudes, & amorem aſſurgamus. Deinde eadem mens Pauli illuſtris eſt Act. decimo quarto, vbi exhortans Licaonios ad fidem veri Dei, ſic eos alloquitur; *Nos mortales ſumus ſimiles vobis homines, annunciantes vobis, ab his vanis conuerti ad Deum, qui fecit cælum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis ſunt; qui in præteritis generationibus dimiſit gentes ingredi vias ſuas; & quidem non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda noſtra.* Vbi Paulus ad fidem veri Dei non proponit Licaoniis aliud teſtimonium, quam id, quod exhibent creaturæ; & præteritas generationes adorantes alios Deos, & à vera fide declinantes inexcuſabiles prædicat, quod teſtimonio veri Dei, quod cœli, & pluuiæ, tempora fructifera, & prouidentia quotidiana vniuerſi reddunt, aſſenſum fidei non præbuerint. Quo teſtimonio vtitur eleganter Athanaſius orat. contra Idola inter medium, & finem fusâ, & accuratâ deductione deprehendens, ad deturbandum Idolorum cultum, & perſuadendam fidem veri Dei validius omnibus teſtimonium irrationales creaturas conferre.

Pſal. 18. Chryſoſtomus.

Clemens Alex.

Ariſtoteles Plutarchus Tertullianus. Theodoretus. Chryſoſtomus.

Confirmatur mens Pauli. Act 14.

Aliud argumentum ex Cornelio.

9. Irrefragabile argumentum exhibet Cornelius act. 10. quod ſic oppono. Cornelius ante auditum Euangelium, ante fidem ſtrictam Eccleſiæ miniſterio conceptam credebat Deo, & agebat plura opera ſalutaria ex fide infuſa. Non ex fide ſtricta, vt per ſe manifeſtum eſt. Ergo ex fide lata, quæ à fide ſtricta, quam poſtea Petro inſtruente obtinuit, differret. Minor, & conſequentia conſtant. Maior probatur ex ſacro textu. Nam ante ſtrictam fidem orationes, & opera miſericordiæ Cornelij referuntur accepta Deo, vt eis mereretur Euangelium audire, & ſtrictam fidem concipere, vt ad illa verba *orationes tuæ, & eleemoſinæ tuæ aſcenderunt in conſpectu Dei*, doceat communiter Eccleſiæ Patres. Nullum autem opus ſalutare, & acceptum Deo eſſe poteſt ad quidquam ſupernaturale impetrandum, niſi ex fide profectum, vt anteriori ſectione elucidauimus. Totum aſſumptum luculenter illuſtrat Auguſtinus lib. 1. ad Simplic. quæſtione ſecunda, prope initium; *Incipit autem homo percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere, vel interna, vel externa monitione motus ad fidem. Sed intereſt quibus articulis temporum, vel celebratione ſacramentorum gratia plenior, & euidentior infundatur. Non enim Cathecumeni non credunt, aut verò Cornelius non credebat Deo, cum eleemoſinis, & orationibus dignum ſe præberet, cui Angelus mitteretur; ſed nullo modo iſta operaretur, niſi antea credidiſſet. Nullo autem modo credidiſſet niſi vel ſecretis per viſa mentis, aut ſpiritus admonitionibus vocaretur.* Quid vberior ſermo meus aptius toti rei dixerit? En plane Auguſtinus tradit, Cornelium ante Angelum ſibi miſſum, & Euangelium propoſitum credidiſſe Deo, meruiſſeque ab illo per fidem, vt Angelus mitteretur, quia interna monitione, & illuſtratione ad orationes, & eleemoſinas mouebatur, quæ deficiente admonitione externa, (quę ad fidem ſtrictam exigitur,) ſufficit ad fidem infuſam, quia non determinate admonitio externa; ſed vel externa ſenſus, vel interna mentis ad credendum ſat eſt.

Act. 10.

Auguſtinus

Gregorius.

10. Similiter Gregorius homilia decima nona, in Ezechielem circa medium. *Cornelius Centurio, cuius eleemoſinæ ante baptiſmum Angelo atteſtante laudatæ ſunt, non operibus venit ad fidem, ſed fide venit ad opera; ſi enim verè, & ante baptiſmum non crediderat, quid orabat? vel quomodo hunc omnipotens Deus exaudierat? Neque enim poterat bona agere, niſi antea credidiſſet; ſcriptum namque eſt, ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Cernis, Cornelium ſine fide non potuiſſe orationes, & eleemoſinas ſalutares agere, ideoque ante baptiſmum, & inſtructionem Petri verâ, & infuſa fide credidiſſe Deo. Hæc Gregorij verba refert Beda act. decimo, & ſententiam probat. Item Chryſoſtomus in Math. cap. decimo ſeptimo homilia quinquageſima octaua, ante medium ibi; *Cornelius ſua fide gratiam ſpiritus inuitauit.* Quod refert, & ſequitur Magiſter in tertio diſtinctione vigeſima quinta à medio. Igitur Cornelius ante fidem ſtrictam fide ſalutari gaudebat. Claudat probationem iſtam Hieronimus ad Galatas 3. iuxta principium, cuius egregia hæc ſunt. *Sciebat Paulus, & Cornelium Centurionem ſpiritum ex operibus legis accepiſſe, ſed non ex operibus legis, quam neſciebat (videlicet Iudaica.) Si autem a contrario dicitur; ergo ſine auditione fidei accipi ſpiritus poteſt? Nos reſpondebimus, accepiſſe quidem eum ſpiritum; ſed ex auditu fidei, & naturali lege, quæ loquitur in cordibus noſtris, bona quæque facienda, & mala vitanda; per quam dudum quoque Abraham, & Moſem, & cæteros ſanctos iuſtificatos retulimus.* Ecce ſine auditione fidei ſtrictæ ſpiritum fidei Cornelius accepit ex lege naturali, quo fidei ſpiritu & veteres Patres iuſtitiam adepti ſunt.

Beda. Chryſoſtomus.

Magiſter. Hieronimus.

Idem oſtēditur ex Catechiſmo Pij V.

11. In eamdem doctrinam adduco Catechiſmum Pij V. paulo ante expoſitionem Simboli; *fides autem quamquam late pateat, & magnitudine, ac dignitate differat (eſt enim ſic in ſacris literis; Modicæ fidei quare dubitaſti? &, magna eſt fides tua: &, adauge nobis fidem;) tamen eſt idem genere, & diuerſis fidei gradibus eadem definitionis vis, & ratio conuenit.* Igitur fides in ſacris literis late patet, & vna non eſt ſpecie, ſed genere, atque ita rectè poteſt in fidem latam, & ſtrictam perfectam, & imperfectam diſtribui. A quo non abſonat Chryſoſtomus apud D. Thomam in Catena Marci 9. illa verba Parentis dæmoniaci *credo Domine, adiuua incredulitatem meam* ſic expendens; *ſed ſi crediderat dicens credo, quomodo ſubdit, adiuua incredulitatem meam? Dicamus igitur, quoniam multiplex eſt fides, introductoria ſcilicet, & perfecta. Hic autem incipiens credere, Saluatorem deprecabatur, vt apponeret reliquum ad ſuam virtutem.* Itaque fides multiplex eſt, introductoria ſcilicet, & perfecta; illa, quæ motiuo innititur creato, ideoque interdum nutat; hæc, verò, quæ motiuo innititur diuino, ideoque conſtans, & firma eſt; vt habet Gregorius lib. vigeſimo ſecundo moral. cap. decimo quarto, poſt medium, alias cap. vigeſimo primo, & Beda Mar. 9. Ergo Pater dæmoniaci credebat, quia Chriſto aſſenſum tanquam homini præcellentis ſanctitatis præſtabat; at quia ſimul tanquam Deo non exhibebat, quod maius quid, & difficilius erat, ideo auxilium ad altioris fidei perfectionem deſiderabat. Tandem obſignet Hieronimus ad Galatas 1. verba illa *vt reuelaret filium ſuum in me* ſic ponderans; *Non eſt autem ipſum, vt reuelaret filium ſuum in me, quod ſi diceret, vt reuelaret filium ſuum mihi. Cui enim quid reuelatur, huic illud poteſt reuelari, quod ante in eo non erat: in quo verò reuelatur, illud reuelatur, quod prius fuit in eo, & poſtea reuelatum eſt. Ex quo perſpicuum ſit, natura omnibus Dei ineſſe notitiam, nec quemquam ſine Chriſto naſci, & habere in ſe ſemina ſapientiæ, & iuſtitiæ, reliquarumque virtutum. Vnde multi abſque fide, & Euangelio Chriſti, vel ſapienter faciunt aliqua, vel ſanctè.* Vnde colligit, *magis iudicio obnoxios fieri, eo quod habentes in ſe principia virtutum, & Dei ſemina non credunt in eo, ſine quo eſſe non poſſunt.* In quibus duo conſidera; alterum ad reuelationem,

Chryſoſtomus. Thomas. Marc. 9.

Gregorius. Beda.

Hieronimus. Ad Galat. 1.

Digitized by Google

cui fides aſſentitur, ſufficere lucem ipſam, quam naturæ principia ferunt; alterum, omnes homines reos eſſe infidelitatis, quod ea luce non credunt in Deum. Etenim iſta de fide ſtricta vera eſſe non poſſunt. Atque adeo vera ſunt, quia de fide lata ſunt accipienda, eâ ſcilicet notitiâ ſupernaturali, quæ principiis, atque ſapientiæ naturæ ex prouidentia ſupernaturali annexa eſt, iuxta ea quæ diſputatione 20. ſtabiliuimus.

Ratio Theologica.

12. Accedit hæc ratio Theologica. Nullus fit actus ſalutaris, & ſupernaturalis, qui non fit ex fide, vt præterita ſectione decretum eſt. At plures fiunt, qui non fiunt ex fide ſtricta, vt ſectione futura conſtabit. Ergo præter fidem infuſam ſtrictam alia fides infuſa datur, quæ actuum ſalutarium principium ſit. Hæc autem non eſt alia, quàm initio ſectionis præſentis expoſita. Ergo.

Illuſtratur tota doctrina.

Illuſtratur; Apud Eccleſiæ Patres non ſolum datur charitas infuſa ſtricta, qua Deum diligimus propter ſe, ſed etiam charitas lata, qua diligimus propter ſe honeſtum, itavt quiuis affectus ſupernaturalis honeſti, *charitas* nuncupetur. Simili igitur proportione dare eſt fidem infuſam ſtrictam, quæ innititur teſtimonio Dei, & fidem latam, quæ teſtimonio creaturarum mouetur. Par namque eſt vtriuſque ratio, & eodem modo de fide infuſa, quo de infuſa charitate ſacræ litteræ, & Eccleſiæ Patres loquuntur. Antecedens frequens eſt apud Auguſtinum, qui ſicut illuſtrationem gratiæ ex parte intellectus vocat *fidem*, ſic affectionem gratiæ ex parte voluntatis vocat *charitatem*. Ita lib. 2. contra duas epiſtolas Pellag. cap. 9. *Quid boni cupiditas, niſi charitas?* lib. de grat. & lib. arb. cap. decimo octauo. *Quidquid ſe putauerit homo facere bene, ſi fiat ſine charitate, nullo modo fit bene.* Tamen plura virtutum moralium opera fiunt bene ſine charitate ſtricta, quæ ſit dilectio Dei. Item epiſtola 143. ad Iulianam viduam; *Deus operatur in vobis, & velle, & perficere pro bona voluntate; non ſicut iſti ſentiunt tantummodo ſcientiam reuelando, vt nouerimus quod facere debeamus, ſed etiam inſpirando charitatem, vt ea, quæ dicendo nouimus, etiam diligendo faciamus.* Requirit charitatem ad faciendum quodlibet bonum ſalutare, ſicut gratiam, cum tamen plura fiant ſine dilectione Dei, quæ eſt ſtricta charitas. Similiter lib. de gratia Chriſti cap. decimo tertio, gratiam ad quidpiam agendum ſalutare ſic à Deo infundi docet, *vt non oſtendat tantummodo veritatem, verum etiam impertiat charitatem.* Quia non ſolum requiritur, vt mens illuſtretur per gratiam, ſed etiam vt voluntas affectione honeſti tangatur. Conſequenter cap. vigeſimo ſeptimo, *ſine gratia, quæ charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, omnino nihil boni, quod ad pietatem pertinet, veramque iuſtitiam fieri poſſe, non dubitet.* Ita cap. trigeſimo quinto, gratiam ad bene, & ſalutariter agendum neceſſariam vocat *inſpirationem flagrantiſſimæ charitatis.* Qua phraſe vtitur etiam Concilium Mileuitanum cap. quarto.

Mileuitanum.

Quare probo, quod tradit Pater Vaſquez 1. 2. d. 192. ab Auguſtino ſæpe quod fit ex amore cuiuſcunque virtutis, & non ex timore pœnæ, cenſeri *ex charitate fieri.* Auguſtino conſonat Fulgentius de incarnat. & gratia cap. vigeſimo ſexto, & epiſtola quinta ad Eugipium frequenter. Quid igitur prohibet, ſicut affectio ſancta honeſti, qualiſcunque ea ſit, dicitur *charitas*, ſimiliter illuſtrationem ſanctam qualiſcunque ea ſit, dici fidem.

Fulgentius.

SECTIO TERTIA.

Omnis affectus ſupernaturalis non procedit ex fide ſtricta.

Prima probatio.

13. PRima probatio colligitur ex ſectione præterita. Vidimus enim, præter fidem ſtrictam dari fidem infuſam latè acceptam, quæ ſit actuum ſalutarium principium. Confirmatur ex operibus Cornelij, quæ ante ſtrictam fidem ſalutaria fuerunt, vt oſtendimus numero nono.

Confirmatur.

Probatque Gregorius homil. 9. in Ezechielem col. tertia. *Neque fides ſine operibus, neque opera adiuuant ſine fide, niſi opera fortaſſe pro fide percipienda fiant: ſicut Cornelius ante pro bonis operibus meruit audiri, quàm fidelis exiſteret. Quæ ex re colligitur, quia bona opera pro fide percipienda faciebat. Nam cui ab Angelo dicitur; orationes tuæ, & eleemoſinæ tuæ aſcenderunt in conſpectu Dei, & mox pro eadem aſcenſione præcipitur, vt ad Simonem mittat, qui ei veniens prædicare debeat, conſtat quia hoc petiit, vnde meruit exaudiri.* Vide, poſſe fieri opera ſalutaria ante fidem acceptam prope rapienda fide, & ea feciſſe Cornelium ante fidem meritoria fidei.

Gregorius.

Item Bernardus ſerm. 78. in cant. prope finem; *Cornelius eleemoſinis, & orationibus ſuis, domino quidem eas ſibi inſpirante promeruit peruenire ad fidem.* Inſpiratione igitur Dei egit Cornelius ante fidem opera, quæ promererentur fidem.

Bernardus.

14. Secunda colligitur ex diſputatione vigeſima. Etenim oſtendimus, nullum fieri virtutis acquiſitæ actum, quem auxilium gratiæ ſupernaturale non præueniat, vt ſimul cum illo voluntas actum ſupernaturalem circa idem obiectum eliciat. At ante fidem ſtrictam poſſunt fieri plures actus virtutum naturalium, vt per ſe manifeſtum eſt. Ergo etiam actus virtutum ſupernaturalium.

Secunda.

Confirmatur, vt in eadem diſputatione à ſectione decima ſecunda vidimus, Deus auxilia ſupernaturalia gratiæ infidelibus quoque diſpenſat, quibus queunt ſimul cum actibus naturalibus actus etiam ſupernaturales efficere, & ſalutares. At fides ſtricta ab infidelibus remota eſt. Ergo fides ſtricta non eſt ad actus ſalutares, atque ſupernaturales neceſſaria.

Confirmatur.

15. Tertia colligitur ex diſputatione 49. vbi ſtatuimus, actum piæ affectionis neceſſarium ad aſſenſum fidei ſtrictæ eſſe ſupernaturalem. At hic affectus neceſſario antecedens

Tertia.

Digitized by Google

aſſenſum fidei ſtrictæ non procedit ex fide ſtricta. Ergo aliquis affectus ſupernaturalis poteſt eſſe, qui non procedat ex fide ſtricta; atque adeo etiam alij actus virtutum moralium ſupernaturalium ſimiliter eſſe poſſunt. Confirmatur; (*Confirmatur.*) non ſolum fides, ſed etiam deſiderium fidei eſt ſalutare, & ſupernaturale, ideoque indigens auxilio ſupernaturali gratiæ, vt frequens eſt apud Concilia, & Patres Eccleſiæ, qui cum Semi-Pellagianis decertarunt, & diſp. 14. ſect. 1. illuſtrauimus. Deſiderium autem fidei ex fide non eſt. Ergo omnis affectus ſalutaris non eſt ex fide. Quo pertinet illud, quod Titus Boſtrorum Epiſcopus (*Titus Boſtrenſis. Luc.14.*) ad ea verba Lucæ 14. *Compelle intrare dixit, donum fidei à Deo non ſine precibus obtineri ſolet.* Quo diſerte preces antecedentes fidem ſtrictam impetratorias docet.

16. (*Quarta ex Patribus.*) Quarta ex varijs Patrum teſtimonijs depromitur, qui ante fidem ſtrictam miniſterio Eccleſiæ propoſitam plures actus elicitos ex gratia Dei, & impetratorios agnoſcunt. Clemens (*Clemens.*) lib. 1. recognit. in principio ſic refert ſuæ ad fidem vocationis exordia: *Inerat mihi comes optima, quæ me quieſcere non ſinebat, immortalitatis cupido. Vt enim poſt rerum exitus docuit, & gratia omnipotentis oſtendit, ea me animi intentio ad inquiſitionem veritatis, & agnitionem veræ lucis adduxit.* Clemens igitur cupiens ex gratia Dei veram immortalitatem vitæ, impetrauit lucem fidei, qua in illam fœliciter perduceret. Item Petrus (*Petrus.*) apud Clementem lib. 4. recognit. in Gentibus, quibus nondum erat prædicatum Euangelium, ſic Diuinam prouidentiam gratiæ proponit: *Occulta Dei virtute quem debeant diligere, prius etiam, quam doceantur, agnoſcunt. Videtis enim eos, quaſi bonos ſeruos deſiderare eum, quem ſibi ſperant, aduentum ſui Domini nunciare. Deſiderium ergo audiendi verbi Dei, & voluntatem eius faciendi ex Deo habent, & hoc eſt initium doni Dei, quod Gentibus datur, vt poſſint per hoc doctrinam recipere veritatis.* Attende, Gentes adhuc infideles occulta Dei virtute illuſtrati, vt veritatis prædicatorem agnoſcant, donoque diuino aduentum eius deſiderare, vt eo merito doctrinam fidei recipiant. Luculenter Nazianſenus (*Nazianſenus.*) orat. 19. in laudem Patentis mortui col. 4. poſt laudatam eius prudentiam, temperantiam, eiuſque adeo iuſtitiam, *vt quamuis in magnis Reipublicæ muneribus, adminiſtrationibuſque verſatus, ne teruntio quidem facultates ſuas auxerit*, ſubdit. *Pro his rebus fidem quoque ni fallor, premij loco retulit.* En actus virtutum moralium ante fidem meritorios fidei, ac per conſequens ſupernaturales, vt nunc ſupponimus ex diſp. 44. Quibus ſuperius præmiſerat; *Quemadmodum ex noſtris plerique nobiſcum non ſunt, quos ſcilicet à communi corpore flagitioſa vita ratio ſeparat; ſic contra permulti exterorum à nobis ſtant, quicunque nimirum fidem moribus anteuertunt, ac ſolo Chriſtiano nomine carent, cum rem ipſam habeant; quo in numero meus quoque Pater erat, ramus quidem alienus, cæterum morum honeſtate ad nos propendens.* Conſidera, permultos Gentilium anteuertere fidem moribus ſalutaribus, nihilo differentibus à moribus Chriſtianis, ac proinde meritorijs donorum ſupernaturalium, quales teſtimonio ſuperiori retulit Nazianſenus ſui Parentis mores.

17. (*Auguſtin.*) Accedit Auguſtinus lib. 10 confeſſ. c. 6. *Cælum, & terra, & omnia, quæ in eis ſunt, ecce vndique mihi dicunt, vt te amem, nec ceſſant dicere omnibus, vt ſint inexcuſabiles.* Solæ voces igitur cœli, & terræ, aliarumque creaturarum irrationalium, quamuis Euangelica præconia deficiant, quæ ad fidem ſtrictam neceſſaria ſunt, reddunt amorem Dei omnibus hominibus, & Gentibus prorſus inexcuſabilem. Vt autem ſcires, de amore Dei ſalutari, & ex gratia interna elicito eſſe ſermonem, ſubnectit Auguſtinus; *Altius autem tu miſereberis, cui miſertus fueris, & miſericordiam præſtabis, cui miſericors fueris, alioquin cælum, & terra ſurdis loquuntur laudes tuas.* Nimirum quia vt hæ voces creaturarum excitantes ex ſe ſolam notionem naturalem Dei, amorem eliciant ſalutarem, & ſupernaturalem, præſto adeſt prouidentia ſupernaturalis, & miſericordia Dei, quæ illis adiungit illuſtrationes ſupernaturales occultas, & internas, quibus is amor Dei ſalutaris, & ſupernaturalis efficiatur; ſicut eamdem etiam adiungi neceſſe eſt, cum Euangelicæ voces aures hominum pulſant, vt ſæpe tradit Auguſtinus docens contra Pellagium, ſolam doctrinam externam fidei abſque gratia interna Dei ad actus ſalutares non ſufficere. In eamdem rem multa ſunt apud Auguſtini diſcipulum Proſperum (*Proſper.*) in libris de vocat. Gentium, quorum plura dedimus diſput. 20. ſect. 14. Accipe nunc ex lib. 2. duo teſtimonia. Primum c. 5. *Quis ambigat, eos, qui de quibuſcumque nationibus, quibuslibet temporibus Deo placere potuerunt, ſpiritu gratiæ fuiſſe directos, quæ etſi parcior antea, atque occultior fuerit, nullis tamen ſæculis ſe negauit virtute vna, quantitate diuerſa, opere multiformi.* Iam ergo ambigere, nefas eſt, quibuſcunque nationibus, etiam infidelium, quibuſlibet tẽporibus, etiam ante notitiam ſtrictæ fidei, & reuelationis diuinæ adeſſe præſentem ſpiritum gratiæ Dei, vt opitulãte gratia Dei, omnibus hominibus placere Deo, & ſalutariter agere commune ſit; licet infidelibus hæc gratia parcior, & occultior, quam fidelibus diſpenſetur, illis ſola inſtruente natura, iſtis vero abunde præterea inſtruente Eccleſia, prædicatione verbi Dei, lectione ſacrorum voluminum, adminiſtratione ſacramentorum, eruditione Doctorum, Chriſti Domini, & Sanctorum miraculis, & exemplis, in quibus elucet opus multiforme, & quantitas diuerſa gratiæ, cuius Proſper meminit. Secundum teſtimonium eſt c. 20. *Denique ſi ad ipſa mundi exordia recurramus, inueniemus, omnium Sanctorum, qui diluuium præceſſerunt, Dei ſpiritum fuiſſe rectorem. Proſper quod, & filij Dei nominati ſunt.* Gen. 6. *quoniam, vt ait Apoſtolus, quicunque ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei.* Ante legem Euangelicam, & ſcriptam, cum hominibus ſola affulgebat lex naturæ, plures extiterunt Sancti, qui ſolo acti ſpiritu interno gratiæ ſalutariter agebant, quin ad omnia eorum opera ſalutaria propoſitio externa verbi Dei, quæ ad fidem ſtrictam, & Theologicam requiritur, eis præluceret. Poſſunt igitur abſq;

Digitized by Google

fide Theologica prælucente actus fieri ſalutares, & ſupernaturales. Alius Auguſtini diſcipulus Fulgentius ſubſcribat, qui lib. de Incarnat. & Gratia c. 17. docet, pœnitentiam Gentibus priuſquam fidem prædicandam, adeoque ante fidem pœnitentiam ſalutarem donari, vt mens peccatorum maculis expedita luce fidei illuſtrari queat. *Ergo & Gentibus Deus pœnitentiam ad vitam dedit* Act. 11. *nempe cum ipſe ſaluator noſter propria vocis imperio humanam conuertit voluntatem dicens, pœnitemini, & credite Euangelio. Claret tamen, quia vt homo in Deum credere incipiat, à Deo accipit pœnitentiam ad vitam, ita vt omnino credere non poſſit, niſi pœnitentiam dono Dei miſerantis acceperit.* Igitur poteſt eſſe ſalutaris pœnitentia, priuſquam homo in Deum credere incipiat, atque adeo quin ex fide ſtricta talis pœnitentia dirigatur. Claudat illuſtre teſtimonium Clementis Romani lib. 7. conſtit. Apoſt. c. 34. *Abraham enim progenitorem noſtrum viam veritatis ex ipſa natura facultate capeſſentem, cum ei appareres, tanquam dux deduxiſti, cumque, quid tandem eſſet hoc ſæculum, docuiſti, ac fidem eius antegreſſa eſt cognitio, cognitioni vero conſequens fuit fides, fidem autem inſequuta eſt pactio.* Quid manifeſtius? Ecce Abrahamus ante fidem Theologicam, & ſtrictam ex cognitione ſupernaturali, quam Deus notitiæ naturalium inſerebat, viam ſalutis capeſſiuit. Fides igitur ſtricta ad omnes actus ſalutares principium neceſſarium non eſt.

Fulgentius

Clemens.

Poſtrema probatio ex Theologicis rationibus.

18. Poſtrema probatio ex rationibus Theologicis componitur. Prima eſt, vt fiant actus ſupernaturales virtutum moralium, ſufficit cognitio proponens honeſtatem obiecti, & ſi vis, etiam cognitio practica dictans exiſtentiam actus. At neutra harum cognitionum ſpectat ad fidem Theologicam. Ergo quin præcurrat cognitio fidei Theologicæ, poſſunt fieri actus ſupernaturales virtutum moralium. Conſequentia eſt aperta. Minor probatur. Cognitio practica dictans exiſtentiam actus, præter quam quod non eſt neceſſaria ad illum, vt vidimus diſputatione præcedenti, ſect. 2. ſolum pertinet ad prudentiam, vt omnes Theologi fatentur. Cognitio vero proponens honeſtatem obiecti non poteſt ad fidem Theologicam attinere, niſi honeſtas obiecti vt à Deo reuelata proponatur. At honeſtas obiectiua virtutum moralium non ſemper proponitur reuelata à Deo, tum quia alias raro fierent actus ſupernaturales virtutum moralium, præſertim à ruſticis hominibus, ſi eam ſub reuelatione diuina proponi neceſſe eſt, tum quia reuera non ſunt reuelata à Deo obiecta formalia ſpecifica omnium virtutum moralium; vbinam enim reuelatum eſt obiectum formale miſericordiæ, fortitudinis, & iuſtitiæ? In genere quidem reuelatum eſt à Deo, honeſtum eſſe diligendum, turpe fugiendum, at in ſpecie miſericordiam ex hac honeſtate, fortitudinem ex illa, & alias virtutes ex alijs honeſtatibus formaliter moueri, nullibi à Deo reuelatum eſt. Confirmatur; Ignoret quis, imo arbitretur, obiecta formalia virtutum moralium non eſſe reuelata à Deo. Non poterit is, virtutum moralium actus ſalutares efficere? non poterit atteri de peccatis, & ſacramento iuſtificari, operibuſque miſericordiæ, iuſtitiæ, religionis, & obedientiæ vitam æternam promereri? Sane poterit. Tamen in obiecta formalia virtutum non fertur vt reuelata à Deo. Ergo fruſtra exigitur cognitio, quæ ex reuelatione diuina moueatur, vt virtutum moralium actus ſalutares, & ſupernaturales ſint. Iterum confirmatur; Proponat prædicator Euangelicus honeſtatem miſericordiæ conformem rationi, veniæ peccatorum congruentem, & aptam ad promerendum gloriam, quin eam enuntiet reuelatam à Deo; efficiaturque auditor in opera miſericordiæ propter honeſtatem propriam huius virtutis, quin reuelationis diuinæ recordetur; Poterit is affectus fieri ſalutaris, & ſupernaturalis. Tamen fiet abſque cognitione fidei Theologicæ. Ergo. Secunda ratio. Poſſunt actus naturales, & ſupernaturales moueri ex eodem obiecto formali naturali, vt diſput. 25. ſtatutum eſt, quare ante propoſitam reuelationem diuinam poteſt Deus multiplici genere illuſtrationum proponere honeſtatem virtutum, & interiori vocatione mouere voluntatem ad earum actus; imo nihil Deo reuelante poterat Deus eleuare naturam ad plures virtutum actus efficiendos medijs illuſtrationibus internis, quæ voluntatem dirigerent. Neceſſariæ igitur non ſunt cognitiones ſtrictæ fidei ad illos. Confirmatur. Sunt plures cognitiones prudentiæ infuſæ, quæ proponunt honeſtas actiones externas virtutum moralium, vt anteriori diſputatione, numero tertio, dicebamus. Hæ ſufficiunt ad amorem liberum ſupernaturalem earum, vt ibidem declaratum eſt. Vt quid igitur neceſſariæ erunt cognitiones elicitæ à fide Theologica? Tertia à paritate; ſicut fides dicitur principium bonorum operum, ita charitas etiam apud Eccleſiæ Patres eorumdem principium eſt, vt num. 12. expoſuimus. Tamen charitas Theologica, & ſtricta, quæ afficitur in bonitatem diuinam, non eſt neceſſaria, ſed charitas late accepta ſufficit, ſcilicet affectio ſancta, & ſupernaturalis cuiuſcunque honeſtatis moralis, vt actus ſalutares eliciti à peccatore demonſtrant. Igitur ſimiliter ſufficiet fides lata, quin ſtricta, & Theologica neceſſaria ſit. Vnde ad ſacrarum literarum, & Patrum teſtimonia requirentia fidem ad opera ſalutaria, quæ adduximus ſect. 1. ſatisfieri poteſt. Pleniuſque hæc doctrina illuſtrabitur ſect. ſequenti.

Prima ratio.

Confirmatum.

Iterum.

Secunda ratio.

Confirmatur.

Tertia.

SECTIO QVARTA.

An diſpoſitio vltima ad iuſtificationem extraſacramentalem fieri queat ſine fide ſtricta?

19. QVamquam hanc difficultatem expendi diſp. 20. ſect. 22. & 23. libet nunc iterum, eam attingere, quia ſeries ipſa diſputationis id exigit, & ſuperioribus præmiſſa nouam offerunt lucem ad partem affirman-

Digitized by Google

tem illuſtrandam, in quam ſicut tunc, neque modo plenum audeo ferre ſuffragium, donec alijs Doctoribus videatur ferendum. Ergo ſententia affirmans colligi videtur ex dictis.

Prima probatio ſententiæ affirmantis ex ſacro textu. Act. 10.

Primo quia Cornelius Act. 10. ante fidem ſtrictam ſibi ab Eccleſia, & Petro propoſitam laudatur eſſe *religioſus, ac timens Deum*; quæ laus in ſacris Litteris ſolis iuſtis dari ſolet. Rurſus à ſeruis Cornelij refertur Petro eſſe *Cornelius centurio vir iuſtus, & timens Deum*, imo ipſe Petrus audito Cornelij nuncio ait, *In veritate comperi, quia non eſt acceptor perſonarum Deus, ſed in omni gente, qui timet Deum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi*: quippe comperit Petrus, Cornelium etiam ante prædicatum ſibi verbum Dei acceptum fuiſſe, & gratum Deo: quare & Angelus nuntiauit ipſi Cornelio, *acceptæ ſunt eleemoſinæ tuæ, & exauditæ ſunt orationes tuæ.* Quæ omnia indicant, Cornelium ante fidem Catholicam amore ſupernaturali Dei fuiſſe iuſtificatum ex fide ſupernaturali late accepta, illuſtratione ſcilicet occulta, & infuſa à Deo ſimul cum notione naturali ipſius Dei.

Auguſtin.

Ideo Auguſtinus lib. 4. de baptiſmo c. 21. *Eſſe cœperat*, ait, *iuſtitia Cornelij prius, quam ipſe eſſet in plebe Chriſtiana*, Et lib. de Prædeſtinatione Sanctorum c. 7. medio, *ſolet dici, ideo credere meruit, quia vir bonus erat, & antequam crederet. Quod de Cornelio dici poteſt*, licet *ſine aliqua fide*, vt ait Auguſtinus, ſaltem lata, opera ſalutaria non ageret. Poteſt igitur homo ad iuſtitiam peruenire per fidem ſupernaturalem, late acceptam ſine fide ſupernaturali Theologica, & ſtricta.

Secunda ex Patribus. Hieronym.

20. Secundo deducitur ex Patribus ſuperius adductis. Hieronymus enim num. 10. perſpicue docet, *ſine auditione externa fidei accipi ſpiritum Dei ex lege naturali, per quam dubium Abraham, & Moyſes, & cæteri ſancti iuſtificati ſunt*, eaq; ratione etiam Cornelium fuiſſe iuſtificatum. Item num. 11. *Natura omnibus Dei ineſſe notitiam*, vtique ſalutarem, & infuſam, quia abſque fide, Deum ſalutariter diligere queant, *ſicut permulti re ipſa abſque fide ſapienter faciunt aliqua, vel ſancte.*

Auguſtin.

Auguſtinus num. 17. ſolis vocibus creaturarum irrationalium aſſiſtente miſericordia, & prouidentia ſupernaturali Dei abſque inſtructione externa miniſtrorum Eccleſiæ poſſe omnes homines amore proſequi Deum, quin vllus eorum ſit excuſabilis.

Proſper.

Proſper ibidem, *quaſcunque nationes* etiam Gentilium *Deo placere potuiſſe ſpiritu gratiæ directas.* Item alio teſtimonio, abſque vlla propoſitione externa verbi diuini *ad exordia mundi omnium Sanctorum, qui diluuium præceſſerunt, ſpiritum Dei fuiſſe rectorem, propter quod & filij Dei nominati ſunt.*

Fulgentius

Ibidem Fulgentius, *Deum Gentibus pœnitentiam dediſſe ad vitam etiam priuſquam credere incipiant.*

Clemens

Clemens eodem loco, *Abraham viam veritatis duce Deo ex ipſa naturæ facultate capeſſiſſe cognitione antegreſſa fidem.*

Nazianſen.

Denique Nazianſenus n. 16. *permultos exterorum infidelium à Chriſtianis ſtare, moribus ſalutaribus anteuertentes fidem, & ſolo Chriſtiano nomine carentes, ſicut pleroſq; Chriſtianorum à nobis flagitioſa vitæ ratio ſeparat.* Recole quæ in his teſtimonijs expendimus colligentes, ad omnem actum ſalutarem non deſiderari ſtrictam, & Theologicam fidem. Nam ſi quidquam euincunt, eadem conſequutione oſtendunt, neque ad aſſequendum iuſtitiam, ſeu pœnitentiam, & dilectionem Dei, omnemque diſpoſitionem neceſſariam ad illam, fidem ſtrictam non requiri, ſed fidem ſupernaturalem late acceptam ſufficere.

Tertia probatio à paritate.

21. Tertio deprehenditur ex doctrina ſectionis præcedentis. Alij actus ſupernaturales virtutum moralium præueniuntur illuſtratione diuina ſupernaturali diſpoſita à Deo ſine propoſitione externa Eccleſiæ, qua abſq; fide ſtricta, & Theologica fieri poſſunt. Ergo etiam poteſt fieri deteſtatio peccatorum, aut dilectio Dei elicita à charitate per ſimilem illuſtrationem internam infuſam à Deo ſine propoſitione externa Eccleſiæ, cui fides ſtricta aſſentiatur. Antecedens conſtat ex ſectione præterita. Conſequentia probatur à paritate. Nam Deus ſua prouidentia æque aſſiſtit peccatori ad ſuam conuerſionem in Deum, ac ad alios actus ſalutares virtutum moralium. Ergo ſicut ad iſtos actus illuſtrationibus naturalibus honeſtatis moralis, quos excitant varij occurſus naturæ, adiungit illuſtrationes ſupernaturales gratiæ, quibus hi actus ſupernaturales fiant, ita ad actũ deteſtationis peccatorum, & dilectionis Dei notionibus naturalibus bonitatis diuinæ, quas excitant creaturæ, adiungit etiam illuſtrationes ſupernaturales, quibus is actus ſupernaturalis, & ſalutaris eliciatur. Quis enim credat, Deum ſemper eſſe promptum ad infundendam illuſtrationem ſupernaturalem neceſſariam ad actus ſupernaturales virtutum moralium, cum naturalis illuſtratio occurrit, vt fuſe diſput. 20. illuſtratum eſt, & ſerum prouiſorem eſſe, minuſque paratum ad infundendam illuſtrationem ſupernaturalem bonitatis diuinæ, qua amor Dei ſupernaturalis eliciatur, cum varia naturæ media offerunt nationes naturales eiuſdem, quibus amor naturalis fieri poteſt?

Cõfirmatur

Confirmatur. Sicut ex ſacris literis, & ſcriptis Patrum requiritur fides infuſa ad iuſtificationem, & diſpoſitionem proximam ad illam, ita fides ad omnem actum ſalutarem, & diſpoſitionem remotam ex eiſdem monumentis neceſſaria eſt, vt vidimus ſectione prima. Nihilominus ad omnem actum ſalutarem, & diſpoſitionem remotam non exigitur fides infuſa, quæ ſtricta, & Theologica ſit, vt oſtendimus ſect. 2. & 3. Ergo neque ad diſpoſitionem proximam talis fides infuſa exigi debet, vbi adeſſe poteſt fides infuſa, quæ lata ſignificatione fides ſit, vt expoſuimus ſect. 1.

Quarta à priori.

22. Quarto à priori efficax ratio deſumitur. Seorſim à fide infuſa Theologica, quæ innititur teſtimonio Dei ab Eccleſia propoſito, prouidetur à Deo cognitio ſupernaturalis bonitatis diuinæ, & malitiæ peccatorum oppoſitæ Deo. At quæuis cognitio ſupernaturalis bonitatis diuinæ, & malitiæ peccatorum oppoſitæ Deo mouere poteſt voluntatem ad dilectionem ſupernaturalem Dei, & deteſtationem efficacem peccatorum elicitam à charitate. Ergo ſeorſim à fide Theologica, & ſtricta poteſt

fieri dilectio efficax ſupernaturalis Dei, & vera contritio elicita à charitate. Conſequentia optima eſt. Minor à nullo Theologo negari poteſt. Quid enim prohibet cognoſcenti bonitatem diuinam, & grauitatem peccatorum, diligere Deum, & deteſtari peccata? rurſus ſi ea cognitio ſupernaturalis eſt, dilectionem quoque Dei, & deteſtationem peccatorum eſſe ſupernaturalem? cum adſint omnia principia requiſita ad ſupernaturalitatem eius actus, neque ex parte Dei, neque ex parte conatus voluntatis quidquam deficiat? Maior igitur totam probationem deſiderat. Fuſam eius explicationem dedimus diſputatione 20. ſect. 23. ex Paulo, Anſelmo, Thoma, Auguſtino, Hieronimo, Fulgentio, Proſpero, Chriſoſtomo, Paulo Oroſio, Clemente Romano, Ambroſio, Bonauẽtura, Alexandro, & communibus Theologorum principijs deductam. Nunc addo denuo ex ſuperioribus Hieronimum, qui num. 10. diſerte teſtatur, Cornelium, & veteres Patres cum notitia legis naturalis ſpiritum fidei ſupernaturalis abſque propoſitione externa fidei ſtrictæ ad ſuam iuſtificationem accepiſſe; item Auguſtinum num. 17. ſolo teſtimonio cœli, & terræ adiuncto, miſericordia Dei omnes homines in dilectionem ſalutarem conditoris prouocari: rurſus Proſperum ibidem, omnes gentes etiam infideles, ſicut ſanctos, qui diluuium præceſſerunt, regente, & illuminante ſpiritu gratiæ internæ ſine externa propoſitione teſtimonij Dei, Deo placere, & iuſtificari potuiſſe.

Hieronym.

Auguſtin.

Proſper.

Rurſus illuſtratur ex *Proſpero*.

23. In eiuſdem illuſtrationem præterea adduci poteſt idem Proſper libro 1. de vocat. Gent. c. 4. de ſapientibus ſic diſſerens; *Cum quidam ad inquiſitionem ſummi boni aciem mẽtis intenderint, & inuiſibilia Dei, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpexerint, non agentes gratias tamen Deo, nec confitentes illum ſibi eſſe huius facultatis autorem, ſed dicentes, ſe eſſe ſapientes, hoc eſt, non in Deo, ſed in ſemetipſis glorianted, quaſi ad veritatis inſpectionem ſuis ſtudijs, atque rationibus propinquaſſent, euanuerunt in cogitationibus ſuis, & quod illuminante Dei gratia inuenerunt, obcæcante ſuperbia perdiderunt relapſi à ſuperna luce ad tenebras ſuas.* Manifeſte enim agit Proſper de notitia Dei, quã ſeorſim à fide ſtricta ex viſibilibus ad inuiſibilia conſcendentes acquirimus, eamque docet, non ſtudio naturali, ſed autores ſpecialiter Deo, & gratia ipſius illuminante obtineri, ac proinde ſupernaturalem eſſe, ſeu, vt ipſe ait, *ſupernam lucem*. Quandoquidem non aliter de notitia fidei ſtrictæ loquuntur Patres, cum ex eorum dictis fidei ſupernaturalitatem colligimus. Eodem pertinet doctrina, qua munus ſapientiæ infuſæ ſimul cum prudentia illuſtrat libro tertio, de vita contemplatiua à c. 19. illam diſtinguens à fide, & prudentia infuſa, eique tribuens cognitionem veritatis etiã circa Deum, vt lib. ſeq. explicantes habitus ſupernaturales intellectus fuſe declarabimus. Vnde ex communi Theologorum iudicio diſtinguentium habitum fidei infuſę ab habitibus infuſis ſcientiæ, ſapientiæ, & intellectus cum ſancto Thoma 1. 2. quæſt. 68. & 2. 2. quæſt. 8. & 9. ſic poteſt argui. Actus horum habituũ poſſunt proponere bonitatem diuinam, quam charitas diligat; nam vt communis eſt Theologorum ſententia, verſari poſſunt circa Deum, & charitatem dirigere. At hi actus poſſunt fieri ſeorſim à fide ſtricta, nam extiterunt in Chriſto, & manent in Beatis, quibus non inſidet fides. Ergo ſeorſim à fide ſtricta poteſt cognitione ſupernaturali proponi bonitas diuina, quæ per affectum ſupernaturalem diligatur. Neque refert, hæc dona ſupponere in ſubiecto habitum fidei, & charitatis. Nam licet dona habitualia fidem, & charitatem habitualem ſupponant, ſicut eoſdem ſupponunt virtutes morales habituales infuſæ, tamen actus eorum poſſunt abſque habitibus fieri antecedentes omnium infuſionem habituum, ſicut poſſunt fieri actus ſupernaturales virtutum moralium, vt docet P. Suarez lib. 2. de gratia c. 19. num. 7. Nam ſicut Deus iuuat hominem ante infuſionem habituum ad alios actus ſupernaturales, aut per auxilium extrinſecum, aut per auxilium intrinſecum actualis gratiæ, ita iuuare poteſt ad hos actus intellectualium donorũ. Neque item obſtat hos actus moueri ex obiectis ſupernaturalibus, quæ ante notitiam fidei hominibus ignota ſunt. Quoniam vt ſtatuimus diſput. 45. poſſunt actus ſupernaturales ex obiecto formali naturali moueri. Et vt oſtendemus libro ſequenti, plures actus horum donorum intellectualium mouentur ex veritatibus naturalibus ducentibus intellectum in notionem Dei, quas ratio naturalis aſſequitur, vt inſerti notionibus naturæ amorem Dei eliciant ſupernaturalem. Poteſt igitur auxilio diuinæ gratiæ fieri ante fidem ſtrictam cognitio ſupernaturalis bonitatis diuinæ, quam amor Dei ſupernaturalis ſequatur. Confirmatur; vidimus tract. de charitate, Deum non ſolum vt autorem ſupernaturalem, ſed etiam vt autorem naturalem poſſe diligi per amorem ſupernaturalem, ita vt bonitas naturalis Dei, quam referunt vniuerſa creata, ſit amoris ſupernaturalis motiua. At hæc bonitas venire poteſt in cognitionem intellectus ante notitiam fidei ſtrictæ, quæ cognitio auxilio ſupernaturali Dei poteſt eſſe ſupernaturalis. Ergo ante notitiam fidei ſtrictæ poteſt eſſe cognitio bonitatis diuinæ, qua fiat amor ſupernaturalis. Hac ſpectat Auguſtinus lib. 3. de lib. arb. c. 19. *Multis modis Deus per creaturam ſibi Domino ſeruientem auerſum ad ſe vocat.* Omnes igitur creaturæ viſibiles vocant hominem in ſuum conditorem Deum, etiam ſi fidei propoſitione non vocetur. Quod rurſus confirmatur ab Auguſtino libro quarto, contra Iulianum c. 3. lib. 9. de Trinit. c. 7. & 8. lib. 50. Hom. 34.

Itẽ ex donis intellectualibus infuſis.

S. Thomas.

Confirmatur ex amore ſupernaturali Dei, vt autoris naturæ.

Auguſtin.

24. Ad hæc, cognitiones Theologicæ à pluribus Theologis cenſentur intrinſece ſupernaturales, quod ego probabile tradidi diſput. 55. ſect. 7. At plures earum cognitionum referunt perfectiones diuinas. Ergo perfectiones diuinæ referri poſſunt per cognitionem ſupernaturalem, quæ non pertineat ad fidem ſtrictam; nam communi Theologorum conſenſu cognitiones Theologicæ non ſunt elicitæ per

Rurſus ſtabilitur ex cognitione Theologica ſupernaturali.

Digitized by Google

habitum fidei infuſæ, præſertim ſi ex vna præmiſſarum naturali deductæ ſint. Præterea pleriqué hominum ſola meditatione rerum creatarum referentium perfectiones diuinas accenduntur in amorem ſupernaturalem Dei. Cognitio autem Dei parta ex ſola meditatione creaturarum non pertinet ad fidem ſtrictam, quæ ſolum innititur teſtimonio Dei ab Eccleſia propoſito. Ergo abſque ſtricta fide haberi poteſt cognitio ſupernaturalis bonitatis diuinæ mouens voluntatem creatam in amorem ſupernaturalem Dei. Confirmatur, ruſtici homines nulla memoria reuelationis diuinæ, cui aſſentitur fides ſtricta, diligunt ardentiſſime Deum propoſitum, vt creatorem, ſapientem, largitorem munerum naturalium, & alijs attributis perfectum, quæ aſſequuntur ex notione creaturarum viſibilium. Hunc autem amorem non eſſe illis ſalutarem, & ſupernaturalem, impium & credere. Ergo credibile eſt, tunc diſpoſitione diuina inſeri cogitationes ſupernaturales, quibus eum amorem ſalutarem, & ſupernaturalem eliciant, etiam ſi tunc abſit ab eorum mente fides ſtricta aſſentiens reuelationi. Quid? ſi tueamur, fidem ſtrictam non poſſe componi cum cognitione euidenti etiam abſtractiua, & homo ex creaturis noſcens euidenter infinitam bonitatem Dei, ardeat in eius efficacem amorem, dicemuſne, eum hominem non aſſequi ſuam iuſtificationem, & deeſſe illi facienti totum quod in ſe eſt ad cõuerſionem in Deum, auxilium gratiæ illuſtrantis, vt eum amorem edat ſalutarem, & ſupernaturalem? Ergo difficile credam. Igitur credi debet, etiam abſente fide, quæ cum ea notione euidenti incompoſſibilis eſt, illuſtrari mentem hominis luce ſupernaturali, vt amor efficax Dei ſalutaris, & ſupernaturalis edatur. Neque abſonat ſanctus Thomas 2.2. quæſt. 171. ar. 2. ad tertium aſſerens, *Diligere Deum, & cognoſcere ipſum in ſpeculo creaturarum eſſe ſupernaturale quoad modum.* Nam ibi, vt interpretes ſunt Aluarez, Medina, & P. Vaſquez relati diſp. 44. num. 8. non negat, Doctor Angelicus, eos actus eſſe intrinſece ſupernaturales, ſed ſolum ex ratione generica non habere ſupernaturalitatem, ſed ex ratione tantum ſpecifica. Igitur agnoſcit ſanctus Thomas cognitionem ſupernaturalem Dei in ſpeculo creaturarum. At hæc cognitio non eſt fidei ſtrictæ, quæ non habetur in ſpeculo creaturarum, ſed in teſtimonio Dei. Ergo ſine fide ſtricta datur cognitio ſupernaturalis Dei, qua eliciatur amor ſupernaturalis. Indicat Concilium Moguntinum c. 7. de iuſtificatione definiens *Præuenientem gratiam, cùm per alia media, tum potiſſimum in prædicatione verbi ad conuerſionem hominis operari.* Expendo enim, gratiam præuenientem, qua homo peccatorum ſuorum admonitus in Deum cogitationẽ deflectit, non ſolum prædicatione verbi diuini, quæ ad fidem ſtrictam neceſſaria eſt, ſed etiam alijs medijs diſponi à Deo, & ad conuerſionem hominis operari. Seorſim igitur à medijs fidei poſſunt diſponi alia media, quæ ex miſericordia Dei ferant illuſtrationem gratiæ, trahentem hominem in Deum.

Itē ex notione ſupernaturali parta meditatione naturali.

Confirmatur.

Iterum cõfirmatur.

S. Thomas.

Fauet. Aluarez. Medina. Vaſquez.

25. Hæc adiungenda ſunt dictis diſputat. 20. ſect. 22. & 23. ſpectantibus eodem, quæ denuo occurrerunt mihi paranti diſputationem præſentem de neceſſitate fidei ad omnem in genere affectum ſalutarem, atque ſupernaturalem. Ex quibus iterum colligi videtur, quod in ea diſput. 20. corollarium propoſitum eſt, videlicet Gentes infideles facile poſſe adire ſuam iuſtificationem, ſi agant quod in ſe eſt in adimpletionem legis naturalis, & Deum tanquam ſuum conditorem ex toto corde diligant, quamuis cognitione fidei ſtrictæ deſtituti ſint, quia fides lata ſupernaturalis, ſeu illuſtratio ſupernaturalis gratiæ internæ præſto adeſt, præueniens ex miſericordia Dei conatus voluntarios eorum, vt cum eos in efficacem Dei amorem contenderint, eum ſalutarem, & ſupernaturalem eliciant, eoque ſuam iuſtificationem, & ſalutem conſequantur. Quamquam anceps ſemper mihi ſit iudicium affirmans, dum ſatis mihi non conſtat, an vniuerſi Theologi requirentes ex Sacro textu, Patribus, & Concilijs, fidem infuſam ad iuſtificationem hominis fidem requirant actualem, Theologicam, & ſtrictam, quin fides infuſa late accepta ſufficiat, quibus temere refragari non licet; tametſi ex dictis in hac diſp. & diſp. 20. ſect. 23. probabile appareat, eos non de fide ſtricta, ſed præſcindenti ab ſtricta, & lata eſſe intelligendos; vt vlterius confirmabimus ſectione ſequenti. Quare in hac Academia Salmanticenſi ſapientiſſimorum Theologorum Conuentu illuſtriſſima, munierunt hanc doctrinam ſubſcriptione ſua Cancellarius, & Decanus (ſine qua de more noſtræ Academiæ nullæ publicæ aſſertiones vulgari poſſunt) cum anno 1633. vnus diſcipulorum meorum publica aſſerta de virtute Theologica charitatis tueretur, inter quæ abſque vllo Magiſtrorum ſcandalo totam hanc doctrinam defendendam ſuſcepit.

Corollariũ de iuſtificatione infidelium.

Salmanticẽſium approbatio.

SECTIO QVINTA.

Argumenta obijciuntur, & ſoluuntur.

26. OBijcitur primo. Paulus Hæbr. 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Ergo ſine fide impoſſibile eſt iuſtificationem adipiſci. Reſponderi poteſt. Sine omni fide impoſſibilis eſt iuſtificatio. Cæterum non eſt requiſita fides ſtricta, quæ ſit aſſenſus reuelationis diuinæ ab Eccleſia propoſitæ; ſed ſufficit fides infuſa lata, quæ ſit illuſtratio ſupernaturalis, aut immediate infuſa à Deo, aut parta ex occurſu creaturarum, & inſerta illi ex lege, & prouidentia ſupernaturali: nam ea ſufficit ad dilectionem ſupernaturalem Dei, cui annexa eſt iuſtificatio, vt conſtat ex diſput 20. ſect. 22. & 23. & ex dictis ſectione ſuperiori. Tum quia communiter tuentur Theologi cum S. Thoma de veritate quæſt. 14. art. 11. ad primum: hominem nutritum in ſyluis, ſi ſecundum dictamen naturalis rationis conuertatur in Deum,

Prima obiectio ex Paul. Rom. 10.

Explicatio.

S. Thomas.

Digitized by Google

conſequi poſſe ſuam iuſtificationem per inſpirationem internam infuſam à Deo. Aſſenſus autem præſtitus tali illuſtrationi internæ non eſſet actus fidei Theologicæ, vt docent Caietanus, Bannes, Sotus, Canus, Zumel, & Pater

P. Suarez.
P. Coninck

Valentia, quos referunt Pater Suarez, de fide diſput. 3. ſect. 10. numero 1. Pater Coninck, diſput. 9. numero 83. Tum quia peccator Theologus, qui ex cognitione ſupernaturali Theologica diligeret efficaciter Deum, impetraret ſuam iuſtificationem. Tamen cognitio Theologica communi Theologorum iudicio, non eſt actus fidei ſtrictæ, præſertim ſi ex vna præmiſſarum naturali colligatur. Tum quia

Auguſtinus

Auguſtinus, & alij Patres eum locum Pauli ita intelligunt, vt non ſolum ad iuſtificationem, verum etiam ad omnes actus ſalutares virtutũ moralium requirant fidem tanquam principium, vt præmiſimus ſectione 1. Tamen fides Theologica, & ſtricta non eſt principium neceſſarium ad omnes actus ſalutares virtutum moralium, vt vidimus ſect. 3. & ſentiunt plerique graues Theologi. Tum quia illud Rom. 14.

Rom. 14.

Quod non eſt ex fide, peccatũ eſt non intelligitur de fide ſtricta, & Theologica, ſed de fide lata conſcientiæ, ſeu prudentiæ, cui abſque peccato refragari non licet, vt ex Patribus Eccleſiæ illuſtrat Pater Iuſtinianus in eum locum, & communiter interpretes, quos ſequuntur Pater Suarez, libro 1. de gratia c. 6. numero 16. & 17. & Pater Vaſquez 1. 2. diſput. 191. c. 3.

P. Iuſtinianus.
P. Suarez.
P. Vaſquez.

Præterea eſto locus iſte accipiatur de fide ſtricta, & Theologica, non eſt neceſſaria hæc fides in re, ſed ſufficit in voto, quod includitur in dilectione ſupernaturali Dei; quæ ſequitur illuſtrationem ſupernaturalem ab habitu fidei ſtrictæ non elicitam; nam cum eo actu dilectionis non poteſt homo diſſentiri credendis, ſed aſſentiri reuelationi diuinæ neceſſe eſt, vbi & ab Eccleſia proponatur. Sicut ſine baptiſmo, neque ſine pœnitentia ex Sacro textu, & Concilijs Eccleſiæ non poteſt contingere peccatori iuſtificatio, quamuis hæc ſacramenta in re neceſſaria non ſint, ſed ipſorum votum ſufficiat. Vnde explicationem habet Tridentinum ſeſſ. 6. c. 8. fidem ad iuſtificationem requirens, & vtens ſuperiori teſtimonio Pauli.

Tridentinũ

Secunda obiectio ex Rom. 10.

27. Secundo obijcitur idem Paulus Rom. 10. *Quomodo credent eum, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante?* Vnde concludit, *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti.* Igitur perperam diſtinguitur fides in ſtrictam, & latam; ſiquidem lata abſque auditu, & prædicante concipitur. Reſponderi poteſt primo. Paulus ibi loquitur ſolum de fide ſtricta, quæ ſaltem in voto neceſſaria eſt. Secundo loquitur de auditu ſpiritus, aut carnis, vt cum Clemente Alexandrino, Tertulliano, Theodoreto, & Chriſoſtomo expoſuimus numero 8. omnis enim illuſtratio, ſeu vocatio interior, quæ ad fidem latam ſpectat, auditu mentis percipitur, iuxta illud Chriſti Ioan. 6. *omnis, qui audiuit à Patre, & didiſcit, venit ad me,* quod Auguſtinus pluribus in locis refert ad interiorem Scholam, in qua per illuſtrationem gratiæ Deus magiſter, & homo auditor eſt.

Prima expoſitio.
Secunda.
Ioan. 6.
Auguſtin.

Rurſus auditum iſtum ſic intelligunt Hieronimus adductus numero 10. & Auguſtinus numero 17. Pater Granadus controu. 8. de gratia tract. 6. diſp. 1. num. 43. & P. Ruiz de prædeſt. ſect. 8. num. 7.

Hieronim.
P. Granad.
P. Ruiz.

Tertia obiectio ex Auguſtino. primum teſtimonium.

28. Tertio obijcitur Auguſtinus pluribus in locis. Primo lib. 3. de prædeſtinatione Sanctorum, c. 7. vbi agens de Cornelio ait; *ſed ſi poſſet ſine fide Chriſti eſſe ſaluus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apoſtolus Petrus.* Ergo ſentit, ſine fide ſtricta, quam inſtructione Petri acquiſiuit, ſalutem obtinere nequiuiſſe. Secundo lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. iuxta initium diſſerens de eodem Cornelio; *Fiunt ergo inchoationes quædam fidei, conceptionibus ſimiles: non tamen ſolum concipi, ſed & naſci opus eſt, vt ad vitam perueniatur æternam.* Non ergo ſufficiebat fides inchoans, qua ante inſtructionem Petri orabat Dominum, & eleemoſinas faciebat, ſed opus erat præterea fides ſtricta, qua poſt inſtructionem Petri fidelibus Eccleſiæ filijs aggregatus eſt. Tertio lib. 4. contra Iulianum c. 4. vbi cum obiecisset Pellagianus ex illo Rom. 2. *Gentes legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex, &c.* poſſe Gentes ſine fide veras virtutes habere, & iuſtos fieri ex lege naturali, ſic exponit Auguſtinus Paulum; *Ideo dicuntur ſine lege naturaliter, quæ legis ſunt facere, quia ex Gentibus venerunt ad Euangelium, & propterea naturaliter, quia vt crederent, ipſa in eis eſt per Dei gratiam vt recta natura, nec per eos potes probare, quod vis etiam infideles veras poſſe habere virtutes, ſunt quippe iſti fideles. Aut ſi fidem non habent Chriſti, profecto, nec iuſti ſunt, nec Deo placent, cui ſine fide placere impoſſibile eſt.* Requirit igitur Auguſtinus ad iuſtificationem fidem ſtrictam, quia infidelis ad Euangelium perueniat, & fidelibus annumeretur; alias poſſet Iuliano reſpondere, etiam in infidelitate poſitos potuiſſe infideles per internam gratiam Dei ſine Euangelio, & fide Chriſti iuſtificationem adipiſci, & Deo placere. Quarto libro de natura, & gratia c. 4. *Iſ, qui non per gratiam liberantur, ſiue quia audire nondum potuerunt, ſiue quia obedire noluerunt, ſiue etiam cum per ætatem audire non poſſent, lauacrum regenerationis non acceperunt, iuſte vtique damnantur, quia ſine peccato non ſunt.* Hic enim ſupponit Auguſtinus, aliquos damnari, ſolum quia audire Euangelium non potuerunt. Ergo ſentit neceſſarium eis fuiſſe Euangelium audire, cui per ſtrictam fidem aſſentirent. Quod etiam ſupponit c. 9. cum proponit quæſtionẽ. *Iuuenis, vel ſenex qui in ea regione defunctus eſt, vbi non potuit Chriſti nomen audire, potuit fieri iuſtus per naturam, an non potuit? Si potuiſſe dicunt, ecce quod eſt crucem Chriſti euacuare.*

Secundum.
Tertium.
Quartum.

29. Hæc teſtimonia explicatione indigent. Ad primum, & ſecundum reſpondeo. Auguſtinus requirit ad ſalutem fidem ſtrictam Chriſti in voto, non in re, nam, vt ex eodem oſtendimus numero 19. Cornelius ante inſtructionem Petri, iuſtus erat, & conſequenter ſi tunc præueniretur morte, ſaluus fieret, etiam ſi non audiuiſſet Petrum. Ad tertium; Auguſtinus differit de fide infuſa late accepta, non de ſtricta. Tum quia ad rem, de qua cum Iuliano contendebat,

Ad primum & ſecundũ teſtimonium
Ad tertium

Digitized by Google

contendebat, ſufficiebat quæcunque fides, & cogitatio infuſa; quippe volebat Iulianus, poſſe hominem fieri iuſtum ſola facultate naturæ, Auguſtinus vero abſquê gratia Dei id impoſſibile tuebatur; vt autem negaret naturæ facultatem eliciendi actus, quibus iuſtificationem obtineret, ſufficiebat adſtruere neceſſitatem cuiuſcumque fidei, & cogitationis infuſæ, quæ naturæ indebita, & ſupernaturalis ſit. Tum quia Auguſtinus ibi eamdem fidem exigit ad virtutes morales, & ad iuſtificationem, vt legenti indubitatum erit. At ad virtutes morales non exigitur cogitatio fidei ſtrictæ, vt ſectione tertia oſtenſum eſt, & communiter tuentur Theologi. Ergo neque ad iuſtificationem exigitur ibi ab Auguſtino fides ſtricta. Rurſus eam fidem intelligit, quam intellexit Apoſtolus in il-

Rom. 14. lo Romanorum decimo quarto, *Omne, quod non eſt ex fide peccatum eſt*; nam eo vtitur aduerſus obiectionem Iuliani. Ibi autem non intelligit Apoſtolus fidem ſtrictam, vt ex communi Interpretum, & Theologorum ſenſu monuimus numero vigeſimo ſexto. Indicat tamen Auguſtinus, ad iuſtificationem Gentium requiri, vt fideles ſint, & venerint ad Euangelium; quoniam illi, qui fide lata, ſeu cogitatione infuſa gratiæ iuſti ſunt, quodammodo fideles, & Euangelici ſunt, licet

Nazianſenus. nomine Chriſtiano careant, vt dixit Nazianſenus numero decimo ſexto. *Permulti exterorum à nobis ſtant, quicunque nimirum fidem moribus anteuertunt, at ſolo Chriſtiani nomine carent, cum rem ipſam habeant.* Quare Auguſtinus numquam negat Iuliano, eos, qui integre obediunt legi naturali, & Deum efficaciter diligunt, iuſtos fieri; ſed non fieri iuſtos ex ſola lege naturali, ſed ex fide, ſeu cogitatione ſupernaturali, quæ ſemper infunditur menti eorum, ante efficacem dilectionem Dei. Arguit enim Auguſtinus ibi: *Iſti ergo, qui naturali lege ſunt iuſti, aut placent Deo, & ex fide placent, quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Vtique illi, qui non audierunt Euangelium, quos Iulianus obijcecerat Auguſtino. Igitur fideles illi ſunt, & ad Euangelium venerunt in voto, licet re ipſa Chriſtianam non profiteantur religionem; nam ex efficaci dilectione Dei parati ſunt Chriſtianæ religioni, vbi ſibi ab

Ad quartũ. Eccleſia proponatur, nomen dare. Ad quartum. Non ſignificat Auguſtinus, neceſſarium eſſe ad poſſe ſaluari audire in re miniſtros Eccleſiæ, quia etiam Gentibus, quæ eos non audiunt, prouidentur neceſſaria ad ſalutem, vt expoſuimus diſputatione vigeſima, ſectione vigeſima ſecunda, & vigeſima tertia. Sed quia eos non audiunt, plures Gentilium auxilio efficaci deſtitui, quoniam, plures eorum, vberiora auxilia gratiæ miniſterio Eccleſiæ annexa redderent efficacia. Quare c. 9. iuueni, aut ſeni in ea regione defuncto, vbi audire Eccleſiam non potuit, ſolum negat poteſtatē ſalutis per naturam, non vero per gratiam; nam per gratiam continuo illam concedit c. decimo. Si autem vrgeas, Auguſtinum c. quarto, diſtinguere inter illos, qui damnantur; quia audire nondum potuerunt, & eos, qui damnantur, quia obedire noluerunt, qui etiam auxilio efficaci gratiæ deſtituti ſunt. Reſpondeo. Auxilia gratiæ prouiſa Gentilibus ſunt valde remiſſa, atque debilia, quæ raro fiunt efficacia, auxilia vero miniſterio Eccleſiæ diſpoſita vberiora, & intenſiora ſunt, quæ frequenter efficacia redduntur, vt notabamus ex Proſpero numero decimo ſeptimo. Porro hæc vberiora auxilia gratiæ in pluribus fidelibus inefficacia ſunt, quia eis obedire noluerunt; in pluribus infidelibus vero, quia audire non potuerunt; nam ſi audiuiſſent, & eis præuenirentur auxilijs, reipſa ad ſalutem peruenirent. Igitur ſolam ſortem diuerſam in ordine ad hæc auxilia Eccleſiæ complectitur ibi Auguſtinus, & vtramque voluit iuſto iudicio Dei hominibus contingere.

30. Quarto obijcies nouitatem vocum *fidei ſtrictæ, & latæ* quæ hucuſque inauditæ ſunt; Quarta obiectio.
item communem Theologorum exiſtimationem aſſerentium, cum Gentilem, qui integre obſeruaret totam legem naturalem, inſtruendum fore per Angelum, aut miniſtrum Eccleſiæ prouiſum ſupernaturaliter à Deo: quod cum noſtra doctrina non adhæret, quæ ſine vlla inſtructione externa per ſolam illuminationem internam adſtruit iuſtificationem Gentium poſſe contingere. Reſpondeo. Res ſigni- Refellitur.
ficatæ per voces fidei ſtrictæ, & latæ, frequentes ſunt in ſcripturis ſacris, & Patrum Eccleſiæ, vt expendimus ſectione ſecunda, voces autem ad maiorem explicationem ſcolaſticæ diſputationis à nobis inuentæ ſunt. Neque Theologis omnibus hæc doctrina diſſona eſt; nam, cum ponunt Gentilem adimplentem totam legem naturæ, nolunt, determinate ad eius iuſtificationem requiri inſtructionem externam hominis, aut Angeli, ſed ſub diſiunctione, aut inſtructionem externam creaturæ, aut internam inſpirationem Dei, vt de Sancto Thoma adduximus numero vigeſimo ſexto, cuius verba habes diſputatione vigeſima, ſectione vigeſima tertia, cum pluribus Theologis, qui eum ſequuntur. Igitur ex mente Theologorum non requiritur determinate fides ſtricta aſſentiens teſtimonio Dei, exterius propoſito, ſed ſufficit fides lata, ſeu inſpiratio interna infuſa à Deo.

Digitized by Google

DISPVTAT. SEXAGESIMAQVARTA.

AN AFFECTVS SVPERNATVRALES REFLEXI, ATQVE directi pertineant ad eamdem virtutem?

COMPOSVIMVS affectus ſupernaturales cum cognitione ipſos dirigente. Nunc eos componimus inter ſe, cum alij alios reflexo proſequuntur amore; nam ſicut obiecta externa amabilia ſunt, quia bona; ita & actus virtutum interni amabiles ſunt voluntati, quia boni. Quærimus igitur quod à paucis examinatum eſt; an amor reflexus actuum charitatis, pœnitentiæ, & aliarum virtutum ſit elicitus ab ea virtute, à qua actus directus amatus per ipſum elicitur?

SECTIONES.

1. *Controuerſia, & ſententiæ.*
2. *Pars affirmans verior eſt.*
3. *Obiecta repelluntur.*

SECTIO PRIMA.

Controuerſia, & ſententiæ.

Prima poſitio.

1. PONO primo, bifariam poſſe actum directum virtutis amari à voluntate reflexe. Primo tanquam obiectum materiale propter finem ab ipſo diſtinctum, in quem cōferre poteſt, vt cum volo actum charitatis propter bonitatem diuinam, aut propter finem pœnitentiæ. Secundo tanquam obiectum formale propter bonitatem, ſeu honeſtatem ipſi actui intrinſecam, quin in alium finem diſtinctum formaliter dirigatur. Pono ſecundo, cum actus directus virtutis amatur propter finem intrinſecum ipſius virtutis, vt cum actus charitatis amatur reflexe per amorem intendentem placere bonitati diuinæ, vtrumque actum, reflexum, atque directum pertinere ad eamdem virtutem. Nam vterque actus eumdem finem intrinſecum, ſeu idem obiectum formale intrinſece reſpicit; ſufficit autem idem obiectum formale intrinſecum, vt ad eamdem virtutem pertineat. Pono tertio, cum actus directus virtutis volitus eſt propter finem alterius virtutis, vt cum actus temperantiæ reflexe eſt volitus propter finem intrinſecum pœnitentiæ, tunc actum directum, & reflexum, elicitos eſſe à diuerſis virtutibus. Nam reſpiciunt intrinſece obiecta formalia diuerſarum virtutum, actus autem reſpicientes intrinſece obiecta formalia diuerſarum virtutum, non poſſunt pertinere ad eamdem virtutem. Itaque negotium totius diſputationis eſt examinare. An cum actus directus vnius virtutis amatur reflexé per alium tanquam obiectum formale propter bonitatem, ſeu honeſtatem formalem ſpecificam, & peculiarem ſibi intrinſecam, qua ab actibus aliarum virtutum differt, tunc vterque actus reflexus, atque directus eliciatur ab eadem virtute? vt cum amo dilectionem Dei propter peculiarem bonitatem dilectionis Dei; differentem ab omni alia dilectione, quæ non mouetur intrinſece ex bonitate Dei. Dixi *cum actus directus amatur reflexe per alium*; quia plerique volunt omnem affectum virtutis eſſe amorem reflexum ſui ipſius. Diſputatio autem non poteſt eſſe de amore reflexo imbibito eſſentialiter in actu directo, quæ, indubitatum eſt, ad eamdem virtutem attinere cum actu directo; ſed de amore reflexo diſtincto realiter ab actu directo. Nam, licet omnis affectus directus, ſui ipſius amor ſit, poteſt vlterius repetito amore à ſe diſtincto per voluntatem amari. De hoc igitur diſtincto amore reflexo quæſtio eſt, an illi cum actu directo amato per ipſum vna, & eadem virtus communis ſit?

Secunda. Tertia. Explicatio controuerſiæ.

Sententia negans. P. Granad.

2. Pertinere ad virtutem diuerſam arbitratur P. Granadus 1.p.tr.1.diſput.5.num.17. quamuis aſſerat, de facto non dari habitus infuſos, quibus eiuſmodi actus reflexi fiant. Idemque tuentur nonnulli recentiores apud P. Torres 2.2.diſp.37.dub.8. At ad eamdem virtutem ſpectare, probabile tradit P. Torres ibidem. Videtur ſupponere P. Suarez tom.1.in 3.p.diſput.29.ſect.4.expreſſe lib.12.de gratia c.11.num.13. Nec non Scotus in 3.diſtinct.26.q.1.§ *Ad primum horum.*

Sententia affirmans. P. Torres. P. Suarez. Scotus.

SECTIO SECVNDA.

Pars affirmans verior eſt.

Probatur primo ex ſacro textu. Rom. 12.

3. HAEc primo probari videtur Paulo Ro. 12. vbi præcipiens fidelibus mutuum

fraternitatis amorem præcipit ſimul eius amoris amorem, qui ab eodem fonte promanat; *Charitatem fraternitatis inuicem diligentes.* Quod in rem expendit Fulgentius Epiſtola quinta ad Eugypium prope finem, *Iubens fraternitatem diligi, ipſam quoque charitatem fraternitatis præcipit diligendam*; nam qui in fratrem afficitur, in fratris quoque amorem, quia amor fratris eſt, incunctanter afficitur, vt ipſe Fulgentius ibidem cum Auguſtino declarat. Item Dauid Pſalm. 118. petens à Deo, ne ſibi abſcondantur mandata Dei, quæ opere impleat, dilectionem ipſius charitatis ſe velle habere proponit. *Ne abſcondas à me mandata tua, concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationem tuam in omni tẽpore*, quaſi ea dilectione dilectionem quoq; charitatis omnia adimplẽtem præcepta haberet. Sic intelligit Auguſtinus; *Cum Dei mandata, ne abſconderentur, oraſſet, in quibus dilectio præcipitur, vel ſola, vel maxime; ipſius dilectionis dilectionem ſe velle habere proclamat.* Dilectioni igitur Dei, quæ à Deo præcipitur, annexa eſt dilectio ipſius dilectionis Dei; eo enim ipſo quod aliqua virtus eliciat dilectionem obiecti honeſti, dilectionem quoque ipſius dilectionis obiecti eliciat, neceſſe eſt. Nam *quoniam rectè*, addit Auguſtinus, *concupiſcuntur iuſtificationes Dei, rectè concupiſcitur concupiſcentia iuſtificationum Dei. Si rectè diliguntur iuſtificationes Dei, rectè diligitur dilectio iuſtificationum Dei.* Ad eamdem igitur rectitudinem virtutis competit dilectio honeſtatis obiecti, & dilectio honeſtæ dilectionis ipſius; quia vt infra dicemus, alia in alia æquiualenter continetur, ſeu alia æquiualenter cum alia eadem eſt.

Fulgentius

Pſ. 118.

Auguſtinus

Secũdo ex Patribus.

4. Secundo idem probatur ex Patribus Eccleſiæ. Auguſtinus libro 11. Confeſſ. cum confiteretur, ſe à Deo accepiſſe amorem, quo ipſum diligeret, ait. *Iam dixi & dicam amore amoris tui facio iſtud*; quaſi ab eodem principio naſcatur amor Dei, & amor amoris Dei. Fulgentius Epiſtol. 5. iuxta initium diſſerens de amore, quo charitas propter ſe diligitur. *Numquid ſicut eam poſſunt admirari, atque laudare, qui eam non habent, ita poſſunt eam diligere, qui eam nec dum habent? Nequaquam charitas quippe ipſa eſt dilectio. Quomodo autem dilectionem iam diligit, qui dilectionem habere non cœpit?* Et concludit, *A ſe ipſa igitur charitas diligitur, nec diligitur, niſi habeatur.* Igitur charitatis amor ſolo amore charitatis diligitur, atque ideo à non habente charitatem non diligitur, quia non alio amore, quam ipſius charitatis propter ſe diligitur. Guillelmus Abbas Cõxtaneus, & familiariſſimus Bernardo in ſuis meditationibus verſus finem totus in charitatis affectus effuſus agens de intimis corde ſic Deum alloquitur. *Iſtos cum video in amorem amoris tui, qui hæc in eis operatur, totus afficior, quia in eis deprehendo certa quadam experientia cognita, amantibus. Amo ergo eos, quia te amant, & multum amo, ſicut amo amorem, quo amaris, quem in eis amo.* Quis non cernat hos affectus in amoris Dei pulchritudinem, & perfectionem allectos, & ex charitate in Deum profectos? Ergo ex charitate in Deum proficiſcitur amor bonitatis ſpecificæ amoris Dei. Quare mox hos affectus reuocat Guillelmus in charitatem, qua diligit Deum, quem amat amando amorem Dei, quia amor eſt bonitatis Dei. *Eos hoc modo amo, vt in eis, & in affectu eorum nihil amem, niſi te, cum ipſum affectum ob hoc tantum amem, quia plenus eſt te, ſed & in me ipſo nonnumquam amem meum affectum, niſi cum ipſo affectu me inuenio de te, quid amo niſi te? nihil penitus.* Quippe amor amoris Dei æquiualenter eſt amor Dei. Item expreſſe Sanctus Thomas 2. 2. quæſtione vigeſima quinta, articulo ſecundo, quærit *an charitas ſit ex charitate diligenda*, & affirmat in corpore ea ratione, *Quod charitas amor quidam eſt. Amor autem ex natura potentiæ, cuius eſt actus, habet, quod poſſit ſupra ſe ipſum reflecti.* Et concludit, *eamdem eſſe rationem de beatitudine, & alijs virtutibus.*

Fulgentius.

Guillelm.

5. Tertiò ſic arguo. Cum duo actus ex obiecto formali intrinſeco ita comparantur inter ſe, vt amor formalis vnius obiecti ſit æquiualenter, & virtualiter amor alterius, vterque actus ad eumdem pertinet habitum, ſic intentio finis, & electio formalis mediorum pertinent ad habitum eumdem, quamuis obiectum formale intrinſecum intentionis ſit bonitas finis, & obiectum formale intrinſecum electionis formalis ſit vtilitas intrinſeca mediorum, vt libro de anima docuimus: item amor honeſtatis obiectiuæ temperantiæ, & odium malitiæ oppoſitæ tali honeſtati fiunt ab eodem habitu, quamuis odium moueatur intrinſecè ex tali malitia, & non ex honeſtate, cui opponitur: quia vnus actus virtualiter, & æquiualenter eſt alius. Nam qui eligit medium, quia vtile ad finem virtualiter, & æquiualenter amat finem, & qui deteſtatur malitiam intemperantiæ, quia opponitur honeſtati temperantiæ, æquiualenter, & virtualiter amat honeſtatem temperantiæ. Sed amor dilectionis Dei, verbi gratia, quia dilectio bona eſt ex bonitate ſpeciali Dei, virtualiter, & æquiualenter eſt amor Dei. Ergo amor talis dilectionis, & dilectio Dei pertinent ad habitum eumdem. Minor conſtat ex dictis Patrum adductis. Rurſus Auguſtinus tractatu nono, in Epiſtola prima, Ioannis capite quarto, verſum finem, *Quia diligit dilectionem, ideo diligit Deum. Vtique ideo diligendo dilectionem; Deum diligit.* Igitur diligere dilectionem Dei virtualiter, & æquiualenter eſt diligere Deum. Item Guillelmus Abbas vbi ſupra; *Inuenio te Domine in amore meo, ſed vtinam ſemper inueniam.* In amore Dei amato, quem Guillelmus præmiſerat, à ſe amari, inuenitur amatus Deus. Ideo libello de amore, inter principium, & medium deſiderium amoris Dei vocat arrham amoris perfecti Dei, *ſuſcipio, & amplector hanc ſpiritus tui arrham, & lætus exſpecto in arrha promiſsionem tuam. Deſidero itaque amare te, & amo deſiderare te, & hoc modo curro, vt apprehendam, in quo apprehenſus ſum, ſcil't et vt amem te perfectè aliquando, o, qui prior nos amaſti amando, & amabilis Domi-*

Tertio ratione.

Auguſtin.

Guillelm.

ne. Aliquis igitur Dei amor eſt deſiderium ipſius amoris, motuſque animæ in perfectum Dei amorem. Idem idem Caſiodorus de amicitia pag. 591. *Natura nimirum charitatis eſt, & amare, & velle amari*. Si charitatis, & amicitiæ eſt velle amari ab alio. Ergo etiam velle amare alium. Rurſus minor probatur ratione. Honeſtas formalis actus interni cõtinet virtualiter, & æquiualenter honeſtatem obiectiuam actionis externæ, quippe ab ea deſumitur, cum eaque connexus eſt; quare voluntas amans amorem internum propter ſui honeſtatem non poteſt odiſſe obiectum externum, neque amare quidpiam eius honeſtati obiectiuæ repugnans. Ergo amor actus interni propter ſpecialem ſuam honeſtatem hauſtam ex obiecto virtualiter eſt amor ipſius obiecti, ſicut amor obiecti virtualiter eſt amor amoris obiecti propter eamdem rationem.

Confirmatur primo. 6. Confirmatur: Ad eamdem prudentiam ſpectat dictare actiones externas honeſtas, & amorem internum illarum. Ergo etiam ad eumdem habitum amare propter ſe honeſtatem actionis externæ, & honeſtatem internæ.

Secundo. Confirmatur rurſus. Ad eumdem habitum acquiſitum incumbit eliccre amorem obiecti externi, & amorem ipſius amoris. Ergo etiam ad eumdem habitum infuſum, qui non eſt minoris actiuitatis, quam acquiſitus. Antecedens experimento cernitur, nam idem habitus amicitiæ facilitat, & habilitat voluntatem non ſolum ad amandum amicum, verumetiam ad amandum amorem amici, non ſolum elicitum à voluntate, in qua reſidet, ſed etiam elicitum à voluntate alterius, nam propter illum alterum diligit, & ſi maior, ac præſtantior eſt, in eius amoris magnitudinem, atque præſtantiam afficitur. Sic charitatis affectus cenſentur, qui allecti pulchritudine diuini amoris flagrant deſiderio amandi Deum ea intentione amoris, qua à ſupremis Seraphin diligitur. Quæ deſideria adeo propria charitatis agnoſcit Guillelmus libel. de amore ſup. vt quia beati deſiderio Dei, quem iam poſſident, teneri non poſſint, omne charitatis beatificæ deſiderium in ardentiorem aliorum amorem, aſſerat occupari; in quo ſenſu exponit illud 2. Petri 2. *in quod deſiderant Angeli proſpicere*. [margin: Guillelmus; 1. Petri 2.]

SECTIO TERTIA.

Obiecta proponuntur, & repelluntur.

Prima obiectio. 7. OBijcies primo. Actus ſpecie diuerſi ex obiecto formali non poſſunt pertinere ad eamdem virtutem. Amor directus, & reflexus ſunt diuerſi ex obiecto formali; quippe directus mouetur ex honeſtate obiecti externi, reflexus vero ex honeſtate actus interni, quæ ſpecie differentes ſunt. Ergo non poſſunt pertinere ad eamdem virtutem. Reijcitur. Reſpondeo. Cum obiecta formalia Phyſice diuerſa, moraliter, virtualiter, ſeu æquiualenter ſunt idem, poſſunt terminare actus pertinentes ad eamdem virtutem; ſicut intentio finis, & electio mediorum, amor obiecti honeſti, & odium obiecti turpis tali obiecto oppoſiti, eliciuntur ab eodem habitu, quamuis ſpecie differant ex obiecti formalo ſibi intrinſeco, quia obiectum formale vnius actus moraliter, virtualiter, & æquiualenter eſt obiectum formale alterius, vt vidimus numero quinto. Amor autem directus, & reflexus ſpecie differunt ex obiectis formalibus Phyſice, non vero moraliter, virtualiter, & æquiualenter, vt oſtendimus ibidem.

8. Secũdo obijcies Actus virtutis Theologicæ ſumit ſpeciẽ ex obiecto formali increato, & non creato. At amor dilectionis Dei propter pulchritudinem, & honeſtatem talis dilectionis non ſumit ſpeciem ex obiecto formali increato, ſed creato. Ergo talis amor non eſt elicitus à virtute Theologica charitatis, à qua elicitur dilectio Dei. Similiter reſpondeo. Vt actus ſit elicitus à virtute Theologica, ſufficit, quod obiectum formale ipſius ſit virtualiter, & æquiualenter increatum, vt tract. de charitate expoſuimus. Amor autem dilectionis Dei propter ſpecialem ipſius honeſtatem, virtualiter, & æquiualenter mouetur ex obiecto formali increato bonitatis diuinæ, vt eodem tract. de charitate, & ſuperioribus teſtimonijs Patrum oſtendimus. Secunda. Diluitur.

9. Tertio: Amor imperans charitatis eſt virtualiter amor imperatus religionis, & amor efficax Dei eſt virtualiter amor præceptorum pertinentium ad virtutem moralem, item aſſenſus præmiſſarum eſt virtualiter aſſenſus cõcluſionis. Tamen hi actus attinent ad habitus diuerſos. Ergo non ſufficit amorem vnius obiecti eſſe virtualiter amorem alterius, vt vterque actus ad eumdem habitum referatur. Reſpondeo. Amor imperans charitatis, & amor religionis imperatus, amor Dei, & amor præceptorum moralium non ſunt virtualiter, & æquiualenter idem ex obiecto formali, ſed ſolum ex obiecto materiali: vt autem duo actus ſpecie diuerſi ſub actiuitate eiuſdem habitus contineantur, opus eſt vt vterque actus ſit virtualiter, ſeu æquiualenter idem ex obiecto formali, & non ex obiecto materiali. Conſequenter ab eiſdem habitibus fiunt aſſenſus præmiſſarum, & aſſenſus concluſionis, cum vterque aſſenſus ex obiecto formali virtualiter idem eſt, vt cum aſſenſus præmiſſarum immediate, & per ſe fertur in vnionem extremitatum cum medio, & aſſenſus concluſionis in vnionem earumdem extremitatum inter ſe, vt illatam ex aſſenſu priori. Quare plures Theologi tuentur, aſſenſum obiecti reuelati illatum per diſcurſum ex aſſenſu reuelationis elicito per fidem, pertinere ad habitum fidei; ſecus vero aſſenſum veritatis Theologicæ illatum ex aſſenſu myſterij reuelati. Quia aſſenſus prioris concluſionis eſt idem virtualiter cum aſſenſu præmiſſarum ex obiecto formali; poſterioris vero aſſenſus ex obiecto tantum materiali. Porro tunc vnus actus ex obiecto formali eſt virtualiter idem cum alio, quando omnis actus Tertia. Explicatur.

Digitized by Google

tale obiectum formale reſpiciẽs virtualiter eſt tendentia in aliud obiectum formale, & è contra. Sic comparantur inter ſe amor Dei, & dilectio amoris Dei, amor æquitatis, Iuſtitiæ, & dilectio talis amoris. Secus vero amor Dei, & dilectio virtutum moralium, quæ abſque virtuali amore Dei fieri poteſt.

Quarta obiectio. 10. Quarto obijcies. Cognitio directa, & reflexa ſpectant ad habitus diuerſos, v. g. intuitio Dei, & cognitio intuitiua talis intuitionis; quarũ prior efficitur à lumine gloriæ, poſterior vero à ſcientia infuſa diſtincta à lumine gloriæ. Ergo etiam amor directus, & reflexus non ſpectant ad eumdem habitum. Reſpondeo. Probabile mihi eſt, ab eodem habitu luminis gloriæ fieri poſſe tum cognitionem intuitiuam directã Dei, tum intuitiuam cognitionem reflexam ipſius intuitionis Dei, ſicut ab eadem ſpecie impreſſa relicta per cognitionem præteritam, plurium Phyloſophorum ſententia, poteſt fieri tũ cognitio directa ipſius obiecti, tum cognitio reflexa, & memoria cognitionis præteritæ; quamquam talis reflexa cognitio intuitionis directæ Dei non erit beatitudo formalis, neque intuitiua cognitio Dei, quia non eſt cognitio in medio continente eminenter naturam Dei, prout requiritur ad cognitionem intuitiuam mediatã, communi Theologorum opinione. Præterea eſt diſcrimen inter cognitionem, & amorem, quod cognitio non eſt efficax, neque quoad affectum, neque quoad effectum ad exiſtentiam obiecti, amor vero ſaltem quoad affectum ſemper, & interdum etiam quoad effectum efficax eſt. Hinc enim honeſtas obiecti continetur virtualiter ſeu æquiualenter in amore, in cognitione vero non continetur propter defectum efficaciæ, & virtutis illatiuæ exiſtentiæ obiecti.

Diluitur.

DISPVTAT. SEXAGESIMAQVINTA.

AN, ET INTER QVOS AFFECTVS SVPERNATVRALES detur imperium?

ANTERIORIBVS diſputationibus ſuppoſuimus imperium vnius actus in alium. Nunc illud examinandum eſt, quia de actibus imperantibus, & imperatis frequens incidit diſputatio Theologis, dum actus ſupernaturales charitatis, pœnitentiæ, & alios expendunt. Ideo quamuis hæc controuerſia actibus quoq; naturalibus communis ſit noſtris diſputationibus annecto, quia Theologi fere ſemper de illa diſſerunt, vbi actus ſupernaturales exponũt. Porro imperium aliud eſt pertinens ad intellectum, aliud ad voluntatem ſpectans. Igitur nunc ſolum de imperio voluntario, non de intellectuali diſputationes inſtituimus, quia de ſolo voluntario ſolemnes ſunt Theologorum ſermones; & de intellectuali ſatis diſſeruimus diſp. 62.

SECTIONES.

1. *Explicatur imperium voluntatis in genere.*
2. *Sententia Patris Vaſquez negans imperium voluntarium affectuum internorum deſeritur.*
3. *Communis ſententia eligitur.*
4. *Inter quarum virtutum actus imperium detur.*

SECTIO PRIMA.

Explicatur imperiũ voluntariũ in genere.

De quo imperio agendum. 2. VOluntarium imperium aliud eſt vnius perſonæ in aliã, vt ſuperioris in ſubditum, aliud in eadem perſona eſt vnius potentiæ in aliam potentiam, vt voluntatis in potentiam exequentem, & loco ſe mouentem, aliud in eadem potentia eſt vnius actus in alium, vt actus charitatis in internos aliarũ virtutum actus. De hoc poſtremo imperio nobis nunc agendũ eſt.

Duæ conditiones ad imperium neceſſariæ. 3. Ad imperium autem vnius actus interni in alium duo neceſſaria ſunt. Primo quod actus imperatus ſit aliqua ratione cauſa, vt exiſtat imperatus, ſiue per phiſicum, ſiue per moralem concurſum, quamquam moralis concurſus magis proprius eſt actus imperantis, nam ad exiſtentiam actus imperati totam in mouendo arbitrium cauſalitatem contendit, ſicut ſuperior ſe habet erga ſubditum, vt diſput. ſequenti exponemus: quare cum actus miſericordiæ, & charitatis mere comitantes exiſtũt, quin charitatis actus inducat exiſtentiam actus miſericordiæ, quia is eodem modo exiſteret, quãuis nõ exiſteret ille, nulla ratione actus charitatis imperium exercet in actũ miſericordiæ. Secũdo

Digitized by Google

quod actus imperans ex fine, quem reſpicit, motionem, ſeu cauſalitatem iſtam exerceat, ideoque actum imperatum in ſuum finem dirigat, & quia imperatus in eum confert, in eius exiſtentiam contendat; quare actus intellectus inferentes per diſcurſum actum concluſionis non ſunt imperantes illius, licet cauſalitatem aliquam conferant in eius exiſtentiam, quia nullum finem reſpiciunt, in quem actus concluſionis obediat; ſimiliter neque affectus gaudij de bono iam poſſeſſo imperij rationem habet, licet voluntatem eliciat in conſeruationem boni adepti, quia eam conſeruationem tanquam finem non reſpicit. Ratioque eſſe poteſt, quia ad imperium requiritur, vt actus imperatus imperanti deſeruiat: ſeruire autem illi non poteſt, niſi in finem ab ipſo intentum dirigatur; nam cum imperatus ante imperatum quoad totam ſuam entitatem exiſtat, nō poteſt imperatus in imperantis entitatem, aut exiſtentiam conferre, atque adeo in eius ſaltem finem deſeruire debet, in eaque obedientia præſtanda ſuam integritatem ſtatuere. Vnde actus imperatus re ipſa idem erit, atque in finem imperantis directus, & qui actus imperatos nolunt in finem imperantis directos, reipſa imperium non admittunt, vt ſectione futura notabimus. Neque obeſt, plerumque actum imperantem nullum præter actum imperatum finem expetere, quia tunc etiam actus imperatus in finem imperantis confert, ſaltem cauſalitate formali propriæ exiſtentiæ, quam eius obedientiæ defert.

Quotuplex actus imperans.

4. At actus imperans bifariam poteſt in exiſtentiam actus interni imperati mouere. Primo volendo reflexe exiſtentiam illius, vt ſi actus charitatis velit in ſuum finem exiſtere religionis actum. Secundo volendo directe obiectum aliquod externum, in cuius adeptionem interior alius voluntatis actus conferre poteſt, vt ſi ex amore bonitatis diuinæ inducatur voluntas in aliarum virtutum actus, qui diuinæ voluntati obſequium præſtant, & gloriam bonitatis diuinæ augent. Rurſus vtroque modo imperium poteſt eſſe aut efficax, aut inefficax. Efficax eſt, cum actus imperati defectus non poteſt componi cum actu imperante, ſi in voluntatis proxima poteſtate imperatus conſtituatur; inefficax vero, cum defectus actus imperati poteſt coniungi cum imperante, tametſi in proxima voluntatis poteſtate imperatus cōſtituatur. Inſuper imperium tam efficax, quam inefficax poteſt eſſe determinatum, & indeterminatum, ſeu vagum. Efficax determinatum eſt, cum actus imperans connectitur neceſſario cum exiſtentia actus ſingularis, ac determinati pro tempore determinato, quo ipſe exiſtit. Inefficax determinatum eſt, cum abſque connexione fertur actus imperans in actum, & tempus determinatum, vt ferri poteſt ſimplex affectus, ſeu complacentia voluntatis. Efficax vero indeterminatum, ſeu vagum imperium datur, cum actus imperans neceſſario connectitur cum aliquo virtutis actu indeterminate, aut cum actu determinato pro tempore non determinato. Inefficax non determinatum denique, cum abſque vlla connexione allicit voluntatem in aliquem virtutis actum, quem eius affectus non determinat. Hæc ſunt imperij voluntarij genera, quorum meminerunt Theologi recentiores, quæ tibi, quaſi in tabella propoſui, vt apprehendas ſimul, quæ ſeorſim venturis diſputationibus explicanda ſunt, atque probanda.

SECTIO SECVNDA.

Sententia Patris Vaſquez negans imperium voluntarium affectuum internorum deſeritur.

Explicatur.

5. PAter Vaſquez 1. 2. diſp. 51. c. 5. negat, actum internum vnius virtutis poſſe eſſe imperantem actus interni virtutis alterius, ſed actionis externæ ſolius, in qua per ſe alia virtus occupari poteſt. Nam actum internum vnius virtutis imperari ab actu alterius, vt præmiſimus numero 3. non eſt aliud, quam referri in finem alterius virtutis. At mordicus tuetur, ſolam actionem externam, non vero internam vnius virtutis poſſe in finem alterius referri. Vnde conſequenter duo docet; alterum, non poſſe actum internum vnius virtutis deſumere bonitatem extrinſecam, & accidentalem ex fine alterius; alterum cum actus vnius virtutis reflexe amat actum alterius, non eſſe cauſam, aut principium, ex vi cuius actus volitus efficiatur à voluntate, ſed mere concomitanter ſe habere vtrumque actum, ad ſummumque eo ſolum actum reflexum deſeruire, vt intellectus conſideret, applicetque voluntati motiua, in quæ actus directus intrinſece afficiatur. Quam ſententiam nonnulli recentiores Complutenſes ſequuntur.

Eneruatur primum argumentum.

6. Hæc ſententia ſingularis eſt & debilibus nixa fundamentis. Singularem eſſe, aperiam ſectione ſequenti. Nunc eius fundamenta expendamus. Nititur primo quia S. Thomas 1. 2. quæſt. 18. art. 6. corp. vniuerſim docet, omnem actum internum referri in finem tanquam in obiectum, quod illi primarium, & eſſentiale ſit. Actus autem internus miſericordiæ, verbi gratia, non refertur in finem charitatis tanquam in obiectum ſibi eſſentiale, & primarium. Item quia ibidem ad ſecundum addidit; *quod ordinari ad talem finem, & ſi accidat exteriori actui, non tamen accidit actui interiori voluntatis.* Igitur actus interior non poteſt extrinſece, & accidentario referri in finem. Reſpondeo. Sanctus Thomas diſcernit actum internum ab externo in relatione ad finem; nimirum quia actus internus neceſſario referri debet in aliquem finē determinatum ſibi intrinſecum, & eſſentialem; externus verò in nullum finem determinatum ſibi intrinſecum, & eſſentialem refertur. Ideoque ad ſecundum docuit, actioni externæ ſemper accidere, & extrinſecus venire relationem in aliquem finem, nempe ab actu interiori ipſam imperante: internæ vero actioni neceſſario

S. Thomas.

Digitized by Google

competere in aliquem finem determinatum ſibi intrinſecum, & eſſentialem intendere. Cæterum ibi nullatenus negat, actum internum ſimul cum fine ſibi intrinſeco, non poſſe alium extrinſecum finem habere per actum reflexum alterius virtutis, quo ſicut externus imperetur, & ametur. Quin oppoſitum eſſe de mente Angelici præceptoris, videbimus ſectione ſequenti.

Secundum. 7. Secundo arguit P. Vaſquez. Eo differt actus internus ab externo, quod externus intrinſece nullum reſpicit finem, nulliuſque libertatis immediatæ capax eſt: ideoque finem, neque libertatem habere poteſt, niſi ab actu interno ipſum imperante: Actus internus vero, & intrinſece finem reſpicit, & immediatæ libertatis capax eſt. Igitur quamuis actio exterior poſſit referri in finem, & moralitatem deſumere ex cauſalitate actus imperantis, tamen actus interior neque relationem in finem, neque moralitatem aliquam ab actu imperante ſortiri poteſt. Reſpondeo. Verum eſt differre actum internum ab externo, in eo quod internus reſpicit intrinſece finem, & libertatis immediatæ capax eſt; externus vero neque reſpicit intrinſecum finem, neque capax eſt libertatis immediatæ. Cæterum cum hac differentia coniungi poteſt conuenientia reſpiciendi finem extrinſecum, & capiendi libertatem aliquam à relatione, & imperio alterius actus; nam actus intrinſece reſpiciens finem poteſt quoad exiſtentiam determinari, & induci motione alterius actus reflexi volentis illum in alium finem, vt ſectione ſequenti conſtabit.

Tertium. 8. Tertio; ſi poſſet actus internus virtutis ex imperio alterius referri in finem ſibi extrinſecum, poſſet actus charitatis referri in finem vanum humanæ gloriæ, & ab actu imperante participare malitiam; ſiquidem poteſt eſſe volitus propter illum finem. Hoc autem admitti non debet. Ergo actus internus virtutis non poteſt imperio alterius in finem ſibi extrinſecum referri. Reſpondeo. Plerique negant ſequelam, quia finis malus etiam extrinſecus repugnat honeſtati, & ſupernaturalitati actus charitatis; ſecus vero finis extrinſecus bonus. Ego tamen ſequelam admitto, cum finis extrinſecus ſolum venialiter malus eſt; de qua ſatis multa diximus diſputatione quinquageſima.

Quartum. 9. Quarto arguunt recentiores. Aut actus imperans adimit voluntati libertatem immediatam in actum internum imperatum; aut eam voluntati relinquit. Si libertatem adimit, deſtruit omnino bonitatem moralem virtutis, actus intrinſecam, quæ libertatem requirit. Si voluntati libertatem ſinit, qua poſito imperio poteſt voluntas efficere, & non efficere actum imperatum. Ergo quod actus imperatus fiat, non erit ex vi finis extrinſeci, & cauſalitatis actus imperantis; ſed ex ſola motione finis intrinſeci actus imperati, & libera determinatione voluntatis eligentis efficere actum imperatum potius, quàm non efficere. Reſpondeo. Si imperium eſt determinatum, & intrinſece efficax, adimit voluntati libertatem immediatam in actum imperatum; ſi vero ſit inefficax, aut indeterminatum libertatem relinquit. Cum imperium adimit libertatem immediatam in actum imperatum, actus imperatus manet quoad ſuam entitatem honeſtus, & bonus ex fine, & obiecto formali intrinſeco, quod eſſentialiter reſpicit, licet deperdat moralitatem immediatam, qua parte moralitas includit libertatem, quæ mea opinione actui virtutis extrinſeca eſt; ſicut actus charitatis in patria elicitur bonus, & honeſtus intrinſece ex bonitate diuina quam formaliter reſpicit, licet moralis, & liber non ſit. Actus igitur efficaciter imperatus erit intrinſece honeſtus honeſtate religionis, aut iuſtitiæ, quam propter ſe intrinſece amplectitur, & ſimul extrinſece bonus, ex relatione actus charitatis, aut pœnitentiæ, qui illum efficaciter imperat in ſuum finem. Cum imperium ſinit voluntati ſuam libertatem, poteſt actus imperans eſſe cauſa, vt vi impulſus, & motionis ſui imperij fiat à voluntate actus imperatus. Nam vt cauſa ſit, & moueat re ipſa voluntatem in actum imperatum, non requiritur, vt voluntatem neceſſitet ad agendum; etenim cognitio finis, & affectio ſimplex bonitatis illius cauſæ ſunt mouentes, & inducentes voluntatem in amorem finis, item conſilium amici cauſa moralis eſt bene, aut male agendi; quamuis exiſtente cognitione, & affectione ſimplici finis, poſitoque conſilio amici maneat voluntas indifferens ad agendum, & non agendum. Quare ſacræ litteræ, & Eccleſiæ Patres referunt cõſenſum voluntatis in auxilia gratiæ, tanquam in principia ipſius, hoc eſt, in cogitationes, & affectiones ſanctas ab Spiritu ſancto infuſas, quamuis eis poſitis ſinatur volũtas indifferens ad non conſentiendum. Sufficit igitur, vt actus imperans taliter afficiat voluntatem, & in agendum impellat, vt voluntas re ipſa non ageret actum imperatum, niſi præcederet nutio, & impulſus actus imperantis, modo quo diſputatione 67. exponemus.

SECTIO TERTIA.

Eligitur ſententia communis affirmans.

10. RECtior, probatiorque nobis videtur ſententia communis, quæ affirmat, poſſe actum vnius virtutis imperari, & dirigi in finem alterius. *Statuitur* Sic Alenſis 3. p. quæſt. 74. memb. 4. art. 1. memb. 5. art. 1. & quæſt. 78. memb. 6. art. 3. *Alenſis.* Altiſiodorenſis lib. 3. ſum. tract. 5. c. 2. quęſt. 6. ad 1. *Altiſiodoretus.* Capreolus in 3. diſt. 24. quæſt. vnic. art. 3. ad 3. contra 1. con. *Capreolus.* Almainus tract. 1. Moralium c. 20. *Almainus.* Caietanus 1. 2. quęſt. 18. artic. 3. 4. & 6. & 2. 2. quęſt. 32. art. 1. *Caietanus.* Sotus de natura, & grat. lib. 1. c. 22. coroll. 2. Medina, & Conradus 1. 2. quęſt. 18. cum Caietano ſupra *Medina. Conradus.* Lorca 2. 2. quęſtione 23. diſputatione 12. num. 2. *Lorca.* P. Valentia 2. 2. diſputatione 1. quęſtione 4. punto 3. & diſputatione 3. quęſt. 9. punto 1. *P. Valentia* P. Suarez 1. 2. diſp. 10. *P. Suarez.*

Digitized by Google

de actibus imperatis ſectione 1. & de bonitate actus interioris diſputatione 6. ſectione tertia. P. Salas. P. Salas 1. 2. tract. 7. diſputatione 3. ſect. 16. P. Conninck. P. Conninck 2. 2. diſput. 27. num. 11. & ſequentibus, P. Azor. P. Azor lib. 1. cap. 2. quæſtione 2. P. Iannerus. P. Iannerus 1. 2. diſputatione 11. quæſtione 5. nu. 95. & communiter omnes Theologi, quin P. Vaſquez. alium legerim præter Patrem Vaſquez, qui oppoſitum tueatur.

Suffragatur S. Thomas

11. Huius ſententiæ manifeſtè eſt Angelicus Doctor 1. 2. quæſt. 13. art. 1. in corpore, vbi ait, actum fortitudinis poſſe dirigi in finem charitatis. Neque recta eſt expoſitio de actu P. Vaſquez. exteriori fortitudinis, quam tradit P. Vaſquez ſupra; contradicit enim verbis ſancti Thomæ. *Eſt autem conſiderandum* ait ſanctus Thomas *in actibus animæ, quòd actus, qui eſt eſſentialiter vnius potentia vel habitus recipit formam, vel ſpeciem à ſuperiori potentia, vel habitu ſecundum quod ordinatur inferior à ſuperiori. Si enim aliquis actum fortitudinis exerceat propter Dei amorem, actus quidem ille materialiter eſt fortitudinis, ſed formaliter eſt charitatis.* Vbi expende, ſanctum Thomam agere *de actibus animæ*, nam actus animæ ſignificant actus internos, & non externos; item actum, qui eſt *eſſentialiter* vnius habitus ordinari ab actu alterius; nam actus exterior non eſt eſſentialiter alicuius habitus determinati; ſed extrinſece, & accidentaliter. Similiter 2. 2. quæſtione 124 art. 21. ad 2. poſt alia concludit; *Inde eſt quòd martyrium eſt actus charitatis, vt imperantis, fortitudinis, vt elicientis. Inde etiam eſt, quod vtramque virtutem manifeſtat.* Obſerua, actum martyrij imperatum à charitate dici elicitum à fortitudine; at ſolus actus interior, & non exterior eſt elicitus à fortitudine. Item manifeſtare virtutem internam fortitudinis; ſi autem non eſſet actus interior elicitus à fortitudine, non manifeſtaretur virtus fortitudinis, ſiquidem abſque illa poſſet actio exterior imperari per charitatem. Rurſus 2. 2. quæſtione 23. art. 7. docet, charitatem ordinare actus aliarum virtutum in ſuum finem, & abſque hac relatione non eſſe perfectè bonos, ſicut non eſt ſimpliciter, & perfecte vera ſcientia, quæ deſit primo principio. Similiter artic. 8. charitatem eſſe formam virtutum, quatenus ſuis actibus facit operari alias virtutes. Denique 1. 2. quæſt. 19. art. 2. ad 1. aſſerens; *quantum ad actum voluntatis non differre bonitatem, quæ eſt ex obiecto, à bonitate, quæ eſt ex fine niſi forte per accidens, prout finis dependet ex fine, & voluntas ex voluntate*: Scilicet quando actus reſpiciens intrinſece vnum finem refertur extrinſeco imperio alterius in alium finem. In cuius confirmationem recole teſtimonium eiuſdem præceptoris adductum diſputatione quinquageſima, ſectione ſexta ad explicandum, actum intrinſece bonum poſſe eſſe extrinſece malum ex fine extrinſeco alterius actus.

Probatio ex ſacris teſtimoniis

12. Hæc ſententia probatur ex ſacris litteris. Primò ex illis teſtimoniis, quæ admonent homines, ne virtutum actus eliciant in vanum finem; nam ſi eos in vanum finem referre non poſſent, futilis eſſet talis admonitio, vt expendimus diſputatione 50. ſect. 4. vbi etiam illuſtrauimus admonitionem iſtam, non ſolum relationem actuum externorum, ſed etiam internorum continere. Secundò ex illo 1. Cor. 13. *Charitas omnia credit, omnia ſperat.* Nam 1. Cor. 13. ſuppono cum Anſelmo, ſancto Thoma, & aliis agere de actu credendi per fidem diuinam, & de actu ſperandi per diuinam ſpem. At charitas non credit Deo per fidem diuinam, neque ſperat ſibi promiſſa Dei per ſpem Theologicam eliciendo actum fidei, aut ſpei; quia aſſenſus fidei, & actus ſpei, quo nobis quidpiam à Deo promiſſum ſperamus, non ſunt actus eliciti à charitate, erunt igitur actus imperati. Non externi, quia credere, & ſperare non ſunt actiones externæ. Ergo erunt actus interni per charitatem in ſuum finem imperati; quatenus ſcilicet ſuis actibus facit, vt fides, & ſimiliter ſpes actum credendi, & ſperandi eliciant. Sic ſanctus Thomas ſect. 2. *oſtendit quomodo charitas* S. Thomas. *faciat operari bonum in ordine ad Deum; quod quidem facit præcipue per virtutes Theologicas; ſunt autem præter charitatem duæ virtutes Theologicæ, ſcilicet fides, & ſpes. Ita omnia credit, ſcilicet, quæ diuinitus traduntur. Quantum ad ſpem dicit, omnia ſperat, ſcilicet quæ promittuntur à Deo.* En in ordine ad ſuum finem agit charitas, vt fides Theologica actum credendi, & ſpes ſperandi actum eliciat.

13. Probatur etiam ex Patribus. Præte- Ex Patribus. reo teſtimonia, quæ adduximus diſputatione 50. ſectione 4. ad perſuadendam relationem affectuum ſupernaturalium in vanum finem. Auguſtinus lib. 8. confeſſ. cap. 9. diſcretiſſime Auguſtinus. rem ſtatuit *Imperat animus, vt moueatur manus, & tanta eſt facilitas, vt vix à ſeruitio diſcernatur imperium. Imperat animus, vt velit animus, nec aliter eſt; nec facit tamen. Vnde hoc monſtrum? Imperat, inquam, vt velit, qui non imperaret, niſi vellet, & non fit, quod imperat; ſed non ex toto vult; non ergo ex toto imperat. Nam in tantum imperat, in quantum vult, & in tantum non fit; quod imperat, in quantum non vult.* Ecce animus non ſolum imperat actiones externas, vt motum manus, ſed etiam internas, vt velle; monſtrumque eſt, actiones externas imperatas fieri ex vitalis imperij, & ex vi illius non fieri actiones internas: quare quod non fiant in defectum voluntatis efficacis referendum eſt, nam ſi voluntas omnino efficax, & abſoluta ſit, ſicut actio externa paret imperio efficacis voluntatis, promptius pareret interna, cum potentia exequens imperium non ſit diſtincta ab imperante, ſicut potentia exequens motum externum diſtincta eſt. Hæc eſt aperta Auguſtini doctrina, quam procul dubio confirmat quotieſcumque docet, internos virtutum actus procedere ex fide per charitatem operante; nam fides per charitatem operari non poteſt, niſi excitando affectum charitatis imperantem internos virtutum actus. Ita lib. de gratia Chriſti cap. 18. & 28. de correctione, & gratia cap. 2. de gratia, & libero arbitrio cap. 16. & 17. de ſpiritu, & littera cap. 14. è quo eumdem loquendi modum ſump- Concilium Mileuitanum. ſit Concilium Mileuitanum cap. 4. Rurſus hanc eamdem doctrinam illuſtrat l. 4. contra Iulianum c. 3. dum docet, virtutes Gentilium

Digitized by Google

non eſſe veras virtutes, hoc eſt, meritorias vitæ æternæ, quia in Deum non referuntur; ibi enim manifeſte differit de affectibus internis, qui amplectuntur honeſtum, quos, quia in finem bonitatis diuinæ cum diriguntur, reijcit à vera virtutum ratione.

Hieronimus ad Galat. 5.

Accedit Hieronimus in id Galatas 5. *Fructus autem ſpiritus eſt charitas,* vbi ait de charitate; *ſine qua virtutes cæteræ non reputantur eſſe virtutes; & ex qua naſcuntur vniuerſa, quæ bona ſunt.* Nimirum opera elicita

Fulgentius

actione virtutum. Item Fulgentius de incarnat. & grat. cap. 27. *Charitatem quippe ad hoc per ſpiritum ſuum diffundit, vt faciat impleri, quod præcipit, & illuminationis gratiam per ſpiritum fidei propterea largitur, vt quod Deo placitum eſt, fides per charitatem operetur.* Hic enim manifeſte agit de actibus internis, quos etiam præcipit lex diuina, & præuenit illuminationis gratia, & facit operari charitas per ſpiritum ſanctum diffuſa. Quibus præmiſerat c. 26. agens de Gentilibus; *quomodo hi potuerunt iuſti eſſe apud Deum* (ſcilicet actibus internis reſpicientibus honeſtum) *qui ſic in ſuis moribus, atque operibus, bonitatis aliquod ſeruant, vt hoc ad finem Chriſtianæ fidei, charitatiſque non referant?* Referri igitur poſſunt affectus interni in finem Chriſtianæ fidei, & charitatis. Denique Proſper lib. 3. de vita contemplatiua cap. 31. *Timor ille, non quem charitas foras mittit, ſed quem charitas nutrit, ideo fortaſſis in ſæculum ſæculi permanebit, quia in ſæculum ſæculi permanebunt illa; ad quæ timor perduxerit.* Ex charitate nutritur timor Dei, & ex timore Dei procedunt merita, quæ in æternum permaneant. Hæc ſunt opera interna. Ergo vnum opus internum ab alio proceſſionem habet.

Ex ratione.

14. Ratio totius doctrinæ fit. Poteſt voluntas per actum efficacem charitatis velle religionis actum. Tunc actus religionis erit imperatus, & relatus in Deum per actum charitatis. Ergo poteſt actus vnius virtutis imperari, & referri per alium in finem alterius. Maior, & conſequentia probatione non egent. Probatur minor. In primis argumento Auguſtini num. ſuperiori. Cum animus vult actionem externam per actum charitatis, actio externa fit imperio charitatis in finem ipſius, quia ea actio eſt conſtituta in poteſtate voluntatis. Ergo etiam cum animus vult actionem internam per actum charitatis, fiet imperio charitatis in finem ipſius; nam voluntas magis habet in ſua poteſtate actiones ſuas internas, quàm actiones externas alterius potentiæ. Deinde voluntas eo actu manet determinata, & mota ad efficiendum actum religionis, quæ re ipſa non efficeret, niſi præceſſiſſet actus charitatis volens exiſtentiam illius. Ergo ex vi, & motione actus charitatis exiſtit actus religionis, atque ideo exiſtit relatus in finem charitatis, ſicut actus externus ſimiliter volitus per ipſum.

Euaſio.

15. Dices ex doctrina Patris Vaſquez, tunc actum charitatis immediate non mouere voluntatem in actum religionis, ſed ſolum mediate, quatenus applicat intellectum ad conſiderandum motiua, propter quæ fiat actus religionis.

Reijcitur.

Sed contra, primo. Si actus charitatis volens abſolute actum religionis ſolum concurreret applicando intellectum ad conſiderandum motiua religionis; exiſtente eo actu charitatis poſſet non fieri religionis actus; nam recte componitur applicari media neceſſaria ad actum religionis cum omiſſione libera actus religionis cum media ſunt ex ſe indifferentia. Hoc autem videtur abſurdum; quia inde fieret, poſſe hominem habere firmum propoſitum ſeruandi omnia præcepta, & tamen ſtante hoc propoſito poſſe omittere actum religionis, quando vrget præceptum religionis; quid enim eſt aliud illud propoſitum, quàm actus volens, ſeu imperans omnes actus præceptos. Ergo ſi hæc voluntas non habet aliam efficaciam in actum volitum, quam ad applicandum motiua actus voliti, recte poterit componi omiſſio actus præcepti cum hac voluntate, & propoſito. At hoc repugnat Tridentino; nam

Tridentinum.

illud propoſitum ex Tridentino eius efficaciæ eſt, vt expellat de cetero omne peccatum. Ergo tali actui alius concurſus adſcribendus eſt in actum à ſe volitum preter applicationem motiuorum, nimirum motio, & determinatio immediata voluntatis, qualis datur in actum externum efficaciter volitum. Secundò propoſitis ab intellectu motiuis charitatis, & religionis, poteſt voluntas velle actum religionis ex affectu charitatis. Tunc autem concurſus actus charitatis non eſt ſola applicatio motiuorum; ſiquidem ante actum charitatis iam erat applicatum, & propoſitum motiuum religionis. Ergo actus charitatis non exercet cauſalitatem in actum religionis ſolùm applicando motiua ex parte intellectus.

Corollarium contra Patrem Conninck.

16. Hinc colligitur contra Patrem Coninck 2.2. diſp. 3. num. 121. poſſe actum imperatum ſumere bonitatem extrinſecam ab actu imperante. Licet enim admittat P. Conninck imperium, & relationem in finem extrinſecum vnius actus interni per alium, negat tamen ſumere bonitatem ab illo, quia non poteſt ab illo ſumere moralitatem; ſiquidem omni actui virtutis interno ſua propria moralitas conuenit, quo differre ait, actum internum ab externo. Hoc tamen dupliciter ex dictis repellitur. Primò, quia poteſt actus internus ita eſſe efficaciter imperatus ab alio, vt ſuam libertatem immediatam habeat ab actu imperante, vt ex ſuperioribus conſtat, & præterea oſtendemus diſput 68. Ergo non ſolum relationem, ſed etiam moralitatem, ſeu libertatem poteſt actus internus ab alio interno deſumere. Secundò, quia vt actus ſumat bonitatem extrinſecam ab alio, ſufficit, quòd ab illo procedat, & cum illo moraliter coniungatur. Hoc autem poteſt conuenire actui interno, licet habeat propriam libertatem diſtinctam à libertate actus imperantis; nam illuſtratio, & affectio ſancta gratiæ ſunt principia moralia actus interni, quamuis illis poſitis libera ſit exiſtentia actus interni. Ergo ſimiliter poteſt actus charitatis moraliter influere mouendo voluntatem in actum religionis, quamuis poſito actu charitatis, actus religionis liber ſit. Ad hoc enim ſufficit, ita fieri actum religionis, vt non fieret libere à voluntate,

Digitized by Google

niſi præcederet actus charitatis, vt diſp. 67. exponemus. Vt autem actus religionis ſit relatus in finem charitatis, & cum illo moraliter coniunctus extrinſece ſumat bonitatem ex illo, ſufficit ab illo tanquam à principio procedere. Ergo non ſolum imperari, ſed etiam bonitatem extrinſecam ſortiri poteſt actus religionis ab actu charitatis. Confirmatur; ſi actus religionis procedat ex affectu ſimplici gloriæ vanæ, & referatur per illum extrinſece in eum finem, erit extrinſece vanus; quamuis poſito eo affectu fiat actus religionis propria moralitate liber. Ergo etiam erit extrinſece bonus bonitate charitatis, quamuis poſito actu charitatis propria moralitate liber ſit, ſi per actum charitatis, tanquam per principium morale referatur in ſuum finem.

SECTIO QVARTA.

Inter quarum virtutum actus imperium datur?

17. HOc eſt, an imperium conueniat ſoli charitati; an etiam virtutibus ignobilioribus in virtutum nobiliorum actus? Caietanus, Bannes, & Lorca 2.2.q.23.art. 1. ad 2. negant, actus virtutis ſuperioris poſſe imperari per actum inferioris. At P. Conninck 2.2. diſp. 27. num. 11. & P. Valentia 2.2. diſp. 3. q. 9. p. 1. concedunt imperium actibus virtutum ignobiliorum in actus nobiliorum, vt actibus pænitentiæ in actus charitatis, & actibus obedientiæ in actus religionis, & ſimiles.

Noſtra ſententia, & probatio à poſteriori.

18. Poſtrema ſententia longe probabilior eſt. Quam procul dubio tuentur, qui volunt, actus ſupernaturales poſſe imperari in finem malum; nam ſi per actum naturalem intrinſece vitioſum imperari poteſt actus ſupernaturalis, rectiùs ſane poterit per actum ſupernaturalem inferiorem in bonum finem referri. Quare in hanc ſententiam aduoco autoritatem ſcholaſticorum, & Patrum, rationumque momenta, quæ in probationem relationis actuum ſupernaturalium in finem prauum expendimus tota diſp. 50. Deinde à priori arguo. Vnam virtutem imperare actus alterius nihil eſt aliud, quàm voluntatem ex deſiderio obtinẽdi finem vnius virtutis moueri ad eliciendum actus alterius. Sed voluntas ex deſiderio obtinendi finem virtutis inferioris poteſt moueri ad actus virtutis ſuperioris. Ergo actus virtutis ſuperioris poſſunt imperari à virtute inferiori. Probatur minor. Actus virtutis ſuperioris poſſunt conferre in adeptionem finis virtutis inferioris; nam actus charitatis confert ad declinandam vindictam Dei, quod eſt finis pænitentiæ, & ad conſequendum ſummum bonum, quod eſt finis ſpei Theologicæ. Ergo poteſt voluntas ex affectu pænitentiæ, & ſpei Theologicæ velle, ac per conſequens imperare actum charitatis in eaſu fines. Nam quælibet virtus poteſt elicere amorem eorum actuum, qui in ſuum finem conferre poſſunt, & voluntas, in cuius poteſtate omnes poſiti ſunt, per eum amorem moueri poteſt ad eliciendum actus cõferentes in finem à ſe præuolitum. Rurſus propoſitum de cætero non peccandi requiſitum ad ſacramentum pęnitentiæ, ſi duret, imperat omnes actus præceptos, vt dicebamus num. 15. At hoc propoſitum nõ eſt neceſſario actus charitatis; nam actus efficax charitatis ad ſacramentum pęnitentiæ neceſſarius non eſt; ſed ſufficit eſſe actus elicitus à pænitentia, aut alia virtute inferiori. Ergo actus elicitus à pænitentia, aut alia inferiori virtute poteſt imperare actus præceptos. Inter actus præceptos ſunt actus charitatis; religionis, & alij ſuperiores pænitentiâ. Ergo actus ſuperiores cadere poſſunt ſub inferiorum imperium.

Probatio à priori.

19. Obijcitur primò. Imperare ſuperioris eſt. Ergo nequit conuenire inferiori. Reſpondeo. Imperare vt *quod*, & autoritate propria eſt ſuperioris proprium. Secus imperare vt *quo*, & poteſtate alterius, videlicet voluntatis pręuentæ auxilio gratiæ, in qua reſidet Dominium actuum. Item imperium iuriſdictionis eſt ſuperioris proprium; non vero exequutionis imperium. Hoc autem imperium, quod virtutibus inferioribus damus, non eſt iuriſdictionis, ſed exequutionis ſolius. Rurſus imperium in alium ſibi naturâ ſubiectum ſuperiorem conditionem arguit; non vero imperium in alium naturâ non ſubiectum, ſed beneplacito propriæ voluntatis, qua regitur; vnuſquiſque enim poteſt ſubijcere ſe voluntati alterius. Simile autem eſt imperium virtutis ignobilioris in actus virtutis nobilioris. — Primo opponitur, & ſoluitur.

20. Secundò; imperare virtutum actus excellentia eſt propria charitatis. Ergo aliis adſcribi non debet. Reſpondeo. Excellentia charitatis præ aliis virtutibus quoad imperium cõſiſtit in eo, quòd charitas ſuo imperio intendit in finem omnibus pręſtantiorem, & lege perfectionis debitum omni actui; reliquæ vero virtutes in eum finem non intendunt. — Secundo.

21. Tertio; alienum eſt à recta ratione, qua virtutes reguntur, vt finis nobilior ordinetur in finem ignobiliorem, verbi gratia Deus, qui eſt charitatis finis in fines creatos, quos intrinſece reſpiciunt alię virtutes. Ergo virtutis nobilioris actus non poteſt imperari in ignobilioris finem. Reſpondeo. Alienum eſt à recta ratione, vt finis nobilior dirigatur in ignobiliorem, tanquam in finem vltimum, non vero tanquam in finem non vltimum; nam incarnatio Verbi directa fuit à Deo in ſalutem hominum tanquam in finem, licet præſtantior ſit, quàm hominum ſalus. Præterea poteſt actus charitatis dirigi in finem creatum, quin ipſe Deus dirigatur, quia ipſe actus, ſeorſim à Deo, ſua propria bonitate creata conducit ad fines creatos aliarum virtutum, ſicut à Deo prędeſtinante dirigitur in noſtram ſalutem, quamuis Deus ipſe ſecundum ſe non dirigatur in illam. — Tertio.

DISPVT. SEXAGESIMASEXTA.

QVINAM AFFECTVS SVPERNATVRALES ſint imperantes?

PRopoſuimus diſputatione præterita num. 4. multiplices affectus, quibus imperium voluntarium, Theologorum diſſenſione, conceditur. Explicandum, an eis omnibus; & quibuſuis imperandi, ſeu referendi alios in ſuum finem adſcribi poſſit?

SECTIONES.

1. *Negatur contra recentiores imperium ſubſequens.*
2. *Statuitur contra P. Suarez imperium intrinſece efficax, & omnino determinatum.*
3. *Aſſeritur contra P. Hurtado imperium vagum, & indeterminatum.*
4. *Probatur contra eundem Patrem Hurtado imperium inefficax, & ſimplicis complacentiæ.*

SECTIO PRIMA.

Negatur contra recentiores imperium ſubſequens.

Proponitur. 1. INgenioſi Recentiores volunt, actum imperantem, ſeu referentem non eſſe eum, qui antecedit exiſtentiam actus imperati, ſed alium, quo actum iam exercitũ vnius virtutis refero in ordine ad finem alterius. Nam actus antecedens, ſi efficax eſt, tollit libertatem, & moralitatem ab actu, atque adeo deſtruit rationem virtutis, quæ eſſentialiter libera, & moralis eſſe debet; ſi vero inefficax eſt, non eſt cauſa, & principium actus, atque adeo non poteſt antecedenter referre illum in ſuum finem. Quare dicunt, actum ſubſequentem; licet non ſit efficax ad eliciendum actum, eſſe efficacem ad referendum; quia ipſe per ſe eſt relatio extrinſeca actus iam eliciti in alium finẽ; quoniam actui iam elicito poſſunt conuenire denuo denominationes extrinſecæ ab alio; qui moraliter iungatur cum ipſo. At tunc actus ſubſequens, quo ordine actum iam elicitum in vlteriorem finem, iungitur moraliter cum alio ſubſequenti. Ergo extrinſece referre poteſt in vlteriorem finem.

Impugnatur. 2. Hæc ſententia mihi vehementer diſplicet. Tum quia negat, actum imperantem eſſe poſſe antecedentem. Tum quia affirmat eſſe poſſe ſubſequentem. Pars negans ex diſp. antecedenti, & toto progreſſu diſputationis præſentis facile arguetũr falſitatis. Nunc pars affirmans reſpuitur. Itaque nullum imperium admitto ſubſequens, ſed neceſſario antecedens actum imperatum. Et probo. Impoſſibile eſt, actum virtutis referri in finem, propter quem ſaltim extrinſece non elicitur; nam referri in finem, & fieri propter illum idem ſunt. At cum actus charitatis eſt tantum ſubſequens non elicitur actus alterius virtutis propter finem charitatis; ſiquidem voluntas non mouetur ad efficiendum illum ex affectu charitatis. Ergo impoſſibile eſt imperium ſubſequens habere efficaciam ad referendum virtutum actus. Confirmatur; Non poſſum ego re ipſa referre in Deũ actus fieri elicitos à me, aut nunc elicitos ab alio; quia meus affectus nullam nunc motionem, aut cauſalitatem exercet in illos. Sed nullus affectus ſubſequens exercet motionem, aut cauſalitatem in actum, quem elicitum ſupponit. Ergo nullus affectus ſubſequens poteſt referre, aut imperare alium in ſuum finem. Præterea capi non poteſt quodnam ſit obiectum talis actus ſubſequentis, ac referentis. Nam eius obiectum non eſt exiſtentia actus relati, quia hæc iam ſupponitur ad illum, neque eſt relatio extrinſeca ipſius in finem, quia hæc relatio eſt ipſe actus, cuius referens ſit, obiectum adſcribi debet. Fictitius igitur eſt actus ſubſequens, ac ſimul referens, actum in vlteriorẽ finem. Deinde ad hominem contra Recentiores arguo. Negant ipſi, poſſe virtutis ſupernaturalis actum referri in prauum finem. Si relatio eſt ſubſequens actum, poterit facile actus ſupernaturalis in prauum finem referri. Ergo ſubſequens nõ eſt. Minor probatur. Poſſum ego gloriari vane de actu ſupernaturali iam elicito quare præcauet Paulus, ne quis glorietur. Ergo etiam poſſum in vanum finem, poſtquã eſt elicitus, referre. Item tota difficultas referendi actum ſupernaturalem in finem vitioſum cõſiſtit in compoſitione auxilij gratiæ, cum relatione in finem malum. Si actus referens non eſt antecedens, neque influens in actum relatum, nulla eſt difficultas cõponendi influxum gratiæ cum tali relatione, ſiquidem prior eſt influxus gratiæ, quàm talis relatio, atq; adeo influxus actus

Digitized by Google

praui non poteſt obeſſe influxui gratiæ. Ergo in hac ſententia debet admitti poſſe actum ſupernaturalem in prauum finem referri.

Ad fundamentum contrariæ ſententiæ.

3. Neque fundamentum recentiorũ momenti eſt. Nam imperium eſſe poſſe antecedẽs tum efficax, tum inefficax in exiſtentiam actus imperati, exponemus facile ſequentibus, & difficultatibus obiectis ſatisfaciemus. At ſi actus ſubſequens ſit, non poſſe moraliter coniungi cum actu relato, vt eum in finem vlteriorem dirigat, cõſtat ex probatione noſtræ ſententiæ; nam ad eam vnionem, & denominationem nõ ſufficit coexiſtentia vtriuſque actus, ſed vlterius requiritur influxus, qui actui ſubſequenti repugnat. Sicut vt actus dignificetur à gratia iuſtificante, non ſufficit coexiſtentia gratiæ cum actu, nam cum diſpoſitione ad gratiam eo pacto coniungitur gratia, quin illam dignificet; ſed requiritur, vt illum aliqua ratione antecedat, aut ſaltem non ſubſequatur gratia dignificans. Sic igitur actus imperans coniungitur cum actu imperato, vt eum referat in ſuum finem per influxum, & motionem antecedentem voluntatis in illum, quæ actui ſubſequenti impoſſibilis eſt.

SECTIO SECVNDA.

Statuitur contra Patrem Suarez imperium intrinſece efficax, & omnino determinatum.

Explicatur.

4. PAter Suarez lib. 12. de gratia cap. 9. num. 10. arbitratur, impoſſibile eſſe ex natura rei imperium determinans omnino tum inſtans temporis, tum actum virtutis imperatæ; atque adeo omne imperium mouens voluntatem ad agendum actus alterius virtutis ex natura rei ſemper eſſe indeterminatum, & vagum, ſcilicet volens virtutis actũ indeterminatum huius, aut illius ſpeciei pro tempore determinato, aut actum determinatum pro tempore indeterminato, ſcilicet pro hoc, vel illo inſtanti eliciendum; negatque, poſſe abſolute, & efficaciter velle voluntatem hunc actum determinatum virtutis religionis pro hoc inſtanti determinato, in quo actus imperans exiſtit. Quam ſententiam non indocti recentiores ſequuntur.

Deſeritur primò.

5. Hæc ſententia reijcitur primò. Quia charitas poteſt efficaciter appetere quidquid determinate in voluntatis poteſtate conſtitutum eſt, & pro hoc inſtanti determinato proponitur amabile, & conducens ad ſuum finem. Sed actus virtutis determinatæ conſtitutus eſt in poteſtate voluntatis, & proponitur pro inſtanti determinato amabilis, & conducens ad finem charitatis. Ergo actus virtutis determinatæ poteſt efficaciter appeti per charitatem, eliciendus pro inſtanti determinato. At actus charitatis appetens efficaciter actum determinatũ miſericordiæ pro hoc inſtanti determinato eliciendum determinat voluntatem ad actum miſericordiæ. Ergo non repugnat imperium charitatis omnino determinãs inſtans temporis, & actum virtutis. Secundò pœnitentia poteſt velle efficaciter pro hoc inſtanti determinato actum charitatis. Ergo & charitas actum pœnitentiæ. Antecedens probatur. Pœnitentia poteſt velle efficaciter ſuum obiectum, ſcilicet compenſationem pro peccato. At hęc compenſatio eſt actus charitatis. Ergo poteſt pœnitentia velle efficaciter pro inſtanti determinato actum charitatis. Tertio voluntas imperat efficaciter omiſſionem actus interni prohibiti, ad quam ex natura rei ſe poteſt abſque poſitiuo reflexo determinare. Ergo etiam poterit imperare determinatè actum poſitiuum, ad quem ſe poteſt abſque imperio reflexo determinare. Denique voluntas determinat pro inſtanti determinato actum fidei, qui proponitur honeſte amabilis; nunquam enim elicitur actus fidei, niſi determinante voluntate inſtans temporis, & aſſenſum determinatum fidei. Ergo ſimiliter poteſt efficaciter imperare actum miſericordiæ, qui ſibi proponitur honeſte amabilis. Eadẽ enim eſt ad vtrumque imperium, & amorem ratio.

Secundò. Tertiò. Quartò.

Diſſoluitur ratio Patris Suarez.

6. Sed obijcit P. Suarez. Voluntas poteſt, ſi velit elicere actum religionis, ſe ipſam immediate determinare abſque priori determinatione alterius actus. Ergo fruſtranea erit determinatio antecedens alterius actus: ac per conſequens ex natura rei impoſſibilis. Reſpondeo. Non eſt fruſtraneum imperium reflexum charitatis determinans voluntatem ad actum religionis; tum quia conducit, vt actus religionis referatur in Deum, in quem ſine imperio charitatis non referretur; tum quia conducit, vt voluntas ſuam exerceat libertatem in amore reflexo religionis exprimendo ſuum affectum erga virtutem religionis.

Item ratio Neotericorum.

7. Obijciunt recentiores. Virtutum actus ſunt eſſentialiter morales, ac liberi. Si autem referantur imperio omnino efficaci, ac determinato in Deũ, non erunt morales, ac liberi; quandoquidem determinatione antecedenti, & intrinſece efficaci tollitur immediata libertas, ac per cõſequens moralitas actuum. Ergo tale imperium in actus virtutum repugnat. Confirmãt argumentum. Eo imperio deſtruitur omnino vtilitas, in quam refertur, videlicet meritum, & impetratio actus. Nam demus hominem in extremis conſtitutum, & non habentem copiam confeſſionis, ex timore inferni velle efficaciter actum charitatis, vt reſtitutus per illum in amicitiã Dei, pęnas euadat inferni. Tunc ſic. Actus charitatis tali imperio elicitus non erit impetratorius amicitiæ diuinæ; nam actus charitatis ſic elicitus non habet meritum, aut impetrationem diſtinctam à merito, & impetratione actus efficaciter imperantis, ſic vt actus exterior non habet meritum à merito actus interioris diſtinctum: Etenim ad meritum diſtinctũ requiritur libertas diſtincta. At actus charitatis ſic imperatus non habet libertatem diſtinctã à libertate actus imperantis. Ergo neque habet meritũ, aut impetrationem diſtinctã. Sed impetratio timoris inferni, aut alterius actus inferioris charitate non ſufficit ad iuſtificationem. Ergo impetratio actus charitatis eliciti ex imperio efficaci timo-

ris

ris inferni, aut alterius virtutis non ſufficit ad iuſtificationem, ac per conſequens repugnabit ipſum imperium conſequutioni finis, quem intendit.

8. Reſpondeo. Actus virtutum non ſunt eſſentialiter morales, ac liberi in actu ſecundo, ſed libertas, ac moralitas illis eſt extrinſeca, poteſtque idem actus nunc fieri neceſſario, nunc libere, nunc efficaciter imperatus, nunc abſque imperio efficaci. Rurſus eſto aliqui virtutum actus ſint eſſentialiter liberi, non repugnat, aliquos eſſe non liberos, & ab imperio efficaci procedentes; ſicut actus charitatis elicitus in via eſt liber, & elicitus in patria neceſſarius. Ergo licet virtutum actus non imperati ſint liberi, poſſunt alij fieri imperati, & neceſſarij. Nam ſi amor boni delectabilis poteſt imperari efficaciter ab alio actu reflexo, cur non poterit ſimiliter amor boni honeſti. At amor boni honeſti eſt virtuoſus, & elicitus à virtute infuſa. Ergo amor virtuoſus, & elicitus à virtute infuſa poteſt efficaciter imperari. Confirmatio maioris momẽti eſt. Propterea tr. de merito arbitratus ſum, actum efficaciter imperatum, imo & actum externum habere meritum, & impetrationem diſtinctam à merito, & impetratione actus efficaciter imperantis. Vbi diſſolui argumenta in contrarium. Quo poſito nulla eſt efficacia argumenti; ſiquidem cum imperio efficaci elicito ex timore inferni relinquitur in actu charitatis impetratio diſtincta ab impetratione actus imperantis; ac per conſequens ſufficiens obtinere iuſtificationem, quam affectus imperans intendit. A quo non recedit P. Coninck 2.2. diſp. 27. num. 12. P. Coninck.

SECTIO TERTIA.

Aſſeritur contra P. Hurtado imperium vagum, & indeterminatum.

Proponitur 9. PAter Hurtadus 2.2. diſp. 135. ſect. 6. & diſp. 137. ſect. 3. & diſp. 138. ſect. 2. duo requirit ad imperium charitatis. Primò quòd actus imperatus ſit reflexe, & explicite volitus per actum imperantem. Secundo quod amor iſte reflexus ſit omnino efficax, ac determinatus. Vnde conſequenter duo docet; primum, non poſſe charitatem imperare virtutum actus amore ſolius obiecti extrinſeci, videlicet bonitatis diuinæ. Secundum non poſſe imperare neque per amorem vagum virtutis internæ indifferentem ad plures actus; neque per ſimplicem aliquam complacentiam, quin interueniat amor aliquis efficax, ac determinatus actus imperati.

Aſſertio prima. 10. Hęc duo mihi maxime diſplicent. Aſſero igitur primo, non requiri ad imperiũ amorem efficacem, ac determinatũ actus imperati. Quod ſic probo. Volens actu efficaci charitatis placere indeterminate Deo, aut per actum religionis, aut per actum miſericordię poteſt ſe determinare ad actũ religionis, quin interueniat amor efficax reflexus religionis. At eo euentu actus religionis erit imperatus, & relatus in finem charitatis. Ergo. Minor videtur clara; tum quia actus religionis in eo euentu procedit ab actu charitatis; ſiquidem non fieret actus religionis, niſi præceſſiſſet actus charitatis, & ideo re vera voluntas elicit actum religionis, quia per actum charitatis voluit placere Deo per actum religionis, aut per actũ miſericordię; tum quia, ſi vellet ex fine vanæ gloriæ actũ religionis, aut actum miſericordiæ, & ſe determinaret ad actum religionis abſque amore reflexo illius, referretur actus religionis in finem vanæ gloriæ, & inficeretur malitia prioris intenſionis. Maior probatur; volens indeterminate actum religionis, aut actum miſericordię poteſt ſe determinare ad amorem reflexum actus religionis abſque interuentu alterius tertij amoris reflexi. Ergo etiam poteſt ſe determinare ad actum directum religionis abſque amore reflexo ipſius. Antecedens eſt certũ; nam ex vi prioris actus non poteſt voluntas non habere aut actum religionis, aut actum miſericordiæ. Atq; ita in hac ſententia neceſſario habet aut amorem reflexum religionis, aut amorem reflexum miſericordiæ. At non per alium reflexum amorem, quia alias ad tertium iſtum amorem daretur quartus, & ſic in infinitum. Ergo ex vi prioris actus poteſt ſe determinare ad amorem reflexum religionis abſq; tertio actu reflexo determinante. Ergo etiam poteſt ſe determinare ad actum religionis directum abſque ſecundo actu reflexo. Probatur conſequentia; quia tam indifferens eſt actus charitatis imperans ad amorem reflexum religionis, ac eſt ad ipſum actum directum; & aliunde voluntas tam libera eſt ad ſe determinandum immediate ad actum religionis, ac eſt ad ſe determinandum immediate ad amorem reflexum illius. Ergo ſicut indifferentia voluntatis poteſt ſe determinare ex vi prioris actus ad amorem reflexum religionis, ita poteſt ſe determinare ad ipſum actum directum abſque reflexo amore ipſius. Explicatur; Amor reflexus actus religionis (qui poteſt eſſe elicitus à virtute religionis) eſt imperatus in finem charitatis ab actu charitatis indifferenti, & vago, ſiquidem eſt elicitus ex vi actus charitatis, non eliciendus, ſi non præceſſiſſet actus charitatis. At non per alium amorem reflexum. Ergo charitas poteſt imperare actus aliarum virtutum per imperium vagum, & indifferens. Confirmatur; voluntas intendens finem conſequibilem per plura media poteſt ſe determinare ad electionem vnius medij præ alio ex vi intenſionis, quin præcedat amor reflexus determinatus talis electionis ita, vt verum ſit, electionem procedere ab ea intenſione indifferenti ad plures electiones. Ergo ſimiliter poteſt voluntas ſe determinare ad actum religionis potius, quàm ad actum miſericordiæ abſque amore reflexo determinante actum religionis ita, vt verum ſit actum religionis procedere ab actu charitatis indifferenter decernente actum religionis, aut miſericordiæ. Explicatur. Confirmatur.

11. Ratio à priori totius doctrinæ eſt, quia motio, & imperium potentiæ liberæ, vt Ratio à priori.

Digitized by Google

libera eſt, non eſt determinans, ſed indifferens. Nam imperium determinans eſt proprium potentiæ neceſſariæ, quæ à ſe ipſa determinari non poteſt, ſicut potentia libera. At etiam potentia libera, vt libera eſt, poteſt imperari. Ergo per imperium indifferens. Sed imperium indifferens debet eſſe neceſſario aut affectus inefficax finis, aut affectus efficax indeterminatus, & vagus. Ergo. Minor probatur. Tum quia Deus imperat voluntati tanquam potentiæ liberæ imperio relinquente voluntatem indifferentem, & liberam. Ergo etiam ipſa voluntas imperare ſibi poteſt tanquam potentiæ liberæ imperio indifferenti. Tum quia vt affectus liber, qua liber procedat ab alio priori actu, ſufficit, vt prioris impulſus, ac motio inducat re ipſa voluntatem in actum poſteriorem, non eliciturã illum, niſi præceſſiſſet prior. At hac ratione moueri poteſt voluntas, quin prioris actus impulſus ſit omnino determinans, ſicut mouetur efficaciter auxiliis gratiæ, quæ ſecundum ſe indifferentia ſunt. Ergo affectus liber, quà liber poteſt procedere ab alio priori affectu ſecundum ſe indifferenti, ac per conſequens imperari.

Obiectio. 12. Sed objicit P. Hurtadus. Affectus vagus, & indifferens non poteſt inferre effectum immediate, & per ſe abſque alio determinante effectum. Ergo neque poteſt per ſe immediate imperare. Antecedens probatur. Obiectum affectus vagi non eſt alius actus determinatus, ſed plures diſiunctiue, & confuſe. At obiectum non poteſt exiſtere à parte rei diſiunctiue, & confuſe, ſed in ſingulari, ac determinate. Ergo non poteſt exiſtere immediate ex affectu indeterminato, & vago, quin interueniat affectus determinans effectum. Nam efficacia inferendi effectum conuenit affectui voluntatis eo modo, quo amat effectum. At eo modo, quo effectus amatur per affectum vagum non poteſt exiſtere à parte rei. Ergo præter illum neceſſarius eſt affectus determinans effectum. Confirmatur; Actus virtutis ſemper exiſtit à parte rei electus præ alio. At per actum vagum non eligitur præ alio. Ergo actus vagus non tribuit exiſtentiam affectui. Similiter arguit contra imperium ſimplicis complacentiæ; Nam ſimplex complacentia non habet vim conſtituendi à parte rei ſuum finem, niſi dependenter ab amore efficaci obiecti, cum eius virtus ſit per ſe immediate inefficax abſque auxilio alterius actus. Ergo requirit neceſſario auxilium amoris efficacis.

Confirmatio.

Occurritur 13. Hoc argumentum nullam vim habet. Nam agimus de imperio actionum potentiæ liberæ, quæ ſe ipſa immediate abſque præuio determinante poteſt ſe determinare ad actum imperatum; non de actionibus potentię externæ, quæ ſe ipſa determinari non poteſt abſque actu voluntatis antecedenter determinante. Itaque ſola potentia externa, quæ à voluntate antecedenti determinari debet, non poteſt imperari immediate imperio indifferenti; nam cum ſe ipſa immediate determinari non poſſit, neque per imperium indifferens voluntatis, neceſſarium eſt, vt præter imperium indifferens, exiſtat amor determinatus operis agendi. Secus vero potentia libera, quæ ad actum imperatum, ſe ipſa immediate determinari poteſt. Atque adeo ſufficit, vt imperium ſolum alliciat; & moueat voluntatem ad illum, ſinendo determinationem ipſius libertati. Neque obeſt, obiectum non poſſe exiſtere à parte rei eo modo, quo per imperium vagum volitum eſt; nam is modus non eſt volitus ex parte obiecti, ſed ſolum ſe tenet ex parte actus volentis, qui licet velit obiectum diſiunctiue, non vult obiectum eſſe diſiunctiue, ſed determinate: quamuis determinatio non ſit ab ipſo actu, ſed ſinatur libertati voluntatis. Ex quo conſtat ad confirmationem.

14. Aſſero ſecundo. Ad imperium non eſt neceſſarius amor reflexus actus imperati; ſed poteſt ſolus amor directus obiecti externi imperare immediate virtutis actum conducentem ad illud, quin interijciatur alius amor reflexus actus imperati. Quo deſerta manẽt duo, quæ P. Hurtado ad imperium requirit. Hoc aſſertum probatur. Eo ipſo quod quis amet bonitatem diuinam, mouetur voluntas ad obſeruandum legem ipſius; atque ideo ſi exiſtente eo amore vrgeat præceptum actus religionis, poteſt voluntas ex vi talis amoris determinari ad actum religionis, quamuis actus religionis non ſit præuolitus per alium actum. Nam ſi ad volitionem reflexã actus religionis determinari poteſt ex amore Dei abſque alia volitione reflexa, etiam poterit determinari immediate ad ipſum actũ religionis abſque reflexa volitione. Etenim qui vult efficaciter finem non tenetur velle reflexe electionem mediorum, ſed ſolum media, quę mandari exequutioni non poſſunt, niſi volita ab intendente finem; quoniã electio mediorum conſtituta eſt in poteſtate volũtatis independenter ab amore reflexo ipſius; media vero externa adhiberi non poſſunt in finẽ, quin ſint per volũtatem amata. Sed actus imperatus conſtitutus eſt in poteſtate voluntatis independenter ab amore reflexo, & habet ſe comparatione intenſionis per modum electionis materialis. Ergo actus imperatus poteſt procedere ab intenſione finis, in quem conducit, quamuis non ſit præuolitus per alium amorem. Secundum aſſertum.

15. Sed opponit P. Hurtadus. Intentio finis amare debet media, per quæ finis conſequendus eſt. At actus imperatus eſt medium, quo conſequendus eſt finis intentus. Ergo amari debet ex intentione finis. Reſpondeo. Ex vi intentionis tenetur voluntas amare media externa, quæ abſque amore voluntatis adhiberi non poſſunt; ſecùs vero media interna, quæ ſine reflexo amore adhiberi poſſunt libertate voluntatis. Quare actus interni imperati non ſolum ſortiuntur rationem mediorum, ſed etiam rationem electionis materialis, quæ ex præuia intentione procedit immediate, quin reflexe amata ſit, ſicut procedit formalis electio. Deinde intentione finis non amamus explicite, & formaliter media, ſed implicite, & virtualiter. Quando vero finis exequendus eſt, indigent explicite, & formaliter amari media, quæ exiſtere non poſſunt abſque Prima obiectio diluitur.

Digitized by Google

amore reflexo voluntatis, non vero quæ abſq; illo exiſtere poſſunt, quales ſunt actus interni virtutum.

Secunda.

16. Obijcit ſecundò. Actus externi non ſunt imperati, quin reflexe voliti. Ergo neque interni. Debilis conſequentia. Promptum eſt diſcrimen. Actus externi pendent à potentia, quæ ad agendum determinari debet à voluntate decernente actionem. Actus interni verò pendent à potentia libera, quæ abſque prævia determinatione alterius actus poteſt ſe ad agendum determinare.

Tertia.

17. Tertiò. Poteſt eſſe actus charitatis, & actus miſericordiæ, quin actus miſericordiæ ſit imperatus à charitate. Ergo vt actus charitatis ſit imperans, requiritur, vt velit reflexe actum miſericordiæ. Inſto argumentum. Etiam poteſt eſſe actus miſericordiæ, & amor reflexus charitatis, quin actus miſericordiæ ſit imperatus ab actu charitatis, quia independenter ab amore reflexo aliunde determinatur à Deo. Ergo imperium non conſiſtit in amore reflexo. Reſpondet P. Hurtadus, à ſe id facile explicari, quia actus imperatus requirit actionem ſpecialem eſſentialiter pendentem ab actu imperante, quæ non fieret, ſi ab actu imperanti non penderet. Benè; Ergo eodem modo poteſt explicare dependentiam actus miſericordiæ ab actu charitatis amante bonitatem diuinam abſque amore reflexo miſericordiæ; quippe tunc pendere ab eo amore, quando ea actione ſpeciali efficitur, quæ eſſentialiter requirit amorem præuium bonitatis diuinæ; non pendere verò, quando fit actione omnino independenti ab illo. Deinde reſpondeo. Tunc actus miſericordiæ eſt imperatus ab actu charitatis, quando ita exiſtit, vt non exiſteret niſi exiſtente amore charitatis. De quo diſputatione ſequenti.

SECTIO QVARTA.

Probatur contra eumdem Patrem Hurtado imperium inefficax, & ſimplicis complacentiæ.

Probatur.

18. SImiliter negat P. Hurtado ſupra, ſimplicem, & inefficacem affectum actus, aut finis vnius virtutis imperare, & referre poſſe actum alterius, quin intercedat amor efficax, & determinatus reflexus actus imperati. Quod primo reijcitur ex Patrum teſtimoniis, quæ expendimus diſputatione 50. ſectione 4. ad probandum, poſſe virtutis actum referri in finem gloriæ vanæ per affectus neceſſarios eius gloriæ, irrepentes animo bene operanti; nam hi affectus neceſſarij ſimplices, & inefficaces ſunt. Secundo ex Diuo Auguſtino lib. 8. confeſſ. cap. 9. *Imperat animus, vt velit animus, nec facit tamen.* En imperat animus volitionem per affectum inefficacem; nam ſi eſſet efficax, faceret animus imperatum. Quare in imperij inefficaciam refert Auguſtinus, quod animus non velit. *Vnde hoc monſtrum, & quare iſtud? Non ex toto vult. Non ergo ex toto imperat, nam in tantum imperat, in quantum vult.* Datur ergo actus imperans, qui non ſit intrinſece efficax, ſeu quo animus ex toto non velit. Dices, poſſe quidem animum imperare per affectum inefficacem; tamen vt re ipſa fiat actus imperatus, requiri affectum reflexum efficacem. Sed contra. Animus non imperat per affectum inefficacem actum ſibi impoſſibilem, ſed poſſibilem, verbi gratia actum continentiæ, ad quem auxiliis gratiæ præuentus eſt. Ergo vt fiat actus imperatus, non requiritur amor efficax reflexus præcedens. Reſpondebis, actum inefficaciter imperatum poſſe quidem fieri à voluntate, ſine amore efficaci reflexo; non vero poſſe fieri ex imperio inefficaci, niſi talis amor reflexus, & efficax præcurrat. Sed contra; Ad eum amorem efficacem reflexum moueri, & allici poteſt voluntas per amorem ſimplicem, & inefficacem abſque intermedio amore, vt ad intenſionem efficacem finis allicitur, & mouetur per ſimplicem complacentiam finis abſque intermedio amore ipſius intenſionis. Ergo ſimiliter per affectum inefficacem, & ſimplicem actus imperati, aut finis, in quem actus imperatus confertur, poteſt induci voluntas ad eum eliciendum abſque intermedio amore reflexo actus imperati. Vt arguebamus num. 10.

Secundo ex Auguſtino.

Tertia ratione.

19. Tertio arguitur ratione. Vt actus vnius virtutis ſit imperatus per alium; ſufficit, quod fiat à voluntate ex motione, & impulſu alterius. Poteſt actus vnius virtutis fieri à voluntate ex motione, & impulſu affectus inefficacis, & ſimplicis. Ergo poteſt actus virtutis imperari per affectum inefficacem, & ſimplicem. Probatur minor. Primo à poſteriori; virtutum actus fiunt ex motione auxiliorum gratiæ. Inter auxilia gratiæ ſunt affectiones, & inſpirationes ſanctæ voluntatis inefficaces, & ſimplices, infuſæ à Spiritu ſancto nobis; ſine nobis libere agentibus, vt lib. 5. illuſtrabimus. Ergo ex motione affectus inefficacis, & ſimplicis poteſt voluntas ad agendum virtutis actum induci. Porro hæ affectiones gratiæ auxiliantis non ſolum ſunt illæ, quæ bonum reſpiciunt, quod actus deliberatus amplectitur, ſed plerumque etiam illæ, quæ reſpiciunt alia bona, in quæ virtutis actus conducit; nam per affectum ſanctum timoris inducitur voluntas ad amorem religionis, & per affectum infuſum ſpei ad actum pænitentiæ, vt etiam lib. 5. ſtabiliemus. Ergo per affectus ſimplices vnius virtutis poteſt moueri voluntas ad actus deliberatos alterius. Secundo eadem minor à priori probatur. Voluntas, quà libera eſt, poteſt agere actum vnius virtutis ex prævia motione alterius; nam etiam potentia libera motionis capax eſt. Quà libera eſt voluntas non poteſt agere ex prævia motione actus efficacis; nam, vt P. Hurtado admittit, & nos oſtendemus diſp. 68. motio actus efficacis, & determinati non ſinit libertatem voluntati. Ergo poteſt agere voluntas ex motione affectus inefficacis. Tertiò etiam à priori; vt voluntas agat ex motione affectus inefficacis, ſufficit, voluntatem moueri per illum

Digitized by Google

ad agendum actum virtutis, & actum virtutis fieri à voluntate non actura, ſi non præceſſiſſet motio talis affectus, vt diſputatione ſequenti exponemus. Poteſt affectus inefficax mouere voluntatem ad agendum virtutis actum, & virtutis actum fieri à voluntate non actura, ſi non præceſſiſſet talis motio. Ergo poteſt virtutis actus fieri ex motione affectus inefficacis. Probatur minor. Imprimis affectus inefficaces maximi momenti ſunt ad mouendum voluntatem; nam quo voluntas magis affecta eſt in aliquod obiectum, plures, & frequentiores elicit actus in adeptionem illius; quare tentationes impellentes voluntatem ad agendum actus deliberatos turpes ſunt affectus inefficaces, quibus voluntas afficitur in obiectum delectabile. Deinde plerumque contingit caſus, in quo voluntas non ageret, niſi præueniretur tali motione affectuum inefficacium; ſicut plerumque non ageret, niſi adeſſet ſuaſio indifferens, & inefficax amicorum. Ergo plerumque agit voluntas non actura, niſi præceſſiſſet motio affectuum inefficacium.

Obiectio. 20. Pater Hurtado non obijcit alia argumenta contra hanc ſententiam præter ea, quæ obiecta, & diluta ſunt ſectione præcedenti; contra ſuperiora aſſerta obijciet tamen quis. Propter quod vnumquodque tale, & illud magis. Ergo cum ſit efficaciter actus vnius virtutis propter finem alterius, appeti debet efficaciter finis, propter quem talis actus elicitur; ac per conſequens non ſufficiet ſolus affectus inefficax ad referendum actum efficacem alterius virtutis in illum. Reſpondeo. Id eſt verum quando finis, propter quem actus efficitur, eſt intrinſecus; ſecus verò quando eſt extrinſecus, vt contingit in euentu noſtræ aſſertionis.

21. Clauſula igitur totius diſputationis ſit, multiplices eſſe actus, qui poſſunt eſſe imperantes virtutum. Nam primò poteſt imperare affectus efficax omnino determinatus, vt conſtat ex ſectione ſecunda. Secundò affectus efficax indifferens, & vagus, vt conſtat ex ſectione tertia. Tertiò non ſolum amor reflexus ipſius actus, ſed etiam amor directus ipſius obiecti externi, vt conſtat ex eadem ſectione tertia. Quartò denique affectus inefficax, & ſimplicis complacentiæ, vt conſtat ex ſectione præſenti. Quot affectus ſint imperantes

DISPVT. SEXAGESIMASEPTIMA.

QVINAM SIT INFLVXVS ACTVS IMPERANTIS in actum imperatum.

VIDIMVS quinam ſint actus imperantes. Nunc videndum qualis ſit influxus actus imperantis in actum imperatum, & qua ratione actus imperatus ab imperante dependeat.

SECTIONES.

1. *Recentium Thomiſtarum opinio deſeritur.*
2. *Improbatur ſententia aliorum Recentiorum.*
3. *Noſtra ſententia explicatur.*
4. *Vindicatur noſtra ſententia ab argumentis.*

SECTIO PRIMA.

Recentium Thomiſtarum opinio deſeritur.

Proponitur 1. RECENTES Thomiſtæ volunt, charitatem imperare actum aliarum virtutum imprimendo illis effectiuè aliquid phyſicum, quo in Deum dirigantur, & ab actu charitatis procedant. Ita Zumel 1. 2. quæſt. 114. art. 4. diſputatione 2. in append. con. 3. & alij apud Lorcam de charitate diſputatione 12. numero 5. qui Thomiſtarum ſententiam commentitiam appellat. Eam improbo ex ſancto Thoma 2. 2. quæſtione 23. art. 8. corp. Charitas imperat reliquas virtutes dirigendo earum actus in ſuum finem. At vt charitas dirigat actus aliarum virtutum in ſuum finem non eſt neceſſarium aliquid phyſicum intrinſece impreſſum, & deriuatum à charitate. Ergo charitas non imperat reliquas virtutes imprimendo illis aliquid phyſicum. Probatur minor. Eo ipſo, quod actus aliarum virtutum fiant à voluntate ex motione affectus charitatis volentis illos fieri à voluntate, re ipſa actus aliarum virtutum fiunt propter finem charitatis: ſicut actio exterior fit propter finem actus interioris, quia mandatur exequutioni ex determinatione affectus interioris. At vt voluntas ex affectu charitatis moueatur, & determinetur ad efficiendum Zumel. Lorca. Reijcitur.

Digitized by Google

actus aliarum virtutum, neceſſarius non eſt modus aliquis phyſicus à charitate impreſſus; vt neceſſarius non eſt ad actionem exteriorem elicitam ex affectu anteriori. Ergo modus phyſicus virtutibus impreſſus neceſſarius non eſt ad imperium, & relationem charitatis in actus aliarum virtutum. Explicatur; Priuſquam intelligatur modus aliquis impreſſus actibus aliarum virtutum, intelligitur imperium charitatis; nam modus ille ſubſequitur exiſtentiam actuum, quibus inhæret. At imperium, & efficaci charitatis intelligitur pro eo priori, quo intelligitur exiſtentia eorum actuum: ſiquidem eorum exiſtentia dependens eſt ab imperio charitatis, & à voluntate efficitur ex vi talis imperij. Ergo imperium non conſiſtit in aliquo modo phyſico inhærenti actibus imperatis.

Vlterius improbatur.

2. Rurſus non apparet qui modus phyſicus ab imperio ſupernaturali deriuetur in actum imperatum? Naturalis enim repugnat, cum procedat eſſentialiter à principio ſupernaturali, & in finem ſupernaturalem eſſentialiter dirigatur. Neque ſupernaturalis eſſe poteſt, cum interdum imperentur actus naturales tam interni, quàm externi, quibus nullus modus intrinſece ſupernaturalis inhæret. Actio ſpecialis, qua actus imperatus efficiatur ab imperante, nequit eſſe; nam actus pænitentiæ imperans actum charitatis non eſt principium efficiens actus charitatis, cùm ſeorſim ab influxu efficienti actus pænitentiæ ſint principia efficientia, quæ ſufficiant efficere actum charitatis, & ad imperium actus pænitentiæ ſufficiat influxus moralis in actum. Neque alius modus ab actione diſtinctus capi bene poteſt, qua ratione actum imperatum in finem imperantis referre queat. Nam ea relatio intelligi nequit, quin is modus ipſum finem intrinſece, & tranſcendentaliter reſpiciat. Quo igitur pacto eum tranſcendentaliter reſpicit; cum reſpectus tranſcendentalis à prædicamentali diſtinctus aliquod munus præter mere reſpicere circa terminum exercere debeat? Aut igitur illum reſpicit appetendo, aut cognoſcendo, aut efficiendo, aut alio modo tendendo in illum? ſi appetendo; qui eſt modus magis proportionatus talis reſpectus. Erit igitur affectus voluntatis. Affectus autem voluntatis quomodo alteri affectui intrinſece ineſt? inintelligibilis ergo, & chymericus eſt is modus intrinſecus actui imperato ad relationem ipſius in finem imperantis neceſſarius.

Prima obiectio diluitur.

3. Obijciunt Thomiſtæ ſanctum Thomam 2. 2. quæſtione 23. artic. 8. ad ſecundum aſſerentem, charitatem informare virtutes effectiue, & quæſtione 2. de virtutibus artic. 4. ad primum, charitatem eſſe poſſe formam aliarum virtutum, ſicut color eſt forma ſuperficiei, vtique phyſica, & non moralis ſolum. Ad primum teſtimonium reſpondeo primo. Sanctus Thomas aſſerens, charitatem eſſe formam virtutum effectiue, diſſerit de charitate habituali, quæ informat cæteras virtutes efficiendo proprios actus, quibus cæteræ virtutes diriguntur in finem charitatis. Secundò reſpondeo. Sanctus Thomas non ait, abſolute charitatem informare effectiue, ſed quaſi effectiue, volens ſignificare eius cauſalitatem, quamuis reuera efficiens non ſit, imitari efficientem, quia mouendo principium efficiens dirigit in ſuum finem actus aliarum virtutum. Ad tertium teſtimonium reſpondeo. Angelicus Præceptor in eo loco ſolum intendit probare in genere, poſſe vnam formam informare aliam, vt color informat ſuperficiem, vt inde colligat charitatem poſſe ſimiliter informare alias virtutes. Cæterum paritas non eſt omnino adæquata ita, vt extendenda ſit etiam ad modum informandi, cum charitas non inhæreat phyſice virtutibus, ſicut color inhæret ſuperficiei.

Item ſecunda.

4. Obijciunt ſecundò. Directio dialectica eſt modus phyſicus inhærens actibus aliarum ſcientiarum. Ergo directio paſſiua charitatis eſt modus phyſicus inhærens virtutibus. Antecedens eſt falſum. Nam vt oſtendi in dialectica, actus aliarum ſcientiarum eſſe directos à dialectica, eſt denominatio prorſus extrinſeca, vt eſſe cognitos. Atque ita erit extrinſeca relatio charitatis, vt eſſe volitos actus aliarum virtutum: dirigi enim in vltimum in finem non eſt aliud, quàm ex affectu charitatis fieri in eum finem.

SECTIO SECVNDA.

Improbatur ſententia aliorum Recentiorum.

5. NOſtræ Societatis Recentiores arbitrantur, actum imperatum ab imperanti pendere per actionem peculiarem; qua fiunt à voluntate, vt per imperium motâ, diuerſam ſpecie ab ea, qua ab eadem fiunt ſine imperio diſpoſitâ. Non quia actus imperans ſit principium efficiens actus imperati; ſed quia voluntas non poteſt in actu ſecundo ad agendum moueri per imperium, quin actio, qua voluntas agit, eſſentialiter ſupponat imperium, tanquam motionem, & applicationem voluntatis ad agendum. Cui ſententiæ etiam dedit manus P. Hurtado ſupra. — Exponitur. — P. Hurtado.

Argumentum Recentiorum.

6. In hanc ſententiam adducti ſunt hoc argumento. Actum imperatum procedere ab actu imperante aliquid eſt eſſentialiter in rerum natura. Non eſt eſſentialiter ſola exiſtentia actus imperati; nam poteſt eſſe exiſtentia actus imperati, quin procedat ab actu imperante. Neque eſt eſſentialiter ſola exiſtentia actus imperantis; quia poteſt exiſtere actus imperans, quin actus imperatus procedat ab illo, præſertim ſi imperium ſit inefficax, aut efficax indeterminatum, & vagum. Neque eſt coexiſtentia vtriuſque actus imperantis, & imperati; ſiquidem vterque ſimul exiſtere poteſt mere, concomitanter in voluntate, quin alter ab altero procedat; nam poteſt voluntas tangi affectu vnius finis mouente voluntatem ad actum pænitentiæ,

quin actus pænitentiæ fiat ex illo affectu propter eum finem, neque enim ſemper ac voluntas afficitur in finem gloriæ vanæ, in quem confert actus pænitentiæ, & voluntas efficit actum pænitentiæ, neceſſarium eſt, vt propter vanum finem actum pęnitentiæ eliciat. Neque rurſus eſt actio, qua actus imperans ſit efficiens actus imperati; quoniam actus imperatus non procedit ab imperante, tanquam à principio efficiente. Quid igitur erit proceſſio, actualis actus imperati ab imperante? Certe non ſupereſt aliud, quod talis proceſſio eſſe poſſit, niſi actio ſpecialis, qua actus imperatus efficiatur à voluntate, vt imperio, tanquam motione, & applicatione agendi pręuenta, ideoque actio ſit eſſentialiter alligata imperio tanquam conditioni agendi. Nec ſatis eſt, quod aliqui dicũt, non eſſe aliud proceſſionem actus imperati ab imperante, quàm voluntatem ex actu imperanti determinare ſe ad actum imperatum. Nam quod quæritur eſt, quid ſit in rerum natura determinari voluntatem in actu ſecundo ex actu imperante ad actum imperatum, ſiquidem voluntas mota in actu primo per actum imperantem poteſt in actu ſecundo determinari ad actum imperatum, quin re ipſa in actu ſecundo determinetur per motionem actus imperantis. Neque verum eſt, hanc difficultatem ſolum obeſſe imperio inefficaci, & indeterminato, non vero efficaci, & determinato. Quoniam etiam poteſt exiſtere affectus efficax, & determinatus actus imperati, quin actus imperatus fiat ex vi actus imperãtis, ſed concomitanter ſe habeat cum illo. Nam actus imperatus poteſt fieri ſeorſim, & independenter ab imperanti, quando realiter non ſit actus imperans. Ergo poteſt fieri ſeorſim, & independenter ab illo, quãdo exiſtit actus imperans. Nam poteſt Deus concomitanter cum actu imperante tribuere voluntati auxilia efficacia, quibus fieret actus imperatus in eo inſtanti ſeorſim ab imperio. Tunc autem voluntas eliceret actum imperatum independenter ab imperante, ſicut eum eliceret in eo inſtanti, ſi non exiſteret actus imperans. Neque de ratione imperij efficacis eſt, vt re ipſa procedat ab illo actus imperatus, cum ſeorſim ab illo exiſtit in voluntate, ſed ſolum vt ab illo procedat ſub conditione, quòd non exiſtat ſimul cum illo. Igitur etiam ad imperij efficacis influxum requiritur ſpecialis iſta actio. Saltem de potentia abſoluta poteſt eſſe imperium efficax, quin actus imperatus in actu ſecundo procedat ab illo. Hoc autem ſufficit, vt actualis proceſſio aliquid ſit ab exiſtentia vtriuſque actus diſtinctum. Nam quæ ſunt ſeparabilia etiam ſolum diuinitus, realiter diſtincta ſunt. Erit igitur hæc proceſſio aliqua actio inter media eſſentialiter alligata imperio.

Improbatur primò.

7. Hæc ſententia mihi diſplicet. Primò quia mea opinione actio, qua actus imperatus procedit à voluntate, eſt indiſtincta ab ipſo actu, vt docui in lib. de anima. At actus imperatus religionis nõ eſt eſſentialiter alligatus actui imperanti pænitentiæ, aut alterius virtutis. Ergo neque ipſa actio eſſentialiter alligata eſt.

Secundò.

Secundò quia non ſolum imperatur actus poſitiuus virtutis, ſed etiam omiſſio libera actus prohibiti oppoſiti virtuti; nam etiam omiſſio libera actus prohibiti procedit ex affectu inefficaci honeſto potens procedere ex affectu inefficaci turpi, & diſputatione 70. oſtendemus. Tamen proceſſio omiſſionis ex imperio affectus honeſti non requirit actionem aliquam ſpecialem voluntatis alligatam eſſentialiter tali imperio; nam in omiſſionem nulla datur poſitiua actio. Ergo ſeorſim ab actione voluntatis alligata imperio poteſt explicari dependentia actus imperati ab imperio. Confirmatur; Eſto omiſſio actus non procedat ab affectu inefficaci alicuius finis; negari non poteſt procedere poſſe ab affectu efficaci. At ab eo ita procedit, vt poſſit ſimul exiſtere cum illo, quin re ipſa ab eo ſit. Ergo vbi repugnat actio poſitiua voluntatis, datur proceſſio actualis ab imperio, quod ab ea proceſſione ſeparabile ſit.

Confirmatio prima.

Probatur minor. Omiſſio actus prohibiti procedens ex propoſito non peccandi potuit eſſe in voluntate ſimul cum eo propoſito, quin actu procederet ab illo; nam potuit voluntas in eodem inſtanti exercere ſuam libertatem immediate omittendo actum prohibitum independenter ab vllo actu poſitiuo voluntatis; ſiquidem ponitur poſſibile tale exercitium; deinde concomitanter etiam cum ea omiſſione potuit exercere ſuam libertatem eliciendo actum efficacem alicuius virtutis repugnantem peccato, quod omittit: ſicut poteſt efficere in eodem inſtanti actum miſericordiæ præceptum, & actum efficacem charitatis incõpoſſibilem cum omiſſione actus miſericordiæ præcepti, quia actus miſericordiæ procedat actu ex imperio charitatis. Vt igitur in his euentibus explicanda eſt proceſſio actualis abſque actione poſitiue alligata principio determinato, poterit ſimiliter in aliis explicari, quando quidem argumentum ſuperius eamdem vim habet in omnibus. Iterum confirmatur; plures negationes contingentes variant principia, à quibus pendent, quin vlla interijciatur actio alligata principiis. Omiſſio enim amoris Dei libera, & pendens à principio intrinſeco voluntatis poteſt eſſe neceſſaria, & pendere à principio extrinſeco; item corruptio formæ ligni ſecuta introductionem formæ ignis poteſt eſſe in materia cum forma ignis independenter ab illa, ſolum inducta ex libito diuino. Igitur vt ſit actualis, & determinata proceſſio ab hoc principio potius, quam illo, non eſt opus recurrere ad actiones ſpeciales alligatas eſſentialiter principiis.

Secundò.

Improbatur tertiò.

8. Tertio ſi hæc ſententia vera ſit, agnoſcendæ eſſent ſupernaturales quoad ſubſtantiam plures actiones, quas nullus Theologorum ſupernaturales agnouit. Prima motus localis imperatus ab actu ſupernaturali alicuius virtutis. Secunda actio vitioſa procedens ex cognitione ſupernaturali indifferenti: qualis fuit ea qua Angeli peccauerunt, & potuerunt eſſe plures aliæ, vt diſp. 57. docuimus. Tertia omnes actiones liberæ, & neceſſariæ humanitatis Chriſti, quin vlla fuerit, neque eſſe poſſit naturalis quoad ſubſtantiam. Vno verbo; eſſent

Digitized by Google

ſupernaturales omnes actiones aliquo modo pendentes à principio ſupernaturali quoad ſubſtantiam. Quæ omnia paradoxa ſunt & abſurda in Theologia. Sequela autem probatur, quia actio pendens eſſentialiter à principio ſupernaturali quoad ſubſtantiam, quin fieri valeat quoad ſubſtantiam ſolis viribus naturæ, eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, vt ſæpius docuimus. Sed actiones enumeratæ, & quæuis aliæ pendentes à principio ſupernaturali pendent in hac ſententia eſſentialiter, quin fieri valeant quoad ſubſtantiam ſolis viribus naturæ abſque principio ſupernaturali. Ergo omnes illæ actiones erunt ſupernaturales quoad ſubſtantiam.

Quarto. 9. Quarto; in Deo plures actus procedunt contingenter ab alijs, quin actualis eorum proceſſio explicetur per actionem, aut modum inter medium eſſentialiter alligatum principijs. Ergo idem poteſt explicari abſque tali actione inter actus creatos. Antecedens probatur. Decretum conferens gratiam hominibus oritur ex præuiſione meritorum Chriſti, quæ tamen poterant præuideri à Deo, quin dona gratiæ conferrentur propter illa. Item decretum plurium donorum, quæ Deus largitur prædeſtinatis manat ex intentione gloriæ, quod poterat manare ex alia intentione; dirigique per ſcientiam conditionatam potens non dirigi per illam, vt tract. de prædeſtinatione oſtendi. Ergo fruſtra exigitur actio poſitiua voluntatis ad proceſſionem vnius actus ab alio.

Præcluditur euaſio. 10. Dicent forſan, vt vnus actus diuinus oriatur contingenter ab alio, opus eſſe actu reflexo voluntatis imperante eum propter alium, quo ſuppletur actio intermedia, quæ datur inter actus creatos. Sed quis obliget Deum ad iſtas reflexiones, & Deum conijciat in has anguſtias, vt ſententiam ſingularem tueatur? quæ mihi, vel hoc ſolum fundamento inuiſa fuit. Præterea de actu reflexo imperante rogo, an ſit efficax, an inefficax? Si inefficax; contingenter manat actus imperatus ab eo, ideoque, vt actu procedat, opus erit alio actu reflexe imperante, & ſic in infinitum. Si efficax; ergo nullus actus liber Dei poteſt oriri ab alio actu diuino, cum actus efficaciter imperatus non relinquatur liber, ſed neceſſarius, atque ideo facilius erit negare omnino, actum procedentem ab alio potuiſſe non procedere ab illo. Præterea rogo, quodnam ſit obiectum actus reflexi imperantis? nam ſi obiectum & proceſſio actus imperati ab alio actu priori, iam proceſſio non conſtituitur per actum imperantem, ſed per aliquid ab ipſo diſtinctum; ſi autem dicas, eſſe exiſtentiam actus imperati propter exiſtentiam præuiſam alterius actus prioris, iam prior actus non mouet ad exiſtentiam poſterioris formaliter, & intrinſece, ſed tantum obiectiue, & extrinſece. Hæc attigiſſe ſufficiat. Neque enim in ſingulares opiniones, quas Recentiores, & pauci ſectantur, fuſo calamo contendendum eſt, quo in celebres illuſtrium Theologorum ſententias contenditur. Ad argumentum recentiorum, quod prius à me, quam ab ipſis confectum fuit, ſatisfaciemus ſectione ſequenti, explicantes, in quo conſtituta ſit dependentia actualis actus imperati ab imperante.

SECTIO TERTIA.

Noſtra ſententia explicatur.

11. NOſtra ſententia eſt, actum imperatum procedere à voluntate ex affectu imperante, non eſſe aliud, quam mouente imperante fieri imperatum à voluntate non elicitura, niſi imperans mouiſſet. Quare arbitror, complecti tria; primum eſt, voluntatem elicere actum imperatum: ſecundum, voluntatem impelli, moueriue in actu primo ad eum eliciendum per affectum imperantem; tertium, voluntatem non elicituram actum imperatum, niſi præceſſiſſet motio affectus imperantis, à quo euentu conditionato conſtituitur extrinſece efficax affectus imperãs, prout à mere ſufficienti diſtinguitur, cum voluntas vtroque ſimul exiſtenti ex vi vnius affectus tantum, & non ex vi alterius elicit actum, in quem vterque inclinat. Quare breuius proceſſio actus imperati ab imperante reduci poteſt in duo; alterum in exiſtentiam actus imperati; alterum in efficaciam actus imperantis conſtitutam ex euentu cõditionato, in quo voluntas nõ ageret actum imperatum non exiſtente imperante. Hæc tamen ſic conſidera; vt proceſſio quaſi paſſiua actus imperati in recto contineat exiſtentiam actus imperati elicitam à voluntate, & in obliquo reliqua, quæ propoſuimus neceſſaria; influxus vero quaſi actiuus actus imperantis comprehendat in recto motionem ſeu impulſum formalem voluntatis in actu primo, in obliquo vero cætera, quæ expoſuimus. Proponitur

12. Hæc explicatio mihi probatur primo; quia non reſtat aliud, quo recte explicetur in genere, quid ſit voluntatem exerceri in actu ſecundo per actum imperatum ex affectu imperante finis extrinſeci. Præterea quia non poteſt apprehendi volũtatem exerceri per actum imperatum mouente ad illum, affectu imperante in actu primo, non ſolum ſufficienti, ſed etiam efficaci extrinſece per euentum conditionatum explicatum, quin apprehendatur, voluntatem exerceri per actum imperatum ex affectu imperante finis extrinſeci; nam efficacia extrinſeca affectus imperantis ſuperius explicata connexa eſt neceſſario cum exercitio voluntatis. Ergo bene explicatur à nobis, quid ſit exerceri voluntatem per actum imperatum ex affectu imperante finis extrinſeci. Prima ratio Secunda.

13. Tertio probatur ex communi hominum apprehenſione. Eo enim ipſo quod apprehendimus affectum alicuius finis extrinſeci taliter mouere voluntatem hic, & nunc ad actum alicuius virtutis, vt eâ motione poſitâ voluntas operetur actum, eâ autem remotâ, quamuis principia ad actum neceſſaria perſiſtant, non operaretur, iudicamus recte, voluntatem inductam fuiſſe ad operandum ex tali Tertia.

motione; & donec iſta omnia cogitemus, non credimus, voluntatem re ipſa ex tali affectu motam fuiſſe ad operandum. Sic prudenter cenſemus, conſilium Petri induxiſſe Paulum ad quidpiam agendum, non vero conſilium Franciſci, quando conſilium Petri, tale fuiſſe cogitamus vt Petro ſolum conſulente opus ageretur à Paulo, non acturo conſulentibus alijs: neque aliunde conijcimus, Petrum fuiſſe cauſam moralem operis Pauli, vt actionem Pauli tribuamus Petro, niſi ex hac probabili exiſtimatione. Ergo eo ipſo quod affectus finis extrinſeci taliter moueat voluntatem, vt re ipſa operetur voluntas, non operatura, ſi non moueretur ab illo, iudicandum eſt, voluntatem re ipſa ab eo affectu in actu ſecundo ad operandum moueri.

Collectio

14. Hinc deprehendes, in quo etiam conſiſtat proceſſio affectus voluntatis ab illuſtratione, ſeu cogitatione intellectus mouente voluntatem ad affectum obiecti, qui ſine tali cogitatione fieri poterat. Nam voluntas non ſolum ex affectu, verumetiam ex cogitatione obiecti extrinſeci moueri poteſt ad amorem, aut odium alicuius virtutis. Tunc igitur voluntas re ipſa inducitur ad agendum ex vi alicuius cogitationis obiecti extrinſeci, & non ex vi alterius, quæ ſimul cum alia in actu primo voluntatem prouocat ad agendum, cum agit opus, non actura, niſi præcederet talis cogitatio, etiam ſi alia voluntatem pulſaret. Eadem enim ratio eſt de cogitatione obiecti extrinſeci, quæ eſt de affectu eiuſdem obiecti.

Annotatio.

15. Annotare tamen oportet, ſuperioribus ſolum expoſitam dependentiam actualem actus voluntatis ab affectu, & cogitatione obiecti extrinſeci; non requiſitis ſimpliciter ad agendum; non de affectu ſimplici, & cogitatione obiecti intrinſeci, neceſſarijs ſimpliciter ad agendum amorem, aut odium eius obiecti. Nam cum cogitatio, aut affectio ſimpliciter neceſſaria eſt, diſcrimen inter cogitationem, aut affectionem ſufficientem, & reipſa efficacem, non ſumitur ex euentu conditionato, in quo voluntas non ageret actum abſenti cogitatione, aut affectione; nam hic euentus communis eſt cogitationi, & affectioni neceſſariæ, tam ſufficienti, quam efficaci: quoniam ſi cogitatio, aut affectio ad agendum neceſſaria eſt, non poteſt eſſe euentus, in quo illa abſenti operetur voluntas. Igitur inter hos motus neceſſarios ad agendum totum diſcrimen deſumendum eſt ab euentu conditionato voluntatis agentis, non vero ab euentu conditionato voluntatis non agentis. Quare communis ſocietatis ſchola explicans efficaciam vocationis diuinæ per euentum conditionatum voluntatis agentis, intelligenda eſt de vocatione gratię neceſſaria ad agendum, non vero de vocatione, quæ neceſſaria non eſt. Porro vocatio neceſſaria ad agendum eſt cogitatio, & affectio obiecti intrinſeci, ſcilicet boni, quod intrinſecè amplectitur amor virtutis, aut mali, quod deteſtatur odium. Vocatio vero non neceſſaria, conferens tamen ad agendum, eſt cogitatio, & affectio obiecti extrinſeci, quod intrinſece non attingitur per affectum deliberatum voluntatis, quamuis eum affectum deliberatum eliciat voluntas, quia in adeptionem alterius obiecti cōducit. Quod vocationis genus aſſimilatur affectibus imperantibus actus virtutum in finem extrinſecum, de quibus fuit vniuerſa diſputatio, quippe hi affectus ad actum imperatum neceſſarij non ſunt. Itaque vocationem neceſſariam reipſa, & in actu ſecundo mouere voluntatem, non eſt aliud, quam voluntatem elicere actum deliberatum, & vocationem impellere ad illum: vocationem vero non neceſſariam in actu ſecundo mouere voluntatem, præterea requirit, vt iungatur euentus, in quo voluntas non eliceret conſenſum, quamuis reliqua neceſſaria adeſſent.

SECTIO QVARTA.

Vindicatur noſtra ſententia ab argumentis.

16. Argues primo. Poſſunt duæ vocationes mouere in actu ſecundo voluntatem tum adæquate, tum inadæquate ad conſenſum. Sed quando mouent adæquate non videt Deus, abſenti hac vocatione voluntatem non operari, ſiquidem videt operari per aliam, quæ adæquate mouet ad conſenſum: quando vero mouent inadæquate non videt, hac vocatione exiſtenti voluntatem operari, quia hæc ſola non inducit ad operandum abſque conſortio alterius. Ergo voluntatem operari ex hac vocatione non includit eſſentialiter hæc duo, alterum, vt ea poſita operetur voluntas, alterū, vt ablata non operetur. Reſpondeo: tunc conſenſus voluntatis pendet ſolitariæ ab vnica vocatione, quando ita exiſtit abſolute cum illa, vt deficiente non exiſteret, quin ſubſtitueret alia eius influxum. Tunc actus pendet ſimul à duplici vocatione adæquata, cum ita abſolute exiſtit mouentibus illis voluntatem, vt reuera non exiſteret deficiente qualibet earum, ſi ſolitarie poneretur, etiamſi exiſterent reliqua requiſita ad conſenſum voluntatis: exiſteret tamen qualibet earum exiſtenti cum omnibus requiſitis ad eum conſenſum; quare exiſtentia abſoluta conſenſus, & carentia conditionata eiuſdem in euentu, quo ſolitarie exiſteret alterutra vocatio, conſtituit proceſſionem, & dependentiam actualem conſenſus ab vtraque vocatione. Tunc autem pendet inadæquate à duplici vocatione, quando ita abſolute exiſtit mouentibus illis in actu primo voluntatem, vt poſita vtraque vocatione ſimul, & non ſolitarie, operetur voluntas, non operatura, ſi aliqua earum deficeret. Vnde ſemper vocatio influens in actu ſecundo includit duo, & exerceri libere voluntatem, & vocationem in actu primo taliter impellere, vt impulſu vocationis ſolitarie exiſtentis deficiente, non exerceretur voluntas. Explicatur primum.

17. Argues ſecundo. Prius apprehenditur, vocationem influere, quam operationem defi- Secundum.

Digitized by Google

cere deficiente vocatione, ideo enim deficit operatio vocatione deficienti, quia vocatio influit in illam, non autem ideo influit, quia deficienti vocatione, operatio deficit, vt ex influxu reliquarum cauſarum poteſt induci; ergo influxus vocationis non conſtituitur ex defectu conditionato operationis. Reſpondeo. Vocatio poteſt influere in exercitium voluntatis, velut principium requiſitum, vel vt principium contingenter additum requiſitis. Cum vocatio influit, vt pricipium requiſitum, prius apprehenditur vocationem influere, quam exercitium voluntatis abſenti vocatione deficere; quia tūc deficit exercitium voluntatis abſenti vocatione, quia deficit principium requiſitum ad illud, influxuſque actualis vocationis tunc conſtituitur exercitio voluntatis in actu ſecundo, & excitatione vocationis neceſſaria in actu primo. Nec in eo influxu explicando eſt noſtra difficultas, vt notauimus numero 15. Igitur ea ſolum eſt in explicando influxu vocationis, aut alterius cuiuſuis actus intellectus, aut voluntatis, quando contingenter influit, vt principium non requiſitum. Tunc autem vocatio, vtpote influens ſolum in genere cauſæ formalis, habet ſuum inchoatum, & incompletum influxum eo ipſo, quod alliciat, & excitet voluntatem ad operandum, licet hic influxus non perficiatur, nec omnino compleatur, donec animus ſe ſinit moueri ex illa vocatione, obtemperando motioni illius per conſenſum ſubſequuium. Dicimus igitur, vocationē contingenter influentem prius apprehendi influere in exercitium voluntatis influxu incompleto ſibi intrinſeco, pelliciendo ſcilicet voluntatem ad ſe exercendum, quam defectus conditionatus exercitij voluntatis, quia ideo voluntas ſe libere determinat ad eiuſdem exercitium, quia allicitur à vocatione: cæterum non apprehendi prius, vocationem influere influxu contingenti omnino perfecto, & completo, quam apprehendatur voluntatem non exercendam libere, niſi allceretur per talem vocationem, ſiquidem alliciēte alia vocatione exercetur voluntas, à qua non apprehēditur moueri in actu ſecundo, ſolum quia exerceretur etiam ea non alliciente. Quare illa cauſalis, ideo deficit exercitium voluntatis, quia influit vocatio, non autem è contra, in genere cauſæ formalis Phyſicæ ſolum eſt vera intellecta de influxu vocationis inchoato, & incompleto; non autem intellecta de influxu perfecto, atque completo, qui non intelligitur bene, donec is euentus conditionatus apprehendatur.

Tertium. 18. Argues tertio. Sæpius voluntas tentatione impellenti ad actum infidelitatis operatur actum fidei, quem non operaretur, ſi tentatio non vrgeret. Ergo non bene explicatur proceſſio vnius actus voluntatis ab alio. Reſpondeo. Tentatio impellens ad infidelitatem non eſt principium actus fidei, ſed occaſio; quia, vt aliquis actus vitalis influat in alium tanquam principium, opus eſt, vt in actu primo alliciat, & impellat voluntatem ad illum, taliter vt eo impellente alius actus exiſtat. At licet exiſtenti tentatione operetur voluntas actum fidei, non operatura, ſi non exiſteret, tamen voluntas in actu primo non inclinatur, nec allicitur ad actum fidei per tentationem, ſed potius auocatur ab illo.

19. Argues quarto. Etiam in ſtatu conditionato videt Deus cor hominis tactum duplici vocatione prouocante eum ad conuerſionem, moueri re ipſa in actu ſecundo per vnam, & non per aliam; quamuis vtraque in actu primo moueat, & vtraque in actu ſecundo coniungatur cum conuerſione. Tamen in ſtatu cōditionato non eſt recurrere ad alium euentum conditionatum, per quem vna illarum vocationum efficax ſit, & alia mere ſufficiens. Ergo vt re ipſa efficax ſit, aut eſt conſtituenda connexio intrinſeca vocationis cum conuerſionis actu, quod nos minime concedemus, aut connexio intrinſeca actus conuerſionis cum vna vocatione potius, quam cum alia, quod Recentiores intendunt. Reſpondeo. In ſtatu conditionato vocatio neceſſaria ad conuerſionem conſtituitur efficax, & præuidetur à Deo re ipſa mouere voluntatem, cum præuidetur conſenſus voluntatis præuentæ per illam; nam voluntas agit conſenſum ex vi vocationis diuinæ neceſſariæ ad agendum; nam ſi independenter ab illa fieret conſenſus, plane vocatio non eſſet neceſſaria. At cum duplex vocatio ſimul pulſat voluntatem, vtraque ſecundum ſe potens, & neutra determinate neceſſaria ad eliciendum conſenſum; tunc vt altera præuideatur efficax, & altera mere ſufficiens, duplex euentus conditionatus præuideri debet; alter, in quo poſita vna vocatione conſentiat voluntas; alter, in quo eadem ablata non conſentiat, quamuis alia remaneat. Atque ita ex vtroque euentu, qui ad ſtatum conditionatum ſpectat, coaleſcit efficacia vnius vocationis præ alia, & proceſſio conſenſus ab vna, & non ab alia. Nota tamen, nunc ſupponi vocationem gratiæ non influere efficienter in conſenſum voluntatis, ſicut requiritur, vt diſputatio noſtra complectatur affectus imperantes virtutum in finem extrinſecum, qui efficientes non ſunt actuum aliarum virtutum, quos imperant, vt ex communi iudicio Theologorum ſupponimus. Nam ſi vocatio gratiæ efficienti concurſu influat in conſenſum, ſufficit, præuideri actionem vnius vocationis præ alia, vt vna vocatio præ alia re ipſa ſit efficax, & influens in conſenſum, quin opus ſit recurrere ad ſecundum euentum conditionatum; quia actio vocationis ſeorſim ab eo euentu per ſe ipſam eſſentialiter ſuo principio efficienti adſtricta eſt. Quartum.

20. Denique argues. Repugnat, voluntatem ſimul elicere eumdem actum propter duos fines incompoſſibiles. Eliceret autem ſimul propter duos fines incompoſſibiles, ſi relatio extrinſeca actus imperati eſſet exiſtentia actus non exituri, affectu imperanti non exiſtenti. Ergo relatio actus imperati in finem extrinſecum non recte explicatur à nobis per exiſtentiam actus non exituri, affectu imperanti non exiſtenti. Probatur minor. Poteſt voluntas ſimul affici inefficaciter in duos finos incompoſſibiles, & eis affectibus, qui ſimul moueant Poſtremū.

voluntatem ad actum non extiturum, ſi quilibet eorum ſeorſim, & ſolitarie poſitus non exiſteret; nam ſi homini proponatur actus miſericordiæ erga Petrum condocens tum vt Petrus commode Salmanticę remaneat, tum vt Petrus iter agat Madritum ad conſequendum dignitatem, poteſt in vtrumque finem ita affici, vt affectu cuiuſlibet finis ſeorſim exiſtenti ſubueniret Petro, non ſubuenturus, ſi dificeret. Tamen remanere Petrum Salmanticæ, & iter agere Madritum ſunt fines incompoſſibiles. Ergo ſi noſtra explicatio eſſet vera, poſſet voluntas imperare actum miſericordiæ ſimul propter duos fines incompoſſibiles. Reſpondeo. Non repugnat, eumdem actum remote conferentem in duos fines incompoſſibiles referri ſimul ad illos relatione inefficaci, ſicut non repugnat, vtrumque finem ſimul intendi affectu intentionis ſimplicis, & inefficacis. Præterea etiam affectu efficaci imperari poteſt ſimul propter duos fines incompoſſibiles, non exequendos ſimul, ſed ſub diſiunctione vnum, aut alterum, aut vnum ſub conditione quod non conſequatur alterum; poteſt enim affectu efficaci velle voluntas ſubuenire Petro per actum miſericordiæ, vel vt Salmanticæ commode degat, vel vt iter agat Madritum ad conſequendum dignitatem, aut vnum iſtorum finium obtineat ſub cōditione, quod alter impoſſibilis ſit, aut Petro non libeat. Qua ratione etiam refertur actus miſericordiæ ſimul in duos fines incompoſſibiles ex affectu inefficaci, quia virtualiter in eos afficitur voluntas prout poſſibiles ſunt. Non ſunt autem poſſibiles, niſi ſub diſiunctione, & conditione. Alia argumenta diluemus diſp. 70.

DISPVTAT. SEXAGESIMAOCTAVA.

AN IMPERIVM EFFICAX, ET DETERMINATVM ADIMAT libertatem immediatam, & propriam actui imperato?

CVM oſtenſum ſit, poſſe actum vnius virtutis imperare efficaciter actum alterius pro inſtanti determinato, videndum nunc eſt, an actus miſericordiæ ſic imperatus maneat immediate, ac propria libertate liber? Certū enim eſt, manere liberū libertate mediata actus imperantis, qua ſcilicet poſsit abſolute non eſſe ex eo, quod actus charitatis imperans poſsit abſolute non eſſe. Dubium autem eſt, an liber ſit libertate immediata, qua liber eſſet caſu, quo imperatus non eſſet?

SECTIONES.

1. *Proponuntur ſententiæ, & Auctores.*
2. *Imperium efficax omnino determinatum adimit propriam & immediatam libertatem actui imperato.*
3. *Propoſitio & explicatio argumentorum.*
4. *An imperium efficax & determinatum adimat actui imperato meritum ſibi proprium?*
5. *An idem ſentiendum ſit de merito actionis imperatæ externæ, quod de merito actionis imperatæ internæ?*

SECTIO PRIMA.

Proponuntur ſententiæ, & Auctores.

1. VOlunt enim Recentiores ingenio non vulgari, actum voluntatis non amittere propriam, & immediatam libertatem ex eo, quod ipſum antecedat alius actus liber voluntatis, qui prærequiſitus non ſit ad exiſtentiam ipſius: etiam ſi antecedenter determinet voluntatem ad illum. Quia hæc determinatio eſt virtuale, & radicale quoddam exercitium libertatis continentis actum ſubſequentem imperatum; atque ita componi valet cum indifferentia voluntatis ad actum ſubſequentem. Itaque ſentiunt, actum miſericordiæ efficaciter imperatum ab actu charitatis manere immediata, & propria libertate liberum; quia actus charitatis determinans non eſt requiſitus ad actum miſericordiæ, & iſte actus charitatis liber eſt voluntati, tunc indifferenti ad actum Sententia neg. ns Recentiorum.

Digitized by Google

miſericordiæ, ſeorſim ab actu charitatis eliciendum. Cæterum affirmant, non manere liberum actum phyſice prædeterminatum, etiam ſi prædeterminatio neceſſaria non ſit ad actum; quia prædeterminatio Phyſica non eſt actus liber voluntatis; item dicunt, non eſſe liberam electionem vnici medij poſt intentionem efficacem finis, quia præuia intentio finis ad electionem vnici medij neceſſaria eſt.

P. Suarez. P. Azor. P. Valentia P. Vaſquez. P. Torres. P. Coninck Medina. Greg. Mart.

2. In hanc ſententiam aſciſcunt ſibi Patronos Patrem Suarez tom. 3. de gratia lib. 12. c. 11. num. 8. P. Azor tom. 1. lib. 1. c. 25. de electione quæſt. 8. P. Valentia tom. 2. diſp. 2. qu. 8. punct. 3. § *Iam vero*, P. Vaſquez 1. 2. diſp. 51. num. 36. P. Torres 2. 2. diſp. 33. dub. 3. P. Coninck diſp. 1. de Pœnitentia dub. 2. num. 12. §. *Ex dictis tamen*, Medinam 1. 2. quæſt. 13. art. 6. concluſione 3 & 5. *Ad confirmationem argumenti*, Gregorium Martinez ibidem dub. 2. ſupponentem, hanc eſſe ſancti Thomæ, & omnium Theologorum ſententiam. Rurſus aduocant in genere eos, qui docent, actum efficaciter imperatum continere meritum diſtinctum à merito actus imperantis. Item eos, qui electionem vnici medij ſuppoſita intentione efficaci finis volunt eſſe liberam.

Sententia affirmans. P. Hurtado P. Vaſquez P. Vaſquez P. Torrez. P. Salas.

3. Superiorem ſententiam, & Neothericos aſſertores illius fuſo calamo inſequitur Pater Hurtado 2. 2. tota diſput. 136. & in ſuffragium ſuæ ſententiæ negantis libertatem propriam actui efficaciter imperato adducit Patrem Vaſquez 1. 2. diſp. 51. c. 5. num. 38. aſſerentem, nullum actum liberum poſſe imperari ab alio habente cum illo neceſſariam connexionem; & P. Torres præmentem veſtigia Vaſquez 2. 2. diſp. 33. dub. 3. §. *Dices ſumere*. Item P. Salas 1. 2. tom. 1. tract. 6. diſp. 1. ſect. 5. §. *Oppoſitam ſententiam*, adeuntem cum ſancto Thoma, Ocamo, Caietano, Conrado, Ferrara, & alijs ab eodem Patre Salas relatis, electionem vnici medij eſſe neceſſariam ſuppoſita intentione efficaci finis, atque ita concludit P. Hurtado, ſententiam affirmantem à ſolis Neothericis aſſertam.

Noſtrũ iudiciũ de re.

4. Dicam in genere, quod ſentio; tum de re diſputationi ſubiecta, tum de iudicio Theologorum. De re mea ſententia eſt, actum efficaciter imperatum non eſſe immediate liberũ, ſed mediate dumtaxat, ea ſolum libertate, qua actus efficaciter imperans liber eſt. Et quidem vereor ne, cum ad examen veniatur, hæc aſſertio cum Recentioribus vocis ſit potius, quam rerum. Etenim neque nobis Recentiores negant, actum efficaciter imperatum ex ſuppoſitione imperantis non eſſe liberum; ſed vltro fatentur, eam ſuppoſitionem antecedere actum imperatum, & ea facta actum imperatum deficere non poſſe. Neque nos Recentioribus diffitemur, eam ſuppoſitionem eſſe liberam voluntati, tunc potenti efficere actum imperatum: ideoque per illam radicaliter inchoari exercitium liberum actus imperati. Num autem hoc ſufficiat, vt actus imperatus propria libertate liber ſit? Contentio videtur de voce. Nam rem ipſam, quam nos voce, actus ſolum mediate liberi ſignificamus, Recentiores admittunt; noſque etiam rem ipſam, quam Recentiores voce actus propria, & immediata libertate liberi exprimunt, illis damus. Quare controuerſiam iſtam tanti momenti non duco, quanti à quibuſdam haberi, incepta eſt. Nihilominus eam expedire oportet, tum vt rem ipſam ſecluſis vocibus veram eſſe oſtendamus, tum ne in alijs quæſtionibus de re, quæ ab hac loquendi ratione pendent, à vero diuertamur.

De mente Theologorum. P. Vaſquez. P. Torrez.

5. De mente Theologorum ſic cenſeo. Pater Vaſquez, & Torres perperam in ſententiam affirmantem, aut negantem adducuntur; nam vterque negat imperium efficax determinatum actus interni, quo poſito voluntas neceſſario eliciat actum internum imperatum, ſed totam motionem imperij indifferentem conſtituunt: cum negent, actum imperantem eſſe cauſam, aut quaſi cauſam determinantem voluntatis, ſed tantum applicantem intellectus ad conſiderandum motiua actus imperati. At præſens diſputatio ſupponit, actum efficaciter imperantem ita determinare voluntatem ad actum imperatum, vt eo poſito non poſſit cohiberi actus imperatus. Rurſus à Patre Hurtado contra Recentiores fruſtra refertur P. Salas cum alijs, qui negant, electionem vnici medij ſuppoſita intentione efficaci finis relinqui liberam. Nam Recentiores vltro fatentur, actum efficaciter imperatum non eſſe immediate liberum, cum actus efficaciter imperans neceſſarius eſt ad exiſtentiam actus imperati, qualiter intentio efficax finis ad electionem vnici medij requiritur. Melius obijcitur Pater Salas 1. 2. tract. 6. diſputatione 2. ſect. 6. num. 66. vbi manifeſte tradit, actui efficaciter imperato pro inſtanti determinato nullam conuenire propriam libertatem. P. Salas.

6. Deinde Pater Suarez proxime accedit ſententiæ Recentiorum, exploratus tamen aſſertor non eſt. Tum quia ad tribuendum meritum proprium actui imperato diſtinctum ab imperanti negat num. 11. imperium antecedens omnino determinatum, & efficax: id autem non negaret; ſi conſtanter tueretur, conuenire actui imperato propriam libertatem diſtinctam à libertate imperantis. Tum quia admiſſo eo imperio antecedenti, non ait, actum imperatum eſſe propria libertate liberum, ſicut eſſe dixerat eo remoto, ſed eſſe vere liberum eadem libertate actus imperantis, quod & nos fatemur. Quare num. 12. ad tuendum meritum actus imperati recurrit ad volitionem reflexam actus imperati, non antecedentem, ſed ſimultaneam cum actu imperato. Et num. 17. meritum electionis refert, aut in indifferentiam intentionis ad plura media, aut cum medij vnici eſt, in indifferentiam inſtantium temporis, in quibus poſita intentione poteſt voluntas eligere, & non eligere medium, aut cum medium in eodem inſtanti intentionis neceſſarium eſt, in libertatem intentionis, qua ſola electio ſufficienter libera eſt; quod & nos tuemur. Vnde Pater Suarez ſeorſim à Recentioribus cenſet, eamdem eſſe actus imperati, & electionis vnicæ neceſſariæ rationem. Neque alicubi aſſerit, actum antecedenter, & cum omnimoda con- P. Suarez.

Digitized by Google

nexione imperatum manere immediate,& propria libertate liberum. Igitur teſtimonium Patris Suarez pro ſententia Recentiorum dubium eſt. Patres Azor, Valentia, Coninck, Medina, & alij diſſerunt de electione formali vnici medij,& omnes apertiſſime aiunt, poſita intentione finis eſſe electionem omnino neceſſariam,& eo ſolum liberam, quo voluntas poteſt libere ab intentione ceſſare. Vnde ſola intentionis libertate liberam euidenter pronuntiant. Quod neſcio qua ratione à Recentioribus adducatur, cum ipſimet aſſererent, aliam eſſe electionis formalis, atque actus imperati rationem; quia electio formalis ſupponit per ſe intentionem finis. At hi autores ſolum agunt de electione formali, & eam ſola intentionis libertate liberam adſtruunt. Ergo ad libertatem propriam, & immediatam actus imperati diſtinctam à libertate imperantis importune accumulantur. Vnde neque in genere in ſententiam Recentiores vocandi ſunt, qui electionem vnici medij liberam eſſe ſentiunt: quoniam talem electionem liberam dicunt, aut ſolum quia intentionis libertate libera eſt, vt auctores præcitati, aut ſolum quia poſita efficaci intentione in voluntatis facultate eſt eligere medium in hoc inſtanti per electionem formalem, aut ſolum per electionem materialem, vt ego cenſui in libro de anima. Neque ei ſententiæ patrocinantur, qui in actu efficaciter imperato meritũ agnoſcunt à merito actus imperantis diſtinctum. Nã hi ad meritum diſtinctum non exigunt libertatem propriam, & diſtinctam, vt nos quoque id ſentimus, & cum Scoto, & eius diſcipulis actibus etiam externis, in quibus omnium Theologorum iudicio non reſidet propria libertas, meritum proprium, & à merito actus intrinſeci diſtinctum aſſignamus. Maneat igitur certum, ſententiam Recentiorum ſingularem eſſe, & nulla ratione oppoſitam longe, vt ipſi aiunt, autoritate ſuperare.

Cæteri Auctores.

SECTIO SECVNDA.

Imperium efficax omnino determinatum adimit propriam, & immediatam libertatem actui imperato.

Probatio. 7. PRobo. Actus immediate, & proxime liber requirit, vt omnia principia proxime, ac immediate antecedentia ſint indifferentia,& compoſſibilia cum carentia actus. Sed omnia principia immediate, & proxime antecedentia actum miſericordiæ efficaciter imperatum, non ſunt indifferentia, & compoſſibilia cum carentia actus. Ergo actus miſericordiæ efficaciter imperatus non eſt immediate, ac proxime liber. Conſequentia eſt bona. Minor probatur; quia actus imperans charitatis antecedit actum imperatum miſericordiæ, & non eſt indifferens ad omiſſionem actus miſericordiæ. Maior probatur, quia vbi aliquod ex principijs proxime antecedentibus eſt omnino determinatum, poteſtas proxime antecedens voluntatis, quæ ex omnibus principijs coaleſcit, non poteſt eſſe indifferens, ſed determinata. Quia vnicum principium ſufficit reliqua determinare, etiam ſi illud non ſit ex requiſitis ad actum; vt prædeterminatio ſufficeret ad tollendam indifferentiam voluntatis, quamuis non eſſet neceſſaria ad actum. Confirmatur; ſi intellectu cognoſcente indifferenter obiectum miſericordiæ, paratoque concurſu Dei ad actum miſericordiæ infunderet Deus voluntati imperium efficax charitatis, plane affectus miſericordiæ imperatus non fieret libere, ſed neceſſario. Tunc enim nullum eſſet diſcrimen inter Phyſicam prædeterminationem, & tale imperium; cum Phyſica determinatio deſtruat etiã libertatem concurrendo ſolum in genere cauſæ formalis. Ergo imperium charitatis immanenter productum etiam euertit libertatem immediatam actus imperati. Probatur conſequentia, quia imperium immanenter productum eadẽ vi determinat voluntatem, quã productum à ſolo Deo. Ergo ſi à ſolo Deo productum tolleret indifferentiam voluntatis, eamdem tollet à voluntate productum. Confirmatur ſecundo, libertate proxima magis liber eſt actus miſericordiæ non imperatus, quam imperatus, quandoquidem non imperatus nullum ſupponit principium antecedens, cum quo ſit incompoſſibilis eius carentia, vt ſupponit actus efficaciter imperatus. At maior hæc libertas actus non imperati non poteſt eſſe alia, quam actum imperatum efficaciter eſſe aliquo modo neceſſarium neceſſitate proxima voluntatis. Ergo actus efficaciter imperatus non manet immediate,& formaliter liber.

Confirmatur primo.

Secundo.

8. Reſpondent Recentiores, non obeſſe proximæ libertati actus imperati determinationem radicalem eiuſdem libertatis: quia talis determinatio non eſt antecedens, ſed conſequens: at imperium charitatis determinans actum miſericordiæ eſſe determinationem radicalem libertatis proximæ continentis actum miſericordiæ. Sed contra, libertas proxima ad actum miſericordiæ alia eſt à libertate proxima ad actum charitatis; principia enim continent diuerſa, alteraque ab altera ſeparabilis eſt. Vnde licet imperium charitatis ſit ſuppoſitio conſequens libertatem ad amandum Deum, cuius eſt exercitium: cæterum non eſt ſuppoſitio cõſequens libertatem ad miſerendum, cuius exercitium non eſt. Ergo libertas ad miſerendum deſtruitur tali imperio. Neque ſatisfacit, imperium charitatis eſſe determinationem radicalem libertatis proximæ ad miſerendum. Tum quia eo ſolum concluditur, actum miſerendi ſolum eſſe indifferentem in ea determinatione radicali, ſiquidem poſt illam determinationem nulla in voluntate relinquitur indifferentia ad actum miſericordiæ. Vt enim actus miſericordiæ non relinquatur immediate liber, ſufficit, aliquod ipſius principium antecedens eſſe determinatum. At actus imperans eſt principium determinatum actus imperati. Ergo non relinquitur immediata,& propria libertate liber, ſed ſola libertate mediata actus imperantis, & radicaliter determinata ad actum imperatum.

Euaſio Recentiorum.

Reuincitur.

Digitized by Google

imperatum. Tum quia imperium efficax charitatis non ſupponit per ſe indifferentiam proximam voluntatis ad actum miſericordiæ, prout requiritur, vt tale imperium ſit exercitium, & determinatio radicans. Nam indifferentia proxima ad actum miſericordiæ non eſt cauſa influens in actum imperantem charitatis, neque conditio præuie requiſita; nam talis indifferentia poteſt eſſe effectus imperij. Poteſt enim ab imperio efficaci charitatis applicari intellectus ad cognitionem obiecti conſtituentem indifferentiam voluntatis ad actum miſericordiæ, in eodemque inſtanti voluntas illum elicere. Tum denique non poteſt eſſe determinatio radicalis libertatis proximæ ad actum miſericordiæ id, quod tollit libertatem proximam ad illum. Imperium autem efficax tollit libertatem proximam ad actum miſericordiæ: cum per imperium illud tanquam per principium antecedens determinetur voluntas proxime ad actum miſericordiæ, ad quem non poteſt voluntas eſſe ſimul proxime, & antecedenter indifferens: quandoquidem determinatio antecedens imperium charitatis mediat inter voluntatem indifferentem, & actum miſericordiæ. Ergo talis determinatio radicalis potius obeſt, quam prodeſt libertati proximæ actus miſericordiæ imperati.

Ratio à priori.

9. A priori ratio ſit, quia vt ait Anſelmus lib. 2. cur Deus homo? c. 18. circa medium, *Eſt neceſsitas præcedens, quæ cauſa eſt, vt ſit res, & eſt neceſsitas ſequens, quam res facit. Præcedens, & efficiens neceſsitas eſt cælum volui; ſequens vero, & quæ nihil efficit, eſt, te ex neceſſitate loqui, quia loqueris.*) Vnde ſuppoſitio conſequens, cuius connexio indemnem relinquit libertatem, eſt effectus, ſeu quaſi effectus ipſius rei, hoc eſt, ipſius actus liberi, quia ab eius exiſtentia antecedenti dependet. At actus imperans non eſt effectus, ſeu quaſi effectus actus imperati, ſed potius eius principium. Ergo actus imperans non eſt ſuppoſitio conſequens, ſed potius antecedens. Itaque ſuppoſitio conſequens non dicitur, quia ſequatur libertatem in actu primo, ſed in actu ſecundo. Quoniam ipſa libertas in actu primo neceſſaria eſt, & extra poteſtatem voluntatis conſtituta, & ſola libertas in actu ſecundo contingens eſt, & in arbitrio voluntatis poſita. At actus imperans charitatis non ſequitur libertatem voluntatis in actu ſecundo miſericordiæ, quia neque eſt actus ab ea libertate elicitus, neque ab eius actu dependens, atque contingens. Ergo actus imperans charitatis non recte dicitur ſuppoſitio conſequens libertatis miſericordiæ.

SECTIO TERTIA.

Propoſitio, & explicatio argumentorum.

Explicatur primũ argumentum

10. OBijciunt Neoterici primo: Cum voluntas elicit actum miſericordiæ imperatum ab actu charitatis prius natura, quam eliciat actum charitatis habet proximam indifferentiam ad eliciendum, & non eliciendum actum miſericordiæ. Sed quælibet indifferentia proxima communicat propriam libertatem determinationi formali ſibi directe reſpondenti. Ergo indifferentia proxima ad actum miſericordiæ tribuit proximam libertatem actui miſericordiæ ipſam determinanti, etiam ſi imperatus ſit. Reſpondeo. Non præcedit indifferentia proxima ad actum miſericordiæ, cum exiſtit determinatio antecedens voluntatis per imperium efficax charitatis. Non ſicut indifferentia proxima ad actum miſericordiæ completur per carentiam Phyſicæ prædeterminationis, ita etiam impletur per carentiam imperij efficacis antecedenter determinantis. Hæc autem carentia minime poteſt exiſtere exiſtente imperio efficaci antecedenter determinanti voluntatem ad actum miſericordiæ.

11. Obijciunt ſecundo redarguendo ſolutionem ſuperioris argumenti. Sicut determinatur voluntas per imperium efficax antecedens ad actum imperatum; ſic determinatur per amorem obiecti ad omiſſionem odij, & per odium ad omiſſionem amoris. Atqui indifferentia proxima ad omittendum amorem non completur per excluſionem odij, neque indifferentia proxima ad omittendum odium completur per excluſionem amoris. Ergo nec indifferentia proxima voluntatis ad actum imperatum completur per excluſionem imperantis. Probatur minor. Si indifferentia proxima ad omittendum amorem compleretur per excluſionem odij, & è contra indifferentia proxima ad omittendum odium per excluſionem amoris, plane cum voluntas eſſet libera libertate contrarietatis ad omittendum amorem, & odium, mutuo ſe ſupponerent excluſio amoris, & excluſio odij. Hoc autem parum Philoſophicum eſt. Ergo indifferentia proxima ad omittendum amorem non completur per excluſionem odij, neque è contra indifferentia proxima ad omittendum odium per excluſionem amoris. Secundum.

12. Nego paritatem argumenti. Diſcrimen eſt; quod excluſio impedimenti auferibilis per cauſalitatem principij non debet præcedere natura cauſalitatem principij: quare corruptio formæ antiquæ non præcedit natura generationem nouæ, etiam ſi forma antiqua ſit incompoſſibilis in eadem materia cum forma noua, quia antiqua depellitur è ſubiecto per generationem formæ nouæ. At odium eſt impedimentum aufferibile per cauſalitatem indifferentiæ voluntatis ad amandum, & non amandum. Actus vero imperans non eſt impedimentum aufferibile per cauſalitatem indifferentiæ proximæ ad actum imperatum, & omiſſionem illius, cum nec actus imperatus, nec eius omiſſio cauſa ſint determinans excluſionem imperantis. Ergo quamuis excluſio odij non præcedat amorem, excluſio tamen actus imperantis debet præcedere actum imperatum. Aliud diſcrimen eſt, quod eſſe non poteſt actus imperans, quin eo ipſo ſit cauſa inducens actum imperatum. Soluitur.

Digitized by Google

Poteſt tamen eſſe amor obiecti in voluntate libera contrarietatis, quin ſit cauſa inducens omiſſionem odij. Nam poteſt omiſſio odij exiſtente amore induci aliunde, quam per amorẽ obiecti, ſcilicet per volũtatem pure omittentẽ, aut per voluntatem reflexam omiſſionis. Ideo poteſtas ad mittendum odium non deſiderat excluſionem amoris, ſed tantum præſciſionem, cum poteſtas ad actum imperatum deſideret excluſionem imperantis.

Vrgetur. 13. Sed vrget Neoterici. Amor eſt connexus ex ſe cum omiſſione odij tanquam cum aliquo neceſſario ad exiſtentiam obiecti amati. Nam ſi quis amet exiſtentiam actus miſericordiæ, neceſſarium eſt ad eius exiſtentiam remouere odium impediens illam. At amor efficax inducit neceſſario quicquid requiſitum eſt ad exiſtentiam obiecti amati: quare intentio efficax finis inducit neceſſario electionem vnici medij. Ergo non poteſt eſſe amor efficax obiecti, quin ſit cauſa determinans, ſeu inducens excluſionem odij. Reſpondeo. Amor efficax obiecti non inducit neceſſario quod requiſitum eſt ad exiſtentiam obiecti amati, quando aliunde res neceſſaria ad exiſtẽtiam obiecti amati independẽter ab ipſo amore obtinet exiſtentiam. Quare amor efficax actus miſericordiæ non inducit intellectum in conſiderationem, ſeu cognitionem obiecti miſericordiæ, quando talis obiecti conſideratio præcedit amorem imperãtem actus miſericordiæ. Conſequenter neque intentio efficax finis inducit neceſſario electionem medij vnici, niſi cum tale medium non præcedit exiſtens independenter ab amore, ſeu intentione finis. Igitur cum excluſio odij poſſit exiſtere independenter ab amore, aut per puram omiſſionem, aut per nolitionem reflexam, non eſt cur neceſſario amor efficax obiecti ſit cauſa inducens excluſionem odij, quamuis talis excluſio neceſſaria ſit ad exiſtentiam obiecti amati. *(Reſpondetur.)*

Confirmatur reſponſio. 14. Confirmatur hoc idem. Nam ſemper excluſio odij non eſt neceſſaria ad exiſtentiam obiecti amati: v.g. cum obiectum amatum extra poteſtatem amantis conſtitutum eſt, & eius exiſtentia odio amantis impediri non poteſt ex eo, quod non eſt actio aliqua immediate, aut mediate elicibilis ab ipſo amante. Quare tunc amor obiecti non poteſt determinare voluntatem neceſſario ad excluſionem odij ob neceſſitatem talis excluſionis ad exiſtentiam obiecti amati. Ergo neque determinat neceſſario voluntatem ad prædictam excluſionẽ odij, etiam quando obiectum pendet à facultate amantis, ſi aliunde, quam ab amore poteſt prouenire excluſio odij. Præterea, hoc argumentum parum conſentienter à Recentioribus opponi, cum ſentiant, voluntatem iuſti agentem actum charitatis per habitum infuſum prius omittere odium per puram omiſſionem, & poſterius decerni à Deo conſeruationem habitus, vt deinde amor Dei eliciatur per habitum. Nam ſi prior eſt omiſſio odij, quam amor Dei, plane omiſſio odij non poteſt in eo euentu induci per amorem Dei, ſed per virtutem immediate liberam voluntatis, aut per nolitionem amoris. Male igitur aſſeritur, amorem obiecti neceſſario eſſe principium determinans voluntatem ad omiſſionem odij.

15. Obijciunt denique tertio. Actus efficaciter imperatus eſt meritorius merito diſtincto à merito actus imperantis. Ergo etiam eſt liber libertate diſtincta à libertate imperantis. Reſpondeo. Meritum actus imperati non eſt diſtinctum adæquate à merito imperantis, ſed inadæquate dumtaxat. At vt meritum actus imperati ſit inadæquate diſtinctum à merito imperantis non requiritur diſtincta libertas. De quo vberius ſequentibus. *(Tertium.)*

SECTIO QVARTA.

An imperium efficax, & determinatum adimat actui imperato meritum ſibi proprium.

16. HAEc difficultas præcedenti annexa eſt. Prima ſententia docet, actum virtutis imperatum eumdem valorem meritorium retinere omnino ab imperanti diſtinctum quem ſine imperio haberet. Ita P. Suarez lib. 12. de Gratia c. 11. num. 11. & ſeq. Zumel 1. 2. quæſt. 114. art. 4. diſp. 2. notab. 2. & ſolut. ad 2. adducens pro hac ſententia Sanctum Thomam & Altiſiodorenſem. Accedit P. Salas 1. 2. tract. 6. diſp. 2. numero 66. Necnon P. Coninck 2. 2. diſputatione 27. numero 12. Secunda ſententia negat ineſſe actui efficaciter imperato meritum aliquod à merito actui imperantis diſtinctum, ſed totum eius meritum eſſe extrinſecum ab imperio, ſicut meritum actionis internæ omnino extrinſecum eſt. Ita communiter Recentiores, & alij, quos ſine nomine refert P. Salas ſupra. *(Prima ſententia. P. Suarez. Zumel. S. Thomas. P. Salas. Altiſiodorenſis. P. Coninck. Secunda ſententia. Recentiorum.)*

17. Noſtra ſententia ſit, meritum actus imperati eſſe diſtinctum à merito imperantis, non tamen adæquate, ſed inadæquate. Quæ media eſt inter duas ſententias prioris. Prima enim tribuit actui imperato, vt diſtincto ab imperanti tantum præmium gratiæ, & gloriæ, quantum reſponderet eidem non imperato. Secunda vero, omne tollit meritum ab actu imperato, ac ſi re ipſa elicitus non eſſet. Tertia tamen tribuit illi meritum, quamuis non ſeorſim ab actu imperanti, ſed ſimul cum illo. Ac proinde negat contra primam ſententiam, mereri perinde, ac ſi imperatus non eſſet; contra ſecundam vero, priuari merito perinde, ac ſi non eſſet elicitus: affirmatque, aliquid ſibi proprium reſpondere quod actui imperanti non donaretur, ſi imperatus re ipſa non fieret. Itaque duas partes continet noſtra ſententia. Prima eſt, in actu imperato eſſe aliquod meritum à merito actus imperantis diſtinctum. Secunda eſt, hoc meritum non eſſe adæquate ab actu imperante diſtinctum. *(Noſtrum iudicium.)*

18. Igitur aſſero primo. Actus imperatus ſuperaddit imperanti aliquod meritum ab ipſo diſtinctum. Et probo. Si peccator in vltimo vitæ diſcrimine, copia confeſſoris deſtitutus, *(Aſſertio prima. Prima ratio.)*

Digitized by Google

attendenſque, vrgere ſibi præceptum diligendi Deum ex affectu obediendi Deo, aut vitandi cruciatus æternos, imperet efficaciter dilectionem Dei, merebitur de congruo gratiam habitualem. Ergo in actu imperato exiſtit meritum ab imperanti diſtinctum. Conſequentia bona eſt; quia in actu obedientiæ, aut timore gehennæ præciſe non eſt vis efficaciter imperandi gratiam habitualem. Antecedens autem negari non poteſt; illud enim *Ego diligentes me diligo*, *Conuertimini ad me*, *&* *ego conuertar ad vos*, & alia mille eiuſdem teſtimonia faciunt in caſu antecedentis. Re enim vera illa dilectio, & conuerſio peccatoris eſſet efficax, & vera conuerſio; & licet non eſſet immediate libera, eſſet tamen libera abſolute, & moraliter loquendo, maioris longe æſtimationis, quam ſi eſſet immediate libera: maioris enim æſtimationis eſt quod quis non modo diligat amicum, ſed etiam eum diligat volens expreſſe, & in actu ſignificato diligere amando perſonam, & amorem ipſius amici. Si ergo amorem reflexe volitum homo prudens non ſperneret, cur Deum, illum contemnere, credendum eſt? Ego quidem affirmare non auſim.

Secunda. 19. Probatur ſecundo; pœnitentia, vel quæ virtus ex motiuo compenſationis pro peccato operatur, elicere poteſt actum efficacem circa ſuum obiectum, vtique circa exercitium aliarum virtutum, quibus pœnitentia Deo pro peccatis compenſat. Ergo actus virtutum ſupernaturalium efficaciter imperati, meritorij, & ſatisfactorij ſunt, etiam vt diſtincti ab imperanti. Antecedens videtur certum: tum quia reliquæ virtutes poſſunt elicere actus efficaces circa ſuum obiectum; tum quia compenſatio pro peccato ex miſericordia diuina conſtituta eſt in poteſtate voluntatis. Conſequentia probatur: quia nulla virtus, vtpote quæ prudenter regitur, poteſt per ſe loquendo velle efficaciter in compenſationem pro peccato actum alterius virtutis, qui compenſatio non ſit. At intentio efficax pœnitentiæ vult in compenſationem pro peccato actum charitatis efficaciter imperando. Ergo actus charitatis efficaciter imperatus compenſatorius, & meritorius eſt. Alias pœnitentia deſtruet ſuum proprium finē per intentionem efficacem, aptiuſque per inefficacem conſequitur; quod dici non poteſt.

Tertia. 20. Tertio probatur à priori; quia actus imperatus habet bonitatem moralem inadæquate diſtinctam ab imperanti. Ergo meritum cōtinet inadæquate diſtinctum, meritum enim annexum eſt bonitati morali. Antecedens probatur: quia actus charitatis imperatus ab intentione pœnitentię habet bonitatem formalem charitatis, diſtinctam à bonitate formali pœnitentiæ, cui bonitati, vt moralis ſit, ſolum reſtat libertas, quam actus charitatis imperatus participat formaliter ab actu imperanti: ergo actus charitatis ſimul cum actu imperanti pœnitentiæ conſtituit bonitatem formalem charitatis moralem, & meritoriam. Quod, vt clarius cernas, pone actum ſupernaturalem imperari efficaciter amore naturali (quod poſſibile oſtendi.) Tunc enim actus charitatis bonus formaliter bonitate intrinſeca, & liber libertate extrinſeca, eſſet meritum ad præmium ſupernaturale, quin ad illud nec in actu imperanti ſolum, nec ſolum in imperato eſſet proportio meriti, ſed in vtroque ſimul.

Illuſtratur. 21. Et quidem recte apprehendi bonitatem moralem, & meritum actus humani libertate mediata, conſtat manifeſte ex ſententia recentiorum nobis aduerſantium. Nam ad meritum actus charitatis non ſufficit, voluntatem efficere dilectionem Dei, ſed præterea requiritur, vnire illam ſibi: ſi enim voluntas efficeret qualitatem amoris non vnitam ſibi, (quod diuinitus poſſibile ſentiunt recentiores) plane voluntas non diligeret Deum, ac proinde nec mereretur per illam. At qualitatē amoris vniri voluntati non eſt immediate liberum voluntati, ſed tantum mediate. Prius enim, & immediatius eſt libera voluntati actio in qualitatem: deinde qualitas media actione, denique vnio media qualitate, ad quam ſequitur vnio neceſſario, ſicut actus imperatus ad imperantem. Ergo conſtitui poteſt meritum ſola libertate mediata. Ratio eſt, quia exercitium actus imperantis, & imperati non diſtinguitur moraliter, ſed tantum Phyſice; moraliter enim eodem conatu, ac determinatione fertur voluntas in vtrumque actum, vt fertur eadem determinatione in qualitatem, & vnionem. Ergo actus imperatus informari poteſt ad ſuum meritum moraliter libertate voluntatis.

Quarta. 22. Denique aſſertio poſita oſtenditur. Actionibus externis competit meritum ab internis diſtinctum. Ergo etiam actui interno efficaciter imperato reſpondet meritum ab imperante diſtinctum. Conſequētia optima eſt, nam actiones externæ ſunt eſſentialiter imperatæ, & libertate immediata deſtitutæ ſunt, ſicut actiones imperatæ internæ. Antecedens ſectione ſequenti firmabimus, vbi alias pro hac aſſertione rationes à priori, & à poſteriori adducemus.

Prima objectio. 23. Obijcitur primo. Actio exterior non eſt meritoria merito diſtincto ab actu interiori, ſolum quia non eſt immediate libera. Ergo neque actio imperata interior. In primis antecedens eſt falſum, vt videbimus ſect. ſeq. Deinde

Diluitur. cōſequentia eſt mala. Eſt enim diſcrimen inter actum externum, & internum. Quippe actus internus eſt formaliter honeſtus, & bonus ex reſpectu intrinſeco, quo fertur in honeſtatem obiectiuam propter ſe, tanquam in obiectum formale; ac proinde ſimul cū libertate extrinſeca actus imperantis poteſt conſtituere bonitatem moralem, quam meritum ſequatur. At vero actus exterior formalis honeſtatis, & bonitatis expers eſt, cū intrinſece nō reſpiciat finē honeſtū, & bonum; atque adeo etiam bonitatis moralis, atque meriti expers eſſe poteſt. Quare actio exterior non eſt aliena à merito, quia immediate non eſt libera, ſed quia intrinſece, & formaliter non eſt honeſtas, & bona.

Secunda. 24. Obijcitur ſecūdo. Actus miſericordiæ imperatus nō eſt moraliter bonus, vt diſtinctus ab actu charitatis imperante; ſiquidem vt ab eo diſtinctus non eſt liber, prout requiritur, vt

SECTIO QVINTA.

An idem ſentiendum ſit de merito actionis imperatæ externæ, quod de merito actionis imperatæ internæ?

29. QVamquam conſequentia facta ex nouo merito actionis imperatæ internæ ad nouum meritum actionis externæ recta non ſit, vt vidimus num. 23. tamen quia à nouo merito actionis externæ recte arguitur ad nouum meritum actionis imperatæ internæ, noſtraque ſententia, diu fuit actionem externam augere meritum actionis internæ, ideo, vt conſtantius ſtabiliretur meritum nouum actionis imperatæ internæ, quod ſectione antecedenti aſſertum eſt, libuit nunc, hanc diſputationem ſubnectere, & breuiter noſtrum in illa iudicium aperire. Ergo volumus, actione exteriori cæteris paribus plus gratiæ, & gloriæ mereri iuſtum, quam ſola actione interiori. Non quia actio exterior ſola meritoria ſit, ſed quia ſimul cum interiori maius meritum conſtituit, quam ſola interior actio conſtitueret. Sicut gratia habitualis ſecundum ſe meritoria non eſt; tamen actui interno virtutis coniuncta complet meritum condignum, quod ſoli actui interno ſeorſim à gratia non competit. Ita Scotus quodlibet. 18. art. 3. & omnes eius diſcipuli.

Noſtrum iudicium.

Scotus.

30. A priori ratio eſt. Quia meritum eſt obſequium cedens in honorem, aut commodum Principis, aut Reipublicæ valentis illud præmio compenſare, quare diſputatione decima quinta, ſectione prima diſtinxi, laudabilitatem operis à merito; quod laudabilitas ſumitur per conuenientiam operis cum dictamine ſuppoſiti operantis, meritum vero per conuenientiam operis cum honore, & bonis alterius. Sed actio exterior auget obſequium Dei, qua parte cedit meritum in honorem Dei, & cõmodum Reipublicæ rationalis, quam Deus moderatur, eſto non augeat illud, qua parte eſt actio moraliter bona. Ergo auget meritum in ratione meriti. Maior, & conſequentia conſtant. Probatur minor: quia actio exterior conducit maxime ad excitandum in alijs laudem, & cognitionem Dei, affectuſque internos virtutum, quę ſunt bona extrinſeca Dei, & Reipublicæ rationalis. Ergo actio exterior ſe ipſa immediatè conſtituit meritum, vt conducens in honorem Dei, & commodum Reipublicæ rationalis. Itaque vt augmẽtum gratiæ habitualis auget meritum, quamuis ipſa meritum non ſit, ſeorſimque ab ipſa actio interna ſit meritoria, quia per maiorem gratiã fit acceſſio maioris dignitatis perſonæ, quæ æ therogenee cum opere meritum dignum conſtituit, ſic actione exteriori augeſcet æ heterogenee meritum, qua parte efficit cum actione interiori vnum actum moralem bonum, magis cedentem in honorem Dei, & cõmodum Reipublicæ rationalis.

Ratio à priori.

31. Confirmatur; ſatisfactio noſtrorum operum augetur per actionem externam, vt fert communis Theologorum apud Patrem Suarez tom. 4. in 3. p. diuſput. 37. ſect. 5. & P. AEgidium de Sacramentis diſput. 10. num. 26. & alios; quia ſatisfactio eſt vindicta, & caſtigatio voluntaria culpæ, quam plus actionibus externis, quam ſolis internis caſtigamus. Quare in Tridentino dicitur nos ſatisfacere per ipſa flagella extrinſeca patienter tolerata, de quo vide dicta diſp. 15. ſect. 1. Ergo etiam meritum creſcit actione externa. Nam meritum eſt actio obſequij alterius, nempe Principis ſupremi, & Reipublicæ rationalis, quibus maius obſequiũ præſtatur, magiſque cõſulitur per actiones externas iunctas internis, quam per ſolas actiones internas. Conſequentia videtur manifeſta.

Confirmatio.

32. A poſteriori in eiuſdem probationem facit, pluribus peccatis externis, quæ alijs nociua, & ſcandaloſa ſunt, imponi ab Eccleſia excommunicationem, irregularitatem, & alias eiuſmodi pœnas, quas re ipſa non incurrunt, nec merentur, qui ſolo deſiderio peccant. Item pluribus operibus honeſtis conducentibus ad bonum commune ſtatui ab Eccleſia indulgentias, & priuilegia, & à Principibus ſæcularibus præmia, quæ non merentur, qui ſola voluntate exequuntur. Ergo ſimiliter poterat Deus actionibus externis conducentibus ad bona extrinſeca Dei, & Reipublicæ rationalis, iunctis cum internis eam gratiæ, & gloriæ portionem definire, quam ſolo affectu non mereamur. Quæ enim prudenter geruntur à Principe Eccleſiaſtico, & ſæculari in ordine ad bonum ſuæ Reipublicæ geri poſſunt à Deo in ordine ad bonum dignitatis, & Reipublicæ ſuæ. Cum hoc diſcrimine; quod Principes compenſant præmio actiones externas, quia internarum iudices non ſunt. Deus autem actiones etiam internas, quas intuetur clare, & à quibus externæ ſuam bonitatem, ac malitiam ſortiuntur. Vnde etiam meritum apud homines conſtituitur actione externa eſſentialiter, ſine qua ſimpliciter meritum non erit; apud Deum vero ſolum integraliter, nam ſine illa eſſe poteſt ſimpliciter meritum, ſed non tantum, quantum cum illa.

Ratio à poſteriori.

33. Tertio ſtabilitur eadem ſententia: Quia merito actionis externæ explicantur facile plura, quæ ſine illo ægre explicantur. Primum eſt, quare peccatum exterius neceſſario ſubijciendum eſt clauibus Eccleſiæ, & non ſufficiat ad Sacramentum pœnitentiæ confeſſio deſiderij interni ex ſe efficacis, in quo tota malitia conſiſtit? Item quare deſideranti efficaciter martyrium neget Deus Laureolam, quam ſine maiori merito interno concedit complenti opere externo martyrium? Tertio, quare Deus expectat præuiſionem intuitiuam paſſionis externę Chriſti re ipſa exhibitæ ad definiendum Prędeſtinatis dona ſupernaturalia; vt plura ſcripturæ teſtimonia ſuadent? & non ſufficeret intuitio ſolius deſiderij interni? Hæc inquam, & alia in contraria ſententia difficile explicantur. Si enim actio exterior nullam addit ſupra interiorem

Tertia probatio.

Digitized by Google

excitauit, & in partem negantem ſententiam tulit. Gauiſus tamen ſum, nullum ab eo denuò argumentum obijci, quod à me prius & obiectum, & dilutum non fuerit.

SECTIONES.

1. *Explicatur quæſtio.*
2. *Sententia affirmans probabilior eſt.*
3. *Expenduntur argumenta ſententiæ negantis.*

SECTIO PRIMA.

Explicatur quæſtio.

Quid actus indifferens.

1. NOn intelligimus actum ſecundum ſpeciem, & eſſentiam indifferentem, qui capax eſt ex fine extrinſeco fieri bonus, & malus, nam hac ratione ex ſuperioribus conſtat, actus ſupernaturales eſſe ſecundum ſpeciem indifferentes, cum diſputatione 50. oſtenderimus, fieri poſſe ex fine extrinſeco malos, & diſputatione 65. fieri poſſe extrinſece bonos. Eſt igitur actus ſecundum ſpeciem indifferens, qui ex obiecto formali ſibi intrinſeco neque moraliter bonus, neque moraliter malus eſt, quia eius obiectum formale ſola eſt commoditas naturæ à bonitate, & malitia morali, à conuenientia, & diſconuenientia rei cum dictamine rationis, aut cum natura rationali, prout rationalis eſt, omnino præſcindens. Ita actum naturalem indifferentem ſecundum ſpeciem definiunt communiter Theologi 1.2. quæſtione 18. art. 8. & 9. Quæritur ergo; an ſicut dantur affectus naturales, qui ex obiecto formali ſibi intrinſeco neque moraliter ſunt boni, neque mali, quippe reſpicientes intrinſece ſolam commoditatem naturæ à bonitate, & malitia morali præſcindentem, ita poſſibiles ſint diuinitus affectus entitate ſupernaturales, qui intrinſece neque bonitatem, neque malitiam ex ſuo obiecto formali hauriant?

Quotuplex poſſit eſſe indifferens ſupernaturalis.

2. Porrò hi affectus ſupernaturales ſecundum ſpeciem, & ex obiecto intrinſeco indifferentes bifariam poſſunt adſtrui. Primò eius conditionis, vt exigant ſecundum ſe ratione ſuæ excellentiæ in finem extrinſecum bonum referri, nullum finem in ſpecie determinando, ſicut aſſenſus fidei, licet ex obiecto bonus non ſit, poſtulat tamen ex affectu boni finis proficiſci. Secundo eius conditionis, vt ſecundum ſe eum finem non deſiderent, ſed connaturaliter abſque actu præuio ipſos imperante in finem bonum fieri queant, ſicut actus naturales ex obiecto intrinſeco indifferentes fieri poſſunt. Nulla enim harum conditionum actui ſecundum ſpeciem indifferenti ex conceptu ſuo repugnat. Nam vbi actus ex obiecto formali ſibi intrinſeco neque bonus, neque malus eſt, nihil refert quidquid illi extrinſecus adueniitе poteſt, vt indifferens ſecundum ſpeciem intrinſecam non ſit. Atque ita etiam ſi actum ſupernaturalem adſtruas exigentem intrinſece relationem extrinſecam alterius actus in bonum finem, potes illum adſtruere indifferentem ſecundum ſpeciem, ſi ex obiecto formali ſibi intrinſeco nulla ei bonitas, neque malitia moralis conueniat.

3. Dices; Eo ipſo quod actus poſtulet oriri ex affectu boni finis virtualiter, & æquiualenter reſpicit bonum finem. At reſpectus intrinſecus virtualis, & æquiualens in bonum finem ſufficit, vt actus ſit formaliter bonus, vt ſæpius aſſeruimus. Ergo non poteſt eſſe ſecundum ſpeciem indifferens, ſi exigat referri in bonum finem. Reſpondeo. Vt actus ex reſpectu virtuali alicuius honeſtatis ſit formaliter honeſtus, & bonus, requiritur, vt is reſpectus actui conueniat ex obiecto formali intrinſeco, quem formaliter reſpicit, nimirum quia obiectum formale intrinſecum virtualiter, & æquiualenter eſt honeſtas finis extrinſeci; eâque ratione diximus, odium malitiæ referri ad virtutem elicientem amoris bonitatis, & electionem mediorum ad virtutem intentionis finis, quia ex obiecto formali vnus actus eſt virtualiter alius. Cæterum cum actus exigit referri in bonum finem, non ex obiecto formali intrinſeco, ſed vel ex principio, à quo procedit, vel ex perfectione aliunde deſumpta, non ſufficit is reſpectus virtualis conſtituere actum ſub ſpecie morali virtutis ad quam pertinet actus imperans, & reſpiciens intrinſece finem. Sic aſſeruimus tr. de voluntate Dei, conuenire Deo plures affectus virtutum moralium, qui non pertineant ad charitatem, qua Deus ſe diligit, quamquam omnes affectus liberi Dei eſſentialiter ſupponant amorem naturæ diuinæ, quia affectus morales Dei non habent eſſentialiter manare ab amore naturæ diuinæ ex obiecto formali ſibi intrinſeco, ſed ex perfectione ſuppoſiti, à quo fiunt. Igitur vbi obiectum formale intrinſecum actus naturalis, & ſupernaturalis idem omnino eſt, nullamque tribuens actui naturali bonitatem, aut malitiam, neque exigens relationem in finem extrinſecum bonum, non erit actus ſupernaturalis intrinſece bonus, ſicut non eſt actus naturalis idem obiectum reſpiciens, quamuis ratione ſupernaturalitatis exigat referri extrinſece in finem bonum, quia hæc exigentia ei non ex obiecto formali intrinſeco, ſed vel ex principio, aut modo tendendi conuenit. Præterea licet exigentia intrinſeca relationis extrinſecæ in finem bonum determinatum charitatis, aut pœnitentiæ poſſet conſtituere actum bonum bonitate talis virtutis; tamen exigentia relationis extrinſece in bonum finem indeterminatum non apparet, quomodo poſſit conſtituere intrinſece bonum bonitate determinata virtutis.

Obiectio.

Solutio.

Digitized by Google

SECTIO SECVNDA.

Sententia affirmans probabilior eſt.

Prima probatio. 4. NOn repugnare affectum ſupernaturalem indifferentem ſecundum ſpeciem, ſuadibilius nobis eſt. Primo quia affectus indifferens ex obiecto formali, eſt indifferens ſecundum ſpeciem. Sed non repugnat affectus ſupernaturalis indifferens ex obiecto formali. Ergo non repugnat affectus ſupernaturalis indifferens ſecundum ſpeciem. Probatur minor; Affectus ſupernaturalis, vt vidimus diſputatione 45. non ſumit ſupernaturalitatem ex obiecto formali, nam poteſt eſſe actus ſupernaturalis cum obiecto formali naturali, ſumens ſupernaturalitatem ex modo tendendi, & principio efficienti. Ergo etiam poteſt eſſe ſupernaturalis cum obiecto formali indifferenti. Nam ſolo titulo ſupernaturalitatis poteſt exigi obiectum formale bonum. Titulo ſupernaturalitatis actus non exigitur obiectum formale ſupernaturale. Ergo neque bonum. Secundo. Secundo omnis bonitas ſupernaturalis poteſt mouere affectum ſupernaturalem. Sed poteſt eſſe bonitas motiua voluntatis, ſupernaturalis, & indifferens. Ergo bonitas indifferens poteſt mouere affectum ſupernaturalem voluntatis. Maior ex terminis eſt probabilis. Nam ſicut bonitas ſecundum ſe eſt amabilis, ita bonitas ſupernaturalis eſt amabilis amore ſupernaturali. Probatur minor; Poteſt quis appetere ſcientiam infuſam ſolum propter commodum ſciendi, dotes corporeas gloriæ, vbicationem definitiuam, & duplicatam circunſcriptiuam propter varia emolumenta naturæ ſentientis, in qua procul dubio ea dona conferre poſſunt. Ergo poteſt bonitas ſupernaturalis mouere indifferenter affectum voluntatis. Si dicas, tunc ea dona mouere ſecundum quod conueniunt cum commodis naturalibus. Contra eſt; commoditas ipſa, quæ in eis donis mouet voluntatem, eſt intrinſece ſupernaturalis, & excellens omnem facultatem naturæ, mouet enim ſecundum differentiam, & excellentiam eorum donorum propriam, qua in ratione commoditatis euehuntur ſupra commoda facultate naturæ poſſibilia. Ergo ea dona affectum commodi mouent, quâ ſupernaturalia ſunt.

Confirmatur. 5. Explicatur; ſtatuimus diſputatione 44. à ſectione 9. poſſibiles eſſe ſenſiones, & appetitiones ſupernaturales, necnon obiecta ſenſibilia, & appetibilia ſupernaturalia. Poteſt voluntas appetere eas delectationes ſenſibiles ſupernaturales, & obiecta, vt conuenientia eis delectationibus ſupernaturalibus, præſcindendo à conuenientia cum natura rationali, ſicut appetit delectationes naturales ſenſibiles ſecundum ſe indifferentes. Ergo obiecta ſupernaturalia prout indifferentia appeti poſſunt. Vrgetur amplius; Appetitiones ſupernaturales formaliter ſunt indifferentes, neque bonæ, neque malæ moraliter; quia non mouentur à ſuis obiectis, vt honeſtis, & conuenientibus rationi, quam non aſſequitur ſenſio materialis, quæ illas regulatur. Ergo affectus eis reſpondentes dari poſſunt in voluntate rationali ſimiliter indifferentes. Quidquid enim appetitum mouere poteſt, etiam poteſt mouere affectum ſimplicem, & efficacem voluntatis.

6. Tertio affectus doloris, atque triſtitiæ, quo dæmones torquentur ab igne corporeo inferni, eſt intrinſece ſupernaturalis; nam is affectus viribus totius naturæ eſt impoſſibilis, ideoque ignis ad eum virtute obedientiali eleuata à Deo concurrit. At is affectus ex obiecto formali neque eſt honeſtus, neque turpis; honeſtus non eſt, quia voluntas obſtinata dæmonis nulla honeſtate mouetur; turpis non eſt, quia non eſt turpe naturæ de tanto malo dolere, de quo etiam anima Chriſti, cui omnis turpis affectus repugnat; proculdubio doleret, quare & à Deo is affectus intenditur, cum Deus nullum affectum turpem intendat. Ergo affectus voluntatis intrinſece ſupernaturalis poteſt eſſe, qui ex obiecto formali intrinſeco neque honeſtus, neque turpis ſit, ac proinde ſecundum ſpeciem, & obiectum intrinſecum indifferens. Neque obſtat, eum affectum eſſe neceſſarium, & non liberum. Nam honeſtas, & turpitudo etiam affectibus neceſſariis communis eſt, odium enim Dei, quamuis neceſſarium, eſt turpe, & dilectio Dei quamuis neceſſaria, eſt honeſta; libertaſque affectibus voluntatis eſt extrinſeca à principio, & ſola honeſtas, & turpitudo deſumitur ex obiecto, & eſt eis intrinſeca. Ergo ſi poteſt eſſe affectus ſupernaturalis ex obiecto neque honeſtus, neque turpis poteſt eſſe ſecundum ſpeciem indifferens, eâ indifferentiæ ratione, de qua inter Theologos diſputatur. Siquidem indifferentia ſecundum ſpeciem non eſt aliud, quàm reſpectus eſſentialis actus ſupernaturalis in obiectum formale, quod neque bonum, neque malum moraliter ſit. Præterea inde poterit dari affectus liber ex obiecto neque bonus, neque malus, ſicut datur affectus neceſſarius; nam ex eodem motiuo, ex quo datur dolor ſupernaturalis de malo præſenti, poteſt dari odium liberum de malo futuro. Sed poteſt dari dolor ſupernaturalis de malo præſenti ex motiuo neque bono, neque malo. Ergo ſimiliter poterit dari odium liberum de malo futuro. Tertio.

7. Quarto. Poteſt cognitio ſupernaturalis referre immediate obiectum indifferens ſecundum commoditatem naturæ præſcindentem ab honeſto, & turpi. Ergo etiam poteſt affectus ſupernaturalis moueri immediate ex tali commoditate naturæ moraliter indifferenti. Antecedens negari non poteſt; nam ſcientia infuſa poteſt immediate, & in ſeipſis cognoſcere obiecta naturalia, vt naturam lapidis, naturam motus localis, & etiam obiecta ſupernaturalia, vt naturam gratiæ, & conditionem aliorum donorum ſupernaturalium naturæ hominis ſentienti congruentium; item poteſt hæc obiecta conceptibus inadæquatis attingere, quin omnia eorum prædicata quacunque cognitione comprehendat, vt dicebamus diſputatione 55. ſectione 5. & ſequenti. Ergo ſimiliter Quarto.

Digitized by Google

poterit immediate, & in ſe ipſa cognoſcere commoditatem naturæ, obiectis naturalibus, aut obiectis ſupernaturalibus conuenientem, conceptu quidem inadæquato præſcindente ab honeſtate, & conuenientia eorum cum natura rationali, quâ rationali. Iam prima conſequentia probatur. Tum quia idem obiectum, quod poteſt eſſe immediatum, & intrinſecum cognitioni ſupernaturali, poteſt etiam eſſe immediatum, & intrinſecum affectui ſupernaturali, cum ſupernaturalitas affectus maior non ſit, quàm ſupernaturalitas cognitionis. Tum quia nulla eſt cognitio ſupernaturalis, ex qua oriri non poſſit ſupernaturalis affectus, omnis enim cognitio motiua eſt voluntatis aut in amorem, aut in odium. At ex illa cognitione non poteſt oriri affectus, qui ſit bonus, aut malus moraliter, ſed ſolum indifferens, cum ſolùm referat commodum naturæ, & non bonum, aut malum moraliter. Ergo ex illa cognitione moueri poteſt affectus ſupernaturalis commoditatis naturæ ſecundum ſpeciem indifferens.

Quinta à paritate. 8. Denique probatur à paritate. Sunt poſſibiles plures modi ſupernaturales proprij naturæ corporeæ, & non rationalis, vt vbicatio definitiua corporis Chriſti, vnio hypoſtatica verbi cum lapide, aut ſaltem cum corpore Chriſti, actio productiua gratiæ procedens ab aqua, vnio indiuiſibilis materiæ, cùm duplici forma, creatio phyſica quantitatis, ſi hæc ab agente, & termino diſtinguitur, & alij innumeri ſimiles. Ergo etiam erunt poſſibiles affectus ſupernaturales, qui naturæ rationalis, quâ rationalis proprij non ſint. Non enim apparet diſcriminis ratio; præſertim cum ſuperiores modi etiam ſuam ſpeciem ſortiantur ab extremis mere naturalibus, & ſecundum ſe indifferentibus. Confirmatur; Sicut Deus poteſt eleuare calorem ad efficiendum frigus, & potentiam viſiuam ad intuendum vnica viſione obiecta, quæ ſuis viribus non poteſt videre, niſi pluribus; ita poteſt eleuare voluntatem ad amplectendum vnico affectu plura obiecta indifferentia, quæ naturali facultate non poteſt, niſi pluribus amplecti. At is affectus ſimul amplectens plurima commoda naturæ ſecundum ſe indifferentia, viribus naturæ impoſſibilis, & indigens eleuatione Dei eſſet intrinſece ſupernaturalis. Ergo non repugnat affectus intrinſece ſupernaturalis ex obiecto, & ſecundum ſpeciem indifferens. Accedit argumentum pro rerum poſſibilitate ſolemne; ſcilicet quia nulla adducitur repugnantiæ ratio, quæ facili negotio non diluatur, vt ſect. ſequenti videbimus.

Confirmatur.

Denique ex ſolutione implicantium.

SECTIO TERTIA.

Expenduntur argumenta ſententiæ negantis.

Opponit primo P. Suarez. 9. PAter Suarez 1.2.tr.3.diſp.9.ſect.2. num.4. cenſet repugnare actum ſupernaturalem ex obiecto, & ſecundum ſpeciem indifferentem. Mouetur primo, quia hæc eſt communis Theologorum exiſtimatio, qui ideo de hac re non diſſeruerunt, quia ſuppoſuerunt certum, nullum eſſe affectum ſupernaturalem ex obiecto indifferentem. Reſpondeo. In hac re nulla ſunt Theologorum ſuffragia cum nullus eorum hanc difficultatem attigerit. Neque credibile eſt, ideo hanc quæſtionem non mouiſſe, quia certam ſuppoſuerunt ſententiam negantem; tum quia argumenta noſtra ſatis oſtendunt, eius certitudinem tantam non eſſe, vt aliqua explicatione non indigeant; tum quia Theologi diſſerunt, an poſſit affectus ſupernaturalis fieri vitioſus in indiuiduo, an aſſenſus ſupernaturalis falſus; cur ſimiliter non diſſererent, an poſſit fieri ſecundum ſpeciem indifferens? Igitur ideo hanc diſputationem in controuerſiam non vocarunt, quia eis diſſerenda non occurrit; nam ſolùm occurrit diſſertatio de affectibus ſupernaturalibus communi, & frequenti prouidentiâ gratiæ elicitis, quos ſuppoſuerunt ſecundum ſpeciem moraliter bonos, quin in alios alio genere prouidentię poſſibiles cogitationem aduerterint.

Occurritur.

Secundo. 10. Secundò; omnis affectus ſupernaturalis indiget auxilio ſupernaturali gratiæ, & pendet à Deo ſpeciali autore. At auxilium ſupernaturale gratiæ, & concurſus Dei vt ſpecialis autoris ſolùm diſpenſatur ad actus moraliter bonos; quippe conducentes in ſalutem, qui moraliter boni ſunt. Ergo omnis affectus ſupernaturalis debet eſſe ex obiecto, & intrinſece bonus. Reſpondeo. Omnis affectus moraliter bonus in ſalutem conducens indiget auxilio gratiæ, & Deo ſpeciali autore; non verò è contra omnis affectus indigens auxilio gratiæ, & Deo ſpeciali autore eſt moraliter bonus. Prius ſolùm contenderunt Concilia, & Patres aduerſus Pellagianos, qui actus moraliter bonos, & conferentes in ſalutem tuebantur elicitos viribus naturæ ſine auxilio gratiæ; idque ſolum ſufficiebat ad expugnandam eorum doctrinam. De poſteriori nulla à Patribus, & Cõciliis diſputatio fuit. Quin oppoſitum videtur implicite aſſertum, cum in parte ſentienti hominis admiſerint Theologi actus ſupernaturales, vt diſput. 44. à ſect. 9. vidimus, quos tamen nullus fatetur ex honeſtate moueri. Deinde eſto id de facto verum ſit ordinariâ, & frequenti prouidentia Dei, quod ſolum complectitur doctrina Conciliorum, & Patrum; cur aliud genus actuum alio genere prouidentiæ impoſſibile eſt? quod noſtra contendit diſputatio. Præterea actus ex obiecto indifferentes poſſunt pertinere ad ſalutem conducentiâ intrinſeca remotâ, quæ ſufficiat ad exigendum auxilium ſupernaturale; vel quia ſuapte natura poſtulat oriri ex affectu ſupernaturali finis boni, vt dicebamus nu. 2. vel quia ſuapte natura habet mouere affectum ſupernaturalem bonum, quatenus voluntas affecta in commoda ſupernaturalia naturæ ſentientis allicitur in affectus bonos, quibus ea promeretur; vel quia procedit eſſentialiter ab habitu ſupernaturali, qui eſt connexus cum gratia iuſtificante, aut qui poteſt ſimul elicere actus moraliter bonos, & indiffe-

Reſpondetur.

Digitized by Google

rentes, ſiquidem idem habitus poteſt elicere actus reſpicientes obiecta formalia diuerſa, vt expendimus diſp. 45.

Tertiò. 11. Tertiò; omnis habitus ſupernaturalis eſt virtus, & nullus eſt indifferens. Ergo omnis actus ſupernaturalis eſt virtuoſus, & nullus indifferens. Satisfit. In primis de antecedenti plures dubitant, cum concedant habitus ſupernaturales in parte ſentienti, qui propriè virtutes eſſe non poſſunt, ſiquidem ex bono honeſto formaliter non mouentur; de quo nos lib. ſequenti. Deinde antecedens ſolum eſt verum de facto, non verò de poſſibili. Denique habitus ſupernaturales ſolum prouidentur ad actus frequentes, non vero ad eos, qui raro fiunt, ad quos Deus auxilio extrinſeco, aut cogitatione intrinſeca concurrit. Igitur cum aliqui ſint actus ſupernaturales, qui ſine habitu fiunt, poteſt componi, omnes habitus ſupernaturales eſſe virtutes, quin omnis affectus ſupernaturalis virtutis actus ſit, ſed per auxilium diuinum elicitus.

Quartò. 12. Quartò; ſi qui affectus ſupernaturales poſſunt eſſe ex obiecto indifferentes maximè ſpei, & fidei. Hi non ſunt ex obiecto indifferentes. Ergo nulli ſunt ex obiecto indifferentes. Solutio. Reſpondeo. Affectus ex obiecto indifferentes ſunt, qui mouentur ex commodo naturæ præſcindenti ab honeſto, & turpi. Affectus ſpei, & fidei non ſunt eiuſmodi, vt optime oſtendit P. Suarez. Atque ita alij præter eos affectus erunt poſſibiles ex obiecto indifferentes, vt noſtra probatione euicimus.

Quintò. 13. Quintò. Aſſenſus ſupernaturalis ſuapte natura eſt verus. Ergo affectus ſupernaturalis ſuapte natura eſt bonus, & non indifferens; nam ſicut veritas eſt proprietas aſſenſus, ita bonitas eſt proprietas affectus. Reijcitur. Nego conſequentiam; nam in aſſenſu intellectus inter veritatem, & falſitatem nullum eſt medium; cum igitur aſſenſus ſupernaturalis propter ſui perfectionem excludat imperfectionem falſitatis, ideo ſuapte natura debet induere veritatem. Cæterum in affectu voluntatis inter bonitatem, & malitiam datur affectio media, nempe indifferentia ſecundum ſpeciem, quam poteſt affectus voluntatis inducere, etiamſi propter ſui perfectionem, malitiæ imperfectionem reijciat. Præterea aſſenſus ſupernaturalis non eſt verus intrinſece, ſed extrinſece ab exiſtentia extrinſeca obiecti, quam exigit aſſenſus. Ergo etiam poterit affectus ſupernaturalis eſſe ſuapte natura bonus ſolùm extrinſece ex imperio reflexo, quod ſuapte natura exigit; quamuis re vera ſit indifferens intrinſece ex obiecto formali intrinſeco indifferenti, quod reſpicit.

Sextò. 14. Sextò; Actus ſupernaturalis non poteſt eſſe vitioſus. Actus indifferens poteſt ſuapte natura eſſe vitioſus. Ergo actus ſupernaturalis non poteſt eſſe indifferens. Occurritur. In primis nego maiorem; de quo ſatis diximus diſput. 50. Deinde nego minorem; nam actus voluntatis non eſt indifferens ſecundum ſpeciem, quod habeat indifferentiam poſitiuam, vt fiat bonus, & malus ab actu imperanti bono, & malo; ſed quòd reſpiciat obiectum formale intrinſecum, quod nullam ei confert honeſtatem, aut malitiam: nam actus bonus naturalis in nulla ſententia eſt indifferens ſecundum ſpeciem; tamen in grauiſſimorum Theologorum ſententia eſt indifferens, vt ab actu imperanti denominetur extrinſece bonus, & malus. Igitur quamuis actus ſupernaturalis ſuapte natura non poſſit oriri ex imperio turpi, ſed tantùm honeſto, poterit nihilominus eſſe intrinſece indifferens ſecundum ſpeciem, ſolùm quia obiectum formale intrinſecum nullam ei confert bonitatem, aut malitiam. De quo recole dicta ſectione 1.

15. Denique à priori; omnis affectus ſupernaturalis tendit in obiectum formale ſupernaturale. Postremo. Affectus tendens in obiectum formale ſupernaturale eſt ex obiecto bonus; nam ſupernaturalitas obiecti ſumitur, aut per conuenientiam ad finem ſupernaturalem, aut per conuenientiam cum natura rationali vt eleuata in eum finem; obiectum autem ſic conueniens moraliter bonum, & honeſtum eſt. Ergo omnis affectus ſupernaturalis eſt ex obiecto bonus. Explicatur. In primis maior non eſt vera, nam vt diſcuſſimus diſputatione 45. poteſt affectus ſupernaturalis moueri ex obiecto formali, non ſupernaturali, ſed naturali. Deinde minor non conſtat; nam, ſicut dicebamus diſput. 14. ſect. 5. vt affectus ſit ſupernaturalis ex obiecto, non requiritur, vt obiectum ſupernaturale formaliter, & explicite quâ ſupernaturale moueat voluntatem, ſed ſufficit, differentiam obiecti, quâ ſupra omnia naturalia effertur, mouere ſpecificatiue voluntatem ad amorem, aut odium. At naturæ commoditas propria donorum ſupernaturalium, & differens ab omni commoditate conſequibili viribus naturæ poteſt allicere affectum voluntatis indifferentem, vt obijciebamus num. 4. & 5. Neque aliter credo, affectus bonos ſupernaturales ex obiecto ſupernaturali moueri; quippe in ea vt formaliter, & explicite ſupernaturalia neutiquam afficiuntur, ſed ſolum ſpecificatiue in bonitatem ſupernaturalem, quæ omni naturali bonitate celſior eſt.

16. At rogas; An poſſit actus ſupernaturalis eſſe indifferens in indiuiduo. Reſpondeo. Non poteſt eſſe in ſententia, quæ id negat de actu naturali ſecundum ſpeciem indifferenti; poteſt tamen in ſententia, quæ id affirmat de actu naturali. Si vlterius roges, an actus indifferens ſecundum ſpeciem poſſit exiſtere in indiuiduo malus abſque fine extrinſeco bono, in ſententia, quæ negat actum naturalem indifferentem in indiuiduo. Reſpondeo. Non poteſt, ſi negetur vitiari poſſe affectum ſupernaturalem; poteſt vero, ſi id affirmetur poſſibile, quod nos affirmauimus diſp. 50.

Digitized by Google

DISPVTATIO SEPTVAGESIMA.

AN AFFECTVS SVPERNATVRALIS NECESSARIVS *ſit ad meritum vitæ æternæ?*

AFFECTVM ſupernaturalem intelligo deliberatum, & perfectum, quem auxilia gratiæ præueniunt; non indeliberatum, & imperfectum, qui inter auxilia gratiæ recenſentur. An igitur ſine affectu ſupernaturali deliberato, atque perfecto, meritum eſſe poſſit, præſenti examine ſubijcimus.

SECTIONES.

1. *Explicatio controuerſiæ, & opiniones.*
2. *Meritum puræ omiſſionis ex ſacris litteris.*
3. *Meritum puræ omiſſionis ex Patribus Eccleſiæ.*
4. *Idem meritum ex Theologicis rationibus.*
5. *Vberior probatio eiuſdem meriti.*
6. *Quomodo conueniat meritum omiſſioni?*
7. *Enodatio argumentorum ab authoritate.*
8. *Enodatio argumentorum à ratione.*
9. *Corollaria ex dictis.*

SECTIO PRIMA.

Explicatio controuerſiæ, & opiniones.

Prima notatio. 1. EX duplici capite poteſt non eſſe neceſſarius affectus ſupernaturalis ad meritum vitæ æternæ. Primò quia ſufficit affectus naturalis. Secundo quia ſine vllo affectu deliberato ſufficit pura omiſſio. Priori ſenſu non poſſe reijci affectum ſupernaturalem à merito vitæ ęternæ, conſtat ex diſputatione 15. 17. & 44. itaque ſolo poſteriori ſenſu quærimus, an ſine affectu ſupernaturali deliberato poſſit in pura omiſſione meritum inueniri?

Secunda. 2. At ſupponimus nunc poſſibilem omiſſionem liberam, qua ſcilicet voluntas potens elicere amorem, aut odium obiecti, nullo affectu poſitiuo incompoſſibili cum amore, aut odio talis obiecti cohibeat omnem affectum deliberatum circa illud. De hac igitur omiſſione libera peccandi diſputatio eſt, an poſſit abſque illo affectu ſupernaturali deliberato eſſe meritoria? verbi gratia, impellitur quis aliqua tentatione ſiue graui, ſiue leui ad actum intemperantiæ, & cohibet per puram omiſſionem talem actum, quin poſitiue diſſentiat per affectum ſupernaturalem temperantiæ, dubitamus, an tunc poſſit mereri apud Deum ſola omiſſione actus intemperantiæ?

3. Porrò in illa pura omiſſione interuenit interdum non ſolùm omiſſio conſenſus prohibiti, ſed etiam omiſſio diſſenſus oppoſiti; nam interdum fit cum libertate contrarietatis ad poſitiuum conſenſum, & diſſenſum, & pura omiſſio conſenſus tunc cõplectitur etiam cohibitionem diſſenſus. Meritum tamen in ea omiſſione non inquiritur, qua parte retrahitur voluntas à diſſenſu poſitiuo peccati, ſed qua parte retrahitur à conſenſu; nam nullus mereri poteſt quâ declinat à bono, ſed quâ fertur in bonum, vel declinat à malo. De ſola igitur omiſſione actus mali, non de omiſſione actus boni diſſeritur, an vitæ æternæ meritoria eſſe poſſit? Tertia.

4. Tota difficultas reuocatur in duo, quæ ad meritum vitæ æternę neceſſaria ſunt, & puræ omiſſioni repugnare videntur. Primum eſt, an pura omiſſio poſſit eſſę moraliter bona, cum non reſpiciat ex ſe obiectum formale bonum, prout requiritur ad bonitatem moralem? Secundum eſt, an poſſit eſſe ſupernaturalis, prout requiritur ad meritum vitæ æternæ, cum ex ſe omiſſio actus prohibiti tam naturalis ſit, quàm actus naturalis virtutis acquiſitæ contrariæ, in quo non reſidet meritum vitæ æternæ. Ferè omnes, qui negant puram omiſſionem meritoriam, mouentur ex primo capite, quia moraliter bona repugnat. Nonnulli tamen ex ſecundo capite relegant ab omiſſione meritum, quia ſupernaturalis eſſe non poteſt. Quarta.

5. Ergo, quia pura omiſſio moraliter bona eſſe non poteſt, negant, poſſe eſſe meritoriam, Altiſiodorenſis l.2. ſum. tract. 29. c. 2. quæſtione 1. ad ſecundum Durandus in ſecũdo Sententia negans. Altiſiodorenſis. Durand.

diſtinctione 31. quæſtione 2. ad ſecundum. Maior in tertio diſtinctione 38. quæſtione 1. Zumel 1. 2. quæſtione 114. art. 3. diſputat. 3. P. Suarez l. 12. de gratia c. 2. num. 5. P. Vaſquez 1. 2. diſp. 189. num. 123. P. Salas 1. 2. tom. 2. tract. 13. diſputatione 2. num. 140. & communiter recentiores. Quia vero ſupernaturalis eſſe non poteſt, quamuis poſſit eſſe moraliter bona, & reuera ſit meritoria præmij naturalis, negat meritoriam vitæ æternæ P. Didacus Ruiz de prouidentia diſput. 37. ſect. 2. num. 13.

Maior. Zumel. P. Suarez. P. Vaſquez. P. Salas. P. Ruiz.

Affirmantes. Angeſtus. P. Ruiz. Herrera. Lorca.

6. Affirmant vero puram omiſſionem moraliter bonam, & meritoriam, Angeſtus in moralibus c. 10. §. antepenultimo, & plures noſtræ Societatis Recentiores, & alij, quos ſuppreſſo nomine refert Zumel. Acceditque partim P. Didacus Ruiz, ſupra dum admittit, illam eſſe poſſe moraliter bonam; necnon Herrera 2. diſp. 30. c. 5. aſſerens, eſſe poſſe moraliter bonam, & meritoriam, dum adeſt incitamentum ad oppoſitum. Nec longe abeſt Lorca de act. hum. diſput. 29. dub. 3.

SECTIO SECVNDA.

Meritum puræ omiſſionis ex ſacris litteris.

Prima probatio.

7. NObis ſemper probabilior viſa eſt ſententia, quæ admittens poſſibilem puram omiſſionem liberam, docet, eſſe meritoriam. Quod probatur primo ex primo Petri 2. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius, qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius; qui cum male diceretur, non male dicebat, qui cum pateretur, non comminabatur.* En Chriſtus laudatur, & exemplar patientiæ, quod imitemur, proponitur, vt eius veſtigia ſequentes mereamur apud Deum; quia patiens iniurias, neque verbo, neque opere quidquam agebat in eos, qui illas inferebant. Ponamus igitur, iuſtum iniuriis laceſſitum nullo verbo, aut opere iniquo illas repellere, & cum maledicatur, non maledicere, & cum patiatur, non cōminari, omittentem omnem maleuolentiam in illas; plane hic iuſtus ſequitur veſtigia patientiæ Chriſti, & nullus cum poteſt arguere, quod à veſtigiis patientiæ Chriſti diſcedat. Ergo hic erit dignus laude, & merebitur apud Deum. Similiter Eccleſ. 31. Laudatur diues, *qui poſt aurum non abiit; qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit*; eique ſtatuitur præmium; *ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino.* Atqui libere peccatum commiſſionis auaritiæ omittit, poſt aurum non abit, potens tranſgredi, non tranſgreditur, potens facere malum, nōn facit. Ergo laude, atque præmio dignus eſt.

1. Petri 2. Eccleſ. 31.

Solutio prima. Redarguitur.

8. Reſpondent Recentiores, hæc non laudari, nec imitanda proponi ad meritum, niſi fiant per actum poſitiuum; quia debent fieri honeſte, & laudabiliter, quod ſine actu poſitiuo repugnat. Sed non ſatisfaciunt, nam quod argumento contenditur eſt, poſſe fieri honeſte, & laudabiliter, quamuis per omiſſionem fiant. Siquidem laudatur tanquam honeſte ſe gerens, qui libere poſt aurum non abit, qui potens tranſgredi, & malum facere non tranſgreditur, neque facit malum, qui paſſus iniurias, non maledicit, neque cōminatur. Qui autem ab his ſe abſtinet per liberam omiſſionem, vere, & proprie poſt aurum per auaritiam non abit, non tranſgreditur, non maledicit, non facit malum. Et argumentum inſto. Quia Iacobus clamat, *ſcienti bonum facere, & non facienti peccatum eſt illi;* male audit opinio eorum, qui admittentes poſſibilem puram omiſſionem actus præcepti volunt eam non eſſe peccatum, niſi actus præceptus deſeratur per actum poſitiuum, quia ſine actu poſitiuo nolunt eam omiſſionem eſſe liberam; in eoſque iactatur ab omnibus hoc teſtimonium, tanquam repugnans huic ſententiæ, quia vere qui potens efficere actum præceptum, non exequitur, ſciens bonum facere, non facit; eiſque reſpondentibus, id accipiendum de non faciente liberè, ac proinde per actum poſitiuum, redarguuntur, eo quidem teſtimonio, euinci non facientem bonum, cum poteſt facere, libere non facere, quia id à Iacobo dicitur peccatum; quin audiantur cum ſe tueantur ratione, qua puram omiſſionem ſine actu liberam reijciunt. Sed tam non facit malum, qui pure omittit malum, quàm non facit bonum, qui purè omittit bonum; & tam laudatur tanquam dignus præmio, qui potens facere malum, non facit, quàm vituperatur tanquam reus, qui potens bonum facere non facit. Ergo ſicut iure ſtando ſoli authoritati ſacrarum litterarum omitti actum præceptum à ſcienti, & potenti illum efficere, habetur peccatum, quin admittatur interpretatio de actu poſitiuo, ita omitti actum prohibitum haberi debet meritorium, & honeſtum. Vnde conſequenter hæc omiſſio debet colligi capax motiui honeſti; quod ad meritum, & bonitatem neceſſarium eſt; ſicut illa colligitur libera, prout requiritur ad peccatum. Par enim in omnibus eſt ex ſacris teſtimoniis illatio. Euidenſque mihi eſt, ſi noſtra teſtimonia patiuntur interpretationem de actu poſitiuo propter argumenta, quæ à ratione petuntur contra noſtram doctrinam, eamdem ferre poſſe teſtimonia obiecta cōtra omiſſionem actus præcepti, non demeritoriam, neque malam propter argumenta, quæ à ratione fiunt contra puram omiſſionem liberam. Igitur ſtando authoritati æqua probabilitatis lance penſanda eſt vtraque ſententia.

Iacobi 4.

Secunda ſolutio.

9. Reſpondent alij recentiores, noſtrum argumentum eſſe leuiſſimum, & diuinationem meram; quia ſacer textus omiſſionem mali non prædicat bonam, & meritoriam, ſed ſupponit, ſuppoſitaque omiſſionis bonitate, ſiue ad eam requiratur actus poſitiuus, ſiue non, eam quidem, quæ fuerit bona, imitandam proponit, & laudat. Quod ex duobus arguunt. Primo quia Eccleſ. 31. non eſt præciſe ſermo de tranſgreſſione præcepti negatiui, ſed de omnibus præceptis tam poſitiuis, quàm negatiuis. Qui autem

Digitized by Google

autem non tranſgreditur præceptum poſitiuum, proculdubio elicit actũ poſitiuum. Ergo non eſt ſermo de non trãſgreſſione per puram omiſſionem. Secundò quia etiam qui non abit poſt aurum, nec malum facit ex motiuo indifferenti; verè poſt aurum non abit, nec malum facit. Tamen hic non meretur. Ergo non eſt ſermo, de quocunque omittente malum, ſed de omittente, qui ſupponitur honeſte, & laudabiliter omittere. Sed adhuc leuitate huius ſolutionis non eleuatur argumentum. In primis inſiſto argumento facto ex teſtimonio Iacobi contra omiſſionem actus præcepti non liberam, ac proinde neque malam, neque demeritoriam, quo ipſimet vtuntur ad illam aſſerendam liberam, demeritoriam, & malam. Eo quidem teſtimonio non ſupponitur libera omiſſio ſcientis bonum facere, & non facientis, ſed aſſerta libertas continetur; alias inepte ex eo teſtimonio argueres ad probandum eam omiſſionem eſſe liberam, poſſet enim tibi reſponderi, ibi non aſſeri, ſed ſupponi liberam, & ſuppoſitâ omiſſionis libertate, ſiue ad eam actus poſitiuus neceſſarius ſit, ſiue non, eam quidem, quæ fuerit libera, decerni demeritoriam, & peccatum. Ergo ſimiliter noſtris teſtimoniis non ſupponitur vtcunque, ſed aſſeritur, omiſſionem liberam actus mali eſſe meritoriam, & honeſtam. Hoc mihi euidens eſt, dum præciſe ex ſacra autoritate arguimus. Præterea pone, aliquem tueri non eſſe moraliter bonum, neque laudabile nolle poſitiue vindictam ſumere, & tranſgredi præcepta, ſolùm ex motiuo vitandi peccatum, ſed neceſſarium eſſe motiuum poſitiuum honeſtatis virtutis; quis neget, eum poſſe falſitatis conuinci ex teſtimoniis à nobis oppoſitis? quia is, qui nolitione poſitiua ex motiuo vitandi malum, quamuis non ex motiuo proſequendi bonum, maledictus non maledicit, iniurias paſſus non cominatur, laceſſitus pulchritudine auri non abit poſt illud, potens tranſgredi non tranſgreditur, vero quidem & proprio ſenſu eis teſtimoniis conformatur. Ergo reuera eis teſtimoniis non ſolum ſupponitur, ſed aſſeritur moraliter bonum, quod laudabile, & meritorium prædicatur. Ergo etiam aſſeritur moraliter bonum, cum ex pura omiſſione libera, & non ex fine indifferenti, & turpi ab eiſdem ſe abſtinet, quandoquidem etiam is vere, & proprie eis teſtimoniis conformatur. Ratio à priori eſt; quia vbi de aliquo opere aſſeritur abſolute eſſe laudabile, ac meritorium, abſolute etiam aſſeritur de illo quidquid ad meritum, & laudem abſolute neceſſarium eſt, ſcilicet eſſe moraliter bonum; alias numquam poſſemus teſtimoniis ſacris arguere ex proprietate neceſſaria rei eſſentiam illius, neque bonitatem operum miſericordiæ ex merito, quod ſacræ litteræ illis adſcribunt, prout omnibus Theologis ſolemne eſt. Niſi igitur velimus euertere omnem vim arguendi ex ſacris litteris, admittendum eſt, non ex ſuppoſitione, & ſub cõditione, ſed abſolute aſſeri moraliter bonũ, quod abſolute aſſeritur laudabile, & meritorium.

Leuis eſt.

10. Neque obiectiones recentiorum momenti ſunt. Prima, qua recentiores exultant, & aiunt corruere totam vim argumenti, certe indicat, ab eis non captum argumentum. Non arguimus nos ex teſtimoniis oppoſitis omnem non tranſgreſſionem liberam eſſe per puram omiſſionem, ſed omnem non tranſgreſſionem liberam eſſe poſſe ex motiuo honeſto, & capacem meriti; Atque ita omnem non tranſgreſſionem liberam per puram omiſſionem; quæ ſub ea vniuerſali non tranſgreſſione libera continetur, eſſe poſſe moraliter honeſtam, & meritoriam. Ad quod nihil refert, aliquam non tranſgreſſionem ſub eis teſtimoniis contentam exigere actum poſitiuum; nam vt concludatur, puram omiſſionem liberam eſſe poſſe honeſtam, & meritoriam, ſufficit, omnem non tranſgreſſionem præcepti præſcindentis ab affirmanti, & neganti eſſe poſſe honeſtam, & meritoriam, ſiquidem ſub ea ratione continetur non tranſgreſſio præcepti negantis, quæ per puram omiſſionem contingit, ſicut non tranſgreſſio præcepti affirmantis, quæ contingit per actum poſitiuum. Secunda etiam leuis eſt. Nam cum ſacræ litteræ proponunt aliquid moraliter bonum, innuunt ſemper illud ex motiuo talis honeſtatis profectum moraliter eſſe bonum; quare ſi quis diceret miſereri pauperum ex motiuo formali miſericordiæ non eſſe bonum, repugnaret ſcripturis prædicantibus, miſericordiam eſſe bonam, licet ſcripturæ expreſſe nullibi affirment, motiuum eſſe debere propter honeſtatem miſericordiæ, quia id tanquam planum ſemper intelligi debet, ſicut dum commendant excellentiam diligendi Deum, ſemper intelligitur de dilectione, quæ mouetur ex bonitate Dei. Itaque regula generalis eſt, quotieſcunque laudatur exercitium libertatis in aliqua materia, ſimul decerni, in ea honeſtatem eſſe ſufficientem ad reddendum tale exercitium moraliter bonum, laudarique gerentem ſe in illa ex motiuo honeſtatis ipſius, aut etiam ex motiuo alterius honeſtatis, quæ alibi laudata eſt, vel manifeſte conſtat laudabilis. Igitur cum ſacra ſcriptura laudat omittentem libere malum, decernit, in ea omiſſione eſſe honeſtatẽ ſufficientem, ex qua moueatur voluntas, mouerique poſſe ex illa cum omittit, & ſic omittentem ſiſtendo in eo fine, & vi ex vlteriori fine prauo, aut indifferenti eſſe laudabile.

Coniectura recentiorum diluuntur.

11. Obijciet vlterius quis, à nobis inepte adduci ex 1. Petri 2. exemplum Chriſti ad puram omiſſionem meritoriam, quandoquidem Chriſtus non paſſus eſt iniurias, & ſe abſtinuit ab aculeis perſequentium ſolùm per puram omiſſionem. Reſpondeo. Etiam Chriſtus Dominus puræ omiſſionis liberæ capax erat, vt progreſſu oſtendemus; imo inde noſtram ſententiam fulciemus, quia in Chriſto nullum libertatis exercitium admitti debet non meritorium. Deinde Petrus non proponit imitandum exemplum Chriſti quoad omnia, ſed quoad omiſſionem patiendi abſque maledictione, & cõminatione, nam quoad omnia homini impoſſibile eſt; ideo *veſtigia, non rem,* ait ſanctus Thomas, *nos hortatur ſequi.* At

Vlterior obiectio.

Explicatur.

S. Thomas.

Tt 11

Digitized by Google

pura omiſſione veſtigia Chriſti ſequimur, hortamenta Petri ſectamur. Ergo ad meritum vitæ æternæ prodeſſe poteſt.

Secunda probatio.

12. Secundo probatur. Ex ſacris litteris colligitur, poſſe omiſſionem liberam actus prohibiti haberi ex motiuo honeſto, & ſupernaturali. Ergo etiam colligitur, eſſe poſſe honeſtam, ac ſupernaturalem, ac proinde meritoriam. Nam tota ratio negandi puram omiſſionem meritoriam eſt, quia negatur honeſta, & ex motiuo honeſto, ac ſupernaturali profecta. Antecedens probatur. Ex ſacris litteris omiſſio actus præcepti poteſt procedere ex motiuo delectabili. Ergo etiam omiſſio actus prohibiti ex motiuo honeſto. Nam tanta eſt repugnantia, vt voluntas omittat libere actum præceptum ex motiuo delectabili, quanta eſt, vt omittat actum prohibitum ex motiuo honeſto. Antecedens ſuadeo ex 1. Ioannis 2. (1. Ioan. 2.) *Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* Nam his verbis complectitur tria capita, quæ ad omnia mundi peccata cooperantur, vt notant ibi Dioniſius Carthuſianus, & Beda; necnon ſanctus Thomas 1. 2. quæſtione 77. art. 5. corp. vbi ex hoc teſtimonio ait; *inordinatus amor ſui eſt cauſa omnis peccati*; & ex eodem colligit, & defendit, omnia peccata in has radices reuocari, & ſub illis adæquatam contineri diuiſionem omnium peccatorum: quoniam ea etiam, quæ videntur conſiſtere in fuga laboris; minime contingunt ſine aliqua concupiſcentia inordinata boni delectabilis. Dicendum ergo eſt, vel diuiſionem Apoſtoli non fuiſſe adæquatam contra hos Patres; & communem Theologorum, vel nulla dari peccata etiam, quæ in omiſſione præcepti conſiſtunt, quin ex motiuo delectabili, & concupiſcentia inordinata contingant. Ad quod etiam iuuat illud pſalmi 79. (Pſal 79.) *ſuccenſa igne, & effoſſa ad increpationem vultus tui peribunt.* Quod ſic Auguſtinus (Auguſtinus) expendit; *Quare peccata igne ſuccenſa, & effoſſa? Omnia peccata duæ res faciunt in homine, cupiditas, & timor. Cogitate, diſcutite, interrogate corda veſtra; perſcrutamini conſcientias, videte vtrum poſſint eſſe peccata; niſi aut cupiendo, aut timendo.* Et poſt alia concludit; *ſicut omnia iuſta opera bono timore, & bono amore fiunt, ſic malo amore, & malo timore omnia peccata committuntur.* Eademque habet in pſalmum 58. *Succenſa igne ſunt, quæ facit male ardens cupiditas, & effoſſa ſunt, quæ facit male iacens timiditas. Hinc enim peccata omnia ſunt, aut cupiendo, aut timendo.* En nullum agnoſcit Auguſtinus peccatum, quod ex motiuo aliquo conſequendi bonum delectabile, aut vitandi malum nobis incommodum non exiſtat. Quam doctrinam etiam ſanxit in Enchiridio cap. 81. vbi cum, præmiſiſſet; *duabus ex cauſis peccamus, aut non videndo quid facere debeamus, aut non faciendo quod deberi fieri iam videmus*; quibus plane comprehenderat peccata omiſſionis, quæ fiunt *non faciendo quod debere fieri iam videmus*; vt ea vincantur, docet, neceſſarium eſſe auxilium gratiæ diuinæ, quod ſua delectatione ſuperet delectationes eorum, quæ nos prouocant in ea peccata: *Profecto vincimur, niſi diuinitus adiuuemur, vt non ſolum videamus, quid faciendum ſit, ſed etiam delectatio iuſtitiæ vincat in nobis earum rerum delectationes, quas vel habere cupiendo, vel amittere metuendo ſcientes; videnteſque peccamus, cum id non facimus, quod faciendum iam eſſe nouimus, vel facimus, quod non faciendum eſſe iam ſcimus.* Quibus ſatis exprimit, etiam omiſſionis peccata contingere ex delectatione, & cupiditate boni temporalis. Confirmat Proſper ſentent. 248. *Ad omne peccatum amor ducit, & timor mundi. Vt ergo apprehendatur bonum, & declinetur malum, diſcernendum eſt, quid & diligi debeat, & timeri.* En collationem noſtram; quia omne peccatum tam commiſſionis, quàm omiſſionis fit aut ex amore, aut ex timore mundi, ideo etiam vt declinetur peccatum, motiuum quærendum eſt, ex quo honeſte vitetur.

Explicatio.

13. Porro radices iſtæ generales peccatorum intelligendæ non ſunt eſſe affectus efficaces cupiditatis, aut timoris tollentes peccato omiſſionis, aut commiſſionis ſuam immediatam libertatem, & malitiam, ſed affectus ſolùm ſimplices boni delectabilis naturæ ſentienti connaturales, inclinanteſque illam ad amplectendum bonum delectabile, quamuis turpe, & refugiendum, moleſtum quamuis honeſtum: alioqui nullum eſſet peccatum etiam commiſſionis, quod ex ſententia Patrum non eſſet ex imperio efficaci alterius vitij, quod dicendum non eſt. Relicta igitur omiſſione actus præcepti libera poteſt concupiſcentia boni delectabilis ex mente Patrum cooperari ad omiſſionem, eamque ad bonum delectabile referre. Ergo ſimiliter poteſt affectus, ſiue concupiſcẽtia boni honeſti cooperari ad omiſſionẽ actus prohibiti, eamque referre in bonum honeſtum. In hoc enim nullum eſt diſcrimen; nam omiſſioni actus prohibiti non magis repugnat oriri ex affectu ſimplici boni honeſti, & illo referri in finem honeſtum, quàm omiſſioni actus præcepti oriri ex affectu boni delectabilis; illoque referri in finem delectabilem.

Tertia probatio.

14. Tertiò plenæ ſunt ſacræ paginæ teſtimoniis, quæ ſeruantibus mandata Dei promittunt vitam æternam, & eorum obſeruantiæ præmio prouocant homines ad cuſtodienda illa. Math. 19. (Math. 19.) *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Leuit. 18. (Leuit. 18.) *Cuſtodite leges meas, atque iudicia, quæ faciens homo viuet in eis.* Paralip. 22. (Paralip. 22.) *Tunc proficere poteris, ſi cuſtodieris mandata, & iudicia, quæ præcipit Dominus Moyſi* Pſal. 118. (Pſal. 118.) *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Item *retribue ſeruo tuo, viuifica me, & cuſtodiam ſermones tuos.* Rurſus, *veniat ſuper me miſericordia tua Domine; ſalutare tuum ſecundum eloquium tuum. In iudiciis tuis ſuperſperaui, & cuſtodiam legem tuam ſemper in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.* Aliaque innumera ſunt, quibus admonetur homo, in ſedula, & frequenti obedientia præceptorum Dei conſtitutum eſſe maius momentum meritorum ipſius ad conſequendum fælicitatem æternam, & promerendam miſericordiam Dei. At maior pars præ-

Digitized by Google

ceptorum Dei, & quæ frequentius, ac continuò obligat hominem, reuocatur ad præcepta negatiua, quæ per omiſſionem liberam adimplentur, vt decalogum diſcurrenti manifeſtum erit; nam præcepta poſitiua Dei raro nos adſtringunt, vt preceptum diligendi Deum, profitendi fidē, ſubueniendi extreme indigenti, & alia Ergo omiſſioni actus prohibiti promiſſa eſt à Deo vita ęterna. Nam promiſſiones, & ſollicitę admonitiones Dei intelligendæ non ſunt præcisè de obſeruantia præceptorum, quæ rarò hominem adſtringunt, ſed etiam de eorum obedientia, quæ continuò, & ſingulis horis, quoties animum aduertit ad bonum delectabile, illum cohibent ab amore illicito temporalium. Suppoſitâ autem poſſibili purâ omiſſione liberâ, quam hæc diſputatio ſupponit, poteſt homo integre his præceptis ſatisfacere per omiſſionem actuum, qui his legibus prohibentur. Ergo dum ea libere implet abſque prauo fine deturpante eius obedientiam, credendum eſt, per omiſſionem eorum actuum poſſe hominem promereri vitam ęternam.

SECTIO TERTIA.

Meritum puræ omiſſionis ex Patribus Eccleſiæ.

Proſper.

15. EX Patribus Eccleſiæ illuſtrari poteſt hæc doctrina. In primis illam tradit Proſper pluribus in locis. De vocatione gentium l. 2. c. 28. circa finem; *Ab ipſo donatur, ne intentione ſuperentur, vt qui gloriatur in Domino glorietur; ipſamque gloriam iiſdem, quibus eam imponit, adſcribit, vt quamuis auxilio Dei ſteterint, tamen quia in ſe habebant, vnde caderent, ipſorum ſit meritum, quòd ſteterunt.* Meritum docet eſſe, quòd ſteterunt. Hoc autem per omiſſionem peccati, in quod tentatione pellebantur, potuit contingere. Item ſententia 290. *Ipſa ratio docet, eam creaturam bonam eſſe, quæ in poteſtate habet illicitam delectationem ita cohibere, vt non ſolum de cæteris licitis, rectèque factis, verum etiam de ipſius prauæ delectationis coercitione lætetur.* Eſt igitur coercitio, & omiſſio conſenſus in delectationem peccati moraliter honeſta, reddenſque creaturam bonam, & obiectum, in quo merito ipſa lætari poſſit, atque adeo etiam meritoria. Rurſus epig. 77.

Dignus laude quidem eſt vitam ſine crimine ducens;
Et quæcumque ſibi ſunt nocitura cauens;
Sed non hoc pietas contenta eſt limite claudi.

Si omittere crimina, & nocitura cauere dignum laude eſt, & pietatis opus, proculdubio erit moraliter bonum, & pręmio dignum.

Fulgentius.

16. Accedit Fulgentius de incarnatione, & gratia cap. 19. poſt medium; *Libertas à peccato, quæ non ex humano arbitrio naſcitur, ſed gratuita Dei miſeratione confertur, in bona voluntate ſumit exordium; & fructum ſanctificationis in vita æterna plenum ſui ſortitur effectum.* Obſerua, liberari à peccato hominem per affectum gratiæ nobis infuſum, & fructum parere ſanctificationis in vitam æternam per ſuum meritum; quod homini ſe abſtinenti à peccato per omiſſionem liberam actus prohibiti quadrare, quis neget? Clarius Anſelmus tr. de concord. libert. cum præd. & grat. fine; *Homo habet in bonis, quòd mala non fecit; quia cum poſſet deſerere iuſtitiam, & mala facere non deſeruit, ſed ſeruauit per liberum arbitrium dante, & ſubſequente gratia.* Igitur inter hominis bona computari debet omiſſio malorum, & ſeruare iuſtitiam credendus eſt, cum adiutus gratia Dei mala non facit. Chryſoſtomus homil. in pſalmum 108. eiuſdem iudicij eſt explicans verba; *Bonitatem feciſti cum ſeruo tuo Domine*, cum ait; *Quam bonitatem inſudit bonis? Hæc eſt chriſtianorum bonitas, vt malum pro malo non reddant, & non ſe vindicent.* Cernis ad bonitatem moralem Chriſtianorum pertinere ipſam omiſſionem vindictæ, & mali. Item tom. 2. homil. 14. in c. 4. Math. poſt medium; Eſt igitur primum bonum nihil peccare; ſecundum vero poſt peccatum lugere. Bona igitur eſt homini omiſſio actus moraliter mali. Atque proinde etiam erit meritoria, cum ſolus defectus bonitatis poſſit illi detrahere meritum, vt ipſi aduerſarij teſtantur.

Anſelmus.

Chryſoſtomus. Pſal. 108.

SECTIO QVARTA.

Idem meritum ex Theologicis rationibus.

Prima.

17. PRima ſit. Præciſe ad non peccandum, cum adeſt voluntati facultas libera ad peccandum, requiritur à Conciliis, & Patribus gratia auxilians ſupernaturalis Dei. Ergo liberè non peccare poteſt eſſe meritorium. Hoc autem fit per puram omiſſionem peccati. Ergo pura omiſſio peccati poteſt eſſe meritoria. Antecedens conſtat ex Concilio Mileuitano can. 3. *Si quis dixerit gratiam Dei ad ſolam remiſſionem peccatorum valere, quæ iam cōmiſſa ſunt; non etiam ad adiutorium, vt non committantur, anathema ſit.* Item Concilium Arauſicanū ſecundum can. 9. *diuini muneris eſt, cùm recte cogitamus, & pedes noſtros ab iniuſtitia tenemus.* Ergo ad non cōmittendum peccata, ad tenendum pedes noſtros ab iniuſtitia, gratia Dei neceſſaria eſt. Quo pertinent ſanctiones eorumdem, & aliorum Conciliorum requirentium gratiam ad obſeruantiam mandatorum Dei; quæ continuo hominibus iniungitur; nam ea, vt expendebamus nu. 14. plene ſeruatur per abſtinentiam à peccato commiſſionis, quod præceptis negatiuis contradicit. Item illud Apoſtoli 2. Cor. 13. *Oramus autem ad Dominum ne quid faciatis mali.* Nam vt conſiderauit Auguſtinus epiſt. 95. clariſſime ſupponit Apoſtolus ad non faciendum malum Dei gratiam requiri; *Orat ergo, vt non peccent, hoc eſt, ne quid faciat mali, quod pro Corinthiis orat Apoſtolus. Vnde ſatis apparet quod ad non peccandum, id eſt, ad non malefaciendum, quamuis eſſe non dubitetur arbitrium, tamen eius poteſtas non ſufficiat, niſi adiuuetur infirmitas. Ipſa igitur oratio clariſſima eſt gratiæ teſtificatio.* Itaque

Concilium Mileuitanum.

Concilium Arauſicanum.

2. Cor. 13.

Auguſtinus.

ipſum omittere peccatum ex auxilio gratiæ proficiſcitur. Quod rurſus Auguſtinus confirmat de bono perſeueranti c. 7. *Neque niſi ad gratiam ſuam Deus voluit pertinere, vt homo non diſcedat ab eo.* Non ſolùm ad Deum poſitiue accedere, ſed etiam à Deo per omiſſionem peccati non recedere, gratiæ diuinæ deferendum eſt. Itemtidem Proſper lib. 1. de vocat. gent. cap. 8. *Vt vincantur peccata, non efficit niſi gratia ſaluatoris.* Prius c. 6. *Plena ſunt pagina veteris teſtamenti de Iſraelitica defectionis relatu, vt aperte appareat, diuina ſemper fuiſſe gratia, quòd non omnis ille populus diſceſſit à Domino.* Certum igitur ſit, etiam vt voluntas cohibeat peccatum, & à Domino non diſcedat, adiutorio diuinæ gratiæ deputandum. Quod erat antecedens noſtræ probationis.

Proſper.

18. Iam conſequentia probatur. Niſi ipſum libere non peccare eſſet homini ſalutare, non eſſet, quare ad non peccandum libere eſſet neceſſarium auxilium ſupernaturale gratiæ; nam ſi viribus naturæ competit homini libertas ad peccandum neceſſaria, eiſdem conuenire debet poteſtas ad non peccandum; libertas namque ad peccandum complectitur neceſſariò poteſtatem ad non peccandum, eſt enim eſſentialiter indifferentia ad duo extrema contradictoria, neque ſine poteſtate ad non peccandum apprehendi valet libertas, ſed omnimoda neceſſitas ad peccandum: id enim, quod vitari non poteſt, peccatum eſſe repugnat. Ergo non ad vitandum vtcunque, ſed ad vitandum ſalutariter peccatum, auxilium gratiæ requiritur. Vitari autem ſalutariter peccatum mereri eſt. Ergo quia in ipſa euitatione, & omiſſione peccati poteſt eſſe meritum, gratia diuina prouidetur. Neque ſatisfacir, quod quidam recentiores arbitrantur, requiri gratiam ad non peccandum, quia non peccare confert negatiue, tanquam remouens prohibens in vitã æternam. Tum quia ad hoc ſufficit ipſa omiſſio viribus naturæ poſſibilis annexa libertati naturali ad peccandum. Tum quia eo pacto etiam eſſet neceſſaria gratia diuina ad actum ſecundum ſpeciem indifferentem, per quem remoueri poteſt peccatum. Igitur quia ipſum libere non peccare poſitiue, & meritòrie poteſt conferre in ſalutem, & à Deo ex prouidentia ſupernaturali prouiſum eſt, vt quoties voluntas libere poſſit non peccare, poſſit quoque non peccando mereri, ideo auxilium gratiæ ad non peccandum exigitur. Libere autem non peccare poteſt contingere voluntati per puram omiſſionem. Ergo etiam meritum conuenire poteſt.

Euaſioni occurritur.

19. Dices, ideo dari gratiam ad liberè non peccandum, quia poteſt voluntas libero vitare peccatum per actum poſitiuum, in quo ſolo eſt meritum. Sed contra. Admiſſa pura omiſſione admitti debet caſus, in quo voluntas nequeat cohibere actum peccati per nolitionem reflexam poſitiuam; ſcilicet cum voluntati competit ſola libertas contradictionis, per cognitionem directam obiecti abſque reflexa cognitione amoris ſibi poſſibilis. Tunc enim poteſt non peccare ſalutariter per gratiã, quæ ad non peccandum ſalutariter ſemper adeſt, vt indicant teſtimonia adducta. Tamen tunc non poteſt actu poſitiuo non peccare. Ergo non prouidetur gratia ſolum ad non peccandum per actum poſitiuum. Præterea cum voluntas actum poſitiuum omittit, vere non peccat conformando ſe legi prohibenti Dei, & non contraueniendo alteri. At ad non peccandum præciſe abſque violatione alicuius legis diuinæ exigitur gratia. Ergo etiam tunc interuenit gratia, quæ ſalutare reddat liberum illud exercitium non peccandi.

20. Secunda probatio fit. Ex ſacra ſcriptura, Conciliis, ac Patribus habemus, non poſſe tentationi reſiſti, amoremque vetitum cohiberi abſque gratia ſpeciali per Chriſtum. Sed gratia ſpecialis per Chriſtum, vt etiam habetur ex Patribus, & Conciliis, neceſſaria eſt ad reſiſtentiam conducentem in ſalutem æternam. Ergo pura reſiſtentia, & cohibitio amoris prohibiti poteſt eſſe meritoria, & conducens in vitam æternam. Conſequentia bona eſt. Maior eſt communis ſententia Theologorum, & omnino certa; vt videre eſt apud Bellarm. 5. de gratia, & libero arbitrio cap. 8. & 9. Patrem Suarez lib. 1. de gratia cap. 24. à num. 8. & Patrem Vaſquez 1. 2. d. 189. & 190. Minor conſtat, tum quia Chriſtus non eſt mortuus vt homines eſſemus, ſed vt ſalui eſſemus; tum quia ex conducentia in vitam æternam probant Patres, & Concilia gratiam per Chriſtum aduerſus Pellagianos, & eius ſequaces. Vide Patrem Vaſquez d. 190. & 189.

Secunda.

21. Dices, non qualemcumque reſiſtentiam tentationis indigere gratia per Chriſtum, ſed eam ſolum, quæ fit per actum bonum poſitiuum. Contra; quia hoc gratis dicitur, & fundamentum non habet in Patribus, & Conciliis, neque Theologis antiquis, qui ſolùm excludunt gratiam per Chriſtum ab ea tentatione, quæ per peccatum ſuperatur, quia ea reſiſtentia non reputatur propriè reſiſtentia, & victoria dæmonis, cum aliunde illi ſuccumbat. Quare Theologi attingentes reſiſtentiam tentationis per puram omiſſionem expreſſe fatentur, etiam ad eiuſmodi reſiſtentiam neceſſariam eſſe gratiam per Chriſtum. Ita Pater Suarez ſupra num. 41. Pater Vaſquez diſputatione 189. num. 125. docens, neceſſitatem gratiæ ad reſiſtentiam tentationis intelligi debere de reſiſtentia per negationem conſenſus; Pater Molina in concor. diſputatione 19. P. Iannerus 1. 2. diſputatione 6. quæſt. 3. num. 96. P. Ruiz de prouid. diſputatione 37. num. 11. & Guillelmus de nubione in 2. diſtinctione 28. §. *quo ad tertium.* Ratio eſt, quia reuera dum homo impulſus ad peccandum cohibet peccatum, reſiſtit proprie tentationi impellenti ad peccatum, ſicut reſiſtit proprie, ac diſſentit gratiæ Dei mouenti ad actum præceptum, qui cum gratia Dei coniungit omiſſionem actus præcepti, & reſiſteret proprie voluntati efficaci Dei, qui cum ea coniungeret carentiam actus præfiniti per illam. Si igitur ad reſiſtentiam ſimpliciter tentationis requiritur gratia

Prima euaſio præcluditur.

per Chriſtum, etiam requiritur ad omiſſionem puram. Confirmatur; demus tentationem eſſe grauiſſimam, quæ moraliter reddat impoſſibilem omiſſionem amoris vetiti, ſicut actum poſitiuum oppoſitum. Hæc difficultas, & moralis impoſſibilitas cohibendi amorem vetitum per puram omiſſionem poteſt ſuperari aliquo auxilio Dei, ſicut poteſt difficultas, & moralis impoſſibilitas retrahendi eumdem amorem per actum poſitiuum oppoſitum. Non alio auxilio, quàm gratiæ diuinæ. Ergo auxilio gratiæ diuinæ poteſt voluntas cohibere vetitum amorem. Vlterius confirmatur; contingat euentus, in quo voluntas ſola libertate contradictionis ſit potens ad amandum obiectum prohibitum, impotens elicere odium amori repugnans, & nolitionem etiam reflexam ipſius amoris; quem euentum eſſe poſſibilem vidimus num. 19. Tunc voluntas laceſſita ad peccandum poteſt tentationi ſe prouocanti reniti. Renitatur ergo, ſi poteſt. Dicemuſne, illam victoriam ſolis naturæ viribus eſſe partam? Affirmare equidem non auſim. Conformius, ſane ſacris Canonibus, & doctrinæ Patrum negabimus. Ergo tunc vires gratiæ continent voluntatem ab amando prohibitam.

Reijcitur Recentiorum aſſertum.

22. Neque audire eſt recentiores, qui dicunt, eam omiſſionem vere non eſſe victoriam, quia in indiuiduo eſt moraliter mala, cum non ſit per actum poſitiuum in bonum finem relata, ſicut relatus eſſe debet actus poſitiuus ſecundum ſpeciem indifferens, vt in indiuiduo bonus ſit. Tum quia noſtro argumento contendimus, eam eſſe bonam, & non indigere affectu libero referente ipſam in finem bonum, ſiquidem ad illam cooperatur gratia voluntati. Tum quia ſufficit ipſum auxilium gratiæ proponentis honeſtum, & afficientis voluntatem in illud, vt in bonum finem relata ſit, ſicut explicabimus, & probabimus ſectione ſequenti. Tum quia eſto extrinſece mala ſit ea omiſſio ex defectu finis extrinſeci, intrinſece tamen mala non eſt, ſed conformis legi prohibenti amorem, quem fugat à voluntate. Poteſt autem auxilium gratiæ influere in opus extrinſece malum, vt in actum intrinſece ſupernaturalem relatum in finem turpem; de quo fuſe diſputatione 50. Tum quia in euentu poſito non obligat lex referendi omiſſionem in finem extrinſecum per amorem liberum reflexum ipſius; quandoquidem non eſt aduertentia talis legis, neque reflexa cognitio amoris, aut omiſſionis ipſius. Poterit igitur tunc gratia voluntatem iuuare ad victoriam tentationis.

Secunda euaſio.

23. Dices ſecundo cum grauiſſimis, & doctiſſimis recentioribus, nunquam re ipſa voluntatem reſiſtere vlli tentationi per puram omiſſionem, ſed per actum poſitiuum, imo puram omiſſionem vrgenti tentatione eſſe moraliter impoſſibilem; quia tota vis directa gratiæ diuinæ conatur ad actum poſitiuum renitendi, atque adeo ſub conditione, quod voluntas tentationi reſtitura ſit, non poteſt eligere reſiſtentiam negatiuam omiſſionis relictâ poſitiuâ actus contrarij. Sed contra, primo; quia illuſtratio, & affectio ſancta gratiæ poteſt directe mouere voluntatem ad omiſſionem, ſicut ad actum poſitiuum renitendi, vt oſtendemus ſectione ſequenti. Deinde quia poteſt contingere libertas contradictionis abſque poteſtate renitendi per actum poſitiuum, vt dicebamus nuper. Tertio quia ſuppoſita poſſibili omiſſione libera poteſt reddi virtute diuina facilis omiſſio etiam vrgenti tentatione, quia ea difficultas ſuperabilis eſt. At non alia virtute, niſi gratiæ. Ergo gratia diuina poteſt reddere facilem reſiſtentiam per puram omiſſionem. Quarto quia gratia diuina ex prouidentia ſupernaturali Dei non ſolum prouidetur ad ſuperandas graues tentationes, ſed etiam leues, vt docui tr. de gratia auxil. & docent plerique Theologorum, docebimuſque lib. 5. At cum tentatio leuis eſt, poteſt abſque morali impoſſibilitate contingere pura omiſſio, vel numquam ex natura rei illa contingit contra id, quod pręſens diſputatio ſupponit. Deniq; exiſtente impulſu gratię ad eliciendum actum præceptum poteſt homo illi diſſentire per omiſſionem eius actus, quamuis cogitatio; & delectatio obiecti turpis moueant voluntatem ad poſitiuum eius amorem. Ergo pari ratione poterit homo exiſtente impulſu tentationis diſſentire illi per omiſſionem actus prohibiti. Diſpar enim ratio non eſt.

Tertia euaſio.

24. Dices tertiò cum aliis, gratiam neceſſariam non eſſe ad reſiſtentiam leuis tentationis, ſed grauis, & vehementer vrgentis; at ad eius victoriã ſemper requiri actum poſitiuum, cum ad ſuperandam ingentem reſiſtentiam cõtrarij exigatur conatus validior victoris, qui non mere negatiuus, ſed poſitiuus eſſe debet. Contra; docuimus tr. de gratia auxil. oſtendemuſque lib. 5. gratiam ad vincendum tentationes neceſſariam non ſolum ad graues, ſed etiam ad omnes prouideri; tum quia apud ſacros ſcriptores, Concilia, ac Patres Eccleſiæ nullo facto diſcrimine ad omnes neceſſaria aſſeritur, tum quia ea non aſſeritur neceſſaria ad facile poſſe, ſed ad poſſe ſimpliciter, non ratione difficultatis, quam ſecum affert grauis tentatio, ſed ratione inſufficientię virium naturalium; quæ inſufficientia complectitur etiam victoriam leuis tentationis, quandoquidem eodem actu, ſeu exercitio libertatis poteſt grauis, & leuis tentatio frangi. Pręterea omiſſio actus prohibiti magis repugnans eſt cum actu prohibito, quàm actus poſitiuus oppoſitus; quæ enim maior repugnantia eſſe poteſt, quàm priuatiua, & contradictoria. Ergo vt fruſtretur effectu impulſus tentationis tam efficax eſt omiſſio, quàm actus oppoſitus; imo efficacior, & validior eſt, nã plures ſentiunt poſſe diuinitus componi amorẽ, & odium eiuſdem obiecti, nullus autẽ arbitratus eſt, poſſe componi omiſſionem, ſeu carentiam amoris cum ipſo amore, rem enim ſimul eſſe, & non eſſe implicite, principium eſt primum naturæ. Ergo vt tentatio frangatur, opus non eſt actu poſitiuo potius quàm omiſſione. Explicatur; dupliciter poteſt tentatio ſuperari. Primò eneruando vires, & impulſum ipſius in actu primo; vt eo pacto reducatur ad debilitatem

Digitized by Google

leuis tentationis. Secundò exiſtente vehementia, & vigore motionis in actu primo fruſtrando tentationem effectu, in quem voluntatem impellit. Actus poſitiuus oppoſitus actui prohibito non poteſt ſuperare tentationem primo modo magis, quàm pura omiſſio actus prohibiti, ſiquidem eſt actus ſecundus ſupponens motionem actus primi, & exiſtente tota vehementia tentationis poteſt fieri actus poſitiuus, quin motio in actu primo debilitetur per illum, hoc enim fieri ſolum poteſt per motionem gratiæ in actu primo, quæ æque eleuat vires tentationis ad omittendum actum prohibitum, quàm ad eliciendum actum oppoſitum. Secundo modo æque vincitur tentatio per omiſſionem, ac per actum oppoſitum, cum æque fruſtretur effectu per carentiam effectus, ac per alium effectum ipſi contrarium. Quid ergo confert vehementia tentationis, vt ad eam ſuperandam neceſſarius ſit actus poſitiuus potius, quàm omiſſio? Rurſus negari non poteſt æque poſſe roborari poteſtatem omiſſiuam voluntatis, ac poteſtatem actiuam; imo eiſdem viribus gratiæ fulcitur poteſtas omiſſiua amoris prohibiti, quibus poteſtas actiua odij contrarij. Ergo ſicut odium moraliter impoſſibile per vires gratiæ redditur moraliter poſſibile, eiſdem reddi poteſt moraliter poſſibilis omiſſio amoris. Demus, verbi gratia, exiſtenti leui tentatione voluntatem omittere actum prohibitum, & illico augeri vehementiam tentationis, qua omiſſio viribus naturæ moraliter poſſibilis reddatur moraliter impoſſibilis; aut viribus gratiæ non poteſt hæc omiſſio moraliter reddi poſſibilis, & permanere? Nam ſi adiunctis tunc viribus gratiæ redditur moraliter poſſibile odiſſe obiectum, etiam redditur moraliter poſſibile cum amare, quod facilius eſt. Imo poteſt componi voluntatem cohibere libere amorem continuando priorem omiſſionem, & elicere comitanter odium contrarium. Tunc autem illa omiſſio non redditur moraliter poſſibilis viribus naturæ. Ergo viribus gratiæ. Nec ſatisfacis, ſi dicas, indirectè ſolum, & non directe conferre vires gratiæ in eam omiſſionem. Nam vt videbimus ſectione ſequenti illuſtrationes intellectus, & affectiones voluntatis directè iuuant voluntatem ad omittendum. Ergo gratia, quæ ab illuſtratione intellectus, & affectione ſancta voluntatis indiſtincta eſt, poteſt etiam directe iuuare. Denique quia ſi poteſt voluntati competere libertas contradictionis abſque libertate contrarietatis ad amorem prohibitum; is euentus concedi debet, cum grauis tentatio oppugnat arbitrium, quando magis abſorbetur iudicium rationis ad reſpuendum obiectum delectabile, & viuidius aduertit ad illud proſequendum. Tunc autem voluntas non eſt deſtituta auxilio gratiæ ad reſiſtentiam tentationis, quæ tunc per actum contrarium poſitiuum impoſſibilis eſt, vt ſæpius diximus. Ergo gratia diuina prouidetur ad reſiſtentiam tentationis per puram omiſſionem. Addo, hoc minime negari à ſcriptoribus nobis aduerſantibus, quos recenſuimus num. 21. Quod mihi ſufficit ad probabilitatem meriti omiſſionis, quam ſolam nunc contendo.

Euaſio quarta frangitur.

25. Dices quartò, ad meritum vitæ æternæ requiri auxilium gratiæ intrinſece ſupernaturale; ad reſiſtentiam vero per puram omiſſionem prouideri à Deo auxilium gratiæ entitate naturale. Sed contra. Ad reſiſtentiam grauis tentationis requiritur auxilium gratiæ, quod Patres exigebant aduerſus Pellagianos, vt oſtendunt ſcriptores, quos retulimus num. 20. neque enim aliunde neceſſitas gratiæ ad victoriam tentationis concluditur. Hoc autem eſt intrinſece ſupernaturale, vt pleno calamo illuſtrabimus lib. 5. Ergo vel nulla gratia, vel intrinſece ſupernaturalis exigenda eſt ad omiſſionem fruſtrantem effectu tentationes. Confirmatur; Quamuis abſolute poſſet ſuperari tentatio per actum poſitiuum virtutis acquiſitæ intrinſece naturalis; tamen de facto ex prouidentia ſupernaturali Dei diſpenſatur ad victoriam tentationis per actum poſitiuum auxilium gratiæ intrinſece ſupernaturale. Ergo ſimiliter ex eadem prouidentia Dei prouidetur auxilium entitate ſupernaturale ad victoriam tentationis per puram omiſſionem, licet poſſet alio genere prouidentiæ contingere victoria per omiſſionem, & gratiam omnino naturalem. Quoniam idem fundamentum eſt ad gratiam ſupernaturalem in vno euentu, ac in alio, cum ſacræ litteræ, & Concilia, ac Patres Eccleſiæ ad omnem ſine diſcrimine reſiſtentiam requirant gratiam infuſam à Deo, & quæ tribuat ſimpliciter poſſe hominis voluntati.

Tertia ratio.

26. Tertia ratio Theologica ſit. Suppoſita poſſibili pura omiſſione admittenda eſt in Chriſto Domino, & beatis omiſſio libera. At ea omiſſio in Chriſto Domino, & beatis debet eſſe moraliter bona. Ergo poteſt eſſe pura omiſſio moraliter bona; ac proinde ex ſe impetratoria, ac meritoria. Conſequentia bona eſt. Minor videtur conſentanea excellentiæ ſanctitatis, qua Chriſtus Dominus, & beati operantur. Indecens enim videtur ſtatum beatificum, & vnionis hypoſtaticæ, vt exerceatur eorum libertas, quin honeſte, & conformiter ad rationem. Præſertim ſi nullum eſt in indiuiduo exercitium libertatis indifferens; nam in eis moraliter malum repugnat. Erit igitur moraliter bonum. Item eorum voluntas ad honeſtum determinata eſt. Ergo ſolum ex propoſitione, & affectu honeſtatis moueri poteſt ad omne libertatis exercitium. Maiorem igitur ſic probo. Chriſtus Dominus, & beati efficiunt plures actus abſque imperio efficaci reflexo: alioqui daretur proceſſo infinita actuum reflexe imperantium. Sed omiſſio actus imperantis in Chriſto, & beatis eſt libera. Ergo in Chriſto Domino, & beatis admittenda eſt omiſſio libera. Probatur minor; Chriſtus Dominus, & beati nullum efficiunt actũ, quem plene, ac perfecte non cognoſcant; ac proinde quem, ſi velint, non poſſint amare ratione ſuæ bonitatis. Ergo vbi non amant, omittunt libere amare, nempe potentes amare. Quid? ſi hoc argumentum contendas ad probandum

Digitized by Google

in Deo puram omiſſionem eorum actuum, quibus potuit reflexe amare, & imperare ſua decreta, conuincariſque eo ad ſectandum ſententiam complurium Recentiorum admittentium Deo poſſibilem puram omiſſionem, quam tuetur P. Albertinus to.1.princ.4.Theol.dub.2.num.9. Etenim in Deo manifeſtius eſt, libertatem diuinam exerceri non poſſe non honeſte, & conſentaneè ad rationem.

Vindicatur à reſponſione.

27. Dices, ſemper ac Chriſtus, & Beati efficiunt actus directos abſque imperio efficaci reflexo, efficere actum, quo nolint agere cũ imperio reflexo. Sed hoc gratis dicitur. Deinde fit argumentum, deteſtatio illa imperij reflexi poteit referri per alium actum in finem charitatis; nam Chriſtus Dominus, & Beati in priori natura, quo poſſunt illam operari callent perfecte bonitatem, & naturam eius actus, ac proinde expediti omnino ſunt ad illam amandum: impediri enim non poſſunt ad eius amorem per ipſam deteſtationem imperij poſteriorem, alioqui nec de potentia abſoluta poſſet ille actus amari à Chriſto Domino, & Beatis; quod dici non poteſt. Nec impediuntur per aliam deteſtationem imperij priorem, quia de ea ſecunda deteſtatione fieret idem argumentum. Ergo amorem efficacem eius actus omittunt libere; nempe expediti ad habendum illum. Cum igitur in Chriſto Domino, & Beatis non poſſit eſſe exercitium voluntatis liberæ, quod non ſit moraliter bonum, erit in illis omiſſio libera moraliter bona.

SECTIO QVINTA.

Vberior probatio eiuſdem meriti.

Conficitur. 28. POſtremam probationem, & eam à priori, ac mihi efficaciſſimam ad hũc ſyllogiſmũ reduco. Omiſſio libera actus prohibiti poteſt procedere ex cognitione, & affectu motiui honeſti. Sed omiſſio actus prohibiti procedens ex cognitione, & affectu motiui honeſti eſt honeſta, & meritoria. Ergo omiſſio libera poteſt eſſe honeſta, & meritoria. Conſequentia bona eſt, quia non eſt contra conditionem puræ omiſſionis cognitio intellectus, aut affectus voluntatis poſitiuæ inclinans in omiſſionem, dum relinquitur libertas immediata ad omittendum, ſed actus tantum imperans efficaciter omiſſionem, & impediens libertatem immediatam ad actum omiſſum. Igitur tota difficultas reuocatur in probationem vtriuſque præmiſſæ.

Maiori patet.

29. Maiorem probo; & inprimis quidem omiſſionem liberam actus prohibiti procedere poſſe ex cognitione motiui honeſti, vbi ſemel admittatur poſſibilis, habeo omnino certum; nec ſcio quomodo in eo offenderint Recentiores. Nam quæuis omiſſio libera voluntatis procedit ex cognitione boni conſequendi, aut mali fugiendi. Ergo omiſſio libera actus prohibiti poteſt procedere ex cognitione obiecti honeſti conſequendi, aut mali turpis fugiendi. Conſequentiam quis neget? Probatur antecedens omiſſio libera eſt voluntaria, liberum enim eſt ſpecies quædam voluntarij, ergo procedit ex cognitione obiecti: voluntarium enim eſt, *quod eſt à principio intrinſeco cognoſcente*, non ſolum ſpecificatiue, ſed etiam reduplicatiue, vt docet omnes Theologi. Alioqui actio, aut omiſſio voluntaria poſſet eſſe à principio intrinſeco cognoſcente, etiam quando principium non cognoſcit, quod eſſet paradoxum. Neque obſtat, omiſſionem eſſe meram carentiam actus, quia omiſſio, licet ſit carentia actus, procedit eo modo, quo eſt, à voluntate indifferenti, & etiam ab affectu efficaci imperanti. Ergo etiam poteſt procedere à cognitione.

30. Confirmatur, vt voluntas omittat libere actum neceſſaria eſt cognitio intellectus, vt autem ſit cognitio intellectus, non eſt neceſſaria omiſſio voluntatis. Ergo omiſſio procedens à voluntate pendet à priori à cognitione intellectus. Nam omiſſio libera voluntatis non comparatur cum cognitione intellectus concomitanter. Neque vt quid prius cognitione. Ergo comparatur vt quid poſterius, & procedẽs à cognitione. Vlterius confirmatur inter cognitionem intellectus, & omiſſionem liberam voluntatis exiſtit idem fundamentum cõſtituendi proceſſionem, & dependentiam à priori, quod interuenit inter reliqua principia, & ſuos effectus præſertim inter amorem, & cognitionem. Neque enim aliter agnoſcimus, animum excitari, ac moueri ad amorem obiecti ex cognitione niſi quia indiget cognitione ad amorem, quin indigeat amore ad cognitionem. Eodem igitur modo aſſerendum eſt, excitari, ac moueri ad omittendum libere actum ex cognitione intellectus: ſiquidem voluntas non omitteret libere amorem obiecti, niſi proponeretur malitia obiecti, aut bonitas omiſſionis. Si enim propoſita ſola bonitate obiecti voluntas neceſſario amplectitur obiectum; propoſita autem cum bonitate malitia, deſerit obiectum; quis non tribuat fugam obiecti repræſentationi malitiæ? Prima confirmatio. Secunda.

31. Rurſus confirmatur; voluntas impulſa graui tentatione ad conſenſum turpem non reſiſtit tentationi per omiſſionem conſenſus abſque gratia ſpeciali Dei collata per Chriſtũ. Ergo aliquem influxum habet gratia Dei in omiſſionem, & reſiſtentiam. Nam ſi gratia Dei non iuuat ad omiſſionem, & reſiſtentiam, fruſtra deſideraretur gratia Dei ad reſiſtendum. At hæc gratia ſpecialis Dei eſt illuſtratio ſpecialis intellectus. Ergo illuſtrationes intellectus iuuant voluntatem ad cohibendum conſenſum prohibitum: ac per conſequens ſunt principiũ cohibendi. Antecedens admittitur ab ſcriptoribus, quos retulimus num. 21. & probauimus ibidem. Præterea, demus, non donari gratiam per Chriſtum ad cohibendum actum voluntatis, in quem impellit tentatio: negari quidem non poteſt difficultatem moralem ſuſpendendi amorem obiecti contra impulſum tentationis ſuperari poſſe ſuperadditis viribus voluntati. At vires iſtas, quis alias eſſe credat, quam maiorem aliquam illuſtrationem intellectus, qua Tertia.

Digitized by Google

clarius, & efficacius proponatur malitia obiecti. Ergo ſemper cognitio mouet voluntatem ad omittendum. Nec valet dicere, vigente graui tentatione non poſſe omittere voluntatem actum prohibitum per puram omiſſionem; quia hanc diſputationem non habemus cum negantibus poſſibilem puram omiſſionem, ſed cum admittentibus illam, etiam in euentu grauis tentationis: nec modo antecedens examinamus, ſed conſequens. Præterquam quod illud oſtendimus num. 24.

Euaſio recentiorum.

32. Occurrerunt his noſtris probationibus ſapientiſſimi Recentiores dicentes, omiſſionem procedere quidem ex cognitione; verum non per ſe, & directe, ſed per accidens tantum permiſſiue, ac indirecte, quia cognitio directe ſolum mouet ad affectum poſitiuum, tamen quia non cogit voluntatem ad illam, ſinit voluntati omiſſionem affectus poſitiui.

Repellitur.

Sed contra, omiſſio libera per ſe, ac directe procedit à voluntate; nam per ſe, ac directe eſt voluntaria, & libera. Ergo etiam per ſe, ac directe procedit ex cognitione, ſine qua per ſe à voluntate eſſe non poteſt. Eſt enim principium per ſe requiſitum illud, ſine quo effectus eſſe non poteſt. Neque obeſt, cognitionem per ſe mouere ad affectum poſitiuum; quoniam poteſt effectus eſſe per ſe ab aliquo principio, quod per ſe ad eum effectum deſtinatum non eſt, quia effectus per ſe ſine illo eſſe non poteſt: ſicut poteſt principium per ſe influere in effectum, qui per ſe non exigit ab illo prodire, v.g. voluntas creandi quantitatem eſt principium per ſe quantitatis, quamuis quantitas per ſe non exigat creatione produci; item actio exterior per ſe non exigit procedere ab imperio ſupernaturali, tamen imperium ſupernaturale voluntatis per ſe mouet exequentem facultatem ad exteriorem actionem; quam efficaciter intendit. Similiter ergo poteſt effectus per ſe manare ab aliquo principio, quod per ſe in aliũ effectum inclinat. Et quidem error per ſe eſt ab intellectu, & malitia per ſe eſt à voluntate; quamuis neque intellectus per ſe in errorem, neque voluntas per ſe in malitiam inclinet. Igitur & omiſſio libera poteſt eſſe per ſe ex cognitione indifferenti obiecti, quamuis ipſa cognitio per ſe in affectum poſitiuum alliciat.

Confirmatur.

Confirmatur; omiſſio actus præcepti per ſe eſt à voluntate; nam omne peccatum per ſe à voluntate trahit originem. Non à voluntate ſecundum ſe, ſed vt cognoſcente bonum, & malum. Ergo ea omiſſio per ſe ducit originem ex cognitione. Ergo ſimiliter poteſt ſuum ortum ducere per ſe ex cognitione omiſſio actus prohibiti. Item ſi voluntas cohibeat actum præceptum ſuaſu diaboli, aut alterius hominis, tale peccatum per ſe refertur in talem ſuaſionem, quæ totam ſuam vim confert media cogitatione, & propoſitione boni, aut mali, quam excitat in intellectu. Ergo poteſt cogitatio intellectus tanquam principium per ſe conferre vim in omiſſionem. Rurſus confirmatur; omnis effectus, aut priuatio realis effectus eo modo, quo eſt contingens in rerum natura, ſuum habet principium per ſe, ſiquidem non eſt contingenter à ſe, ſed ab alio: qua ratione etiam deſtructio formæ per ſe eſt à ſuis contrarijs, & à Deo ſubtrahente concurſum in conſeruationem effectus. Ergo etiam omiſſio libera ſuum habet principium per ſe. Non aliud, quam voluntatem, vt illuſtratam cognitionem boni, & mali. Ergo ex cognitione boni, & mali exiſtit omiſſio per ſe.

Vlterior impugnatio Recentiorum.

33. Accedit, poſſe cognitionem mouere per ſe, ac directe in omiſſionem. Nam hoc iudicium, *Expedit mihi ad vitandum offenſam Dei, & gehẽnam ignis purè omittere amorem prohibitum*, quod mihi poſſibile eſt, directe ac per ſe mouet voluntatem ad omiſſionem amoris prohibiti; nam per ſe, ac directe mouet in exercitium voluntatis, quod poſitiue dictat conueniens. At poſitiue ſolũ dictat exercitium puræ omiſſionis, & ab exercitio voluntatis per actum poſitiuum præſcindit. Ergo directe, ac per ſe mouet voluntatem in puram omiſſionem. Idem arbitror, cum iudicium dictat ſub disiunctione expediens cauere peccatum, aut pure omittendo amorem, aut illum affectu poſitiuo contrario remouendo; nam hoc iudicium æqualiter dictat vtrumque ſub disiunctione; vis autem directe, ac per ſe motiua voluntatis refertur in exercitium, quod dictat. Ergo ſicut directe, ac per ſe mouet voluntatẽ in affectum poſitiuum contrarium amori prohibito, ſic mouet directe, ac per ſe in puram omiſſionem; cum vtrumque exercitium æqualiter ſit obiectum eius cognitionis, & ad finem præciſum vitandi offenſam Dei vtrumque æqualiter expediat. Illuſtratur; omnia ſacrarum litterarum præconia, Miniſtrorum Eccleſiæ voces, dictantis interni ſuaſiones in duo principia generatim contendunt, primum vt declinemus malum, ſecundum vt faciamus bonum, quæ complexus fuit Dauid Pſalm. 39. *Declina à malo, & fac bonum.* Pſ. 36.

At prius illud principium morale per ſe, ac directe etiam refertur in omiſſionem actus prohibiti, per quam vere declinamus malum; quare qui ſuaſionibus Euangelicis deponeret odiũ inimici per puram omiſſionem, proculdubio ea omiſſio directe referretur in illas; nec ſcio quomodo in Deum id directe referri poſſe, negari poſſit. Ergo cogitatio intellectus poteſt directe conferre motionem in puram omiſſionem. Similiter non ſolum dictamen practicum, ſed etiam cognitio modo ſpeculatiuo proponens malitiam amoris prohibiti auertit directe voluntatem ab illo non ſolum per nolitionem, ſed etiam per omiſſionem amoris. Nam ea cognitio directe ſolum mouet ad retrahendum voluntatem ab eo amore. At per omiſſionem vere retrahitur voluntas ab eo amore, quandoquidem contradictorie repugnat illi. Ergo cum voluntas poſſit immediate ſine affectu poſitiuo ad eam omiſſionem determinari, poterit id præſtare ex directa motione talis cognitionis. Hæc amplius conſtabunt numero trigeſimo ſexto, cum de motione directa affectus ſimplicis diſſeramus.

34. Præterea etiã ex affectu motiui honeſti procedere poſſe omiſſionem liberam facile cõſtare poteſt ex dictis. Si enim poteſt cognitio

intellectus allicere voluntatem ad omittendum, cur non poterit allicere etiam affectus ſimplex voluntatis? Nec video, quomodo cognitio voluntatem alliciat ad omittendum, niſi excitando in voluntate complacentiam honeſtatis, & diſplicentiam turpitudinis, imo non poteſt proponi obiectum indifferens, vt admittatur, & reſpuatur à voluntate, quin illico excitetur affectus complacentiæ, aut diſplicentiæ in obiecto. Nam hi affectus, ſeu motus voluntatis ſunt omnino neceſſarij, & extra poteſtatem liberam voluntatis, vt ipſo experimento compertum eſt, teſtaturque Tridentinum docens, eos affectus, cum honeſti ſunt, infundi nobis ſine nobis ſcilicet libere cooperantibus. Ergo ſimul cum cognitione indifferen i excitantur in voluntate. Confirmatur, auxilium ſpeciale requiſitum ad cohibendum actũ peccati, ad quem graui tentatione pulſamur, non ſolum eſt maior illuſtratio intellectus, ſed etiam vehementior affectus voluntatis, vt explicant communiter Theologi differentes de auxilijs gratiæ diuinæ. Ergo affectus voluntatis eſt principium iuuans voluntatem ad omittendum. Hanc neceſſitatem affectus ſimplicis voluntatis conſequutam ad cognitionem bonitatis, & malitiæ obiecti docui fuſe tract. de Gratia auxil. firmaboque fuſius ex profeſſo libro quinto.

Confirmatur.

Illuſtratur.

35. Illuſtratur; Affectus ſimplex voluntatis poteſt mouere ad exercitium poſitiuum libertatis. Ergo etiam ad negatiuum. Antecedens pono cum aduerſarijs, & oſtendimus diſp. 66.ſect.4. Conſequentiam probo. Si enim ex affectu placendi Deo mouetur voluntas ad eliciendum amorem Dei; cur non poterit etiam moueri ex affectu non diſplicẽdi Deo ad omittendum libere odium ipſius? Eodem enim modo inclinat affectus non diſplicẽdi Deo in non odium liberum Dei, quo affectus placendi in amorem liberum. Nam omnis affectus eſt pondus, & inclinatio voluntatis in ſuum obiectum; ergo ſicut poteſt voluntas amare Deum ex affectu placendi; ita poteſt non odio habere ex affectu non diſplicendi. Rurſus voluntas male affecta erga amorem obiecti, ſimpliciterque appetens fugam ipſius, præſto, ac facile deſiſtit ab amando obiectum; cum vi autem, ac difficultate proſequitur amore. Signum ergo eſt, affectum ſimplicem inclinare, ac mouere voluntatem in omiſſionem amoris.

Occurritur Recentioribus.

36. Vnde ruit ſapientiſſimorum Recentiorum doctrina, qui noſtram probationem eleuare tentauerunt, dicentes, affectiones voluntatis mere comitantes eſſe omiſſionis liberæ, & nulla ratione mouentes voluntatis ad illam. Nam ſuperiori probatione ſatis euincitur, poſſe voluntatem per affectus ſimplices, & inefficaces induci ad omittendum amorem prohibitum. Quod rurſus explicamus. Voluntas per diſplicentiam offenſæ Dei ſic afficitur hic, & nunc, vt reipſa non eſſet in voluntate omiſſio offenſæ, niſi præceſſiſſet talis diſplicentia, eſſet autem diſplicentia, quamuis non exiſteret omiſſio offenſæ. Ergo hic, & nunc omiſſio offenſæ, & illius diſplicentia mere comitantes non ſunt. Nam vt expoſuimus diſputatione 67. ſectione 3. id ſufficit, vt affectus ſimplex voluntatis poſſit imperare re ipſa exercitium aliquod libertatis. Vlterius; voluntas per affectum ſimplicem poteſt affici in finem vitandi offenſam Dei. Ergo videns, eum finem obtineri poſſe per puram omiſſionem, & per actum poſitiuum, ſicut poteſt moueri ex vi talis affectus ad actum poſitiuum contrarium, ſic poteſt moueri ad omiſſionem. Nam affectus finis mouet indifferenter ad electionem mediorum, quando finis determinate per vnicum medium conſequendus non eſt: quare affectus ſimplex amicitiæ diuinæ poteſt inducere voluntatem ad contritionem, quamuis per attritionem cum ſacramento poſſit iniri amicitia cum Deo. Sicut igitur affectus finis conſequibilis per duos actus poſitiuos poteſt eſſe principium re ipſa inducens voluntatem ad alterum eorum; ſic affectus finis conſequibilis per actum poſitiuum, & per puram omiſſionem inducere poterit voluntatem in omiſſionem. In eo enim nullum diſcrimen eſt. Neque iam locum habet doctrina, qua ſe muniunt Recentiores; nimirum affectum ſimplicem finis non mouere ad eius conſequutionem, niſi medio amore efficaci mediorum, aut finis. Tum quia voluntas affecta in finem conſequibilem per actum charitatis, aut pœnitentiæ poteſt immediate induci ad actum charitatis abſque amore efficaci reflexo, vt oſtendimus diſputatione 66. ſectione 3. Tum quia id ſolum eſt verum, quando media ſunt extrinſeca, & non actus ipſius voluntatis immediate conſtitui in poteſtate ipſius; qualiter etiam omiſſio libera conſtituta eſt. Denique demus, Deum poſſe præfinire efficaciter actus liberos, vt tract. de Prædeſtinatione poſſibile oſtendi. Poterit etiam præfinire efficaciter puram omiſſionem offenſæ. Ergo ſunt Deo media, quibus poſitis præuideat, voluntatem inducendam ad omittendum offenſam. At hæc media alia non ſunt, quam illuſtrationes intellectus, & affectus ſimplices voluntatis. Ergo eis tanquam principijs vti poteſt Deus ad puram omiſſionem. Explicatur; cum voluntas peccat omiſſione actus præcepti cupiens vitare moleſtiam ipſius, vere dicitur diſſentire motioni gratiæ, & conſentire motioni carnis, aut Dæmonis. Ergo affectio carnis, quæ illam auertit ab actu præcepto, contulit vim in eam omiſſionem. Similiter igitur potuit affectio ſanctæ pietatis vim conferre ad arcendam illam ab actu prohibito. Recole dicta ſectione 2. num. 12. En ſatis probabilem maiorem propoſitionem noſtri argumenti, in qua aduerſarij totum opus noſtræ probationis conſtituunt.

37. Iam minor illius probatur, ſcilicet omiſſionem actus prohibiti, quæ procedit ex cognitione, & affectu motiui honeſti, eſſe meritoriam, ac honeſtam: quod facilius perſuadetur. Omiſſio enim actus prohibiti eſt conformis rationi, & legi prohibenti Dei: aliunde ex motiuo honeſto, & abſque vlla circunſtantia vitioſa, vt ponimus; quid ergo illi deerit, vt ſit meritoria, & honeſta? Fingamus caſum, in

Minor argumentum

Digitized by Google

quo iuſtus magnis cruciatibus vrgeatur ad negandum publice fidem Catholicam, cernenſque offenſam in Deum, ex affectu quidem non diſplicendi Deo, non velit negare fidẽ Catholicam, eamque ob cauſam mortem ſubeat crudeliſſimam, quis neget, cum hominem maximum obſequium præſtitiſſe Deo, & magnâ compenſatione dignum? Credendum igitur eſt, omiſſionem peccati ex cognitione, & affectu motiui honeſti eſſe meritoriam, & honeſtam. Confirmatur: vt omiſſio referatur in finem honeſtum, ab eoque honeſtatem deſumat, ſufficiat, quod oriatur ex affectu finis honeſti. Neque aliter actus poſitiuus refertur extrinſece in finem honeſtum, ab eoque honeſtatem deſumit, quam procedendo ex affectu finis honeſti, vt explicuimus diſputatione 66. Ergo reuera omiſſio procedens ex affectu finis honeſti, reſpicit finem honeſtum; ſubindeque honeſta eſt, ac meritoria.

Totum aſſumptum confirmatur.

38. Aſſumptum noſtræ probationis confirmo ex communi hominum perſuaſione, qui omiſſionem liberam cuiuſque actionis arbitrantur, fines, & motiui eſſe capacem, ſiue ea per actum internum poſitiuum, ſiue per omiſſionem, & ſubſtractionem affectus interni imperantis contingat. Ideo motiua amico proponimus, vt deponat odia, vt deſiſtat ab actionibus ſibi indecoris, vt ſilentio contineat ſecreta, quæ vbi opere compleuerit, etiam ſi pura omiſſione contigerint, certo nobis perſuademus, eis motiuis inductum: quod ſi finem, & motiua ignoramus, prudenter eius finem, & motiua inquirimus, & rogamus. At ſi pura omiſſio motiui, & finis eſſet incapax, imprudenter crederemus, noſtris rationibus adductum eſſe ad remouendum affectum efficacem earum actionum, importune quæremus motiua, & fines omiſſionis earum; nam cum ex pura omiſſione affectus interni poſſit euenire omiſſio actionis externæ, ſi pura omiſſio affectus interni ex fine, & motiuo haberi nequit, quid illum interrogamus de motiuo, cum prompta poſſit eſſe reſponſio, ſe omiſiſſe opera externa ſine motiuo, quia ad omittendum illa non erat neceſſarium motiuum. Tamen videremus eum, qui reſponderet, ſe nullo motiuo, & fine deſtitiſſe ab operibus externis in libera ipſius poteſtate conſtitutis. Certa igitur, & naturalis hominum perſuaſio eſt, omne voluntatis exercitium, etiam quod in omiſſione conſiſtit, abſque motiuo, & fine contingere non poſſe. Quo opportune venit illud Lucæ 19. dictum ſeruo pigro; *Quare non dediſti pecuniam meam ad menſam, vt ego veniens vtique cum vſuris exegiſſem illam?* Reprehenditur enim ſeruus propter omiſſionem, ab eoque inquiritur motiuum, & cauſa, quare illam habuerit, ſupponendo quidem, omiſſionem ex motiuo, & cauſa ortum habuiſſe, alias enim potuiſſet reſpondere, vt quid rogaretur de motiuo ad omittendum, cum ad omittendum non exigatur motiuum. Quæ interrogatio frequens eſt inter homines prudentes etiam in ſenſu inquirente motiuum. Signum igitur eſt, etiam omiſſionem liberam creaturæ rationalis ex motiuo contingere. Accedit alia confirmatio ex frequenti hominum conceptione, qui alios plerumque laudant propter omiſſam vindictam, gratias agunt propter moleſtias, quæ ſibi fieri poterant, libere prætermiſſas, dona rependunt, quod debita iure non exigant, aliaque huiuſmodi faciant, quæ in mera omiſſione conſiſtunt. Hæc enim omnia eo laudantur, & prætio habentur, quod animum internum ſignificent beneuolentiæ affectum, & ex eo affectu has omiſſiones proficiſci, quamquam ſine affectu efficaci interno euenire queant. Neque enim is affectus efficax nobis perſuadendus eſt, vt laudibus, gratiarum actione, & remuneratione perſoluamus, cum tamen oporteat credere, non eſſe ex prauo fine, & maleuolentia profectas. Ergo hominum communis perſuaſio eſt, omiſſiones eſſe honeſtatis, & laudabilitatis capaces. Neque hæc doctrina diſſonat Sancto Thomæ. Nam 1. 2. quæſtione 1. ar. 2. probat agere propter finem eſſe proprium creaturæ rationalis, quia eius proprium eſt arbitrium liberum, cuius exercitium determinari non poteſt, niſi propter finem. Ergo cum omiſſio libera ſit exercitium libertatis, propter finem eſſe debet. Item quæſtione 71. artic. 5. corp. ait. *Quod aliquis declinet ad non faciendum illud, quod poteſt facere, & non facere, non eſt, niſi ex aliqua cauſa, vel occaſione coniuncta, vel praecedente.* Differit de peccato puræ omiſsionis, ad quod exigit aliquam cauſam, ſeu motiuum determinans exercitium libertatis. Ergo ſimiliter non agnoſcit omiſsionem actus prohibiti liberam abſque motiuo, & fine, propter quem habeatur. Sufficiant hæc ad probabilitatem meriti puræ omiſsionis, quam ſolam noſtra diſputatione proponere, & euincere contendimus.

Luc. 19.

SECTIO SEXTA.

Quomodo conueniat meritum omiſſioni?

39. HVcuſque explicuimus, poſſe euenire meritum puræ omiſsioni. Nunc explicandum, quomodo conueniat, an ſcilicet intrinſece, an extrinſece? & quo diſcrimine ab actu poſitiuo interno, & externo? In quo tria explicanda ſunt ad meritum vitæ æternæ neceſſaria, nempe libertas, honeſtas, & ſupernaturalitas omiſsionis, quæ comparantur inter ſe tanquam prædicatum ſuperius, & inferius.

40. Primo quidem libertas in actu ſecundo non eſt adæquate intrinſeca omiſsioni ſecundum ſe; quia eadem omiſsio, quæ eſt libera, potuit eſſe neceſſaria, & è contra; quod probaui libro de anima. Neque eſt adæquate extrinſeca; quia voluntas non poteſt exercere libere in actu ſecundo abſque actione poſitiua, niſi per omiſsionem actus, ad quam eſt indifferens libertas contradictionis. Atque ideo erit partim intrinſeca, partim extrinſeca, quia exercitium liberum voluntatis pure omittentis includit partim omiſsionem actus, partim indif-

Libertas omiſsionis.

Digitized by Google

ferentiam principij, quibus ſolum exercetur libertas non agendi.

41. Hinc omiſſio libera conuenit cum actu interno, & externo quoad libertatem extrinſecam. Sed diſtinguitur ab interno, quod internus vt procedens à voluntate eſt liber, & neceſſarius: quia etiam neceſſarius procedit à voluntate. Omiſſio vero vt procedens à voluntate non eſt neceſſaria, ſed ſemper libera, quia omiſſio neceſſaria non eſt à voluntate, ſed ab extrinſeco defectu poteſtatis ad actum oppoſitum. Diſtinguitur ab actione externa, quod libertas in actu ſecundo eſt adæquate extrinſeca actioni externæ: quia libertas voluntatis non exercitu magis exiſtenti actione externa, quam non exiſtenti; exercetur tamen exiſtenti omiſſione.

Honeſtas. 42. Secundo etiam honeſtas moralis non eſt adæquate intrinſeca omiſſioni actus prohibiti conſideratæ ſecundum ſe: quia eadem omiſſio, quæ eſt honeſta ex motiuo honeſto, potuit eſſe turpis ex motiuo turpi: ideoque honeſtas moralis includit aliquid aliud præter omiſſionem actus prohibiti. Neque eſt adæquate extrinſeca; quia ad honeſtatem moralem non ſufficiat indifferentia voluntatis, neque cognitio, & affectus motiui honeſti, ex quibus omiſſio trahit originem; nam hæc omnia conueniunt voluntati abſque exercitio libertatis, ſine quo tamen non poteſt eſſe honeſtas moralis. Eſt itaque partim intrinſeca, partim extrinſeca, quia ſi accedat cognitioni, & affectui motiui honeſti abſtinentia libera à peccato ex motiuo honeſto, accedit honeſtas moralis. Ergo abſtinentia à peccato conſtituit partialiter honeſtatem moralem.

Collatio omiſſionis cum actu poſitiuo honeſto. 43. Hinc conuenit omiſſio honeſta moraliter cum actu poſitiuo interno, & externo moraliter honeſto in honeſtate formali extrinſeca. Sed diſtinguitur ab actu interno; nam actui interno eſt intrinſecus reſpectus ad motiuum honeſtum; eaque ratione erga plurimorū Theologorum ſententiam eſt intrinſeca actui poſitiuo interno honeſtas formalis præſcindens à Phyſica, & morali, qualis conuenit in Patria actui charitatis neceſſario; omiſſioni autem non eſt intrinſecus reſpectus ad motiuum honeſtum, ac per conſequens neque honeſtas formalis præſcindens à Phyſica, & morali, quæ talem reſpectum deſiderat. Deinde diſtinguitur ab actione externa, quod actioni externæ eſt adæquate extrinſeca honeſtas formalis, ſicut libertas, non vero omiſſioni, vt conſtat ex dictis.

Duæ obſeruationes 44. Obſeruanda tamen ſunt duo. Primum, omiſſioni, vt libera eſt, conuenire intrinſece honeſtatem moralem; quia vt libera eſt, complectitur intrinſece cognitionem, & affectum, quæ intrinſece reſpiciunt motiuum honeſtum, conſtituuntque cum indifferentia principij honeſtatem moralem omiſſionis. Secundum, omiſſionem ſpectatam ſecundum ſe conſtituere honeſtatem moralem, non ſolum qua parte honeſtas eſt moralis, ſed etiam qua honeſtas eſt præſcindens à Phyſica, & morali, quia omiſſio libera actus prohibiti ſecundum ſe ſpectata, eſt formaliter conueniens naturæ rationali, & immediate conformis regulæ rationis, ac præcepto prohibenti Dei. Ergo niſi deficiat motiuum honeſtum, eſt ſecundum ſe formaliter honeſta: honeſtas enim formalis diſtincta ab obiectiua eſt conuenientia immediata exercitij liberi voluntatis ad naturam rationalem, vt rationalis eſt. Quare motiuum honeſtum non requiritur ad honeſtatem omiſſionis, vt tribuat adæquate honeſtatem, ſed vt compleat dumtaxat honeſtatem formalem incompletam ipſius: licet enim omiſſio non procederet ex affectu honeſto, eſſet nihilominus formaliter honeſta, vbi procederet immediate ex cognitione motiui honeſti, & non turpis, quæ formaliter honeſta non eſt.

45. Tertio explicanda eſt ſupernaturalitas quoad ſubſtantiam neceſſaria ad meritum vitæ æternæ; quam quidem certiſſimum eſt, non poſſe omiſſioni aliter, quam extrinſece conuenire: atque ideo, vt ſit meritoria vitæ æternæ, opus eſſe auxilia ſupernaturalia quoad ſubſtantiam, non ſolum in genere cauſæ quaſi efficientis, ſed in genere cauſæ formalis, & intrinſecæ: quia omiſſio non poteſt aliunde mutuare formaliter ſuam ſupernaturalitatem, niſi ab auxilio ſupernaturali, hoc eſt, cognitione, & affectu ſupernaturali motiui honeſti, ex quo procedit. Inde autem mutuari poſſe conſtat; quia cognitio, & affectus ſupernaturalis motiui honeſti communicant in genere cauſæ formalis extrinſecæ, moralitatem, & honeſtatem omiſſionis, ſicut indifferentia principij libertatem actui elicito; & actus imperans honeſtatem actui imperato. Ergo etiam poterunt tribuere ſupernaturalitatem: vt enim vniuntur cum omiſſione ad tribuendum illi moralitatem, & honeſtatem, cur non poterunt etiam ad tribuendum ſupernaturalitatem? Supernaturalitas.

46. Vnde ſit primo, omiſſionem, vt moraliter honeſtam eſſe intrinſece ſupernaturalitatem; non quia ſupernaturalitas ſit intrinſeca omiſſioni ſecundum ſe, ſed omiſſioni vt moraliter honeſtæ. Nam omiſſio vt moraliter honeſta includit intrinſece cognitionem, & affectum indifferentem, & ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, à quo informatur. Ergo vt moraliter honeſta includit intrinſece ſupernaturalitatem quoad ſubſtantiam. Fit ſecundo, cur omiſſio actus prohibiti, vt honeſta moraliter, poſſit eſſe meritoria vitæ æternæ: nempe, quia vt moraliter honeſta, eſt intrinſece ſupernaturalis, quod ſufficit ad meritum vitæ æternæ. Quare crediderim, licet auxilium ſupernaturale quoad ſubſtantiam non ſit neceſſarium ad omittendum actum prohibitum, etiam vrgenti graui tentatione, nihilominus conferri frequenter à Deo fidelibus etiam vrgenti tentatione leui, vt eo mereantur vitam æternam, aut aliud quidpiam conducens ad vitam æternam, quod alioqui omiſſione pura non merentur. Fit tertio, omiſſionem differre maxime ab actu elicito voluntatis ſupernaturali quoad ſubſtantiam; quia ſupernaturalitas ſubſtantialis eſt adæquate intrinſeca actui interno voluntatis; omiſſioni verò ſecundum ſe eſt extrinſeca Corollaria

adæquate, in qua fere non differt omiſſio ab actu imperato externo.

Notatio prima. 47. Hæc omnia noſtris principijs de libertate extrinſeca conſentanea ſunt. Si tamen libertatem aſſeramus eſſentialem, & intrinſecam tum actui poſitiuo, tum omiſſioni; facilius poteſt honeſtas, & ſupernaturalitas declarari. Nempe omiſſio in ea ſententia poteſt eſſe intrinſece, tum honeſta, tum ſupernaturalis. Erit quidem intrinſece honeſta, quia intrinſece reſpicit ſaltem virtualiter motiuum determinatum honeſtum, quatenus intrinſece pendet à cognitione, & affectu ſimplici motiui determinati honeſta, quippe ab omnibus principijs conſtituentibus eſſentialiter indifferentiam voluntatis, inter quæ ſunt cognitio, & affectus ſimplex finis honeſti. Verum quia etiam poteſt ſimul adeſſe cognitio, & affectus ſimplex finis delectabilis turpis, propter quem poteſt voluntas omittere; notandum eſt, in hac ſententia de libertate intrinſeca diuerſam eſſe intrinſece omiſſionem actus prohibiti reſpondentem cognitioni, & affectui conſtituenti libertatem contradictionis ad finem honeſtum ab omiſſione reſpondenti cognitioni, & affectui conſtituenti libertatem contradictionis ad finem turpem; quia principia, & libertates in actu primo diuerſæ ſunt, & alia ab alia ſeparabilis. Erit igitur intrinſece honeſta ea, quæ eſſentialiter pendet à libertate contradictionis ad finem honeſtum; alia non erit intrinſece honeſta, ſed turpis. Num autem vtramque ſimul exiſtere neceſſarium ſit, & quænam illarum exiſtat, cum ſimul præuenit vtraque libertas, difficultates ſunt contra ſententiam ipſam, quam ſupponimus, eis quidem explicandæ, qui libertatem intrinſecam omiſſioni tuentur. Nobis ſolum incumbit declarare, quid de honeſtate, ſuppoſita libertate eſſentiali omiſſionis, conſentienter ad ſuperiora dicendum ſit. Similiter poterit in ea ſententia eſſe omiſſio intrinſece ſupernaturalis, quippe ea, quæ eſſentialiter pendet ab illuſtratione, & affectione ſancta intrinſece ſupernaturali. Nam ea eſt eſſentialiter differens ab omiſſione pendenti eſſentialiter à principijs indifferentibus intrinſece naturalibus. Aliunde talis conditionis, vt ex principijs naturalibus eſſe repugnet. Erit igitur intrinſece ſupernaturalis. Intrinſece namque ſupernaturale eſt, quod intrinſece exigit principia ſupernaturalia, & ſolis principijs naturæ exiſtere repugnat.

Secunda. 48. Prætereà quamuis libertas extrinſeca ſit, non improbabiliter poteſt aſſeri honeſtas, & ſupernaturalitas omiſſioni intrinſeca, iuxta opinionem non improbabilem plurium recentiorum admittentium eiuſdem formæ in eodem ſubiecto priuationes diuerſas ex diuerſitate principiorum, à quibus eſſentialiter pendent; ſicut cum libertate extrinſeca admittitur in eadem voluntate circa idem obiectum diuerſitas actuum naturalium, & ſupernaturalium ex diuerſitate principiorum, à quibus pendent. In hoc enim dicendi modo poteſt admitti omiſſio actus prohibiti eſſentialiter pendens ab illuſtratione, & affectione honeſta intrinſece ſupernaturali, differens eſſentialiter ab omiſſione, quæ pendet à cognitione, & affectione intrinſece naturali. Talis autem omiſſio eſſet intrinſece honeſta, & ſupernaturalis; quia intrinſece exigeret in honeſtum referri, & à principijs ſupernaturalibus oriri, quamuis intrinſece non ſit libera, ſed indifferens ex ſe, vt à principijs ſupernaturalibus cogentibus voluntatem ad non peccandum proueniret, ſicut actus poſitiuus extrinſece tantum liber, poteſt eſſe intrinſece honeſtus, & ſupernaturalis, quia intrinſece reſpicit honeſtum, & à principijs ſupernaturalibus exigit proficiſci. Quod ad omiſſionem, ſicut ad actum poſitiuum ſufficeret, vt honeſtatem, & ſupernaturalitatem ſortiretur intrinſecam. Hæc diximus, vt in varijs dicendi modis poſſit defendi meritum puræ omiſſionis.

SECTIO SEPTIMA.

Argumentorum ab autoritate enodatio.

49. OBijci primo poteſt, quod à nullo nobis aduerſarium obijcitur. Communis Eccleſiæ doctrina eſt, ad omne meritum vitæ æternæ requiri auxilium gratiæ, quod tribuat ſufficientiam, & ſimpliciter poſſe voluntati. At ad puram omiſſionem actus prohibiti non requiritur auxilium gratiæ, quod tribuat ſufficientiam, & ſimpliciter poſſe voluntati. Ergo pura omiſſio meritoria non eſt. Maior, & conſequentia probatione non egent. Probatur minor. Tum quia id, ad quod Concilia, & Patres Eccleſiæ exigunt auxilia gratiæ, explicant frequenter, eſſe opus bonum, opus pietatis, ſeu virtutis. Omiſſio autem non eſt opus, ſed carentia, ac defectus operis. Tum quia omiſſio actus prohibiti eſt intrinſece naturalis; ſicut ipſe actus prohibitus, & continetur in libera facultate naturæ, quæ ſuis viribus ad omittendum peccatum ſufficiens eſt. Ergo ad omiſſionem peccati non accipit ſufficientiam à gratia. Reſpondeo. Etiam ad omiſſionem peccati prouidetur à Deo auxilium gratiæ; nam ad non peccandum præciſe, & ad reſiſtendum tentationi ex ſacris Litteris, & Patribus Eccleſiæ auxilium gratiæ neceſſarium eſt. Non peccatur autem, & tentationi reſiſtitur per puram omiſſionem, vt expendimus ſectione quarta. Vnde ad primam probationem reſpondeo. Auxilium gratiæ non ſolum ad opera virtutis, ſed etiam interdum ad non opera vitij à Patribus Eccleſiæ neceſſarium adſtruitur. Deinde omiſſio libera peccati opus bonum, & virtutis dicitur, quia virtualiter, & æquiualenter opus eſt, licet non ſit formaliter opus; nam ita ſe gerit per illam, ac ſuam libertatem exercet voluntas ex affectu virtutis, ac ſi re vera eliceret virtutis actum; virtutis enim non ſolum eſt proſequi honeſtum, ſed etiam per affectus ſimplices arcere voluntatem à turpi, quod omittendo actus Prima obiectio diſſoluitur.

turpes

turpes conſequitur. Ad ſecundam reſpondeo. Si omiſſio aſſeratur intrinſece libera, aut cum extrinſeca libertate aſſeratur differens, quæ ex principijs ſupernaturalibus proficiſcitur, ab ea, quæ ex principijs naturalibus contingit, ſicut ea differentia agnoſcitur inter actus poſitiuos tam intrinſece, quam extrinſece liberos, quod improbabile non eſt; tunc admittenda eſt omiſſio, ad quam virtus naturæ ſine auxilio gratiæ non ſufficiat, videlicet illa, quæ exigit eſſentialiter principia ſupernaturalia. Si vero eadem omiſſio aſſeratur indifferens vt ſit libera, & neceſſaria, ſimulque capax, vt ex principijs naturalibus, & ſupernaturalibus procedat; dicendum eſt, auxilium gratiæ non requiri neque ad actionem poſitiuam, neque ad puram omiſſionem, niſi vt bonam. At licet omiſſio ſecundum ſe poſſit eſſe ſine auxilio gratiæ, tamen vt bona poteſt auxilium gratiæ requirere. Nam vt bona complecti poteſt affectus ineſficaces ſupernaturales, quibus in finem honeſtum refertur; vt dicebamus num. 44. & 45. ad eos autem affectus vires naturæ ſufficientes non ſunt. Ergo neque ad omiſſionem vt bonam vires naturæ ſufficiunt.

Vrgetur ſolutio. 50. Vrgebis. Auxilia gratiæ requirunt Patres Eccleſiæ ad bonitatẽ operis omnino diſtinctam ab ipſis auxilijs. At bonitas ſupernaturalis omiſſionis in noſtro modo dicendi non eſt omnino diſtincta ab ipſis auxilijs, ſiquidem eſſentialiter illa complectitur. Ergo auxilia gratiæ non requiruntur ad omiſſionem. Probatur maior. Si auxilia gratiæ non eſſent requiſita ad bonitatem operis omnino diſtinctam ab ipſis auxilijs, euerteretur omnino fundamentum adſtruendi actus intrinſece ſupernaturales; nam actus intrinſece naturalis poteſt eſſe extrinſece ſupernaturalis ab auxilijs gratiæ, quibus fieri poteſt, ſicut omiſſio; eoſque ſolum vt extrinſece ſupernaturales poſſemus adſtruere ſuperantes ſufficientiam naturæ, non vero ſecundum entitatem intrinſecam ipſorum. At omne fundamentum adſtruendi actus entitate ſupernaturales reuocatur in neceſſitatem gratiæ ad actus ſalutares. Ergo vel neceſſitas iſta eſſe debet ad aliquid omnino, & adæquate diſtinctum ab ipſa gratia, aut negari debet ex illa colligi entitas ſupernaturalis actuum ſalutarium, in quos confertur.

Reſponſio. Reſpondeo. Nunc procedimus in ſententia, quæ negat, in voluntate pure omittente actum prohibitum dari poſſe duplicem omiſſionem, alteram alligatam eſſentialiter principijs ſupernaturalibus, alteram principijs naturalibus, affirmatque omiſſionem eiuſdem formæ in eodem ſubiecto neceſſario eſſe eamdem, ſiue ab hac cauſa, ſiue ab illa contingat, minimeque poſſe ex principijs extrinſecis eſſentialiter variari, ſicut actus poſitiuus variabilis eſt. Igitur in hoc dicendi modo duobus diſcrepat actus poſitiuus ab omiſſione. Primo quod actus poſitiuus entitate ſupernaturalis contineri poteſt in virtute auxiliorum ſupernaturalium, eſto contineatur etiam actus entitate naturalis, neque enim repugnantia eſt actus entitate ſupernaturalis, exigentis principia ſupernaturalia, ſicut non eſt repugnantia habituum entitate ſupernaturalium; omiſſio vero actus naturalis prohibiti intrinſece ſupernaturalis repugnat. Secũdo quod actus poſitiuus ſeorſim à principijs poteſt eſſe intrinſece honeſtus per reſpectum poſitiuum intrinſecum in obiectum honeſtum; omiſſio vero intrinſece honeſta eſſe repugnat; ſed extrinſece ſolum ob defectum reſpectus intrinſeci tã formalis, quam virtualis in obiectum formale honeſtum. Hinc collectio facta ex neceſſitate gratiæ intrinſece ſupernaturalis ad actum entitate ſupernaturalem, bona eſt quamuis non ſit bona ad omiſſionẽ ſupernaturalem intrinſece. Primo quia actus entitate ſupernaturalis continetur in virtute auxiliorum ſupernaturalium, non vero omiſſio ſupernaturalis intrinſece. Ergo dum voluntas agit quantum poteſt in actũ intrinſece ſupernaturalem, edit illum ſupernaturalem intrinſece, quia continet illũ, quamuis omiſſionem non edat intrinſece ſupernaturalem, quia omiſſio intrinſece ſupernaturalis non continetur in virtute eorum auxiliorum. Secundo quia actus poſitiuus ſeorſim ab auxilijs bonus eſt, omiſſio vero non eſt bona. Ergo auxilia gratiæ, quæ prouidentur ad bonitatem actuum, poſſunt requiri ad entitatem actus ſecundum ſe adæquate diſtinctam ab auxilijs, quamuis non requirantur ad omiſſionem ſecundum ſe ab auxilijs adæquate diſtinctam. Vide hæc fuſius expoſita diſp. 44. ſect. 8. Ad hæc etiam auxilia gratiæ ad omiſſionem actus prohibiti diſpoſita tribuunt ſimpliciter poſſe voluntati ad aliquid adæquate diſtinctum ab auxilijs, in quod vires naturæ non ſufficiunt; quippe hæc auxilia indiuidue conferunt poteſtatem ad omittendum actum prohibitum, & ad actum poſitiuum oppoſitum, qui intrinſece ſupernaturalis eſt. Igitur quia alterum extremorum huius ſufficientiæ intrinſece ſupernaturale eſt, poſſunt auxilia gratiæ tribuere ſufficientiam voluntati ad aliquod adæquate ab ipſis auxilijs diſtinctum. Alia reſpõſio. Tamen quia ſufficientia ad actum poſitiuum indiuidue confert etiam ad omiſſionem, poteſt voluntas eis viribus vti ad puram omiſſionem, eamque edere meritoriam. Hoc addo iuxta principia nobis aduerſantium, qui nolunt admittere facultatem omittendi abſque facultate eliciendi actum poſitiuum contrarium actui prohibito, quem voluntas omittit. Aut ſaltim vt oſtendamus ex vi huius argumenti, licet non detur pura omiſſio meritoria vitæ æternæ, quando non adeſt facultas eliciendi actum poſitiuum contrarium, ſaltem meritoriam eſſe poſſe, cum ea adeſt. Quæ his nunc obeſſe poſſunt, præoccupata ſunt diſputatione 44. ſectione 8. & iterum attingemus ſectione ſequenti.

51. Secundo obijcitur Diuus Thomas 1. 2. quæſtione 71. artic. 5. ad 1. vbi inquirens Angelus Doctor, vtrum in quolibet peccato interueniat actus poſitiuus, opponit primo, quod meritum abſque actu poſitiuo eſſe non poteſt. Ad quod ſic reſpondet; *Ad primum eſt dicendum, quod plura requiruntur ad bonum, quam ad malum, eo quod bonum attingit ex integra cauſa, malum autem ex ſingularibus defectibus, vt ait* Secũda obiectio ex D. Thoma.

Digitized by Google

Dioniſius capite quarto, de diuinis nominibus, & ideo peccatum poteſt contingere ſine aliquis faciat, quod non debet, ſiue non faciendo, quod debet: ſed meritum non poteſt eſſe, niſi aliquid faciat voluntarie, & ideo meritum non poteſt eſſe ſine actu, ſed peccatum poteſt eſſe ſine actu. Deinde obijcitur 2.2. quæſtione ſeptuageſima nona, articulo 1. ad 1. vbi ſic ait. *Ad ſecundum dicendum, quod declinare à malo ſecundum quod ponitur pars iuſtitiæ* (id eſt virtutis) *non importat negationem puram, quod eſt non facere malum. Hoc enim non meretur palmam, ſed ſolum vitat pœnam, importat autem motum voluntatis repudiantis malum, & hoc eſt meritorium, præcipue quando aliquis impugnatur, vt malum faciat, & reſiſtit.* Priori loco diſerte teſtatur, meritum eſſe non poſſe ſine actu, quamuis peccatum ſine actu ſit. Poſteriori vero non facere malum, non mereri palmam, ſed tãtum vitare pœnam. Igitur Præceptor Angelicus nobis aperte refragatur. Reſpõdeo. Priori teſtimonio admittit S.Thomas, meritum non eſſe abſque actu poſitiuo, quia ad conſequentiã inde factam contra peccatum omiſſionis nihil intererat, licet enim meritũ requirat actũ, poteſt peccatum ſine actu defendi, quia inter meritum, & demeritum exiſtit diſcrimen, quod inter bonum, & malum in genere eſt, ſcilicet bonum complecti plura, quam malum, quia bonũ ex integra cauſa eſt, malum vero ex quocunque defectu. Itaque actum poſitiuum, quem argumentum obiecit neceſſarium ad meritum, tanquam *Tranſeat* prætermiſit, & negauit conſequentiam ex diſcrimine meriti à peccato. Quod ego etiam præſtarem, ſi idem argumentũ contra omiſſionis peccatum mihi opponeretur. Poſteriori teſtimonio ſolum aſſerit, meram negationem mali non eſſe partem iuſtitiæ, ſeu virtutis, quia per partem virtutis intelligit actum elicitum à virtute, negatio autem non eſt actus à virtute elicitus. Cum vero ait, eam negationẽ non mereri palmam, intelligit negationem rigoroſe, ſcilicet carentiam mali neceſſariam in voluntate impotente facere malum; nam licet hæc negatio poſſit vitare pœnam, tamen non poteſt mereri præmium. Actum autem repudiantem malum, quem ad meritum deſiderat, non intelligo formalem, ſed virtualem, & æquiualentem, ſeu Interprætatiuum, qualis eſt omiſſio libera voluntatis. *Explicatur*

52. Hinc explicari poteſt gloſſa, quæ tertio nobis obijci poteſt in illud Pſal. 39. *Declina à malo, & fac bonum*, vbi gloſſa habet, *illud vitat culpam, ſcilicet diuertere à malo, hoc meretur vitam, & palmam, ſcilicet facere bonum.* Ergo ſolum facientes bonum meremur vitam æternam, & nõ omittentes malum. Reſpondeo. Ibi gloſſæ ſermo eſt de omiſſione mali præſcindenti à libera, & neceſſaria, ab ea, quæ habetur ex affectu honeſto, & indifferenti, quæ ſufficit ad vitandum culpam, non vero de omiſſione libera mali, quę conuenit voluntati ex affectu honeſto, & ſupernaturali, quæ ad facere bonum virtualiter, & æquiualenter poteſt referri. *Tertio gloſſa. Pſ. 39.* *Exponitur.*

SECTIO OCTAVA.

Enodatio argumentorum à ratione.

53. Arguit primo Zumel. Si pura omiſſio eſſet meritoria, iuſtus quandiu perſeuerat in gratia, mereretur continuo gratiam, cum libere ſe abſtineat à peccatis, quæ cõtinuo ſunt in eius poteſtate. Imo in vnico inſtãti mereretur infinitam gratiam per omiſſiones peccatorum infinitas, quas ſimul habet, potens quamlibet omiſſionem per actum peccati cõtrarium depellere. Hæc non ſunt admittenda. Ergo nec meritum puræ omiſſionis. Reſpõdeo. Iuſtus quandiu non peccat, non meretur in quolibet inſtanti vitam æternam; quia ad meritum omiſſionis neceſſaria eſt plena aduertentia rationis, & facultas proxima ad actum peccati, quæ in quolibet inſtanti non adeſt homini iuſto. Vnde à fortiori non merebitur præmium infinitum, quia deficit plena aduertentia, & facultas proxima ad actus infinitos. *Prima ratio Zumel.* *Reijcitur.*

54. Secundo arguit idem Zumel. Meritũ vitæ æternæ debet eſſe intrinſece ſupernaturale. Pura omiſſio actus prohibiti non eſt intrinſece ſupernaturalis. Ergo non eſt meritoria vitæ æternæ. Confirmat P. Ruiz; Quamuis pura omiſſio poſſit eſſe honeſta ex motiuo ſupernaturali, honeſtas puræ omiſſionis perfectiori modo reperiri poteſt in actu quoad entitatem naturali reſpiciente motiuum ſupernaturale. Tamen actus entitate naturalis non eſt meritorius vitæ æternæ, quia modo improportionato reſpicit motiuum ſupernaturale. Ergo neque pura omiſſio erit meritoria vitæ æternæ, quamuis ſit honeſta ex motiuo ſupernaturali. Reſpondeo. Pura omiſſio vt moralis, & libera eſt intrinſece ſupernaturalis, quia ſic cõplectitur motionem formalem illuſtrationis, & affectus intrinſece ſupernaturalis, quæ conſtituunt libertatem volũtatis ad illam, à qua omiſſio redditur moralis, & libera, vt expoſuimus ſect. 6. Vnde ad confirmationem reſpondeo. Omiſſio vt moralis, & libera proportionato modo reſpicit motiuum ſupernaturale, quia vt moralis & libera comprehendit illuſtrationem, & affectum intrinſece ſupernaturalẽ, quæ modo proportionato attingunt motiuum ſupernaturale. Præterea ad meritum vitæ æternæ non requiritur attingi motiuum ſupernaturale, dũ exercitium voluntatis ſit aliqua ratione intrinſece ſupernaturale, vt oſtendimus diſput. 45. At pura omiſſio vt libera, & moralis poteſt eſſe intrinſece ſupernaturalis, vt conſtat ex ſect. 6. *Secunda.* *Confirmatio P. Ruiz.* *Reſponſio.* *Ad confirmationem.*

55. Tertio arguit P. Suarez. Ad meritum requiritur voluntarium perfectum, ac directum, & non ſufficit imperfectum, ac indirectum, ſicut ſufficit ad demeritum. At pura omiſſio non eſt perfecte, ac directe voluntaria. Ergo in ea nullum eſt meritum. Confirmatur; voluntas pure omittens otioſa eſt, & obnoxia periculo conſentiendi in peccatum, ſi graui tentatione tangatur. Ergo ex defectu *Tertia Patris Suarez.* *Confirmatur.*

Digitized by Google

voluntarij non erit omiſſio meritoria, ſed potius turpis, ac demeritoria. Reſpondeo. (Occurritur.) Duplex eſt voluntarium imperfectum; alterum ex parte libertatis in actu primo; quia non adeſt plena, & perfecta aduertentia; alterum ſolum ex parte actus ſecundi, quia cum plena, & perfecta aduertentia, & libertate principij actus ſecundus eſt imperfectus. Quando voluntarium eſt imperfectum ſolum ex parte actus ſecundi cum libertate, & indifferentia perfecta actus primi, poteſt eſſe meritum in voluntate, quia actus ſecundus imperfectus voluntatis etiam eſt capax præcepti, & conformitatis ad legem ſuperioris; ideoque poteſt in eius obſequium offerri, ſicut inter homines æſtimantur plurimi omiſſiones, vt non exigere debitum, non vindicare offenſam, & alia huiuſmodi. (Ad confirmationem.) Ad confirmationem nego, voluntatem pure omittentem eſſe otioſam, & conſenſui in peccatum obnoxiam; quoniam exercet ſuam libertatem ex motiuo honeſto, conformando ſe legi prohibenti peccatum per exercitium contradictorie repugnans peccato. De quo vide dicta num. 24.

(Quarta P. Suarez.) 56. Quarto etiam P. Suarez cum Recentioribus. Ad meritum requiritur, vt voluntas tẽdat in bonum propter ſe, aut propter finem honeſtum, in eo enim diſtinguitur à demerito, cui ſufficit tendere in malum, licet non tendat propter finem malum. Sed non poteſt voluntas tendere in bonum propter ſe, ſiue propter honeſtum finem abſque actu poſitiuo: omiſſio enim ſecundum ſe non reſpicit eum finem, cũ ſecundum ſe ſit indifferens, vt propter honeſtũ, & turpem finem appetatur. Ergo omiſſio ſecundum ſe non poteſt eſſe meritoria. Si dicas, omiſſionem eſſe ex fine honeſto, quia actu mouetur voluntas ad omittendum actum prohibitum ex cognitione finis honeſti; aut etiam ex complacentia ſimplici illius. (Confirmatio Recentiorum.) Redarguunt Recentiores. Voluntate omittente actum prohibitum poteſt intellectus ſimul attendere ad finem honeſtũ, & turpem, ad quos omiſſio poteſt conducere. At tunc non eſt, quare omiſſio referatur potius ad finem honeſtum ex cognitione finis honeſti, quam ad finem turpem ex cognitione finis turpis. Ergo ſola cognitio non ſufficit abſque actu poſitiuo voluntatis ad referendum omiſſionem in finem. Eodem modo probatur, omiſſionem non referri in finem honeſtum ex ſimplici complacentia finis honeſti: quia poſſunt eſſe ſimul in voluntate omittente duæ complacentiæ, altera in finem honeſtum, altera in turpem.

(Solutio.) 57. Si vero dicas, in eo euentu omiſſionem actus prohibiti eſſe potius ex cognitione, & complacentia finis honeſti, quam turpis, quia voluntas de facto non omitteret, niſi haberet cognitionem, & complacentiam finis honeſti: omitteret autem, quãuis careret cognitione, & complacentia finis turpis, vt diximus diſp. 67. ſect. 3. (Redargutio.) Contra hanc ſolutionem inſurgunt alij Recentiores, quia rem ita ſe habere, quod voluntas de facto non operaretur, niſi præceſſiſſet cognitio, & complacentia huius, aut illius motiui, non ſufficit, vt operetur nunc ex tali motiuo. Ergo ſolutio eſt nulla. Probatur antecedens, quia de Petro hic, & nunc ſe humiliante ex præcognitione inanis gloriæ, quam poſſet ſibi comparare, licet non ſe humiliet ob inanem gloriam, noſcere poteſt Deus: quod ſi hac cognitione caruiſſet, nõ eſſet ſe humiliaturus, quia ita eueniret, vel ex eo quod oblata occaſio, & contrarij præſentia excitat Petrum ad operandum, vel quia pro libertate ipſius res ita contingeret. Tamen Petrus, vt ſupponimus, non ob inanem gloriam, ſed ob motiuum humilitatis operatur. Ergo. Præterea euentus cõditionatus modo nihil eſt, ſed foret, nec ponit aliquid in omiſſione præſenti. Ergo non ſufficit, vt de præſenti voluntas dicatur omittens ex motiuo bono. Si enim modo nihil habet voluntas ratione cuius poſſit de ipſa dici, quod nõ omitteret, niſi præcognoſceret motiuum bonum, nullum eſt in omiſſione fundamentum, vt modo dicatur eſſe ob motiuum bonum. Tertio iuxta prædictam ſolutionẽ nulla vnquam poterit eſſe omiſſio, quæ ſit ex motiuo bono; quia nulla eſt de qua Deus non cognoſcat, quod foret, etiam ſi deficeret cognitio obiecti honeſti, qua modo datur, per hoc quod ſpeciales cognitiones diuerſas à nunc exiſtentibus infunderet Deus intellectui operãtis: cum enim omiſſio eſſẽtialiter non pendeat ab hac determinata cognitione, cur nõ videbit Deus alias cognitiones, quibus, ſi ponerentur, poneretur omiſſio? Nulla ergo eſt omiſſio taliter procedens à cognitione motiui honeſti, vt non foret, etiam non præcedẽte cognitione talis motiui: atque ideo ſi hoc neceſſarium eſt, vt omiſſio ſit ex tali motiuo, nulla erit omiſſio ex motiuo honeſto, ac conſequenter non honeſta, nec meritoria.

58. His addunt alij doctiſſimi Recẽtiores, quæ ſequuntur. (Aliæ redargutiones Recentiorum.) Primo quod euentus conditionatus nullius meriti eſt, vt cõtra Semipellagianos pluribus docet Auguſtinus. Ergo per euentum conditionatum non poteſt omiſſio reddi meritoria; ac per conſequens neque procedere ex affectu finis honeſti. Secundo quod propoſitio, ac complacentia finis non mouet directe in omiſſionem, ſed in amorem efficacem finis. Ergo omiſſio directe non poteſt eſſe ex apprehenſione, & complacentia finis. Tertio quod omiſſio non poteſt ſimul exiſtere ex duplici fine incompoſſibili. Poſſet autem exiſtere ex duplici fine incompoſsibili, ſi ſufficeret propoſitio, & affectio ſimplex finis, vt in finẽ referretur omiſſio; quandoquidem ſimul poteſt coniungi propoſitio, & affectio duplicis finis incõpoſsibilis.

59. Huic argumento nimis fidunt Recentiores. (Diluitur obiectio.) Etenim non eſt maior difficultas in eo, quod affectus poſitiuus poſsit referri in finem ex propoſitione, & affectu ſimplici finis, quam in eo, quod referatur omiſsio, nam ſicut voluntas poteſt allici, & moueri ad deteſtandum actum poſitiuum ex propoſitione, & affectu ſimplici finis extrinſeci abſque amore reflexo ipſius deteſtationis, ita poteſt allici, & moueri ad omiſsionem ex propoſitione, & affectu bonitatis intrinſecæ omiſsionis; aut malitiæ intrinſecæ actus prohibiti, quem omittit, tam enim conſtituta eſt in voluntatis poteſtate

Digitized by Google

omiſſio, quam deteſtatio actus prohibiti. At affectus poſitiuus poteſt procedere, ex cognitione, & affectu finis extrinſeci, vt oſtendimus diſputatione ſexageſima ſexta, ſectione quarta, & non diffitentur Recentiores, nec Pater Suarez. Ergo etiam poteſt omiſſio. Quæcumque enim obiecta ſunt contra relationem omiſſionis in finem, identidem poſſunt obijci contra relationem affectus liberi poſitiui. Quæ ex dictis diſputatione ſexageſima ſeptima, ſectione tertia & quarta, diluenda ſunt, vbi proceſſionem à ſimplici complacentia, & relationem actualem per illam ex profeſſo diſcuſſimus. Itaque pura omiſſio poteſt habere finem honeſtum, quia poteſt procedere ex cognitione, & affectu ſimplici finis honeſti, vt ſatis euicimus ſectione quinta, & tota probatione noſtræ ſententiæ. Hæc autem proceſſio conſiſtit in eo, quod voluntas ita exerceatur per omiſſionem mouente ad illam cogitatione, & affectu motiui honeſti, vt non exerceretur per illam, ſi talis cogitatio, & affectio deeſſet, vt expoſuimus diſputatione ſexageſima ſeptima, ſect. 3. & 4.

Ad redargutiones Recentiorum.

60. Ad primam redargutionem Recentiorum reſpondeo. Cognitio inanis gloriæ in euentu obiecto non refert actum humilitatis in finem inanis gloriæ, vel quia cognitio inanis gloriæ non inclinat voluntatem in eius deteſtationem, ſed potius in amorem, vt dicebamus diſputatione ſexageſima ſeptima, ſectione quarta: vel eſto inclinet voluntatem, reuera voluntas affectu poſitiuo humilitatis deteſtatur tale motiuum; cuius deteſtationis carentia neceſſaria eſt ad exercitium voluntatis ex motiuo inanis gloriæ, qualis carentia reperitur in voluntate pure omittenti. Aliter non repugnat, actum humilitatis extrinſece referri in inanem gloriam per affectum inefficacem ipſius, vt alibi ſtatuimus. Ad ſecundam reſpondeo. Euentus conditionatus non ponit in omiſſione aliquid intrinſecum, ſed extrinſecum. Quod ſufficere, vt voluntas exerceatur per illam, conſtat ex libertate in actu primo, quæ extrinſeca eſt omiſſioni, & neceſſaria eſſentialiter, vt omiſſio, quæ non erat libera, & vitioſa, fiat de nouo libera, & vitioſa. Item quia vocatio, quæ intrinſece non eſt efficax, & connexa cum affectu poteſt per euentum conditionatum fieri abſolute efficax, & cum affectu connexa. Quid ergo oberit, vt ſimiliter fiat influens in actu ſecundo in omiſſionem liberam. Ad tertiam; voluntas dicitur moueri de facto ex cogitatione, & affectu finis honeſti, quia de facto exiſtit omiſſio libera, & motio in actu primo cogitationis, & affectionis honeſtæ taliter, vt exiſtentibus, quæ de facto animum tangunt, ſi deeſſet talis cogitatio, & affectio, non exerceretur voluntas per omiſſionem liberam; vnde nihil obeſt, quod per alias cogitationes non exiſtentes præuideatur à Deo, voluntatem exerceri. De quo recole dicta diſputatione 67. ſect. 4.

61. Ad primam additionem aliorum Recentiorum reſpondeo. Ad meritum abſolutum omiſſionis non requiritur, vt omnia, quæ meritum conſtituunt, ſint abſoluta, ſed ſufficit eſſe abſolutum exercitium voluntatis, quod importatur in recto; videlicet actum poſitiuum, aut omiſſionem liberam: quod exercitium liberum adſtruebant Semipellagiani mere conditionatum, & ideo repellebantur ab Auguſtino. Sic ad meritum non requiritur; vt omnia, quæ ipſum conſtituunt, ſint in libera poteſtate voluntatis; ſed ſolum ipſum exercitium voluntatis, nam ipſa indifferentia voluntatis, & gratia habitualis, quæ eſſentialiter meritum complent, non ſunt in libera hominis poteſtate. Ad ſecundam conſtat ſatis ex dictis numero trigeſimo ſecundo, & ſequentibus, vbi euertimus fundamentum Recentiorum. Ad tertiam ſatisfecimus diſput. 67. num. 20.

62. Addo omnia iſta, quæ Recentiores nobis obijciunt; primo quidem eleuari admittendo puras omiſſiones eſſentialiter pendentes à principijs ſupernaturalibus, & honeſtis, vt expoſuimus ſectione ſexta. Secundo non vrgere in voluntate neceſſario adſtricta bono honeſto, qualis eſt voluntas Chriſti, & Beatorum, in quibus oſtendimus concedendas eſſe puras omiſſiones. Nam in hac voluntate non eſt cogitatio turpis potens mouere voluntatem in finem turpem, atque adeo neceſſario debet omiſſio ab honeſto moueri.

Poſtrema obiectio.

63. Denique argues. Si omiſſio actus prohibiti poſſet eſſe meritoria vitæ æternæ, etiam actus virtutis acquiſitæ intrinſece naturalis eſſet meritorius. At actus virtutis acquiſitæ non eſt meritorius vitæ æternæ, vt ſtatuimus diſputatione quadrageſima quarta, ſectione ſeptima. Ergo omiſſio actus prohibiti non eſt meritoria. Maior probatur, quia actus virtutis acquiſitæ intrinſece naturalis poteſt fieri auxilijs ſupernaturalibus gratiæ, ſicut omiſſio intrinſece naturalis. At omiſſio intrinſece naturalis meritoria eſt, quia extrinſece refertur in finem ſupernaturalem, & ſupernaturalis redditur ab illis. Ergo etiam actus intrinſece naturalis poſſet eſſe meritorius. Reſpondeo. Si omiſſio eſt alligata principijs ſupernaturalibus, vt volunt Recentiores, & attigimus ſectione ſexta, collectio nulla eſt, quia in eo dicendi modo omiſſio eſt intrinſece ſupernaturalis, vt dicebamus ibidem. Deinde admitto, actum intrinſece naturalem poſſe eſſe meritorium vitæ æternæ, ſi fiat auxilijs gratiæ intrinſece ſupernaturalibus. Tamen quia de facto auxilijs intrinſece ſupernaturalibus non fit actus intrinſece naturalis, ſed ſolum actus intrinſece ſupernaturalis, ideo actus intrinſece naturalis non eſt meritorius vitæ æternæ, ſicut eſt omiſſio; quoniam omiſſio de facto procedit ex auxilijs gratiæ intrinſece ſupernaturalibus. Auxilia autem intrinſece ſupernaturalia de facto eliciunt actum intrinſece ſupernaturalem, non vero naturalem intrinſece, quia reuera talia auxilia continent actum

Digitized by Google

intrinſece ſupernaturalem, & voluntas conferens ſuum concurſum in amorem honeſti, confert totum quantum poteſt in amorem ſupernaturalem; atque ideo non eſt vnde amor honeſti, in quem conatur voluntas, intrinſece ſupernaturalis non ſit. Cæterum auxilia ad omittendum non continent omiſſionem intrinſece ſupernaturalem, neque voluntas ſua libertate, & exercitio poteſt edere talem ſupernaturalem omiſſionem, ideo non poteſt edi eis auxilijs omiſſio intrinſece ſupernaturalis. Nihilominus prouidentur ea auxilia ad omiſſionem honeſtam, quia Deus ſua largitate, & prouidentia decernit, vt omne exercitium honeſtum voluntatis ſit illi ſalutare, quantum eſt ex parte Dei. Ergo cum Deus prouidens talia auxilia poſſit reddere ſalutare exercitium honeſtum omiſſionis, ex lege ſuæ prouidentiæ tenetur ad illud auxilia intrinſece ſupernaturalia conferre.

Vrgetur. 64. Vrgebis. Etiam poteſt Deus reddere ſalutares actus intrinſece naturales conferendo ad illos auxilia gratiæ intrinſece ſupernaturalia. Ergo de facto illos reddit ſalutares.

Occurritur. Reſpondeo. Si actus naturales honeſti fierent ſeorſim ab actibus ſupernaturalibus, crederem, etiam actus intrinſece naturales fieri ſalutares. Tamen quia ſemper, ac fiunt actus honeſti naturales, fiunt ſimul actus intrinſece ſupernaturales, vt diſputatione vigeſima, & quadrageſima quarta, ſancitum eſt, ideo diſpendium meriti, quod Deus ſubtrahit actibus intrinſece naturalibus, reſarcit fælicius per actus intrinſece ſupernaturales.

Vlterius inſtatur. 65. Dices, poſſe auxilia gratiæ ſimul concurrere ad actus intrinſece ſupernaturales, & ad actus intrinſece naturales conſtituendo actus naturales extrinſece ſupernaturales, & ſalutares ſimul cum actibus intrinſece ſupernaturalibus. Ergo ea auxilia eliciunt actus intrinſece naturales ſalutares, cum eliciunt actus intrinſece ſupernaturales. Reſpondeo. Quod

Reſpondetur. in noſtro opere ſæpius improbauimus, ſolum eſt, actus intrinſece naturales primario, & ſeorſim ab actibus intrinſece ſupernaturalibus meritorios merito adæquate diſtincto à merito actuum intrinſece ſupernaturalium. Admittere vero actus intrinſece naturales extrinſece ſupernaturales, & meritorios ſecundario, & coniunctim cum actibus intrinſece ſupernaturalibus merito inadæquate diſtincto à merito actuum intrinſece ſupernaturalium, ad modum, quo admiſimus diſputatione ſexageſima octaua, ſectione quarta & quinta, actus efficaciter imperatos tam internos, quam externos ſalutares, ac meritorios merito inadæquate diſtincto à merito actuum intrinſece ſupernaturalium efficiter imperantium, improbabile non iudico. Quamquam neque omnino nunc probo. Tum quia ſemper ac elicitur à voluntate amor obiecti honeſti, aut odium turpis, aſſerere neceſſarium duplex meritum, alterum actus intrinſece ſupernaturalis, alterum actus intrinſece naturalis, nimis durum, & inauditum apparet. Tum quia ad tale meritum actuum internorum intrinſece naturalium nullum apud Sacros Canones, & Eccleſiæ Patres fundamentum eſt. Quippe ipſi aut nullum actum internum ſalutarem intrinſece naturalem volunt, aut omnem ſalutarem volunt intrinſece ſupernaturalem, quia in eorum doctrina omnis actus ſalutaris quá moraliter bonus excedit omnem ſufficientiam naturæ, quod aut nullum, aut omnem actum ſalutarem quá moraliter bonum intrinſece ſupernaturalem probat, vt expendimus diputatione 44. ſect. 7. Admittere autem actus meritorios abſque fundamento doctrinæ Conciliorum, ac Patrum, patum Theologicum eſt. Tum quia vel cum Deus infundit auxilia gratiæ intrinſece ſupernaturalia, adſunt ſimul auxilia naturalia ex vi cauſarum naturalium, vel non? Si adſunt, connaturalius eſt, actus intrinſece ſupernaturales ab auxilijs intrinſece ſupernaturalibus, & naturales à naturalibus procedere, quam naturales à ſupernaturalibus proceſſionem habere. Si non adſunt, non eſt, quare tunc fiant actus intrinſece naturales ex vi auxiliorum ſupernaturalium ſimul cum actibus ſupernaturalibus, quia ad actus intrinſece naturales non debetur concurſus, niſi præſentibus auxilijs naturalibus, & exigentiæ auxiliorum ſupernaturalium ſatisfit per concurſum præſtitum ad actus intrinſece ſupernaturales; ſicut neque habitibus ſupernaturalibus datur concurſus ad efficiendos actus intrinſece naturales. Nihilominus hæc non decerno, ſed dubitandi gratia propono. Decernam, & cum alijs à me ſuperius in hoc opere propoſitis, quæ difficultatem ingerunt, componam libro quinto cum de auxilijs gratiæ ex profeſſo diſſeramus.

SECTIO NONA.

Corollaria ex dictis.

66. COlligitur primo, puram omiſſionem actus prohibiti impetratoriam eſſe apud Deum, etiam cum adeſt præceptum actus poſitiui honeſti repugnantis prohibito, verbi gratia, omiſſionem odij Dei, aut alterius peccati, cum adeſt præceptum diligendi Deum, omiſſionem diſſenſus fidei, cum adeſt præceptum aſſenſus, & alias omiſſiones ſimiles. Nam licet voluntas tunc omittat actum præceptum, & tali omiſſione demereatur apud Deum, tamen omiſſio actus prohibiti libera eſt ſeorſim ab omiſſione actus præcepti, & ex horrore, ſeu diſplicentia malitiæ odij Dei, atque hæreſis procedens, ſicut poſſet procedere comitanter cum actu præcepto, aut cum non adeſſet præceptum. Ergo ſicut nunc eſſet talis omiſſio impetratoria apud Deum, etiam erit impetratoria, cum coniungitur omiſſio actus poſitiui præcepti. Recte enim cohæret, voluntatem ſimul exerceri per duos actus, alterum religionis impetratorium, alterum intemperantiæ demeritorium. Ergo etiam exerceri per duas omiſſiones liberas, alteram odij Dei impetra- Prima collectio.

toriam, alteram dilectionis præceptæ demeritoriam.

Secunda. 67. Colligitur ſecundo; caſu, quo imperatur omiſſio libera ab actu meritorio alicuius virtutis reſpondere omiſſioni ſuum meritum diſtinctum à merito actus imperantis, vt ſi voluntas cohibeat ſe libere à colloquio otioſo amicorum ex decreto charitatis abnegandi ſe per diem alicui recreationi etiam honeſtæ. Nam omiſſioni liberæ procedenti ex affectu honeſto neceſſario, & non meritorio ſuum reſpondet meritum, & præmium, vt vidimus ſupra. Ergo etiam procedenti ex affectu meritorio reſpondet meritum, ac præmium ab actu poſitiuo diſtinctum.

68. Colligitur tertio, quis ſit finis interpretatiuus voluntatis pure omittentis. Videlicet is, ex cuius cognitione, & affectu omittit voluntas. Is autem eſt finis, qui proponitur ab intellectu, cum eſt vnicus, ad quem conducat omiſſio: cum vero proponuntur duo, ad quos poſſit conducere, erit ille, quo abſente voluntas non omitteret. Quoniam autem hoc difficile poteſt à nobis conijci, ideo etiam difficile poteſt à nobis in tali euentu finis voluntatis interpretari. Tertia.

FINIS.

Digitized by Google

LOCA SACRA
quæ in hoc volumine elucidantur.

Ex veteri Teſtamento.

EX GENESI.
Cap. I. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* d. 5. n. 6. & d. 22. n. 1.

15. *Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.* d. 16. n. 27.

EX LEVITICO.
18. *Cuſtodite leges meas, atque iudicia, quæ faciens homo viuet.* d. 70. n. 14.

EX III. REGVM.
8. *Facies, vt des ſecundum omnes vias ſuas, ſicut videris cor eius.* d. 30. n. 149.

EX I. PARALIPOMENON.
22. *Tunc proficere poteris, ſi cuſtodieris mandata, & iudicia, quæ præcepit Dominus Moyſi.* d. 70. n. 14.

EX I. ESDRÆ.
6. *Comederunt filij, qui conuerſi fuerunt de transmigratione, & omnes, qui ſe ſeparauerunt à coinquinatione gentium terræ ad eos, vt quærerent Dominum Deum Iſrael.* d. 30. n. 154.

EX IOB.
4. *Ecce qui ſeruiunt ei, non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit prauitatẽ.* d. 27. n. 36.

10. *Inſtauras teſtes tuos contra me, & multiplicaſti iram tuam.* d. 20. n. 53.

EX ESTHER.
15. *Conuertitque Deus cor regis in manſuetudinem.* d. 20. n. 62.

EX PSALMIS.
8. *Quid eſt homo, quia memor es eius, aut filius hominis quia viſitas eum. Minuiſti eum paulominus ab Angelis; gloria, & honore coronaſti eum ſuper opera manuum tuarum.* d. 22. n. 8.

17. *Poſuiſti tenebras latibulum tuum.* d. 23. n. 16.

38. *In meditatione mea exardeſcit ignis.* d. 50. n. 42.

39. *Declina à malo, & fac bonum.* d. 70. n. 33. & 35.

50. *Cor mundum crea in me Deus.* d. 29.
Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies. d. 50. n. 32.

70. *Patientia mea tu es.* d. 44. n. 56.

79. *Succenſa igne, & effoſſa ad increpationem vultus tui peribunt.* d. 70. n. 12.

83. *Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lacrymarum, in loco, quem poſuit. Etenim benedictionem dabit legiſlator, ibunt de virtute in virtutem.* d. 20. n. 36.

99. *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos.* d. 29. n. 13.

101. *Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* d. 23. n. 36.

102. *Longanimis, & multum miſericors.* d. 20. n. 40.

118. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* d. 70. n. 14.

Ne abſcondas à me mandata tua, concupiuit anima mea iuſtificationes in omni tempore. d. 64. n. 3.

Et meditabor in mandatis tuis. d. 19. n. 6.

Præuenerunt oculi mei ad te diluculo. d. 20. n. 17.

Retribue ſeruo tuo viuifica me, & cuſtodiam ſermones tuos. d. 70. n. 14.

Veniat ſuper me miſericordia tua Domine, ſalutare tuum ſecundum eloquium tuum. d. 70. n. 40.

In iudiciis tuis ſuperſperaui, & cuſtodiam

legem tuam ſemper in ſæculum, & in ſæculum ſæculi. d. 70. n. 14.

138. *Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius. d. 1. n. 12.*

EX PROVERBIIS.

1. *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba ſua dicens; vſquequo paruuli diligitis infantiam. d. 20. n. 41.*

4. *Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſque in perfectum diem. d. 20. n. 36.*

8. *Ego ſapientia habito in concilio, & eruditis interſum cogitationibus. d. 50. n. 42.*

EX ECCLESIASTE.

9. *Quodcumque poteſt agere manus tua, inſtanter operare, quia neque opus, neque ratio, neque ſapientia eſt apud inferos, quo tu properas. d. 20. n. 36.*

EX SAPIENTIA.

6. *Præoccupat, qui ſe concupiſcunt, vt illis ſe prior oſtendat. d. 20. n. 16.*

8. *Sciui quoniam non poſſem eſſe continens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat à ſapientia, ſcire cuius eſſet hoc donum. d. 44. n. 36.*

9. *Mitte illam de cælis ſanctis tuis, vt mecum ſit, & mecum laboret. d. 30. n. 13.*

12. *Ob hoc quod omnium Deus es, omnibus te parcere facis. d. 30. n. 149.*

EX ECCLESIASTICO.

3. *Sic facite, vt ſalui ſitis. d. 30 n. 149.*

17. *Deus creauit hominem de terra, & ſecundum ſe veſtiuit illum virtute. d. 22. n. 8.*

18. *Miſeratio hominis circa proximum ſuum, miſericordia autem Dei ſuper omnem carnem. d. 20. n. 34.*

24. *Ego feci, vt in cælis oriretur lumen indeficiens. d. 30. n. 149.*

25. *Beatus homo, cui donatum eſt habere timorem Domini. d. 44. n. 36.*

31. *Qui poſt aurum non abiit, qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit, ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino. d. 70. n. 7.*

EX ESAIA.

40. *Qui dat laſſo virtutem, & iis, qui non ſunt, fortitudinem. d. 31. n. 8.*

52. *Videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri, recedite, recedite, exite, pollutum nolite tangere, exite de medio eius, mundamini, qui fertis vaſa Domini. d. 30. n. 154.*

65. *Inuentus ſum à non quærentibus me. d. 18. n. 14.*

EX IEREMIA.

8. *Nunquid qui cadit, non ſurgit? aut qui auerſus eſt, non reuertetur. d. 20. n. 39.*

18. *Si conuertamini, ſalui eritis. d. 50. n. 32.*

31. *Poſtquam conuertiſti me, egi pœnitentiam. d. 44. n. 36.*

EX EZECHIELE.

11. *Spiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis. d. 44. n. 36.*

EX ZACHARIA.

1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. d. 16. n. 64.*

Ex nouo Teſtamento.

Ex MATHÆO.

4. *Ductus eſt Ieſus à ſpiritu in deſertum. d. 30. n. 113.*

5. *Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis. d. 16. n. 27.*

5. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum, beati miſericordes, &c. d. 44. n. 34.*

6. *Attendite, ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. d. 50. n. 21.*

6. *Si ergo ſanum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit, quanto magis vos modicæ fidei? d. 36. n. 8.*

6. *Scit Pater veſter, quid opus vobis ſit. d. 23. n. 90.*

7. *Qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum. d. 29. n. 8.*

9. *Miſericordiam volo, & non ſacrifi-*

Digitized by Google

cium. d. 30. n. 110.

10. Non eſtis vos, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. d.30.n.110.

11. Abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. d.4.n.47.

11. Tunc cæpit exprobrare ciuitatibus, in quibus factæ ſunt plurimæ virtutes eius, quia non egiſſent pænitentiam. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida; quoniam ſi in Tyro, & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pænitentiam egiſſent. d.20.n.51. & 76.

11. Nemo nouit filium, niſi Pater, neque Patrem quis nouit, niſi filius, & cui voluerit filius reuelare. d.44.n.28.

12. Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ipſe meus frater, &c. d.19.n.8.

16. Beatus es Simon Bariona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt. d.4.n.47. & d.5.n.12.

19. Nemo bonus, niſi ſolus Deus. d.23.n.35. & n.68.

19. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. d.70.n.12.

19. Quid boni faciam, vt habeam vitam æternam, ſerua mandata. d.44.n.34.

25. Venite Benedicti Patris mei poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi, eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare, &c. d.44.n.34.

25. Quia ſuper pauca fuiſti fidelis; ſuper multa te conſtituam. d.16.n.27.

25. Vni dedit quinque talenta; alij autem duo, alij vero vnum, vnicuique ſecundum propriam virtutem. d.17.n.26.

Ex MARCO.

9. Credo Domine adiuua incredulitatem meam. d.63.n.11.

Ex LVCA.

4. Non ſinebat ea loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum. d.11.n.31.

4. Quid nobis, & tibi Ieſu Nazarene? veniſti perdere nos? ſcio te qui ſis Sanctus Dei. d.11.n.31.

6. Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſuperfluentem dabunt in ſinus veſtros. d.16.n.27.

7. Fides tua te ſaluam fecit. d.30.n.43.

10. Tunc cæpit exprobrare ciuitatibus, in quibus factæ ſunt plurimæ virtutes eius, quia non egiſſent pænitentiam. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaidæ, quoniam ſi in Tyro, & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis olim, in cilicio, & cinere pænitentiam egiſſent. d.20.n.51. & 76.

10. Homo deſcendens à Ieruſalem in Iericho incidit in latrones, &c. d.5.n.12. & d.30.n.12.

16. Rogo ergo te Pater, vt mittas eum in domum Patris mei, habeo enim quinque fratres, vt teſtetur illis, ne ipſi veniant in hunc locum, &c. d.20.n.49.

16. Et ſi in alieno fideles non fuiſtis, quod veſtrum eſt, quis dabit vobis. d.30.n.43. & 45.

19. Euge bone ſerue, quia in modico fuiſti fidelis, eris poteſtate gaudens ſuper decem ciuitates. d.16.n.27.

19. Cur non dediſti pecuniam meam ad menſam, vt ego veniens vtique cum vſuris exegiſſem illam? d.70.n.38.

25. Contingit vobis in teſtimonium. d.20.n.53.

Ex IOANNE.

1. Deum nemo vidit vnquam. d.23.n.16.

1. Quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. d.20.n.18.

6. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum. d.17.n.5. & d.20.n.43. & d.44.n.30.

6. Operamini, non cibum, qui perit. d.29.n.14. & d.30.n.15.

6. Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit venit ad me. d.63.n.27.

7. Mea doctrina non eſt mea, ſed eius, qui miſit me. d.30.n.110. & n.121.

14. Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet. d.29.n.8.

15. Sine me nihil poteſtis facere. d.17.n.5. & d.20.n.19.

15. Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcumque petieritis, fiet vobis. d.29.n.5.

15. Fructum afferatis, & fructus veſter maneat. d.20.n.43.

Digitized by Google

17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum. d.44.n.28.*

EX ACTIS APOSTOLORVM.

8. *Obtulit eis pecuniam dicens, date & mihi hanc poteſtatem, vt cuicumque impoſuero manus, accipiat ſpiritum. d.14.n.14.*

10. *Cornelius centurio vir iuſtus, ac timens Deum. d.63.n.19.*

10. *Orationes tuæ, & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in conſpectu Dei. d.63.n.9.*

14. *Ergo & gentibus dedit Deus pœnitentiam. d.44.n.36.*

14. *Deus in præteritis generationibus dimiſit ingredi vias ſuas. d.20.n.76.*

14. *Nos mortales ſumus ſimiles vobis homines, annunciantes vobis ab his vanis conuerti ad Deum qui fecit cælum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis ſunt, qui in præteritis nationibus dimiſit gentes ingredi vias ſuas, & quidem non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit benefaciens de cælo, dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda noſtra. d.63.n.8.*

17. *Tempora quidem huius ignorantiæ reſpiciens Deus. d.20.n.76.*

AD ROMANOS.

1. *Reuelatur enim ira Dei de cælo ſuper omnem impietatem hominum eorum &c. d.20. n.57. & 70. & 118. & d.45.n.16.*

2. *Factores legis iuſtificabuntur; cum enim gentes, quæ legem non habent naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, eiuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, teſtimonium reddente ipſis conſcientia ipſorum. d.1.n.11. & d.20.n.60.70. d.22.n.17. & d.30.n.16.*

3. *Gratis iuſtificati. d.15.n.14.*

4. *Deus autem ſpei det vobis gaudium, & pacem in credendo, vt abundetis in ſpe. d.44.n.31.*

5. *Per quem habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei. d.44.n.31.*

5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum. d.44.n.32.*

5. *Abundantiam gratiæ, & donationis accipientes. d.5.n.13.*

6. *Gratia Dei vita æterna. d.5.n.12. d.12. n.2. & d.44.n.20.*

8. *Expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat, vanitati enim creatura ſubiecta eſt non volens, ſed propter eum, qui ſubijcit eam in ſpe; quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quod omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſque adhuc. d.9.n.3.*

8. *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. d.15.n.15. & 23. et d.16.n.11.22. 25. et 28.*

8. *Quid oremus, ſicut oportet, neſcimus, ſed ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. d.19.n.5.*

8. *Spe ſalui facti ſumus. d.44.n.31.*

9. *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. d.30.n.107.*

9. *Iam ego non operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. d.30.n.121.*

10. *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei. d.63.n.8.26. et 29.*

10. *Numquid non audierunt? et quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. d.20.n.110. d.63.*

10. *Quomodo credent eum, quem non audierunt, quomodo autem audient ſine prædicante? d.63.n.26.*

11. *Sic ergo, et in omni tempore reliquiæ ſecundum electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt. Si autem gratia iam non ex operibus, alioquin gratia, iam non eſt gratia. d.17.n.15.*

12. *Dico enim per gratiam, quæ data eſt mihi. d.3.n.8.*

13. *Beneficentiæ, et communionis nolite obliuiſci, talibus enim oſtiis promeretur Deus. d.44.n.34.*

14. *Quod non eſt ex fide, peccatum eſt. d.63. n.1. et 26.*

15. *Non autem à Deo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus. d.31.n.10.*

18. *Quicumque ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei. d.30.n.111.*

EX I. AD CORINTHIOS.

1. *Quæ ſunt Dei nemo nouit, niſi ſpiritus Dei, nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, vt*

Digitized by Google

ſciamus, quæ à Deo donata ſunt nobis. d.4.n.47. d.5.n.12. d.10.n.5.

2. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* d.4.n.47.

3. *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* d.20.n.45.

4. *Momentaneum, & leue tribulationis noſtræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* d.15.n.15.d.26.n.22. & 28.

4. *Quis enim diſcernit? Quid habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* d.30.n.156.

7. *Miſericordiam conſequutus ſum, vt ſim fidelis.* d.44.n.30.

12. *Emulamini chariſmata meliora, & adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro.* d.20.n.367.

12. *Operatur omnia in nobis.* d. 20. n. 19. d.29.n.13.

13. *Charitas non agit perperam.* d. 50.n.28.

15. *Abundantius illis omnibus laboraui, non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* d. 30. n. 13. & 47.

18. *Charitas omnia credit, omnia ſperat.* d.65.n.12.

Ex II. AD CORINTHIOS.

1. *Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* d.50.n.23.

2. *Odorem iuſtitiæ ſuæ per nos manifeſtat.* d.31.n.10.

3. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* d.29.n.13.& d.44.n.20.

4. *Id enim, quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* d.16.n.22.& 28.

4. *Is, qui intus eſt, renouatur de die in diem.* d.22.n.2.

5. *Tantum Deo exhortante per nos.* d. 31. n.10.

6. *Exite de medio eorum, & ſeparamini dicit Dominus.* d.30.n.154.

8. *Qui parce ſeminat, parce & metet.* d.16. n.17.

13. *Oramus autem ad Dominum, ne quid faciatis mali.* d.70. n. 17.

AD GALATAS.

1. *Vt reuelaret filium ſuum in me.* d.63.n.11.

5. *Fructus autem ſpiritus eſt charitas.* d.44. n.32. & d.65.n.13.

6. *Opus autem ſuum probet vnuſquiſque.* d.30.n.43.

AD EPHESIOS.

1. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem eius ſecundum diuitias gratiæ eius.* d.5. n.13.

2. *Mihi omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc in gentibus euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi à ſæculis in Deo, vt innoteſcat Principibus, & poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei.* d. 10.n.7.

2. *Saluati eſtis per fidem; & hoc non eſt ex vobis, donum enim Dei eſt, ne quis glorietur.* d.44.n.30. d.29.n.13.

2. *Fuimus & nos aliquando naturâ filij iræ.* d.1.n.1.

4. *Quoſdam quidem dedit Apoſtolos, quoſdam Prophetas, alios autem paſtores, & doctores ad conſummationem in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, vt veritatem facientes in charitate creſcamus in illo per omnia.* d.20.n.45.

4. *Renouamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis.* d.22.n.2.

6. *Pax, & charitas cum fide à Deo Patre, & Domino Ieſu Chriſto.* d.44. n.32.

AD PHILIPPENSES.

1. *Quia vobis datum eſt pro Chriſto non ſolum, vt credatis in eum, ſed etiam vt patiamini pro eo.* d.44.n.36.

2. *Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.* d.20.n.19.

AD COLOSSENSES

3. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes nouum, qui renouatur in agnitione Dei.* d.22.n.2.

Ex I. AD TIMOTHEVM.

1. *Regi ſæculorum immortali, & inuiſibili.* d.22.n.26.

Digitized by Google

6. *Qui ſolus habet immortalitatem, & lucem habitat inacceſſibilem. d.13. n.3. d.23. n.6.& 35.& 59.*

6. *Lucem habitat inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, ſed neque videre poteſt. d.4.n.47.d.44.n.28.*

6. *Diuitibus huius ſæculi præcipe bene agere, diuites fieri in bonis operibus, &c. d.44. n.34.*

Ex II. AD TIMOTHEVM.

1. *Collabora euangelio ſecundum virtutem Dei. d.31.n.78.*

AD HEBRÆOS.

11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. d.20. n.117.220.& d.49.n.19.& d.63.n.1.& 26.*

13. *Deus pacis aptet vos in omni bono. d.20.n.19.*

Ex IACOBO.

1. *Eſtote factores verbi.*

1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſcendens à Patre luminum. d.5.n.13.*

4. *Scienti bonum, & non facienti peccatum eſt illi. d.70.n.8.*

Ex I. PETRI.

1. *Renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili per verbum Dei viui. d.31.n.23.*

1. *Secundum miſericordiam ſuam regenerauit nos Deus in ſpem viuam. d.44.n.31.*

2. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius, qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius, qui cum malediceretur, non maledicebat, qui cum pateretur, non comminabatur. d.70.n.7.*

Ex II. PETRI.

1. *Omnia nobis diuinæ virtutis ſuæ ad vitam, et pietatem donata ſunt, per quæ maxima, et prætioſa nobis donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ conſortes naturæ. d.4. n.24 28.& d.5.n.13. d.17.n.9.d.21.n.3. d.32.n.6.*

Ex I. IOANNIS.

2. *Omne, quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, et concupiſcentia oculorum, et ſuperbia vitæ. d.70.n.12.*

3. *Nunc filij Dei ſumus, ſed nondum apparuit, quod erimus. Scimus autem, quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. d.12.n.2.*

3. *Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet. d.31.n.23.*

3. *Omnis, qui habet hanc ſpem, in eo ſanctificat ſe. d.44.n.31.*

4. *Charitas ex Deo eſt. d.44.n.31.*

Ex III. IOANNIS.

De omnibus orationem faciens proſpere te ingredi, ſicut proſpere agit anima tua. d.29. n.8.

Fideliter facis, quidquid operaris in fratres. d.29.n.8.

Ex APOCALYPSI.

2. *Noui opera tua, et fidem tuam, et charitatem tuam, et miniſterium, et patientiam tuam, et opera tua nouiſſima. d.30.n.43.*

INDEX

Digitized by Google

INDEX RERVM,

quæ in hoc volumine continentur.

A.

Accidens.

Accidentia ſupernaturalia poſſunt eſſe naturæ irrationali propria d 4 n 33.
Non repugnat accidens ſupernaturale ſuapte natura creatione productum d. 5 n 9.
Accidentia eodem modo productionis fiunt quoad vnionem, & quoad entitatem. d. 7 ſ 2.
Accidentia ſuprema ordinis ſupernaturalis non excellunt perfectione ſupremas ſubſtantias ordinis naturalis d. 21. n. 11. & ſeq.

Actio.

Actio non eſt perfectior, quod pendeat à cauſa perfectiori. d 37. num. 19.
Non repugnat actio indiſtincta realiter ab agente creato. d. 41. num. 31.
Non requiritur actio ſpecialis ad imperium vnius actus in alium. d. 67. ſect. 2.

Actus.

Actus vitalis repugnat creatione produci. d. 7. n. 16.
Si per creationem fieret, non poſſet eſſe liber. n. 18.
Pertinentes ad eamdem potentiam poſſunt ſpecie differre circa idem obiectum formale. d. 45 n. 6.
Idem actus non poteſt reſpicere duo obiecta formalia intrinſeca adæquata d. 47. n. 1.
Poteſt duo obiecta formalia intrinſeca, & inadæquata. d. 47. ſect. 1.
Reſpiciens duo obiecta formalia diuerſa non pertinet ad duas ſpecies diuerſas. n. 12. & 13.
Reſpiciens ſimul motiuum ſcientiæ, & opinionis, non eſſet ſimul certus, & incertus, obſcurus, & clarus circa idem obiectum; ſecus euidens, & probabilis. n. 14.
Repugnat idem actus ſimul naturalis, & ſupernaturalis intrinſecè; quamuis non repugnet reſpiciens ſimul motiuum intrinſece naturale, & ſupernaturale. d 44 n 15.
Non repugnat actus ſimul verus, & falſus comparatione diuerſorum obiectorum. n. 16.
Item ſimul bonus, & malus. n. 17.
Non apparet implicare actus reſpiciens ſimul obiectum ſub ratione boni, & veri. n. 19.
Alij actus procedunt à potentia ex motione aliorum per ſe; alij per accidens. d. 48. n. 1.
Actus ſupponens per ſe motionem actus ſupernaturalis eſt intrinſece ſupernaturalis. n 5 & ſeq.
Ad dependentiam vnius actus ab alio non requiritur actio aliqua media eſſentialiter alligata actui mouenti potentiam. n. 9. d. 67. ſect. 2.
Actus intrinſece bonus poteſt eſſe extrinſece malus d. 50. ſ. 6.
Actus extrinſece malus poteſt eſſe meritorius. ſec. 7.
Actus malus poteſt conferre in exiſtentiam actus ſupernaturalis. d. 50. n. 55.
Non poteſt idem actus numero ſub eodem obiecto formali variare plura obiecta materialia. d. 47. n 9.
Non ſolum poſſibiles diuinitus, ſed ex natura rei exiſtentes ſunt actus reſpicientes duo obiecta formalia ſimul. n 11.
Actus reflexus poteſt amare directum tanquam obiectum materiale, & formale. d. 64. n. 1.
Cum reflexus amat directum tanquam obiectum formale, vterque actus pertinet ad eamdem virtutem. ſec. 2.
Poſſunt duo actus reſpicere obiecta formalia adæquate diuerſa, & pertinere ad eamdem virtutem, ſi æquiualenter ſint eiuſdem ſpeciei. d. 64. n. 5. d. 55. n. 32.
Actus externus continet meritum ab interno diſtinctum. d. 68. ſec. 5. vide *Affectus.*

Actus naturalis.

Actus intrinſecè naturalis non fit meritorius ex relatione extrinſeca Dei in finem ſupernaturalem. d. 44. n. 16.
Nullus actus intrinſece naturalis eſt ſalutaris in vitam æternam. ſect. 7.
Non eſt connexus cum obiecto ſupernaturali. d. 46. n. 6.
Non refertur ordine tranſcendenti in obiectum ſupernaturale. d. 46. n 6. & 13.
Poteſt fieri ab vno habitu, quamuis reſpiciat duo obiecta formalia intrinſeca. d. 47. n 11.
Actus virtutum naturalium fiunt præuenientibus ſemper auxilijs ſupernaturalibus. d 20 ſec. 2 & ſeq.
Poteſt procedere à potentia ex motione actus ſupernaturalis. d. 48 n 2.
Non poteſt procedere per ſe ex motione actus ſupernaturalis, ſed per accidens. n. 5.
Poteſt mouere ad actum ſupernaturalem. d. 49 ſec. 1 & 2.
Efficitur ſemper, ac efficitur ſupernaturalis circa idem obiectum. d. 48 n. 4.
Non dat initium iuſtificationi, quamuis impetret ſupernaturalem. d. 49. n 13.
Conferre poteſt ad efficaciam auxilij intrinſece ſupernaturalis. d 49 n. 17.
Actus virtutum naturalium numquam fiunt abſque actibus virtutum ſupernaturalium. d 20. n 11. & ſeq.
In actum virtutis naturalis duplicem concurſum conferre poteſt auxilium intrinſece ſupernaturale. n. 14.
Ad omnem virtutis actum neceſſarium eſt auxilium ſupernaturale gratiæ. n. 14.
Actus naturalis poteſt habere obiectum formale ſupernaturale. d. 45 ſec. 5 & ſeq.
Ratio formalis, *ſub qua* actus naturalis, diſtincta eſt à ratione formali, *ſub qua* actus ſupernaturalis. ſec. 8.

Actus ſupernaturalis.

Dantur reipſa actus entitate ſupernaturales. d. 44 per totam.
Arguitur benè intrinſeca ſupernaturalitas actuum ex connexione cum gratia ſanctificante, à n. 14.
Item ex auxilijs gratiæ ſupernaturalibus. n. 19.
Etiam ex habitibus infuſis. n. 18.
Rurſus ex imbecillitate naturę ad actus ſalutares. n 20.
Vt actus ſit intrinſece ſupernaturalis ſufficit exigentia gratiæ actualis intrinſece ſupernaturalis, quamuis non exigat habitum intrinſece ſupernaturalem d 44. n. 14.
Dari poſſunt, & dantur actus intrinſecè ſupernaturales etiam in ſenſibus internis, atque externis. d 44 ſec 9 & 10.
Poteſt actus ſupernaturalis habere obiectum formale naturale. d 45 ſec. 2. 3 & 4.
Recipiuntur immediatè in naturá rationali abſque qualitate ſupernaturali adæquatè recipiente, d 26. n. 1 & ſeq.
Itẽ recipiũtur abſque qualitate recipiẽte inadæquatè. n. 7. & ſeq.
Recipiuntur etiam abſque qualitate diſponente, n. 16. & ſeq.
Actus ſupernaturales indeliberati, & imperfecti fiunt de facto per auxilium extrinſecum. d 34 n 18 & 19.
Actus ſupernaturalis deliberatus poteſt fieri diuinitus per auxilium extrinſecum. d. 34. ſec 3. & ſeq.
Nullus fit actus ſupernaturalis deliberatus, & perfectus per auxilium extrinſecum. d. 34. n. 51.
Vt actus ſupernaturalis fiat connaturaliter per auxilium extrinſecum non obeſt exigentia actus d. 35. n. 1. & 15.

Digitized by Google

Neq; obeſt modus naturalis agẽdi potentiæ vitalis.n.4 5.&17.
Neque obeſt modus connaturalis auxiliandi Dei. n.7.
Nullus actus ſupernaturalis poteſt fieri ex natura rei per auxilium extrinſecum,ſi attendamus primariam intentionem Dei;ſecus ſi ſpectemus ſecundariam.d.35.n 12.
Si ſpectetur natura vt eleuata per gratiam non poteſt fieri ex natura rei actus liber ſupernaturalis ſine auxilio extrinſeco. n 19 & ſeq.
Actus ſupernaturalis eſt ſpecie diuerſus pro diuerſitate ſpecifica potentiæ vitalis.d.36.ſec.3.
In ſententia diſtinguente actum vitalem ab actione potentiæ vitalis, poſſunt actus ſupernaturales non diſtingui ſpecie pro diuerſitate ſpecifica potentiarum.d.36.n.13.
Non repugnat in eadem ſententia actus ſupernaturalis, naturales ſpecie diſtingui pro ſola diſtinctione potentiarũ.n.14.
Vero ſimilius eſt etiam in eadẽ ſententia actus ſupernaturales Angelicos de facto differre ſpecie ab actibus humanis.n.15.
Cum æquali auxilio ſupernaturali, & obiecto poſſunt eſſe inæquales ab inæqualitate potentiæ vitalis.d.37.ſec.2.
Inæqualitas potentiæ non influit neceſſario in æqualitatem actus ſupernaturalis.ſec.4.
Non ſolum actus ſupernaturales viatoris,ſed etiam cõprehenſoris poſſunt eſſe inæquales pro inæqualitate potentiæ.ſec.6.
Maior perfectio actus ſupernaturalis reuocari non poteſt in ſolam perfectionem potentiæ vitalis.Ibidem.
Poteſt intenſio actus ſupernaturalis vincere intenſionem actualis gratiæ.d.38.ſec.2.
Etiam poteſt ſuperare intenſionem habitus infuſi. d. 39.ſec.1.
Maior intenſio actus ſupernaturalis non efficitur augmento habitus,quod actui confertur tanquam præmium.d.39.n 3.
Poteſt aliquis exceſſus intentionis actus ſupra habitum procedere ab habitu.n.8.
Omnis exceſſus intenſionis actus non poteſt ab habitu procedere.n.6.
Ad omnem intenſionem actus excedentem virtutem habitus non requiritur auxilium extrinſecum.n.8.
Principium ſupernaturale diſtinctum ab habitu neceſſarium ad exceſſum intenſionis actus influit ſimul cum habitu ad omnes gradus intenſionis actus ſine diſcrimine.n.11.
Actus elicitus à ſolo habitu differt ſpecie ab actu elicito ab habitu, & auxilio extrinſeco.n.12.
Actus excedẽs actiuitatem habitus non poteſt conſeruari augmento habitus,quod merito talis actus comparatur.Ibidem.
Actus ſupernaturalis non poteſt ſucceſſiue augeri vltra intenſionem habitus.Ibidem.
Efficitur immediate à potentia vitali etiam quoad ſupernaturalitatem.d 30.n.136.
Ratio tamen formalis agendi potentiæ in actu non eſt ſupernaturalitas, ſed vitalitas, & ratio formalis agendi gratiæ non eſt vitalitas, ſed ſupernaturalitas.n.139.
Ratio formalis, *ſub qua* actus ſupernaturalis tam intrinſeca obiecto, quam extrinſeca differt à ratione formali *ſub qua* actus naturalis d.45.ſec.8.
Ratio formalis obiecta *ſub ipſa* actus ſupernaturalis alia eſt à ratione formali obiectiuas *qua*.n.37.
Non differt à naturali ſolum ex principio, ſed etiam ex modo reſpiciendi obiectum.d.46.n.1.
Quonã modo reſpiciendi obiectũ differat à naturali.n.2.& ſeq.
Connexus eſt neceſſario cum obiecto. n 66.
Reſpiciens duo obiecta formalia non procedit ab vno habitu ſupernaturali,ſed duobus.d 47 n.11.
Poteſt mouere potentiam ad actus naturales d.48.n.2.
Poteſt fieri in motione actus naturalis per accidens. d 49. ſec. 1.&2.
Non poteſt fieri per ſe ex motione actus naturalis.ſec 4.& 5.
Poteſt fieri diuinitus ſolis auxilijs intrinſece naturalibus.d.49. n.18.
Non poteſt fieri ex natura rei abſque auxilijs gratiæ intrinſece ſupernaturalibus.d 49 ſec 4 & 5.
Actus ſupernaturalis poteſt vitiari.d 50.ſec.2 & ſeq.
Poteſt in malum finem referri.n.5.& ſeq.
Actus ſupernaturalis poteſt eſſe prohibitus à Deo. d. 50.ſec.8. Item n.63 & 67.& ſeq.
Malitia actus ſupernaturalis prohibiti non eſt adæquate intrinſeca actus.n 52.
Prohibitus non conferret complacentiam diuinam. d.50 n.69.
Actus ſupernaturales non efficiunt habitus infuſos. d. 51.ſec.1. & 3.
Non efficiunt habitum ſupernaturalem acquiſitum.d.52.ſec.2. & ſeq.
Efficiunt habitum acquiſitum naturalem abſentibus circa ſuum obiectum actibus naturalibus.d.53 n.3.
Secus ſi adſint actus naturales.Ibidem.
Poteſt inducere intellectũ in aſſenſum erroneum.d.56 n.4.& 5.
Actus ſupernaturales reflexi,atque directi pertinent ad eamdẽ virtutem,quamuis reflexi moueantur ex bonitate intrinſeca directorum.d.64.ſec.2.
Actus ſupernaturalis poteſt eſſe indifferens ſecundum ſpeciem. d.69.ſec 2.
Actus ſupernaturalis bifariam poteſt aſſeri ſecundum ſpeciem indifferens.ſec.1
Vide *Affectus. Cognitio.*

Actus imperans & imperatus.

Actus naturalis poteſt imperare ſupernaturalẽ.d.49.ſec.1.& 5.
Actus ſupernaturalis imperans poteſt fieri habitibus infuſis.d. 49.n.10 & ſeq.
Poteſt actus imperans, & imperatus pertinere ad eumdem habitum, etiamſi imperans moueatur intrinſece propter bonitatem formalem imperati.Ibidem & d 64.ſec.2.
Actus imperans debet eſſe aliqua ratione principium actus imperati,& illum in ſuum finem referre. d.65.n.3.& d.66.ſec.1.
Multiplex poteſt eſſe actus imperans.d.65.n 4.
Poteſt actus internus vnius virtutis imperari ab alio actu interno referendo ipſum in finem extrinſecum.d 65.ſec.2.& 3.
Actus imperans non influit in imperatum ſolum applicando motiua d.65.n 15.
Actus imperatus ſumit bonitatẽ extrinſecam ab imperanti.n.16
Poteſt imperari actus nobilior ab ignobiliori.d.65.ſec.4.
Imperans non poteſt eſſe ſubſequens imperatum.d 66.ſec.1.
Actus imperans poteſt eſſe efficax, & determinans omnino imperatum pro inſtanti,in quo elicitur imperans.ſec.2.
Item poteſt eſſe vagus & indeterminatus.ſec.3.
Ad imperium non eſt neceſſarius amor reflexus actus imperati d 66.n 14.
Actus imperans poteſt eſſe affectus inefficax,& ſimplicis complacentiæ ſec.4.
Actus imperans non imprimit imperato aliquem modum phyſicum d 67 ſec.1.
Neque eſt efficiens actus imperati.n.3.
Ad imperium actuale non requiritur actio aliqua ſpecialis alligata eſſentialiter actui imperanti.ſec.2.
Poſſunt exiſtere ſimul actus imperans, & imperatus, quin imperatus ab imperante procedat.n.6.
Imperium in actu ſecundo conſtituitur per euentum conditionatum,in quo non eſſet actus imperatus deficiente imperante.ſec.3.
Imperium efficax, & determinatum adimit libertatem immediatam actui imperato.d.68.ſec.2.& 3.
Actus internus efficaciter imperatus habet meritum ab imperante diſtinctum. d.68.n 18.& ſeq.
Meritum actus imperati non eſt adæquate diſtinctum à merito imperantis.n.26.
Etiam actus imperatus exterior ſuperaddit meritum interiori imperanti.d.68.ſec.5.

Adamus.

In Adamum transfuſæ voluntates non poſſunt mereri de condigno gloriam,ſicut pœnam.d.16.n.45.
Aliquale meritum præmij ſaltem de congruo potuit Adami poſteris conuenire per meritum Adami n 44.
Tale meritum non eſſet æque perfectum in membris, ac in Adamo Ibidem.
Quamuis actus charitatis eſſet iuſtificans, non poſſunt poſteri iuſtificari per actum charitatis elicitum ab Adamo Ibidem.
Creatus non fuit qualis eius poſteri naſcuntur.d.21 n.1.
Inſtructus fuit prima ſui creatione donis ſupernaturalibus.n.2.
Ea dona indebita fuerunt Adamo etiã ante peccatũ.ſec.2.&ſeq.

Adoptio, Adoptiuus.

Vide *Filiatio,Filius,ſubſtantia ſupernaturalis.*

Affectus.

Affectus voluntatis dupliciter poteſt eſſe abſolutus, & efficax. d.14.n.16.
Affectus ſupernaturaliũ. Vide *ſupernaturalia quoad ſubſtantiã*
Supernaturalis poteſt imperare aſſenſũ erroneum.d 55.n.4 & 5.
Cognitio ad affectus abſolutos,& efficaces requiſita. Vide *Cognitio.Imperium.Intellectus.Iudicium. Prudentia.*
Ad omnem affectum ſupernaturalem requiritur aliqua cognitio fidei d.63 ſec.1
Fides ad affectum ſupernaturalem neceſſaria, alia eſt ſtricta, alia lata.ſec.2.
Fides ad effectum ſupernaturalem neceſſaria non eſt ſtricta, ſed lata.ſec.3.

Digitized by Google

QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

Affectus reflexus poteſt affici in directum tanquam in obiectum materiale, & formale. d. 64. n. 1.

Cum affectus reflexus afficitur in directum tanquam in obiectum formale, vterque pertinet ad eamdem virtutem. d. 64. ſec. 2.

Poteſt eſſe affectus intrinſece ſupernaturalis indifferens ſecundum ſpeciem. d. 69 ſec. 2.

Affectus ſupernaturalis dupliciter poteſt eſſe ſecundum ſpeciem indifferens. ſec. 1.

Quid dicendum de affectu ſupernaturali in indiuiduo indifferenti d. 69. n. 16.

Sine affectu ſupernaturali libero poteſt eſſe meritum in omiſſione actus prohibiti. d. 70. ſec. 2. & ſeq.

Vide *Amor*.

Amor.

Poteſt amor naturalis procedere ex ſola cognitione ſupernaturali. d 48 n. 3.

In natura euacuata poſſibilis eſt amor efficax Dei intrinſece naturalis. d. 49 n. 14. & ſeq.

Amor ſupernaturalis poteſt fieri diuinitus ex ſola cognitione naturali. d. 49. n. 18. & ſeq.

Supernaturalis ſupponit per ſe cognitionem ſupernaturalem. d. 49. ſec. 4 & 5.

Angelus.

Angelus non poteſt euidenter colligere ſupernaturalia ex notione potentiæ obedientialis. d. 11. n. 19.

Angelus nequit cognoſcere aliquid ſupernaturale ex negatione aliqua naturali d. 11. n. 19.

Angelus poteſt cognoſcere negationes naturales in ſe ipſis immediate, quãuis ſequantur cauſam ſupernaturalẽ. d. 11. n. 26.

Elicit actus ſupernaturales cum æquali auxilio ſupernaturali perfectiores humanis d. 37. n. 5. & ſeq.

Angelo ex natura rei non debentur ſpecies naturales, quibus cernat negationes omnium accidentium poſſibilium etiam naturalium, quæ ipſum prohibere poſſunt. d. 11. n. 23.

In ſententia *Phyſicæ prædeterminationis* defendi non poteſt, Deum præueniſſe Angelos inæqualiter donis actualis gratiæ pro inæqualitate perfectionis naturalis. d. 18. n. 12.

Qua ratione contulit inæqualitas naturæ ad inæqualitatem donationis gratiæ. Ibidem.

Angelus ſuapte natura impotens delinquere contra præcepta naturalia æque aduerſatur Patribus Eccleſiæ, ac ſubſtantia ſupernaturalis abſolute impeccabilis. d. 23. n. 63.

Angelus impotens naturaliter violare præcepta naturalia non poſſet violare præcepta ſupernaturalia. n. 64.

Elicit aſſenſus fidei componendo, & diuidendo præuijs apprehenſionibus ſupernaturalibus. d. 60. n. 6.

Omnia obiecta creata non ſunt proportionata virtuti intuitiuæ Angelicæ. d. 10. n. 26.

Neque abſtractiue aſſequitur ſupernaturalia lumine naturali. d. 11. per totam.

Animus.

Animi creatio non eſt intrinſece ſupernaturalis. d. 5. n. 3.

Appetitus.

Appetitus innatus donorum ſupernaturalium probari nequit abſque ordine tranſcendenti naturæ in ea dona. d. 9. n. 14.

Appetitus innatus naturæ in dona ſupernaturalia ſubiectus eſt contentioni de voce. n. 19.

Appetitus innatus non eſt poſſibilitatis, ſed exiſtentiæ donorum. n. 17.

Appetitus innatus in dona ſupernaturalia abſolute negandus. d. 9. n. 13.

Appetitus innatus non continet tot ſpecies, quot elicitus. n. 14.

In appetitu ſenſitiuo poſſunt dari actus intrinſece ſupernaturales. d. 44 ſec. 9.

Apprehenſio.

Supernaturalis eſt connexa cum obiecto. d. 44. n. 6. & 12.

Præcedens iudicium ſupernaturale debet eſſe intrinſece ſupernaturalis. d. 49 ſec. 4. & 5. d. 60. n. 11. & ſeq.

Naturalis poteſt mouere per accidens ad iudicium ſupernaturale. ſec. 1. & ſeq.

Poteſt ſola naturalis diuinitus inferre iudicium ſupernaturale. n. 18. & ſeq.

Apprehenſio præcedens aſſenſum fidei non fit per ſpeciem ſupernaturalem. d. 54 n. 8. & 11.

Efficitur per habitum ſupernaturalem fidei n. 1.

Requiritur per ſe intrinſece ſupernaturalis ad aſſenſum fidei. d. 60. n. 1. & ſeq.

Etiam ad Angelicum. n. 6.

Apprehenſio ſupernaturalis non ſolum requiritur ad primum aſſenſum fidei, ſed etiam ad omnes. d. 60. n. 8.

Efficitur per eumdem habitum, per quem fit aſſenſus. n. 9.

Aliæ ſunt apprehenſiones ſuaſiuæ aſſenſus, aliæ mere ſimplices non ſuaſiuæ. n. 12. d. 62. n. 10.

Solæ apprehenſiones ſuaſiuæ aſſenſus ſunt intrinſece ſupernaturales. n. 12.

Sufficit ſola apprehenſio ad affectus liberos abſolutos, & efficaces voluntatis. d. 62. n. 7. & ſeq.

Etiam ſufficit ad actus timoris, & electionis mediorum. n. 18.

Arbitrium.

Arbitrij vires gratia deſtitutæ. Vide *Gratia auxilians*, & *Auxilia gratiæ*.

Ineſt arbitrio actiuitas in iſta, & naturalis ad actus ſupernaturales. d. 30. ſec. 7.

Item actiuitas immediata, & partialis.

Vide *Potentia obedientialis actiua. Homo. Potentia vitalis.*

Eſt cauſa immediata & partialis faciens, vt agamus opera pietatis. d. 30. n. 149.

Item eſt cauſa partialis diſcernens in actu ſecundo operantem à non operante. d. 30. ſec. 28.

Aſſenſus.

Poteſt aſſenſus naturalis moueri ex obiecto formali, & reuelatione Dei intrinſece ſupernaturali. d. 45. n. 23. & ſeq. n. 31. & ſeq d 46. n. 8.

Diſcrimen aſſenſus naturalis propter reuelationem diuinam ab aſſenſu ſupernaturali n. 32. & 38.

Aſſenſus hæretici propter reuelationem Dei differt ab aſſenſu Catholici certitudine, & connexione cum obiecto. d. 46. n. 7.

Vide *Verbum Dei. Apprehenſio. Fides. Iudicium.*

Attritio.

Attritio naturalis elicita ſine gratia non valet iuſtificare cum ſacramento. d. 17. n. 32.

Auditus.

In auditu corporeo poſſunt eſſe, & erunt in patria actus intrinſece ſupernaturales. d. 44. ſec. 10. & 11.

Vide *Senſus*.

Auguſtinus.

Auguſtinus primus aſſertor potentiæ obedientialis. d. 24 n. 3.

Inter fidei miſteria recenſet potentiam obedientialem. ibidem.

Auxilium.

Auxilia gratiæ quoad modum ſupernaturalia non ſunt omnino indebita naturæ. d. 5. n. 31.

Auxilia ſupernaturalia coniuncta ſunt ex lege Dei cum omni auxilio naturali ad omnẽ virtutis naturalis actum. d. 20. ſec. 2. & ſeq.

Auxilia ſupernaturalia tripliciter poſſunt iuuare arbitrium ad bene, ac ſalutariter agendum. d 20. n. 11.

Duplicem concurſum conferre poſſunt in actum honeſtum naturalem n. 14.

Ex lege Dei neceſſarium eſt auxilium gratiæ ad quodlibet bonum opus morale.

Auxilijs gratiæ ſupernaturalibus non ſemper annectuntur naturalia. d. 20. n. 15.

Auxilia gratiæ præoccupant omnem honeſtum conatum naturæ. d. 20. ſec. 4. & 5.

Sine auxilio gratiæ iuxta prouidentiam præſentem natura rationalis ſolum ad peccandum valet. d. 20. ſec. 6.

Auxilia gratiæ continuo aſſiſtunt arbitrio. ſec. 7.

Auxilia ſupernaturalia interna annexa ſunt miniſterio externo creaturarum. ſec. 9. & 10. & 11.

Auxilia gratiæ ſupernaturalia præbentur infidelibus ad bene moraliter agendum. ſec. 12. & ſeq.

Auxilia ſufficientia ad ſalutem nulli hominum etiam infidelium negantur. ſec. 12. & 13.

Auxilia gratiæ proxime ſufficientia ad dilectionem Dei, & iuſtificationem infidelibus adſunt ſeorſim à fide ſtricta. d. 20. n. 115. & ſeq.

Auxilium eleuans aliud actuale, aliud habituale d 34. n. 47.

Quodnam ſit ex parte Dei auxilium extrinſecum eleuans potentiam vitalem. d. 34. n 50.

Auxilium extrinſecum eleuans nihil continet repugnans vitalitati, aut ſupernaturalitati actus d. 34. n 11. & 15.

Diſcrimen concurrendi in actum ſupernaturalem inter auxilium habituale, & actuale. d. 38. n. 1.

Quã ratione eſt cauſa principalis actus ſupernatur. d. 30 n. 120.

In quo ſenſu verum ſit eſſe cauſam adæquatam, vt homo efficiat actum ſupernaturalem, n. 14.

Digitized by Google

Non diſcernit adæquate iuſtum, ab iniuſto in actu ſecundo. d. 30.n.152.& ſeq.
Non eſt neceſſarium ad actum ſalutarem ratione difficultatis. d 44.n.22 & ſeq.30 31.
Neque ratione intentionis actus.n.24.
Neque ratione meriti.n.25.
Neque ratione actionis diſtinctæ ab entitate actus.n.26.
Poteſt concurrere ad ſolam omiſſionem puram actus prohibiti intrinſece naturalem, quamuis non poſſit ad ſolum actum poſitiuum intrinſece naturalẽ. n.54 & ſeq.d.70.ſec.4.6 & 7.
Efficacia auxilij ſupernaturalis poteſt inadæquate compleri ex motibus naturalibus.d.49.n.27.
Auxilium gratiæ poteſt concurrere in actum materialiter malum.d.50.n.17.26 & ſeq.
Influens in actum vitiatum vere eſt gratia.n.27.
Non mouet voluntatem in actum ſupernaturalem prohibitum, d.50.n.63.67 & 68.
Vide *Actus ſupernaturalis, Potentia vitalis, Gratia auxilians.*

B.

Beatitudo. Beatus.

Beatitudo ſupernaturalis poteſt expeti affectu naturali ex ſe abſoluto,& efficaci.d.14.ſec.3.
Item ſub motiuo ſupernaturali.n.34.
Etiam ex fine turpi n.38.
In ſtatu beatitudinis erunt ſenſiones,& appetitiones corporeæ intrinſece ſupernaturales.d.44.ſec 9 10.& 11.
Poteſt viſio Dei, quæ ſit beatitudo formalis, colligi diuinitus per diſcurſum.d.55.n.61.
Qua ratione talis viſio poſſit negari beatitudo formalis.n.62.
Beatus capax eſt puræ omiſſionis, ſicut viator.d.70.n.26.& 27.
Beatitudo in ratione beatitudinis non creſcit quocunque incremento viſionis Dei.d 57 n.15.& 21.
Beatus perfectione entitatiua præſtantior elicit aliquos actus ſupernaturales præſtantiores cum æquili auxilo ſupernaturali.d.57.ſec 6.
Affectus beatitudinis ſupernaturalis poteſt eſſe naturalis,& efficax etiam ſecluſa reuelatione Dei.n 32.
Etiam ſecluſo quouis errore intellectus.n.33.
Beatitudo æterna eſt præmium æſtimatione infinitũ.d.16 n.32.
Maius præmium eſt beatitudo finita æterna, quam infinita temporalis.Ibidem.
In beatis poteſt eſſe Theologia diſcurſiua per actum luminis gloriæ.d 55.n.57 & ſeq.
Non eſt appetitus innatus in beatitudinem ſupernaturalem. d. 9.n.23.
Vide *Viſio Dei.*

Bonum.

Supernaturale poteſt appeti affectu ſecundum ſpeciem indifferenti.d 69.n.14.

Bruta.

Poſſunt efficere ſenſiones intrinſece ſupernaturales.d 44.n.69.

C.

Caluinus.

Caluinus reipſa negauit potentiam obedientialem actiuam ad actus ſupernaturales.d 29.n.4
Caluinus opponi videtur Catholicis negando concurſum immediatum,& partialem arbitrij in actus ſupernaturales.d. 30. ſec.5.& 21.

Caput.

Meritum capitis Vide *Meritum. Adamus & Chriſtus.*
Actus charitatis elicitus à capite non poteſt iuſtificare membra, licet ſit forma iuſtificans caput. d.16.n 24.

Cauſa.

Ratio cauſæ principalis, & inſtrumentalis multum continet de voce apud Philoſophos.d 31.n 4
Cauſa principalis multis modis dicitur.d.31.n 4.
Propria ratio cauſæ inſtrumentalis eſt principalis.n.6.
Cauſa perfectior continere poteſt plures effectus æquales effectibus cauſæ imperfectioris. d.37 n.18.& 19.
Vt influat in effectum non requiritur ſpecialis aliqua formalitas illi reſpondens ſeorſim ab alia cauſa.d 40.ſec.1.
Cauſa agens per virtutem ſuperadditam non eſt cauſa propria, & per ſe.d.41. n.20.
Cauſa dupliciter partialis. d.30 n 125.
Poſſunt cauſæ æquiuocæ quoad diuerſa indiuidua eſſe mutuo cauſæ. d 51.n.7.
Cauſa bifariam remota.d 30 ſec.2.

Certitudo.

Eſt connexio actus intellectus cum obiecto.d.46.n.7.
Repugnat idem actus ſimul certus,& incertus.d.47.n.14.
Certitudo actus poteſt eſſe extrinſeca.d.55 n.5.& 6.
De certitudine concluſionis. Vide *Concluſio.*
Duplex certitudo aſſentientis, alia ipſius aſſenſus, alia voluntatis imperantis aſſenſum.d.59 n.21.d 61.n.12.& 13.
Certitudo excludens prudentem formidinem credendorum per fidem diuinam poſſet dari, quamuis diuinitus poſſet fieri aſſenſus fidei reuelatione non exiſtenti.n.29.
Talis certitudo antecedit aſſenſum fidei Ibidem.
Ad eam certitudinem ſufficit connexio ex natura rei aſſenſus cum obiecto. Ibidem.
Poteſt conuenire certitudo cognitioni obſcuræ immediate reſpicienti obiectum formale creatum. d. 61. n. 12.& 13.
Varia certitudinis genera n.13.

Charitas.

Charitatis actus non eſt ſatisfactorius de iuſtitia pro peccato mortali.d.16 n.67.
Elicitus à iuſto poteſt mereri de condigno remiſſionem peccati mortalis. Ibidem.
De facto tamen non meretur. n.68.
An poſſit mereri de condigno vnionem hypoſtaticam breui amittendam n.70.
Charitatis actus ſufficiens ad iuſtificationem fieri non poteſt ex cognitione naturali Dei d 20 n 111.
Poteſt fieri ex cognitione ſupernaturali Dei, quæ non ſit elicita ab habitu fidei ſtrictæ.n.115 d 63.ſec 4
Requiritur tamen, vt pertineat ad fidem late acceptam. n.120. d 63.ſec.1.& 2.
Eſt intrinſece ſupernaturalis.d 44 n.28.29.& 32.
Poteſt obiectum formale actus charitatis eſſe bonitas Dei naturalis, hoc eſt Dei vt Authoris naturæ. d. 45. n. 11. d. 63. n.23.
Obiectum formale ſupernaturale actus charitatis poteſt mouere dilectionem Dei intrinſece naturalem.n.26.
Poſſunt actus charitatis ſpecie differre ex diuerſitate perfectionum Dei, quæ illos formaliter mouent d 45.n.5.
Poteſt idem actus charitatis moueri ex duplici obiecto formali intrinſeco. Ibidem.
Poteſt vitiari. d.50 n.28.
Item poteſt prohiberi.n.50.
Charitas ſumitur late pro quouis affectu ſupernaturali. d. 65. n.12.
Charitatis eſt diligere amorem Dei propter bonitatem ipſius amoris d 64.n.3.& ſeq.
Actus charitatis poteſt imperari à virtute ignobiliori. d. 65. ſec.4.
Ad imperium charitatis. Vide *Actus imperans, & imperatus.*
Vide *Contritio.*

Chriſtus.

Chriſtus Dominus raciocinatione naturali non aſſequitur euidenter vnionem hypoſtaticam ſibi inhærentem.d.11.n.39.
Chriſtus nouit quidditatiue dona ſupernaturalia per ſcientiam infuſam d.12.n.14
Chriſtus non deriuat in opera iuſti aliquam dignitatem neceſſariam ad meritum d.16.n 40.
Quamquam voluntates hominum in voluntatem Chriſti transferrentur, non mererentur homines infinitum per meritum infinitum Chriſti. n 43.
Non indiget ſpeciebus ſupernaturalibus ad cognitiones quidditatiuas ſupernaturales obiectorum naturalium.d. 54 n 15.
Potuit diſcurrere per actum ſcientiæ infuſæ. d. 55. n. 17 & 26. cum ſeq.
Humanitas Chriſti eleuata eſt ad agendum phyſice miracula, & gratiam iuſtificantem.d 40.n.12.
Chiſtus capax eſt puræ omiſſionis, ſicut cæteri homines. d 70. n.26.& 27.

Chriſoſtomus.

Chriſoſtomus non ſine fundamento refertur à pleriſque fautor erroris Semipellagiani.d.17.n.38.& ſeq.
Vere tamen ab eo longe diſceſſit d.17.ſec.11.

Digitized by Google

QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

Cum negat, voluntatem noſtram præuenire gratia Dei, ne lædatur libertas, non negat gratiam prædeterminantem. d. 17. n. 42.

Cogitatio.

Cogitatio congrua naturalis non eſt ſupernaturalis quoad modum. d. 1. n. 27.

Cogitatio pia ad bene agendum neceſſaria. Vide *Auxilia gratia*.

Cognoſcibilitas.

Cognoſcibilitas rei ſpecie diuerſæ, eſt ſpecie diuerſa. d. 47. n. 3.

Cognitio.

Cognitio quidditatiua ſupernaturalium eſt intrinſece ſupernaturalis. d. 4 n. 50 & ſeq.

Modus cognoſcendi non bene colligitur ex modo eſſendi. d. 10. n. 18.

Cognitio bifariam abſtractiua. d. 11. n. 2.

Cognitio euidens ordine tranſcendenti refertur in obiectum. d. 11. n 8.

Cognitio probabilis, quamuis vera ſit non refertur ordine tranſcendenti in ſuum obiectum. n. 9.

Cognitio quidditatiua rei poteſt haberi, quin cognoſcatur quidditatiue ſpecificatiuum extrinſecum ipſius. d. 12. n. 8.

Res non innoteſcit perfectior, quod terminus, cum quo connectitur innoteſcat perfectior d. 13 n. 9.

Cognitio quidditatiua non exigit principium æqualis immaterialitatis cum obiecto. d. 13. n. 2. 3.

Ad cognitionem ſupernaturalem viatoris non requiritur ſpecies ſupernaturalis. d. 54 ſect. 1. & ſeq.

Supernaturalis efficit ſpeciem naturalem. d. 54. n. 17.

Poteſt ſupernaturalis concurrere ad cognitiones erroneas ſimul cum præmiſſa naturali erronea. d. 54. n. 2.

Non repugnat ſupernaturalitati cognitionis concurſus in cognitionem falſam. d 56 n 11.

Supernaturalis poteſt præbere concurſum formalem, quem præbet naturalis in actum peccati. d. 57. n. 2. & ſeq.

Concurſus cognitionis ſupernaturalis in actum peccati non eſt directus moraliter, ſed ſolum phyſice. n. 6.

In cognitionem ſupernaturalem non refertur malitia peccati, quod ea prælucenti committitur. n. 7 & ſeq.

Nulla cognitio ſupernaturalis poteſt eſſe falſa ex natura rei. d. 50. n 2 & ſeq.

Stando rationi non apparet improbabile, poſſe eſſe diuinitus falſam d. 59. ſec. 1. & ſeq.

Neque ſtando autoritati videtur dignum cenſura Theologica. ſec. 5.

Cognitio ſolum diuinitus falſa videtur poſſe componi cum ſupernaturalitate. n. 3.

Si cognitio ſupernaturalis non poteſt diuinitus eſſe falſa, poterit dari creatura aliqua eſſentialiter immortalis, & æterna, etiam per abſolutam potentiam antecedentem Dei. n. 7. & ſeq.

Cognitio ſupernaturalis non videtur habere pro obiecto formali ſibi eſſentiali exiſtentiam rei, vt exercitam in eſſe reali, ſed in eſſe obiectiuo. n. 14. 15. & 16.

Cognitioni ſupernaturali eſt adæquate identificata veritas radicalis, non vero formalis. d. 39. n. 22.

Eſto cognitio ſupernaturalis poſſet eſſe diuinitus falſa, non ſieret poſſe eſſe falſam ex natura rei. 23. & ſeq.

Eſto falſa eſſet diuinitus, obiectum eius formale non eſſet res ſolum apparens. n. 28.

Supernaturalis poteſt moueri intrinſece ex obiecto formali naturali. d. 45 ſec. 2. & ſeq.

Item naturalis ex obiecto formali intrinſece ſupernaturali. ſec. 5. & ſeq.

Cognitio deducta ex alia. Vide *Concluſio*.

Poteſt eſſe cognitio ſupernaturalis obſcura, quæ non ſit actus fidei; & immediate moueatur ex veritate creata. d. 61. n. 1 & ſeq.

Cognitio per ſe requiſita ad affectum ſupernaturalem eſt intrinſece ſupernaturalis. d. 49 ſec. 4 & 5.

Cognitio ſpeculatiua obiecti præcedens affectum ſupernaturalem eſt intrinſece ſupernaturalis d. 62 n 1 & ſeq.

Cognitio malitiæ obiecti præcedens amorem ſupernaturalem, non requiritur ſupernaturalis, niſi identificetur cognitioni bonitatis d 62 n 2.

Cognitio proponens honeſtatem actionis externæ, quam reſpiciunt virtutes morales, pertinet ad prudentiam n 3 & ſeq.

Proponens ſpeculatiue honeſtatem alterius ſuppoſiti, quam amoſe ſupernaturali diligimus, eſt ſupernaturalis, & pertinet ad virtutes de facto infuſas. d. 62. n. 5.

Cognitio ſupernaturalis proponens honeſtatem obiecti non requiritur iudicatiua, ſed ſufficit apprehenſiua, etiam ad affectus liberos abſolutos, & efficaces. n. 7. & ſeq.

Cognitio directa, & reflexa poſſunt ad eumdem habitum pertinere. d. 64. n. 10

Cognitio euidens ſupernaturalis datur in via. d. 20. n. 105.

Cognitio euidens ſupernaturalis in via poteſt eſſe tum immediata, tum mediata n. 106.

Vide *Illuſtratio. Imperium intellectus. Error.*

Comprehenſio.

Ad comprehenſionem rei non eſt opus comprehendere cauſam, à qua dependet. d. 13. n. 7.

Neque neceſſarium eſt exhaurire cognoſcibilitatem extrinſecam rei. ibidem.

Ad comprehenſionem non eſt opus principium cognoſcens eſſe æquale cum obiecto. d 13 n. 14.

Concluſio.

Concluſio euidens Theologica de obiecto ſupernaturali eſt intrinſece ſupernaturalis. d 11 n 41. d 55. n. 19.

Theologica naturalis poteſt habere obiectum formale ſupernaturale. d. 45. n. 21.

Concluſio naturalis non ſupponit per ſe aliquam præmiſſam ſupernaturalem. d. 48. n. 5 & ſeq & d. 55. n. 4. & 11.

Concluſio probabilis deducta ex vna præmiſſa ſupernaturali eſt naturalis. d. 55 n. 1. & 21.

Quamuis motiuum præmiſſarum ſit ſupernaturale poteſt motiuum concluſionis eſſe naturale. n. 3.

Concluſio deducta ex præmiſſa ſupernaturali non ſupponit neceſſario præmiſſam ſupernaturalem n 4.

Cōcluſio naturalis deducta ex duplici ſumptione de fide poteſt eſſe ineuidens, & certa extrinſece. n. 5. & 6.

Non eſt certa intrinſece n. 7.

Poteſt concluſio eſſe certior, quam præmiſſa ex principio, quamuis non ex obiecto. n. 15.

Poteſt colligi concluſio ſupernaturalis ex præmiſſis ſupernaturalibus d. 55. n. 17 & ſeq.

Dari poteſt concluſio materialis, quæ ſuapte natura poſſet fieri ſine præmiſſis. n. 20.

Concluſio deducta ex præmiſſis ſupernaturalibus poteſt eſſe intrinſece naturalis. n 21 & ſeq.

Poteſt colligi concluſio per actus ſcientiæ infuſæ. n. 26. & ſeq.

Item per actus fidei. n. 31 & ſeq.

Concluſio à reuelatione ad miſterium reuelatum eſt elicita per habitum fidei. n. 32.

Talis concluſio non eſt minus certa, quam præmiſſa. n. 34.

Poteſt colligi concluſio ſupernaturalis ex vna præmiſſarum naturali. n. 38.

Item ex duplici naturali. ibidem.

Poteſt concluſio materialis eſſe euidentior, quam præmiſſa. d. 55. n. 39.

Poteſt inferri concluſio ex viſione beata. n. 40 & 57.

De facto dantur plures concluſiones ſupernaturales. d. 55. n. 41 & 42.

Probabile eſt, plures concluſiones Theologicas colligi naturales ex præmiſſis ſupernaturalibus n. 43 & ſeq.

Item colligi Theologicas intrinſece ſupernaturales. nu. 49. & ſeq.

De concluſione Theologica. Vide *Theologia*.

Poteſt eſſe concluſio elicita per lumen gloriæ. n. 58.

Item concluſio ex viſione vnius perfectionis diuinæ in aliam. n. 59. & 63.

Concluſio falſa poteſt deduci ex præmiſſa ſupernaturali. d. 56 ſec. 1.

Non indirecte ſolum, ſed etiam directe. n. 7. & 8.

Non tanquam à conditione, ſed tanquam à principio. n 9. & 10.

Erronea non procedit à præmiſſa falſa, qua falſa eſt, ſed qua eſt indifferens ad veritatem, & falſitatem. d. 56. n. 8. & 10.

Vide *Viſio Dei*.

Conceptus.

Conceptus ſecundarius ordine cauſalitatis poteſt eſſe primarius ordine vniuerſalitatis. d. 4 n 52.

Concurſus.

Concurſus immediatus partialis potentiæ vitalis in actum ſupernaturalem non repugnat ſupernaturalitati actus. d. 30. ſec. 18.

Concurſus in actum ſupernaturalē exhibetur à Deo iuxta exigentiam complexi ex potentia naturali, & habitu ſupernaturali. d. 37. n. 21.

Digitized by Google

Confeſſio.

Poteſt vitiari. d. 50. n. 10.
Vitiata valida eſt, ibidem.

Conatus.

Vide *voluntas.*

Connexio.

Connexio intentionalis naturæ confert ad explicationem entis ſupernaturalis. d. 3. n. 17. & d. 4. n. 50 & ſeq.

Contritio.

Contritioni promiſſa eſt remiſſio peccatorum. d. 16. n. 64.
Contritio naturalis in pura natura poſſet conſequi remiſſionem culpæ per extrinſecam condonationem. d. 16. n. 74.

Creatura.

Creaturarum miniſterium ad ſalutem hominum, vide *miniſterium creaturarum.*
Creaturæ repugnat identificare ſibi aliquam dominationem realem ſibi contingentem d. 13. n. 5. & d. 41. n 46.
Creatura eſſentialiter immortalis etiam poteſtate abſoluta Dei repugnat. d 59 n 2.
Non repugnaret talis creatura, ſi repugnet falſitas etiam diuinitus cognitioni ſupernaturali. n. 7. & ſeq.

Creatio.

Creatio donorum ſupernaturalium, vide *ſupernaturalia quoad ſubſtantiam.*

D.

Deus.

Supernaturalitas Dei, ſoli vocũ diſſenſioni ſubiecta eſt. d. 2. n. 2.
Deus à pleriſque dicitur entitate naturalis, à pleriſque ſupernaturalis, ibidem.
Deus vt autor naturæ plura dona gratiæ diſpenſat. d. 5. n. 17.
Deus continetur intra ſphæram virtutis intuitiuæ intellectus, quamquam ſit extra virtutem intuitiuam oculi corporei. d. 10. d. 29.
Omnipotentiæ Dei dandum eſt poſſibile ſolum ex morali ęquitate, quod non monſtratur repugnare. n. 11. & 12.
Viſio Dei, vide *viſio.*
Deus vt autor naturæ reuelare poteſt occulta cognitioni humanę. d. 11. n. 44.
Poteſt Deus eſſe ſumme verax in dicendo, quamuis verba creata, quibus loquitur, poſſint ex ſe admittere falſitatẽ. d 11. n. 48.
Iuſtitia Dei, vide *iuſtitia.*
Deus adiutor eſt hominis ad actus ſupernaturales. d. 30. ſec. 9.
Eſt cauſa adæquata faciens, vt faciamus opera pietatis cauſalitate præuia inducente arbitrium in conſenſum. d. 30. n. 148.
Non eſt cauſa adæquata faciens, vt faciamus cauſalitate determinante. n. 149.
Cum Deus agit actum ſupernaturalem per auxilium extrinſecum robuſtiori concurſu influit, quam cum agit per auxilium ſupernaturale intrinſecum. d. 34. ſec 7.
Deus eſt abſolute potens, quamuis abſolutus ab ordine tranſcendenti creaturarum. d. 41. n. 70. 71. & 74. d. 31. n. 7. & 8.
Poſſibile eſt Deo, quod non oſtenditur regnare, non eſt abſolute verum. d. 11. n. 12.
Qua ratione intellectum, verum id ſit ibidem.
Non eſt cauſa totalis diſcernendi iuſtum ab iniuſto in actu ſecundo. d. 30. n. 152.
Deus vt author naturæ poteſt diligi per actum ſupernaturalem charitatis. d 45 n. 11.
Item vt author gratiæ per dilectionem intrinſece naturalem. num. 26.
Dei perfectiones diuerſæ mouent affectus ſpecie diuerſos. d. 47. n. 5.
Poteſt diligi amore naturali ex cognitione ſupernaturali. d 48. num. 3.
Poteſt diligi efficaciter in natura eleuata amore intrinſece naturali d. 49. n 14. & ſeq.
Poteſt diligi diuinitus amore ſupernaturali ex ſola cognitione naturali. n. 18. & ſeq.
Non poteſt diligi ex natura rei amore ſupernaturali, niſi præeunte cognitione ſupernaturali. ſec. 4 & 5.
Non eſt cauſa peccati, quamuis prębeat auxilia gratię in actum ſupernaturalem prohibitum d 50. n. 68.
Poteſt eſſe cauſa phyſica erroris. d. 56. n. 2. d 59 n. 15.
Non eſt cauſa moralis erroris, quod cognitio ſupernaturalis inducat intellectum in errorem. ibidem.
Poteſt infundere errorem intellectui creato. d. 50. n. 15.
Infundens errorem non mentiretur, neque eſſet cauſa, cur mentiretur homo. ibidem.
Errorem non poteſt infundere ad obiecta neceſſaria, ſed ſolum ad contingentia. n. 16.
Dilectio Dei, vide *charitas.*

Difficultas.

Difficultas actus naturalis non poteſt exigere auxilium gratiæ Theologicæ, quod eſt intrinſece ſupernaturale. d. 44. n. 11. 12. 13. 50. & 51.

Diſcretio.

Diſcretio iuſti ab iniuſto alia in actu primo, alia in actu ſecundo d 30 n. 132.
Diſcretionis in actu ſecundo cauſa partialis eſt arbitrium, ibidem. & ſeq.

Diſcurſus.

Poteſt eſſe diſcurſus ſupernaturalis. d. 55. n. 17. & ſeq.
Poteſt eſſe diſcurſus per actum ſcientię infuſæ. d. 55. n. 26. & ſeq.
Item per actus fidei ſupernaturalis. n. 31. & ſeq.
Item per actus ſcientiæ beatæ. n. 57. & ſeq.
Vide *concluſio.*

Diſpoſitio.

Diſpoſitio moralis differt à merito congruo. d. 18. ſec. 1.
Actus naturales nequeunt diſponere moraliter ad aliquod donum ſupernaturale. d. 18. ſec. 2.
Duplex genus diſpoſitionis moralis naturæ ad dona gratiæ. d 18. n. 3. & 6.
Diſpoſitio moralis naturæ ad dona gratiæ non eſt admittenda intrinſece congrua, neque extrinſece etiam ex lege Dei. d. 18. ſec. 2
Talis diſpoſitio etiam extrinſece congrua accedit ſententiæ Semipellagianorum. n. 13.
Diſpoſitio proxima ad iuſtificationem extra Sacramentalem videtur haberi poſſe ſine fide ſtricta, quamuis non ſine fide infuſa lata. d. 20. n. 115. d. 63. ſec. 4.

Dæmones.

Dæmon non cognoſcebat euidenter vnionem hypoſtaticam in Chriſto. d. 21. n. 29. & ſeq.
Item non habet euidentiam naturalem pluſquam moralem ſuæ priſtinæ ſanctitatis. d. 21. n. 37.
Poſſunt phyſicé torqueri igne corporeo. d 40. n 14.
Deliquerunt ex cognitione ſpeculatiua ſupernaturali præbente concurſum formalem, quem præbet naturalis in actum peccati. d. 57. n. 2.
Dolor, quo torquentur dæmones ab igne corporeo eſt intrinſece ſupernaturalis, & indifferens ſecundum ſpeciem. d. 69. n. 6.

Dolor.

Dolor Sacramentalis poteſt vitiari ex malo fine. d. 50. n. 10. & ſeq.
Vitiatus remanet intrinſece bonus. n. 32.
Item impetratorius gratiæ. n. 32. & 41.
Vide *dæmones.*

E.

Eductio.

Eductio donorum ſupernaturalium ex ſubiecto. Vide *ſupernaturalia quoad ſubſtantiam.*

Efficacia.

Ad efficaciam affectus non requiritur vis exequutiua obiecti. d. 14. ſec 3.

Digitized by Google

Efficacia creationis neceſſariæ conſtituitur per euentum conditionatum voluntatis agentis, efficacia verò vocationis non neceſſariæ per euentum conditionatum voluntatis non agentis. d 67 n 15.

Electio.

Poteſt procedere ex ſola apprehenſione mediorum, & finis. d. 62. n. 18.
Vide *intentio*.

Eleuatio.

Eleuatio ſonat actiue auxilium ſuperioris vtentis re in munus ſibi naturaliter impoſſibile d. 24 n. 2.
Eleuationis capacia ſunt etiam ſupernaturalia, ibidem.
Præter agentia, & patientia creata, alia plura ſunt capacia eleuationis, ibidem.
Eleuationi reſpondet in re eleuata potentia obedientialis. n. 3.
Vide *potentia obedientialis*.

Euidentia.

Euidentia immediata quænam ſit. d. 10. n. 1.
Poteſt haberi euidentia immediata naturalis eorum, quæ pendent à ſola libera voluntate Dei. d. 10 n. 16.
Euidentia ſupernaturalis datur in via. d 49 n. 31.

Error.

Deus poteſt eſſe cauſa phyſica erroris. d 56. n. 2. & 11.
Non eſt cauſa moralis, quod prouenit ex cognitione ſupernaturali, ibidem.
Poteſt error intellectus contingere ex motione præuia cognitionis ſupernatu alii d 56. ſec. 2.
Ex dictamine prudentiæ infuſæ n 4.
Ex affectu ſupernaturali n. 4 & 5
Ex natura rei non poteſt dari error in cognitione intrinſece ſupernaturali d 58 n 2. & ſeq.
Poteſt à ſolo Deo infundi. d 59. n 15 & ſeq.
Infuſus à ſolo Deo eſſet intrinſece ſupernaturalis. n. 16.
Solum ad obiecta contingentia poteſt a ſolo Deo error infundi. ibidem.
Deus infundens errorem non mentiretur, neque eſſet cauſa, cur mentiretur homo n 15.
Non videtur improbabilis ſtando rationi error intrinſece ſupernaturalis, diuinitus ſolum poſſibilis. d 59. ſec. 1. & ſeq.
Neque ſtando autoritati ſententia affirmans digna videtur cenſurâ Theologicâ ſec. 5.
Vide quæ diximus de concluſione erronea verbo *concluſio*.

Exempla.

Exempla iuſtorum, mouendo exterius ad virtutis officia, miniſtrant auxilia interna gratiæ ad agendum virtutem neceſſaria. d. 20. n. 53.

Exigentia.

Quænam eſt exigentia naturæ, quam ſuperat ens ſupernaturale. d. 5. n 32. & ſeq.
Exigentia alia indigentiæ, connexionis alia. d. 5. n. 35.

F.

Facere.

Facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam, multiplex explicatio Theologorum, quæ non probatur. d. 20. ſec. 2.
Explicatio propriæ ſententiæ ſec. 2. & 3.
Facienti quod in ſe eſt viribus naturæ adeſt gratia Dei antecedens conatum naturæ in omnem virtutis naturalis actum. d. 20. ſec. 2. & ſeq.

Facilitas.

Facilitas potentiæ ad actus ſupernaturales non prouenit ab habitu infuſo. d 52. n. 3.
Neque ab auxilijs gratiæ. n. 4.
Prouenit ab habitu acquiſito naturali. n. 12. & ſeq.
Facilitas habitus conſiſtit in minuendo concurſum efficientem potentiæ. d. 52 n. 9. & 12.
Vide *habitus acquiſitus*.

Falſitas.

Actus intellectus non eſt extrinſece falſus ab alio actu falſo, ſicut eſt actus voluntatis extrinſece malus. d 58 n. 8.
Falſitas repugnat ex natura rei ſupernaturalitati actus intellectus. num. 7.
Videtur poſſibilis de potentia abſoluta ſtando rationi. d 59. n. 3.
Vide *error, concluſio, cognitio*.

Fides.

Myſteria fidei dupliciter ſunt euidenter credibilia. d. 11. n. 42.
Euidentia credibilitatis myſteriorum fidei non arguit euidenter poſſibilitatem, aut exiſtentiam illorum. d. 11. n. 42.
Auxilia interna gratiæ ſupernaturalis proxime ſufficientia ad fidem prouidet Deus infidelibus inſtructis notitia fidei. d. 20. n. 55.
Auxilia remota fidei prouidentur infidelibus remotis à notitia fidei. n. 109. & ſeq.
Abſque fide ſtricta an dilectio ſupernaturalis, & iuſtificatio obtineri poſſit à Gentibus remotis à fide. n. 115 & ſeq. d. 63 ſec. 4.
Fides ſupernaturalis alia ſtricta, alia lata. d. 20. n. 78. & 110. d 63 ſec. 2.
Fides, quæ eſt initium noſtræ iuſtificationis non eſt ſtricta, ſed lata, ibidem.
Aſſenſus fidei Angelicus perfectior eſt, quàm humanus, licet habitus ſupernaturalis ſit æqualis. d. 37. n. 6.
Habitus fidei non eſt virtus obiectiua ſpeciei naturalis. d. 30. num. 76.
Actus fidei eſt intrinſece ſupernaturalis. d. 44. n. 28. 29. & 30.
Obiectum formale intrinſecum actus fidei ſupernaturalis poteſt eſſe obiectum formale intrinſecum aſſenſus naturalis. d. 45 n. 23 & ſeq. n. 31. & ſeq.
Actus fidei poſſunt ſpecie differre ab obiecto formali ſpecie diuerſo. d. 47. n. 6.
Poteſt idem actus fidei reſpicere duo obiecta formalia intrinſece. ibidem.
Poteſt imperari actus fidei affectu voluntatis intrinſece naturali d. 49 ſec. 1. & 2.
Non poteſt fieri ex imperio naturali, niſi adſit affectus intrinſece ſupernaturalis piæ affectionis. n 9 & 10.
Affectus imperans per ſe aſſenſum fidei eſt intrinſece ſupernaturalis d 49 ſec. 4. & 5.
Iudicium credibilitatis antecedens aſſenſum fidei eſt intrinſece ſupernaturale. n 30. & ſeq.
Apprehenſio præcedens aſſenſum fidei eſt intrinſece ſupernaturalis. n 29 & ſeq 34. & ſeq d. 60. n. 1. & ſeq.
Poteſt fieri aſſenſus fidei diuinitus ex ſolis apprehenſionibus, iudicijs, & affectibus intrinſece ſupernaturalibus n. 18 & ſeq.
Poteſt vitiari d. 50. ſec. 2 & ſeq.
Aſſenſus fidei non fit per ſpeciem ſupernaturalem. d. 54. ſec. 1. & ſeq.
Non relinquit ſpeciem ſupernaturalem ſui. ſec. 3.
Apprehenſiones præcedentes aſſenſum fidei fiunt ſpeciebus naturalibus. n 8. & 11.
Item fiunt per habitum infuſum fidei. n. 12. d. 60. n. 9.
Poteſt fieri diſcurſus per actus fidei. d. 55. n. 31. & ſeq.
Habitus fidei elicit concluſionem deductam ex reuelatione ad myſterium reuelatum. n. 32.
Talis concluſio non eſt minus certa, quam præmiſſa. n. 34.
Probabile eſt, habitum fidei efficere concluſiones Theologicas ſupernaturales. n. 54. & ſeq.
Aſſenſus fidei poteſt præbere concurſum formalem, quem præbet cognitio naturalis in actum peccati. d. 57. n. 2. & ſeq. Vide *peccatum*.
Nullus actus fidei poteſt eſſe falſus ex natura rei. d. 58. n. 2. & ſeq.
Aſſenſus fidei ſub reuelatione vere exiſtenti elicitus, neque diuinitus poteſt fieri falſus. d. 59. n 19.
Poſſe fieri reuelatione non exiſtente, non videtur improbabile ſtando rationi. d. 59. ſec. 1. & ſeq.
Neque id ſtando autoritati videtur dignum cenſurâ Theologica. ſec. 5.
Aſſenſus fidei eſt magis certus, quam aſſenſus ſcientificus naturalis duplici certitudine ſibi connaturali. d. 59. n. 21.
Eſto, diuinitus fieret reuelatione non exiſtenti, non poſſet fieri ex natura rei. n. 23. & 27. cum ſeq.
Neque eius obiectum formale eſſet reuelatio ſolum apparens. ibidem.
Eſto, aſſenſus fidei poſſet fieri diuinitus reuelatione nõ exiſtẽti, nullus poſſet prudẽter formidare de veritate credibiliũ. n. 29.

Certitudo credibilium per fidem excludens prudentem dubietatem non prouenit ab aſſenſu, quem illis præbemus, ſed ipſum antecedit. Ibidem.
Ad certitudinem repugnantem prudenti formidini falſitatis ſufficit connexio ex natura rei aſſenſus cum obiecto. Ibidem.
Ad aſſenſum fidei requiritur per ſe immediate illuſtratio ſupernaturalis d. 60. n. 1. & ſeq.
Sunt neceſſariæ ſupernaturales ad primum aſſenſum, & ſequentes. n. 8.
Solæ illæ, quæ res proponunt ſub reuelatione diuina fiunt per habitum fidei. n. 11.
Aſſenſus fidei non aſſentitur exiſtentiæ reuelationis propter veracitatem diuinam, ſed immediate propter ſe ipſam. d. 61. n. 3.
Fides aliqua infuſa neceſſaria eſt ad omnem affectum ſupernaturalem d. 63 ſec. 1.
Fides ſtricta non eſt neceſſaria ad omnem affectum ſupernaturalem. ſec. 3.
Neque neceſſaria videtur ſtricta fides ad dilectionem ſupernaturalem Dei, & iuſtificationem. ſec. 4. d. 20. ſec. 22. & 23.

Filius, Filiatio.

Duplex conditio filiationis naturalis. d. 23. n. 88.
Duplici ſenſu filiatio dicitur naturalis. n. 89.
Filius adoptiuus ſubrogatur in defectum filij naturalis, atque ita naturalis nequit eſſe adoptiuus. n. 41.
Filius adoptiuus coniungitur Patri per ſolum affectum paternum. n. 89.
Poteſt eſſe adoptio debita naturæ filij, quamuis non adoptio eiuſdem rationis cum noſtra. Ibidem.
Vide *ſubſtantia ſupernaturalis.*

Finis.

Ex fine turpi poſſunt appeti ſupernaturalia. d. 14. n. 38.
In fine datur potentia obedientialis ad finalizandum. d. 43.
Non ſufficit relatio extrinſeca Dei in finem ſupernaturalem, vt actus naturalis ſit ſalutaris in vitam æternam. d. 44. n. 16.
Poſſunt actus ſupernaturales in malum finem referri. d. 50. n. 5. & ſeq.
Relatio actus boni in finem malum poteſt continere malitiam diſtinctam à malitia actus referentis. n. 36 & ſeq.
Poteſt actus internus in finem extrinſecum referri. d. 65. ſec. 3.
Item ſumere bonitatem extrinſecam ab illo. d. 65. n. 16.

G.

Gentiles.

Gentes remotæ à fide non aſſequuntur ex parte obiecti virtutum moralium quidpiam ſupernaturale etiam implicite. d. 20. n. 83.
Gentes remotas à fide implentes integre legem naturalem inſtruendas notitia fidei per Angelum, aut per hominem difficilis doctrina. n. 112.
Vide *Infideles. Auxilia gratiæ. Fides.*

Gloria.

Gloria noſtris operibus promiſſa longe ſuperat valorem operum, ſi Mathematice conferantur d. 16. ſec. 5. & ſeq.
Vide *Beatitudo.*

Gratia.

Gratia apud Eccleſiæ Patres etiam excludit meritum congruum antecedens. d. 17. n. 21 ſec. 5 & 6.
Gratia etiam Theologice accepta reſpuit omnem diſpoſitionem moralem antecedentem. d. 18. n. 12.
Gratia apud Patres non componitur cum impetratione antecedenti orationis. d. 19 n. 9.

Gratia auxilians.

Auxilians gratia ſupernaturalis datur facienti viribus naturæ quod in ſe eſt, antecedens, non ſubſequens conatus naturæ. d. 20. ſec. 1. & ſeq.
Gratia auxilians ſupernaturalis prouidetur à Deo ante omnem virtutis naturalis actum d. 20. ſec. 4 & ſeq.
Gratia auxilians ſupernaturalis communis eſt etiam Gentibus. ſec. 12. & ſeq.
Gratia ſupernaturalis comitatur cogitationes honeſtas naturales d. 20. ſec 3.
Confertur plerumque iuſto gratia actualis minoris intentionis quam habitus infuſus. d 38. ſec 2.
Cum gratia actuali remiſſa poteſt fieri actus ſupernaturalis intenſus. d 38. ſec. 2.
Vis moraliter motiua gratiæ actualis limitatur virtute habitus infuſi d 38.
De neceſſitate gratiæ. Vide *Natura rationalis.*
Duplex genus gratiæ actualis, aliud ordinarium, ac debitum naturæ eleuatæ, aliud extraordinarium, ac indebitum d. 17. n. 48.
Poſterioris generis gratia ſpeciali ratione gratia eſt. n. 49.
Priora auxilia dantur ſeorſim à merito præcedenti, poſteriora interdum cum merito n. 50.
Duplicem cõcurſum poteſt exhibere in actum ſupernaturalem, alterum formalem, alterum efficientem d. 34 n. 35.
Vide *Auxilia gratiæ.*

Gratia ſanctificans.

Gratia ſanctificans radix totius ordinis ſupernaturalis. d 4. 12. & ſeq.
Gratia iuſtificans non vincit perfectione Phyſica ſubſtantiam rationalem. d 21. n. 12. & ſeq.
Gratia iuſtificans poteſt & natura rei cum peccato mortali componi d 23 n. 42.
Gratia iuſtificans poteſt contineri in virtute efficienti ſubſtantiæ creatæ. n. 71 & ſeq.
Poſſibiles ſunt plures ſpecies gratiæ iuſtificantis. n. 72.
Gratia iuſtificans duplici titulo dicitur gratia, & vtroque gratia eſſet ſubſtantiæ ſupernaturali n. 84.
Connexio cum gratia ſanctificante arguit actus intrinſece ſupernaturales. d. 44 à n. 4.

Guſtus.

In guſtu corporeo poſſunt eſſe, & erunt in patria actus intrinſece ſupernaturales. d. 44 ſec. 10 & 11.
Vide *Senſus.*

H.

Habitus.

Poſſunt ad eumdem habitum pertinere actus reſpicientes obiecta formalia intrinſeca diuerſa, dum æquiualenter idem ſunt. d. 55. n. 32.
Habitus influens in vtramque præmiſſam poteſt influere in concluſionem. d. 55. n. 37.

Habitus acquiſitus.

Nullus datur habitus ſupernaturalis acquiſitus. d. 52. ſec. 2. & ſeq.
Habitus acquiſitus tribuit facilitatem potentiæ minuendo concurſum efficientem potentiæ d. 52. n. 9 & 12.
Habitus naturalis tribuit facilitatem potentiæ ad actus ſupernaturales. d. 55. n. 12. & ſeq.
Efficitur naturalis per actus ſupernaturales, cum abſunt actus naturales circa obiectum, quod ſupernaturales reſpiciunt. d. 53. n. 3.
Præſentibus actibus naturalibus, & ſupernaturalibus efficitur naturalis à ſolis actibus naturalibus. Ibidem.

Habitus infuſus.

Habitus infuſus non tribuit facilitatem potentiæ d. 52. n. 3.
Idem habitus influit in actus perfectos, & imperfectos, ſimplicem complacentiam, & amorem efficacem, apprehenſionem, & iudicium d. 60. n. 9.
Habitus ſupernaturales non ſunt vitales etiam ſubſtantiæ ſupernaturali poſſibili. d 23. n. 85. d. 30. n. 57 & ſeq.
Poſſunt aſſeri vitales ſubſtantiæ ſupernaturali, quamuis naturali ſubſtantiæ non ſint vitales. Ibidem.
Habitus ſupernaturalis non recipit adæquate actus vitales. d. 26 n. 2. & ſeq.
Neque recipit inadæquate. n 7. & ſeq.
Neque diſponit potentiam ad recipiendum n. 16. & ſeq.
Habitus ſupernaturalis non eſt tota virtus agendi actus ſuper-

Digitized by Google

naturales d 30 per totam. Vide *Potentia obedientialis actiua.*
Habitus ſupernaturalis non eſt magis ſupernaturalis, quam actus. d. 30. n 131.
Attingit realiter ſupernaturalitatem actus. n. 136.
Ratio formalis agendi habitus non eſt vitalitas, ſed ſupernaturalitas. n. 139.
Non diſponit ſolum, ſed vere agit actum ſupernaturalem. d. 30 ſec. vltim.
Eſt inſtrumentum connaturale Dei. d. 31. n. 23.
Non indiget vnione cum potentia ad agendum actus ſupernaturales. d. 34 n. 21. & 22 d. 27. n. 17.
Poteſt habitus remiſſus efficere actum intenſum. d. 39. n. 7.
Non poteſt ad omnem exceſſum intentionis actus concurrere. n. 6.
Augmentum habitus collatum vt principium non poteſt ex natura rei concurrere ad intenſionem actus. n. 3.
Poteſt tamen diuinitus. n. 13.
Non eſt principium liberum. n. 67. & ſeq.
Non poteſt efficere actum intrinſece naturalem, ſed neceſſario ſupernaturalem intrinſece. d. 45. n. 18.
Non efficitur, neque intenditur efficienter per actus. d. 51. ſec. 1. c 3.
Non æmulatur adæquate potentiam. n. 11.
Vide *Actus ſupernaturales.*

Homo.

Homo adiutor eſt Dei ad actus ſupernaturales. d. 30. ſec 9.
Aliquid agit in opere ſupernaturali, quod ſuũ eſt. ſec. 10. & 24.
Vide *Potentia obedientialis, Arbitrium, Natura rationalis.*

Hæreticus.

Poteſt aſſentiri rebus ab Eccleſia propoſitis propter teſtimonium Dei per aſſenſum naturalem. d. 45. n. 23. & ſeq. d. 46. n. 8.
Tamen eius aſſenſus non erit certus, neque connexus cum obiecto, ſicut eſt ſupernaturalis Catholici. n. 32. & 33. d. 46. n. 7.

I.

Ignis.

Ignis corporeus poteſt eleuari ad torquendos ſpiritus actione phyſica. d. 40. n. 14.

Illuſtratio.

Illuſtratio vt duo poteſt proponere obiectum clarius, & mouere voluntatem vehementius, quam illuſtratio vt quatuor. d. 38. n. 5.
Cum illuſtratione vt duo poteſt voluntas efficere actum vt quatuor. d. 38. ſec. 2.
Vide *Gratia actualis, Auxilium gratiæ, efficacia.*

Impeccabilitas.

Vide *Angelus, ſubſtantia rationalis.*

Impetratio.

Impetrationis variæ acceptiones. d. 15. n. 6.
Impetratio operis à merito differens. n 6. & ſeq. & d. 19. n. 15.
Impetratio ſtricta orationis propria d. 15. n. 6.
Impetratio interdum accipitur pro merito congruo. n. 8.
Impetratio doni ſupernaturalis iuxta præſentem prouidentiam repugnat precibus naturalibus. d. 19. ſec. 2.
Alio genere prouidentiæ non repugnat precibus naturalibus impetratio doni ſupernaturalis. ſec. 3.
Vide *Oratio.*

Imperium intellectus.

Imperium intellectus non eſt neceſſarium ad omnem voluntatis affectum. d. 62. n. 20. & ſeq.
Neque neceſſarium eſt ad electionem mediorum. n. 26. & 27.
Neque ad vſum voluntatis. n. 28.

Imperium voluntatis.

Ad imperium voluntatis requiritur, vt actus imperatus procedat ab imperante in finem ipſius. d. 65. n. 3.
Idem eſt imperare, & referre actum in finem. Ibidem.
Vide *Actus imperans, & imperatus.*

Impotentia.

Impotentia naturalis peccandi ex pluribus capitibus poteſt conuenire creaturæ rationali. d. 23. n. 51.

Infideles.

Infidelium gratia. Vide *Auxilia gratiæ.*
Infideles inſtructi notitia fidei præueniuntur auxilio gratiæ proxime ſufficienti ad fidem. d. 20. n. 55.
Poſſunt abſque fide ſtricta, quamuis non abſque fide infuſa lata iuſtificationem adipiſci. d. 20. n. 115. & ſeq. d. 63. n. 25.
Vide *Gentiles.*

Intellectus.

Intellectus perfectior elicit aſſenſum perfectiorem ſupernaturalem cum æquali auxilio ſupernaturali. d. 37. n. 6.
Vide *Potentia vitalis. Cognitio. Imperium. Intellectus. Iudicium. Apprehenſio. Actus ſupernaturales.*

Intenſio.

Intenſio actus ſupernaturalis poteſt ſuperare intenſionem actualis gratiæ. d 38. ſec. 2.
Intenſio actus poteſt conatu potentiæ ſuperare intenſionem habitus. d 39. ſec. 1.
Intenſio actus naturalis non poteſt exigere auxilium gratiæ intrinſece ſupernaturale d. 44. n. 21. & 24.
Vide *Actus ſupernaturalis.*

Intentio.

Naturalis poteſt mouere per accidens ad electionem ſupernaturalem d. 49. ſec. 1 & ſeq.
Non poteſt inducere per ſe electionem ſupernaturalem. ſec. 4. & 5.
Diuinitus poteſt ſola intentio naturalis inferre electionem ſupernaturalem d. 49. n 18.

Inſtrumentum.

Poteſt à Deo aſſumi inſtrumentum ad efficiendum gratiam, & alias formas ſupernaturales non vitales. d 40. ſec. 2.
Poteſt dari inſtrumentum cauſæ eſſentialiter actiuæ. d. 41. n. 14. & 15.
Vide *Cauſa.*

Iudicium.

Iudicium euidens ſupernaturale datur in via etiam immediatam. d 49. n. 31. & 32.
Iudicium credibilitatis euidens pertinet ad prudentiam infuſam. n. 33.
Iudicium credibilitatis. Vide *Fides.*
Non requiritur iudicium obiecti ad affectus liberos abſolutos & efficaces voluntatis. d. 62. n. 7. & ſeq.
Neque iudicium practicum reflexum amoris, aut odij. n. 30. & ſeq.
Vide *Apprehenſio.*

Iuſtificatio.

Iuſtificatio videtur poſſe contingere ſine fide ſtricta, non vero ſine cognitione ſupernaturali Dei, quæ ſit fides lata. d. 20. n. 115. & ſeq. d 63. n. 19 & ſeq.

Iuſtitia.

Differentia iuſtitiæ commutatiuæ à diſtributiua. d. 16 n. 50.
Deus diſpenſat præmium gloriæ ex iuſtitia commutatiua etiam ſpectans merita Chriſti. n. 52.
Iuſtitia diſtributiua non repugnat Deo, vbi commutatiua non repugnat. Ibidem.

Iuſtus.

Iuſtus non meretur præmium ſupernaturale per opera elicita viribus naturæ. d. 15. ſec. 5.

L.

Laudabilitas.

Laudabilitas operis à merito differt. d. 15. n. 1.

Lectio librorum.

Lectioni librorum ſpiritualium annexa ſunt ex lege Dei auxilia interna gratiæ. d. 20. n. 49. & 50.

Lex.

Lex de adiungenda gratia operibus antecedentibus naturæ non datur. d. 18. n. 17.
Dupliciter talis lex ferri poteſt. n. 14.
Lex exiſtit de iungendis auxilijs gratiæ cum auxilijs naturæ

ante omnem conſenſum honeſtum naturalem voluntatis. d. 2.ſec.2.& ſeq.

Libertas.

Actui producto à ſolo Deo repugnat libertas.d.7.n.18.
Repugnat eſſe libera vnio actus cum potentia, quin entitas actus libera ſit.Ibidem.
Libertas vendicat concurſum immediatum voluntatis in actum ſupernaturalem.d.30.ſec 15.
Libertas actus ſupernaturalis non vendicat eſſentialiter auxilium ſupernaturale intrinſecum.d.34.ſec.5.
Per imperium efficax, & determinatum adimitur libertas immediata actui imperato.d 68.ſec 2 & 3.
Non requiritur libertas diſtincta ad meritum diſtinctum. ſec.4.

Lumen gloriæ.

De munere luminis gloriæ. Vide *Habitus infuſus.*
Suppleri poteſt diuinitus per auxilium extrinſecum. d. 34. ſec.3.& 6.
Non concurrit ad viſionem Dei in genere cauſæ formalis, ſed ſolius efficientis.d.34.n.41 & 42.
Poteſt conficere diſcurſum per ſuos actus. d.55.n.57.
Non ſolum ex viſione Dei in creaturas, ſed etiam in ipſum Deum.n 59.
Poteſt influere in cognitionem, quæ non ſit intuitiua Dei. n. 56 & 62.
Poteſt efficere cognitionem intuitiuam reflexam viſionis Dei. d 64 n 10.

Lutherus.

Lutherus voluit, primæ conditioni hominis ante peccatum deberi iuſtitiam,& dona promouentia in ſalutem æternam. d.22.n.3.
Negauit potentiam obedientialem actiuam ad actus ſupernaturales.d 29.n.2.

Lux.

Lux corporea poteſt eſſe intrinſece ſupernaturalis. d. 44. ſec.10.
Poteſt videri viſione intrinſece ſupernaturali.Ibidem.
Item viſione intrinſece naturali.n 63.

M.

Memoria.

Relicta per cognitionem ſupernaturalem non efficitur per ſpeciem ſupernaturalem.d.54.n.17.

Meritum.

Meritum operis ab eius laudabilitate differens.d.15.n.2.
Meritum condignum æquale præmio,congruum vero inæquale.n.3.
Meritum eſt ab impetratione diſtinctum.n.5.
Meritum diſtinctum à ſatisfactione.n.10.
Meriti valor non minuitur per ſatisfactionem.n.11.
Meritum ſupernaturalium. Vide *Supernaturalia.*
Opera iuſti elicita ſine gratia non ſunt de condigno meritoria præmij ſupernaturalis.d.15.ſec.5.
Meritum condignum exigit aliquam connexionem tranſcendentem cum præmio.d.15 n 42.
Qua ratione talis connexio neceſſaria ſit.d.15.ſec.7.
Meritum gratiæ,& vitæ æternæ repugnat etiam diuinitus operibus elicitis facultate naturæ.d.16.ſec.1.
Meriti condignitas, & æqualitas cum præmio duplex. d. 16. n.16.
Condignitas meriti cum præmio ſupernaturali non eſt æqualitas mathematica,& rei ad rem,ſed ſolius proportionis dumtaxat.d.16.ſec 4 & ſeq.
Diſcrimen meriti pœnæ,& meriti gloriæ.d.16.n.37 & 60.
Quænam ſit condignitas proportionis meriti cum præmio. d. 16.ſec.9.& 10.
Non deriuatur à Chriſto in merita iuſtorum aliqua dignitas formalis ad merendum.d.16.n.40.
Voluntates hominum transfuſæ in alium non poſſunt mereri de condigno gloriam ſicut pœnam per actus alterius.n.43.
Aliquale meritum præmij ſaltem de congruo poteſt competere membris per voluntatem capitis n 44.
Id meritum non erit æque perfectum in membris, ac in capite Ibidem.
Meritum in actu primo eſt operibus intrinſecum, in actu ſecundo extrinſecum.d.16.ſec 12.
Diſcrimen meriti condigni à congruo.n.62.& ſeq.
Meritum congruum doni ſupernaturalis repugnat operibus naturæ.d 17.ſec.2.& ſeq.d 44 ſec 7.
Meritum congruum à diſpoſitione morali differt.d.18.ſec.1.
Merita naturalia poſſunt à Deo remunerari digne fœlicitate naturali æterna.d.16.n.47
Meritum congruum anteced ns naturę repugnat gratiæ. d. 17. ſec.6.
Non ſolum meritum congruum gratiæ iuſtificantis, ſed etiam auxiliantis elicitum viribus naturæ repugnat Patribus Eccleſię d.17 n.22 & ſeq.
Nulli actui intrinſece naturali competit meritum ſiue condignum,ſiue congruum.d 44.ſec.7.
Meritum vitæ æternæ poteſt conuenire puræ omiſſioni actus prohibiti.d 70.ſec.2.& ſeq.
Actui efficaciter imperato competit meritum ab imperante diſtinctum.d 68 n 18.
Meritum actus imperati non eſt adæquate diſtinctum à merito imperantis n 26.
Actui externo competit meritum ab interno diſtinctum. d. 68. ſec.5.
Meritum obligat Deum ex iuſtitia commutatiua. d. 16. n. 50. & ſeq.
Poteſt pura creatura mereri de condigno remiſſionem peccati mort d.16.n.67.
Poteſt actus extrinſece malus eſſe meritorius.d 50.ſec.7.

Michael Baius.

Michael Baius damnatur quod adſtruat omnimodam æqualitatem rei ad rem inter meritum, & præmium gloriæ d. 16. n.28.
Michael Baius docuit,iuſtitiam,& adoptionem Dei, & reliqua dona promouentia hominem in ſalutem æternam eſſe debita, & naturalia primæ conditioni naturæ ante peccatum.d, 22.n.4.

Miniſterium creaturarum.

Miniſterio externo creaturarum annexa ſunt auxilia interna gratiæ.d.20.ſec.9.& ſeq.

Miracula.

Miraculis externis adiuncta ſunt auxilia gratiæ internæ. d 20 n.51.& 52.
Repugnat qualitas naturalis actiua plurium miraculorum. d. 41.n.18.& 19.

Molina.

Pater Molina immerito refertur primus aſſertor legis diuinæ de ſubiungenda gratia operibus naturæ. d.18.n.16.
Ab ea lege alienus eſt Molina.d.20.ſec.2.
Pater Molina docet, facienti quod in ſe eſt,Deum tribuiſſe gratiam auxiliantem antecedentem,non ſubſequentem conatus naturæ.d.20.n.7.& ſeq.

Motio.

Motio virtuoſa Dei eleuans creaturas ad agendum impoſſibilis eſt,vt communiter exponitur.d.41.n.27.
Poteſt dari,ſi recte exponatur.n.31.

N.

Natura.

Natura à naſcendo dicta natiuitatem ſignificat.d.1.n.1.
Item eſſentiam cuiuſque rei.n.2.
Item ſolum Deum.n.3.
Vniuerſitatem rerum.n.4.
Etiam collectionem agentium naturalium.n.5.
Subſtantiam ſeorſim à ſubſtantia.n 6.
Materiam,& formam.n.7.
Collectionem rerum, ſupra quam eleuantur ſupernaturalia. num.8.
Naturæ notiones omnes reuocantur ad quatuor.d.1.n.9.
Natura, ſupra quam ſupernaturalia conſtituuntur, non eſt ſola collectio ſubſtantiarum nunc exiſtentium, & accidentium ipſis connaturalium.d 3,n.2.& ſeq.
Natura ſic Theologice accepta non eſt omnis ſubſtantia creabilis.n.8
Item non eſt ſubſtantia impotens ſuis viribus videre Deum n.11.

Digitized by Google

Natura vſurpatione Theologica eſt collectio ſubſtantiarum nunc exiſtentium, earumque poſſibilium, quæ Phyſice, aut intentionaliter exiſtentibus annexæ ſunt n. 13 & ſeq.
Aliter natura Theologice eſt collectio ſubſtantiarum, & accidentium poſſibilium, quæ connexa non ſunt cum gratia iuſtificante. n. 2 1. & ſeq.
Natura nullam identificare ſibi poteſt formalitatem ſupernaturalem. d. 8. n. 4.

Naturale.

Naturale totidem modis, quot natura: Primo idem quod natiuitate comparatum. d. 1. n. 10.
Item quod eſt conſentaneum eſſentiæ rerum. n. 11.
Etiam quod fit iuxta obedientiam Dei. n. 12.
Oppoſitum miraculo. n. 13.
Quod liberum non eſt. n. 14.
Quod ineſt ſuppoſito ratione ſolius naturæ. n. 15.
Quod ſpectat ad compoſitum Phyſicum. n. 16.
Quod eſt extra ordinem ſupernaturalem. n. 17.
Frequentiores acceptiones entis naturalis ſunt quatuor. n. 18.

Natura rationalis.

In pura natura poſſet Deus condonare peccata intuitu contentionis naturalis. d. 16 n. 74.
Naturæ vires diſtinctæ gratia Dei. Vide *Auxilia gratiæ*, & *Gratia auxilians*.
Natura rationalis primum creata non fuit, qualis nunc naſcitur prona ad malum. d. 22. n. 1.
Natura rationalis in prima conditione obtinuit dona, quibus in æternam fœlicitatem promoueretur. n. 2.
Naturæ rationali primum conditæ ante peccatum indebita ſunt dona perducentia hominem in vitam æternam. d. 22. ſec. 2. & ſeq.
Natura ſuis viribus non valet efficere quidpiam ſalutare. d. 17. ſec. 2. & 3. d. 44. ſec. 7.
Neque initiare aliquod opus ſalutis. ſec. 4.
Si poſſet, iam gratia non eſſet gratia ſec 5. & 6.

Negatio.

Nulla negatio formæ naturalis connectitur intrinſece cum aliqua forma, aut modò intrinſece ſupernaturali. d. 11. n. 22.
Negationis formæ naturalis connexio cum forma ſupernaturali non eſt cognoſcibilis ab Angelo. d. 11. n. 24.
Si talis connexio datur non eſt adæquate intrinſeca negationi naturali, ibidem.

Nominales.

Nominales tribuunt operibus naturalibus valorem intrinſecum ad merendum ſupernaturalia. d. 16. n. 9. & ſeq.

O.

Obiectum.

Obiectum cognitionis quidditatiuæ nō debet eſſe æqualis immaterialitatis cum principio cognoſcenti. d. 23 n. 27.
Obiectum ſenſibile poteſt eſſe intrinſece ſupernaturale. d. 44. ſec 9 & 10.
Collectio obiectorum naturalium poteſt exigere actum intrinſece ſupernaturalem. Ibidem.
Non requiritur obiectum ſenſibile ſupernaturale, vt ſenſiones ſint intrinſece ſupernaturales. Ibidem.
Obiectum formale quid. d. 45. n. 1.
Obiectum formale. Vide *Actus*.
Obiectum verum, & apparens in ratione obiecti poſſunt eſſe idem. d. 46. n. 8.
Idem obiectum formale poteſt ſpecificare actus ſpecie diuerſos. d. 47. n. 12.
Obiectum formale poteſt eſſe connaturale actui tum ſecundum eſſe obiectiuum, tum ſecundum eſſe reale. d. 59. n 25.
Poteſt eſſe connaturale actui ſecundum obiectum, quin ſit connaturale ſecundum eſſe reale. Ibidem.
Obiecta formalia virtutum moralium non pertinent ad fidem Theologicam d 63. n. 18.

Oculus.

Oculus corporeus non poteſt intueri Deum. d. 10. n. 19. d. 33. n. 22.

Poteſt elicere, & eliciet in patria viſiones intrinſece ſupernaturales circa obiecta ſenſibilia. d. 44. ſec. 10. & 11.
Vide *Senſus*.

Odoratus.

In odoratu corporeo poſſunt eſſe, & erunt in patria actus intrinſece ſupernaturales. d 44. ſec. 10. & 11.
Vide *Senſus*.

Omiſſio.

Omiſſio pura actus prohibiti, quamuis intrinſece naturalis, procedit ex auxilio gratiæ intrinſece ſupernaturali. d. 44. n. 54. & ſeq. d 70 ſec. 4.
Poteſt eſſe meritoria vitæ æternæ. d. 70 ſec. 2 & ſeq.
Poteſt procedere per ſe, & directe ex cognitione, & affectu motiui honeſti. ſec 5.
Honeſtas moralis eſt omiſſioni partim intrinſeca, & partim extrinſeca. ſec. 6.
Supernaturalitas eſt extrinſeca omiſſioni ſecundum ſe, intrinſeca vero omiſſioni vt libera eſt. d. 70. n. 45. & 46.
Pura omiſſione poſſumus tentationi reſiſtere. n. 10 & ſeq.
Ad exiſtentiam tentationis per puram omiſſionem requiritur gratia Dei. Ibidem.
Pura omiſſio poſſibilis eſt Chriſto, & Beatis. n. 26. & 27.
Finis interpretatiuus omiſſionis. n. 68. cū omiſſione actus præcepti impetratoria eſt omiſſio actus oppoſiti. n. 66.

Opera.

Opera meritoria Vide *Meritum*.
Opera naturæ dupliciter poſſunt ex lege Dei connecti cum donis gratiæ. d. 18. n. 14.
Operibus naturæ neque ex lege Dei annexa ſunt dona gratiæ. d. 18. n. 17.

Oratio.

Oratio poteſt fieri ad Deum actibus naturalibus. d. 19. n. 1.
Oratio dupliciter poteſt mouere Deum. n. 3.
Oratio eſt impetratoria ſeorſim à merito. d. 19. n. 8. & 15.
Oratio non impetrat re ipſa donum ſupernaturale abſque motione meritoria. n. 9.
Oratio naturalis detrahit perfectionem gratiæ quam Patres Eccleſiæ contendunt. Ibidem.
Aliter mouet Deum oratio, aliter meritum. d. 19 n. 15.
Oratio naturalis de facto non poteſt impetrare, vt iuſtus oret ſupernaturaliter donum ſupernaturale. n. 14.
Vide *Impetratio*.

Ordo.

Ordo tranſcendens eſt connexio entitatiua rei cum poſſibilitate termini. d 32. n 2.
Ordo tranſcendens non vendicat terminum eſſe finem, in quem res ordinatur. Ibidem.
Solus ordo ad cauſam perfectiorem non conſtituit cæteris paribus terminum perfectiorem. d. 37 n. 19.

P.

Patres Eccleſiæ.

Patres Eccleſiæ vtuntur voce entis ſupernaturalis. d. 1. n. 20.
Implicite donorum ſupernaturalium quoad ſubſtantiam meminerunt. d. 3. n. 17.
Patres Eccleſiæ diſſerentes contra Semipellagianos reijciunt meritum congruum naturæ. d 17. ſec 6.
Non aduerſantur ſubſtantiæ ſupernaturali. d. 13 n 4 5. & 7.
Neque ſubſtantiæ rationali impeccabili n 58. & ſeq.
Patres Eccleſiæ tribuunt arbitrio concurſum immediatum, & partialem in actus ſupernaturales. d 30. ſec. 7. & ſeq.
Non expugnant Pellagianos quod tribuerint naturæ concurſum immediatum, & partialem in actus ſalutares. d. 30. n. 124. & 125.
Meritum remotum gratiæ elicitum facultate naturæ reijciunt. d. 17 n 22 & ſeq.
Non contendunt cum Pelagianis de impotentia naturæ conſequenti, ſed antecedenti. d. 44. n 27.
Agnoſcunt actum ſupernaturalem circa obiectum formale naturale. d. 45 n. 15 & 16.
Item actum naturalem ad obiectum formale ſupernaturale. n 29.
Agnoſcunt, actum ſupernaturalem poſſe referri in malum finem. d. 50 ſec. 4.

Digitized by Google

Videntur requirere gratiam ad concluſiones Theologicas. d. 55. n. 49. & 50.
Agnoſcunt imperium actus interni in finem extrinſecum. d. 65 ſec 3.
Item omiſſionem meritoriam. d. 70 ſec 3.

Peccatum.

Peccatum deſtruit gratiam abſque connexione tranſcendenti cum poſſibilitate gratiæ. d 4 n. 48.
Peccatum debitum eſt exigentiæ naturæ quoad actum primum. d. 5 n 16.
Poteſt fieri ex cognitione ſpeculatiua ſupernaturali, ſicut ex cognitione naturali. d. 57. n. 2. & ſeq.
Non fit directe ex cognitione ſupernaturali. n. 6.
Non refertur malitia peccati in cognitionem ſupernaturalem prælucentem voluntati peccanti. n. 7.
Affectus peccati intrinſece malus nequit eſſe intrinſece ſupernaturalis. n. 10.

Pelagius.

Pelagius tribuit operibus naturalibus meritum donorum ſupernaturalium. d. 15. ſec. 2.
Hoc meritum aſſerit condignum, & non tantum congruum, n. 14.
Non contendebat potentiam conſequentem naturæ ad actus ſalutares, ſed antecedentem. d. 44. n. 27.
Si aſſereret gratiam neceſſariam tanquã cauſam partialem ad actus ſalutares, non oppugnaretur à Patribus Eccleſiæ. d. 30 ſec. 4.

Perfectio.

Perfectionem rerum certa menſura metiri non poſſumus, ſed arbitraria æſtimatione prudentum. d. 21. n. 8.

Phantaſia.

In phantaſia poſſunt eſſe, & ſunt actus intrinſece ſupernaturales d 44 ſec. 9. & 12.
Eorum actuum obiectum poteſt eſſe intrinſece ſupernaturale. Ibidem.
In obiecta naturalia poteſt elicere phantaſmata ſupernaturalia. Ibidem.

Poſſibile.

Non eſt abſolute poſſibile, quod non conuincitur repugnare. d. 11 n. 9 & 12.
Dicendum poſſibile ex morali æqualitate quod non oſtenditur repugnare n. 12.
Res dupliciter eſt poſſibilis, & intrinſece, & extrinſec. d. 32. n. 3.

Potentia.

Potentia paſſiua donorum ſupernaturalium rectius dici poteſt naturalis, quam potentia actiua. d 8. n. 12.
Potentia naturalis paſſiua donorum ſupernaturalium denotat ordinem tranſcendentem ad illa. n. 20.
Potentia dupliciter dicitur naturalis d. 30 n. 124.
Potentia bifariam dicitur proxima, & remota d 30 n. 1.
Potentia perfectior non exigit omnes actus perfectiores actibus potentiæ imperfectioris. d. 37. n. 18. & 19.
Diuiſio potentiæ in naturalem, violentam, & neutram non eſt adæquata. d 8. n. 24.
Potentia tripliciter naturalis d 8 n. 1.

Potentia obedientialis.

Potentia obedientialis non eſt adæquate identificata naturæ neque ordine tranſcendenti connexa cum donis ſupernaturalibus. d 4. n. 46 d 32.
Potentia obedientialis non eſt formalitas ſupernaturalis. d. 8. n 2. & ſeq.
In potentia obedientiali naturæ non poſſunt euidenter cognoſci ſupernaturalia. d. 11. n. 19.
Potẽtia obedientialis in genere eſt aptitudo creaturæ, vt Deus poſſit de illa quod libuerit efficere. d 24 n. 3. & 4
Antiquis Scholaſticis, & primum Auguſtino nota. Ibidem.
Inter principia fidei recenſenda. Ibidem.
Rebus ſupernaturalibus communis. n. 4
Alijs etiam, quam agentibus, & patientibus creatis. n. 4 d. 40 n 4
Diuiſio potentiæ obedientialis. d. 24 n. 5 d 42. n. 2. & ſeq.
Diſcrimen potentiæ obedientialis à naturali violenta, & neutra. d. 8. n. 24.

Potentia obedientialis actiua.

Potentiam obedientialem non conſtituit abſolute actiuam actio poſſibilis, ſicut abſolute paſſiuam paſſio poſſibilis. d. 25. n. 17.
Potentia obedientialis actiua operum vitalium ſupernaturalium negari non debet. d. 29. n. 5 & ſeq.
Potentia obedientialis actiua immediata, & partialis à pleriſque negatur ſolis viribus. d. 30. n. 6.
Potentia obedientialis actiua immediata, & partialis potentiæ vitalis ad actus ſupernaturales continetur in Sacris Litteris. d 30 ſec 3.
Videtur definita à Concilijs Eccleſiæ, præſertim Tridentino. ſec. 4 5. 6.
Eadem traditur à Patribus Eccleſiæ. ſec. 7. & ſeq.
Suadet talem potentiam partialis cõcurſus gratiæ ſec. 11.
Attributa gratiæ. ſec. 12.
Vitalitas actus ſec. 13.
Ratio voluntarij. ſec. 14.
Libertas actus. ſec 15.
Eadem actiuitas obedientialis immediata traditur à S. Thoma. d. 30. ſec 19.
Item à maiori, & meliori parte Theologorum. ſec. 20.
Præſertim ab ijs, qui congrediuntur cum hæreticis. ſec. 21.
An potentia obedientialis actiua principalis, an inſtrumentalis ſit, multum continet de voce. d 31. n 4.
Potentia obedientialis actiua, vt mere efficiens eſt inſtrumentalis d 30.
Potentia obedientialis actiua refertur ad actus ſupernaturales ordine tranſcendenti extrinſeco. d. 32. n. 1.
Non refertur ordine tranſcendenti intrinſeco ſec. 2. 3. & 4.
Virtus potentiæ obedientialis actiuæ comparatione actus ſupernaturalis non eſt adæquate diſtincta realiter à virtute naturali potentiæ vitalis d. 33. n. 4
Virtus abſolute actiua eſt partim diſtincta realiter, partim identificata virtuti naturali. d. 33 ſec. 1.
Virtus identificata potentiæ vitali ad actus ſupernaturales eſt indiſtincta ratione ratiocinata à virtute naturali, quæ efficit actus naturales. d 33 n. 13.
Virtus obedientialis potentiæ vitalis ad agendum actus ſupernaturales diſtinguitur ratione ratiocinata à virtute obedientiali communi omnibus creaturis ad agendum gratiam iuſtificantem d. 33. n 15.
Virtus naturalis agens actus naturales ratione ratiocinata diſtinguitur à virtute obedientiali agente actus ſupernaturales. d. 33 n 14.
Virtus obedientialis actiua potentiæ vitalis admittenda eſt, quamuis negetur virtus obedientialis creaturæ tranſeunter agentis. d 33 n 21 & 23.
Virtus obedientialis actiua aliquorum operum nunc implicantium tribuenda eſt potentiæ vitali ſub conditione, quod non implicent. d 33 n. 26. & 27.
Conuenit creaturæ potentia obedientialis actiua ad efficiendum gratiam, & alias formas ſupernaturales non vitales. d. 40 ſec 2.
Potentia obedientialis tranſeunter actiua indiget ad agendum præter concurſum generalem auxilio ſpeciali diuino. d. 41. n 1.
Talis potentia eſt actiua abſolute, & ſub conditione. n 2.
Poteſt abſolute actiua conſtitui per qualitatem ſuperadditam. d 41. n 16.
Qualitas potentiæ obedientialis poteſt eſſe ſpiritualis, quamuis inhærens corpori, & corporea quamuis influens in effectum ſpiritualem. n. 10.
Non eſt vnica, ſed multiplex qualitas eleuans naturæ. n 9.
Qualitas eleuans potentiæ obedientialis poteſt agere virtute completa, & incompleta n 11.
Neceſſaria non eſt potentiæ obedientiali tranſeunter actiuæ qualitas ſuperaddita d. 41. n. 16 & ſeq.
Potentia obedientialis non poteſt eleuari per motionem virtuoſam, vt communiter exponitur. d. 41. n. 27. & ſeq.
Poteſt eleuari per motionem virtuoſam ſingulari modo explicatam. n 31.
Potentia obedientialis non redditur abſolute potens per ſolam virtutem extrinſecam, & aſſiſtentem Dei. d. 41 n. 4.
Neque fit abſolute potens per virtutem aliquam ſibi adæquate identificatam. d 41. ſec. 1.
Eſt itaque abſolute potens per virtutem partim identificatam, & partim diſtinctam realiter. ſec 6 & ſeq.
Potentia obedientialis actiua intrinſece eſt naturalis, & extrinſece ſupernaturalis d 42. n 1.
Conuenit potentia obedientialis actiua rebus etiam naturaliter non actiuis. n. 2.
Potentia obedientialis actiua non eſt eſſentialiter paſſiua. n 3.
Non eſt formalitas ex parte obiecti conſequuta entitatem rei creatæ n. 5.
Diſtinguitur ex modo concipiendi ab eſſentia cuiuslibet creaturæ in particulari n 7.

Non

Digitized by Google

Non diſtinguitur in creatura à ratione communi creaturæ.n 8.
Datur ratio potentiæ obedientialis actiuæ propria cuiuslibet creaturæ diſtincta realiter à potentia obedientiali alterius, & indiſtincta ratione à differentia ipſius n 9.
Potentia obedientialis tranſeunter actiua diſtinguitur ratione ratiocinata ex modo concipiendi à potentia naturali actiua effectiuum naturalium.n. 13.
Non diſtinguitur à potentia naturali ratione præſcindenti ex parte obiecti.n.14.
Recte diuiditur potentia obedientialis in actiuam,& paſſiuam. d 43 n.2.
Potentia obedientialis non eſt negatio,ſed quid poſitiuũ.Ibid.
Diuiſio potentiæ obedientialis in actiuam, & paſſiuam non eſt adæquata.n 4 & ſeq.
Potentia obedientialis ad intelligendum,& volendum non eſt communis omni creaturæ.d.41.n.58.
Actiuitas potentiæ obedientialis non eſt ſimpliciter potentia, ſed ſecundum quid ſeorſim à virtute eleuante Dei.d.41.n.45.
Eius diſcrimen à potentia naturali partiali.d.41.n.47.

Potentia obedientialis paſsiua.

Potentia obedientialis paſſiua larga quadam vſurpatione communis eſt potentiæ actiuæ creaturarum d.25.n.1.
Potentia obedientialis paſſiua diſtincta ab actiua negari non debet.n 7.& ſeq
Potentia obedientialis paſſiua alio modo comparatur cum forma ſupernaturali, quam paſſiua naturalis cum forma naturali.n 8.
Dupliciter eſt potens reſpicere formam ſupernaturalem, ſcilicet abſolute,& ſub conditione.n.11.
Abſolute ſuſceptiua conſtituitur per virtutem actiuam ſibi indebitam.n 12.
Item abſolute ſuſceptiua formæ ſupernaturalis conſtituitur per paſſionem poſſibilem ſupernaturalem. n.14.& ſeq.
Potentia obedientialis paſſiua non iuuatur qualitate ſupernaturali recipiente inadæquate formas ſupernaturales. d. 26. n.1.& ſeq.
Neque iuuatur qualitate inadæquate recipiente.n.7.& ſeq.
Non indiget diſpoſitione ſupernaturali.n.16.& ſeq.
Potentia obedientialis paſſiua omnibus creaturis communis eſt.d.27.n.1 & ſeq.
Potentia obedientialis paſſiua an inſtrumentalis dicenda ſit, quæſtio eſt de voce.d.28.n.3.

Potentia vitalis.

Potentia vitalis concurſu immediato,& partiali influit in actus ſupernaturales.d.30 per totam.
Attingit realiter ſuo cõcurſu ſupernaturalitatẽ actus.d.30.n.136
Ratio formalis agendi potentiæ vitalis non eſt ſupernaturalitas actus,ſed vitalitas.n.139.
Potentia vitalis an ſit cauſa inſtrumentalis comparatione actus ſupernaturalis multum continet de voce.d.31 n 4.
Vt præciſe efficiens actus ſupernaturales eſt inſtrumentalis. d.31.ſec.3.
Vt vitalis,& libera eſt principalis ſec.4.
Potentia vitalis diſtincta à ſubſtantia animæ eſt inſtrumentum animæ etiam qua vitalis, & libera eſt.d.31.n.32.
Dupliciter comparatur cum actu vitali.n.7.
Principalis eſt comparatione actus ſupernaturalis, etiam cum eleuatur per auxilium extrinſecum.n.21.
Potentia vitalis facultatem agendi actus ſupernaturales habet acceptam à Deo.d.32.n.6.7.& 8.
Vt ſit actiua operis ſupernaturalis non requiritur ordo tranſcendens.d 32.n.16.
Potentia vitalis poteſt diuinitus eleuari per auxilium extrinſecum ad agendum actus ſupernaturales.d.34.ſec.3.& ſeq.
Ad aliquos actus ſupernaturales per auxilium extrinſecum eleuari non poteſt.ſect.7.
Etiam ad actus liberos poteſt eleuari per auxilium extrinſecum.ſec.5.
Potentia vitalis eſt intrinſece impotens efficere actus ſupernaturales poteſtate abſoluta, non vero poteſtate conditionata.d.34 n 10.
Potentia vitalis non debet recipere in ſe actum vitalem, quem agit.d.26.n.6.
Si ab animo diſtincta eſt,& receptiua actus vitalis inſtrumentũ eſt animi etiã vt receptiua actuum ſupernaturaliũ d.28.n.4.
Cauſa partialis eſt actus ſupernaturalis.d.30 ſec 11.
Non eſt cauſa pure remota.d 30 n.50.
Qua ratione eſt cauſa partialis actus ſupernaturalis. n. 125.
Supernaturalitas actus eſt terminus formalis phyſicus,non vero Logicus actionis potentiæ n.141.
Vitalitas eſt ratio formalis agendi,& terminus formalis Logicus potentiæ vitalis.n.139.
Vide *Facilitas. Habitus. Potentia obedientialis actiua.* Atque *Paſsiua. Actus ſupernaturales.*

Præceptum.

Poteſt homini imponi præceptum, quod violare non poſſit. d 50.n.52.

Prædicatio.

Prædicationi verbi Dei annexa ſunt auxilia interna gratiæ ſupernaturalis.d.20.ſec.10.

Præmiſſa.

Supernaturalis poteſt inducere concluſionem erroneam cum præmiſſa falſa naturali.d.56.ſec.2.
Præmiſſa falſa qua falſa eſt non mouet intellectum in concluſionem erroneam.n.8.
Vide *Concluſio.*

Præmium.

Vide *Meritum.*

Prudentia.

Ad prudentiam infuſam pertinet iudicium credibilitatis miſteriorum fidei.d.49.n.32.
Prudentia infuſa poteſt imperare intellectui aſſenſum erroneum.d.56.n.4.
Nullus actus prudentiæ infuſæ poteſt eſſe falſus ex natura rei. d 58.n.2.& ſeq.
Plures actus prudentiæ infuſæ ſunt obſcura.d.61.n.7.
Ad prudentiam pertinet cognitio proponens obiecta virtutum moralium.d.62.n 3.& ſeq.
Quo differat ab arte, quæ recipiat eaſdem actiones externas, quas prudentia.n.3.& 4.
Dictamen actuale prudentiæ non requiritur ad actum virtutis d.62 n.38.& 39.

Q.

Qualitas.

Poteſt eſſe qualitas ſpiritualis inhærere connaturaliter corpori.d.41.n.10.
Poteſt qualitas corporea præſtare concurſum in effectum ſpiritualem. Ibidem.
Poteſt eſſe qualitas eſſentialiter agens, quæ ſibi identificet actionem. d.41.n.31.
De qualitate eleuante. Vide *Potentia obedientialis actiua.*

R.

Ratio formalis.

Ratio formalis agendi quænam ſit.d 30 n.139.
Ratio communis poteſt eſſe ratio formalis agendi, & terminus formalis actionis.n.141.
Ratio formalis, *ſub qua* actus, diſtincta eſt à ratione formali *Quæ* d.45
Ratio fo[...]ub *qua* alia intrinſeca obiecto, alia extrinſeca. Ibide[m]

Relatio.

Vide Or[...]us.

Relatio diuina.

An relationes diuinæ poſſint eleuari ad agendum ad extra, dubitabile eſt,& non omnino improbabile.d.45.n.59 & ſeq.& 69.& 70.

Reſpectus.

Vide *Ordo.*

Remiſsio.

Remiſſio peccatorum per condonationem extrinſecam, beneficiũ eſt,quod Deus vt Autor naturæ largiri poteſt.d.16.n.24.
Poteſt cadere ſub meritum condignum creaturæ.n.67.

Reuelatio.

Reuelatio Dei poteſt fieri verbis intrinſece naturalibus. d. 18. n.44.
Vide *Verbum Dei. Fides.*

S.

Sacramenta.

Poſſunt Phyſice cauſare gratiam iuſtificantem.d.40.n.13.
Qualiter poſſint eleuari ſacramenta ad agendum gratiam. Vide *Potentia obedientialis actiua.*
Actiones ſacramentales poſſunt vitiari ex malo fine, d. 50, n. 13.& 57.

Satisfactio.

Satisfactio operis à merito diſtinguitur.d.15. n.10.
Satisfactio operis nihil minuit de merito.n.11.
Satisfactio exigit opus pœnale Ibidem.
Actioni externæ competit ſatisfactio diſtincta à ſatisfactione interna.d.68.n.31.

Scientia infuſa.

Non indiget ſpeciebus ſupernaturalibus ad cognitionem quidditatiuam obiectorum naturalium.d 4.n.13.
Scientia infuſa poteſt efficere diſcurſum. d.55.n.26 & ſeq.
Scientia beata etiã poteſt diſcurrere per ſuos actus.n 57.& ſeq.

Digitized by Google

Poſſibilia ſunt plura genera ſcientiæ infuſæ, quæ cum gratia iuſtificante ſint connexa. d 4.n.53.

Scotus.

Agnouit actus entitate ſupernaturales d 44. ſec. 2.

Dum aſſerit ſupernaturalia eſſe iuxta virtutem naturalem paſſiuam animæ non ſine fundamento dicitur. d 8.n.12.

Diffidet de re ab autoribus id negantibus.n.10.

Scotus tribuit operibus naturæ valorem intrinſecum ad merendum ſupernaturalia d 16.n.110.

Agnoſcit potentiam obedientialem paſſiuam.d.25 n 7.

Scripta.

Scripta pia miniſtrant hominibus ex prouidentia Dei auxilia interna gratiæ ſupernaturalis d.10 n.49.

Senſus.

Senſiones internæ poſſunt eſſe, & reipſa ſunt intrinſece ſupernaturales.d.44 ſec.9 & 11.

Item ſenſiones externæ ſec.10.& 11.

Poſſunt eſſe obiecta ſupernaturalia ſenſibilia.Ibidem.

Quamuis ſenſibilia ſint naturalia, ſenſiones erunt intrinſece ſupernaturales Ibidem.

Poteſt fieri ſenſio miraculoſa, & ſupernaturalis non exiſtenti obiecto.d.59 n 12 13 & 17.

Semipelagiani.

Semipelagianorum ſententia de merito operum naturalium.d. 15.ſec.5

Hoc meritum contendebant à condigno, & congruo præſcindens.d 15.n 17 d 17 ſec.6

Interdum concedebant meritum condignum.n 18

Contendebant meritum congruum remotum gratiæ elicitum viribus naturæ d.27 n.22 & 59.

Cum negarent neceſſitatem gratiæ contra Catholicos,ne lędatur libertas, non arguunt ex gratia prædeterminante. d. 17. n.42.

Quod genus cauſæ partialis tribuunt naturæ in actus ſupernaturales.d.30.n.118.& 125.

Syndereſis.

Datur ſyndereſis ſupernaturalis, quæ iudicat de primis principiis immediate euidentibus ſupernaturalibus.d 49.n.32.

Species impreſſa.

Species impreſſa influit cū uiſu immediato,&partiali in actum intellectus ſupernaturalem.d 30 n 75.

Species impreſſa naturalis influit immediate in cognitionē ſupernaturalem abſque virtute ſuperaddita ſupernaturali. d. 30 n.25 & ſeq.

Non requiritur ſupernaturalis ad cognitione [illegible] ſupernaturales.d 54 ſec.1 & 2.

Non efficitur ſupernaturalis per cognitiones [illegible] naturales. ſec.3.

Species naturales poſſunt deſtruire ad actus ſcientiæ infuſæ referentes quidditatiue obiecta naturalia,n.13.

Spes.

Obiectum formale ſpei ſupernaturalis poteſt mouere amorem intrinſece naturalem d 45.n26.

Actus ſupernaturalis ſpei poteſt fieri ex ſola cognitione intrinſece naturali.d 49 n.18.& 19.

Firmitas ſpei duplex, alia quoad affectum,alia quoad effectum n.20.

Vtraque poteſt haberi diuinitus ſine cognitione ſupernaturali. Ibidem.

Ad actus ſpei ſufficit apprehenſio ſimplex boni futuri. d 61. n 18.

Actus ſpei eſt intrinſece ſupernaturalis.d.44 n.28.29.& 31.

Suaſio.

Suaſiones agendi continuo bona opera arguunt gratiam auxiliantem paratam ad omnem actum honeſtum virtutis naturalis.d.10 ſec 8.

Subiectum.

Subiectum eodem modo, quo forma, comparatur cum effectu ſo.mali,& compoſito, ſecus cum ipſa forma.d.,.n,1.

Subiectum operis.

Subiectum ſunt ſupernaturalia quoad ſubſtantiam.d.1.n 1.

Item creata, & non Deus. Ibidem.n.1.& 5.

Exiſtentia ſub.cti.n.4.

Subſtantia.

Subſtantia creabilis non comprehenditur vſurpatione Theologi a naturæ d.3 n 8 & ſeq d.21 n.71

Subſtantia rationalis non vnitur perfectione à gratia iuſtificante, & accidentibus ſupremis ordinis ſupernaturalis. d. 21 n.21 & ſ q.

Subſtantia ſupernaturalis ſtando autoritati neganda eſt poſſibilis.d.23.n 3.

Subſtantia ſupernaturalis poteſt defendi poſſibilis abſque nota temeritatis etiam ſtando autoritati n.4.

Subſtantia ſupernaturalis poſſibilis non aduerſatur iudicio Patrum,ſed tantum Recentiorum d 23 n 4 3 & 7.

Subſtantia ſupernaturalis ſtando rationi poſſibilis eſt ſec. 3.

Subſtantia ordine tranſcendenti connexa cum gratia iuſtificante ſupernaturalis eſt, & repugnantiam non continet. d. 23 n.9 & ſeq.

Poteſt eſſe ſubſtantia ſupernaturalis, quin ſuapte natura ſit beata, ſed eleuatione Dei n.20.&ſeq.

Item non oſtenditur repugnare ſubſtantia ſuapte conditione beata.n. 24.& ſeq.

Subſtantia natura ſua beata poteſt videre Deum cum lumine gloriæ ab ipſa diſtincto, item cum lumine ſibi identificato.n 30.

Omnis ſubſtantia ſupernaturalis non eſſet neceſſario impeccabilis.n.39.

Poteſt ſubſtantia ſupernaturalis non eſſe ſancta per ſe ipſam, ſed per ſanctitatem ab ipſa diſtinctam.n 40 & ſeq

Item poſſet non eſſe connaturaliter ſancta etiam per ſanctitatem diſtinctam.n 40.

Quamuis eſſet per ſe ipſam ſancta poſſet delinquere veniali peccato. n 40.

Subſtantia ſupernaturalis poſſet ſibi identificare ſanctitatem, & mortali peccato delinquere.n.41.

Peccato ſubſtantiæ ſupernaturalis non eſſent intrinſece ſupernaturalia.n 43.

Stando rationi non repugnat ſubſtantia rationalis ſuapte natura impeccabilis.d.23.n 45.

Stando autoritati nullam cenſuram meretur ſententia affirmans ſubſtantiam rationalem natura impeccabilem. d. 23 n 4 & ſeq.& n 18 & ſeq.

Subſtantia impeccabilis non eſſet prima regula honeſtatis moralis.n 46

Subſtantiæ ſupernaturali poteſt repugnare adeo remiſſa cogitatio honeſti,vt amaret turpe n 47.& ſeq

Vnde prouenirer ſubſtantiæ ſupernaturali impotentia peccandi.n 51.

Quamuis repugnet ſubſtantia ex ſe determinata ad amandum turpe, non debet repugnare ex ſe determinata ad amandum honeſtum.n.57.&ſeq.

Subſtantia rationalis ex ſe determinata ad amandum turpe abſolute repugnat.n 53.& 55.

Subſtantia rationalis neceſſario eſt capax affectus honeſti. n 57.

Subſtantia valens propria virtute efficere gratiam iuſtificantē non apparet repugnare.d 23.n 71 & ſeq

Subſtantia poteſt eſſe ſupernaturalis, quin contineat virtute propria efficiente gratiam iuſtificantem n 74.

Subſtantia ſupernaturalis non eſt natura,ſupra quam conſtituitur ens ſupernaturale n.77 & 78.

Qui omnem ſubſtantiam creabilem comprehendunt ſub vſurpatione naturæ,quam ſuperat ens ſupernaturale,reddunt de voce quæſtionem de poſſibilitate ſubſtantiæ ſupernaturalis. Ibid.

Subſtantia non eſt incapax perfectionis,quæ ſupernaturalitatem conſtituit d 23.n.81.& 82.

Subſtantia ſupernaturalis non deſtruit rationem gratiæ in iuſtitia habituali,& aliis donis ſupernaturalibus.n 84.

Subſtantiæ ſupernaturali poſſet Deus largiri plura gratuita. n 84

Subſtantiæ ſupernaturali nō eſſent vitales habitus infuſi. n 85.

Poſſent habitus ſupernaturales eſſe vitales ſubſtantiæ ſupernaturali.Ibidem.

Ex poſſibilitate ſubſtantiæ ſupernaturalis male arguitur ſubſtantia rationalis vindicans vnionem hypoſtaticam, & ſubſtantia identificata tribus ſuppoſitis n 86.

Subſtantia ſupernaturalis non eſſet filius naturalis Dei n.88.

Subſtantia ſupernaturalis eſſet filius adoptiuus adoptione diuerſa ab ea qua nunc iuſti adoptantur n 89.

Subſtantia rationalis impotens delinquere contra præcepta naturalia æque aduerſatur Patribus Eccleſiæ, ac ſubſtantia ſupernaturalis abſolute impeccabilis n 63.

Subſtantia natura ſua impotens delinquere contra præcepta naturalia, non poteſt delinquere contra præcepta naturalia. n 64.

Supernaturalitas.

Supernaturalitas actus attingitur immediate actione potentiæ vitalis.d.30.n 126.

Supernaturalitas non eſt ratio formalis agendi potentiæ vitalis n 129

Poteſt definiri.d 4 n.20.

Incompoſſibilis eſt cum formalitate naturali. d. 8.n. 2. & ſeq d.44.n.65.

Digitized by Google

8700

QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

De conceptu ſupernaturalitatis, Vide verba ſequentia.

Supernaturalia.

Vox ſupernaturalis entis communis eſt Philoſophis, & Theologis d.1.n.19.

Voce entis ſupernaturalis vtuntur Eccleſiæ Patres, atque Pontifices.d.1.n.20 & ſeq.

Supernaturale aliud ſecundum quid, aliud ſimpliciter. d. 1. n.23.

Supernaturale ſimpliciter aliud excellentia dignitatis, aliud excellentia virtutis n.24.

Item aliud ſecundum ſubſtantiam, aliud ſecundum modum, poteſt eſſe obiectum formale amoris naturalis. d 45.n 22.

Item amoris ſecundum ſpeciem indifferentis. d.69.ſec.2.

Supernaturalia dicuntur abſolute, & relatiue.d 4 n.1.

Supernaturalia quoad ſubſtantiam.

Exiſtunt ſupernaturalia quoad ſubſtantiam.d.2. n. 4. d. 44. per totam.

Supernaturalitas dicitur abſolute & relatiue d.4 n.1.

Supernaturalia quoad ſubſtantiam abſolute accepta non differunt à naturalibus per ordinem ad Deum vt Trinum.d. 4 n.2

Neque participatione diuinæ eſſentiæ, aut attributorum prout ſunt in ſe.n 6.

Supernaturalia quoad ſubſtantiam non diffiniuntur bene, quæ ad ordinem diuinum ſpectant n 8.

Neque quæ reſpiciunt Deum vt actum purum n.9.

Neque quæ referuntur in coniunctionem cum Deo. n. 10. & 13.

Neque quæ pertinent ad ordinem videndi Deum.n.18.

Supernaturalitas abſoluta definibilis eſt n.20.

Optime definitur per connexionem quid diuatiuam cum gratia ſanctificante.d.4.n.21.& ſeq.

Connexio intentionalis cum gratia plurimum confert ad excellentiam ſupernaturalium.d.4 n 50.

Ad ſupernaturalitatem relatiuam non ſufficit ſola excellentia ſupra vires actiuas naturæ.d.5.n. 2.& ſeq.

Neque exceſſus virtutis actiuæ, & paſſiuæ ſimul.n 7 &ſeq.

Supernaturalitatem relatiuam conſtituit excellentia rei ſupra exigentiam naturæ.n.10.& ſeq.

Ad ſupernaturalitatem relatiuam non ſufficit vincere exigentiam virtus cauſæ.n 30.

Supernaturalia quoad ſubſtantiam pendent à ſubiecto ſuſtentanti.d.7.n.5.

Proprie educuntur ex ſubiecto.n 6.

Ex nat[illegible] rei do[illegible] ſupernaturalia eodem modo fiunt, quoad vnionem, & quoad entitatem.d.7.n.15.& ſeq.

Aliqua ſupernaturalia repugnant etiam diuinitus fieri per creationem.d.7.n 16.

Aliqua fieri poſſunt per creationem quoad entitatem, & per eductionem quoad vnionem.d.7.ſec.2.

Supernaturalia quoad ſubſtantiam excellunt virtutem paſſiuā naturalem.d.8.n.19.& ſeq.

Quamquā multū de voce contenditur in ea controuerſia n.16.

Exiſtunt ſupra euidentiam immediatā naturæ.d. 10.n.5.& ſeq.

Item ſupra innatum appetitum naturæ.d. 9.n 23.

Superant euidentiam abſtractiuam, ac mediatam naturæ, etiam ſuppoſitis principiis ſupernaturalibus.d 11.ſec 2.

Poſſunt citra viſionem beatam euidenter cognoſci. d. 12. ſec.2.

Poſſunt comprehendi cognitione creata.d 13.ſec.2.

Ad comprehenſionem ſupernaturalium non requiritur comprehenſio naturæ diuinæ.d.13 n.7.& ſeq.

Nullum ſupernaturalium deſiderium conferens in ſalutem etiam conditionatum, & inefficax poteſt fieri facultate naturæ.d.14 ſec.1.

Haberi poteſt facultate naturæ, etiam ſecluſa reuelatione Dei deſiderium aliquod ſupernaturalium non conferens in ſalutem.d.13 ſec 2.

Poteſt ferri voluntas in ſupernaturalia affectu naturali ex ſe abſoluto, & efficaci.d 13.ſec.3.

Naturali deſiderio expeti poſſunt ſupernaturalia ſub motiuo intrinſece ſupernaturali.d.13 n.55.d 45.ſec.5 & ſeq.

Ex fine turpi deſiderari valent opera externa ſupernaturalia. d. 13.n.38.

Ad affectum naturalem ſupernaturalium non eſt neceſſarium iudicium erroneum.d 14.n.33.

Supernaturalia ſunt ſupra meritum condignum operum naturalium.d 15.ſec 4.

Ratio, propter quam vincant condignitatem operum naturalium.ſec.6.

Etiam diuinitus repugnat talis condignitas meriti operibus naturæ.d.16.ſec 1 & ſeq.

Supernaturalia excedunt meritum congruum operum naturæ. d.17.ſec.2.& ſeq.

Superant etiam diſpoſitionem moralem operum naturalium. d. 18.ſec 2.

Supernaturalia neque ex lege Dei annexa ſunt operibus naturæ.d.18.ſec.3.

Excedunt impetrationem naturæ.d.19.ſec.2.

Alio genere prouidentiæ poſſunt ſupernaturalia precibus naturalibus impetrari.ſec.3.

Supernaturalia diſpoſita ſunt ex lege Dei facienti, quod in ſe eſt, quia ſemper agit ex auxilio ſupernaturali gratiæ, d. 20. ſec.2 & ſeq.

Supernaturalium plura ſunt ignobiliora naturalibus.d.21.ſec.2

Supernaturalia ſunt indebita primæ conditioni naturæ rationalis.d 22.ſec.2.& ſeq.

Supernaturalia non ſunt ſupra omnem ſubſtantiam creabilem. d.23 ſec.2.& ſeq.

Vide *Subſtantia.*

Supernaturalia quoad modum.

Supernaturale quoad modum excellunt facultatem, & exigentiam totius naturæ d.1 n.26.

Non eſt idem ſupernaturale quoad modum, & donum gratioſum.d.1.n.27.

Non ſufficit ad ſupernaturalitatem quoad modum motiuum extrinſecum ſupernaturale.n.28.

Supernaturalia quoad modum in multiplici differentia. n. 30. d.11.n.17.

Supernaturalia quoad modum non continent neceſſario aliquid intrinſece ſupernaturale. n.31.

Supernaturalia quoad modum non fluunt neceſſario à principio creato ſupernaturali quoad ſubſtantiam. Ibidem.

Supernaturalia quoad modum non ſunt omnino indebita naturæ.d 5.9.31.

Supernaturalia quoad modum non poſſunt ducere intellectum in euidentiam ſupernaturalium quoad ſubſtantiam. Ibid.

T.

Tactus.

In tactu corporeo poſſunt eſſe, & erunt in patria actus intrinſece ſupernaturales.d.44 ſec.10.& 11.

Vide *Senſus.*

Tentatio.

Poteſt reſiſti tentationi per puram omiſſionem. d. 70.n. 20. & ſeq.

Talis reſiſtentia exigit gratiam, & meritoria eſt.Ibidem.

Duplex modus vincendi tentationem.n.24.

Sanctus Thomas.

Sanctus Thomas negat virtutem paſſiuam naturalem donorum ſupernaturalium.d.8.ſec 6.

Admittit deſiderium naturale ſupernaturalium ſecluſa reuelatione Dei.d.14 n.8.& ſeq.

Non negat tale deſiderium naturale ſub motiuo ſupernaturali. n.37.

Negat condignitatem meriti cum præmio ſupernaturali eſſe æqualitatem Mathematicam rei ad rem d 16.n.20.

Negat, condignitatem meriti cum præmio ſupernaturali eſſe æqualitatem Mathematicam rei ad rem d.16.n.20.

Docet, naturam rationalem agentem quod in ſe eſt, præueniri motione gratiæ, & negat, motionem gratiæ ſubſequi conatum naturæ d.20.n.90.

Sanctus Thomas adſtruit concurſum immediatum, & partialē potentiæ vitalis in actus ſupernaturales. d.30 ſec. 19.

Aſſerit, poſſe fieri actum ſupernaturalem per auxilium extrinſecum.d.34 ſec.4.

Non refragatur potentiæ obedientiali actiuæ ſacramentorum per virtutem partialem ſibi identificatam.d.41.ſec.10.

Longe abeſt à ſententia Semipellagianorum.d 17.n.50.

Agnouit actus entitate ſupernaturales.d.44.ſec.2.

Sentit, actum ſupernaturalem poſſe reſpicere motiuum intrinſecum naturale,d.45.n.14.& 19.

Item actum naturalem reſpicere motiuum intrinſecum ſupernaturale.n.18.

Aſſerit poſſe actum ſupernaturalem vitiari,d.50.n.19.

Tuetur, poſſe actum internum referri in finem extrinſecum, d. 65.n.6.& 11.

Theologia.

Poteſt eſſe concluſio Theologica intrinſece ſupernaturalis, d. 55.n.17.& ſeq.

Probabile eſt, re ipſa concluſiones Theologicas eſſe intrinſece naturales.n.43.& ſeq.

Item eſſe intrinſece ſupernaturales,n.49.& ſeq.

Habitus Theologicus ſupernaturalis non eſt acquiſitus ipſis actibus.n.45.

Requiritur habitus ſupernaturalis, aut auxilium extrinſecum ad concluſiones Theologicas ſupernaturales.n.46.

Videtur requiri auxilium gratiæ ad concluſiones Theologicas de facto,n.49 & 50.

Concluſio Theologica poteſt deſeruire ad affectus ſalutares

Digitized by Google

voluntatis,n.52.
Cognitio Theologica poteſt regulari actu charitatis,d.63.n.24
Concluſiones Theologiæ ſupernaturales re ipſa ſunt per auxilium extrinſecum Dei,n.54.
Probabile eſt etiam fieri per habitum fidei.Ibidem & ſeq.
Theologia ſumitur late etiam pro habitu colligente concluſionem ex vna præmiſſarum naturali ſiue ſcientifica, ſiue probabili,n.55.
Poteſt eſſe in Beatis Theologia diſcurſiua per actus luminis gloriæ,n.57.& ſeq.
Non ſolum diſcurſiua circa obiecta creata,ſed etiam circa perfectiones diuinas,n.59.
Vide *Concluſio.*

Timor.

Ad affectum timoris ſufficit ſimplex apprehenſio mali futuri, d.62.n.18.

Trinitas.

Trinitas perſonarum in vnitate naturæ repugnat ſubſtantiæ creatæ,etiam ſupernaturali poſſibili,d.23 n.86.

V.

P.Vaſquez.

P.Vaſquez immerito carpitur,quod Chriſoſtomum Maſſilienſibus adiunxerit.d.17.n.41.

Vbicatio.

Vbicatio Euchariſtica intrinſece ſupernaturalis.d.4.n.14.

Verbum diuinum.

Verbum diuinum non eleuatur ad terminandum vnionem hypoſtaticam,d.24.n.2.

Verbum externum Dei.

Verbi diuini prædicationi annexa ſunt ex lege Dei auxilia interna gratiæ ſupernaturalis.d.20.ſec.10.
Poteſt aſſentiri intellectus propter verbum Dei per aſſenſum naturalem.d.45.n.23.& ſeq.
Sed non propter verbum Dei prout eſt vere verbum Dei.n.32. d.46.n.6.
Poteſt aſſenſus rei propter verbum Dei eſſe incertus,n.33.d.46 n.6.
Vide *Reuelatio. Fides.*

Veritas.

Vide *Cognitio.*

Viator.

Viatoribus competunt plures cognitiones ſupernaturales euidentes.d 20.n.105.

Viſus.

In viſu corporeo poſſunt eſſe,& erunt in patria actus intrinſece ſupernaturales.d.44.ſec.10.&.11.
Poteſt intueri lucem intrinſece ſupernaturalem,ſec.10.
Viſio lucis intrinſece ſupernaturalis poteſt eſſe intrinſece ſupernaturalis.n.61.& 62.
Item poteſt eſſe intrinſece naturalis,n.62.
Viſio corporea poteſt fieri miraculoſe , atque adeo ſupernaturalis non exiſtente obiecto d.59.n.12.13.& 17.
Viſus corporeus non poteſt eleuari ad videndum Deum.d.10. n.29.d.33 n 22.

Viſio Dei.

Viſio Dei poſſibilis eſt intellectui creato , quamquam non ſit poſſibilis oculo corporeo.d.10.n.29.
Viſio Dei non oſtenditur poſſibilis ratione naturali. d. 11.n. 13 & ſeq.
Viſiones beatæ non ſunt inæquales in ratione beatitudinis pro inæqualitate potentiæ vitalis.d 37.n.15.& 21.
Poteſt perfectior,quã alia, quin beatificet perfectius.d.37.n.15
Viſio Angelica,& humana æqualis claritatis ſunt n.21.
Eſt intrinſece ſupernaturalis d.44.n.28 d.45.n.36.
Quæ intuetur in Deo creaturas non poteſt eadem perſeuerare non viſis creaturis.d 47.n 9.
Poteſt mouere ad dilectionem naturalem Dei.d.48 n.3.
Poteſt deſeruire ad diſcurſũ inferendo concluſionẽ.d.55.n.40.
Concluſio illata ex viſione poteſt eſſe intrinſece ſupernaturalis.n.57.
Item elicita per habitum luminis gloriæ.n.32.
Non ſolum circa obiecta creata, ſed etiam circa perfectionem diuinam poteſt viſio Dei inferre concluſiones.n 59.& 63.
Cognitio veritatis increatæ illata ex viſione Dei fieret per lumen gloriæ n.60 & 61.
Cognitio deducta ex viſione poteſt admitti beatitudo formalis.n 61.
Qua ratione poteſt negari.n.62.
Viſio Dei ſtando rationi videtur poſſe reddi falſa poteſtate abſoluta Dei.d.59.ſec.1.& 2.
Vide *Viſus corporeus.Lumen gloriæ.Actus ſupernaturalis.Beatitudo.*

Vitalitas.

Vitalitas actus vindicat concurſum immediatum potentiæ vitalis.d.30.ſec.13.
Attingitur immediate actione gratiæ.d 30.n.36.
Vitalitas eſt ratio formalis agendi potentiæ vitalis, non vero principii ſupernaturalis.n.139.

Virtus.

Virtutum Theologicalium actus ſunt intrinſece ſupernaturales.d.44.ſec.5.
Etiam actus virtutum moralium.ſec 6.
Virtutes morales infuſæ,& acquiſitæ reſpiciunt idem obiectũ formale.d.45.n.8.& ſeq.
Ad actum virtutis non requiritur dictamen actuale prudentiæ. d 62.n 38 & 39.
Virtutis actus.Vide *Actus ſupernaturales. Affectus.*
Ad omnem actum virtutis ſupernaturalis neceſſaria eſt aliqua cognitio fidei infuſæ.d 62.ſec.1.
Hæc fides non debet eſſe ſtricta,ſed lata.ſec.3.
Poteſt eſſe actus virtutis Theologicæ reſpiciens tanquam obiectum formale bonitatem creatam.d.64.n.3.4 & 8.

Virtus cauſæ.

Virtus paſſiua tripliciter naturalis.d.8.n.2.
Naturæ virtus in actus ſupernaturales abſoluta, & conditionata d. 33.n 3.
Virtus conditionata in actus ſupernaturales realiter identificatur virtuti naturæ in actus naturales.n 4.
Virtus abſoluta partim eſt eadem , partim realiter diſtincta à virtute naturali.n 5.
Virtus naturæ in actus ſupernaturales immediata eſt,& partialis. d.30.per totam.
Mixta eſt,virtute principali,& inſtrumentali.d.31.ſec.5.
Virtus paſſiua actuum ſupernaturalium eſt immediata, & adæquata excludens etiam diſpoſitionem ſupernaturalem. d. 26.per totam.
Neque actiua, neque paſſiua refertur ordine tranſcendenti in actus ſupernaturales.d.32.ſec.2 & ſeq.
Poteſt naturæ ineſſe virtus naturalis ad actus naturales abſolute repugnantes ſub conditione quod non repugnent. d.33. n.26 & 27.
Vide *Verba. Potentia obedientialis.*

Vnio.

Vnio accidenti eodem modo productionis efficitur, quo entitas ipſius.d.7.à n.15.

Vnio hypoſtatica.

Vnio hypoſtatica eſt radix totius ordinis ſupernaturalis. d. 4. ſec 3.n.49.
Vnioni hypoſtaticæ debentur omnia dona ſupernaturalia. d. 4 n.49.
Cognitio quidditatiua vnionis hypoſtaticæ non deſiderat notitiam quidditatiuam naturæ diuinæ d.10.n.15.
Vnio hypoſtatica nõ erat euidẽter nota dæmoni.d.11.n.20 & ſe.
Vnio hypoſtatica poteſt cõprehẽdi cognitione creata.d 13 n.12
Vnio hypoſtatica poteſt quidditatiue,& immediate noſci,quin natura diuina immediate,& quidditatiue nota ſit.d.10.n.15.
Vnio hypoſtatica non poteſt eſſe connaturalis alicui ſubſtantiæ etiam ſupernaturali poſſibili.d.23.n 86.
Qualitas naturaliter actiua vnionis hypoſtaticæ repugnat, quamuis non repugnat qualitas naturaliter actiua gratiæ iuſtificantis d.41.n.18.
Vnio hypoſtatica ignota eſt euidenti notitiæ naturæ.d.10 n.14

Vocatio.

Vocatio Dei.Vide *Auxilia gratiæ. Gratia actualis. Illuſtratio. Efficacia. Cogitatio.*

Voluntas.

Voluntas perfectior elicit affectus ſupernaturales perfectiores cum æquali habitu ſupernaturali.d 37.n.8.
Poteſt voluntas cum gratia actuali remiſſa ſuo conatu efficere actum intenſum.d.38 ſec.2.
Poteſt ſuo conatu efficere actum intenſiorem habitu infuſo. d.39.ſec.1.
Vide *Natura rationalis. Subſtantia. Potentia vitalis. Affectus. Arbitrium. Libertas.*

Voluntarium.

Ratio voluntarij exigit concurſum immediatum voluntatis d.30.ſec.14.
Item exigit proceſſionem ex cognitione.d 70 n.9.
Pura omiſſio libera eſt voluntaria.Ibidem.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

5-2

LEGATORIA A. PANDIMIGLIO ROMA